Es de la Librería del R.l Colegio de S.ta Cruz de la Fee Vniv.d de Granada
R. 1048

R. P. BARTHOLOMÆI

MASTRII
DE MELDULA,

Ordinis Minor. Convent. Magiſtri.

Tomus Quartus:

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in duodecim Ariſtotelis Stagiritæ Libros

METAPHYSICORUM.

PARS PRIOR.

Editio noviſſima a mendis, quæ prius irrepſerant, expurgata.

VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Es de la Librería del R.t Colegio de S.ta Cruz de la Fee Fran.co de Granada
R. 1048

R. P. BARTHOLOMÆI

MASTRII

DE MELDULA,

Ordinis Minor. Convent. Magiſtri.

Tomus Quartus:

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in duodecim Ariſtotelis Stagiritæ Libros

METAPHYSICORUM.

PARS PRIOR.

Editio noviſſima a mendis, quæ prius irrepſerant, expurgata.

VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

AD LECTOREM AUCTOR.

POst Philoſophicum opus jam editum, Metaphyſicam in vulgo in duos Tomos diſtributam: prodit nunc primus; ac ſine ulla cunctatione immediate poſt proditurus erat ſecundus; at quia Impreſſori nec unus quidem ſupereſt tomus Logicus, ne opus Philoſophicum mutilum maneat, ac veluti ſine capite, cogitur Logicam recudere, antequam poſteriorem Metaphyſicæ partem imprimat. Quæſtiones hic fuſiores habebis, quam in Philoſophia, quia materia fœcundior, diſputandi campus apertior, Adverſariorum occurſus frequentior, & Doctor ipſe ſubtilis, utpote qui inter alias facultates Metaphyſicam præcipue profitebatur, ad ingenii acumen exercendum majorem doctrinæ copiam ſuppeditat. Hic Recentioribus occurro, qui in Metaphyſicam ſcripſerunt, vel me in opere Philoſophico impugnarunt, inter quos præcipuus eſt P. Poncius Scotiſta non minus recens, quam eruditus, qui in ſuo Curſu Philoſophico me nomine ſuppreſſo pluries ſequitur, interdum vero nominatim inſequitur, præſertim in Logica, & Phyſica; ejus objectionibus in Phyſica jam ſatisfeci in ejuſdem Phyſici tomi recuſione, licet brevius, & ſuppreſſo obiicientis nomine, quia Tomi moles apertam & fuſiorem pugnam non mihi permittebat, qua etiam de cauſa neque modo in Logicæ recuſione admodum cum eo diſputando diffundar (niſi quantum poſtulabit reſpondendi neceſſitas) ſed totam cum eo exercitationem ad hunc Metaphyſicæ campum reſervavi, ubi materiarum diverſitas occaſionem ſæpe præſtabit ejus placita expendendi, ac mea tuendi jam aſſerta in Logica, & Phyſica. Demum ex antiquioribus Aureolo præſertim reſpondere nitor, utpote qui in Metaphyſicis acutiſſimus fuit, & principia jecit omnino contraria principiis noſtri Doctoris, nec Scotiſtarum ullus hactenus curavit, niſi obiter, & raro illi occurrere, cum tamen Doctorem non legerim adeo ſerio, & ſolide placita Scotica impugnantem, quo factum eſt, ut non erubeſcat modo tota Neutralium ſchola ejus veſtigiis inhærere, principia D. Thomæ, & Scoti deſerendo, quæ tamen Progenitores ſui fuerant amplexi. Quamvis igitur præcipuus mei calami ſcopus fuerit cum Recentioribus congredi, Scotum impugnantibus, attamen congreſſum quoque cum Aureolo (eſto viribus meis longe imparem) evadere non potui, ubi ſe ſe offert occaſio, ut principia Metaphyſica Scoti undique ſtabilirem, & a telis ſtrenui adeo Ducis pro viribus illa tuerer.

INDEX RERUM NOTABILIUM

Prioris Tomi Metaphysicæ.

Numerus prior Disputationem, posterior vero marginalem numerum signat.

A

Abstrahere, Abstractum, & Abstractio.

Qualis abstractio requiratur, ut aliquid sit objectum Metaph. 1, 41, quænam dicantur abstracta secundum esse ibid. qua ratione Metaph. distinguatur a Physica, & Mathematica quantum ad modum abstrahendi 1. 45. abstractio Metaphysica qualis sit, & ad quæ se extendat ibid. & 1. 41. quæ sint abstracta per essentiam, & quæ per indifferentiam ibid. abstractio duplex præcisiva, & divisiva 6. 307. quid ad abstractionem requiratur 6. 321.

Accidens.

Accidens consideratur in Metaph. non ut sola substantiæ affectio, sed ut quædam entis species 1. 28. & 37. in ratione entis analogiam dicit ab substantiam 2. 113. & quidem attributionis, quæ cum univocatione consistit 2. 117. quo pacto accidens dicatur ens secundum quid respectu substantiæ 2. 124. & 111. quo pacto dicatur ens per ordinem ad substantiam 2. 126. definitur per substantiam, non ut ens est, sed ut tale ens 2. 127. accidens aliud prædicabile, aliud prædicamentale 4. 55.

Actio vitalis.

Actio vitalis non est actio vere, & proprie dicta, sed grammaticaliter tantum, & secundum vocem 6. 56.

Actio, & Passio.

Actio, ut constituit speciale prædicamentum, non est productiva termini, sed transmutativa subjecti 6. 34. non est respectus intrinsecus, sed extrinsecus adveniens ibid. actio sic sumpta non est subjective in termino producto, vel passo, sed in agente 6. 36. & seq. sumpta pro productione, & causalitate proprie non mediat, ut via, inter causam, & effectum 6. 39. actio sumpta pro productione, & causalitate pertinet ad prædicamentum relationis 6. 40. & 54. & per ipsam sic sumptam producitur effectus, non ut principio formali agendi, sed denominandi ibid. actio in ratione productionis seipsa ab agente dimanat 6. 42. actio proprie non egreditur ab agente, sed effectus ibid. ratio actionis, & passionis 6. 43. ex qua colligitur ipsas importare solas relationes 6. 44. actio eductiva, vel inductiva, ac transmutativa sunt actiones regulariter invicem connexæ, non tamen realiter identificatæ, sed diversos important respectus 6. 49. immo absolute separari possunt ibid. actio eductiva, vel productiva præcedit transmutativam 6. 50. duplex actio convenit causæ efficienti, ut sic, productiva, scilicet, & transmutativa 6. 52. definitio actionis tradita ab Auctore sex principior. convenit transmutativæ tantum actioni, non productivæ ibid. actio, & passio etiam sine transmutatione subjecti contingere possunt absolute loquendo ibid. importat nedum diversos respectus sed etiam oppositos 6. 56. & 59. regula dignoscendi, quando actio, & passio distinguitur ab effectu producto 6. 57.

Actus, & Actualitas.

Actus dividitur in primum, & secundum 6. 81. actus primus est forma, actus secundus est operatio formæ 6. 82. dividitur etiam in actum formalem, & entitativum 6. 83. per actum entitativum intelligitur rei existentia, & hic correspondet potentiæ objectivæ ibid. actualitas quomodo etiam conveniat parti 6. 85. natura actus entitativi perspicue declaratur 6. 89. actus entitativus nec est substantia, nec accidens formaliter, sed modus intrinsecus amborum 6. 90. etiamsi materia actu entitativo careret, adhuc hic actus in rerum natura admitti deberet 6. 92.

Actus, & Potentia.

Actus, & potentia quo præsertim sensu sint passiones disjunctæ entis 6. 3. actus triplex correspondens triplici potentiæ 6. 88. sumendo potentiam pro potentia activa, actus non opponitur potentiæ 6. 103. potentia quoque passiva, seu subjectiva stat simul cum actu formali, quem recipit 6. 104. potentia tamen objectiva cum actu entitativo sibi correspondente incompossibilis est, & proprie dicuntur opponi 6. 105. potentia item Logica potest stare cum actu, ad quem ordinatur 6. 106. potentia activa est prior suo actu perfectione, ac etiam duratione, vel saltem natura 6. 108. non tamen cognitione saltem quoad nos ibid. potentia quoque passiva est prior duratione, vel saltem natura actu formali sibi correspondente, at actus est prior ipsa perfectione, & cognitione 6. 109. an actus, & potentia sint relativa mutua, vel non mutua 6. 110. potentia objectiva est prior actu sibi correspondente duratione, vel natura, non tamen perfectione, vel cognitione ibid.

Agens.

Agens diversam dicit habitudinem ad subjectum, & ad terminum, seu effectum productum 6. 34. agens naturale præsupponit subjectum, id quod agat 6. 35.

Æquivoca, & Æquivocatio.

Æquivocum, & æquivocatio per quid constituantur 2. 121. quæ multiplicitas sit propria æquivocorum 2. 124.

Aliquid.

Aliquid non est passio entis distincta 4. 27. dupliciter sumi potest ibid. quo pacto possit patere latius ente 5. 80.

Analoga, & Analogia.

Analogia non minuit unitatem conceptus entis 2. 64. non defert secum unitatem præcisionis, sed attributionis, vel proportionis ibid. analoga quænam sint 2. 107. analogia importat unitatem simul, & diversitatem ibid. Unitas analogiæ est minor unitate univocationis & major unitate æquivocationis ibid. duæ species analogiæ, scilicet proportionis, ac attributionis, ibid. & utraque dupliciter contingere potest ibid. Alia species analogiæ, quæ dicitur inæqualitatis assignatur 2. 108. hæc tamen reducitur ad analogiam attributionis ibid. quælibet inæqualitas in gradu communi etiam extrinseca, quæ in ipsum redundat ex contrahentibus sufficit ad analogiam inducendam ibid. 120. & 138. inæqualitas intrinseca, nempe quæ ex ipsa ratione communi provenit, non datur ibid. Alia species analogiæ, quæ dicitur transcendentiæ, assignatur, sed non ut distincta ab aliis 2. 109. Analogia stat cum univocatione imperfecta 2. 113. non bene sumitur analogia ex inæqualitate intrinseca gradus superioris, quia talis inæqualitas non datur 2. 108. & 116. quo sensu admitti possit 2. 138. analogia ex sua ratione stat cum univocatione 2. 119. unitas analogiæ etiam proportionis propriæ non sufficit ad contradictionem, nec ad medium syllogisticum 2. 21. inæqualitas participationis gradus superioris impedit solum univocationem perfectam, & in primo gradu 2. 126. analogia entis est per attributionem intrinsecæ denominationis 2. 135. pura, & nuda proportionalitas nequit analogiam inducere 2. 136. inæqualitas per analogiam inducta non minuit unitatem conceptus, sed univocationem 2. 138.

Analogum coincidit cum univoco, vel æquivoco materialiter non formaliter 2. 109. & ideo nequit poni veluti medium inter univocum, & æquivocum ibid. & 119. quo pacto mediare dicatur inter purum univocum, & purum æquivocum 2. 111. falsum est analogum habere [non posse unitatem conceptus 2. 138. quæ analoga possint talem unitatem possidere ibid.

Angelus.

Vide Intelligentiæ.

Anima rationalis.

Quo pacto ad Metaph. spectat 1. 17. quomodo naturalem habeat inclinationem, & potentiam passivam naturalem ad recipiendas formas ordinis supernaturalis 6. 23. cur in diversis partibus corporis suam retineat unitatem, ac identitatem 6. 184.

Appetitus, & appetibile.

Appetitus duplex, innatus, & elicitus 1. 61. 5. 266. & utroque homines scire desiderant ibid. appetibilitas quo sensu proprietas entis 5. 266.

Aptitudo.

Quomodo aptitudo differat a potentia, & capacitate 5. 117.

Attributa.

Cur attributa non faciant compositionem in Deo 2. 134. & 6. 235. & seq.

B

Bonitas, & Bonum.

Bonitas, quæ est passio entis, non dicit solam relationem rationis 5. 251. neque solam negationem imperfectionis, vel defectus 5. 253. sed dicit formalitatem positivam enti superadditam, & ab eo ex natura rei saltem virtualiter distinctam 5. 254. hæc formalitas secundum id, quod bonitas importat a parte rei, nec absoluta, nec relativa est, potest tamen dici relativa secundum id, per quod solet explicari a nobis 5. 255. Bonitas ut importat perfectionem, & integritatem rei in suo esse essentiali, non est passio entis, sed potius modus ejus intrinsecus 5. 256. non tamen prædicatum quidditativum 5. 257. & 258. Bonitas, ut passio entis non consistit formaliter in unius rei convenientia cum alia, cui conveniens dicitur 5. 261. sed explicari debet per convenientiam ad appetitum aptitudinalem, & transcendentem, idest per appetibilitatem, 5. 265. bonum, & appetibile sunt synonima capiendo bonitatem, ut est passio entis 5. 268. bonum ita comparatur ad appetitum, sicut verum ad intellectum 5. 267. quo sensu intelligatur rem esse appetibilem, quia est bona ibid. & 276. bonum, & ens sunt idem realiter, non formaliter 5. 270. bonum, & perfectum quo sensu idem 5. 272. quo sensu dicatur ex integra causa ibidem. bonitas consistit in perfectione rei non formaliter, sed causaliter, & radicaliter ibid. bonitas pertinet ad conceptum entis qualitativum, ut ejus passio, non quidditativum 5. 277. conceptus boni posterior est conceptu entis 5. 278. bonum, & ens convertuntur ibid. bonitas est passio entis nominaliter sumpti, non verbaliter 5. 279. & 280. bonum ut est passio entis, præscindit ab honesto, utili, & delectabili 5. 288. quid sit de ratione boni, ut sic, 5. 300. bonitas non est æqualis in omnibus rebus, sed diversos habet gradus 5. 301. Bonum nedum verum, & apparens, sed etiam præfixum esse potest voluntatis motivum 2. 247. quid re vera moveat in bono apparenti, & impossibili 5. 288.

Bonitatis, & Boni divisiones.

Bonitas alia moralis, alia naturalis, vel transcendens 5. 246. & 289. Bonum item aliud est bonum in se, aliud est bonum alteri ibid. bonitas entis alia primaria, alia secundaria 5. 250. hæc est passio entis, illa vero modus ejus intrinsecus 5. 259. bonitas primaria est fundamentum bonitatis secundariæ 5. 270. bonum non satis apte dividitur in positivum, & privativum 5. 287. bonitas naturalis, vel transcendens dicit quid reale positivum a parte rei in rebus, non tamen bonitas moralis formalis, sed etiam objectiva non est omnino realis 5. 291. bonitas moralis non est species quædam bonitatis transcendentis illam essentialiter includens ib. sed sunt bonitates a toto genere abinvicem diversæ, esto una fundetur super aliam 5. 292. quo sensu bonitas naturalis subordinatur morali ibid. bonum dividitur in honestum, utile, ac delectabile 5. 293. traditur hæc divisio præsertim de bono humano, licet etiam extendi possit ad bonum in communi 5. ibid. ejus sufficientia in hoc sensu ibid. hæc divisio est quædam subdivisio divisionis præcedentis, qua bonum dividebatur in naturale, & morale ibidem. quo pacto hæc quoque divisio applicari possit bono in communi, seu transcendenti 5. 294. est divisio ejusdem rei in diversas formalitates, & respectus ibid. est divisio univoci in sua univocata, ac veluti generis in species, licet cum analogia permixta 5. 297.

Bonum honestum.

Quænam sit propria ratio boni honesti 5. 297. est maxime propter se expetibile etiam præcisa delectabilitate ibid. est magis bonum, quam delectabile, & utile 5. 301.

Bonum delectabile.

Quænam sit propria ratio boni delectabilis 5. 297. habet propriam, & intrinsecam bonitatem propter se expetibilem etiam honestate præcisa ibid. est magis honum, quam utile 5. 301.

Bonum utile.

Bonum utile est bonum ab aliis distinctum, licet non habeat bonitatem propter se appetibilem 5. 293. hæc bonitas est propria mediorum respectu finis ibid. constituit propriam bonitatis speciem, ut membrum ab honesto, & delectabili constinctum 5. 298. habet bonitatem propriam, & intrinsecam, licet ad illa ordinabilem ibid. bonitas mediorum, quæ est utilitas, pendet a bonitate finis 5. 299. bonum utile non apte subdividitur in id, quod confert ad consecutionem boni honesti, vel delectabilis, ut genus in species 5. 300. est minus bonum omnium 5. 301.

C

Causa.

Causa dicit relationem transcendentalem ad effectum ab ipsa possibilem 6. 11. quo sensu habeat necessariam connexionem cum effectibus ab ipsa possibilibus 6. 12. id autem intelligendum est de causa creata 6. ibid. implicat causam dicere relationem transcendentalem ad effectus ab ipsa possibiles, & non habere necessariam cum ipsis connexionem 6. 13. cur causa secunda dicatur causans per actionem in ipsa fundatam, non ita causa prima 6. 45. ex negatione causæ efficientis respectu alicujus deducitur quoque negatio causæ finalis 6. 112. habens causam finalem habet quoque necessario causam efficientem 6. 114. causa, & causalitas Phys. & Metaph. explicantur 6. 161.

Cognitio, & Cognoscibilitas rerum.

Cognitionis confusæ duplex genus tantum 2. 58. & 5. 242. cognitio certa nequit in sua certitudine pendere a minus certa 3. 16. cognitio experimentalis est utilis, non autem necessaria ad notitiam primorum principiorum 3. 22. cognitio principii universalis non pendet a particulari, sed e contra 3. 23. in cognitione duplex veritas potest reperiri, scilicet in essendo, & in repræsentando 5. 130. item duplex perfectio essentialis 5. 192. cognitio duplex abstractiva, & intuitiva 6. 315. abstractiva est apta ad faciendas præcisiones ibid. intuitiva nequaquam facere potest distinctionem rationis 6. 316. bene tamen cum distinctione formali consistere potest 6. 319. non est de ratione cognitionis intuitivæ, ut exprimat omnes formalitates, vel prædicata objecti, sed hoc attinet ad comprehensionem ibid. quo sensu dicatur notitia rei, sicut est, 6. 324. & rei existentis, ut sic, 6. 325.

Compositum, & Compositio.

Compositio rationis in Deo non inconvenit 2. 75. compositio Metaphysica non est mera compositio rationis 2. 131. & 6. 295. ad compositionem requiritur unam partem esse extra aliam compartem ibid. compositio in creatura immediate oritur ex ejus finitate, non ex dependentia 2. 233. & 6. 234. compositio ex his, & cum his 5. 15. essentiæ rerum nedum physice, sed etiam Metaphysice compositæ 6. 161. compositio Metaphysica Deo repugnat ob summam ejus simplicitatem 8. 198. quæ ad compositionem requirantur 6. 232. cur genus, & differentia faciant Metaphysicam compositionem 6. 236. cur attributa non faciant compositionem in Deo 6. 235. & seq.

Conceptus.

Conceptus duplex, formalis, & objectivus 2. 2. de eodem conceptu intellectus nequit esse certus, & dubius 2. 5. unitas conceptus

formalis pendet ab unitate conceptus objectivi 2. 10. & seq. conceptus communis ex duplici capite confusus esse potest 2. 81. & 82. non eodem modo fit abstractio conceptuum transcendentium, & prædicamentalium 2. 98. conceptus omnes prædicamentales sunt adæquati, transcendentes omnes adæquati 2. 101. conceptus aliquis tripliciter esse potest univocus 2. 106. quo pacto conceptus univocus perfecte præcisus dicatur habere perfectam unitatem 2. 120. cur conceptus transcendentes contrahantur per modos, & non per differentias prædicamentales 2. 159. conceptus explicitus, & implicitus non sunt idem 5. 82. conceptuum diversitas qualis requiratur ad formalem distinctionem 6. 230. 231.

Concretum.

Concretum accidentale, quomodo ens per se unum 5. 17.

Continentia.

Continentia explicita, & implicita Thomistarum impugnatur 5. 82. continentia plurium perfectionum in eodem potest esse formalis, vel virtualis, & formalis rursus potest esse duplex 5. 291.

Contingens, & Contingentia.

Contingentia in rebus a priori demonstrari non potest 6. 131. est modus, vel passio creaturæ 6. 132. contingentia effectuum alia positiva, alia privativa ibidem: quo sensu possibile convertatur cum contingenti 6. 133. quænam sit prima radix contingentiæ rerum tam in essendo, quam in causando ibid. & 134. si Deus ageret necessario ad extra, tolleretur contingentia actionum nostrarum ibid. contingentia in essendo in rebus creatis ponit aliquid intrinsecum 6. 136.

Continuum.

Continuum quomodo per se unum 5. 24. continuitas dicit quid positivum 5. 57. & 58.

Contractio.

Contractio entis ad Deum, & creaturam per finitum, & infinitum non est omnino ex natura rei, sed fit ab intellectu cum fundamento in re 2. 41. & ideo non est a priori, sed a posteriori 2. 75.

Contradictio, & Contradictoria.

Inter contradictoria complexa nequit dari medium, bene tamen inter incomplexa 2. 204. & 5. 77. ad contradictionem non sufficit unitas proportionalis 2. 21. contradictionis extrema quæ sint proprie 2. 46. quare contradictoria nequeant esse simul vera 3. 60. contradictio ex natura rei sufficiens signum est ad indagandam distinctionem ex natura rei, ut est genus ad omnes distinctiones præter opus intellectus, non autem ad indagandam distinctionem simpliciter realem 6. 168. & 181. contradictio ostendit distinctionem ex natura rei inter gradus prædicamentales 8. 200. contradictio talem infert distinctionem, qualis ipsa est 6. 215. non sufficit distinctio virtualis ad salvandam contradictionem ex natura rei 6. 216. & 242. contradictionum duplex genus 6. 243. contradictoria ex natura rei per sola connotata diversa componi non possunt 6. 248. Contradictio datur a parte rei, & non tantum per intellectum 6. 289. contradictoriorum varia genera 6. 290. & ad hæc componenda varia requiruntur distinctionum genera ibid. contradictoria æque repugnant quoad veritatem, non quoad distinctionem inferendam 6. 310.

Convenientia.

Convenientia in suo conceptu omnem prorsus excludit realitatem 2. 97. qualis sit convenientia inter Deum, & creaturam 2. 86. & 87. major, vel minor convenientia non destruit unitatem conceptus 2. 17.

Corruptio.

Corruptio in rebus quo pacto dici possit naturalis 6. 138. in ratione destructionis non est peculiaris actio distincta a generatione 6. 139.

Creatio.

Quid sit creatio, & quæ negatio sit ejus terminus a quo, & quo pacto ab eductione, & generatione differat 7. 102. negavit Arist. creationem in tempore, seu cum novitate essendi, non tamen æternam, & sine novitate 6. 125.

Creatura.

Creatura habet prædicata transcendentia ejusdem rationis cum Deo 2. 35. quo modo ex creaturis vestigentur divinæ perfectiones ibid. ut hoc fiat, communicare debent in quibusdam prædicatis 2. 39. quo pacto dicatur a Deo in infinitum distare 2. 46. convenientia inter Deum, & creaturam quoad esse non est rationis, sed realis 2. 86. & 87. non tamen est formalis, & actualis, sed fundamentalis, & virtualis 2. ibid. redditur hujus ratio 2. 88. Deus, & creatura sunt primo diversa in realitate non in conceptu 2. ib. inter Deum, & creaturam in ratione entis aliqua intercedit analogia 2. 113. quo pacto creatura dicatur ens per ordinem ad Deum 2. 126. quo pacto absque periculo dici possit æquari cum Deo in ratione entis 2. 129. compositio in creatura pendet ex ejus finitate immediate non autem ex dependentia 2. 133. & 6. 234. creatura num dici possit bona per essentiam aliquo pacto 5. 282. quo sensu omnis creatura habeat speciem, modum, & ordinem 5. 260. & 283. non repugnat creaturæ præsertim permanenti esse ab æterno 6. 122. potentia logica, vel non repugnantia, quam habet ad non esse radicatur in ejus finitate, & limitatione 6. 139. creaturæ possibiles in mente divina secundum duplex esse considerari possunt 6. 253. quo pacto inter se distinguantur in tali statu ibid.

D

Definitio.

Quomodo circulus committatur in definitionibus 5. 97. definitio proprie dicta, ut constat ex genere, & differentia, non convenit formalitatibus Metaphysicis, sed rebus dumtaxat propriam essentiam, & existentiam habentibus 6. 196. definitio sumpta pro concepto objectivo adæquato etiam formalitatibus convenit, & earum naturam exprimit, ut sunt a parte rei 6. 214. definitio exprimit naturam rerum in seipsis, non autem secundum illud esse, quod accipiunt ab intellectu ibid. & 251. non ex quibuscumque definitionibus rerum colligitur rite distinctio formalis 6. 214.

Demonstratio.

Demonstratio duplex, alia a priori, alia ad impossibile ducens 3. 7. & 4. 44. principia demonstrationis duplicia ib. in qualibet demonstratione debent esse tres termini plusquam ratione distincti 4. 8. quid necessarium sit ad demonstrationem 4. 48. quo sensu dicatur esse ex propriis 4. 52. procedit ex præmissis, quæ sunt causæ conclusionis, nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo 6. 161.

Denominatio.

Denominationis duplex genus a forma, & a subjecto 6. 73. regula dignoscendi quando denominatio est materialis, & quando formalis 6. 99. ad habendas formales denominationes necessarii sunt modi superadditi 6. 15.

Dependentia.

Dependentia non est ratio compositionis in creaturis, sed finitas 2. 133. & 6. 234. dependentia effectus a causa vel seipso immediate, vel mediante actione 6. 57.

Determinatio, Determinabile, Determinativum.

Determinabile perfecte præscindit a determinante 2. 56. determinatio entis ad Deum, & creaturam non fit per differentias, sed per modos intrinsecos 2. 156. fit tamen per modum compositionis & non solius majoris explicationis 2. 160. ad substantiam tamen, & accidens determinatur per differentias 2. 122.

Deus.

Deus habet prædicata transcendentia ejusdem rationis cum creaturis 2. 35. ejus perfectiones quo pacto ex creaturis vestigentur ibid. cum creaturis proprie comparatur in ente, & non abusive 2. 37. est vere, & proprie ens, & substantia 2. 38. Deus est summe simplex, non tamen simpliciter simplex 2. 46. Deus est primo diversus a creatura in realitate, non in conceptu 2. 46. quare non dicatur Deus pendere a conceptu entis ibid. Deus & creatura differunt essentialiter, & non tantum ut magis, vel minus perfectum 2. 72. potest in Deo admitti compositio rationis 2. 75. falsum est reperiri in Deo aliquas rationes creaturæ communicabiles 2. 45. & 80. quia quicquid est in Deo, est singulare ex se in existenda 2. 98. nullo pacto constat ex genere, & differentia 2. 132. independentia in Deo non est immediata ratio divinæ simplicitatis, sed infinitas 2. 133. & 6. 234. Deus, & creatura distinguuntur essentialiter propriis quidditativus, non autem per finitum, & infinitum, nisi quantum ad nostrum modum concipiendi 2. 155. Deus dicitur possibilis logice, non physice, vel objective 3. 5. Deum esse trinum non tam dicit perfectionem, quam ejusdem perfectionis exuberantiam 5. 47. nullam habet causam sui esse 6. 112. non eodem modo distinguuntur in Deo prædicata quidditativa, & attributaria 6. 246. Deus immediate concurrit ad omnes actiones causarum secundarum 5. 332. & ad omnem formalitatem effectus earum etiam in individuo 5. 338. quo sensu dici possit Deum concurrere concursu indifferenti ad effectus causarum secundarum 5. 341. cur Deus non sit causa mali moralis, seu peccati 5. 342. & seq. Dei omnipotentia non importat a parte rei relationem transcendentalem ad creaturas possibiles 6. 12.

Differentia.

Differentia ultima, & non ultima quæ 2. 183. 213. hæc non includit ens quidditative sed illa 2. 185. cur ab ultimis differentiis abstrahi possit conceptus communis individuationis, non autem entis 2. 189. differentia & modi non tam sunt entia, quam qualitates entis 2. 210. differentia, ut sic, semper imperfectionem involvit 2. 132. quo pacto differat a modo intrinseco 2. 153. quomodo variare dicatur rationem formalem ejus, quod contrahit, & quod constituit ibid. differentia individualis sola est ultima ultimitate determinationis, non tamen ultimitate simplicitatis, sic enim differentiæ etiam specificæ, & intermediæ dici possunt ultimæ 2. 213. quo pacto dicatur ens prædicari essentialiter de differentia non ultima 2. 185. & 216.

Difficultas.

Difficultas circa rerum intelligentiam præcise ex intellectu nostro dependet, non ex parte rerum 5. 209. si esset ex parte rerum difficultas, eam respectu cujuslibet intellectus haberent 5. 212. omnes res sunt de se æque facile cognoscibiles proportionaliter loquendo 5. 218. axioma illud, unumquodque cognoscitur secundum quod est actu, est ablolute falsum 5. 229. explicatur, quo pacto tota difficultas intelligentiæ rerum procedat ex modo imperfecto cognoscendi intellectus nostri pro statu isto 5. 220. remotio a sensibus est causa totius difficultatis circa rerum intelligentiam pro statu isto ibid. dictum illud Arist. sicut se habet oculus Noctuæ ad lumen Solis &c. explicatur ibid. radix etiam falsitatis & erroris circa rerum intelligentiam ex parte intellectus spectanda est 5. 221. neque partialiter difficultas cognitionis pendet a rebus ipsis 5. 223. etiam in illis, quæ non sunt specierum productivæ, si tales dantur 5. 224. improportio rerum cum intellectu nostro, non ex parte ipsarum, sed ex illius imperfectione pro statu isto sumenda est 5. 225. ex hoc, quod res sit maxime intelligibilis, sequitur tantum, quod sit perfectius cognoscibilis, non autem facilius, vel difficilius 5. 232.

Distinctio, & Distinctionis genera.

Distinctio proprie sumpta, ut entis affectio, dicit rationem aliquam positivam, neque est pura negatio identitatis 6. 146. & 147. & dicit rationem respectivam, non absolutam 6. 149. disquiparantiæ, non æquiparantiæ ibid. distinctio importat relationem transcendentalem, & interdum prædicamentalem ibidem. distinctio diversum habet conceptum a divisione, & pluralitate 6. 151. distinctio interdum sumi solet negative pro sola non identitate 6. 146. varia distinctionum, ac identitatum genera referuntur juxta varietatem Scholarum 6. 54. & seq. septem genera distinctionum ac identitatum a nostris formalistis assignata 6. 156. Recentiores Scotistæ tria dumtaxat genera distinctionum assignant 6. 157. duo dumtaxat sunt prima genera distinctionum, ac identitatum nempe ex natura rei, & rationis 6. 159. distinctio ex natura rei, seu præter opus intellectus subdividitur in distinctionem ex natura rei realem, & ex natura rei formalem ibid. & rursus utraque distinctio subdividitur 6. 164. Distinctio ex natura rei non est aliqua species infima distinctionis, ut sic, sed primum omnino genus contradistinctum a distinctione rationis 6. 168. coarctatur, & reducitur numerus distinctionum 6. 169. quo sensu intelligendum distinctionem majorem inferre minorem 6. 254. habet graduum latitudinem 6. 266. regula dignoscendi qualis, & quanta distinctio versetur inter plures ejusdem rei perfectiones 2. 291.

Distinctio realis.

Quo pacto intelligendum hanc distinctionem versari inter rem, & rem 6. 175. & 178. opus non est extrema hujus distinctionis esse actu existentia, sed sufficit, quod sint possibilia 6. 176. & 177. distinctio realis sumitur ab essentia rei in ordine ad existentiam sive realem, sive possibilem 6. 178. cum distinctio realis dividitur in positivam, & negativam, non est univoci in sua univocata, sed potius æquivoci 6. 179. quænam contradictio sit signum sufficiens realis distinctionis 6. 181. diversitas existentiarum non est signum a posteriori, sed potius formale constitutivum realis distinctionis 6. 182. oppositio producentis, & producti, causantis, & causati sufficiens signum est realis distinctionis 6. 183. quo pacto diversitas generationis, & corruptionis sit sufficiens signum ad indagandam realem distinctionem 6. 185. separatio, aut separabilitas, vel quoad unionem, vel quoad realem existentiam sufficiens judicium est realis distinctionis, non tamen adæquatum, & cum ea convertibile 6. 186. falsum est, hanc separationem vel separabilitatem debere esse mutuam ut sit sufficiens signum realis distinctionis 6. 187. 171. & 200. separatio aliquorum in esse aut actualis, aut potentialis, aut saltem proportionalis conjunctim sumpta integrat adæquatum, & universale signum realis distinctionis 6. 188.

Distinctio essentialis.

Quo pacto hæc distinctio reducatur ad realem, & formalem 6. 169. quomodo assignetur a Formalistis nostris 6. 190. in uno sensu identitas, & distinctio essentialis dicitur de constitutivis 6. 191. in alio sensu de constitutis 6. 192. neuter modus constituit speciem ab aliis condistinctam 6. 194. nam in primo sensu coincidit cum distinctione, & identitate reali ibid. in alio cum formali 6. 195.

Distinctio Modalis.

Quid sit distinctio modalis in sententia Recentiorum Naturalium 6. 158. duplex distinctio modalis, alia modi extrinseci a re cujus est modus, alia modi intrinseci 6. 199. prima reducitur ad distinctionem realem 6. 200. & alia ad formalem 6. 204. utraque tamen dicitur distinctio realis, vel formalis imperfecta ibid.

Distinctio formalis.

Distinctio formalis super quam pluralitatem fundetur 6. 163. triplex ejus acceptio 6. 165. quid intelligatur per eam in schola Scotistarum 6. 206. apud Scotum est distinctio actualis ex natura rei, & non tantum virtualis, ibidem. neque est solum rationis ratiocinatæ 6. 207. quare dixerit Scot. hanc distinctionem explicandam esse per negationem identitatis formalis 6. 208. modus explicandi hanc distinctionem veterum Scotistarum ibid. modus explicandi Recentiorum 6. 110. quo pacto distingui possit in mutuam, & non mutuam, adæquatam, ac inadæquatam ibid. proprius modus assignandi hanc distinctionem 6. 211. per quid proprie distinguatur a distinctione reali, & rationis 6. 212. quo pacto possit hujus distinctionis necessitas ostendi via definitionis 6. 214. & via contradictionis 6. 215. habetur apud Arist. 6. 219. quæ sint legitima signa hujus distinctionis 6. 220. per quid proprie distinguatur a reali 6. 224. non sufficit ad compositionem 6. 226. quæ contradictoria salvare possit 6. 227. quædam contradictoria componit in divinis, quæ non componit in creatis 6. 228. & 244. quo sensu dici possit distinctio realis 6. 229. stat cum reali identitate 6. 232. ad eam sufficit, ut unum dumtaxat extremum sit formalitas 6. 254. sufficit ad terminandas diversas cognitiones adæquatas 6. 314. stat cum intuitiva cognitione 6. 316.

Distinctio rationis.

Distinctio rationis dupliciter sumi potest 6. 249. quid sit distinctio rationis in communi ad ratiocinantem, & ratiocinatam 6. 250. melius describitur 6. 251. distinctio rationis non sic appellatur, quia semper versetur inter entia rationis ibid. ad eam sufficit, ut unum extremum sit rationis 6. 254. concipi debet ad modum distinctionis realis, seu ex natura rei 6. 255. duplex est, rationis nempe ratiocinantis, ac ratiocinatæ 6. 257. sufficit ad componenda contradictoria rationis 6. 288.

Distinctio rationis ratiocinantis.

Hæc distinctio non fit per solum actum collativum intellectus 6. 258. nec est sola ejusdem nominis, & conceptus repetitio ibid. consistit in diverso modo concipiendi idem objectum logice, physice, ac etiam metaphysice 6. 259. & in hoc differt a distinctione rationis ratiocinatæ ibid. & 260. est vera, & propria distinctio in suo ordine 6. 261. ad quid deserviat 6. 262. quo sensu dici possit habere fundamentum in re, adeout non sit vana, & chimærica 6. 263. idem a seipso distingui potest hac distinctione 6. 264. habet hæc distinctio graduum latitudinem 6. 266. & 267. per cognitionem intuitivam fieri nequit 6. 316.

Distinctio rationis ratiocinatæ,

Quid sit hæc distinctio 6. 269. quomodo differat a distinctione rationis ratiocinantis 6. 286. non coincidit cum distinctione formali ex natura rei 6. 270. & 275. probatur id esse de mente Scoti 6. 272. & seq. ostenditur possibilitas hujus distinctionis 6. 274. ac etiam ejus utilitas, & necessitas 6. 276. qualis extremorum pluralitas in hac distinctione interveniat 6. 278. ejus fundamentum non est actualis formalitatum diversitas 6. 280. nec sola connotatorum diversitas 6. 281. sed intrinseca rei eminentia concurrentibus suo modo connotatis 6. 283. imperfectio nostri intellectus est ejus extrinsecum fundamentum, non tamen se solo sufficiens 6. 285. verum discrimen distinctionis hujus a ratiocinante quantum ad fundamentum 6. 286. non sufficit ad componenda contradictoria ex natura rei 6. 289. ponit distinctionem etiam in objecto 6. 298. & 299.

Distinctio virtualis.

Quid sit virtualis distinctio 6. 238. admittitur a Scoto ibid. quomodo a formali secernatur 6. 239. non est vera, ac propria distinctio, sed tantum æquivalenter 6. 240. non sufficit ad componenda contradictoria ex natura rei verificata actualiter 6. 242. & 247. abusus hujus distinctionis apud Thomistas ibid. quo pacto sit ea utendum 6. 243. quo sensu dicatur æquivalere dictioni reali, & formali 6. 244. utilitas, & necessitas distinctionis virtualis in creatis 6. 245. ac etiam in divinis 6. 246. distinctio virtualis non sufficit ad componenda contradictoria ex natura rei, etiamsi explicetur per connotata extrinseca diversa 6. 248. coincidit cum distinctione rationis ratiocinatæ 6. 274. non sufficit ad terminandas distinctas cognitiones adæquatas, sed tantum inadæquatas ejusdem totalis objecti 6. 314. duplex assignatur modus distinctionis virtualis 6. 248.

Diversum, & Diversitas.

Primo diversa sunt in duplici differentia 2. 79. quæ sunt in prædicamento non sunt primo diversa 2. 101. quæ proprie diversa dicantur 6. 152. si diversum in rigore sumatur, tunc inter idem, & diversum datur medium, nempe differens, ibidem. quo sensu medium non admittant, sed in rigore sumatur ibid. diversitas conceptuum quando arguat distinctionem formalem, & quando non 6. 230. & 231.

Divisio.

Divisio formaliter in negatione consistit 5. 50. divisioni opponitur unitas 5. 41. divisio ab alio non intrat conceptum unitatis, sed comitatur eam 5. 103.

Duratio.

Duratio non est passio entis 4. 33. non est quid ab existentia rei realiter diversum ibid.

E

Effectus.

Effectus quando non adæquat virtutem causæ, adhuc potest imperfecte cum ea convenire univoce 2. 129. non est tanta distinctio in effectu inter rationem propriam, & communiorem, quod ab alia, & alia causa esse possint ibid. regula dignoscendi quando effectus seipso immediate dependet a sua causa, vel media actione superaddita 6. 57. effectuum diversitas quando arguat principiorum diversitatem 6. 291.

Ens.

Ens quidditative includitur in omni suo inferiori 2. 175. non autem in suis modis contrahentibus 2. 179. neque ut quid, neque ut quale 2. 182. neque sic includitur in ultimis differentiis 2. 183. bene tamen in non ultimis 2. 185. neque sic includitur in suis passionibus 2. 191. includitur tamen in illis omnibus realiter, & identice 2. 193. est illis univocum prædicatum, non tamen univoce dictum 2. 96. non est superius ad illa 2. 210. duplicem habet communitatem prædicationis, ob quam dicitur transcendere omnia ibid. habet etiam duplicem primitatem, ratione cujus est objectum adæquatum intellectus ibid. ens transcendenter sumptum, ac transcendentissime 2. 1. item verbaliter, ac nominaliter ibid. ens, ut sic, præscindit ab absoluto, & respectivo 2. 24. quo pacto constituatur adæquatum intellectus objectum 2. 84. non est genus 2. 130. inepte dicitur genus transcendentale ibid. ratio est, quia non dicit realitatem potentialem; quod ad genus requiritur 2. 131. non autem quia contrahitur per modos intrinsecos ibid. & 73. ens dupliciter esse potest inchoatio omnis realitatis 4. 19. ens, & res sunt synonyma 4. 25. in ratione entis non datur magis, & minus 5. 187. quo pacto unum ens dicatur perfectius alio ibid. ut opponatur nihilo 2. 204. & 6. 223.

Entis ratio, & conceptus.

Ens habet unitatem conceptus formalis 2. 3. ac etiam conceptus objectivi 2. 10. conceptus formalis entis non significat immediate inferiora entis 2. 3. & seq. neq. objectivus significat inferiora entis copulative sumpta 2. 11. nec disjunctive 2. 12. conceptui formali entis correspondet objectivus 2. 13. neque immediate significat inferiora secundum proprias rationes proportionaliter sumptas 2. 16. major, vel minor convenientia non destruit unitatem conceptus 2. 17. obtinet talem unitatem nedum respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam Dei, & creaturæ 2. 29. est posterior Deo, & creatura, & solum prior prioritate logica 2. 41. quomodo simplicior Deo 2. 46. est perfecte præcisus, & unicus 2. 49. inferiora non includuntur in conceptu entis explicite, nec implicite ibid. non dicitur inadæquatus, quia non sit perfecte præcisus, sed quia non fundatur in realitate, quam adæquate exprimat 2. 51. & 63. non præscindit ab inferioribus solum secundum esse explicitum 2. 56. quo pacto Scot. 1. dist. 8. quæst. 3. ad 1. princ. vocet conceptum entis imperfectum, & inadæquatum 2. 63. unitas conceptus entis non minuitur per analogiam admixtam 2. 64. est ex natura rei præcisus respectu substantiæ, & accidentis 2. 67. non tamen respectu Dei, & creaturæ 2. 69. si esset sic præcisus, esset prior Deo ex natura rei 2. 76. neque præscindere posset a finito, & infinito 2. 77. 78. & 79. quo pacto conceptus entis sit realis, & non rationis 2. 84. & 4. 6. quomodo sit quidditativus respectu Dei, & creaturæ 2. 85. & 131. præscindit ab esse per se, & ad aliud, absoluto, & respectivo 2. 24. & 220.

Ratio entis non convenit formaliter, & directe modis, passionibus, ac ultimis differentiis, sed denominative tantum, ac identice 2. 211.

Entis principia.

Ens proprie loquendo non habet principia essendi 3. 2. quo pacto essentia, & existentia possint ejus principia essendi appellari ibid. habet principia cognoscendi 3. 6. quæ sint talia principia entis 3. 7. & 8.

Entis passiones.

Ens habet suas passiones 4. 3. quæ sunt reales 4. 5. ac positivæ 4. 7. & ab eo plusquam ratione distinctæ ibid. quo sensu dicantur ens consequi ex natura rei, ac ab ipso formaliter distingui 4. 9. & 12. habent omnes conditiones requisitas ad veram proprietatem 4. 10. ens non includitur essentialiter in illis 4. 11. sunt tamen reales per identitatem cum ente 4. 14. entis passiones aliæ sunt simplices, aliæ disjunctæ 4. 20. simplices sunt tres, unum, verum, bonum 4. 22. non quidem ex sola intellectus cogitatione, sed ex natura rei 4. 24. nequit assignari ratio a priori hujus numeri, sed tantum a posteriori 4. 25. præter simplices debent addi disjunctæ 4. 29. quid importent hujusmodi passiones ibid. & num. seq. considerari possunt vel secundum id, quod a parte rei important, vel secundum id, per quod a nobis explicantur 4. 37. primo modo distinguuntur ex natura rei formaliter, vel virtualiter, sed secundo modo distinctione majori ibid. juxta varias explicationes variæ inter se ordinantur 4. 38. ordo ipsarum, ut a nobis explicantur, est quasi effectuum ab eadem causa ibid. secundum id quod important a parte rei nullus ordo est inter eas, sed omnes immediate fluunt ab ente æque primo 4. 39. sunt de ente demonstrabiles 4. 45. quot modis id fieri possit 4. 47. si datur ordo inter illas, potest posterior demonstrari per priorem 4. 49. non tamen esset demonstratio propter quid in rigore ibid. aliud est passiones entis de facto a nobis de ipso demonstrari, & aliud posse demonstrari 4. 53. quo pacto de ente demonstrentur passiones disjunctæ 4. 54. quo sensu dicantur accidere enti 4. 55. non includit eas in suo conceptu quidditativo 5. 68. secundum quod a parte rei important, præscindunt ab absoluto, & respectivo 5. 120.

Entis variæ acceptiones, & divisiones.

Duplex entis acceptio 2. 1. alia rursus triplex acceptio 2. 101. & 4. 25. prius dividitur in infinitum, & finitum, quam in decem genera 2. 67. non bene dividitur in completum, & incompletum 2. 219. & 224. quo pacto talis divisio admitti possit 2. 226.

Entis

Entis Analogia, & Univocatio.

Ens non est æquivocum ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens 2. 113. & analogum ibid. non proportionalitatis sive metaphoricæ, sive propriæ 2. 114. neque attributionis per extrinsecam tantum denominationem a primo analogato 2. 115. neque transcendentiæ ibid. sed attributionis per intrinsecam convenientiam formæ in omnibus analogatis 2. 117. & hæc cum univocatione consistit 2. 118. non quidem in gradu perfecto, sed imperfecto ibid. & num. 106. etiamsi modi, & ultimæ differentiæ ens includerent quidditative, non adhuc tolleretur ejus univocatio 2. 119. & 121. qui concedit unitatem conceptus entis, debet etiam concedere univocationem 2. 122. entis univocatio est tantum in intellectu creato, non autem in divino, nisi mediate 2. 95.

Non datur ens præscindens a reali, & rationis, quod sit univocum ad illa 2. 255. vera ratio ad id probandum 2. 261. in alio sensu ens rationis dicitur secundum quid, & in alio accidens 2. 261. & 262. ens communissime sumptum est æquivocum analogum 2. 265. qualis sit analogia entis rationis ad ens reale ibid. non datur ens præscindens a positivo, & negativo eis univocum 2. 275.

Entis ad inferiora contractio.

Entis contractio per modos non est a priori, sed a posteriori 2. 71. & 75. ens non est proprie in potentia ad modum contrahentem ibid. diversimode fit ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens 2. 117. per nostram cognitionem potest prius ad creaturam contrahi, quam ad Deum ibid. ad substantiam, & accidens habet rationem generis, & ad ipsa contrahitur per differentias, non per modos 2. 122. entis contractio cogitari potest vel per modum compositionis, vel majoris explicationis 2. 139. determinatur ad Deum, & creaturam per modos intrinsecos 2. 156. contractio entis fit ad modum compositionis, & non solius majoris expressionis 2. 160.

Ens creatum, & finitum.

Ens finitum est illud, quod dividitur in decem prædicamenta 2. 24. & 67. & 122. & ad ea contrahitur non per modos, sed per differentias 2. 165. non debet immediate dividi in illa decem, sed prius in substantiam, & accidens 2. 166.

Ens rationis.

Ad Metaph. per se, & directe non spectat 1. 23. & 24. sed per accidens, & indirecte 1. 38. directe vero potius ad Logicam spectat, quam ad Metaph. ibid. admitti debet, & quomodo 2. 233. non habet prius esse intelligibile, quam intellectum, & quomodo hoc sit intelligendum 2. 235. duplex entis rationis cognitio, una qua fit, altera qua cognoscitur factum 2. 233. quo sensu ens rationis consistat in cognosci 2. 238. non prius habet esse essentiæ, quam existentiæ 2. 239. qualiter in ente rationis quoque essentia possit distingui ab existentia 2. 240. definitio quædam inepta entis rationis rejicitur 2. 243. aliæ quædam declarantur 2. 244. nulla dantur entia rationis existentia citra operationem intellectus 2. 244. & 245. potest a voluntate suo modo fieri 2. 246. ens rationis semel, & iterum fieri potest vel ab eadem potentia, vel a diversis 2. 247. ens rationis aliud fundatum, aliud non fundatum 2. 249. quodnam dicatur fundamentum entis rationis 2. 251. nequit dari ens minus ente rationis 2. 263. est proprie, & per se intelligibile, non autem per accidens 2. 267. dicitur per accidens intelligibile, quia per aliud intelligitur 2. 268. non habet intelligibilitatem motivam, sed terminativam ibid. non per se primo, sed per se secundo 2. 169. & 270. quo pacto ens rationis analogiam dicat ad ens reale 2. 274. & dici possit unum, verum, & bonum 4. 31.

Ens per se, & per accidens.

De ente per accidens non datur scientia 1. 25.

Essentia.

Quid nomen essentiæ importet 3. 4. hujus nominis triplex acceptio 3. 3. & 4. essentia quomodo a quidditate differat ibid. 6. 221. esse essentiale dupliciter sumi potest 6. 296. essentia ex vi nominis dicit naturam integram, quæ includit totam seriem rationum metaphysicarum, loquendo de essentia creata 6. 196. essentiæ rerum non pendent ex decreto divinæ voluntatis, quasi per illud immutari possint, bene tamen existentiæ 8. 198.

Existentia.

Quid importet existentiæ nomen 3. 5.

Experientia.

Experientia utilis est ad percipienda prima principia; non vero necessaria 2. 20.

F

Falsum, & Falsitas.

Falsum dicit carentiam talitatis objecti quale apparet 5. 195. habet varias acceptiones, sed hæc est propria 5. 196. falsitas duo dicit, non entitatem rei, & apparentiam ejus 5. 197. datur tantum in ordine ad intellectum creatum ibid. quo pacto reperiatur in rebus 5. 200. ad fundandam falsitatem debet esse in re motivum probabile deceptionis 5. 195. & 201. falsitas non opponitur veritati contrarie 5. 203. sed contradictorie, vel privative 5. 204. falsitas propria artificiatorum quæ sit 5. 205. attenditur penes defectum ab idea perfecta, & regulis artis 5. 207.

Finis.

Quænam sit propria bonitas finis 5. 293. & 297. quietare appetitum, & terminare motum ejus est proprium bonitatis finis 5. 300.

Finitum, & infinitum.

Finitum, & Infinitum sunt modi contrahentes ens, ut sic ad Deum, & creaturam 2. 71. & 75.

Forma.

Forma substantialis non est modus materiæ 6. 35. & 100. propria acquisitione acquiritur, & non tantum ad productionem compositi ibid. informatio tam activa, quam passiva formæ pertinet ad prædicamentum habitus 6. 52. forma substantialis est actus substantialis 6. 93. implicat dari formam plurium specierum constitutivam 6. 99. forma distinguitur a materia, ut res a re 6. 100. esse formale, quod præstat forma, non est ab ipsa entitative diversum ibid. cur forma non creatur 6. 102. quo sensu dicatur terminus ibid. forma, ejusque connaturalia accidentia, licet simul generentur, non tamen eadem prorsus actione 6. 185.

Formalitas.

Quid sit Formalitas, ut distinguitur contra rem 6. 161. & 162. plures ejusdem rei formalitates non propria existunt existentia, sed illius cujus dicuntur formalitates ibid. & 180. Formalitates non habent definitionem proprie dictam 6. 196. propria formalitatis notio 6. 213. est sola rei aliqualitas, ideo male dividitur in totalem, & partialem ibid. quare dicatur Formalitas ibid. cur dici nequeat res, & essentia 6. 223.

G

Generatio rei, vel Productio.

Generatio quomodo a creatione differat 6. 62. & 102. productio rei alia per motum, & mutationem, alia per simplicem dimanationem 6. 123. generatio regulariter fit cum motu, potest tamen oppositum contingere 6. 124. non omnis productio per simplicem dimanationem est creatio 6. ib.

Genus.

Genus ex vi nominis importat conceptum, ac realitatem potentialem per differentias contrahibilem 2. 130. repugnat dari genus transcendentale ibid. duæ conditiones ad genus Metaph. requisitæ 2. 131. genus, ut sic, semper imperfectionem involvit 2. 132. genus, & differentia identificantur ratione tertii 2. 134. cur dicatur per differentias contrahi, & non per modos 2. 159. repugnat genus determinari ad unam tantum speciem 6. 98.

Gradus Metaphysici.

Gradus prædicamentales cur per differentias contrahantur, & non per modos, transcendentes autem e contra 2. 159. cur fundare nequeant distinctionem ex natura rei formalem, non ita transcendentes 6. 162. inter eos est ordo prioris, & posterioris ex natura rei 8. 198.

H

Habitus.

Ponitur habitus ad tollendam difficultatem potentiæ ad operandum 1. 65. non potest idem habitus simul esse practicus, & speculativus 1. 71. non dantur habitus a natura inditi, & congeniti 3. 32. non dantur habitus ad simpliciter agendum ibid. ex quot capitibus possit poni habitus in potentia 3. 37. habitus principiorum cur dicitur intellectus 3. 43. Habitus ultimum prædicamentum dicit simplicem habitionem, & receptionem formæ 6. 52.

Idem,

I

Idem, & Identitas.

IDem & diversum passio entis disjuncta 6. 149. Identitas dicit formalitatem positivam, non autem solam negationem distinctionis 6. 141. relativam, non absolutam 6. 142. non est formaliter unitas, bene tamen in unitate fundatur ibid. quæ identitas dicat relationem realem, & quæ rationis 6. 143. identitas ejusdem ad seipsum quo sensu dicatur realis 6. 144. identitas diversum habet ab unitate conceptum 6. 151. identitas est prior distinctione 6. 153.

Identitas realis quid sit, in quo fundetur, ejusque adæquatum, & convertibile signum 6. 189. Identitas essentialis in uno sensu dicitur de constitutivis 6. 191. in alio sensu de constitutis 6. 192. nedum communicatio in eadem essentia singulari facit secundum modum identitatis, ut scilicet dicitur de constitutis, sed etiam in eadem natura communi 6. 193. neuter modus identitatis essentialis constituit peculiarem speciem ab aliis condistinctam 6. 194. identitas realis perfecta tollit omnem compositionem 6. 226. 235. Identitas formalis cum qua formali distinctione stare possit 6. 210. quid sit identitas rationis 6. 252. declaratur identitas rationis ratiocinantis 6. 268. ac etiam rationis ratiocinatæ 6. 287.

Impossibile, & Impossibilitas.

Vide Possibile, & Possibilitas.

Inferius.

Inferius non præscindit a superiori, sed e contra 2. 50. inclusio inferioris in superiori quot modis intelligi possit 2. 54. inferiorum confusio in superiori nequit esse actualis, sed tantum potentialis 2. 57. Vide Superius.

Infinitas.

Infinitas non tollit rationem, & veritatem primi principii 6. 217.

Intellectus, & Intellectio.

Intellectus quomodo in cognoscendo a sensu dependeat 3. 15. & 20. quo sensu dicatur naturaliter prima noscere principia 3. 17. intellectio alia præcisiva, alia divisiva 6. 263. habet intellectus duplicem virtutem collativam, & præcisivam 6. 277. cur ipse præscindere possit, non autem sensus 6. 300. & 301.

Intelligibile, & Intelligibilitas.

Intelligibilitas duplex, motiva, & terminativa 2. 268. terminativa iterum duplex simpliciter, & secundum quid 2. 269. non dicit in ente reali solam extrinsecam denominationem 5. 134.

Intelligentiæ.

Pertinent ad Metaph. nostram quantum ad conceptus proprios ex communibus 1. 10. & 11. & ad metaphysicam in se quoad conceptus proprios ex propriis ibid. rationes autem propriæ, & ex propriis ipsius Dei ad solam Theologiam spectant ibid. quoad conceptum mobilitatis pertinent ad Physicam in se 1. 18. & seq. & ut mobiles non dicuntur abstrahere a materia 1. 20. spectant per se, & directe ad Metaph. in ratione objecti 1. 32. & 33. licet sint entia necessaria, adhuc tamen habent causam efficientem sui esse 6. 113. sunt necessariæ ex se, sed non a se 6. 127. adhuc tamen non sunt ita necessariæ, ut Filius in divinis 6. 128. quo sensu Intelligentiæ secundum veritatem sint intrinsece defectibiles, & adhuc ex conditione sui status immortales 6. 137.

Intentio.

Intentio duplex, prima, & secunda 2. 252. intentio secunda semper est ens rationis 2. 253. discrimen inter utramque 2. 254.

L

Libertas.

Duplex specificationis, & exercitii 1. 61.

Logica.

LOgica aptior est ad docendum, quam Metaph. quoad modum, & formam, non quoad materiam, & principia 1. 56. aliis scientiis præmittitur, quia tradit instrumenta sciendi ibid. & hoc est ejus proprium munus 1. 60. necessitas distinctionis realis inter logicam docentem, & utentem 1. 65. & 66. docens inclinat ad syllogizandum idealiter, & directive, utens inclinat realiter, & physice, seu elicitive 1. 66.

M

Malum, & Malitia.

MAlum aliud in se, aliud alteri 5. 302. consistit universaliter in privatione boni tam in genere naturæ, quam in genere moris 5. 303. sive sit malum in se, & absolute, sive alteri, & relate 5. 304. probatur id quoque de malo sumpto pro disconvenienti 5. 305. probatur etiam de malo morali 5. 306. malitia opponitur bonitati interdum contradictorie, interdum privative, numquam tamen contrarie positive 5. 309. malum, ut opponitur bonitati essentiali, non existit in rebus 5. 310. bene tamen ut opponitur bonitati accidentali 5. 311. & in hoc sensu datur in rebus, nedum fundamentaliter, & potentialiter, sed etiam formaliter, & actualiter 5. 311. malitia nedum dicit boni privationem, sed præsertim boni debiti 5. 313. malitia alia formalis, alia materialis 5. 314. & seq. Voluntas non est proximum, & immediatum subjectum malitiæ moralis 5. 320. neque modo actus secundus, modo voluntas 5. 321. sed semper, & universaliter est actus, vel ejus omissio ibid. nedum secundum genus, sed etiam secundum speciem, & individuum 5. 323. quo pacto actus etiam intrinsece mali dici possint capaces rectitudinis ibid. & 324.

Mali divisiones.

Malum præsertim dividi solet in malum naturæ, malum pœnæ, & malum culpæ 5. 329. singulorum notiones assignantur ibid. malum naturæ est commune omnibus creaturis; malum pœnæ viventibus tantum vita sensitiva, vel intellectiva; malum culpæ reperitur tantum in creatura intellectuali ibid.

Mali causæ.

Malum non habet causam positivam, & efficientem, cum in sola privatione consistat 5. 330. quo sensu intelligendum sit, quod non habet causam per se, sed per accidens ibid. & num. 345. cur Deus non dicatur causa mali moralis, seu peccati 5. 342. & seq.

Materia.

Materia prima habet propriam bonitatem in genere entis 5. 283. & eadem ratione habet speciem, modum, & ordinem ibid. habet proprium actum entitativum 6. 84. quo pacto dicatur natura indeterminata, & propriam alioqui habere determinationem 6. 86. & 87. materia prima est potentia substantialis 6. 93. cur materia sit subjectum formæ, ejusque potentia passiva; non e contra 6. 97. implicat dari materiam determinatam ad unam speciem formam 6. 98. hac de causa dicitur genus physicum ibid.

Mathematica.

Entia Mathematica quoque propriam habent bonitatem 5. 284.

Media.

Media habent propriam bonitatem distinctam a bonitate finis licet ab ea dependentem 5. 298. 299. vide Bonum utile.

Metaphysica.

Varia ejus nomina, & unde illa deducantur 1. 1. quare dicatur Metaph. ibid. qua ratione differat a Theologia ibid. quomodo possit constitui una totalis scientia alias veluti partiales complectens 1. 3. quo etiam pacto constitui possit, ac debeat scientia quædam ab aliis adæquate distincta 1. 4. duplex est, in se, & in nobis 1. 5. si sumatur ut una totalis, ac universalis scientia, consideret omnium rerum quidditates in particulari 1. 6. secus autem, si sumatur ut scientia ab aliis condistincta 1. 7. speculatur rationes generales, & transcendentes omnium 1. 9. ac etiam particulares entium abstractorum per essentiam, quales sunt intelligentiæ 1. 10. quo pacto cognitio Metaphysica sit distincta, & perfectissima 1. 15. qua ratione dici possit præstantissima etiam ex parte objecti adæquati 1. 42. qua ratione Metaph. distinguatur a Physica, & Mathematica quantum ad modum abstrahendi 1. 45. omnes scientias superat certitudine, ac evidentia 1. 53. quomodo sit certa, & evidens etiamsi de rebus difficillimis 1. 54. quo pacto sit prior, & posterior aliis scientiis 1. 56. & 58. est vere, & proprie scientia quoad omnem ejus partem 1. 67. est quoque sapientia, nec ob id amittit rationem scientiæ 1. 68. est scientia speculativa ex omni parte 1. 70. est una unitate generica, non specifica 1. 81. & quidem generis remoti 1. 83. demonstrat passiones de ente 4. 45. quot modis id faciat 4. 47.

Meta-

Metaphysicæ objectum.

Nil latius ente per se reali, & positivo statui potest objectum Metaph. 1. 23. nihilque arctius ipso 1. 26. proinde neque substantia sola est ejus objectum adæquatum 1. 28. neque substantia immaterialis, ut Deum comprehendit, & cæteras intelligentias 1. 29. neque Deus ipse, nisi sit sermo de subjecto principalitatis 1. 30. neque ens finitum 1. 31. Sed ens reale commune Deo, & creaturæ 1. 34. ratio objectiva formalis est, quatenus ens 1. 35. non in eadem amplitudine est objectum Metaphys. ut est una totalis scientia cæteras complectens, & ut est una scientia ab aliis condistincta 1. 36. ratio, quæ, & sub qua cur in objecto Metaph. distinguantur 1. 37. quo pacto objectum Metaph. secundum esse abstrahat a materia 1. 45. objecta partialia Metaph. sunt specie diversa etiam in esse scibilis 1. 82.

Metaphysicæ munera.

Probat objecta aliarum scientiarum quoad si est nedum a posteriori, sed etiam a priori, non tamen quoad quid est 1. 49. suum vero objectum probare tantum potest a posteriori 1. 51. probat etiam principia aliarum scientiarum 1. 52. universalia probat declarando terminos, particularia vero reducendo ad universalia ibid. ac etiam per deductionem ad impossibile ibid. aptior est cæteris scientiis ad docendum 1. 55. non est Metaph. munus tradere instrumenta sciendi sed Logicæ 1. 60. præest, & imperat omnibus aliis scientiis 1. 67. quatenus imperans nequit rerum omnium quidditates in particulari considerare 1. 64. est communis omnibus scientiis non per prædicationem, sed per applicationem suorum principiorum 1. 73. non tamen subalternat sibi alias scientias 1. 77. Metaph. utilitas quanta 1. 84.

Modus.

Modus non constituit rem in suo esse primo, & essentiali, sed eam sic constitutam supponit 2. 72. modi alii intrinseci, alii extrinseci 2. 141. declaratur natura modi extrinseci ib. res potest esse sine modo, non e contra ibid. quo sensu modus extrinsecus possit dici res 2. 142. & 6. 201. modi extrinseci sunt entitates relativæ, seu respectus extrinsecus advenientes 2. 143. modus non eget alio modo in suo genere, bene tamen in diverso genere 2. 144. omnes tamen seipsis uniuntur, & non distincta unione ibid. definitio modi extrinseci 2. 146. ejus discrimen ab intrinseco ib. declaratur natura modi intrinseci 2. 147. cur dicatur modus intrinsecus 2. 148. quo pacto spectet ad primum modum dicendi per se ib. quo pacto modi entis intrinseci sint entia realiter, ac identice, non formaliter, & quidditative 2. 202. & seq. & 215. non sunt proprie entia, sed entalia 2. 204. modus intrinsecus alter speciem consequens, alter individuum 2. 148. est intimior passione, intimior differentia ibid. quare non dicat propriam formalitatem, nec formaliter positive distinguatur a re, cujus est modus 2. 150. definitio modi intrinseci 2. 151. non variat rationem formalem, nec ejus quod contrahit, nec ejus quod constituit 2. 153. & per hoc secernitur a differentia ibid. non quia unum separari nequit ab alio, & se solo existere statim arguitur, quod sit modus ejus 6. 203.

Moralitas.

Quomodo genus moris respiciat bonum, malum, & indifferens 5. 327. moralitas supponit actum esse liberum, ac voluntarium 5. 328.

Multitudo, & Multum.

Multitudo variis modis accipitur 5. 6. Formaliter dicit negationem unitatis 5. 50. quo pacto illi opponatur 5. 56. proprie non dicitur una 5. 59. multitudo duplex ibid.

N

Natura communis.

NOn immediate significat individua, sed gradum eis communem 6. 296.

Naturale, & Naturalitas.

Naturalitas ut pertinet ad principium activum; & dicitur de operationibus, varie sumitur, & diversis opponitur 6. 28. naturale quomodo distinguitur a libero, & quomodo a supernaturali ibid.

Necessarium, & Contingens.

Aliud complexum, aliud incomplexum 6. 111. incomplexe sumpta sunt modi intrinseci rerum, ac entis disjuncta passio ibid. necessarium incomplexum duplex, aliud simpliciter, aliud secundum quid 6. 112. ens necessarium simpliciter nullam habet causam sui esse ibid. entia necessaria secundum quid, ut Intelligentiæ, materia prima, & corpora cœlestia habent causam sui esse efficientem 6. 113. etiam ad mentem *Arist.* 6. 114. non repugnat in ejus sententia aliquid esse ex se formaliter necessarium, & ab alio effective 6. 126. necessarium aliud ex se, & a se, aliud ex se, sed non a se 6. 127.

Negatio.

Negatio, ut sic, nullam dicit perfectionem 5. 47. nequit realiter cum positivo identificari 5. 49. negatio negationis dicit quid positivum 5. 51. est posterior forma negata 5. 95. non est eadem negatio entis in se, & a se 5. 99. negatio in genere, & extra genus 5. 116. quomodo a privatione differat ibid. negationes reales dantur a parte rei 5. 311.

Nota nobis, & natura.

Quæ dicantur nota nobis 5. 233. quomodo hæc distinctio de notis nobis, & natura sit rebus applicanda 5. 238. quænam proprie dicantur nota natura etiam supposito nostro imperfecto cognoscendi modo 5. 239. quo sensu dixerit Arist. non esse eadem nota nobis, & nota natura 5. 240.

Numerus.

Numerus non est ens per se unum 5. 79. duplex est, quantitativus, & transcendens 5. 91.

O

Objectum.

OBjectum adæquatum Metaph. vide Metaph. objectum; quomodo objectum det unitatem scientiæ 1. 79. ad unitatem objecti non sufficit unitas analogiæ, vel proportionis 2. 18. objectum duplex naturalis attingentiæ, & naturalis inclinationis 2. 31. objectum unum quid requirat, ut ducat in notitiam alterius 2. 39. ut objecta inadæquata attingantur a potentia, debent aliquo modo participare rationem objecti adæquati, & primari 2. 245. quo sensu etiam objectum relationem fundat ad potentiam cognoscentem 5. 135. objecti mutabilitas non impedit ejus scientiam 5. 211. objectum intellectus pro statu isto quodnam sit 5. 220.

Operatio.

Est actus secundus ipsius formæ 6. 82. operatio vitalis non est actio proprie dicta, sed grammaticaliter tantum 6. 56.

Oppositio.

Oppositio contradictoria, & privativa vere datur a parte rei nullo cogitante intellectu 2. 282.

Ordo.

Quoad ordinem naturæ, & in ordine distincte concipiendi Metaph. est prior aliis scientiis, sed quoad ordinem doctrinæ, & in ordine confuse cognoscendi est posterior 1. 56. & 58. Ordo doctrinæ varius est in eadem scientia, & in coordinatione scientiarum totalium 1. 59. ordo inter aliqua duplex vel causalis, vel plurium effectuum ab eadem causa 4. 36. ordo inter passiones plures ejusdem subjecti non semper necessarius 4. 39. duplex ordo in rerum notitia, scilicet confuse, & distincte concipiendi 5. 238. Quodnam sit primum cognitum primitate originis 5. 241. in ordine distincte cognoscendi gradus communiores sunt facilioris cognitionis, quam minus communes, in ordine confuse concipiendi res e contra se habet 5. 244. ordo inter aliqua ex natura rei distinctionem arguit inter ea ex natura rei 8. 198.

P

Passio.

PAssio, ut constituit speciale prædicamentum, & actioni correspondet, non est respectus intrinsecus, sed extrinsecus adveniens, & est respectus passi ad agens, non autem effectus producti 6. 34. passio confundi non debet cum materiali causalitate 6. 60. Vide Actio.

Perfectio, & Perfectum.

Perfectio simpliciter quid sit 2. 34. quo pacto in creaturis reperiatur, & hinc ad Deum transferatur 2. 35. perfectum, & bonum quo pacto idem 5. 272.

Peccatum.

Peccatum formaliter in privatione consistit 5. 306. peccata inter se distinguuntur juxta bonitates quarum sunt privationes 5. 308. peccata extrema eidem virtuti opposita non distinguuntur specie in genere moris, sed tantum in esse naturæ 5. 318. idem est de peccatis omissionis, & commissionis, quando sunt contra eamdem virtutem 5. 319. peccati definitio 5. 321.

Possi-

Possibile, Possibilitas, & Potentia Logica.

Potentia Logica quid sit, & quomodo ab objectiva differat 6. 66. res dicitur prius possibilis logice, quam objective, & hæc potentia fundatur in illa, vel præsupponit eam ibid. possibilitas logica dicitur intrinseca, & remota, objectiva autem dicitur extrinseca, & proxima ibid. potentia logica, & objectiva non sunt prorsus eadem 6. 67. quicquid est possibile objective, est etiam logice possibile, non tamen e contra ibid. potentia logica non possibilitas quædam negativa, sed positiva 6. 68. & 8. 33. res ab æterno seipsis intrinsece dicuntur logice possibiles, & principiative ab intellectu divino 6. 69. & 8. 30. potentia logica consistere potest sine potentia objectiva 6. 80. in adventu existentiæ rei non destruitur, bene tamen potentia objectiva ibid. potentia logica præscindit tam ab existentia rei, quam ab ejus negatione 6. 106. possibile quo sensu convertatur cum contingenti, ac etiam de necessario dicatur 6. 133.

Potentia activa, & passiva.

Potentia dupliciter sumitur, ut est principium operandi, vel patiendi, & ut dividitur contra actum 6. 1. non solum secundo modo, sed etiam primo modo sumpta spectare ad Metaph. potest ibid. potentia alia activa, alia passiva, & quid utraque 6. 4. variæ ejus acceptiones in ratione principii activi, vel passivi ibid. & seq. earum definitiones declarantur tam physice, quam metaphysice 6. 6. quo pacto definitio potentiæ activæ possit quoque applicari creativæ 6. 8. quo sensu dicant relationem transcendentalem ad principiatum 6. 11. & connexionem habeant cum suis effectibus possibilibus 6. 12. potentia in ratione principii sufficienter dividitur in activam, & passivam 6. 16. quæ, & qualis sit ista divisio 6. 17. potentia resistitiva non constituit tertium genus distinctum a potentia activa, & passiva 6. 19. an detur potentia, quæ sit pure activa, & quæ sit pure passiva 6. 20. membra istius divisionis possunt coincidere materialiter, non formaliter 6. 21. quo sensu debeat intelligi potentiæ passivæ naturali correspondere activam 6. 23. potentia passiva triplex, in quam, in qua, & ex qua 6. 24. item naturalis, violenta, vel neutra ibid. cur hæc divisio assignetur potentiæ passivæ, non activæ ibid. potentia neutra necessario debet admitti 6. 24. item alia est naturalis, alia supernaturalis 6. 25.

Datur in creaturis potentia obedientialis passiva, quæ proprie constituitur per ordinem ad primum efficiens 6. 25. ad ejus exercitium non sufficit concursus generalis, sed requiritur specialis ibid. unde potentia obedientialis passiva reducitur ad passivam supernaturalem 6. 26. & materialiter coincidit cum potentia receptiva naturali ibid. talis potentia passiva in ordine ad formas supernaturales dici debet naturalis, in ordine vero ad agens supernaturalis, & obedientialis 6. 27. potentia obedientialis non tollit violentiam a rebus 6. 139.

Potentia activa dividitur in naturalem, quæ est principium agendi cum determinatione ad unum, & liberam, quæ est principium agendi cum indifferentia 6. 28. item in naturalem, & supernaturalem, ac in naturalem, & acquisitam ibid. præter potentiam obedientialem passivam, activa quoque debet admitti 6. 29. non tamen in quolibet ad quodlibet ibid. neque entitative diversa a potentia activa naturali, aut quidpiam ei realiter superadditum 6. 27. & 31. falsum est, potentiam obedientialem, sive activam, sive passivam in sola negatione consistere, quatenus scilicet creatura potentiæ activæ Dei non resistit 6. 32. non eodem modo dicuntur creaturæ possibiles in potentia obedientiali ad Deum, sicut existentes 6. ibid. potentia activa alia cum motu, alia sine motu 6. 123.

Potentia subjectiva, & objectiva.

Potentia rursus dividitur in subjectivam, & objectivam 6. 63. quid sit potentia subjectiva, & actus ei correspondens, ac ejus conditiones, quod dicitur esse in potentia subjectiva, 6. 64. coincidit cum passiva ibid. quid sit potentia objectiva, & actus ei correspondens, & conditiones ejus, quod dicitur esse in potentia objectiva 6. 65. quomodo potentia objectiva differat a Logica 6. 66. hæc semper præsupponitur illi ibid. non sunt eadem potentia 6. 67. in productione rei potentia objectiva recedit ibid. hæc non est aliqua potentia in se realis 6. 68. quo sensu ens in potentia objectiva dici possit ens reale, & positivum ibid. & 8. 56. quo item sensu possibilitas objectiva fundetur super esse cognitum rerum 6. 69. res extrinsece dicuntur possibiles objective a divina omnipotentia ibid. potentia objectiva quantum ad id reale, quod dicit in re, non est diversa a potentia activa agentis ibid. Scotus non fuit hujus vocabuli inventor ibid. qualem relationem ad actum importet potentia objectiva, & qualiter dicatur actuari 6. 70. potentiam objectivam sic explicatam probatur debere dari 6. 71. & seq. etiam apud Arist. 6. 74. quo pacto potentia objectiva possit materialiter cum subjectiva coincidere 6. 75. potentia objectiva, & res in potentia objectiva non sunt idem 6. 107.

Præcisio, & præscindere.

Præcisio formalis non datur sine objectiva 2. 10. & 6. 302. quid dicat præcisio superioris ab inferiori 2. 26. non est separatio physica, & realis, sed intentionalis tantum 2. 27. præcisio entis quo pacto fiat a Deo, & a creatura 2. 43. quid interfit inter præcisionem perfectam, & imperfectam alicujus conceptus 2. 47. perfecta præcisio reddit conceptum præcisum perfecte unum ibid. præcisio superioris ab inferiori non est secundum rem, sed per intellectum 2. 49. quando præcisio sit mutua, & non mutua 2. 50. ad perfectam præcisionem opus non est, rationem præcisam non includi in eo, a quo abstrahitur 2. 59. præcisio perfecta unius conceptus ab alio arguit compositionem eorum 2. 161. Quid sit præcisio formalis, & objectiva 6. 292. objectiva duplex ibid. præter præcisiones formales dari quoque debent objectivæ 6. 293. nedum ex vi formalis distinctionis, sed etiam rationis ratiocinatæ 6. 298. præsertim in divinis negari nequeunt 6. 299. sensus non præscindit, sed intellectus 6. 300. & 301. per actus intuitivos distinctio, vel præcisio rationis fieri nequit 6. 316. bene tamen attingere potest intuitiva cognitio distinctionem formalem ex natura rei 6. 319. quid requiratur, ut aliqua potentia præscindere dicatur 6. 321.

Prædicatum, & Prædicatio.

Prædicatio formalis, & identica quomodo differant 2. 193. prædicatum univocum non semper univoce prædicatur, & in quid 2. 196. prædicatio identica est certissima, sed ad scientiam inepta 3. 53. quicquid essentialiter prædicatur de ente reali, debet esse reale 2. 258.

Prædicamentum.

Prædicamentum continet solum res limitatas 1. 130. Deus non est in prædicamento 2. 132.

Principium.

Principia scientiarum alia sunt universalia, alia particularia 1. 52. principia communia Metaph. quomodo demonstrationem ingrediantur 1. 56. notitia primorum principiorum non est nobis congenita, sed de novo acquiritur 3. 9. & 10. principia prima duplicis generis 3. 10. & 29. ad acquirendam notitiam primorum principiorum sufficit simplex notitia terminorum 3. 11. notitia principiorum complexa pendet ex incompleta terminorum 3. 17. quo pacto dicantur naturaliter nota ibid. circa principia non omnino prima ponendus est habitus in intellectu 3. 30. talis habitus non est nobis innatus, sed acquisitus 3. 32. circa principia omnino prima non est necessarius 3. 33. quare ponatur habitus circa conclusiones, & non circa prima principia 3. 34. quo pacto etiam circa prima omnino principia admitti possit habitus 3. 37. & hic non esset innatus, sed actibus nostris acquisitus 3. 38. habitus principiorum cum dicitur intellectus 3. 43. habitus principiorum practicorum, & speculativorum inter se specie distinguuntur 3. 45. immo & habitus diversorum principiorum speculativorum ibid.

Qualis sit primitas primi principii 3. 47. & 58. quodnam sit primum principium ibid. & num. 52. ejus conditiones ex Aristot. 3. 52. discrimen inter primum principium, & primam propositionem ibid. necesse est idem esse vel non esse, non est diversum principium ab illo, impossibile est idem &c. 3. 54. in primo non continentur virtualiter, & immediate omnes veritates 3. 62. in sua communitate manens invalidum est ad peculiarem passionem demonstrandam ibid. quomodo convincendus, qui negat primum principium 3. 64. principia quædam prima cur nobis primo nota etiamsi ex terminis universalibus constantia 5. 244.

Prioritas, & prius.

Alia temporis, alia naturæ, & hæc duplex, positiva, vel privativa 6. 122.

Privatio.

Privatio, quo pacto dicatur dari a parte rei 2. 275. & 281. nequit tamen dici ens reale negativum 2. ibid. & 278. privatio, ut sic, nullam dicit perfectionem 5. 47. quantum est de se præcedit formam in subjecto 5. 96. est negatio in subjecto apto 5. 116. quomodo differat a negatione ibid. privatio secundum genus non ponit imperfectionem in subjecto privato 5. 322. privationes specie distinguuntur per habitus 5. 328.

Propositio.

Propositio per se non convertitur 2. 191. propositio illa Scoti, intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus longo sermone examinatur 2. n. 6. & seq. quid requiratur ad propositionem per se notam 3. 19. propositio identica est certissima, sed ad scientiam inepta 3. 53. propositio omnium prima quænam sit 3. 52. quid requiratur ad veritatem propositionis a parte rei 2. 282.

Proprium, & Proprietas.

Proprietatis veræ conditiones quatuor 4. 1. suo identificantur subjecto ibid. & ab ipso ex natura rei formaliter distinguitur 4. 9. & 12. quo sensu dicatur causari a subjecto 4. 14. non est in rigore accidens 4. 15. non tamen constituit subjectum in esse quidditativo 4. 41. nulla vera proprietas realiter, & physice causatur a subjecto 5. 61.

Q

Quidditas.

Quidditas quomodo differat ab essentia 3. 3. & 6. 221. quidditas rei sensibilis quo pacto sit objectum intellectus nostri pro statu isto 5. 220.

R

Res.

Res, & ens sunt synonima 4. 25. nomen rei varie accipitur ibid. non est affectio entis 4. 26. solet apud Formalistas sumi tripliciter 6. 160. accipi etiam solet, ut distinguatur a modo rei ibid. & demum accipitur, ut distinguitur contra realitatem, & formalitatem ibid. quid proprie sit res, ut contra realitatem secernitur ibid. Rei alia notabilis acceptio 6. 178. ad rationem rei quid sufficiat 6. 201.

Realitas.

Realitas objectiva, & subjectiva in sensu quorumdam Scotistarum reiicitur 2. 70. & 97. nulla potest assignari realitas contrahibilis, quæ non sit potentialis, & generica 2. 97. quid sit realitas, ut contra rem distinguitur 6. 161. & 162. singulis realitatibus propria non correspondet existentia 6. 161. 162. 180. & 8. 174. realitas generica, ut præcedit differentialem, est vere potentialis ad illam, & perfectibilis per eam 8. 197.

Reduplicatio.

Reduplicationis vis quænam sit 2. 91. diverso modo fit in prædicatis transcendentibus, & prædicamentalibus ibid.

Relatio, vel Respectus.

Non datur conceptus relationis univocus præscindens a relatione reali, & rationis 2. 66. ex proprio conceptu non solum dicit *ad*, sed etiam *in*, ibid. relatio creata propriam dicit bonitatem, si realiter distinguitur ab extremis 5. 285. an secundum eam possit movere appetitum nostrum ibid. nullus respectus suum præcedit terminum, immo subsequitur 6. 40. quomodo respectus intrinsecus adveniens distinguatur a respectu extrinsecus adveniente 6. 48. respectus productionis, & eductionis pertinent ad prædicamentum ad aliquid, non autem actionis ibid. si quandoque respectus extrinsecus adveniens necessario consequitur extrema, est necessitas ab extrinseco proveniens, non ex natura terminorum 6. 50. implicat dari relationes fundamentum, vel terminum præcedentes 6. 55. relativa licet sint simul natura, tamen unum potest esse prius alio prioritate originis ibid. inditium realis distinctionis, vel identitatis relationis cum fundamento 6. 57. quæ relationes repugnent in eadem natura 6. 183.

S

Sapientia.

Quid sit, & ejus conditiones 1. 68. & 69. quo pacto a scientia distinguatur ibid. & 4. 46.

Scientia, & Scire.

Scientiæ divisio in Physicam, Metaph. & Math. non est necessaria, & ex natura rei deducta 1. 3. scientia non probat, sed supponit suum subjectum esse 1. 48. in quo differat a Sapientia 1. 69. scientiæ divisio per practicum, & speculativum qualiter intelligenda 1. 72. quo sensu dicatur scientia suam sumere unitatem ab objecto 1. 79.

Sensus.

Sensus præscindere non valet, bene tamen intellectus 6. 300. & 301. non potest facere universale 6. 320. cur præscindere non dicatur 6. 321.

Simplex, & Simplicitas.

Simplicitas divina non oritur immediate ex Dei independentia, sed ex infirmitate 2. 133. & 6. 234. differunt summe simplex, & simpliciter simplex 2. 46.

Singulare, & Singularitas.

Singularitas non impedit abstractionem conceptus communis a singulari 2. 98. quo pacto quod est de se singulare possit concipi sub ratione universalis conceptu inadæquato 2. 102. singulare sensibile vagum est primum cognitum primitate originis 5. 241. & de hoc loquitur Arist. in procem. Phys. 5. 243. a singulari vago fit postea descensus ad signatum ibid.

Species.

Species una quomodo concurrere possit ad constitutionem alterius 5. 183. species specialissima quo pacto dicatur a Scoto primum cognitum primitate originis 5. 241.

Subalternatio.

In quo consistat, & ejus conditiones 1. 76.

Subjectum.

Conditiones subjecti scientiæ tres 1. 23. definitio subjecti scientiæ a Scoto tradita quomodo intelligenda 1. 47. subjecti principia alia complexa, alia incomplexa 3. 1. quodlibet habere debet principia saltem complexa, non autem incomplexa 3. 2. objectum in scientia non attenditur penes majorem conceptus communitatem, sed ex scopo illius facultatis 2. 264.

Substantia.

Divisio substantiæ in materialem, & immaterialem an sit Physica, vel Metaph. vel mixta 1. 16. & 49. quo pacto fiat a Met. 1. 51. alia completa, alia incompleta 2. 217. quo pacto id debeat intelligi 2. 226. materia, & forma dici possunt substantiæ completæ metaphysice, licet non physice 2. 227.

Substantiæ materiales.

Substantiæ materiales cur nequeant immediate sui speciem producere in intellectu conjuncto 5. 223. quo pacto dicantur potentia intelligibiles, & non in actu 5. 230.

Substantiæ separatæ, vide Intelligentiæ.

Substantiæ separatæ cur nequeant immediati sui speciem imprimere in intellectu conjuncto 5. 223.

Superius.

Superius quo pacto inferiora contineat implicite 2. 49. superius præscindit ab inferioribus, non e contra 2. 50. inclusio inferioris in superiori quot modis intelligi possit 2. 54. superius, & inferius non distinguuntur tantum penes modum concipiendi explicitum, vel implicitum, sed penes formalitates objectivas 2. 55. inferiorum confusio in superiori nequit esse actualis, sed tantum potentialis 2. 57. identitas superioris cum inferiori est inadæquata 2. 92. prædicatio superioris transcendentis de inferiori non est omnino ex natura rei 2. 94. non potest superior ad inferiora determinari per modum solius explicationis, sed etiam compositionis, & additionis 2. 172. proprium est gradus est superioris præscindere a modis, & differentiis contrahentibus 2. 220.

T

Theologia.

Quomodo Theologia differat a Metaphys. 1. 1. quare Theologia sit practica 1. 70.

Terminus.

Termini communes pertinent ad Metaphysicam 1. 52.

Transcendens, & Transcendentia.

Transcendentia quid dicat 2. 26. & 109. & 131. & transcendentia prædicata sunt ejusdem rationis in Deo, & creatura 2. 35. quo pacto vestigentur via inquisitionis Metaph. ibid. ad transcendentiam sufficit quod ens in omnibus includatur vel essentialiter, vel saltem per realem identitatem 2. 109. & 4. 19. prædicata transcendentia sex numerari solent 4. 20. sed re vera sunt tantum quatuor 4. 27.

V

Veritas, & Verum.

Veritas alia in essendo, alia in repræsentando 5. 121. datur nedum in intellectu, sed etiam in rebus 5. 124. & quidem formaliter, & per denominationem intrinsecam 5. 127. veritas rei distinguitur a veritate cognitionis 5. 130. omnibus rebus

rebus convenit, ut passio adæquata entis 5. 131. quo pacto ab Aristot. verum dicatur esse tantum in mente 5. 132. & quomodo etiam de non *ente* dicatur 5. 137. dicit quid reale, & non solam relationem rationis 5. 140. nec solam negationem entis ficti, vel apparentis 5. 142. licet per relationem explicetur, tamen secundum se præscindit ab absoluto, & respectivo 5. 146. est quidpiam enti formaliter superadditum 5. 145. unde antecedenter ad illud ens est verum dumtaxat fundamentaliter 5. 150. & licet tunc vere cognoscatur, non tamen sub ratione veri 5. 151. non bene explicatur veritas per conformitatem ad divinas ideas 5. 154. nec etiam veritas *entis creati* bene sic explicatur 5. 156. quo pacto admitti possit hic modus veritatis, ut proprius entis creati 5. 158. nec etiam bene explicatur per conformitatem rei ad sua principia *intrinseca* 5. 159. bene explicatur per conformitatem rei ad intellectum aptitudinalem 5. 161. verum non est proprie objectum intellectus 5. 17. & 163. hæc conformitas sumi debet in ordine ad *quemcumque* intellectum tam divinum, quam creatum 5. 165. & potius speculativum, quam practicum 5. 167. num sit respectus realis, vel rationis 5. 168. *veritas in rebus* est inæqualis 5. 189. quomodo præsertim sit inæqualis 5. 190. & 193. veritas propria artificiatorum consistit in conformitate rei ad ideam *artificis* 5. 205. Veritas *non* est *ratio formalis constitutiva* objecti intellectus sed potius conditio consequens, vel concomitans illud 4. 17. & 5. 163.

Veritas cognitionis.

Veritas cognitionis, & rei conveniunt univoce in ratione veritatis 5. 176. & veritas cognitionis est species veritatis contradistincta a veritate rei 5. 177. veritas in uno sensu prius dicitur de veritate cognitionis 5. 178. in alio de veritate rei 5. 179. quæ analogia versetur inter veritatem rei, & cognitionis 5. 180. cui prius fuerit impositum veritatis nomen 5. 181.

Virtus, & Vitium.

Virtus, & Vitium in quo formaliter consistant 5. 318. vitia extrema eidem virtuti opposita non distinguuntur specie in genere *moris*, sed tantum in esse naturæ ibid.

Unio.

Unio sola physica non sufficit ad constituendum ens per se unum 5. 16 Unio non est de essentia compositi, sed conditio simpliciter necessaria 5. 58. & 6. 100. non est idem, quod unitas compositi, ibid. Unio formæ cum subjecto non pertinet ad prædicamentum passionis, sed habitus 6. 58.

Unitas, & Unum.

Unitas, & multitudo variis *modis accipiuntur* 5. 6. quo pacto unum, & multa dividant ens 5. 7. unitas alia entitativa, alia quantitativa 5. 11. Unitatis, ac unius varii modi 5. 13. Unum per se, & unum per accidens, ac varii eorum modi 5. 14. Unitas totius integralis diversæ rationis ab unitate totius essentialis 5. 15. ex accidente, & substantia non fit per se unum 5. 16. Unitas *solitudinis* constituitur per negationem pluralitatis, sed non est passio entis 5. 55. unum, & multa dupliciter considerari possunt 5. 56. & in uno sensu opponuntur privative, & in alio contrarie ibid. species unitatis sunt positivæ 5. 57.

Unitas transcendentalis.

Unitas transcendentalis est passio entis adæquata 5. 1. sola unitas per se est passio entis 2. 25. non importat adæquate unitatem singularem 5. 29. neque unitatem quantitativam 5. 32. non importat aliquam realitatem communem omnibus unitatibus 5. 34. sed abstrahitur ab omni realitate determinatæ unitatis inadæquate sumpta 5. 35. formaliter apponitur divisioni 5. 41. formaliter importat aliquid positivum 5. 43. ens ex sua ratione formali, & intrinseca non est unum 5. 45. unitas dicit perfectionem simpliciter 5. 46. est proxima ratio fundandi quasdam relationes reales 5. 48. quo pacto universaliter explicari possit per indivisionem 5. 56. positivum, quod unitas importat, est enti superadditum 5. 59. solum in obliquo dicit negationem divisionis 5. 62. hoc positivum non est ab ente realiter distinctum 5. 63. nec sola ratione 5. 65. sed media distinctione, quæ sit formalis actualis, vel saltem virtualis 5. 70. hoc positivum non est identitas rei ad seipsam 5. 72. nec determinata entis natura 5. 73. est ens realiter, & identice tantum, non formaliter 5. 80. unum differt ab ente etiam penes conceptus objectivos 5. 82. ens non est de se formaliter unum, sed per quid additum 5. 45. & 86. 87. & seq. unitas bene exprimitur per negationem, & quare 5. 93. & est negatio tam divisionis, quam multitudinis 5. 94. est tamen primario negatio divisionis, & secundario multitudinis ibid. & est negatio divisionis in se, non autem a se 5. 100. quia explicari non debet per negationem impossibilem 5. 101. divisio ab alio non intrat conceptum unitatis 5. 103. sed comitatur eam, ut ejus passio 5. 105. & hæc divisio sumi debet, nedum pro sola distinctione, sed etiam pro ipsa divisione 5. 107. qualis sit *indivisio* in se, per quam explicatur unitas 5. 112. quo pacto negatio, per quam explicatur unitas, sit privatio 5. 116. quo pacto sit negatio 5. 117. an re vera talis negatio ex natura rei sequatur unitatem 5. 119. conceptus unitatis juxta id, quod a parte rei importat, præscindit ab absoluto, & respectivo 5. 120.

Unitas proportionalis.

Unitas proportionalis quomodo explicetur a Thomistis 2. 17. non sufficit ad contradictionem, neque ad medium syllogisti cum 2. 21.

Unitas formalis, & universalis.

Unitas universalis sumi potest multipliciter 5. 37.

Unitas numerica, & individualis.

Unitas numeralis non est ipsa unitas transcendens 5. 24.

Unum per se, & per accidens.

Ad unum per se constituendum non sufficit sola unio physica 5. 16. neque ut sit ex rebus ejusdem prædicamenti 5. 18. neque ratio actus, & potentiæ, utcumque 5. 19. neque quod ejus partes habeant proportionem adinvicem 5. 22. in quo consistat per se unitas entis 5. 23. & 24. ab uno per se, & per accidens conceptus communis unitatis præscindi nequit 5. 25. unitas simplicitatis, & compositionis sunt species unitatis per se 5. 27.

Universale, & Universalitas.

Universale reale quo pacto differat ab universali logico 2. 85. universalitas in gradibus prædicamentalibus importat conceptus adæquatos, in transcendentibus inadæquatos 2. 102. universale aliud essentiale, aliud accidentale 2. 197.

Univocum, & Univocatio.

Univocum, vel univocatio triplex 2. 106. quatuor univocationis gradus explicantur ibid. Univocatio rursus duplex ibid. & 124. univocatio non consistit in indivisibili ibid. & 120. non est de ratione Univocationis, ut sic, quod gradus communis æqualiter participetur ab inferioribus 2. 108. & 116. & 121. univocatio in gradu imperfecto stat cum analogia 2. 106. & 118. & 120. definitionis univocorum intelligentia traditur 2. 121. quinam conceptus proprie dicatur univocus 2. 121. essentia univoci consistit in indivisibili, non tamen ejus univocatio 2. 138. ei quod est simpliciter tale, & secundum quid tale, nihil est commune univocum 2. 261. univocum prædicatum, & univoce prædicari differunt 2. 196. & 197.

Voluntas.

Voluntas potest efficere ens rationis 2. 246. & objectis suo modo præstare esse intentionale ibidem, & 248. duplicem habet potentiam ad oppositа, unam manifestam, alteram immanifestam 6. 187.

INDEX DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM Prioris Tomi Metaphysicæ.

DISPUTATIO I.

Proœmialis in Metaphysicam.

Quæst. 1. De sphæra Metaphysicæ speculationis an versetur circa omnia Entia in speciali, vel tantum in universali. pag. 1.
Quæst. 2. De adæquato Metaphysicæ objecto. 6
Quæst. 3. De Metaphysicæ muneribus, & Privilegiis. 14
Quæst. 4. De natura & qualitate Metaphysicæ. 19

DISPUTATIO II.

De natura Entis.

Quæst. 1. An Ens habeat conceptum unum tam formalem, quam objectivum. 25
Quæst. 2. An conceptus Entis sit unus, nedum respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam Dei & Creaturæ. 34
Quæst. 3. An conceptus Entis sit perfecte unus, & præcisus. 39
Quæst. 4. An conceptus Entis sit ex natura rei ante Intellectum præcisus & distinctus ab inferioribus. 44
Artic. 1. Respectu substantiæ & accidentis conceptus entis est ex natura rei actualiter præcisus, non tamen respectu Dei & Creaturæ. 44
Artic. 2. Quæ fuerit Scoti sententia circa præcisionem, & realitatem conceptus entis. 51
Quæst. 5. An conceptus entis sit æquivocus, vel univocus, aut analogus Deo, & Creaturæ, substantiæ, & accidenti. 54
Artic. 1. Ens reale esse analogum univocum ad Deum & creaturam, substantiam, & accidens. 55
Artic. 2. Argumenta contra analogam entis univocationem dissolvuntur. 60
Quæst. 6. Quomodo & per quid ens ad inferiora contrahatur, ac determinetur, num per differentias, vel modos intrinsecos. 66
Artic. 1. De modis intrinsecis, ac extrinsecis. 67
Artic. 2. Ens ad Deum & Creaturam per modos intrinsecos determinatur, ad substantiam vero & accidens per differentias. 70
Quæst. 7. An Ens sit de essentia omnium, ita ut in cujusque formali & quidditativo conceptu includatur. 74
Artic. 1. Resolutio quæsiti. ibid.
Artic. 2. Objectionum solutio. 79
Quæst. 8. An præter ens transcendens, designandum sit Ens complerum a modis, ac differentiis perfecte præscindens. 83
Quæst. 9. An detur Ens abstrahens ab ente reali, & rationis positivo & negativo. 87
Artic. 1. Nonnulla de ente rationis recoluntur ex Logica. ibid.
Artic. 2. Non datur Ens præscindens a reali, & rationis, quod sit univocum ad illa. 92
Artic. 3. Non datur Ens præscindens a positivo & negativo eis univocum. 97

DISPUTATIO III.

De principiis Entis.

Quæst. 1. Num Ens, ut sic, aliqua habeat principia, & quæ. 99
Quæst. 2. An prima principia complexa sint nobis naturaliter nota. 101
Quæst. 3. An detur habitus primorum principiorum ex eorum notitia genitus. 104
Quæst. 4. Quodnam sit principium complexum omnium primum, & firmissimum, atque notissimum. 108

DISPUTATIO IV.

De proprietatibus, seu passionibus Entis in communi.

Quæst. 1. An Ens habeat veras, reales, & positivas affectiones. 112
Quæst. 2. Quæ & quot sint passiones Entis. 116
Quæst. 3. An passiones Entis habeant inter se aliquam distinctionem, & ordinem. 119
Quæst. 4. An passiones Entis possint de ipso demonstrari, & quomodo. 121

DISPUTATIO V.

De passionibus simplicibus Entis, scilicet, unitate, veritate, & bonitate.

Quæst. 1. An unitas sit vera & adæquata passio entis. 124
Quæst. 2. Quotuplex sit in rebus Unitas, & quænam sit passio Entis. 127
Quæst. 3. A quibus unitatibus sumatur conceptus unitatis transcendentalis. 130
Quæst. 4. An unitas superaddat Enti solam negationem divisionis, vel potius quid positivum aliquo pacto ab ipso distinctum. 133
Artic. 1. Unitas importat formaliter positivum Enti superadditum, & solum consequenter negationem. ibid.
Artic. 2. Quod Enti addit unum, nec est realiter, nec ratione ab ipso distinctum, sed media quadam distinctione. 139
Artic. 3. Argumenta in oppositum solvuntur. 142
Quæst. 5. An Unitas bene explicetur per negationem, & qualis sit ista negatio. 147
Quæst. 6. De Veritate, An detur veritas in rebus distincta a veritate cognitionis, quæ sit passio entis, & quid sit. 154
Artic. 1. Datur veritas in rebus distincta a veritate repræsentativa, quæ est passio adæquata entis. 154
Artic. 2. Veritas dicit quid reale positivum ab ipso ente formaliter distinctum. 158
Artic. 3. Quomodo explicari debeat positivum, quod dicit veritas, per conformitatem. 162
Quæst. 7. An veritas univoce dicatur de veritate rei, & cognitionis, vel potius æquivoce, aut saltem cum aliqua analogia. 169
Quæst. 8. Quid sit falsitas, quo pacto sit in rebus, & veritati opponatur. 174
Quæst. 9. Unde subrepat falsitas, & proveniat difficultas in veritate invenienda, & quæ dicantur nota nobis, & nota natura. 178
Artic. 1. Difficultas in assequenda veritate non ex parte rerum, sed intellectus nostri præcise spectanda. 178
Artic. 2. Resolvitur quæsitum de notioribus nobis, & natura. 185
Quæst. 10. De Bonitate. Quæ bonitas sit passio entis, & in quo formaliter consistat. 189
Artic. 1. Resolutio quæsiti. 191
Artic. 2. Proponuntur, & solvuntur objecta. 197
Quæst. 11. An Bonitas prædeclarata vere sit passio entis, adeout cum ipso convertatur. 199

Index Disputationum, Quæstionum, & Articulorum.

Quæst. 12. De subdivisionibus, & gradibus Bonitatis. 204
Quæst. 13. Quid sit malum, & quomodo Bono oppositum. 208
Artic. 1. Malum universaliter in privatione Boni formaliter consistere. 209
Artic. 2. Proponuntur, ac diluuntur objecta. 212
Quæst. ult. De divisionibus mali, & causis ejus. 218

DISPUTATIO VI.

De passionibus Entis complexis, Actu, & Potentia; Necessario, & Contingenti: eodem & diverso.

Quæst. 1. De potentia activa, & passiva, ut spectant ad Metaphysicum. 222
Artic. 1. Quid sit potentia activa, & passiva. 223
Artic. 2. Divisionem potentiæ in rationem principii in activam, & passivam esse sufficientem. 226
Artic. 3. Variæ subdivisiones potentiæ activæ, & passivæ. 229
Artic. 4. De Actione, & Passione. 234
Artic. 5. Examinatur doctrina cujusdam Recentioris Scotistæ de actione, & Passione. 238
Artic. 6. Quomodo Actio, & Passio distinguantur. 242
Quæst. 2. De potentia subjectiva, & objectiva, ubi etiam de potentia Logica. 244
Quæst. 3. De actu primo, & secundo, formali, ac entitativo. 249
Quæst. 4. De Potentia, & actu substantiali, 252
Quæst. 5. De Oppositione, & Prioritate actus ad potentiam. 255
Quæst. 6. De Necessario, & Contingenti. 258
Artic. 1. An necessaria habeant causam sui esse. ibid.
Artic. 2. De rerum Contingentia, an sit, quid sit, unde oriatur, & quomodo rebus conveniat. 265
Quæst. 7. De eodem, & diverso; quid, & quotuplex sit identitas, & distinctio. 269
Artic. 1. De natura identitatis, & distinctionis ut sic, 269
Artic. 2. De numero identitatum, & distinctionum. 273
Artic. 3. Censura aliarum opinionum. 277
Quæst. 8. De natura identitatis, ac distinctionis realis. 284
Quæst. 9. De natura identitatis, ac distinctionis essentialis. 286
Quæst. 10. De natura identitatis, & distinctionis modalis. 289
Quæst. 11. De natura identitatis, & distinctionis formalis, ejusque utilitate. 292
Artic. 1. Resolutio Quæstionis. 294
Artic. 2. Argumenta in oppositum soluta. 298
Quæst. 12. De natura identitatis, & distinctionis virtualis, ejusque utilitate. 305
Quæst. 13. De identitate, & distinctione rationis quid sit, & quotuplex. 309
Quæst. 14. De identitate, & distinctione rationis ratiocinantis. 312
Quæst. 15. De identitate, & distinctione rationis ratiocinatæ. 317
Artic. 1. Quid sit ista distinctio, nec ipsam cum formali coincidere. 317
Artic. 2. De fundamento hujusmodi distinctionis eam secernente a distinctione rationis ratiocinantis. 322
Artic. 3. An hæc distinctio sufficiat ad contradictoria componenda. 325
Quæst. 16. Num præter præcisiones formales etiam objectivæ sint admittendæ. 327
Artic. 1. Præter formales præcisiones dari quoque objectivas. 327
Artic. 2. Argumenta non præscindentium diluuntur. 332
Quæst. 17. & ult. An per actus intuitivos fieri possit præcisio, seu distinctio rationis. 336

DISPU-

DISPUTATIONES

In duodecim Aristotelis Stagiritæ Libros

METAPHYSICORUM.

PARS PRIOR.

DISPUTATIO PROŒMIALIS

In Metaphysicam.

1 *Postremo loco explicandam aggredimur eam Philosophiæ partem, quæ frequentiori nomine Metaphysica nuncupatur, & ut cæteris nobilitate præstat, ita honoratioribus titulis præ omnibus insignita, ac decorata est; appellari enim solet simpliciter, & absolute, ac veluti per antonomasiam Philosophia, vel prima Philosophia, & universalis Philosophia; rursus naturalis Theologia, Scientia divina, supernaturalis Philosophia; Sapientia denique ac Domina, & Regina scientiarum; his, & consimilibus nominibus eam dignatur Aristotel. pluribus in locis 1. Metaph. cap. 1. & 2. & 4. Metaph. tex. 5. & lib. 6. tex. 3. & lib. 11. capit. 11. cap. 6. & alibi frequenter, quæ quidem nomina ex objectis, & materia, circa quam facultas hæc occupatur, sortita est, ut constat discurrenti per singula; ratione enim objecti principalis dicitur supernaturalis Philosophia, & naturalis Theologia, ac divina Scientia, quia de Deo sermonem instituit, quantum naturali lumini fas est, ac cæteris Intelligentiis separatis, & in hoc differt a Sacra Theologia, quæ de Deo, & Angelis loquitur juxta revelationem supernaturaliter factam; ratione vero objecti adæquati dicitur universalis Philosophia, quia in rationibus communissimis versatur v. g. entis, & aliorum transcendentium rebus materialibus, ac immaterialibus communium; & eadem ratione Sapientia vocatur, & prima Philosophia. Scientiarum denique omnium Regina, & caput, eo quia res altissimas, causas primas, principiaque prima, ac amplissima contemplatur, ex quibus aliarum scientiarum principia pendent; Ratione tandem objecti tum principalis, tum adæquati, communi nomine Metaphysica dicitur, quod ex Scot. in Prolog. qu. 9. Metaph. est Græcum nomen ex* Meta *compositum, quod significat trans, sive ultra, aut post, vel supra, quasi sit facultas res physicas in superioribus Tomis traditas excedens; vel transcendens, quia tractat de Deo, & intelligentiis, quæ sunt abstracta per essentiam, ac de ente, aliisque rationibus transcendentibus, quæ sunt abstracta (ut ajunt) per indifferentiam, rationes cujus abstractionis hæc omnia rerum omnium physicarum ordinem superant, & in altiori rerum gradu constituuntur. In hac autem facultate tradenda non præmittimus, ut in aliis observavimus libris, expositionem textus Arist. eo quia amplissimam, & exactissimam habeamus expositionem textualem in 12. Met. libros Doctoris nostri, quæ quidem an genuina sit ejus, vel potius Antonii Andreæ ex ejusdem doctrina compilata, ut quidam contendunt Scotistæ, parum curamus; nobis sat erit, quod Scotismum redoleat, sitque conformis doctrinæ, quam Doctor tradidit in quatuor libr. Sent. & quodlibetis, ad cujus trutinam cætera ejus opera non adeo certa examinari debent: cum qua etiam cautione recipimus quæstiones ejus in Metaphysicam contextas, quamvis enim de illis minus dubitetur in nostra schola, num sint Scoticæ, quam de Commentariis; quia tamen multa sparsim continent contraria his, quæ docet in lib. Sentent. irrefragabilem, & firmam in schola Subtilium auctoritatem facere non debent. Immo in hoc opere nedum textus expositionem missam facimus, in litera Doctoris a Lectore videndam, sed etiam quæstiones illas mere textuales, quas veteres Metaphysici circa textus explicationem movent, ut v. g. in primo libro, an visus faciat magis scire, quam alius sensus; an prudentia sit in brutis; an ex experimentis generetur ars &c. Has, inquam, & consimiles quæstiones data opera dimittemus, tum quia proprie ad Metaphysicam non attinent, tum quia suis propriis locis in præcedentibus Tomis resolutæ fuerunt, tum tandem quia, quæ non fuerunt alibi discussæ, apud Doctorem ipsum videri possunt, aliosque Scotistas, qui Metaphysicam scripserunt. Quæstiones igitur mere metaphysicas tractabimus a Disput. proœmiali inchoantes, ubi de natura Metaph. ejus objecto, ac muneribus disputari solet, quam quatuor absolvemus Quæstionibus.*

QUÆSTIO PRIMA.

De Sphæra Metaphysicæ speculationis, an versetur circa omnia entia in speciali, vel tantum in universali.

2 NOn possumus adæquatum Metaphysicæ objectum, quod in præsenti quæstione vestigamus, adinvenire, nisi prius latitudinem Metaphysicæ contemplationis perscrutemur, cum enim apud omnes in confesso sit, Metaphysicam de omnibus rebus tractare, & de omni ente in universum, & hac ratione dici scientiam universalem, ut Arist. docuit 1. Met. cap. 2. & 4. Met. ab initio, dubitatur, an considerare teneatur entia omnia in speciali secundum rationes eorum specificas, an secundum rationes universales tantum, ac transcendentes, qua in re tres sunt satis famosæ sententiæ; duæ extremæ, & una media.

Prima docet Metaphysicam ad naturas, & quidditates omnium descendere etiam in particulari, adeo quod nedum hominis, & equi prædicata communia, sed etiam particularia considerare teneatur, quæ illis primo competunt, quatenus homo est, vel equus; cujus potissima ratio esse videtur, quia scientia, quæ tractat de aliquo genere, ut de objecto adæquato, etiam de speciebus sub illo contentis tractare tenetur secundum rationes earum specificas, ut de Logica, & Philosophia naturali constat, cum ergo Met. ex communi fere omnium sensu de ente tractet, ut de adæquato ejus objecto; consequenter de omnibus ejus speciebus partibus subjectivis tenetur agere etiam secundum rationes earum specificas; nam 1. Post. cap. 23. ejusdem scientiæ considerare totum, & partes, ideest genus, & species, seu prædicata universalia, & specialia; quod etiam non semel insinuat Arist. ipse satis luculenter, nam 1. Met. cap. 2. ait Metaphysicam esse scientiam universalissimam, & de omnibus rebus disputare; & 4. lib. cap. 1. solam Metaphysicam considerare ens omne, & ens inquantum ens speculari, & species ejus, & species specierum; & 6. lib. cap. 1. rerum omnium quodquid est considerare, & lib. 11. cap. 3. inquit Metaph. esse scientiam entis prout ens universaliter, & non secundum partem, & ita passim loquitur; qua de causa non desunt gravissimi Auctores, qui relatæ sententiæ subscripserint Ægidius 1. Met. quæst. 2. Joan. Burid. & Paulus Vener. in Prolog. Met. referente Zerbio 1. Met. qu. 12. Antonius Mirand. lib. 13. de everſione singularis certaminis sect. 6. & 7. Piccolomineus in Manuscriptis; immo hanc quamplures tuentur etiam ex schola nostra doctissimi viri Vigerius, & Bargius q. 1. Prologi exponendo tertiam rationem Scoti contra Philosophos. Gratianus Brixiensis 2. sent. d. 3. q. 1. exponendo ibidem litteram Doctoris pluribus ejusdem permoti auctoritatibus, nam in 1. d. 2. qu. 2. ait Metaphysicam considerare ad quod genus pertineat linea, & quomodo sit species quantitatis a superficie, & a corpore distincta, & d. 3. q. 2. inquit principia aliarum scientiarum esse per se nota ex conceptu confuso

fuso terminorum, sed ex Metaphysica scita postea esse possibilitatem inquirendi quidditatem terminorum distincte, & tunc multa patere posse Metaphysico Geometræ, quæ prius non erant nota Geometræ ex conceptu confuso; & 2. disp. 3. qu. 1. dicit equinitatem, ut equinitas est, ad Metaphysicam spectare, & exprimi per definitionem, quod repetit ead. dist. q. 6. circa medium, ubi ait, quod natura prius est naturaliter, quam hæc natura, & quod sub ista consideratione de ea est consideratio Metaphysica.

3 Opposita ex diametro sententia docet, Metaphysicam rerum essentias in universali tantum considerare, quo scilicet ad prædicata generalia, & transcendentia, nullam in particulari, quæ opinio communis est in scholasticis præsertim Thomistarum, & Scotistarum, Flandria 1. Met. qu. 7. art. 5. Aquarius q. 9. ubi testatur hanc esse intentionem D. Thomæ super Boetium de Trin. item ex nostris Ant. And. 1. Met. q. 1. & q. 9. ubi de hoc agit ex professo, Faber 1. Met. disp. 13. Zerbius 1. Met. q. 12, & q. 2. §. *Propter tertium*, ubi testatur hanc fuisse expressam Scoti mentem q. 1. Prolog. §. *Tertio arguitur*, quo loco ait Doctor, quod si aliqua scientia de propriis substantiarum separatarum inveniri possibilis, traderetur, hæc esset Metaphysica, sed ipsa non est possibilis nobis, naturaliter haberi de propriis passionibus istarum substantiarum, & hoc est, quod dicit Philosoph. 1. Met. quod oportet sapientem omnia cognoscere aliqualiter, & non in particulari; & subdit, qui enim novit universalia, novit aliqualiter omnia; alias præterea adducit Zerbius Scoti auctoritates ex Met. ut convincat hanc fuisse expressam Doctoris mentem, nam 1. Met. q. 9. ait, quod Met. non est prima scientia particularis de homine, sive de homine in particulari, sed est prima universalis de ipso, inquantum ens, vel substantia, & sic cognoscit, quod primo sibi, inest in universali, & lib. 6. q. 1. propefinem multa habet ad hoc propositum, & tandem concludit, quod Met. est prima scientia speculativa de ente, nullam passionem propriam alicujus entis inferioris considerans, sed solum passiones primas de ipso, & per se non primo, de quocumque inferiori. Hanc etiam videtur ex professo docuisse Arist. pluribus in locis, nam 1. Met. c. 2. cum dixisset *Sapientiam scire omnia*, subdit ut possibile est scire non habentem singulariter eorum, scientiam, quod amplius declarans inquit, eum, qui habet universalem scientiam, quodammodo omnia scire, quæ subjecta sunt universalibus, idest in universali, ut communiter exponunt, & præsertim Scot. loc. qu. 1. Prolog. clarius hoc idem repetit 4. Met. ab initio, nam cum in principio hanc scientiam a cæteris distinxisset, quia speculatur ens in quantum ens, & quæ ei per se insunt, subdit cæteras scientias aliquam partem entis sibi abscindere contemplandam, quibus verbis luculenter ostendit hanc scientiam Met. a cæteris distingui, quia hæc circa communes rationes, cæteræ vero circa particulares versantur; idem quoque docet 6. Met. ubi a principio tres speculativas scientias distinguit Philosoph. Mathemat. & Metaph. tum ex objectis, tum ex variacorum abstractione, quam scientiarum speculativarum divisionem omnes postea Peripatetici unanimiter amplexi sunt; & ex ea validissimam rationem pro hac secunda sententia deduxerunt, quia si Met. consideraret rerum omnium quidditates in particulari, reliquæ scientiæ forent supervacaneæ, quia tunc sola Met. sufficeret, quidquid enim aliæ considerant, & tradunt, consideraret ipsa ex hypothesi, & traderet sufficienter.

Tertia sent. media docet Met. quædam in universali tantum considerare, ut res materiales, quædam vero etiam in particulari, ut immateriales, & substantias separatas, quæ nobis verior videtur, & magis Peripatetica, ita Averr. 4. Met. com. 9. & 2. Phys. comm. 22. Jandun. 1. Met. q. 22. & meliores Thomistæ & Scotistæ, ut Soncin. 4. Met. q. 11. Tromb. 1. Met. q. 9. Meurisse q. 4. procem. in Met. concl. 4. & q. 5. concl. 1. Suar. cum aliis. Recentiorib. & ita Scot. sentire videtur 1. Metaph. quæst. 1. §. *Contra istam*, versic. *Aliter potest dici*.

Pro exacta quæsiti resolutione recolendum est, quod diximus disp. 12. Log. q. 3. & q. procem. Phys. art. 1. ex Scoto 6. Met. q. 1. in fine Additionis, divisionem illam scientiæ speculativæ, quam tradit Arist. 6. Met. in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, non esse necessariam prorsus, & ex natura rei omnino deductam, quia absolute loquendo una dumtaxat institui poterat scientia totalis, cujus objectum esset ens in tota sua communitate, præfatæ vero scientiæ essent veluti partiales, & partem objecti communis contemplantes, itaut illa non esset ab istis distincta, nisi sicut totum differt a suis partibus, quod ibi sufficienter probatum est; & talem scientiam sic unam esse possibilem, quæ etiam dicatur Metaphys. tradunt nonnulli Arist. expositores, etiam Scotus ipse 4. Met. super tex. 3. & 4. ubi Arist. ait unius scientiæ genere esse contemplari ens, ut ens, quam appellat Metaphysicam, & subdit cæteras scientias sibi aliquam partem entis abscindere contemplandam; quo loquendi modo satis aperte innuit Arist. scientias particulares sub illa universali contentas non utique inter se discerni, velut scientias totales, sed secari velut partiales unam totalem integrantes; Quod immerito plane inficiantur, Faber cit. c. 2. & Suarez disp. 1. Met. sect. 2. n. 10. eo quia, inquit, Physica, Mathematica, & Metaph. agunt de rebus omnino diversis, & fere nullam inter se connexionem habentibus, & multum differunt in modo procedendi, nam Philosophus vix recedit a sensu, Metaphysicus vero procedit per principia universalissima, & maxime abstracta; Mathematicus tandem medio quodam modo procedit. Hæc enim ratio ad summum probat non posse has scientias in unam totalem convenire, quæ sit una unitate specifica, aut unitate generica generis proximi, at nequaquam probat, quin possit esse una unitate saltem generis remoti; Tum quia inter res præsertim Physicas, & Metaphysicas tanta est affinitas, & connexio, ut qui vellet servare ordinem naturæ, deberet continuata serie quæstionum, & tractatuum eas explicare inchoando a supremo entis prædicato, & per omnia, & singula ejus genera discurrendo usque ad ultimas species, quia ad distinctam inferiorum cognitionem præsupponitur notitia graduum superiorum, ac magis communium, ratione cujus connexionis, superioris, & inferioris adhuc magis in unam totalem scientiam convenire posse videntur Physica, & Metaphysica, quam Mathematica, quod in causa fuit, ut quæst. procem. Logicæ ab initio Philosophiam naturalem præsertim divisimus in Physicam, & Metaphysicam juxta famosam, & propriissimam Philosophiæ naturalis acceptionem Physicam, Metaphysicamque complectentis, exclusa Mathematica, quam luculenter declarat, & probat Aversa tom. 1. suæ Philosophiæ q. 1. sect. 1.

4 Quamvis autem res ita se habeat, nequaquam tamen verum est, quod contendit Averr. loc. cit. sect. 6. non posse Physicam, ac Metaphysicam abinvicem dividi, ac veluti duas sciantias totales adinvicem ordinatas disponi, sed necessario tradi debere, atque contexi per modum unius totalis scientiæ; si enim verum est, quod passim omnes fatentur, facultatem, quæ modo Physica appellatur, tractare de rebus corporeis, ac penitus materiæ immersis; quæ vero Metaph. nuncupatur, de rebus tractare spiritualibus, ac penitus a materia sejunctis tam secundum esse, quam secundum considerationem; satis constat constituere posse diversas scientias totales, & abinvicem adæquate condistinctas, quia habent & res consideratas, & rationem considerandi objectivam adeo diversas, ut sufficiant ad constituendas duas scientias totales, & adæquate ab invicem condistinctas, id est habentes distincta objecta adæquata, & frustra conatur oppositum astruere Averr. loc. cit. nam ejus argumenta ad hoc adducta, vel nihil probant, vel ad summum probant possibiliratem talis unius scientiæ, ac totalis Philosophiæ, non autem implicantiam duarum, quarum una de rebus agat corporeis, & materiæ immersis, altera de incorporeis, & a materia prorsus abstractis; Et magis adhuc in vanum laborat hic Auctor, dum sect. 7. contendit etiam Arist. ipsum in hanc suam trahere sententiam, de cujus mente in hac re nullus remanet ambigendi locus, nam 6. Met. cap. 1. distinxit ex professo tres scientias speculativas, veluti scientias totales, Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, & 2. Phys. a. tex. 16. usque ad 18. & 1. de Anim. 17. & lib. 12. Met. cap. 6. & alibi sæpe ex diverso definiendi modo, & ex diversitate abstractionum colligit diversitatem scientiarum speculativarum; & denique luce clarius est distincte, & separatim Physicam, & Metaphysicam conscripsisse, quamvis ergo interdum Arist. indicet possibilitatem unius scientiæ, & Philosophiæ totalis Physicam, & Metaphysicam complectentis, ut videre est loc. cit. 4. Metaphysic. ab initio; re tamen vera non ita illam contexit, sed Physicam a Metaphysica adæquate discrevit, veluti duas totales scientias propter commoditatem, & usum earum; ut minor confusio fieret, & ordine doctrinæ servato a rebus sensibilibus, & corporeis, circa quas versatur Physica, sensim manuduceremur ad intelligibilia, & incorporea, de quibus agit Metaph.

5 Rursus ad rite dignoscendam Metaphysicæ speculationis amplitudinem notandum, quod sicut in quæstione procem. Physicæ distinximus Physicam in se ab ipsa secundum quod tradita est ab Aristot. & a nobis modo acquiritur via sensus, diximusque, illam esse majoris ambitus ista, quam modo habemus, ideoque illi latius assignavimus objectum; sic pariter in proposito distinguenda est Metaphysica in se, & in nobis, seu prout tradita est ab Aristot. ut advertit Trombet. cit. 1. Metaph. quæst. 9. & ex Doctore colligitur quæst. 1. Prolog. §. *Tertio arguitur*, & 6. Metaph. quæst. 1. in corpore quæstionis; utraque est habitualis, & naturalis quædam cognitio de objecto Metaphysico in intellectu creato; sed Metaphysica in se est habitualis cognitio hujus objecti perfecta nata haberi de illo secundum quod natum est se manifestare naturaliter intellectui creato ex natura potentiæ; Metaphysica vero in nobis est habitualis quædam cognitio ejusdem objecti nata haberi de illo secundum quod potest a nobis pro statu isto attingi via sensuum, cum omnis nostra cognitio ortum ducat a sensu; ex quo capite etiam manifeste deducitur necessitas distinctionis. Physicæ secundum se, & secundum quod tradita est a Philosopho, sicut enim objectum Metaphysicum nobis pro statu isto non se manifestat intellectui nostro, quantum ei manifestabile est ex natura potentiæ, ita quoque dicendum erit de objecto physico; cur enim objectum physicum penetrabitur modo ab intellectu nostro totaliter, & exacte, adeo ut nulla eum lateat physica veritas, & non ita penetrabit objectum Metaphysicum, cum via, & methodus dignoscendi ipsum pro statu isto sit eadem, nempe via sensus. Fatendum igitur multas nos latere pro statu isto veritates nedum in Metaphysica, sed etiam in Physica, atque ideo necessariam esse distinctionem illam Physicæ in se, & in nobis, quare immerito damnatur, ut inutilis a Poncio nuperrimo Scotista in suo cursu 1. Physicor. disput. 1. tum ob rationem allatam, tum quia eam approbarunt omnes veteres Scotistæ, quorum auctoritati multum deferendum est; his præacceptis.

Dicendum; quod si Metaphysica sumatur pro universali Philosophia Physicam, & quam modo dicimus Metaphysicam complectente, considerare tenetur entia omnia non solum secundum gradus

gradus universales, sed etiam secundum speciales rationes eorum; si vero sumatur pro scientia a Physica condistincta (prout sumi solet) in quo præsertim sensu quæstio ista agitatur, descendere nequaquam potest ad rationes speciales entium quorumcunque, sed tantum aliquorum: eorum nempe, quæ sunt a materia penitus abjuncta, quales sunt Intelligentiæ separatæ, rerum vero materialium gradus universales dumtaxat contemplari potest. Hoc assertum omnino resolvit quæsitum præsens, ideoque adamussim declarandum est, ac probandum singillatim quoad omnes, & singulas ejus partes, & est de mente Scoti loc. mox citandis, ac Authorum tertiæ sententiæ.

6 Primo, quod si sumatur pro universali Philosophia naturalem, & transnaturalem complectente consideret omnium rerum quidditates nedum in universali, sed etiam in speciali. Probatur, quia in hoc sensu Physica, & Metaphysica non essent scientiæ condistinctæ, sed unam totalem integrarent, quæ sub se aggregaret scibilia omnia, seu conclusiones omnes de rebus tum materialibus, tum immaterialibus acquisibiles viribus naturæ, ergo non solum speculari deberet gradus universales earum, sed etia particulares, & specificos, quia ex hypotesi nulla alia specialis, & inferior scientia daretur, quæ circa rationes specificas earum occuparetur. Neque ista Metaph. acceptio nova est, ut enim referunt Zerbius 1. Met. quæst. 12. §. *Propter secundum*, & Jand. quæst. 19. multi auctores primæ sent. in hoc sensu dixerunt Metaphysicam considerare omnium rerum quidditates in particulari, quia nimirum eam non distinxerunt a Physica, eam quoque recipit ex nostris Meruisse qu. 6. procem. in Metaphys. & Arist. ipse non semel hanc Metaph. acceptionem insinuavit, dum interdum dixit considerari in Metaph. ens prout ens, & quaslibet species sub eo contentas, ac etiam Scotus, quia valde probabile putavit Metaphysic. *Istarui posse scientiam unam totalem de ente differentem*, ac speciebus ejus secundum omnes gradus earum; ideo frequenter dixit in hoc sensu ejus esse munus rerum omnium quidditates scrutari etiam in particulari, & nonnullæ auctoritates ejus superius adductæ aliter explicari nequeunt sine manifesta extorsione, ut v. gr. cum ait 1. d. 1. 2. quæst. 2. Metaph. considerare ad quod genus pertineat linea, & quomado sit species a superficie, & corpore distincta; non enim sufficit explicatio Trombet. cit. dum ait, per hanc loquendi modum Doctorem significare velle, quod nullus particularis artifex potest considerare lineam, ad quod genus pertineat, sed solum ille, cujus est considerare prima rerum genera, qualis est Metaph. ideoque non posse Mathematicum hæc accipere, & cognoscere, nisi per conceptus Metaphys. dirigatur, ad hoc autem necesse non est Metaphys. considerare rationem specificam lineæ. Non sufficit hæc glosta ad allatam auctoritatem, quia non solum ait Doctor Metaphysic. considerare ad quod genus linea pertineat, sed quomodo sit species a superficie, & corpore condistincta, ad quod non sufficit utique cognitio solius generis, in quo conveniunt, sed requiritur etiam exacta cognitio differentiarum species illas constituentium; loquitur pariter Doctor in eodem sensu 2. dist. 3. quæst. 1 & 6. cum inquit equinitatem, ut sic, & ut exprimitur per definitionem ad Metaphysicum pertinere, qui etiam locus, ut notat ibi Gratianus Brixiensis, non recipi glossa Trombetæ dicentis, quod Metaphysicus non contemplatur quidditates speciales sistendo in principiis earum propriis, sed resolvendo eas in ens, & alia prædicata transcendentia: hæc (inquam) glossa non illi loco quadrat, quia Doctor ibi docet Metaph. considerare quidditates in particulari, ut exprimuntur per definitionem, at definitio non exprimit solum prædicata communia rerum, sed etiam rationes specificas, & differentiales ipsarum; & doctrina illa Tromb. quam habet concluf. 3. & quidam adhibent ad probandum, quod ad Metaph. spectat considerare quidditates rerum in particulari non absolute, sed respective, resolvendo tales quidditates in ens, & principia entis, est merum effugium ad eludendas Scoti, & Arist. auctoritates; considerare enim hominem, & equum ut ens, non est considerare ipsa in particulari, sed solum in universali, quia per talem cognitionem non attingitur hominis, vel equi differentia constitutiva, sed tantum prædicatum transcendens; quod si dicas cum eis talem cognitionem Metaph. etiam rationes specificas attingere, sed ibi non sistere; hoc parum refert, nam etiam hoc admisso adhuc sequitur, alias scientias particulares superfluere, si ponamus Met. ab ipsis condistinctam, unde ut prædictæ auctoritates salventur, dicendum est Scotum, cum sic loquitur Met. accipere, ut est Philosophia universalis naturalem, & transnaturalem complectens; & in hoc sensu quoque Arist. loqui ubicumque interdum significare videtur Metaph. omnia entia considerare etiam quoad rationes speciales.

7 Secundo, quod si sumatur Metaphysica pro scientia condistincta a Physicas, res omnes in speciali considerare nequeat. Probatur auctoritatibus tum Arist. tum Scoti adductis pro secunda sentent. quibus addi potest alia clarissima q. 16. de Anim. concl. 2. ac etiam ex ipso Arist. processu in tota Metaph. quia in toto illius progressu non invenitur, quod alicujus speciei specialissimæ formam, seu rationem specificam inquirat, aut doceat passiones speciales ejus, sed bene inquirit in generali de quidditatibus substantiæ, & accidentis, ex quibus, & qualibus constitutæ sunt, & descendendo ad partes substantiæ bene ostendit quomodo se habet, quod quid est, ad id cujus est, tam in substantiis materialibus, quam in immaterialibus, ut patet in 7. libro, sed nunquam descendit ad inquirendas differentias specificas specierum infimarum, sed hoc inquirit in scientiis particularibus; Probatur tandem ratione, quia Met. in hoc sensu accepta non potest considerare eas rationes, quæ subterfugiunt proprium genus abstrahendi Metaphysicale, quod est abstrahere a materia secundum esse, & considerationem, sed multæ rerum rationes in particulari subterfugiunt proprium genus abstrahendi Metaphysicale, cum sine materia Physica definiri, & esse nequeant, ut constat de rebus Physicis, & Marhematicis; ergo &c. Conf. quia proprius modus definiendi Met. est definire sine materia, ut Arist. sæpe docuit; ergo nequit Met. rerum omnium rationes in particulari considerare, puta, quæ conjunctæ sunt materiæ quoad esse, & quoad considerationem, quia tales non possunt definiri sine materia. Demum probatur ratione allata pro secunda sententia, quia si Met. omnium rerum rationes in particulari consideraret, jam quælibet alia particularis scientia foret supervacanea, quia nil sibi peculiare considerandum remaneret, quod Metaph. non absorberet.

8 Auctores primam sententiam defendentes etiam supposita distinctione Metaphysicæ a cæteris scientiis respondent illas non superfluere, quia esto Metaph consideret rationes rerum in particulari, abstrahit tamen ab ordine rerum ad sua accidentia propria, vel communia considerando puram quidditatem in se, ut talis quidditas est, ideoque esto v. gr. quod Metaph. corpus naturale consideret, & ipsius principia ut corpus naturale, tale ens est, non tamen ipsius rationem considerat in ordine ad suam mobilitatem, & cæteras ejus affectiones, & ob id non potest mobilitatem de corpore naturali demonstrare, sed hoc naturalis Philosophi erit, qui corpus naturale, & ipsius principia considerat in ordine ad hujus corporis accidentia. Hæc tamen responsio facile impugnatur, quia implicat dicere, Metaphysicam descendere ad quidditatem propriam rerum, & tamen non demonstrare affectiones proprias de illis, tum quia qui cognoscit quid, tenetur etiam cognoscere propter quid; Tum quia quidditas est medium, quo in demonstratione propria passio de ipsa ostenditur; ergo si Met. considerat quidditatem singulorum entium, proprias etiam affectiones de singulis demonstrabit, quia ut docet Arist. 1. Post. subjectum, passio, & medium debent esse ejusdem generis scientiæ, Tum tandem quia, ut docet Doctor qu. 3. prolog. habens notitiam quidditativam subjecti habet virtualiter notitiam passionum subjecti, cum notitia passionum virtualiter contineatur in notitia quidditativa subjecti; & consequenter poterit exire in notitiam passionum; ergo si Metaphysic. habet notitiam quidditativam rerum omnium, poterit quantum est ex se in notitiam passionum earumdem exire, ealque de propriis subjectis demonstrare. Dices, adhuc remanere locum distinctionis inter Physicam, & Metaphysicam, quia hæc demonstrabit passionem de aliquo subjecto per rationem communem; aliæ vero scientiæ per rationes proprias, constat autem, quod scientiæ distinguuntur ex mediis demonstrandi ex 1. Post. tex. com. 43. Sed contra, quia per medium commune non potest haberi distincta cognitio de particulari, sed tantum communis, & confusa; Tum quia sic dicendo jam deseritur allata responsio, in qua dicebatur, Metaphysicam considerare puras rerum quidditates abstrahendo ab ordine ad accidentia; quæ quidem solutio adhuc reiicitur, quia Arist. 3. Met. tex. 5. docet unam, & eandem scientiam considerare accidens, & subjectum quia scientia non versatur circa accidens, nisi propter subjectum explicandum, nec circa subjectum nisi ut sciatur natura accidentis per se illius subjecti, ut ibi notat Alensis.

Respondent alii, scientias particulares constitui in ordine ad accidentia, quæ subjectis earum mere per accidens competunt. Contra, quia cum accidentia communia necessariam non habeant subjecto connexionem, nequit eorum cognitio scientifica appellari; Tum quia tunc aliæ scientiæ tractarent de ente per accidens, quod non est idoneum scientiæ proprie dictæ objectum. Consequentia patet, quia si ullum accidens constituit cum suo subjecto ens per accidens, id præsertim verum est de accidente communi, quod mere per accidens illi advenit; Tum quia sequeretur, quod aliæ scientiæ considerarent partes entis contractas per differentiam accidentalem; cum tamen Arist. 6. Met. in principio, & 11. Met. cap. 6. clare doceat eas circa partem substantiæ versari; & nos quæst. procem. ad Physicam ostendimus, quod ratio considerandi corpus naturale in ipsa est naturalitas ipsa, cui, & non alteri differentiæ accidentali conditiones modi considerandi objectum materiale conveniunt.

Respondent alii ex Svessan. 1. Met. disp. 10. c. 3. & sequitur Saxius quidam Scotista recens in sua Cataft. disp. 2. q. 5. art. 3. scientias particulares a Met. distingui, quia ipsa non considerat quidditates particularium entium sistendo in ipsis, ut faciunt particulares scientiæ, sed resolvendo in ens, & principia entis, in quo consistit eminentia Metaphysicæ supra scientias inferiores. Sed neq; *hoc satisfacit, vel enim hoc ita intelligitur*, ut Met. attingat objecta particularium scientiarum sub rationibus communissimis entis, substantiæ, & aliorum transcendentium, & sic, ut supra contra Tromb. inferebamus, non est cognoscere res in particulari, sed res particulares in universali, & sub conceptibus communissimis, quia talis cognitio non attingit rationes speciales entium; vel ita intelligitur, ut Metaphysica cognitio attingat quidem etiam rationes differentiales earum, sed ibi non sistat, sed ulterius progrediatur resolvendo species in conceptus genericos, & communes, & sic respondendo non solvitur argumentum, quia si Metaph. distincte

novit rerum quidditates, & meliori modo, quam faciant scientiæ particulares, quia istæ resolvere nequeunt suos conceptus specificos in prædicata suprema, & transcendentia; plane sequitur illas omnino superfluere, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene, immo melius. Alii tandem *duplicem rationem* distinguunt in Metaph. una est scientiæ particularis, sub qua ratione concedunt non considerare rerum omnium quidditates in particulari; alia est, quatenus ars communis aliis omnibus scientiis præsidens, & imperans, & ita negant. Sed hoc impugnabimus infra nu. 64.

9 Tertio, quod ad Metaphysicam spectet speculari rationes entium omnium generales, & transcendentes probatur, quia scientia considerans ens, inquantum ens, & primas partes entis, debet considerare omnia secundum rationes generales, quia generalissima sunt primæ partes entis, sed Metaphysica est hujusmodi ex 4. Met. cap. 1. Tum quia ipsa inter omnes est scientia universalissima, & abstractissima, quia contemplatur res abstractas tam secundum esse, quam secundum considerationem, ergo tenetur considerare rationes istas universalissimas, & abstractissimas, consequentia probatur, quia apud Metaph. non solum dicuntur abstrahere a materia secundum esse, ut notat D. Thom. in prolog. Met. illæ rationes entium, quæ nunquam sunt in materia, sed etiam illæ, quæ possunt esse in rebus sine materia, quia hoc satis est, ut in sua ratione formali materiam non includant, nec illam per se requirant, talis autem est ratio entis, & cujuscumque transcendentis, item ratio substantiæ, & accidentis, ac etiam aliæ quædam rationes inferiores, scilicet accidentis absoluti, vel respectivi, qualitatis actionis, operationis, & similium, ita enim abstrahi possunt, ut sint in rebus sine materia cum sint communes per indifferentiam ad res materiales, ac immateriales. Conf. quia Metaph. est inter omnes scientias prima, ergo has universalissimas rationes tenetur considerare, quia cum istæ rationes universalissimæ scibiles sint, si ad Metaph. non pertinerent, ad aliam spectarent, quæ proinde *esset* prior, quippe quæ de prioribus rationibus ageret.

10 Quarto probatur, quod possit Metaphysica, & debeat speculari quidditates in particulari rerum abstractarum a materia per essentiam, quales sunt intelligentiæ separatæ; quia ejusmodi entia sunt penitus a materia sejuncta, ergo sunt objecta proportionata intellectui Metaphysico, qui talia entia considerare debet, etiam quoad conceptus proprios, quia etiam isti materia sunt prorsus expertes. Conf. quia Deus sub ratione entis infiniti, entis necessarii, summi boni, summi sapientis; item aliæ Intelligentiæ sub ratione actuum purissimorum, entium immaterialium rationem entis includunt *essentialiter*, & a materia tum secundum esse, tum secundum considerationem abstrahunt. Demum, ut apud omnes est in confesso, eas rationes entium tenetur Metaph. considerare, quæ a materia, & secundum esse, & considerationem abstrahunt; hæc autem in duplici sunt differentia, quædam enim sunt secundum esse abstracta a materia per indifferentiam, ut sunt rationes generales communes entibus materialibus, & immaterialibus; quædam vero sunt abstracta a materia secundum esse per essentiam, & sunt illæ, quæ sunt rebus immaterialibus prorsus addictæ, adeout nunquam in materia inveniri possint, & istæ sunt omnes rationes propriæ possibiles haberi ab intellectu creato naturali lumine ducto de intelligentiis separatis etiam primam includendo; ita colligitur ex Doct. q. 1. Met. loc. cit. & q. 3. prol. lit. R. & 1. d. 3. q. 1. & 6. Met. q. 1. in corpore quæsiti, & tenet Tromb. cit.

11 Sed ut hæc pars statuti asserti rectius intelligatur, ad verendum est ex Doctore *loc. cit.* & *Trombet.* quod conceptus proprii possibiles haberi de substantia separata sunt in duplici differentia, quidam sunt proprii ex propriis, idest immediate ex ejus substantia, & essentia avulsi, quidam vero proprii ex communibus, qui nimirum ex aggregatione plurium communium constituuntur, & substantiæ separatæ appropriantur, ut concipiendo Deum sub ratione entis infiniti, qui est conceptus aggregans in se duos conceptus, & totus iste conceptus soli Deo convenit, & non aliis Intelligentiis; vel alias concipiendo sub ratione substantiæ immaterialis, naturæ intellectualis, actus puri, necesse esse, &c. quantum ad istos conceptus proprios ex communibus Intelligentiarum contemplatio pertinet ad Metaph. nostram, quia ut ait Doctor loc. cit. Metaph. nostra attingit omnia illa Intelligentiarum attributa, & prædicata, quæ abstrahi possunt a sensibilibus, & imaginabilibus, sed conceptus illi ex communibus proprii sunt ita abstrahibiles, quia via sensuum quasi a sensibilibus emendicando illa componimus, ergo pertinent ad Metaph. in nobis, quam nempe habemus pro statu isto. At vero conceptus prioris ordinis nempe proprii ex propriis non spectant ad Metaph. nostram, sed ad Metaphysicam in se, quia ut notat Doctor cit. quæst. 1. prolog. nos pro statu isto sensu, & imaginatione utentes non possumus elevari ad illas rationes formando ex creaturis conceptum proprium substantiarum immaterialium sicuti sunt; neque possumus propria aliqua ipsorum attingere ex propriis, sed solum ex creaturis, cum hunc solum modum habeamus intelligendi eas pro statu isto, ergo ad propria illarum ex propriis elevari nequimus; quia ergo aliunde non superant captum intellectus ex natura potentiæ, cum sint entia finita, & limitata, (loquendo de aliis intelligentiis citra primam) sintque a materia per essentiam abjuncta secundum esse, remanet, ut earum contemplatio spectet ad Metaph. in se; qualis haberi nata est ab intellectu creato ex natura potentiæ. Consequentia patet, quia Metaphysica in se respicit omnes eas rationes abstrahentes a materia secundum esse, & considerationem, quarum cognitio in intellectu creato nata est naturaliter causari ex natura potentiæ.

Cæterum rationes Dei propriæ, & ex propriis habitæ sub ratione Deitatis nec ad Metaphysicam in nobis, nec in se possunt attingere, etiamsi sint a materia per essentiam abstractæ, quia rationes istæ nequeunt naturaliter cognosci de Deo, quia Deus naturaliter nequit distincte cognosci sicut est, & sub ratione Deitatis, ut sic enim est objectum voluntarium, ut Augustinus ajebat, si vult, cognoscitur, si non vult, non cognoscitur, quod probat Doctor ex professo 1. d. 3. & quol. 14. ergo conceptus ejusmodi excedunt habitum scientiæ, & habitus naturalis, & ad habitum superioris ordinis attinent, qualis est sacra Theologia. Conf. quia si Metaph. ad has rationes pertingere posset, tunc sacra Theologia non foret habitus distinctus a Metaphysica, quod *falsum est*: quia Metaphysica est habitus quidam intra ordinem naturæ conclusus, & lumini innixus naturali, Theologia vero sacra est habitus altioris ordinis innixus lumini fidei.

Solvuntur rationes adversæ.

12 In oppositum obiicitur. Primo auctoritatibus tum Arist. tum Scoti pro prima sent. adductis, quæ satis ægre glossas consuetas auctorum alterius opinionis recipiunt, ut visum est supra, tum etiam ratione ibidem allata, quia si ens est adæquatum objectum Metaph. ut communiter statuitur, ergo considerare tenetur etiam omnia entia in particulari, alioquin ratio *entis inveniretur in aliquo, quod ad Metaph. non pertineret*, atque ita ens excederet Metaph.

Respondent communiter Metaphysicam considerare etiam species entis, sed præcise quatenus entia sunt, ac secundum rationes generales, non autem speciales. Sed contra hoc est, quia ex hoc sequitur nec etiam substantias immateriales considerari in particulari a Met. sed tantum in universali, tum quia quando aliqua ratio communis assignatur, ut objectum alicujus potentiæ, vel habitus, non semper assignatur sub omnimoda præcisione a suis inferioribus, & ut supponit simpliciter; sed ut includit inferiora quoque, & ut supponit absolute, ut constat de corpore naturali, quod est adæquatum Philosophiæ objectum, non tantum secundum præcisam rationem naturalitatis, ut sic, sed etiam secundum proprias rationes inferiorum; *sic igitur* cum dicitur Metaph. versari circa ens inquantum ens, non datur sumi ens omnino ac formaliter præcisum, itaut excludantur omnia inferiora *secundum* proprias rationes, quod eo vel maxime dicendum est, quia ens ponitur objectum Metaph. eo modo, quo statuitur objectum intellectus, est autem objectum intellectus, ut supponit absolute, non autem simpliciter.

Respondent quidam gratis concedendo, non utique ens constitui objectum Metaph. ut supponit omnino simpliciter, & præcise, quia includit aliqua inferiora etiam secundum rationes proprias considerandas, nempe substantias immateriales. Contra, quia si ens objectum Met. sumitur cum præcisione; ergo utrumque genus substantiarum excludit; si non sumitur cum præcisione, sed ut immersum in inferioribus, tunc non est major ratio cur potius importet materialia, quam immaterialia, cum in omnibus sit immersum; tum quia ut arguit Scot. 6. Met. qu. 1. in corpore scientia de divisio æqualiter se habere videtur ad utrumque dividens; ergo si est de uno sub propria ratione, erit etiam de altero; quare sicut corpus naturale in Physica includit sub se corpora inferiora etiam sub propriis rationibus consideranda, ac etiam Syllogismus in Logica; sic pariter dicendum erit de ente in Metaph. sic etiam arguit qu. 1. Met. ens secundum se ita abstrahit a materialibus, sicut immaterialibus; ergo Met. non magis est de istis secundum propriam rationem, quam de illis.

13 Respondent rursus gratis concedendo Metaph. non considerare solam, & puram rationem entis communissime sumpti, sed etiam ad inferiora descendere, non tamen ad omnia, sed ad aliqua tantum, scilicet ad entia immaterialia; cur autem potius ad hæc, quam ad illa descendat, & non ad *omnia*, dicunt provenire ex abstractione, quæ limitat quodcumque objectum, & præscribit terminos cuicumque scientiæ, quos nequit ullo pacto *transgredi*; & ita abstractio Metaph. limitat objectum hujus scientiæ ad eas tantum rationes, quæ a se excludunt omnem materialitatem, & sic ex vi suæ abstractionis claudit sub se substantias immateriales, etiam secundum proprias rationes, non item materiales; quare concludunt genus, & speciem pertinere ad eandem scientiam, quando sunt intra eandem abstractionem, ut est de corpore naturali in Physica cum suis speciebus; secus autem quando species est sub diversa abstractione a genere; & hæc est communis doctrina cujuscumque scholæ.

Sed neque hæc communis solutio satisfacit, si bene examinetur; tum quia diversitas abstractionis, ut sic, non sufficit ad distinguendas, & specificandas formaliter scientias, & objecta earum, sed specificantur a diversis rationibus formalibus objectivis, ut ex professo docuimus disp. 12. Log. quæst. 3. art. 1. tum quia si dum ponitur ens, ut ens, objectum Metaph. intelligatur de ente abstrahente a materia, tunc male reduplicatur ratio entis, ut ens est, absque alia declaratione, quia ratio formalis objecti trahit secum pro materiali omne id, in quo reperitur, sicut cum dicitur animal, ut animal, color, ut color, quare cum ens reperiatur in omnibus rebus tam materialibus quam,

quam immaterialibus, omnia trahet sub objecto Metaph. consideranda, & non sola, quæ abstrahunt a materia, qua ut diximus loc. cit. abstractio diversa id impedire non potest; Quare nos dicimus ens, ut ens, & sub hac universalitate non esse objectum, nisi Metaphysicæ sumptæ pro Philosophia universali tam naturalem, quam transnaturalem complectente, quam gratis concedimus entia omnia etiam in particulari considerare; objectum vero Metaphysicæ a Physica condistinctæ, quam modo tractaturi sumus, non esse ens in tanta amplitudine, sed ens abstrahens a materia *intelligendo tum* præcisive pro ente in communi, tum positive pro ente immateriali, non quod abstractio, ut sic, formalizet objectum Metaphysicæ; sed itaut per ipsam circumscribatur ratio formalis objectiva Metaphysicæ considerationis, ut magis declarabitur quæst. seq. unde Metaphys. a Physica condistincta ex vi latitudinis objecti sui nequit descendere nisi ad substantias immateriales, non autem ad materiales, de auctoritatibus autem Arist. & Scoti quomodo sint intelligendæ, jam diximus.

14 Secundo arguitur ad idem, quia Metaph. est scientia perfectissima ex 5. & 6. Met. ergo tenetur considerare rerum omnium naturas in particulari, quia cognitio rerum in universali tantum est imperfecta. Tum 2. potentia superior potest attingere omnia, quæ potest potentia inferior; ergo & habitus superior, qualis est Metaph. ad cæteras scientas, potest comprehendere, quæ cognoscit inferior; sed illæ attingunt quidditates suorum objectorum in particulari; ergo &c. Tum 3. ad eandem scientiam pertinet considerare totum, & partes, genus, & species 1. Post. cap. 23. ergo debet Metaph. considerare omnes quoque, & singulas entis species, si ens considerat. Tum quarto, quia si in aliis scientiis considerantur rerum quidditates in particulari, & non in Metaph. omnes aliæ scientiæ erunt illi subalternatæ. Tum 5. quidditas rei in particulari considerata est prior motu, & quantitate; ergo ut sic erit proportionatum objectum Met. sub motu autem, & quantitate ad Physicam, & Mathematicam spectabit. Tum 6. quia Metaphysicus species rerum abinvicem distinguit secundum proprias rationes, & objectum unius scientiæ ab objecto alterius; ergo ea omnia in particulari, & distincte cognoscit, patet conseq. ex 2. de Anim. ubi dicitur, quod potentia constituens differentiam inter aliqua duo, utrumque cognoscit sub propria ratione, probatur assumptum, quia Metaph. ponit differentiam, v. g. inter corpus naturale, quod est subjectum in Physica, & numerum, quod est subjectum in Arithmetica, hoc enim munus ad artificem particularem attinere nequit, quia extra sphæralum objecti sui non exit, sed ad universalem, qualis est Metaph. sic etiam aliquis artifex ponit differentiam inter lineam, inquantum linea, & hominem inquantum homo; hic artifex non est Mathematicus, quia talis non considerat hominem, nec naturalis, quia non considerat lineam, ut linea; ergo Metaph. Tum septimo mun. Metaph. est dividere eus finitum in decem genera, & rursus substantiam in materialem, & immaterialem; ergo descendit ad entia quoque materialia contemplanda, unde & Arist. 7. & 8. Met. ex professo disputat de substantia materiali, & de principiis ejus intrinsecis materia, & forma. Tum 8. quia in eadem versatur Dialecticus, Sophista, & Metaphysicus 4. Metaphysic. sed Dialecticus, & Sophista ad entia in particulari descendunt de naturis, & quidditatibus singulorum disputantes; ergo & Metaphysic. Tum tandem, quia sola Metaphysica considerat quodquid est rerum 7. Metaphysic. 4.

15 Resp. ad 1. neg. conseq. Metaphysica namque perfecte, & distincte novit quæcumque intra sphæram suæ speculationis per se, & directe continentur, ut sunt substantiæ immateriales, & prædicata universalissima; cognoscit (inquam) *perfectissimo modo* substantias immateriales, quantum fieri potest per scientiam humanitus adinventam, & pro statu isto, in quo non habemus de ipsis, nisi conceptus proprios ex communibus; substantias vero materiales verum est utique, quod non attingit, nisi confuse, scilicet quoad prædicata universalia, sed hoc nullam imperfectionem inurit Metaphysicæ, quia substantiæ materiales indirecte solum, & per accidens spectant ad Metaphysicam; & hoc est, quod ajebat Trombet. cit. ad 2. quod Metaphysica cognitio, licet quantum ad objectum, quod respicit per accidens sit confusa, tamen quantum ad objectum, quod per se respicit est distincta. Ad 2. negat Doctor 1. Met. q. 9. paritatem de potentiis, & habitibus, quia ex quo superior potentia habet majorem virtutem: si species plurium habet, potest illa plura cognoscere; sed habitus non est ratio cognoscendi, nisi præsentando rem, habitus autem universalis non est repræsentativus particularium; vel admissa paritate dicendum, quod utique Metaph. *attingit objecta* aliarum scientiarum, tamquam scientia superior, & universalior, sed secundum diversam rationem formalem objectivam. Ad 3. valet assumptum, quando genus, & species conveniunt in eadem ratione formali objectiva, & respectu ejusdem passionis; unde licet corpus naturale contineatur sub ente, non tamen pertinet ad Metaphys. secundum quod mobile, aut naturale, sed tantum ut habet rationem entis, per quod etiam salvatur in proposito, quod ad eandem scientiam pertinent genus, & species, licet species secundum rationem propriam possit interdum diversam constituere scientiam; addimus ex dicendis quæst. seq. ens ut ens in tota sua amplitudine objectum Metaph. constitui non debere, sed potius ut abstractum a materia per essentiam, vel per indifferentiam, quo pacto substantia materialis non continetur sub eo, tamquam species, ut talis; sed præcise, ut ens, & substantia.

16 Ad quartum patebit q. 3. cur aliæ scientiæ non subalternentur Metaph. Ad 5. inquit Doctor, quod licet quidditas corporis naturalis v. g. ignis sit prior motu, & quantitate, non tamen est prior eo, quod illud appropriat, ut sit subjectum susceptivum *motus; cognitio* ergo *ignis* in *illo priori*, in quo præcedit motum, & mobilitatem, potest ad naturalem pertinere, quatenus considerator quoad ea principia, ad quæ consequitur mobilitas. Potest etiam tunc pertingere ad Metaph. si consideretur præcise in ratione entis, substantiæ, &c. Ad 6. variæ sunt solutiones, magis satisfacit, quod ajunt Zerb. & Tromb. quod aliud est loqui de potentia, aliud de habitu acquisito; quia potentia animastica bene cognoscit utrumque, quorum consideratur differentiam; habitus autem acquisitus hoc non facit, sed habitus aggregatus ex pluribus, unde Met. per habitum simplicem, inquantum talis non considerat differentiam inter lineam, inquantum hujusmodi, & hominem, ut sic; sed ut habens habitum mixtum considerat differentiam eorum, unde inquantum naturalis considerat hominem, quatenus homo, ex his, quæ docentur de anima intellectiva 3. de Anima; inquantum Mathematicus consideret lineam, ut sic, & demum ut Met. considerat eorum discrimen, quia contemplatio de diversitate, & distinctione spectat ad Met. Ad 7. partter ajunt Hurt. disp. 1. Met. §. 74. & Poncius disp. 17. Metaph. n. 16. divisionem illam esse mixtam, idest partim Physicam, partem Metaphysicam; at ex integro esse Metaphysicam ostendimus infra n. 49. & Soncin. hic, cui Suarez adstipulari videtur, opinatur Metaph. munus esse agere de substantiali composito, ejusque partibus essentialibus, quæ solum spectant ad Physicum, secundum quod sunt principia motus; quod non bene dictum arbitramur, quia tunc substantia materialis, ut sic, & secundum conceptum proprium specificum spectaret ad Metaph. non minus, quam substantia immaterialis, quod negat Scot. 6. Metaph. q. 1. ad 5. ubi ait conceptum corporis ad Metaph. non spectare. Dicimus itaque, quod sicut Physicus ex sensibilibus demonstrat existentiam primæ causæ, eaque monstrata gradum sistit, nec ulterius progreditur, ne sphæram sui objecti transiliat, unde tantum quoad fistit, attingit substantiam immaterialem, Metaphysicus autem accepta Dei existentia non ibi quiescit, sed ejus essentiam, & attributa vestigat quantum fieri potest per naturale lumen; ita e contra Metaph. accipit existentiam materialis substantiæ per compositionem materiæ, & formæ, nec ulterius ejus quidditatem disquirit, & in 7. lib. agit de principiis ejus intrinsecis, materia, & forma, ut quasi inductione ostenderet quomodo se habeat quodquid est ab eo cujus est in generali, quod est munus Mttaphysici, tam in substantiis materialibus, quam in immaterialibus, unde si agit interdum de substantiis materialibus non est, quia scientia ex natura sua ordinetur ad eas, sed solum ex instituto docentis, quatenus conferunt ad intelligentiam eorum, quæ proprie sunt contemplationis Metaph. Ad 8. quamvis Metaph. ratione sui objecti abstractissimi, & universalissimi dicatur esse universalis scientia, & principia universalia tradere, & consequenter circa idem versari cum Dialectico, & Sophista, non eatenus circa idem dicitur cum his versari, quia particulares rationes entium contempletur, sed quia sicut Dialecticus, & Sophista sua media præbent arguendi, & differendi in qualibet facultate, ita Metaph. præbet universalissima media sibi propria, ut diversitatis, & identitatis, contrarietatis, quidditatis &c. Ad ult. Metaphysicus considerat quodquid est rerum omnium in communi, idest, quæ conveniunt ipsi quodquid est universaliter, utrum scilicet habeat partes, utrum sit idem cum eo, cujus est, & alia hujusmodi, ut patet 7. Met. 21. considerat item quodquid est in communi hoc est, quidditates in universali quoad conceptus substantiæ, actus, potentiæ, entis &c. in aliis vero scientiis inferioribus considerantur rerum quidditates in parti cular, quid sit anima in Physica, quid linea in Mathem. quid numerus in Aritmetica, & sic de aliis.

17 Tertio tandem obiicitur contra alias partes conclusionis, quia anima separata est substantia mere immaterialis, & tamen de ipsa non agit Met. sed Physicus, unde & nos de ipsa jam egimus in lib. de Anima; Deinde multæ sunt rationes communes materialibus, & immaterialibus, de quibus non agit Metaph. sed Physicus, ut ratio viventis, & cognoscentis; item ratio substantiæ finitæ mobilis, quem conceptum dicimus ad Physicam attinere in quæstione procem. Philosophiæ, sicut & motum ipsum Angelorum; ergo non omnis substantia separata, nec omnis conceptus communis materialibus, & immaterialibus ad Metaph. spectat.

Resp. constare ex dictis quæst. procem. ad lib. de Anim. n. 8. & qu. 8. de anima separata ab initio, quo pacto ejus consideratio ad Physicum, vel Met. spectet, quia secundum prædicata illi statui propria, ut per se subsistere, a corpore independenter operari, & similia, *ad Met. attinet*; ut sic enim abstrahit a materia sensibili; verum quatenus adhuc in tali statu est ens incompletum, & dicit essentialem habitudinem ad corpus, sub hac consideratione ad Philosophum spectat, & est sui juris, quia ut sic non abstrahit a materia; unde quia in tali statu partim ad Physicum, partim ad Metaph. spectat, ideo tractatum de Anima separata ad finem librorum de Anima adjecimus, ut in hunc modum pedetentim a Philosophia ad Metaph. gradum faceremus, neque enim inconvenit, ut ibi dicebamus, scientias in earum confiniis alteram alterius aliquid participare. Ad aliud, conceptus illi viventis, cognoscentis,

intelligentis, ut communes materialibus, & immaterialibus substantiis, re vera sunt juris Metaph. quia tamen, ut a nobis cognoscuntur, nonnisi ex diversis animarum gradibus dignosci possunt, ideo nil peculiare de ipsis differi potest in Metaph. præter ea, quæ de ipsis in lib. de Anima dicta sunt.

Quoad conceptum substantiæ mobilis, ut est communis coporibus, & Angelis est specialis difficultas, de qua egimus quæst. procem. ad Physicam art. 2. fert enim communis opinio, quod quamvis Angeli sint entia mobilia, non tamen sunt physicæ considerationis, quia motus eorum non est physicus, quem dicendi modum ex Scotistis sequitur Poncius cit. 1. Physic. disp. 1. concl. 1. ubi contendit Angelos secundum omnem considerationem, etiam ut mobiles ad Metaph. attinere, quod ibi probat quia Angeli secundum omnem considerationem abstrahunt a materia non solum singulari, sed Physica non minus, quam cætera objecta, quæ sunt considerationis Metaph. ergo secundum omnem considerationem sunt juris ejus; Probatur conseq. quia secundum omnes, qui distinguunt Physicam a Metaphysica, distinctio inter objecta utriusque attenditur penes hanc abstractionem; probatur assumptum, quia Angeli sunt omnino spirituales, nec ullum ordinem dicunt ad materiam. Deinde quia utique institui potest scientia, quæ tractet de rebus omnibus materialibus præcise, qua data hypotesi utique ad ipsam non spectarent Angeli, qui sunt immateriales; talis autem est modo facultas, quam Physicam appellamus, agit enim solum de rebus materialibus, & corporeis, & per hoc a Metaph. secernitur, quæ agit de immaterialibus, ergo Angeli nequaquam erunt juris Physici, sed Metaphysici prorsus, & secundum omnem considerationem.

18 Cæterum quæst. procem. cit. fancitum est cum veteribus Scotistis conceptum substantiæ mobilis, ut communis est materialibus, & immaterialibus substantiis, ad Philosophiam inse pertinere, quod & ibi probavimus auctoritate Doctoris 6. Metaph. q. 1. dicentis, quod substantia separata *est subjectum secundæ scientiæ speculativæ possibilis intellectui cognoscenti ipsam sub propria ratione, sed non nobis*, quia si substantias separatas dignosceremus sub propria ratione, cognosceremus etiam esse mobiles, unde secundum hanc rationem ad Philosophum attineret, cujus est considerare entia mobilia. Prima enim, & communissima passio Physica est mobilitas, Sed negat Poncius, Scotum per illam secundam scientiam speculativam possibilem intelligere Physicam, & ait quod per illam secundam scientiam intelligit aliam possibilem haberi de substantiis spiritualibus, & a materia separatis, quam necesse non esset esse Physicam; negat quoque mobilitatem, ut sic, esse adæquatam passionem Physicam, per quam Physica distinguatur a Metaph. & asserit, aliquem motum esse posse juris Metaphysici, etiam (inquit) in sententia nostra, quandoquidem fateamur de facto in Metaphysica agi de mobilitate Angelorum, cum negemus Physicam, prout de facto a nobis habetur; agere de Angelis, ut mobilibus, quare concludit mobilitatem, quam sola Physica considerat, & qua a Metaph. discernitur, esse mobilitatem competentem substantiis corporeis, aut materialibus.

19 Verum quicunque est in Aristotelico idiomate etiam leviter versatus, scit apud Arist. Metaphysicam vocari primam scientiam speculativam, primamque Philosophiam; Physicam vero secundam scientiam speculativam, & secundam Philosophiam; & rursus primam Philosophiam vocat Aristot. quæ tractat de ente & substantiis separatis, secundam vero quæ tractat de substantiis materialibus, ita præsertim loquitur 4. Metaph. tex. 4. dum ait: *atque tot Philosophiæ partes sunt, quot substantiæ, quare necesse est, ut aliqua earum prima, & alia sequens sit*, & 6. Met. tex. 3. inquit, *si igitur non est aliqua alia substantia præter eas, quam natura consistunt, naturalis profecto prima scientia est, quod si est aliqua substantia immobilis, hæc prior, & Philosophia prima, & universalis sic quod prima*, quibus in locis expositores passim, etiam Scotus ipse in textus expositione, per primam Philosophiam intelligit Metaphysicam, & per secundam ipsam Physicam, cum ergo Doctor 6. Metaph. qu. 1. utatur phrasi Aristotelica, plane dicendum est, per secundam scientiam speculativam intelligere scientiam naturalem, quæ dicitur Physica. Gratis etiam negat Author ille mobilitatem esse primam passionem Physicam, & per eam veluti a posteriori Physicam a Metaph. adæquate discerni, per hoc enim præcise secernit Arist. ubique hanc scientiam ab illa volens, quod una agat de substantiis mobilibus, scilicet Physica; alia de immobilibus scilicet Metaph. ita 6. Met. tex. 3. & 11. Metaph. cap. 3. & 4. & 8. Phys. & alibi frequenter, unde pro tanto Arist. totam considerationem de substantiis separatis Metaphysico demandavit, quia putavit illas esse actus puros, & penitus immobiles, ut notat Tromb. 6. Metaph. qu. 2. & Scotus ipse qu. 1. prolog. §. *Tertio arguitur*, & quol. 15 C. & alibi sæpe quod si eas mobiles novisset, sane sub hoc conceptu fassus esset fore physici juris ea ratione, qua omnia considerat entia mobilia; quare concludimus, falsum esse aliquem motum ad Metaphysicum spectare, cum Metaphysicus omnino abstrahat a motu, & portentum esse in Philosophia oppositum asserere; Neque unquam docuimus nos agi in Metaph. de mobilitate Angelorum, negamus utique agi de ipsa in Physica, quam habemus, sed non ob id asserimus de ipsa agi in Metaphysica, quia dicimus apud Arist. & quantum ex sensibilibus Philosophari possumus, esse prorsus immobiles, ut Doctor ostendit qu. cit. prolog. Nec unquam dixit Arist. Physicam a Metaph. distingui per mobilitatem corpoream, & materialem, sed per motum absolute loquendo, ut motum omnino a consideratione excluderet Metaphysica, quem motum si dicit interdum esse corporeum, & sensibilem, hoc utique non dixit, ut innueret motum spiritualem Angelis competentem ad Metaphysicum pertinere, sed quia omnes substantias immateriales putavit immobiles, & solis corporibus motum convenire.

20 Deinde motus partialis in anima rationali receptus, dum movetur in corpore, ad Physicum spectat, item intellectiones, & volitiones, ut etiam concedit Author ille disp. 7. Phys. nu. 22. & *tamen motus isti sunt spirituales, ergo falsum est* motum dumtaxat corporeum ad Physicum pertinere. At respondet ibid. n. 25. intellectionem, & volitionem animæ conjunctæ dici posse motus materiales, quia licet secundum se sint operationes spirituales, tamen ut exercentur in corpore, habent dependentiam a phantasmatibus, & sunt operationes, quibus denominatur moveri, & operari substantia corporea, nam homo denominatur intelligere, & velle, quod sufficit, ut dicantur materiales quantum sat est ad considerationem Physicam. Sed vir iste sic respondendo sibi constare non videtur, nam disp. 1. Phys. q. 1. concl. 2. sæpius inquit mobilitatem corpoream esse, quæ competit substantiæ corporeæ, & materiali, & in ea recipitur veluti in subjecto, tum quia ratio ipsa ita suadet, non enim dicitur motus corporeus, vel spiritualis, quia fiat ab agente corporeo, vel spirituali, sed quia recipitur in subjecto extenso, vel inextenso, alioquin motus Cœli ab intelligentia motrice causatus in eo spiritualis foret, & *incorporeus*; parum ergo refert quod intellectio, & volitio animæ conjunctæ effective dependeant a phantasmate, dummodo in anima recipiantur, ut in subjecto; & rursus parum refert, quod denominent hominem intelligere, & velle, quia ad summum dicitur homo ex hoc capite subjectum denominationis, non inhæsionis, a quo præcise motus dicitur corporeus, vel spiritualis.

Ad ejus rationes constat ex dictis qu. procem. Phys. art. 2. sunt enim prorsus eædem cum illis, quas ibi adduximus, neque nil novi affert, quod nova indigeat doctrina pro solutione; itaque ad 1. dicendum est, quod si per materiam Physicam, a qua inquit Angelos abstrahere, intelligit materiam partis, ut videtur ipse intelligere, dum hoc probat, quia sunt spirituales, nec dicunt ordinem ad materiam, concesso antecedente, negatur consequentia, quia abstrahere a materia in sensu, quo per talem abstractionem distinxit Arist. Physicam a Met. non est esse sine materia partis, quod & Author iste fatetur ibid. concl. 3. dum ait Cœlos etiamsi sint corpora simplicia carentes forma, & materia Physica adhuc esse physicæ considerationis; sed est non habere materiam, quæ secundum locum mobilis est, ut declaravit Arist. ipse 8. Met. 12. seu non esse subjectum præditum intrinseco principio motus, unde in hoc sensu Angelus non est a materia abstractus, tum quia est principium tali principio prædirum, tum quia motus ejus ordinem dicit ad materiam, scilicet ad magnitudinem, & spatium, super quod fit. Ad aliud concedimus, quod si institueretur scientia, quæ ageret de solis rebus corporeis, & materia Physica constitutis; hæc de Angelis nequaquam ageret, sed negamus quod physica in se talis esset conditionis, & dicimus, quod ageret de quocumque ente mobili, sive corporeo, sive incorporeo, dummodo principium intrinsecum motus haberet; & si per materialitatem, vel immaterialitatem distinguendæ sunt istæ duæ facultates, jam non per rationem motus; vel naturalitatis, ut toties inculcat Aristot. determinabitur objectum Physicæ, sed per rationem corporeitatis, & sensibilitatis, & per hanc rationem Physica a Metaph. distinguetur, quod non est absolute verum, esto in aliquo sensu concedi possit, quatenus Aristot. corporibus, ac substantiis materialibus motum tribuit, substantias vero immateriales censuit immobiles; Quod si pertinaciter contendas, sola entia corporea, & materialia cadere sub Physica consideratione absolute loquendo; pertinaciter item hoc negat Canonicus noster 1. Phys. quæst. 1. in fine; & si Avicen. (inquit ipse) vel commentator, vel aliquis alius dicat oppositum, nego ipsos tanquam ignorantes, & nescientes aliquid de motu Angeli; Verum est tamen hic *nimis hallucinatum esse Saxium loc. cit. disp. 2. n. 108.* dum authoritate Doctoris cit 6. Met. qu. 1. per motus inquit contemplationem substantiarum separatarum (excepta prima) quoad conceptus proprios ex propriis pertinere ad Philosophiam naturalem in se, Doctor enim ibi intelligi debet de conceptibus motum concernentibus, ut explicuimus, non de aliis, qui a materia, & motu abstrahunt, qui namque spectant ad Metaphisicam in se, ut locis supracitatis Doctor non semel significavit; ac etiam de illis loquitur Tataret. quem pro se hic Auctor adducit quæstion. procem. ad Physicam, ut constat ex illis propositionibus, quas in exemplum affert, Angelus est mobilis, est receptivus alicujus ubi, vel alterius qualitatis spiritualis.

QUÆSTIO II.

De adæquato Metaphysicæ objecto.

21 PLures, & variæ in hac difficultate sunt sententiæ, quæ omnes ad tria possunt capita reduci, seu ad tres opiniones, duas extremas, & unam mediam; Prima opinio assignat pro adæquato (de hoc enim est quæstio) Metaph. objecto aliquid latius ente reali, quod est commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti; nempe ens abstractissime sumptum, quatenus sub se continet omnia

omnia entia nedum realia, sed etiam rationis, nedum positiva, sed etiam privativa, nedum per se, sed etiam per accidens; ita Bonet. 1. Met. cap. 1. Aquarius dilucid. 1. Zanard. q. 1. Buratel. lib. 1. conciliat. controvers. Arist. & Plat. quod ex Recentioribus tenet ut probabile Fonsec. 4. Met. cap. 1. q. 1. sect. 3. & Hurtad. disp. 1. Met. sec. 2. subsec. 2.

Altera *opinio extrema* statuit objectum Metaph. aliquid artius ente reali communi Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, quæ sub se varios continet dicendi modos. Aliqui ponunt substantiam abstractam a finita, & infinita, materiali, & immateriali esse subjectum excludendo accidens, quod non nisi reductive ad substantiam consideratur, tribuitur Buridano, & sequitur Pavef. disput. 1. Metaph. cap. 9. & 15. Sirenus disput. de subjecto Philosoph. sect. 2. cap. 15. & 16. Alii adhuc magis restringunt agnoscentes pro objecto Met. solam substantiam immaterialem, ut Deum comprehendit, & cæteras Intelligentias, quæ opinio solet adscribi Averroi 1. Phys. com. ultimo. Alii adhuc magis coarctant volentes solum Deum, quatenus est naturali ratione cognoscibilis, esse objectum, tribuitur Alpharab. & videtur defendere Hurt. disp. 1. Met. sect. 3. & 4. pro qua insuper refert Avic. Aver. Alb. & S. Thom. Alii e contra objectum Metaph. ad solum ens creatum restringunt, & finitum, quod in decem prædicamenta dividitur: ita Flandria 1. Met. q. 1. Noviſſime tandem Pasqualig. to. 1. Met. disp. 17. sect. 3. ut aliquid novi proferre videatur, declarat objectum Metaphysicæ esse quidditatem completam abstrahentem a materia, & nomine quidditatis completæ, ait n. 3. se intelligere quidditatem, non quæ sit omnino completa, sed quæ se habeat, tanquam aliquod totum coalescens ex suis principiis quidditativis, quæ tanquam intrinseca elementa concurrant per modum actus, & potentiæ Metaphysicæ ad constituendam aliquam naturam se habentem per modum totius, & per se stantis; & immediate inf. disp. 18. declarat Deum *non contineri sub hoc objecto* Metaph. & tandem disp. 19. contendit, nec Intelligentias sub ipso contineri.

22 Tertia Sententia media, quæ communis est in omni Schola, docet ens reale, & positivum, quod est commune Deo, & creaturæ, substantiæ. & accidenti, esse adæquatum objectum in Metaphysica; ita Arist. ipse docuisse videtur 4. Met. tex. 1. dum ait, hanc scientiam speculari ens, quatenus ens, atque ita docent ibidem omnes ejus Interpretes Aver. Alensis, Aphrodis. D. Thom. Avicen. lib. 1. suæ Met. cap. 1. Alber. 4. Met. tract. 1. cap. 5. Scotus qu. 1. Metaph. q. 1. & q. 3. prol. ad 3. q. & 6. Met. q. 4. cum omnibus Scotistis, Ægid. q. 5. Jand. qu. 3. Suessan. disp. 1. cap. 4. Javel. q. 1. Soncin 4. Met. q. 10. Fonsec. 4. Met. cap. 1. qu. 1. sect. 2. Suarez in Met. disp. 1. sect. 1. & alii passim, qui tamen etiam divisi sunt in varios dicendi modos, dum declarat modum considerandi ens in Metaph. Quidam enim volunt hic ens considerari in sua præcisione, & secundum se sumptum, seu ut supponit simpliciter, adeo ut in hac sententia non nisi in communi considerari debeat sine speciali, & distincta generum, & specierum ejus cognitione, ita docuerunt omnes Authores, qui in præcedenti quæstione asseverabant Metaphys. res omnes in universali solum, & in prædicatis generalibus contemplari; & ita indicavit D. Thom. in procem. Metaph. Vicomercat. 12. Met. in procem. Scayn. in præfat. cap. 2. & ex nostris ita præsertim specificavit Lichetus q. 1. prolog. Qui vero præced. quæst. afferebant, Metaphysicum entia omnia etiam quoad rationes specificas contemplari, statuunt ens reale subjectum Metaphysicæ ita adæquate sumptum, ut non solum ipsum ens secundum se consideretur, sed omnia quoque entis genera, & species secundum rationes specificas, ut partes subjectivæ entis in communi. Denique, qui dicebant in præced quæst. in Metaph. ens in communi considerari, non tamen omnino præcise sumptum, sed etiam ut sub se continet subſtantias immateriales, hic consequenter asserunt ens reale esse adæquatum subjectum Metaph. non præcise in sua communitate sumptum, sed etiam ut sub se continet subſtantias immateriales, eo quia ratione suæ immaterialitatis participat rationem formalem objectivam, quæ Metaphysicam distinguit a Physica, & Mathematica, quem dicendi modum cæteris probabiliorem indicamus.

23 Dicimus Po. nihil latius ente per se reali, & positivo statui posse objectum Met. est fere *communis in omni schola*, & probatur, quia communius hoc ente nil aliud est, quam ens communissima abstractione sumptum, quod est commune enti reali, & rationis, positivo, & negativo, enti per se, & per accidens, sed ens sic abstractum nequit esse subjectum; ergo, &c. major patet. Probatur minor, quia enti in tanta universalitate non competunt conditiones subjecti scientiæ, quia Doctor assignat q. 3. universal. & nos exacte explicuimus disp. 12 log. q. 2. nempe, quod habeat, quid est; quod per ejus quod quid est, demonstrentur de ipso passiones propriæ in ea scientia, & demum, quod ita ex instituto in ea facultate agatur de ipso, ut ad ipsum omnia alia in ea considerata reducantur, & dicant attributionem; nulla, inquam, istarum conditionum competit enti sic abstracto; non prima, quia in tanta abstractione non importat conceptum aliquem per se unum, ut infra ex professo probabitur, sed solum commune nomen, cujus ratio pro nunc est, quoniam quæcumque communi nomine participant, quia alterum illorum vere habet rationem entis intrinsecam, alterum vero solum per quamdam proportionem, & similitudinem cum *communi* nomine non participant eandem rationem, ut constat de *analogis proportionis* disp. 2. log. q. 5. sed ita se habent ens reale, & rationis positivum, & negativum, per se, & per accidens in participando communi nomine entis; ergo, &c. Probatur minor, entia enim rationis, negationes, & privationes entia dicuntur, non quia rationem entis participent, quia nihil sunt, sed quia ad modum entis concipiuntur, ut tenebræ concipitur ad modum formæ luci oppositæ per aerem diffusæ ex dictis disp. 3. log. de ente rationis; idem etiam contingit de ente per accidens, quia non est vere unum ens, sed simpliciter plura, unde nec unam rationem vel definitionem habere potest, ut docet Doctor 4. disp. 1. qu. 2. §. *Hic primo*, & nos disp. 12. log. q. 2 arr. 3. quod si tale ens consideretur, quatenus aliquo modo unum est, præterquam quod talis unitas non erit in re, sed tantum in apprehensione, & conceptione, & sic de illo erit eadem ratio, quæ de cæteris entibus rationis, jam non consideratur tale ens, ut omnino per accidens, sed ut aliquo modo comprehensum sub latitudine entis per se. Neque secunda conditio subjecti competit enti sic abstracto, quod nempe illi competant primæ passiones, quæ in ea scientia demonstrentur, quia primæ passiones Metaph. sunt unum, verum, bonum, sed bonum convenire nequit entibus rationis, nec verum privationibus, & negationibus, nec unum enti per accidens, quod est simpliciter plura, & aggregatio multorum; si ergo his entibus passiones illæ non satis adaptantur, consequenter nec enti illis communi poterunt convenire; tum quia si ens sic sumptum non habet verum quid, & definitionem, consequenter nec passiones habebit de ipso per eam demonstrabiles. Nec demum tertia conditio ei eouvenit, quia de ente per accidens, ut sic, non datur scientia ex 6. Met. 4. ut ex professo docuimus disput. 12 *cit. log. quæst. 2. art. 3. atque ideo* sub objecto adæquato alicujus scientiæ per se, & directe contineri non potest; sed plurium, ad quas pertinere possunt entia per se, ex quibus tale ens per accidens constat; ens vero rationis licet possit esse objectum per se scibile, ut diximus disp. 3. log. q. 6. certum tamen est ad Met. considerationem per se, & directe non pertinere, unde Arist. 6. Metaph. cap. ultimo, ut ibidem omnes notant Interpretes, dicit omittendum esse ens rationis, atque solum disputandum esse de ente reali, quia Metaphysica est scientia realis, non minus quam cæteræ scientiæ, quæ secum condividunt scientiam speculativam realem, & ideo tam ejus objectum, quam quod directe sub eo cadit, velut ejus pars subjectiva, reale esse debet; Denique nec privationes, nec negationes dignæ sunt, ut in aliqua scientia directe, & per se considerentur, & præsertim in Metaph. quæ inter omnes nobilitate præstat; ergo &c.

Hurtadus cit. contendens *intra objectum communissimum*, & adæquatum Metaph. ens quoque rationis directe contineri, ac etiam ens per accidens, respondet ens rationis esse suo modo unum, verum, & bonum, & esse directe cognoscibile, & subdit §. 59. nec Met. esse unicam scientiam, sed plurimas, neque opus esse objectum esse unum ad facultatum unitatem; quod si unitas requiritur, non est in objecto communissimo, quia eadem facultas agit de oppositis contradictorie, ut Physica de forma, & privatione, sed ad summum exigitur in objecto attributionis, quod in Met. concedit esse ens reale; sic etiam de ente per accidens inquit §. 69. dari scientiam, & quando id negat Arist 6. Metaph. cap. 2. inquit intelligere de accidentario eventu, quia hoc non habet certas causas, inquit etiam ens per accidens *esse definibile, licet enim unica definitione* explicari nequeant omnia, quæ includentur in ente per accidens, collectio tamen ipsa explicari potest, exercitus enim est collectio multorum *hominum bestiis*, & armis utentium ad pugnandum, domus est effectus resultans ex lapide, ligno, & calce cum apto situ ad habitandum.

24 Hæc tota responsio impugnata manet ex dictis in logica, nam disp. 3. quæst. 6. diximus enti rationis non potiori in re adaptari, unitatem, bonitatem, & cognoscibilitatem, quam entitatem ipsam, atque ideo sicut dicitur ens per solam analogiam proportionalitatis ad ens reale; ita dicitur verum, unum, bonum, & intelligibile per ordinem ad illud, ex quo non deducitur debere per se, & directe a Met. considerari, sed solum, quod potest ad eamdem scientiam reduci, ad quam directe spectat ens reale, quatenus ejus natura constitit in quadam imitatione entis realis. Tum quia inconsulto distinguit Hurtad. contra communem loquendi modum objectum adæquatum, & totale a subjecto attributionis, ut diximus disp. 12. log. q. 2. art. 1. Tum quia quando etiam distinguerentur, male rursus negat necessariam esse *unitatem in objecto adæquato, & totali* scientiæ, hæc enim omnino necessaria est ob specificationem: & distinctionem scientiarum abinvicem, ut ostendimus disp. 12. logicæ quæst. 3. art. 3. quod rursus hic probatur, quia ex multiplicatione objectorum etiam scientiæ multiplicantur ex Arist. 6. Metaph. ab initio, ergo unaquæque scientia unicum, & totale habebit objectum, quod non erit unum per solam aggregationem, ut ait Hurt. velut cumulus lapidum, sed per aliquod commune omnibus objectis partialibus in scientia consideratis, quod inductione probari potest in omnibus scientiis nam logica v. g. habet tantum pro objectis partialibus, quæ intrinsece participant rationem Syllogismi, Physica habet pro objectis, quæ intrinsece participant rationem corporis naturalis quod si de aliis agunt, ut v. g. Logica de propositione, Physica de materia, & forma, non agunt de illis, velut de objecto, sed tanquam de principiis objecti, non enim omnia, quæ tractantur in scientia, debent habere rationem objecti ex dictis in

log. disp. cit. Tum quia rogo cur omnia objecta partialia unius scientiæ adæquate ipsam constituant, & non aliam; certe non alia ratione, nisi quia adunantur, & connectuntur in ratione objectiva communi totius scientiæ, alioquin non posset assignari ratio, cur unum ex objectis partialibus ad unam scientiam pertineret potius, quam ad aliam, ut disp. cit. log. urgebamus. Hinc etiam probatur Metaphysicam non esse plures scientias, ut ait Hurtad. sed unam unitate saltem generica, si enim sumamus omnes habitus Metaphysicos, utique majorem inter se habent unitatem, & connexionem, quam plures habitus Physici, & metaphysici, ergo concedere oportet aliquod commune contradistinctivum, quo collectio omnium habituum Metaphysicorum adæquate distinguatur ab integra collectione habituum Physicorum, & hæc erit ratio communis objectiva totius scientiæ.

25 Deinde de ente per accidens nullatenus scientiam dari efficaciter ostendimus disp. 12. Log. q. 2. art. 3. quo loco explodimus singulos modos, quibus conati sunt aliqui tueri scientiam de ente per accidens, quod manifeste docuit Arist. 6. Met. tex. 4. ubi a ratione per se scibilis excludit non solum ens per accidens sumptum pro eventu accidentario, ut responderet Hurtad. quod dicitur ens fortuitum, & casuale; sed ens per accidens, quod proprie opponitur enti per se quatenus tale, & est aggregatum quoddam ex rebus diversorum generum, ut sunt homo albus, album dulce, & similia, textu enim quinto non solum memorat ens per accidens, quod casu contingit, & non a causa determinata, sed illud quoque quod est accidentaliter aggregatum dicens, *hominem quoque esse album accidit, nec enim semper, nec ut plurimum, animal vero non secundum accidens*, tum quia quoad hoc eadem est ratio de ente per accidens, quod sit contingenter, & de ente per accidens, quod est aggregatum ex multis accidentaliter coadunatis, quia ut loc. cit. arguebamus, scientia est de objecto per se, & necessario, quod impossibile sit aliter se habere, ex 1. Post. tex. 5. cum ens per accidens in utroque sensu contingens sit, & non necessarium, utrumque pariter ab objecto scientiæ excludendum est; & dum ait Hurtad. nos habere conceptus communes entis per accidens, qui certo possunt, ac evidenter cognosci, ut v. g. quod *ens per accidens opponitur enti per se* est propositio necessaria; id concludit dari scientiam de ente per accidens reduplicative sumpto, ac veluti in esse signato, quo sensu est una quædam natura ab aliis condistincta, & propriis prædita passionibus, & in hoc sensu non est quæstio de ente per accidens, num sit scibile, ex Log. disput. cit. sed de ente per accidens specificative sumpto, ac in esse exercito; Sic pariter verum est; ens per accidens esse definibile, si sumatur in esse signato; quo pacto induit modum entis per se, non autem si sumatur in esse exercito, ut dictum est disp. 1. Log. q. 4. art. 3. ubi ex Scoto docuimus 4. d. 1. q. 2. præcipuam conditionem entis definibilis esse, quod sit ens per se unum, quod expresse monuit Arist. 7. Metaph. tex. 42. dicens: *oportet autem unum esse, quæcunque in definitione sunt*, quod rursum repetit 8. Met. tex. 15 & alibi frequenter; & evidenter patet definitiones illas, quas affert de exercitu, & de domo, non esse veras, & proprias definitiones ex proprio genere, & differentia constantes, sed circumlocutiones, & circumscriptiones quasdam multa extranea complicantes.

26 Dicimus 2. nihil arctius ente reali, & per se subjectum statui posse in Metaph. Ita Doctor 1. Metaph. q. 1. cum omnibus Scotistis ibid. Probatur ex Doctore ibid. §. *alia est opinio Avicennæ*, primo in generali, quia passiones primæ Metaph. ut unum, verbum, bonum, cum competant omni enti reali, & per se, nequeunt primo, & adæquate convenire alicui sub ente hoc accepto, ergo nihil arctius ente sic sumpto est adæquatum subjectum Metaph. Patet sequela, quia illud solum est adæquatum alicujus facultatis objectum, cui primo insunt affectiones primæ illius facultatis, ut de mobilitate constat in Physica respectu corporis naturalis. Tum quia hoc admisso jam Metaph. non esset prima scientia, sed alia daretur prior, & superior ipsa; Probatur Conseq; cum enim ens reale, ut sic, sit objectum per se scibile, proprias habens passiones de ipso demonstrabiles, utique considerari posset, ac deberet in aliqua scientia, & passiones illius entis demonstrari possent de objecto Metaph. sicut de inferiori, accipiendo ipsummet ens pro medio, quod est superius, ergo illa scientia esset prior, & superior. Tum quia rursus ex hoc sequitur non tres, sed quatuor esse scientias speculativas contra Arist. 6. Met. 2. Patet Conseq. quia ex quo ratio entis realis ut sic, scibilis est, & proprias habet passiones de ipso demonstrabiles, sequitur præter Physicam, Mathematicam, & Metaph. aliam esse statuendam scientiam, in qua ratio entis in communi consideretur cum ejus passionibus, quæ utique speculativa foret, cum entis consideratio, ut sic, in praxim non dirigat.

27 Dices, has rationes Doctoris non concludere, quia ens rationis logicum est objectum per se scibile, ac etiam ens mobile, & tamen hæc objecta non constituunt scientiam distinctam superiorem & priorem Logica, vel Physica, sed in eadem scientia considerantur in gratiam *syllogismi*, & *corporis* naturalis eo pacto, quo diximus ibidem multoties gradus superiores considerari in gratiam inferiorum, pro eorum nempe exacta cognitione; sic igitur in Metaph. statui poterit aliquid arctius ente reali subjectum adæquatum, & adhuc supremus gradus entis realis hic considerari in gratiam conceptus illius inferioris, qui ponitur objectum Metaphysicæ; Tum quia Doctor ipse 6. Metaph. q. 1. in corpore quæsiti, non habet pro incovenienti, quod assignetur una Metaph. quæ agat de ente cum aliis prædicatis transcendentibus, quæ dicatur prima, & superior, & altera, quæ agat de substantia immateriali, scilicet de Deo, & Intelligentiis. Contra, quia prima passio Physica, quæ est mobilitas accidentalis, ut diximus quæst. procem. ad Philosophiam, non competit adæquate enti mobili, ut sic, sed corpori naturali ex dictis ibidem, & ideo in ea scientia considerari potest ens mobile in gratiam corporis naturalis, ac eadem ratione ens rationis logicum in gratiam syllogismi in logica: nam in scientia potest interdum superius considerari in ordine ad inferius, & ad illud attributionem dicere, ut quæst. cit. diximus, interdum e contra potest inferius dicere ordinem ad superius, ut diximus in Log. disp. 12. quæst. 2. art. 6. juxta varium processum, & ordinem servatum in scientiis, ac artificis instituti, & scopum, sed in proposito primæ passiones Metaphysicæ competunt primo, & adæquate enti reali, ut sic, atque ideo conceptus ejus, ut sic, venit primo considerandus in Methap. & non in ordine ad aliquod inferius. In ea autem divisione Metaph. quam Doctor facit 6. Met. q. 1. non loquitur de Metaph. prout ab Arist. contexta, sed de Metaph. prout institui posset ex natura rei, ut liquet ex ipso contextu. Rursus notitia de conceptu entis realis, ut sic, potest melius distinctam scientiam constituere ab eo, in qua ageretur de conceptu, v.g. substantiæ immaterialis, quam notitia entis mobilis scientiam aliam a Physica, ubi agitur de corpore naturali; quia conceptus entis mobilis non est in diversa abstractione scientifica, sed in eadem, sub qua corpus naturale reperitur, neuter enim est abstractus a materia, & motu; & ideo in eadem facultate considerari debet conceptus entis mobilis in gratiam corporis naturalis; sed conceptus entis realis, ut sic, est abstractus per solam indifferentiam a materia, conceptus vero substantiæ immaterialis est abstractus per essentiam cum repugnantia ad essendum in re materiali, & ideo possunt ad diversas spectare facultates, nec adeo necessarius est in facultate, quæ ageret de substantia immateriali, conceptus entis realis pro notitia, quam illa facultas traderet de substantia immateriali, sicut est necessarius conceptus entis mobilis in Physica pro notitia, quam dare tenetur facultas illa de corpore naturali, ut accidentaliter mobili; & conceptus entis logici pro notitia syllogismi in logica; talis enim necessitas non oritur ex eo præcise, quia se habeant, ut superius, & inferius, quia opus non est, ut scientia particularis notitiam habeat distinctam sui objecti usque ad prædicata suprema, sufficit enim ut confuso modo attingat conceptum ejus quidditativum, per quem passiones ad illam scientiam spectantes sunt de ipso demonstrabiles, ut notavit Doct. 6. Met. q. 1. in fine, & hæc responsio supponit conceptum entis mobilis esse univocum, & superiorem ad substantiam materialem completam, & incompletam: si enim non esset univocus, nil penitus argumentum concludit,

28 Deinde probatur conclusio excludendo singulos dicendi modos secundæ opinionis; Primo itaque probatur substantiam solam quocumque modo sumatur non esse adæquatum Metaph. objectum, quia Arist. 4. Met. tex. 1. docet Metaph. agere de ente prout ens est, cæteras vero scientias aliquam sibi partem entis abscindere, & ait Mathematicam, quam inquit circa accidens versari, accipere partem subjecti Met. ergo accidens quoque est partiale subjectum Metaph. Tum quia substantia est tantum pars entis; ergo non est adæquata materia Metaph. quæ circa totum ens reale versatur. Tum quia Metaph. præsertim circa transcendentia versatur, non possunt autem passiones transcendentes congrue, & adæquate de sola substantia demonstrari; Tum quia non considerat Metaph. accidens, ut affectionem substantiæ dumtaxat, sed ut ens participans transcendentes entis passiones non secus; ac substantia. Tum quia quando etiam ita consideret, id tamen *non impedit*, quin etiam possit absolute considerari, ut quædam species entis, sicut elementa in Philosophia sunt quidem principia respectu corporis mixti, sed in se sunt etiam quædam species corporis, & utroque modo a Philosopho considerantur, nec una contemplatio aliam impedit; & ratio est, quia licet accidens dicat essentialiter ordinem ad substantiam, ut ejus affectio; adhuc tamen potest per se, & directe considerari, ut genus quoddam entis. Tum quia accidens quoque suam essentiam habet a substantia distinctam secundum quam est definibile, habet quoque sua genera, species, & differentias, & potest secundum suam rationem a materia præscindere, cum sit commune materiali, & spirituali, cum igitur essentiam habeat speculabilem, & sic intra abstractionem Metaphysicam, dignum est, ut per se etiam, & absolute consideretur a Metaph. & non tantum in ordine ad substantiam: per quod præcluditur responsio, quod accidens in Met. consideratur tantum, ut affectio substantiæ.

29 Secundo, probatur substantiam immaterialem, ut Deum comprehendit, ac intelligentias, non esse adæquatum Metaph. objectum; quia etiamsi concedamus genus substantiarum abstractarum esse partiale objectum Metaph. ac etiam inter cætera objecta præcipuum, non enim pertinent ad considerationem alicujus scientiæ particularis, non naturalis, quia non sunt mobiles, nec Mathematicæ, quia non sunt quantæ, sed earum consideratio pertinet ad aliquam superiorem scientiam, cujus consideratio abstrahit a motu, & quanto, unde in ista scientia considerantur non tantum tanquam subjecti causæ, sed tanquam principales partes subjecti, quæ sunt secundum esse abstracta illa abstractione, quæ propria est huic scientiæ, quamvis, inquam, res ita se habeat, ut Doctor notat

notat 1. Met. quæst. 1. improbando opinionem Averrois; non idcirco poni debet genus substantiarum hujusmodi, veluti adæquata, ac totalis materia Met. considerationis, quia præter conceptus proprios substantiarum abstractarum, dantur alii communiores, & universaliores, qui scilicet competunt tam substantiæ materiali, quam immateriali, ut sunt rationes entis, substantiæ, substistentiæ, & similes, & nulla alia facultas jus habet in his conceptibus præter Metaphysicam, quia omnes hujusmodi conceptus abstrahunt a materia secundum esse per indifferentiam; ergo sub universaliori ratione constituendum est adæquatum Metaph. objectum, quam sub ratione immaterialis substantiæ; Ita Scot. loc. cit.

30 Tertio. Eodem fere modo probat Doct. quæst. 3. prolog. lit. T. Metaph. non esse de Deo, veluti de primo, ac adæquato subjecto, quia præter scientias speciales oportet esse aliquam communem, in qua probentur in communi omnia, quæ sunt *communia illis specialibus*, igitur præter scientias speciales oportet esse aliam communem de ente, in qua tradatur cognitio passionum de ente, quæ supponitur in aliis scientiis specialibus; vult dicere Doctor, quod cum Metaph. sit habitus per se tractans de generalibus entis affectionibus, ac conceptibus transcendentibus proindeque communibus creatis, & increatis, congruum non est Metaphysicum alligare ad solam de Deo contemplationem. Nec dicas cætera, quæ in Metaph. considerantur ad ipsum ordinari, ut ad ultimum finem, vel primum principium, a quo cætera creata dependent, quia non quæcumque attributio cæterorum sufficit, ut quidpiam constituatur adæquatum objectum in aliqua facultate, sed præsertim reduci debent ad ipsum, vel tamquam principia, vel tamquam partes; vel tamquam passiones, ut diximus disp. 12. log. quæst. 2. art. 6. si enim sola attributio finis, vel principii sufficeret, una sola scientia ponenda esset Deum habens pro objecto, cum omnia per talem attributionem reducantur ad Deum. Tum quia esto creaturæ omnes sint effectus Dei, eumque essentialiter respiciant in ratione ultimi finis, & primi principii, tamen non reductive solum, tamquam effectus Dei, sed per se, & directe tamquam quoddam genus entis considerari possunt, & præsertim quoad prædicata quædam transcendentia, in quibus cum Deo univoce conveniunt, ut infra ostendemus, talis autem consideratio per se, & directe Metaphysica est, ergo &c.

Addit tamen Doctor loc. cit. quod licet Deus non sit objectum Metaphysicæ adæquatum, & totale, est tamen partiale magis principale, quod satis constat ex disp. 12. log. cit. q. 2. art. 1. ubi subjectum partiale principale in aliqua scientia diximus esse digniorem speciem adæquati objecti, tale autem sub ente est genus substantiarum abstractarum, & inter has præcipue prima, ut ait D. 1. Met. qu. 1. in impugnatione opinionis Comment. Dicitur etiam Deus objectum principale in hac scientia, inquit Doct. cit. qu. 1. prolog. quia consideratur in ista nobilissimo modo, quo potest in aliqua scientia considerari naturaliter acquisita.

31 Quarto, ex hoc probatur ens finitum statui non posse objectum adæquatum Metaph. cum enim Deus sit objectum principale Metaph. unde dicitur scientia divina, naturalis Theologia, methodus de primo principio, consequenter sub objecto ejus adæquato contineri debebit, atque ideo hoc nequaquam erit ens finitum. Nec dicere sufficit, Deum in Met. considerari ut principium extrinsecum, & causam primam. Non inquam, hoc sufficit, quia sub hac ratione etiam aliquo modo consideratur a Philosopho naturali, ut constat 8. Physic. Tum quia ex 1. post 25. in qualiber scientia, ut diximus disp. cit. log. hæc tria differunt subjectum, passio, & principium, unde quod habet in scientia rationem tantum principii, vel passionis, non potest ut objectum partiale ad eam scientiam pertinere, nisi subjectum extendatur ad omne id, quod quocumque modo consideratur a scientia. Tum quia Deus est objectum aliquo modo naturaliter scibile, ad aliquam ergo naturalem scientiam poterit pertinere, non solum in ratione causæ, & principii, sed etiam objecti, quæ nequit esse alia a Metaph. Tum quia Metaph. aliquas passiones de ente demonstrat per se primo, quæ per se secundo de Deo ostendi possunt, nempe unitatem, veritatem, bonitatem, tamquam de subjecto; ergo non spectat ad Met. solum in ratione principii. Tum quia id constat ex ipso progressu Met. quia ut constat ex 12. lib. non consideratur ibi Deus præcise *sub ratione primi principii*, sed ulterius, quantum naturali lumine fas est, ejus natura, & attributa vestigantur; Demum unum, bonum, verum, actus, potentia, & aliæ *hujusmodi* passiones prius conveniunt enti in communi, quam enti divino in decem genera, cum conveniant non solum decem generibus, sed etiam Deo; ergo illud erit primum, & adæquatum subjectum, non istud.

32 Quinto, tandem ex dictis impugnatur inventum Pasqualig. ponentis objectum adæquatum Metaph. quidditatem a materia abstrahentem se habentem per modum totius coalescentis ex suis principiis quidditativis, hæc enim opinio incurrit omnes difficultates, quibus urgentur ponentes pro objecto Metaph. aliquid arctius ente reali, ac etiam proprius; quia in primis numquam explicat, quid importet hæc quidditas completa se habens per modum totius, neque quænam sint principia intrinseca illius constitutiva, quæ se habeant per modum actus, & potentiæ sint illius passiones & quænam sint species ejus, quæ se habeant veluti objecta partialia in hac scientia, quamvis enim dicat disp. 17. sect. 3. nu. 9. esse omnes species particulares, quæ abstrahunt a materia, non sufficit; quia adhuc explicare tenetur, quænam sint objecta, namque quæ sunt intra abstractionem Metaph. sunt quæcumque abstrahunt a materia secundum esse, hæc autem sunt vel objecta abstracta per essentiam, quales sunt Intelligentiæ omnes separatæ, vel per indifferentiam, ut sunt prædicata transcendentia materialibus, & immaterialibus communia; sed hæc omnia excludit Pasqualig. a directa consideratione Metaph. ergo nequit assignare quænam sint species particulares a materia abstrahentes, quæ se habeant velut objecta partialia in Metaph. Tum quia disp. 19. sec. 2. excludit a latitudine abstractionis Metaphysicæ res omnes spirituales, itaut a consideratione Met. excludat omnes substantias immateriales, & omnia accidentia spiritualia; Tum quia ibid. velle videtur conceptus ad Met. spectantes esse illos dumtaxat, qui a materia abstrahunt *secundum rationem tantum*, & non secundum esse, & hanc esse latitudinem Metaphysicæ abstractionis, quod tamen falsum est, quia hic modus abstrahendi est proprius Mathematici; Ex quibus liquido patet hunc Auctorem re vera totam destruere Metaphysicam, quia excludit ab ejus consideratione omnia objecta abstracta a materia, tam per indifferentiam, ut sunt ens, & omnia ejus attributa, quam per essentiam, ut sunt omnes substantiæ immateriales, & accidentia spiritualia; Quod evidenter confirmatur ex Arist. 6. Met. 3. ubi ait, si non essent substantiæ secundum esse abstrahentes a materia, naturalem Philosophiam fore primam, neque præter illam fore aliam scientiam necessariam, & ratio est, quia hæ substantia ablata, aufertur tam principale, quam adæquatum Metaph. objectum, quatenus non solum de medio tollitur immaterialis substantia, sed etiam omnes rationes entis vel substantiæ communes rebus materialibus, & immaterialibus; cum ergo hic Auctor hæc omnia a consideratione Met. excludat, palam fit Metaphysicam destruere, cujus hæc omnia sunt adæquata materia.

Conatur ad hæc occurrere Pasqualig. & ad difficultatem de ente concedit non posse ens in Metaph. considerari, ut species objecti, nec ut ejus passio, imo neque ut principium ejus, quia principia objecti debent adinvicem contradistingui, itaut unum sit extra aliud, ens autem cum sit transcendens, imbiberetur in suo comprincipio, sed inquit considerari debere, tamquam fundamentum sui objecti, & omnis realitatis Metaphysicæ; ita respondet disp. 17. sect. 4. nu. 2. Ad difficultatem de Deo, aliisque Intelligentiis, de quibus agitur in Met. respondet disp. 18. sect. 3. nu. 2 numquam Arist. docuisse Metaph. considerare Deum tamquam objectum, *sed solum de Deo agere de prima causa*, & ultimo fine, si enim consideraret Metaph. Deum ut objectum, oporteret, quod declararet naturam ipsius, quod tamen non præstat, neque Arist. præstitit, unde concludit, solius Theologiæ esse agere de Deo, velut de objecto; Sic etiam pariter respondet disp. 19. sect. 1. nu. 14. & 15. de cæteris Intelligentiis, quod ut objecta cadunt sub consideratione Theologica, & quod Arist. agit in Metaph. de Intelligentiis tantum, ut de principiis extrinsecis hujus universi, non vero tamquam de objecto, quod satis indicat, quia nullibi considerat earum naturam, sed ad summum quod sint immobiles, & quod immobiles moveant, & alia hujusmodi, quæ potius spectant ad operationem, quam ad essentiam.

33 Verum solutiones istæ non satisfaciunt, non quæ affertur ad difficultatem de ente, quia ut ipse docet disp. 15. sect. 4. n. 6. & disp. 19. sect. 2. nu. 4. quæ per se tractantur in scientia, reduci debent ad objectum *ejus* adæquatum, vel tamquam partes ejus subjectivæ, vel tamquam principia, vel tamquam passiones, & quæ non reducuntur uno vel altero istorum modorum, signum est, quod non per se, *sed veluti per accidens*, & consecutive ad scientiam spectant; cum ergo ens reale neutro ex his modis reducatur ad objectum Metaph. ab ipso statuum, sequitur per se, & directe ad Metaphysicum non pertinere. Nec sufficit dicere, quod reducatur, ut fundamentum sui objecti, & passionum, ac omnium realitatum Met. quia sub hac ratione etiam ad alias particulares scientias spectabit, cum sit fundamentum objecti cujuscumque. Nec rursus sufficit dicere adhuc ad Met. ejus considerationem specialiter spectare, quia conceptus entis est intra ejus abstractionem; nam adhuc explicari debet, an Metaph. agat de illo, ut objecto, vel passione, vel principio, ut ad Metaph. per se attinere, & directe censeatur, & non tantum per accidens, & indirecte; Deinde nec satisfacit solutio, quam affert ad difficultatem de Deo, ac Intelligentiis, falsum enim est speculationem eorum, ut de objectis naturaliter cognoscibilibus, ad Theologiam nostram spectare, quæ est scientia supernaturalis, & *divinæ innixa revelationi*, nam *istæ* propositiones *Deus est unus*, *Deus est actus purus*, *est æternus*, ac etiam aliæ de Angelis sunt naturaliter cognoscibiles, sed omnis notitia naturalis pertinet ad aliquam scientiam habitam lumine naturali. Rursus falsum est non agi de *illis* in Met. nisi in ratione principii, non autem objecti, quia 4. Met. 4. distinguit Arist. partes Philosophiæ penes partes subjectivas, scilicet materialis, & immaterialis, in ratione objecti, & quæ materialem considerat ait esse Physicam; quæ immaterialem Metaphysicam; & 6. Met. 3. assignat triplicem partem Philosophiæ speculativæ Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam; subjectantias separatas Metaphysico assignat considerandas in ratione objecti; Quas auctoritates frustra conatur eludere Pasqualig. dicens Arist. per subjectantias separatas, & immobiles non intelligere Intelligentias, sed subjectantiam, ut sic, antequam contrahatur ad esse corporeum, vel incorporeum, hoc enim est commentum valde insipidum contra omnium expositionem, &

ex-

expressam Arist. mentem. Denique falsum est Arist. 12. Metaph. vestigare Intelligentias solum, ut principia hujus universi, & non ulterius eorum naturam, & attributa inquirere, quantum licet lumine naturali, postquam enim pervenit Philosophus ad Deum, ipsumque sub distincta ratione principii invenit, ejus deinde naturam, & attributa inquirit, & praesertim totum caput septimum in hanc considerationem impendit, & docet, quod Deus est vivens, aeternus, necessarius, purus actus, immaterialis, infinitae virtutis, quae attributa non solum respiciunt operationem, sed etiam essentiam.

34 Dicimus itaque tertio ens reale, ut sic, esse primum, & adaequatum subjectum Met. magis tamen, vel minus ample sumptum juxta variam Metaphysicae acceptionem. Conclusio haec habetur expresse ab Arist. qui lib. 4. Metaph. ab initio inquit, quod *est scientia quaedam, quae speculatur ens, prout ens est, & quae ei per se insunt*, & lib. 6. tex. 4. *de ente prout ens est, ac quid est, & quae ei insunt prout ens est, speculari hujus est*, quo dicendi modo & rem in hac scientia consideratam, & rationem formalem considerandi manifeste significat, quapropter in omni schola plausibiliter recipitur Graecorum, Arabum, & Latinorum; Probatur ergo, & declaratur per omnes partes.

Primo, quod ens reale, inquantum ens, sit objectum Met. absolute loquendo probatur, quia materiale objectum Metaph. quocumque modo sumatur Met. non potest esse aliquid communius, nec arctius ente reali, & per se, ut constat ex dictis; & enti reali, ut sic, competunt omnes conditiones subjecti; nam *quia est*, adeo praecognoscitur de ipso, ut ipsum sit fundamentum unicum omnis realitatis a parte rei; habet etiam *quid est*, quia per *quid rei* requisitum inter conditiones subjecti intelligitur, vel vera definitio constans, ex genere, & differentia, vel saltem conceptus aliquis quidditativus etiam simpliciter simplex gerens vicem definitionis, ut dicebamus disp. 12. log. qu. 2. art. 3. & in proposito licet ens reale, ut sic, veram definitionem non participet, quia non est resolubile in ulteriores conceptus determinabilem, ac determinantem, habet tamen conceptum simpliciter simplicem: Item passiones Metaphysicae, tum incomplexae ut unum, verum, bonum, tum complexae, ut actus, & potentiam, idem, & diversum &c. Enti reali, ut sic conveniunt, cum conveniant non solum decem generibus, sed etiam Deo, & de ente demonstrantur, quatenus ens, per conceptum ejus quidditativum, ut inferius patebit. Demum non solum ex instituto ens reale, ut sic, in hac scientia consideratur, verum etiam alia quaecumque in hac scientia considerata aliquo modo attributionem dicunt ad ipsum, & ad ipsum reducuntur, vel ut partes subjectivae, ut substantiae immateriales, & prima rerum genera, vel ut principia, & passiones ipsius entis; aut saltem partium subjectivarum ejus, vel aliquo alio modo; ergo nil ei deficit, ut sit subjectum. Conf. quia ens reale, ut sic, & in ista communitate est objectum scibile, & cognoscibile, cumque habeat passiones de ipso demonstrabiles, dantur veritates, quae de ipso sic ample sumpto tradantur; nec dici potest ens sic sumptum considerari solum indirecte, & reductive per ordinem ad aliquod certum genus, quia etiam in tali communitate est objectum directe, & per se considerabile, scientia autem, quae agit de ente sic sumpto est Metaph.

35 Secundo quia in objecto cujuslibet scientiae duplex ratio assignari debet, ut diximus disp. 12. log. qu. 2. art. 1. una materialis, quae explicet id, quod consideratur a scientia, quae tamquam aliquod commune, & superius complectatur omnia objecta partialia, quae a tali scientia considerantur, & altera, quae sit ratio *formalis objecti*, secundum quam omnia illa in tali scientia attingantur, & ponat commensurationem qua objectum ad talem scientiam determinetur; in proposito nostro talis ratio formalis optime explicatur per ly *in quantum ens*, quia per hanc particulam exprimitur forma vel ratio constituens ens reale in tali gradu, cui ut sic insunt passiones Metaphysicae primo, & per se, & per quam de ipso demonstrantur; in Met. ergo haec est vera, & propria ratio formalis determinans ens reale ad Metaphysicam considerationem. Prob. conseq. quia in qualibet scientia illa censetur esse ratio formalis considerandi objectum suum, quae constituit ipsum formaliter in eo esse, quod scientia per se considerat, scientia autem per se considerat illud in tali esse, cui ut sic insunt proprietates de ipso demonstrabiles in illa scientia. Unde etiam in Met. ut fuit ab Arist. tradita, quamvis considerentur sola entia abstracta a materia per essentiam, vel indifferentiam, adhuc ens, inquantum ens, debet objectum assignari, non autem inquantum immateriale, vel quatenus a materia abstractum, quia passiones Metaphysicae de ipso demonstrabiles, tam complexae, quam incomplexae, non competunt enti quatenus immateriali, aut sub ratione immaterialitatis; seu quatenus abstractum, vel ratione abstractionis, sed quatenus ens est praecise; nulla ergo alia ratio addi debet enti, ut ejus specificativa, & commensurativa ad Metaph. considerationem, praeter entitatem ipsam, seu rationem ipsam entis, ut sic.

36 Tertio quod non in eadem amplitudine sumptum sit ens subjectum in Metaph. ut est Philosophia universalis Physic. quoque complectens, & in eadem ut est scientia a Physica condistincta, constat ex dictis qu. praec. majoris enim est ambitus Metaphysica priori modo sumpta, quam posteriori; ergo eo modo considerata subjectum quoque postulat majoris ambitus. Conseq. patet, quia subjectum totale debet adaequari cum scientia, itaut nec excedat, nec excedatur, excederetur autem si esset minoris ambitus, quam scientia. Probatur assumptum, quia Met. ut a Physica condistincta non contemplatur rerum omnium quidditates in particulari, quia materiales, & corporeas hoc modo considerandas relinquit scientiae naturali, sed accepta ut ipsam quoque Physicam complectitur, omnes res contemplatur in particulari, tam materiales, quam immateriales, tam mobiles, quam immobiles, ut liquet ex praec. quaest.

37 Quarto quia haec major, vel minor amplitudo Sphaerae objecti *non satis exprimitur, dum Met. in utraque acceptione* pro adaequato objecto assignatur ens, prout ens est, nisi aliud addatur, dicimus quod quando Metaphysicae, ut traditur ab Arist. assignamus pro objecto ens, ut ens, ly, *ut* vel *inquantum*, non solum specificat rationem formalem objecti in genere rei, quae dici solet ratio formalis *quae*, sed ulterius specificat rationem formalem in genere scibilis, quae interdum appellari solet ratio formalis *sub qua*, itaut objectum Met. sit omne illud, quod intelligitur sub eo modo, sub quo intelligitur ens, quatenus ens; ens autem, ut sic, nedum intelligitur, ut praecisum ab inferioribus, sed etiam ut abstrahens a materia tam secundum esse, quam secundum considerationem, hic enim est proprius, & peculiaris modus abstractionis Metaphysicae, ut docet Arist. 6. Met. unde *licet ex vi rationis formalis in genere rei* deberet Metaph. omnes res considerare tam materiales, quam immateriales sub propria ratione, quia in omnibus imbibitur ratio entis, sicut Physica considerat etiam in particulari corpora omnia, in quibus reperitur ratio naturae, tamen ex vi rationis formalis in genere scibilis restringitur, & coarctatur Metaphysica contemplatio ad sola entia abstracta secundum esse, sive tali gaudeant abstractione per essentiam, ut Intelligentiae, sive per solam indifferentiam, ut omnes rationes communissimae, & transcendentes. Dices in Physica non secernitur ratio formalis objecti in genere rei a ratione formali in genere scibilis; ergo neque hic secerni debent. Neg. conseq. quia in Physica ratio formalis *sub qua*, & in genere scibilis adaequat rationem formalem *quae*, & in genere rei, nam omnia corpora naturalia, ut sic, intra eamdem abstractionem continentur cum corpore naturali, ut sic, quia nullum abstrahit a materia, vel motu, & quando *in objectis* ratio *quae*, & *sub qua*, adaequantur, non debet una ab altera secerni; at in proposito non adaequantur, quia res omnes corporeae, & materiales rationem entis participant, sed non sunt intra eamdem abstractionem cum conceptu entis, ut sic, atque ideo in praesenti ratio formalis objecti in genere rei secerni debet a ratione formali in genere scibilis. Constat itaque, quod quamvis ens, prout ens, ponatur objectum tam Metaphysicae, ut Physicam complectitur, quam ejusdem, ut a Physica secernitur, non tamen eodem modo, & in eadem amplitudine ponitur hic, & ibi, quia in assignatione objecti pro Metaph. priori modo inspecta ly *prout* specificat tantum rationem objecti in genere rei; sed dum assignatur pro objecto Metaphysicae a Physica distincte specificat non tantum rationem formalem objectivam in genere rei, sed etiam modum ipsum intelligendi, ut declarat Trombet. 6. Metaph. quaest. 3. hoc pacto nimirum, quia sicut ens, quod primo considerat, ita & quodlibet inquantum in ejus considerationem cadit, abstrahit a materia, ut docet Arist. 6. Met. 2. sic etiam significat Doctor 6. Met. qu. 1. loquens enim de structura Metaphysicae, quam modo habemus, sic ait, *Placuit enim veteribus authoribus circa diversa subjecta contemplari, & tot considerationi suae subdere, quot videbant aliquam convenientiam in principiis, & in modo considerandi habere*, ita Doctor pro hac materia, vide quaestionem Bargii de subjecto Met. quae in quibusdam voluminibus impressa habetur post Ethicam Tatareti.

Solvuntur Objectiones.

38 PRimo obiicitur probando aliquid latius ente reali esse adaequatum objectum Met. quia ens latissime sumptum, ut comprehendit ens reale, & rationis positivum, & privativum, intellectui obiicitur, ut unum scibile; ergo & uni scientiae universalissimae, qualis est Metaph. obiici potest pro adaequato objecto. Tum 2. quia licet ens sic sumptum non sit univocum, adhuc tamen est analogum, ut patet 4. Met. tex. 2. & analogia sufficit ad constituendam unam rationem scibilis. Tum 3. quia ens rationis est scibile, & ad nullam aliam scientiam per se spectare videtur, quam ad Met. Logica enim non agit de ente rationis, ut sic, sed de secundis intentionibus, & ideo Arist. egit de ente rationis 4. & 6. Metaph. Tum 4. inquit Hurt. cognitio entis rationis est Metaphysica, quia ens rationis, ut sic, est objectum abstrahens ab omni materia. Tum 5. quia Arist. 4. Metaph. tex. 2. explicans latitudinem objecti Metaph. quod statuebat ens, ait quaedam esse entia, tamquam corruptiones, & privationes, & tex. 4. ait ejusdem scientiae esse speculari etiam negationes. Tum 6. quia etiam ens per accidens est objectum per se scibile, cum aliquae scientiae particulares habent entia per accidens pro objectis, ut Musica numerum sonorum, Perspectiva lineam visualem; ergo erit pars objecti Metaph. Tum 7. quia Physica considerat omne corpus naturale, & Mathematica omne quantum; ergo & Metaph. omne ens tam reale, quam rationis, positivum seu negativum, per se, vel per accidens. Tum demum quia Arist. 4. Met. ab initio docet circa idem versari Metaph. Dialecticum, & Sophistam, sed isti circa omne ens versantur; ergo &c.

Resp. ad 1. si assumptum intelligatur in hoc sensu, quod omnia contenta sub ente in illa universalitate scilicet ens reale, & rationis obiiciuntur intellectui, verum est, sed neg. conseq. quod ideo ad eamdem scientiam per se, & directe spectare debeant,

beant, alioquin id potiori ratione sequeretur de entibus realibus, quae tamen non omnia spectant ad eamdem scientiam, si vero assumptum in eo sensu intelligatur, quod ens in ea latitudine sumptum secundum unam rationem praecisam ab ente reali, & rationis possit obiici intellectui, est falsum, ut constat ex dictis in prima concl. Ad 2. ens rationis re vera non convenit in uno conceptu cum ente reali, sed *dicitur ens* per quamdam imperfectam analogiam proportionalitatis, quae non stat cum unitate conceptus objectivi, ut postea videbimus, adaequatum autem objectum scientiae debet ad minus habere unitatem conceptus objectivi. Ad 3. conceditur ens rationis esse suo modo scibile, ejus tamen scibilitas est adeo tenuis, & exigua ut non ab aliqua scientia directe, & per se consideretur, sed solum indirecte, & reductive pertinet ad Met. quae est de ente reali, quatenus est quaedam illius imitatio, & secundum suam essentiam est ens apparens, quia ejusdem scientiae est considerare id quod est tale, & id quod tale videtur 4. Met. 4. Quod si ad aliquam scientiam per se, & directe spectaret, haec sane potius esset Logica, quae est scientia rationalis, quam Met. quae est realis. Ad 4. conceditur assumptum eo modo, quo ens rationis spectat ad Metaph. nimirum indirecte, & reductive, neque enim opus est, ut quaecumque tractantur in scientia, directe contineantur sub ejus objecto, sed sufficit aliqua tractari per reductionem, eo pacto quo Physicus de vacuo tractat, & de infinito. Ad quintum declarat ibi Aristoteles omnem entis analogiam, & omnes ejus acceptiones, non ut illud statuat pro adaequato Metaph. objecto in tota illa amplitudine, sed potius ad evitandam aequivocationem, unde postea in proprio loco ideat 6. Metaph. docet ens non esse objectum Metaph. secundum illam analogiam, sed ens reale, & proprie dictum; vel solum significare voluit negationes, & privationes per accidens, & indirecte ad Met. spectare, quia ejusdem scientiae est considerare contraria, quatenus unus oppositum valde confert ad cognitionem alterius, ut docet Arist. in postprаedic. cap. de oppositis, & 11. Metaph. 3. sicut in Physica vacuum valde confert ad cognitionem loci, & infinitum ad notitiam finitae quantitatis; haec autem in scientia confecutive, & veluti per accidens considerantur; per se enim, & directe solum ea considerantur in scientia, quae vel sunt objectum, vel aliquid per se concernens objectum, uti sunt principia, partes, & passiones. Ad 6. negatur assumptum, quia scientiae etiam subaltetnatae suo modo sunt de objecto, quod est unum per se, quantum sufficit ad rationem scientiae sumptam non in omni rigore, ut declaravimus disp. 12. log. qu. 4. art. 1. Ad 7. assumpta paritas hoc solum rite potest inferre, quod sicut Physicus considerat omne corpus, quod continetur sub uno objecto adaequato, ita & Metaph. omne ens contentum sub ente suo adaequato subjecto, quod est ens reale, & per se. Ad ultim. constat ex dictis qu. praec. ad 2. quo pacto Dialecticus, Sophista, & Metaphysicus dicantur versari circa idem.

39 Secundo probatur e contra aliquid arctius ente reali esse subjectum Metaph. nempe substantiam in communi ad materialem, & immaterialem, finitam, & infinitam, sic enim diserte videtur docere Arist. 7. Met. tex. 2. ubi post divisionem entis in substantiam, & accidens, ait de substantia *primum & solum* agere velle; & lib. 9. cap. 1. ait per se quidem, & directe considerari substantiam, red ctive vero accidentia per ordinem ad substantiam, & lib. 12. ab initio *speculatio de substantia est* (inquit) *siquidem substantiarum principia, & causae quaeruntur*. Deinde si accidentia considerantur in Metaph. ut affectiones substantiae, sicut innuit Arist. ergo substantia erit subjectum, non aliquid commune illis, eo pacto, quo in Physica ob eamdem rationem corpus est adaequatum subjectum, non autem aliquod commune illi, & suis accidentibus. Conf. quia ex Arist. 1. Post. 25. passio in scientia non debet cum subjecto confundi, nec ulla scientia aliquid habet pro objecto, quod sit commune subjecto, & proprietati.

Resp. ad locum ex 7. Met. non esse intentionem Arist. quod velit agere de sola substantia, ut de adaequato, & totali subjecto, sed tamquam de primo, & principali in comparatione ad accidentia, ideo dixit *primum*, quod si addit *& solum*, statim adjecit *ut ita dicam*, quae est particula minuens, quali additione solemus uti in his, quae non habent omnino veritatem, ita exponit Doctor super eum textum, & 2. d. 3. qu. 4. C. & in hunc modum explicanda sunt alia loca; Ad rationem falsum est, ut supra diximus, accidentia ita in ordine ad substantiam considerari in Metaph. ut non etiam absolute, & directe in se considerentur, ut cum substantia conveniunt in communi conceptu entis, aliisque passionibus transcendentibus, quia una consideratio aliam non impedit, at Physica praecise considerat *accidentia materialia*, ut *affectiones corporis naturalis*, cum non sit scientia universalis, ut Metaph. tum quia falsum est accidentia, scilicet quantitatem, & qualitatem de substantia primo demonstrari in Met. sic enim demonstrat unum, verum, bonum de ente, & postea de substantia priusquam alias affectiones; tum quia haec sunt accidentia communia, quae non sunt rigorose de subjecto demonstrabilia, tum tandem quia haec etiam accidentia de sola substantia finita demonstrari possent. Ad conf. patet per idem, falsum si quidem est accidens in Metaph. considerari, ut solam substantiae affectionem, immo Metaph. considerat substantiam, nedum secundum rationem substantiae, sed etiam secundum rationem entis, & haec eadem ratio considerandi in accidente, adeout ambo sint partes adaequati objecti Metaph.

Tertio obiicitur probando substantiam immaterialem esse adaequatum Met. subjectum, sic enim ubique videtur docuisse Arist. nam 2. Phys. 26. & 71. ait Met. versari in rebus a materia separatis, idem habet in procem. de Anima, & 4. Met. 4. tot ait esse partes Philosophiae, quot substantiae, & substantiam immaterialem considerari in prima Philosophia, materialem vero in Philosophia naturali, idem habet lib. 12. tex. 5. aitque hac de causa esse scientiam praestantissimam 2. Met. Sicut ergo adaequatum physicae objectum est substantia corporea sive Corpus naturale, ita objectum Metaph. erit substantia spiritualis; Conf. quia 6. Met. 3. ait, si non essent substantiae separatae, tunc scientiam naturalem fore primam Philosophiam; unde supponere videtur eam adaequate versari circa substantias separatas. Demum ratione firmatur, quia objectum Metaph. abstrahit ab omni materia, sed sola substantia separata abstrahit ab omni materia, non autem substantia materialis; ergo, &c. Tum quia Met. considerat ea, quae post naturalia sunt, sed hujusmodi sunt omnes substantiae immateriales.

40 Resp. negando conseq. quia locis cit. dicit Arist. Metaph. versari circa substantias separatas, non tamen dicit, quod versetur circa illas, ut adaequatum subjectum, cum universalius subjectum frequenter assignet; dicit ergo circa substantias *immateriales versari ad differentiam aliarum scientiarum*, quia ipsa sola has substantias contemplatur, tum quia nisi substantiae immateriales essent, nec objectum adaequatum Met. foret; quod si 2. Met. inquit Met. suam nobilitatem sumere a substantiis separatis, non hinc sequitur, illas esse adaequatum subjectum, sed nobilitatem hujus scientiae tunc auspicatus est ex positiva perfectione principalis objecti, nec immerito, cum tanta sit nobilitas permissiva objecti adaequati, quanta est positiva objecti principalis; sed praesertim tex. 4. lib. 4. Met. aliter exponunt Scotus, & Alensis noster, quam fiat communiter, vide eorum expositionem textualem; Insuper haec omnia loca exponi possunt, ut Scot. 1. Met. qu. 1. exponit locum ex 7. Met. ubi Arist. discernit Met. a Physica, quia haec est circa separabilia, & mobilia, illa vero circa separabilia, & immobilia, ait enim quod vel illa divisio non sit penes objecta adaequata, sed tantum penes partes principales ejus, tales enim sunt substantiae separatae in Met. vel si sit penes objecta adaequata, per separabilia, & immobilia intelligit separata abstracta a motu tam secundum esse, sive secundum rem, sicut sunt substantiae separatae, quam secundum considerationem, ut sunt rationes transcendentes communes materialibus, & immaterialibus, quae entia sic abracta constituunt adaequatum objectum hujus scientiae.

Ad Conf. ex 6. Met. 3. illa conditionalis est vera, non quia substantia immaterialis sit adaequatum objectum, sed quia hac substantia ablata aufertur etiam adaequatum objectum Metaph. quia non solum tolleretur immaterialis substantia, sed etiam omnes rationes entis, vel substantiae communes rebus materialibus, & immaterialibus, quae entia sic abstracta constituebant, ut dicebamus, adaequatum objectum hujus scientiae, unde ea hypothesi data omne ens esset Physicum, & naturale, & ens materiale esset supremum praedicatum, si non essent alia entia possibilia; haec est communis, & facilis illius loci expositio, quam etiam ibidem tradit Doctor, & Trombet. 6. Met. quaest. 3. quam immerito inficiatur Pasqualig. cit. disp. 15. sec. 8. ea fretus ratione, quia adhuc admissa hypothesi conceptus entis, substantiae, & similes abstrahi possent a materia *sensibili*, eo quia omnem rationem intelligibilem, & omnem conceptum in aliquo inferiori inclusum potest intellectus abstrahere, & ipsum concipere absque hoc, quod concipiat illud, a quo fit abstractio, sicut modo intellectus naturas abstrahit a materia signata, seu differentia individuali, etiamsi omnis natura a parte rei sit individua, vel individuata; data ergo illa hypothesi adhuc superstites forent conceptus a materia sensibili abstrahentes. At optime huic difficultati occurrit Tromb. cit. quia licet intellectus eo casu posset abstrahere a substantia naturali conceptum entis, & substantiae, semper tamen consideraret ista, ut sunt aliquid substantiae materialis, quia non possent convenire aliis a tali substantia, quod & ipse Pasqualig. faretur ibid. num. 7. cum ait hujusmodi conceptus data hypothesi ex natura sua non latius paterent, quam substantia naturalis, unde re vera non essent conceptus Metaphysici, quia non essent abstracti a materia nec per essentiam, nec per indifferentiam.

41 Ad rationem dicendum ex Scoto 1. Met. qu. 1. & Tromb. cit. & ex Alensi 6. Met. in tex. 2. ut aliquid sit objectum Metaphysicae abstrahere debere ab omni materia vel secundum rem, ut intelligentiae, vel secundum rationem, ut conceptus transcendentes, seu ut alii loquuntur vel permissive, & per aliud; ut conceptus hujusmodi, vel positive, & per se, ut substantiae separatae, & ideo falsum est, solas substantias separatas abstrahere ab omni materia, ut convenit objecto Met. nam etiam rationes transcendentales abstrahunt a materia *secundum* rationem, *licet non secundum rem. Hic autem advertendum est* ad aequivocationem vitandam, praedicata quoque transcendentia a quibusdam dici abstracta secundum esse, ut est videre apud Suarez disp. 1. Met. sec. 1. num. 15. & sec. 2. num. 13. quo etiam loquendi modo nos interdum utimur, intelligendo per entia abstracta secundum esse, non solum quae de facto sine materia existunt, ut substantiae separatae, sed etiam rationes illas, quae in rebus sine materia reperiri possunt, quia hoc satis est, ut in sua ratione formali materiam non includant, neque illam per se requirant; Itaque in substantia materiali plures, & diversae rationes considerari possunt, nimirum ratio entis,

tis, substantiæ, materialitatis, naturalitatis &c. omnes rationes infra materialitatem inclusive pertinent ad Physicam, aliæ vero supra materialitatem ad Mer. spectant, unde objectum Met. non adæquatur per se ad solam substantiam immaterialem, sed se extendit etiam ad materialem sensu præfato, quia consideratur in ea omnes rationes superiores ad materialitatem, quando vero ad materialitatem deventum est, tunc sistit Met. & incipit alia scientia, nemque Physica; unde non solum Intelligentiæ, sed etiam prædicata transcendentia dicuntur post naturalia, & post Physicam.

42 Quarto obiicitur, solum Deum esse Met. objectum adæquatum ex ipsius nominibus; dicitur enim methodus de primo principio, & in prolog. Metaph. appellatur scientia divina, & lib. 6. Theologia idest scientia de Deo. Item ex ejus nobilitate, & præstantia super alias scientias, non enim sufficit hanc præstantiam sumere a subjecto principalitatis, quia si non haberet pro objecto adæquato Deum, sed ens, esset imperfectissima, quia gradus superior semper est imperfectior inferioti, unde & per inferiores perficitur. Rursus Metaph. est humana Theologia, & a sacra Theologia non differt, nisi quia in hac contemplatur Deus revelatus, in illa vero quatenus ratione naturali elevari possumus; ergo sicut in Theologia sacra subjectum est Deus sub ratione revelati, ita erit hic sub ratione naturaliter cognoscibilis. Demum omnia in Met. considerata ad Deum reducuntur, unde & Arist. ipse 12. Metaph. totam scientiam metaphysicalem concludit de Deo referens ad illum, ut ad conclusionem intentam, quæcumque tradiderat in superioribus libris.

Resp. ut superius dictum est, nomina illa ex objecto principali desumi, non adæquato. Ad 2. negatur assumptum, gradus enim superior, licet positive sit imperfectior inferiori, permissive tamen est perfectior, unde hac ratione non solum ex parte objecti principalis potest Metaph. dici nobilissima scientia, sed etiam ex parte objecti adæquati, quia juxta nobilitatem, & dignitatem actualem principalis objecti metiri debet nobilitas permissiva objecti adæquati. Ad 3. negatur consequentia, sacra Theologia namque habet pro subjecto adæquato Deum in se, cum ex principiis revelatis pendeat, at Metaph. quia lumini naturali innititur, non potest habere Deum in se objectum adæquatum, quia non possumus ad Deum naturaliter elevari, nisi sub aliqua ratione communi etiam creaturis, per quas cognoscitur. Ad 4. omnia considerata in Metaph. nequeunt in Deum referri, nisi ut in primum efficiens, & ultimum finem, quæ attributio non sufficit ad rationem subjecti adæquati, ut supra dictum est. Sed urgebis cum Hurtad. reduci debere, tamquam ad objectum adæquatum attributionis, quia Metaph. considerare debet prædicata entis, & substantiæ, tamquam partes essentiales substantiarum separatarum, veniunt si quidem in compositionem Metaphysicam, ut partes per se, respectu Dei, & Angelorum, cum ergo partes cognoscantur in ordine ad totum, sequitur ens quoque, & substantiam deberi tamquam partes cognosci in ordine ad Deum, & Angelos; ergo non per se, & directe, sed reductive considerantur in ordine ad Deum, vel saltem substantiam immaterialem, & quidem tamquam ad objectum adæquatum attributionis, non autem, ut ad aliquid extrinsecum, quia considerantur, ut per se partes ejus.

Resp. Hurtadum loc. cit. non satis sibi constare, nam sect. 1. distinguit objectum adæquatum ab objecto attributionis, & sect. 3. illa confundit, item sect. 1. vult adæquatum objectum in scientia esse aggregatum omnium, quæ in ea cognoscuntur, & sect. tertia vult Deum, & Angelos esse objectum adæquatum attributionis in Metaph. & tandem sect. 4. ait, quod solus Deus est objectum adæquatum attributionis in Met. unde non facile percipitur quid velit hic Auctor; & argumentum factum non concludit solum Deum esse objectum in Met. sed etiam Angelos; re autem vera neutrum concludit, falsum enim universaliter loquendo superiora semper in scientiis considerari in ordine ad inferiora, adeout hæc semper sint objecta attributionis, hoc enim verum est interdum ex peculiari modo procedendi scientiarum, non autem absolute loquendo, ut diximus disp. 12. log. qu. 2. art. 6. ubi plura diluimus, quæ hic Hurtad. obiicit in hac materia; tum quia falsum est, Deum componi Metaphysice ex realitatibus Metaphysicis, ut ex partibus essentialibus, siquidem hoc repugnat summæ suæ simplicitati, ut infra suo loco dicetur; tum tandem quia quando id etiam concederemus, non videtur adhuc, quomodo accidens, quod in Metaph. consideratur, ad Deum reducatur, ut ad objectum adæquatum attributionis, non enim reduci potest, nec ut pars ejus, nec ut passio, sed præcise ut ad causam efficientem.

43 Quinto obiicitur solum ens finitum, quod in decem prædicamenta dividitur, esse objectum Metaph. idque specialiter probando cum Pasqualig. disp. 18. sect. 3. Deum non contineri sub objecto Metaph. quia Deus non participat rationem formalem objecti Metaph. etiamsi hoc ponatur ens, ut sic, Deus enim non est ens, sed aliquid supereminentius ente, nec in ratione entis convenit univoce cum creatura, quod ibi fuse probat; ergo &c. Tum 2. quia Deus nec participat abstractionem Metaph. nam longe altiorem abstractionem habet a materia, quam objectum Metaphysicæ, quia abstractio, qua constituitur objectum Metaph. est abstractio per intellectum, ut constat de prædicatis universalibus, sed Deus modo longe diverso abstrahit a materia, nam non abstrahit per intellectum, sed ex natura sua; non abstrahit, tamquam quid universale, sed ut quid singulare; non abstrahit, itaut possit esse in materia, sed ut actus purissimus; ergo Deus non participat abstractionem Metaph. Tum 3. quia objectum cujusliber scientiæ creatæ sive totale, sive partiale est aliquid universale ex dictis in logica, sed Deus nequit quidditative, & in se considerari, nisi ut singularis, singularitas siquidem est de quidditate Dei; ergo secundum se cadere nequit sub objecto Metaph. Tum 4. quia principia, & objectum ad eamdem scientiam pertinent, principia siquidem in natura objecti virtualiter continentur; sed principia, ex quibus divina natura investigatur, sunt propositiones tum naturali lumine notæ, tum per fidem revelatæ, & istæ omnes spectant ad Theologiam, quæ sola ex revelatis, & notis lumine naturæ procedit; ergo &c. Tum 5. quælibet scientia talem debet habere proportionem cum objecto, ut possit ejus naturam adæquate manifestare: at Metaph. producendo ex naturaliter cognitis nequit Dei naturam adæquate manifestare; ergo in ratione objecti ad solam Theologiam spectat. Tum denique quia hæc videtur fuisse Arist. intentio, qui cum lib. 6. Metaph. assignasset ens pro objecto Met. postea lib. 7. hoc ens dividit in decem prædicamenta, in quibus non includitur Deus.

Resp. negando assumptum cum probatione, Deus enim vere, & proprie est ens, & ita conveniunt in ente Deus, & creatura, ut una possit esse scientia de illis tractans, cujus objectum totale illa sub se contineat, ut objecta partialia, qualis autem; & quanta sit hujusmodi convenientia inter Deum, & creaturam in conceptu entis infra suo loco declarabitur, ubi etiam omnia Pasqualig. argumenta contra hoc dissolvemus. Ad 2. item negatur assumptum cum probatione, falsum siquidem est abstractionem, qua constituitur objectum metaphysicum esse per intellectum, constituitur enim objectum metaphysicum per abstractionem a materia secundum esse modo explicato pro æquivocatione vitanda nu. 41. & hæc abstractio secundum esse nedum Deo convenit, ac cæteris intelligentiis, sed etiam prædicatis universalibus, nihil enim aliud est a materia abstrahere secundum esse, quam quod possit in rerum natura vere, ac realiter existere absque materia; hoc autem verum est, nedum de substantia immateriali, sed etiam de rationibus transcendentibus, quæ cum sufficienter in substantia immateriali conservari possint, constat posse in rebus sine materia existere, & sic possunt dici abstracta secundum esse, immo & ex natura sua, quatenus ex debito naturæ materiam non exigunt; & quamvis major sit abstractio Dei a materia, quam aliarum Intelligentiarum, ac præsertim rationum universalium, id parum refert; ut enim hæc omnia sub eodem communi objecto unius scientiæ totalis contineri possint, sufficit, ut adunentur in una ratione communi objectiva ejusdem abstractionis. Ad 3. jam diximus disp. 12. log. quæst. 12. art. 3. Deum ut singularem posse esse objectum scientiæ propter suam necessitatem, verum est tamen in scientia creata considerari non posse sub ratione singularitatis, ut sic, sed tantum in conceptibus propriis desumptis ex communibus. Ad 4. negatur minor quoad 2. partem, quamvis enim propositiones de Deo revelatæ ad sacram pertineant Theologiam, acquisitæ tamen lumine naturali suapte natura ad Metaph. pertinent, etiamsi interdum illas sibi usurpet sacra Theologia in suis dogmatibus tradendis. Ad 5. negatur major absolute sumpta, nequit enim Physica adæquate, & exacte corporis naturalis quidditatem manifestare, cum intra suam sphæram non attingat prædicata substantiæ, & entis in eo essentialiter inclusa: ut igitur Deus sit objectum partiale Metaph. sufficit, ut possit divinam attingere naturam in communibus prædicatis, ac etiam in propriis desumptis ex communibus. Ad ult. neg. Arist. lib. 6. Metaph. ens illud præcise divisisse in decem genera, quod lib. 6. statuerat objectum Metaph. sed divisit aliud inferius ipso, nempe ens finitum, & causatum.

44 Sexto arguitur ex eodem Pasqualig. disp. 19. sect. 1. Intelligentias sub objecto Metaph. non contineri, nam objectum partiale debet participare eumdem modum scibilitatis, quem dicit totale, sed intelligentiæ non ita se habent respectu objecti totalis Metaph. ergo &c. Major patet ex proportione necessaria inter objectum partiale, & totale; Probatur minor, quia objectum totale in Metaph. fundat scientiam Metaph. quatenus ita est abstrahibile a materia, ut tamen possit esse in ipsa, sed Intelligentiis id repugnat omnino; ergo &c. Tum 2. quia non sunt intra eamdem abstractionem cum objecto Metaph. ergo sub eo non continentur. Consequentia patet, quia sicut substantiæ materiales a sphæra objecti Metaph. excluduntur, quia non sunt intra eamdem abstractionem cum ipso, eadem ratione substantiæ quoque immateriales excludi debebunt; Probatur assumptum, quia objectum Metaph. abstrahit a materia secundum rationem tantum, itaut sibi non repugnet esse in materia. Intelligentiæ abstrahunt secundum rem, itaut repugnet illis esse in materia; ergo &c. Tum 3. quia Physica distinguitur a Metaph. eo quia illa non abstrahit a materia nec secundum rem, nec secundum rationem, Metaph. vero abstrahit secundum rationem; cum ergo scientia de Angelis abstrahat a materia secundum rem, erit magis diversa a Metaph. quam ipsa Physica. Conseq. patet, quia magis opponuntur abstractio Angelica, & Metaph. quam ipsa Met. cum physica, quod enim abstrahit ex natura sua a materia, habet oppositionem cum eo, quod ex natura sua est materiæ immersum, quod vero abstrahit secundum rationem tantum, non habet oppositionem. Neque dicas, ait Pasqualig. abstractionem Metaph. præscindere ab eo, quod sit secundum rem, vel secundum rationem. Nam talis abstractio est prorsus impossibilis, vel enim hoc quod abstrahit, est spirituale & tunc

& tunc abstrahet ex natura sua, & secundum rem, si vero est indifferens ad esse spirituale, & materiale, tunc non abstrahet ex natura sua, sed secundum rationem, quia erit aliquid objectivum a ratione præcisum. Tum 4. abstractio a materia fit per quamdam separationem, proprie autem non dicitur aliquid ab alio separari, nisi sit cum ipso unibile; cum ergo intelligentiæ non sint cum materia unibiles, nequeunt proprie dici abstrahere a materia. Tum 5. quia ens statim ac ad esse corporeum contrahitur, sive materiale, statim desinit esse objectum Metaph. & fit objectum Physicæ, & hoc non alia ratione contingit, nisi quia acquirit novam rationem formalem objectivam; ergo etiam quando contrahitur ad ejus immateriale, seu spirituale constituetur objectum alterius scientiæ a paritate rationis. Tum denique quia multo plura possumus de Angelis cognoscere in Theologia, quæ agit de ipsis, procedendo ex revelatis simul, & cognitis lumine naturæ, quam in Metaphys. ergo Intelligentiæ non spectant ad Metaphys. Consequ. patet, quia quando aliquod objectum non potest secundum suam naturam adæquate cognosci ab aliqua facultate, & ab alia cognosci potest, ad hanc potius spectat, tamquam objectum, quam ad illam, quia objectum a sua scientia exigit adæquate cognosci. Probatur assumptum, quia via sensus vix Intelligentiarum existentia colligi potest, unde concludit Doctor quæst. 1. Prologi §. *tertio arguitur*, ex puris naturalibus, & via sensus nos attingere non posse conceptus proprios Intelligentiarum.

45 Resp. negando min. objectum enim adæquatum Metaph. scilicet ens fundat illam scientiam, quatenus est abstractum a materia secundum esse modo supra explicato, ita scilicet ut ei non repugnet in rerum natura sine materia reperiri, & conservari, quo pacto Intelligentiæ quoque dicuntur a materia abstractæ, & participare scibilitatem objecti Metaph. etiamsi propter suam communitatem, & indifferentiam possit ens in materia reperiri; & quod addit ibi Pasqualig. ad hanc solutionem elidendam, objectum partiale debere servare eumdem prorsus modum essendi cum subjecto totali, & eamdem prorsus scibilitatem, est etiam falsum, alioquin probaret eadem ratione, ut patet discurrenti, in Physica sub corpore naturali, ut sub objecto totali, corpus caducum, & æternum, ut objecta partialia, coadunari non posse; insuper falsum est abstractionem Intelligentiarum repugnare enti, ut sic, ut ibi ait hic Author; quamvis enim ei positive non conveniat in eo statu indifferentiæ, adhuc tamen ei non repugnat. Ad 2. negatur assumptum cum probatione; quamvis enim intelligentiæ non sint cum ente intra eamdem abstractionem specificam, quia ens est abstractum a materia per indifferentiam, Intelligentiæ per essentiam, ita quod illis repugnat esse in materia, sunt tamen intra eamdem abstractionem genericam, quatenus tam ens, quam Intelligentiæ *cum omnibus* transcendentibus sunt abstracta secundum esse modo pluries explicato; & falsum est, quod sæpius ibi inculcat hic Author, objectum Metaphysicæ esse abstractum secundum rationem tantum a materia, hoc enim proprium est objectum Mathematicæ, quæ abstrahit a materia non secundum esse, sed tantum secundum rationem, at objectum Metaph. tam secundum esse, quam secundum considerationem abstrahere debet. Ad 3. procedit argumentum ex eodem falso fundamento, quod & Metaph. & ejus objectum abstrahat a materia tantum secundum rationem, & ex natura sua sit materiæ immersum, hoc, inquam est prorsus falsum, & erroneum, quia Metaph. abstrahit a materia tam secundum esse, quam secundum considerationem, & in hoc secernitur a Physica, & Mathematica quantum ad modum abstrahendi; eodem pariter modo ejus objectum abstrahit; unde ex natura sua potius dici debet a materia abstractum, quam materiæ immersum, eo quia ex debito naturæ non sibi debetur talis immersio, licet ei non repugnet. Ad 4. vera est minor, si separatio sumatur, ut dicit privationem unionis, falsa si sumatur, ut dicit negationem unionis, nam hoc sensu cum omni proprietate tam separata dicuntur res inter se unibiles, quam non unibiles. Ad 5. negatur paritas, quia ens statim ac per corporeum contrahitur, exit Metaphysicam abstractionem, sed quando contrahitur ab incorporeo non exit ab ea, unde corporeum supra ens non solum addit novam rationem objectivam, sed immersionem in materia, quæ destruit rationem objectivam, Metaphysicam, non ita incorporeum. Ad ult. negatur conseq. tum quia falsum est universaliter loquendo scientiam teneri ad adæquatam, & omnibus numeris absolutam objecti sui cognitionem, ut constat in scientiis particularibus, quæ ignorant rationes transcendentes suorum objectorum, ut notat Doctor 6. Metaph. qu. 1. in fine; tum quia Metaph. si non ut est ab Arist. conscripta, tamen ut possibilis intellectui ex natura potentiæ tradit adæquate cognitionem de Angelis, quantum possibile est per lumen naturæ; immo pro statu isto, & sistendo in Arist. Metaph. dato, quod evidenter existentiam Intelligentiarum attingere nequeamus, adhuc tamen possumus attingere earum possibilitatem in rerum natura, quatenus prædicata illa, quibus essentia Angelicæ naturæ solet explicari, ad invicem non repugnant, nec integrant rationem in se falsam, hoc enim sufficit, ut cadant sub adæquato Metaph. objecto; & dum ait Doctor qu. 2. prologi nos via sensus conceptus proprios Intelligentiarum attingere non posse, loquitur de conceptibus propriis (ut ajunt) ex propriis desumptis, non autem ex communibus.

Septimo arguitur ex Pasqualig. disp. 17. & aliis, quod ens reale in sua amplitudine non sit objectum Metaph. quia objectum scientiæ debet habere principia ex 1. Post. & passiones de ipso demonstrabiles per talia principia, sed ens in hac amplitudine sumptum neutrum habet horum, non principia, quia ut sic abstrahit a principio, & principiato, & si haberet principia intrinseca constitutiva, tunc non haberet conceptum simpliciter simplicem, & in ulteriores conceptus irresolubilem; non passiones, quia subjectum non est de essentia suæ proprietatis, ens autem sic sumptum essentialiter imbibitur in quacumque re, & realitate. Tum quia tunc Metaph. alias omnes scientias sibi subalternaret, nam tunc subjectum aliarum scientiarum esset sub subjecto Metaph. quæ est conditio scientiæ subalternatæ ex 1. Post. Tum 3. quia tunc Metaph. esset aliis scientiis imperfectior, eum ens inquantum ens, sit imperfectissimum objectum, quia communissimum. Tum 4. objectum scientiæ habet univocationem ad suas partes subjectivas, cum respectu earum appelletur genus subjectum 1. Post. sed ens, ut sic, non est univocum ad inferiora. Tum 5. quia in qualibet scientia distinguendum est subjectum communitatis a subjecto attributionis, neque hoc coincidit cum illo; ens autem est subjectum communitatis, quia de omnibus essentialiter prædicatur; ergo non attributionis. Tum tandem quia juxta hanc sententiam non contradistingueretur in Metaph. principia, passiones, & subjectum contra præceptum Arist. 1. Post. 25. quia hæc omnia considerarentur, ut species, cum intrinsece imbibant conceptum entis.

46 Resp. ad 1. ex Scot. quæst. 3. prolog. ad 3. 1. qu. quod licet ens inquantum ens non habeat principia essendi, ut sunt causæ intrinsece componentes, habet tamen principia cognoscendi, quales sunt præmissæ demonstrationis, in quibus definitio subjecti assumitur, ut medium, & hoc sufficit ad objectum scientiæ, ut diximus disp. 12. Log. quæst. 2. art. ult. num autem ens ultra principia complexa, sive cognoscendi, habeat quoque principia incomplexa, & essendi, videbitur infra; habet quoque ens suas passiones, ut infra suo loco patebit, in quibus licet realiter imbibatur, non tamen essentialiter, cum non sint formaliter entia quantum ad id, quod supra ens addunt, sed tantum realiter. Ad 2. negatur Conseq. cujus probatio procedit ab insufficienti, quia ad scientiam subalternatam non sufficit habere subjectum sub subjecto, sed adhuc aliæ conditiones requiruntur ex dictis disp. 12. Log. quæst. 4. quarum defectu aliæ scientiæ non subalternantur Metaph. ut mox patebit. Ad 3. constat ex dictis ad 4. princip. Ad 4. minor est falsa, ut infra suo loco patebit. Ad 5. item negatur minor, quia faltem de suis passionibus, & ultimis differentiis non essentialiter prædicatur, ut dicemus; unde remanet locus distinguendi etiam in Metaph. passionem a subjecto, per quod patet ad 5.

Octavo demum Pasqualig. disp. 17. cit. & Aversa quæst. 2. Philosoph. sect. 7. instant contra rationem formalem objectivam, quod non bene assignetur ens, ut ens, quia vel ens, ut sic, sumitur cum præcisione a suis inferioribus, & sic sub eo non magis claudetur substantia immaterialis, quam materialis, quia in tali communitate æque abstrahit ab utrisque, quod si non sumatur cum omnimoda præcisione, sed ut etiam supponit pro inferioribus, tunc etiam neque est major ratio, cur potius ad immaterialia se extendet, quam ad materialia, nam calor, ut color, extenditur, ut genus, ad omnes prorsus colores nullum excludendo; non ergo videtur quo pacto ex vi illius reduplicationis ens, ut ens, magis extendatur ab substantias immateriales, quam materiales. Quod si intelligatur de ente abstrahente a materia, tunc male reduplicatur ratio entis, ut ens est, quia ratio formalis objecti trahit secum pro materiali omne id, in quo reperitur, & cum ens reperiatur in omnibus rebus, tam immaterialibus, quam materialibus, omnia trahet ad objectum Met. unde potius expediret (ait Aversa) assignare objectum Met. ens abstrahens a materia. Tum 2. quia ratio formalis objectiva est illa secundum quam objectum attingitur a scientia, & quæ specificando scientiam, ponit debitam commensurationem, & correspondentiam inter ipsam, & objectum, adeout scientia possit ferri in omnia, quæ participant talem rationem formalem, cum per ipsam reddantur proportionata, ut attingantur a scientia; cum ergo ratio entis, ut sic, intrinsece imbibatur in qualibet re, sive abstrahat, sive non abstrahat a materia, ex vi talis specificationis omnia entia veniunt in Met. consideranda etiam secundum propias rationes, sicut in Phys. omnia corpora naturalia etiam sub propriis rationibus considerantur, quia participant naturam, quæ est ratio formalis objectiva Physicæ. Tum 3. Met. est specialis scientia, ut distinguitur a Physica, & Mathematica habens specialem modum renendi diversum a cæteris; ergo oportet etiam quod habeat diversum objectum dicens specialem modum scibilitatis, & quod speciali modo tendentiæ petat attingi, quantum est ex vi suæ rationis formalis; sed ens, ut sic, non dicit specialem modum scibilitatis, ut enim tale est, nullam aliam scibilitatem habet præter communissimam, atque transcendentalem, quæ in qualibet alia determinata scibilitate imbibitur. Tum 4. ratio materialis objectiva in scientia debet esse diversa a formali, at in ente, ut sic, talis formalitatum diversitas assignari non potest, quia eo ipso, quod est primus, & supremus conceptus, non potest resolvi in diversas rationes objectivas. Tum 5. ratio formalis objectiva additur objecto materiali ad coarctandam ejus amplitudinem, & scibilitatem, sed specificatio entis, ut sic, nullam facit restrictionem in ente, sed ipsum relinquit in eadem amplitudine. Tum denique quia per talem assignationem non salvatur unitas objecti Met. non enim salvatur unitas objecti materialis, quia non potest ens immateriale, & ens in communi cum suis transcendentibus in-

te-

tegrare objectum materiale, seu rem consideratam Metaph. nusquam enim talis unitas consurgit ex genere communi, & una species relinquendo aliam speciem, ex animali v. gr. & homine relinquendo brutum; ex quantitate, & quantitate successiva relinquendo permanentem; nec salvatur una ratio formalis objecti in genere rei, quia dum pro tali ratione formali reduplicatur ens, ut ens, non apparet, quo pacto hæc dici possit una ratio formalis pro ente in communi, & ente immateriali; Nec tandem salvatur una ratio formalis in genere scibilis, ideſt una abstractio, longe enim diversa est abstractio entis immaterialis, ac entis in communi a materia; una est realis, alia rationis, una per essentiam, altera per indifferentiam, una positiva, altera permissiva, unde per modum unius nequaquam accipi possunt.

47 Resp. ad 1. satis constare ex dictis in declaratione concl. 3. quomodo Metaph. non consideret solam, & puram rationem entis communissime sumpti, sed etiam ad inferiora descendit, esto non ad omnia, cur autem ad hæc potius, quam ad illa descendat, diximus provenire ex abstractione Metaphysica, intra quam continentur quædam inferiora entis, nempe immateriales substantiæ, non alia; unde diximus ly *ens ut ens*, non tantum specificare rationem objectivam in genere rei, sed etiam in genere scibilis, nempe modum ipsum intelligendi, itaut Metaph. considerat ens, ut sic, & quicquid eamdem participat cum ente abstractionem, scilicet immateriales substantias; Non expedit autem, prout videbatur Averſæ, assignare objectum Met. ens, prout abstractum a materia ob rationem supra allatam nu. 37. sed prout ens, quia passiones Metaphysicæ de ipso demonstrabiles unum, verum, bonum, non competunt enti, inquantum immateriale, vel abstractum a materia; nec de ipso demonstrantur ratione immaterialitatis, vel abstractionis a materia, sed quatenus ens est præcise. Ad 2. etiam constat ex dictis ibidem, quod licet ex vi rationis formalis objectivæ in genere rei deberet Metaph. res omnes considerare, tam materiales, quam immateriales etiam in particulari, sicut Physica hoc modo omnia corpora naturalia contemplatur, tamen ex vi rationis formalis in genere scibilis restringitur ad sola entia abstracta a materia secundum esse, ut sunt Intelligentiæ, ac transcendentia. Ad 3. neg. minor, eo enim ipso, quod ens obiicitur intellectui, ut abstractum secundum esse, & per indifferentiam, fundat diversum modum essendi ab objectis aliarum scientiarum, & consequenter diversam scibilitatem, unde ens, ut sic, ut sæpius ait Doctor, est unum de numero scibilium, & est quædam species objecti scientifici in communi potens constituere peculiarem scientiam ab aliis diversam. Ad 4. major non est omnimode vera, ut enim diximus in Log. disp. 12. q. 2. art. 1. & notat Lichet. qu. 3. prologi §. *ex his dictis*, definitio rei universaliter est ratio formalis constituendi aliquid in esse subjecti scientiæ, si illud habet definitionem, & quid rei; si vero subjectum non habet definitionem, inquit Lichet. sicut Deus, qui est objectum Theologiæ, & ens inquantum ens subjectum Metaph. tunc ratio formalis explicatur sub nomine abstracti, puta Deus sub ratione Deitatis, & ens sub ratione entitatis. Ad 5. ratio formalis objecti non debet rem consideratam coarctare in esse rei, sicut rationale coarctat animal, sed in esse scibilis, ut loco proxime citato in Logica declaravimus, & hoc modo coarctatur ens per illam specificationem, quandoquidem aliis modis considerabile est, & sub aliis formalitatibus. Ad ult. ens immateriale positive satis convenit cum ente in communi, quod est immateriale præcisive, ut possint integrare unum materiale objectum a Metaph. consideratum, utrumque enim dicitur abstractum secundum esse, & in tali abstractione conveniunt, licet unum dicatur abstractum secundum esse per essentiam, aliud vero tantum per indifferentiam, unum positive, alterum permissive; neque inconvenit unam speciem cum suo communi genere obiici intellectui per modum unius objecti, & hoc modo unam scientiam constituere relicta alia specie, quæ secum genus illud condividit; sic enim Mathematica considerare potest quantitatem, & descendere ad unam ejus speciem, scilicet continuam, relinquendo discretam; & e contra potest Arithmetica considerare genus quantitatis descendendo ad quantitatem discretam, continua exclusa; immo si possunt duæ species oppositæ coadunari in communi genere, velut in uno objecto alicujus scientiæ, ut corpus caducum, & æternum in corpore naturali in Physica, cur non una species ita combinari potest cum suo genere alia excluſa? præsertim quando cum communi genere quandam habet convenientiam, quam non habet alia, sicut est in proposito de ente in communi, quod cum sit abstractum per indifferentiam a materia, majorem utique videtur habere affinitatem saltem in esse scibilis cum ente immateriali, quod est a materia penitus abstractum, quam cum materiali, quod est materiæ prorsus immersum.

Posset hic fieri difficultas, quod ens, ut ens, non contineat virtualiter omnes veritates Metaphysicas, ut v. gr. non illas, quæ habentur de Angelis, hæc vero est præcipua conditio objecti adæquati scientiæ, ex Scoto quæst. 3. prologi B. Respondet Poncius disp. 2. Logic. num. 12. & 18. sensum illius definitionis subjecti, quam affert Doctor, non esse quod secundum se, & secundum suam rationem præcise contineat veritates totius scientiæ, neque enim secundum se solum debet illas continere virtualiter, itaut se solo cum intellectu posset omnes illas causare, sed sensus est, quod ipsum & secundum se, & secundum omnia objecta attributa ad ipsum contineat omnes illas veritates. Hæc explicatio directe est contra intentionem Doctoris, qui explicando illam particulam, *primo virtualiter*, exponit ut idem sonet, quod contineat independenter ab aliis in scientia consideratis, secundum suam rationem adæquate, & præcise. Unde melius est dicere Doctorem ibi definire subjectum specificum, non genericum, ut diximus disp. 12. Log. quæst. 2. art. 4. & explicat Aureol. quæst. 3. prologi art. 1.

QUÆSTIO III.

De Metaphysicæ muneribus, & privilegiis.

48 PLura, & varia recenseri solent Metaphysicæ munera, comparando illam ad alias scientias particulares, quæ peculiari indigent consideratione, nam ex eorum cognitione magis constabit natura, & qualitas hujus scientiæ.

Primum munus, quod Metaphysicæ solet attribui, est, quod unicuique scientiæ proprium præscribat objectum, & si opus fuerit, illud esse demonstret, quod expresse significavit Averroes 3. de Cœlo com. 4. cum ait, Metaphysicæ esse defendere, ac verificare particularium scientiarum subjecta; ratio hujus muneris ex 1. Post. deducitur, ubi Arist. ait scientiam non probare suum subjectum esse, sed potius illud supponere, quare si id probare opus fuerit, cum proprio pegu probationes non habeat, ab superiorem scientiam recurrere debet, quæ est Metaphysica. At difficultas est de modo, quo possit Metaph. id præstare, an scilicet a priori, & per causas intrinsecas, num vero a posteriori tantum, & per extrinsecas. Suarez disp. 1. Met. sect. 4. docet hoc tantum præstare posse a posteriori, & ab effectibus, neutiquam a priori. Ratio ipsius esse videtur, quia si posset Met. ad particularia objecta scientiarum descendere, ostendendo a priori, quod sint, & quid sint, tunc res omnes in particulari specularetur, quod quæst. 1. falsum esse monstravimus, & extra propriam abstractionem exorbitaret. Tum quia, cum Metaphysica suum objectum a priori probare nequeat, ut diximus disp. 12. Log. de quacumque scientia in universum, vel concedenda est scientia superior ea, quæ id munus præstet; vel erit inferioris conditionis, quam sint cæteræ scientiæ, cum non habeat, unde a priori suum objectum stabiliat, ac defendat. Alii vero, quibus Pasqualig. disp. 22. sect. 2. & Meurisc. qu. 2. procem. Met. subscribunt, tenent Metaphysicam hoc munus obire posse, nedum a posteriori, sed etiam a priori, immo nedum objecta aliarum scientiarum probare posse a priori quoad si est, sed etiam quoad quid est; Ratio est, quia hæc demonstratio fit a Metaphysico per processum divisivum, colligendo nimirum ex divisione entis, & superiorum generum omnia objecta scientiarum, quæ sub illis divisionibus continentur; hic autem processus est a priori, & per causam, ut de se constat, cumque sit per causas intrinsecas, scrutatur, & manifestat nedum existentiam illorum objectorum, sed essentiam quoque, & quidditatem. Demum Hurt. disp. 1. sect. 5. negat hoc esse munus Met. immo inquit Met. nec scientias cognoscere, nec eorum objecta secernere; sed quamlibet scientiam habere aliquos actus reflexos, quibus in proœmiis sua investigant objecta; & §. 74. negat divisionem entis in corpoream, & incorpoream ad solam Metaph. pertinere, & ait esse mixtam ex Physica, & Met. quia elicitur ex hac præmissa Physica *datur substantia corporea*, & ex hac Metaphysica *datur substantia incorporea*, & infertur hæc mixta, ergo *substantia dividitur in corpoream, & incorpoream*, ut supra retulimus num. 16.

49 Dicendum est Metaphysicam posse probare objecta aliarum scientiarum, quoad si est, nedum a posteriori, verum etiam a priori, non tamen quoad quid est; Colligitur ex his, quæ habet Doctor de natura Met. qu. 3. prologi ad 2. pro 2. quæst. ubi vult quod præter scientias speciales, oportet esse aliquam communem, in qua probentur in communi omnia, quæ sunt communia illis specialibus, ita Doct. si ergo probando objecta aliarum scientiarum procedit ex communioribus, & universalioribus, jam procedit a priori, & non tantum ex signis, & effectibus, ut Suarez ajebat. Tum quia jam disp. 12. Log. q. 2. art. 2. ostendimus posse quamlibet scientiam sistendo intra suam sphæram probare existentiam sui subjecti a posteriori; ergo si verum est commune proloquium, posse Metaphysicam probare existentiam objectorum aliarum scientiarum, ut fatetur Suarez, plane hoc non est intelligendum tantum a posteriori, quia actum ageret, & supervacaneum foret, sed a priori; Denique confirmatur ostendendo, quo pacto possit Metaph. hoc a priori efficere, ut enim docet Arist. 4. Met. c. 1. aliarum scientiarum objecta sunt particulæ quædam entis, puta, linea, numerus, naturale corpus, &c. Sed Metaphysica dividit ens, & alia suprema genera, & ex his divisionibus colligit particulas entis retinendo quæ sunt intra eamdem abstractionem cum ente diviso, ut sunt entia immaterialia, & aliis scientiis relinquendo quæ videt esse extra talem abstractionem; ergo probat aliarum scientiarum objecta a priori; nam peracta divisione superioris in inferiora, ex vi connexionis gradus superioris cum inferiori ostenditur a priori existentia membrorum illius divisionis; Et falsum est, quod inquit Hurt. divisionem entis in corporeum, & incorporeum non pertinere ad solam Met. solius enim Metaphysici est suprema rerum genera dividere, & varios gradus universales entis agnoscere, nec alia particularis scientia in hoc officium intruditur, & quamvis non omnes species, in qua ens dividit, assumat ad se considerandas, sed aliis scientiis distribuat; non ob id sequitur talem entis divisionem a Metaph. non fuisse ex integro factam.

Quod

Quod autem demonstrare nequeat a priori objecta aliarum scientiarum quantum ad quid est, expresse docet Doctor 6. Met. qu. 1. in fine, ubi ait quod *essentialiter cognoscit quælibet scientia specialis quid proprii subjecti, quam Metaphysicus*; idque luculenter ostendit ratio pro Suarez adducta, quod hoc admisso consideraret Metaph. res omnes in particulari, & extra propriam abstractionem abiret, quia si definitive subſtantiam, materialem cognoscere vellet, plane per materiam definire deberet, hoc autem falsum esse quæst. præc. satis constat; Advertit tamen Doctor ibid. in hoc sensu dici posse Metaphysicam manifestare a priori quid est objectorum illorum, quia applicando notitiam Metaphysicam ad notitiam confusam, quam habet scientia inferior de proprio objecto, potest perfectior haberi de subjecto illo, quam habeat particularis, licet enim particularis artifex sit perfectus v. gr. elementicus, sive lapidicus, vel planticus, est tamen absolute loquendo imperfectus sciens, quia etiam plantam imperfecte novit; potest enim ignorare, an sit substantia, etiam non considerare, an sit ens, si numquam conceptum entis abstraxit; notitiam autem horum prædicatorum, sine quibus lapis, vel planta distincte cognosci nequeunt, scientia inferior accipit a Metaphysica.

50 Ad rationem pro Suarez allatam, ex ea parte, qua nos carpit, dicimus probare solum secundam partem nostri asserti, quod scilicet Met. non attingit e priori quid sit objectum aliarum scientiarum, sed tantum quod si est eo modo, quo declaravimus supra nu. 16. tum quia potest existentiam eorum ostendere a priori per causas extrinsecas, scilicet finem, vel efficientem, quæ non exprimunt quodquid rei; Ad difficultatem dec Met. ait Pasqualig. cit. sect. 3. posse etiam a priori ostendere existentiam sui objecti recurrendo ad primam causam; possumus enim argumentari ab ente per essentiam ad ens participatum, quatenus ex ente per essentiam, tamquam ex causa, &, primo fonte sequitur possibilitas entis participati, quia scilicet ens per essentiam est communicativum sui ipsius; & ait hoc esse privilegium speciale Metaphysicæ, ut possit etiam a priori confirmare objectum suum, & id obtinet, quia est scientia omnium prima, quæ absque eo, quod egrediatur proprios terminos, potest attingere causas sui objecti, quod aliis scientiis concessum non est, quæ intra proprios terminos non reperiunt medium ad confirmandam existentiam sui objecti a priori. Hæc responsio recipi non debet, quia ut docet Doctor 1. Met. qu. 1. solvendo rationes pro Averroe, nulla prorsus scientia in universum valet existentiam sui objecti ostendere a priori, ut etiam docuimus disp. 12. Log. qu. 2. art. 2. tum quia ratio, quam affert Pasqualig. ipse in illa disp. 22. nu. 2. pro aliis scientiis, idipsum æque bene de Metaphysica concludit, inquit enim nullam scientiam objectum suum a priori posse probare, quia ad hoc requiritur *medium cognitionis inferens notitiam illius rei*, quæ investigatur; cum autem quælibet scientia incipit a suo objecto, non potest ex propriis aliquod medium cognitionis habere, nisi desumptum ex proprio objecto, a quocunque enim alio desumatur non erit ex propriis; sed quando proceditur ad probandum objectum, tunc non habetur, alioquin ad quid ipsius existentia confirmaretur? sed eodem pacto se habet, ac si ablatum fuisset, &, idcirco non suppetit scientiæ medium aliquod, quo ex propriis ad ejus probationem procedat a priori: sed quis non videt rationem hanc paribus viribus etiam de Metaphysica militare? tum denique quia neque per argumentum ab ente per essentiam ad ens participatum rite concludimus possibilitatem objecti Metaph. quia objectum Metaph. non est ens finitum, & participatum, sed ens in communi ad finitum, & infinitum, quod quidem quoad prioritatem Logicam, quam dicunt consequentiæ, ob suam communitatem prius est ipso ente per essentiam.

51 Itaque ad hanc difficultatem dicimus cum Doctore qu. 3. Prologi ad. 2. pro 2. opin. lit. V. Metaphysicæ satis esse, ut possit a posteriori existentiam objecti sui comprobare, neque ad hoc indiget probatione a priori, quia existentia objecti Metaphysici est adeo evidens, & obvia, ut negari non possit, nisi negando existere, quod est eus, & existens, quod implicat in adjecto; immo hoc est speciale privilegium Metaph. quia cum sit omnium prima, & universalissima, scientiam superiorem non habet, quæ existentia sui objecti probetur a priori; neque ob id erit inferioris conditionis, quam sint cæteræ scientiæ, in certitudine, & firmitate sui objecti, sicut non idcirco prima principia sunt minoris certitudinis, quam conclusiones, eo quia a priori probari non possunt, tum quia a posteriori, & deducendo ad impossibile adeo evidenter possumus objecti Metaph. existentiam firmare, ut hominem quantumvis protervum hanc negare præsumentem convincere valeamus. Lucet namque clarius apparet dari entia realia, ac proinde dari debere rationem omnium primam & fundamentalem, per quam realizentur, ut ita dicam, & sint entia, quæ certe alia non erit, quam ens objectum Metaph. & rursus ex ipsa abstractione argumentum evidens deducere possumus, utique enim rationes communes, in quibus plura conveniunt, præscindere valeamus, cum ergo entia omnia in eo conveniant, quod realia sunt, poterit ratio ista realitatis, seu entitatis præscindi, quæ est objectum Metaphysicæ.

Ad rationes pro 2. opinione negamus, per processum illum divisivum a Metaphysico factum essentiam, & quidditatem objectorum aliarum scientiarum manifestari in particulari, & distincte, non enim eo modo putandum est Metaphysicum ens dividere in corporeum, & incorporeum, ut membrum utrumque ex æquo attingat, directe per proprias, & specificas differentias, hoc enim modo non nisi ens incorporeum attingit, quod sui juris est, aliud vero membrum scilicet ens corporeum, & materiale attingit tantum indirecte, & arguitive, quatenus nempe ex connexione entis cum una differentia, scilicet immaterialitatis arguit connexionem ejus possibilem cum differentia opposita scilicet materialitate, unde non a priori per causas intrinsecas attingit quidditatem substantiæ materialis, sed ex existentia gradus entis immaterialis sub quo objecto contenti infert existentiam gradus oppositi, qui quia est extra sphæram sui objecti, ibi sistit, nec ulterius pergit ad inquitendam illius quidditatem. Ad Hurtad. jam constat ex dictis, quo pacto divisio illa substantiæ in corpoream, & incorpoream sit Metaphysica.

52 Secundum munus, quod Metaphysicæ adscribi solet est aliarum scientiarum principia probare, & stabilire, ita pluribus in locis docuit Arist. 1. Post. cap. 7. 1. Topic. cap. 2. 1. Phys. cap. 2. ubi ait, quod si quis neget prima principia Geometriæ, non pertinet ad Geometram illa probare, sed ad primum Philosophum, & hoc idem ex professo tradit 4. Metaph. cap. 3. Tota difficultas consistit in explicando, quo modo Metaphysica hoc munus exerceat; attamen ex commentario Doctoris in illud cap. 3. lib. 4. Met. optime declaratur hoc Metaphysicæ munus, & quo pacto illud exerceat circa aliarum scientiarum principia; hæc enim sunt duplicis generis, quædam enim sunt principia valde universalia, ut v. gr. in Geometria. *Omne totum est majus sua parte*, vel si *ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia*, &, consimilia; quædam vero non adeo universalia, sed particularia in ea scientia, ut *dici de omni*, & *dici de nullo* in logica, compositum dicit aliquid præter materiam in Physica, & alia *hujusmodi*, si principia sunt prioris generis, ait Doctor loc. cit. quem sequitur Suarez sec. 4. cit. num. 17. quod ea confirmat Metaphysicus declarando rationes, terminorum, ex quibus prima illa principia constant, hæc namque componuntur ex terminis communibus, qui sunt prius noti nobis, eo quod nostra cognitio incipit a communioribus, & confusis, ut habetur 1. Phys. isti autem termini communes sunt ens, totum, pars, æquale, inæquale, & similes, & quia hujusmodi termini communes pertinent ad Metaph. & ipse declarat rationes eorum; idcirco dicitur præfata confirmare principia, non quidem demonstrando, inquit Doctor, sed rationes terminorum declarando, ut quid sit totum, quid pars, quid substantia, quid actus, quid potentia, quid æquale, quid inæquale, quod facit in 5. lib. quibus terminis notis statim intellectus assentit veritati talium principiorum, ita Scot. cit. in expositione tex. 8. Ut ergo Metaph. hujusmodi principia confirmare dicatur, sufficit, quod proponat intellectui hujusmodi motivum, quod præstat declarando terminos, eorumque naturam manifestando, unde si proterve quis hoc principium negaret, ad eum convincendum proponi debet ex Metaph. quid sit totum, quid sit pars, ex tali enim terminorum declaratione fit statim evidens connexio ista, quod totum est majus sua parte; & sic quoque declarat Alensis in quæstiuncula mota in eumdem textum.

Si vero principia sunt secundi generis, & non adeo universalia, sicut illa; tunc ista principia potest Metaph. probare nedum prædicto modo declarando nempe terminos illorum principiorum, si tamen non sunt extra abstractionem Metaphysicam (si enim sic se haberent, modus ille foret ineptus.) sed præcipue reducendo illa principia particularia in principia generalissima, quæ considerantur a Met. ut. v. gr. in Physica principium illud, quod compositum dicit aliquid præter materiam, reduci potest ad illud primum principium, quod omne totum est majus sua parte, & si in Logica negetur principium illud *dici de omni*, *dici de nullo*, probari potest eo principio Metaph. *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; si in Arithmetica tandem negetur hoc principium, si ab æquali numero æqualem demas, qui remanet, est æqualis, principium hoc probari potest, nedum explicando terminos æqualis, & inæqualis, sed etiam reducendo principium hoc ad suam universalitatem, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, licet hoc principium ad Mathematicam spectet.

Deinde principia utriusque generis probare potest Metaph. & confirmare via ambobus communi, nempe per deductionem ad impossibile hoc modo, accipiendo *nempe contradictorium illius principii*, quod negatur, & ex verificatione hujus contradictorii manifestum absurdum colligendo, hinc enim palam concluditur hujusmodi contradictorium esse falsum, & verum illud principium quod assumitur confirmandum; & hæc reductio ad impossibile fundatur in illo universalissimo, & irrefragabili principio: *Impossibile est de eodem simul idem affirmare, & negare*, de quo agit Arist. 4. Met. Denique Doctor alio adhuc modo declarat p. d. 3. qu. 2. N. quo pacto Met. habeat verificare principia aliarum scientiarum, quia scilicet ante Metaph. in particulari scientia sunt nota ex conceptu tantum confuso terminorum, sed ex Metaph. scita postea est possibilitas inquirendi quidditatem terminorum distincte, quod declarat exemplo *Geometriæ*, nam *Geometer*, ut Geometer, non utitur pro principiis per se notis, nisi illius, quæ statim sunt evidentia ex conceptu confuso terminorum, qualis occurrit primo ex sensibilibus, puta linea est longitudo &c. non curans ad quod genus pertineat linea, num sit substantia, vel quantitas; sed cognita Geometria, & aliis scientiis specialibus sequitur Metaph. de conceptibus communibus, ex quibus potest

fieri

fieri reditio per viam *divisionis* ad inquirendum quidditates terminorum in scientiis specialibus, & tunc ex illis quidditatibus sic cognitis distinctius cognoscuntur principia scientiarum specialium.

Sed dices hanc subordinationem scientiarum ad Metaphysicam in evidentia suorum principiorum auferre ab eis sufficientem certitudinem scientiæ necessariam. Negatur conseq. quia illa principia satis sunt per se nota in ea scientia, quantum sufficit ad conficiendas in ea demonstrationes; & solum ponit extrinsecam quamdam dependentiam pro defensione illorum principiorum contra protervos; quia cum Metaph. habeat illa principia notissima, quodlibet est, vel non est, & impossibile est idem simul esse, & non esse, probat ex his principiis aliarum *scientiarum principia* per reductionem ad impossibile.

53 Tertium munus, vel privilegium Metaphysicæ est, quod cæteras omnes scientias superet certitudine, ac evidentia, ita expresse docuit Arist. 1. Metaph. cap. 2. ubi proinde eam dignatur nomine sapientiæ, & 4. Metaph. 7. inquit principia ipsa Mathematica ex principiis Metaph. dependere in sua evidentia, & certitudine, quam sententiam docent circa ea loca passim Interpretes D. Thom. Scot. Alensis, Albert. & alii; deducitur ex præcedentibus muneribus, si namque Metaph. aliarum scientiarum objecta, & principia confirmat, utique illis præstare debet in certitudine, & evidentia, alioquin munus illud obire non posset; & probatur ratione a priori deducta ex Aristot. citat. *illa* scientia est cæteris certior, ac evidentior, quæ procedit a principiis magis certis, ac evidentibus; sed Metaph. habet principia magis certa, ac evi*dentia*, quam aliæ scientiæ; ergo &c. Major patet ex 1. Post. quia certitudo, & evidentia conclusionum dependent a principiis, unde deducuntur; sunt enim veluti causæ influentes certitudinem, ac evidentiam in conclusiones. Probatur minor, inter principia, illa sunt magis certa, ac evidentia, quæ sunt priora, & magis universalia, talia sunt principia Metaphysicæ; ergo &c. Minor hujus secundi argumenti constat ex modo dictis. Probatur major, tum quia quo principium est prius, & immediatius, ejus veritas, & certitudo dependet ex paucioribus, ut inquit Aristot. 1. Metaph. cap. 2. illis verbis, *scientiarum autem illæ certiores sunt, quæ maxime primorum sunt, nam quæ sunt ex paucioribus, certiores sunt iis, quæ ex additione dicuntur:* Tum quia quo principium est universalius, eo in pluribus verificatur individuis, & singularibus, quæ nobis faciunt fidem de veritate principii, & materiam suppeditant uberiorem, unde colligatur universa*lis propositio*.

Sed contra hoc sunt duæ præcipue difficultates; Prima est, quia Metaph. considerat res abstractas, & a sensibus valde remotas; ergo est de rebus valde nobis incertis, & inevidentibus, cum omnis nostra cognitio ortum ducat a sensu; e contra vero Physica, & Mathematica considerant res sensibus obvias; ergo certiores erunt, ac evidentiores Metaphysica. Altera difficultas quæ est veluti præcedentis confirmatio, est, quia Arist. loc. cit. asserit Metaph. esse de rebus difficillimis, utpote a sensu remotissimis; at res quo magis sunt difficiles, eo magis sunt incertæ, ac inevidentes: si ergo Metaph. est de rebus difficillimis, est quoque de incertissimis, unde Arist. paucis verbis sibi contradicere videtur.

54 Ad primam difficultatem neganda est *consequentia*, quia certitudo, & evidentia rei absolute loquendo non debet attendi ex processu a posteriori, & per effectum; quia hic processus non est in rigore scientificus; sed ex processu a priori, qui est per causam, in quo processu quo res sunt a sensibus remotiores, evidentior, ac certior est earum cognitio, quia tunc dependet a principiis magis universalibus, ex quibus colligatur, & magis necessariis, ac immutabilibus, ut hoc in loco notat Alensis; posset tamen concedi cum ipso, quod Metaph. sit minus certa, & evidens aliis scientiis loquendo de certitudine, quæ oritur ex parte nostri, quatenus res a sensibus remotiores, ut sunt Metaph. difficilius cognoscimus, quia per plura procedendum est, hinc nihilominus inferre non licet esse absolute minus certam, & evidentem cæteris, sed potius oppositum; tum quia certitudo scientiæ hoc modo ex parte objecti pensanda est, non ex parte intellectus nostri; tum quia difficultas cognoscendi res ex parte intellectus nostri attendi debet, non ex parte objecti; Mathematicalia vero, & Physicalia utique sunt nobis faciliora, quia sensui propinquiora; *in multis tamen* sunt incertiora, ut constat de Eclypsi Lunæ, quæ sine repugnantia esse posset ab alia causa præter interpositionem terræ inter ipsam, & Solem. Dices; ergo hæc *scientia* saltem, prout est in nobis, est minus certa, quam Mathematica; ergo simpliciter est minus certa, quia Metaphysica, de qua agimus, non est nisi humana. Resp. neg. conseq. tum quia, ut diximus, certitudo scientiæ simpliciter, & absolute ex parte objecti pensanda est, tum quia etiam Metaph. prout in nobis, sicut est aliis scientiis difficilior, ita & incertior; donec perveniamus ad ejus principia, & eorum vim capiamus, tunc enim non solum in se, sed etiam nobis certior est aliis scientiis. Ad alteram objectionem negatur minor, quia ut inferius suo loco dicemus ex Scoto 2. Metaph. quæst. 2. difficultas cognoscendi non provenit ex parte objecti, sed ex imperfectione intellectus nostri, & ideo hæc difficultas non infert incertitudinem in objectis secundum se consideratis, unde bene inquit Doctor loc. cit. 1. Metaph. cap. 2. ubi hanc solvit objectionem, argumentum concludere solum, quod Met. ita est incerta, sicut est difficilis, est autem nobis tantum difficilis, & hoc eodem pacto est nobis tantum incerta, non in se.

55 Quartum Met. munus est, quod sit aptior cæteris scientiis ad docendum, ita Arist. loc. cit. quod ex capite probat, quia docet per causas magis universales, & principia prima ratione primitatis sunt ab aliis causis, itaque a principiis independentia, at aliæ scientiæ in suis principiis multoties a Met. dependent, unde sine alterius adminiculo exactam causarum cognitionem tradere nequeunt; ratione vero universalitatis *ad plures conclusiones* applicari possunt; Deinde [probari potest ratione universalitatis objecti, ex hoc enim sequitur, quod possit Met. de omni re discurrere, quia omnia saltem secundum rationes communes, & universales sub ejus objecto comprehenduntur, at aliæ scientiæ id nequeunt præstare, quia determinatum genus entis considerant. Denique ut notat Doctor 6. Metaph. quæst. 1. in fine nulla scientia particularis habet exactam, & distinctam cognitionem sui objecti, sed tantam dumtaxat, quanta sufficit ad attingendam rationem, per quam conveniunt illi passiones in ea scientia consideratæ; & solum per Metaph. acquirit particularis sciens notitiam distinctam sui objecti usque ad ultima, & suprema prædicata; ergo est aptior cæteris ad docendum.

Obiicies contra, quia ex 1. Post. 24. principia prima, & communissima, quæ dicuntur dignitates, non ingrediuntur demonstrationem, quæ est causa scientiæ quia demonstratio procedit ex propriis, non ex communibus; ergo quia Met. talia tradit principia, cæteris ad docendum ineptior erit. Tum quia Dialectica est aptior ad docendum, quam Metaph. utpote quæ tradit instrumenta sciendi. Tum demum quia si est aliis aptior ad docendum, cæteras scientias præcedere deberet juxta normam ordinis doctrinæ, qui accommodatur captui nostro, sicut hac ratione præmittimus Dialecticam.

56 Respondet Doctor 4. Metaph. in expositione text. 4. ex illo eodem cap. lib. 1. Post. haberi, quod licet principia illa communia non ingrediantur demonstrationem secundum substantiam, ingrediuntur tamen secundum virtutem, pro quanto omnia principia particularium scientiarum firmantur per ea, & roborantur; imo subdit, quod si illa principia contrahantur, & applicentur ad propria; sic aliqualiter secundum substantiam ingrediuntur demonstrationem; non quidem in sua communitate, sed contracta ad propria alicujus scientiæ, & sic scientiæ utuntur eis, quantum eis sufficit, & requirit eorum subjectum proprium; affert exemplum ex Geometria; quæ quandoque utitur principio illo: *si ab æqualibus æqualia demas &c.* contrahendo ipsum sic, si ab æqualibus lineis æquales lineas demas, quæ remanent, sunt æquales, & sic de aliis. Ad 2. Dialectica aptior est ad docendum, quam Metaphysica quoad *modum*, & formam, quia tradit instrumenta sciendi; non autem quoad *materiam*, & principia, per quæ demonstrationes fiunt; Metaphysica namque tradit media, ac principia demonstrandi altiora, & efficaciora, & magis a priori, quam cæteræ scientiæ, & quoad hoc ipsa Logic. dependet a Metaph. ut constat de illo principio *dici de omni*, & *dici de nullo*, quo a Dialectico probatur omnis vis syllogistica. Ad 3. dicimus ex Scot. 1. d. 3. qu. 2. N. utique servando ordinem naturæ, ac in ordine distincte concipiendi Metaph. cæteras omnes scientias præcedere debere, quia nulla scientia ante Metaph. distincte novit principia sua, & naturam sui objecti, sed tantum post Metaph. hanc distinctam cognitionem assequitur; attamen servando ordinem doctrinæ, qui attendi debet penes commoditatem nostri captus, & faciliorem nostrum intelligendi modum, qui regulariter a sensibilibus incipit, & in ordine confuse cognoscendi, est posterior; & quia scientias speculativas distribuit Philosophus servando ordinem doctrinæ, ideo Physicam præmisit Metaph. quia illa est facilior, & captui nostro magis accommodata, utpote quæ tractat de rebus sensibilibus, quæ sunt cognitu faciliores; Dialectica vero omnibus præmittitur scientiis absolute loquendo, quia tradit instrumenta sciendi, in qua distributione servatur adhuc ordo doctrinæ, etiamsi logica non agat de rebus sensibilibus, ut physica, quia ut diximus disputatione prima logica, quæstione sexta, quando dicimus ordinem naturæ a notioribus nobis incipere debere; per notiora nobis non debemus intelligere, quæ solent contradistingui a notis natura, quasi ordo doctrinæ opponatur semper ordini naturæ; sed per notiora nobis intelligenda veniunt, quæ facilius aliis addiscuntur ab initio, vel si non adeo facilia sunt, & sensui propinqua, tamen ex eorum cognitione facilius aliorum cognitionem assequimur; & hoc pacto Dialectica præmittitur aliis scientiis servato adhuc ordine doctrinæ, quia acceptis instrumentis sciendi, quæ nobis ab ea suppeditantur, facillime deinceps ad alias scientias assequendas præparamur, quas sine illis præacceptis, vel impossibile, vel valde difficile foret acquirere.

57 Dices; ergo eadem ratione ex vi ordinis doctrinæ deberet Metaphysica omnibus scientiis præmitti, quia acceptis universalissimis illis principiis, & cognitis rationibus transcendentalibus in re quacumque imbibitis, facilis valde pararetur via ad alias scientias assequendas. Respond. ex Doctore citato, & 6. Metaphysic. quæstione prima in fine negando consequentiam, quia principia communissima Metaphysic. non sunt necessaria ad assequendas veritates aliarum scientiarum, sicut instrumenta sciendi; quia particularis sciens accipit con-

fusam notitiam subjecti sui ex sensu, & hoc supposito passiones ostendit illi inesse, quas ex tali ejus notitia potest de ea ostendere; similiter etiam Geometer v. gr. non utitur pro principiis per se notis, nisi illis, quæ statim sunt evidentia ex confuso conceptu terminorum, qualis occurrit primo ex sensibilibus, puta linea est longitudo, &c. non curans ad quod genus pertineat linea, puta utrum sit substantia, vel quantitas, & talis notitia sufficit Geometræ, ut possit suas conficere demonstrationes quantum sat est ad illam scientiam.

Cæterum Hurt. disput. 1. Metaph sec. 9. in fine, & fusius Aversa quæst. 30. logic. sec. ult. contendunt Metaphysicam in ea parte, qua agit de ente, & aliis communibus prædicatis simpliciter, & absolute loquendo servando etiam ordinem doctrinæ debere præponi Physicæ, quod probant primo ea generali ratione, quod cognitio partis præcedit cognitionem totius, ut prædicata communia sunt partes Metaph. inferiorum, ergo hæc scientifice cognosci nequeunt sine illis. Tum quia hic ordo de facto observatur in Physica, quæ primo tractat de corpore *naturali in communi*, & postea de ejus speciebus, & servatur etiam in eadem Metaphysic. quæ prius tractat de ente, & aliis prædicatis communibus, quam de substantia, & accidente, de Deo, & Angelis. Tum 3. quia Physica tractat de essentia, & existentia materiæ, & forma; disputat num illis conveniat subsistentia, quomodo competat toti composito, hæc autem satis dignoscere non potest, nisi supponat notitiam essentiæ, & existentiæ, & subsistentiæ in communi ex Metaph. Tum 4. quia hac ratione factum est, ut in logic. quæ Physicæ præmittitur, tractetur de prædicamentis, ut nempe præmittatur Metaph. ex ea parte, qua agit de gradibus generalissimis entis. Tum tandem quia fundamentum oppositæ sententiæ falsum est, parum enim refert, quod res Metaphysic. sint difficiliores, ac a sensibus remotiores, quia Logica inter omnes scientias primo loco ponitur. & tamen non agit de rebus adeo sensui subjectis, ut Physica, immo non est facilior, quam Metaph. ipsa, aut certe Physica difficilior; non ergo debet hæc difficultas servato etiam ordine doctrinæ locum primum auferre Metaph. unde concludunt, quod si Physica de facto præponitur Metaph. ex hac parte, non est usus, sed abusus omnino a scholis extirpandus.

58 Nihilominus quamvis rationes istæ spernendæ non sint, oppositum tenendum est, tum quia ordo doctrinæ ita postulat, ut *incipiamus* a notioribus nobis, & facilioribus, talia autem sunt res minus abstractæ, & minus universales, de quibus ait Physica; tum quia ita usus jam obtinuit, quomodo enim per tot sæcula, ut inquit Pasqualig. disputat. 13. sect. 5. numer. 5. prius tradita fuit semper Physica quam Metaphysica, nisi facilius ipsa perciperetur, & argumentum ab experientia ductum valde urget in hac materia, ut D. August. docuit libr. 2. de ordine, neque hic abusus dici debet, quia peritiores in arte, etiam Aristot. ipse, has scientias in hunc modum disposuerunt, & ideo hanc appellarunt Metaphysicam quasi trans Physicam, vel post Physicam; Itaque hic est ordo, qui servatur a scientiis particularibus in cognoscendo, ut docet Doctor c. 6. Metaph. quæstion. 1. in fine, & 1. d. 3. quæstion. 2. sub lit. N. intellectus noster in iis addiscendis confusum sensibile primo intelligit, & in illo imperfecte communissima, deinde illa communissima percipit, & distincta notitia per Metaphysicam, & tandem ex Metaphysica redit per viam divisionis ad inquirendum quidditates terminorum in scientiis specialibus, unde parum considerate tribuit Aversa cit. Doctori quod 1. sentent. d. 3. cit. quæst. 2. priorem locum ordine doctrinæ dederit Metaphysicæ, immo ibi Avicennam commendat, quod posuerit Metaphysicam ultimam in ordine doctrinæ, & primam in ordine sciendi distincte.

59 Ad primam probat solum Metaph. debere esse priorem aliis in ordine distincte cognoscendi, non autem secundum ordinem confuse concipiendi, qui sufficit ad ordinem doctrinæ incipientem a cognitione rerum confusa, ut nobis magis prompta, & obvia; nec enim particularis sciens indiget cognitione omnino distincta, & exacta sui objecti; sed sufficit ut ex sensibilibus attingat illud confuse, *scilicet* quoad *illam tantum* rationem, secundum quam ei competunt passiones in illa scientia consideratæ, v. gr. sufficit Geometræ attingere quantitatem in eo conceptu, quo mensurabilis est, & quia parum refert ei cognoscere, quod sit substantia, vel accidens, quia talis passio in Geometria considerata non convenit quantitati ea ratione, qua ens, vel accidens: sic etiam sufficit Physico cognoscere corpus naturale in eo conceptu, secundum quem est mobile, & parum refert cognoscere secundum rationes universaliores entis, vel substantiæ, quia non secundum tales rationes ei competit prima passio physica. Ad 2. etiam quoad ordinem doctrinæ diversa est ratio de scientiis totalibus, & de partialibus contentis sub una totali, ut notant Tromb. 1. Metaph. quæst. 10. artic. 3. & Bargius p. d. 3. quæstion. 2. in §. *secundo sic*, quia in coordinatione scientiarum totalium ordo doctrinæ postulat, ut procedamus a magis particularibus, & sic inter illas Metaphysic. est ultima; sed in textura unius scientiæ totalis (scilicet Physicæ, vel Metaphysic. idem ordo doctrinæ postulat (nam quoad hoc liber est, ac indifferens ut diximus disputat. 1. Logic. quæstion. 6.) ut a magis universalibus progrediamur ad minus universalia; ratio discriminis est quia in eadem scientia totali incipimus a notitia subjecti, quæ principaliter intenditur, & cum tale subjectum sit commune omnibus consideratis in scientia, ejusque veritates, ac principia virtualiter contineat, opus est, ut universalis consideratio de ipso præcedat contemplationem specierum; sed in tota coordinatione scientiarum totalium non habetur in unaquaq; distinctissima notitia cognoscibilium ad eam spectantium ante Metaph. sed habetur distincta secundum quid, scilicet sicut possibile est haberi in tali scientia speciali, verb. grat. Mathematico scire sufficit, quod numerus est quantitas discreta, non continua, ad hoc ut sciat numerum esse parem, vel imparem, & minime refert, quod cognoscat esse substantiam, vel accidens; ita dicebamus disputat. 6. de Anim. quæst. 8. numer. 240. Ad 3. concedimus ex instituto docentis in Physica quædam pertractari, quæ proprie & ex natura rei spectarent ad contemplationem Metaphysicam, & tales præsertim sunt quæstiones *illæ* de existentia materiæ, & formæ, de subsistentia compositi &c. quare hæc ibi indirecte miscentur, quatenus conferunt ad intelligentiam eorum, quæ directe spectant ad Physicam contemplationem, ut sunt materia, & forma, quatenus sunt principia motus, immo ex abusu decentium, aliqua a quibusdam tractantur in Physica, quæ non solum directe ad eam non spectant, sed minime juvant ad intelligentiam eorum, quæ ibi directe tractantur, quidam enim insulsi movent in 1. Phys. quæstiones de primo cognito, de univocatione entis, & similes, quæ toto Cœlo distant a tractatu de principiis rerum naturalium, & ex abusu, & nimia Auctorum licentia non bonum deducitur argumentum. Ad 4. jam Hurtad. ipse, qui illius est opinionis, tractatum prædicamentorum a Logica ablegavit, & de *illis* tractat solum in Metaphysic. quo autem sensu possit de illis tractare Logica absque præjudicio Metaph. & absque eo quod falcem mittam in messem *alienam*, *declaravimus in ipsa præfatione disputat.* 6. Logic. Ad ult. jam num. 57. dictum est, quare Logica, esto sit difficilis, omnibus scientiis præmitti debeat etiam ipsis faciliorибus, quia tradit instrumenta sciendi juxta Aristot. præceptum 2. Metaph. 5. dum dixit absurdum esse simul quærere scientiam, ac modum sciendi, qua de causa hanc scientiam dispositionem postulat ipsemet ordo doctrinæ, quia instrumentis sciendi per Logicam comparatis, facilior deinceps nobis sternitur via ad alias scientias, qui est unicus scopus ordinis doctrinæ, qui præcipit ut cæteris paribus a faciliorибus inchoetur; ubi vero necessitas urget, non faciliora, sed necessaria præmittenda esse, sine quibus aliorum cognitio comparari non potest. Insuper quamplures afferunt difficultatem Logicæ non oriri ex intrinseca ejus natura, sed a causis extrinsecis, ut refert Amicus tract. 1. Log. qu. 2. dub. 3. art. 3.

60 Quintum munus nonnulli adscribunt Metaph. quod tradat instrumenta sciendi, illudque deducunt ex præcedenti, nam si est cæteris scientiis aptior ad docendum, id utique erit, quia tradit instrumenta sciendi, nam talis aptitudo ex hoc capite præsertim attendi debet, alioquin Log. aptior esset ad docendum, quam Met. Tum quia, esto Dialecticus doceat definire, dividere &c. non tamen ex propriis principiis valet hæc instrumenta declarare, & rationem reddere a priori, sed solum quo ad an sint; ad Met. autem spectat primas eorum radices, & causas detegere, nam definitio essentiam rei manifestat, sed declarare quod quid est, ac rationem essentiæ, munus est Met. Divisio rerum confusionem eliminat distinguendo, sed de rerum distinctionibus agere de eodem & diverso ad Met. spectat; Argumentatio tandem omnem suam virtutem in illis fundat principiis. Non potest idem simul de eodem affirmari, & negari; Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sed hæc principia sunt Metaphysic. propria, ergo ejus munus est hæc instrumenta tradere, ac eorum rationem a priori explicare.

Sed jampridem disp. 1. Logicæ ostendimus esse proprium, & peculiare munus Dialectici tractare de definitione, divisione & argumentatione, quatenus sunt instrumenta sciendi, & de definitione diximus ibid. quæst. 4. quod quamvis ut importat rei quidditatem, ad Metaph. spectet, nam attinet ad eum disputare de conceptibus trascendentibus, qualis est conceptus ipsius quidditatis, qua ratione de illa agit Arist. 7. Metaph. tamen ut est instrumentum sciendi, & medium in demonstratione pertinet ad Logicum, & de illa sub hac ratione agit Aristot. 2. Post. Divisio pariter, ut instrumentum sciendi, pertinet ad Dialecticam, quæ ejus leges, & præcepta tradit; sed quia in rerum distinctione, ac oppositione radicatur, de quibus agit Metaphysicus, dici potest, quod quamvis formaliter ad Logicam pertineat, fundamentaliter tamen spectat ad Metaph. & Metaph. utique dividit, & distinguit gradus sub ente, & prima ejus genera, sed leges, & præcepta bonæ divisionis habentur a Dialectica. Demum de argumentatione res est clarior, quam probatione indigeat, quod est omnino propria Dialecticæ, & quamvis Metaph. per sua illa prima principia roboret, & confirmet principium illud Log. cui proxime virtus omnis syllogistica nititur *dici de omni*, & *dici de nullo*, non inde sequitur hoc præcipuum sciendi instrumentum spectare ad Metaph. sed aliquo modo juvari ab ea, sicut etiam & alia duo instrumenta sciendi Definitio, & Divisio, ut adnotavit Suarez disp. 1. Metaph. sect. 4. num. 26. & inde.

61 Ad 1. *rationem in oppositum jam diximus* num. 55. quo pacto Metaph. dicatur apta, & valde idonea ad docendum, quia nimirum tradit principia universalia, & ineluctabilia, quo demonstrationes fiunt, non autem quia tradat instrumenta sciendi. Alia ratio probat solum definitionem, divisionem, & argumentationem ad Metaph. spectare materialiter, & fundamentaliter, quia tractat de quod quid est, quod quidem est materia definitionis, de distinctionibus, & summis rerum

generibus, quæ sunt præcipua materia divisionis ; & de primis illis principiis, ad quæ reducuntur principia regulativa argumentationis ; non autem probat, quod spectent formaliter, quatenus sunt instrumenta sciendi, nam leges ac præcepta bonæ definitionis, divisionis, & argumentationis a Logica habentur, non a Metaphysica.

Sextum privilegium, quod inter cæteras scientias obtinet Metaph. & ei tribuit Aristot. 1. Metaph. cap. 1. est, quod inter omnes scientias maxime appetatur, & probat, quia omnes homines natura scire desiderant, cum scientia sit excellens hominis perfectio ; ergo maximam scientiam, qualis est Metaphysic. summe desiderant ; sicut a pari homines diligunt sensus externos, & inter eos maxime visum, quia per sensus, & maxime per visum rerum notitiam assequuntur. Occurrit tamen hic difficultas, an id intelligendum sit de appetitu innato tantum, qui est pondus ipsum naturæ in perfectionem sibi consentaneam, & convenit omnibus rebus tam animatis, quam inanimatis, an etiam de appetitu elicito, vel ut alii loquuntur, elicitivo, qui in homine est appetitus rationalis, de qua distinctione duplicis appetitus diximus disput. 2. Phys. quæst. 6. ab initio ; Scotistæ passim 1. Metaph. quæst. 2. asserunt hoc intelligi debere de appetitu naturali dumtaxat, non autem de elicitivo, ita Ant. And. ibid. Faber disputat. 6. & alii dicentes hanc esse mentem Doctoris in eodem loco ; Suarez autem disputat. 1. Metaph. sec. 6. cum multis aliis ajunt intelligi etiam posse, & debere de appetitu elicitivo, quia etiam hoc appetitu homo appetit naturaliter suam perfectionem, & felicitatem, quæ per Metaph. præsertim comparatur ex ea parte, qua Deum speculatur. Et hunc secundum dicendi modum probabiliorem censemus, quicquid alii Scotistæ reclament, quia non tantum ex pondere naturæ inclinatur homo in perfectionem, quam per scientias acquirit ; verum etiam quando per appetitum rationalem elicit actum desiderii sciendi conformem naturali inclinationi, dici potest naturaliter scientiam appetere, non in eo sensu, ut naturalitas in toto rigore sumatur, ad excludendam scilicet libertatem omnimodam appetitus elicientis, & actus eliciti ; sed ad excludendam tantum libertatem specificationis, sive contrarietatis, quam non habet rationalis appetitus circa bonum, & felicitatem, ut diximus disput. 7. Phys. quæstion. 8. art. 2. & disputat. 7. de Anim. quæst. 5. num. 99. non autem libertatem contradictionis seu exercitii, de qua duplici libertate diximus disput. 7. cit. de Anim. quæst. 2. numer. 12. & 13. tali igitur actu elicito dicitur homo naturaliter scientiam appetere, quia appetit necessario necessitate specificationis, quatenus non potest respuere, & abhorrere scientiam, ut ejus perfectio, & felicitas est, licet ex alio capite possit eam negligere, & aversari, quatenus nempe ardua, & difficilis est ; Ita manifeste significat Doctor, dum in solutione ad quartum, quod erat, quia aliqui desiderant ignorare, cum detur ignorantia affectata, inquit, voluntatem *in nobis ferri posse contra* inclinationem naturalem, nunquam tamen per se voluntas vult non scire, sed per accidens, quia aliquid aliud vult magis actu elicito, ut pigritiam, vel ut remorsum conscientiæ, quam scire aliquid, ad quod est inclinatio naturalis ; ita Doctor, quibus verbis, ut etiam ibi adnotavit P. Cavellus schol. 3. innuit voluntatem non posse velle ignorantiam, nisi ratione alicujus adjuncti convenientis, ex quo directe sequitur hominem velle scire necessario necessitate specificationis, non exercitii ; neque unquam id negat Doctor quæst. illa, licet affirmet propositionem illam Arist. intelligi præsertim de appetitu naturali ; Et Arist. ipse in probatione suæ conclusionis, dum ex sensuum dilectione, & amore colligit in nobis naturalem scientiæ appetitum, loquitur etiam de actu elicito, quia amor, & dilectio proprie significat actum elicitum ab appetitu ; & sic etiam loquitur Doctor in prolog. q. 9. Metaph. ubi appetitum elicitum vocat desiderium accidentale.

62 Sed cum Scotistis obiicies propositionem illam de appetitu elicito intelligi non posse, quia appetitus rationalis est formaliter liber, at appetitus, quo omnes homines natura scire desiderant, est naturalis, quia tunc possent non desiderare scire, & sic illa propositio non esset necessaria, sed contingens, ergo &c. Deinde probatur e contra, non posse intelligi de appetitu innato, quia in re indivisibili non est assignare magis, & minus ; sed appetitus naturalis hominis ad scientiam consistit in indivisibili, quia est ipsamet natura intellectus humani, non autem accidens ei realiter superadditum intensibile, & remissibile, cum ergo Aristot. loquatur de appetitu habente latitudinem graduum, qui est maximus ad Metaph. & minor ad alias scientias, palam est quod non loquatur de appetitu naturali, sed elicito.

Respond. ad 1. quod appetitus, quo homines natura scire desiderant, non solum est naturalis, sed etiam elicitus, cumque hic sit actus appetitus rationalis, qui est liber, verum est, quod posset suspendi, & conseq; homo non desiderare scire ; non tamen potest actum oppositum elicere, nempe respuere, & abhorrere scientiam, & ideo illa propositio ex hoc capite non est contingens, sed necessaria, quatenus actus ille elicitus desiderandi scientiam est necessarius necessitate specificationis, licet non exercitii ; Neque hinc sequitur voluntatem fore potentiam naturalem, non liberam, ut sæpius Faber inculcat, & instat. Quia ut diximus disput. 7. cit. de An. quæst. 2. libertas creata non consistit in indifferentia contrarietatis, sed contradictionis, & exercitii, & actuum, quo appetimus scire, appellamus naturalem, non in rigore, sed quia est necessarius necessitate specificationis, & conformis naturali inclinationi intellectus. Ad aliud concedit Hurtad. disput. 1. Metaph. §. 221. appetitum innatum in homine esse æqualem ad quamvis scientiam ob rationem allatam, ait tamen quod metaphorice potest dici major ad hanc propter dignitatem ejus objecti, & modum illud attingendi ; Sed jam disputat. 2. Phys. qu. 6. art. 2. num. 133. declaravimus, quo sensu possit admitti magis, & minus etiam in appetitu naturali.

63 Septimum tandem munus, & privilegium Metaph. est, quod præsit, & imperat omnibus aliis scientiis ; ita docuit Aristot. 1. Metaph. c. 2. & 1. Post. cap. 7. text. 23. ubi per scientiam omnium dominam, ut ibi omnes exponunt, intelligit Metaph. dicitur autem aliis præsidere, non quidem modo practico quasi illas ad opus ordinando, & dirigendo, quia ut videbimus q. seq. est scientia omnino theorica, sed speculativo modo, tum scilicet ratione dignitatis, & excellentiæ, qua omnibus supereminet ratione principalis objecti ; tum ratione universalitatis, quam *possidet ratione objecti adæquati*, quod ex natura sua est quid prius, & superius ad objecta aliarum scientiarum, tum ratione primi, & secundi muneris jam explicati, distribuendi scilicet objecta aliarum scientiarum, ac earum principia confirmandi, quæ important quandam præsidentiam supra cæteras scientias, per quam quodammodo illas sibi subdit, an vi autem hujus imperii, & prælationis in cæteras scientias, illas quoque sibi subalternet, quæstione sequenti examinabimus.

Hinc aliqui duplicem rationem distinguunt in Metaph. una est scientiæ particularis, alia est communis artis, quatenus aliis scientiis præest, & imperat ; primam appellant docentem, alteram imperantem, hancque duplicem Metaph. acceptionem probant *ex simili* de Logica, quæ *simili quadam ratione* in docentem, & utentem dividi solet ; quatenus enim est scientia particularis suas faciens demonstrationes, tradens regulas, ac præcepta differendi, dicitur Log. docens : quatenus autem aliis scientiis inservit per applicationem instrumentorum sciendi dicitur ars communis, & utens ; qua ratione dicunt Aristot. 4. Metaphysic. text. 5. ad invicem comparasse Metaphysicam, Dialecticam, & Sophisticam, quod hi tres habitus non contenti propriis limitibus circa totum ens negotientur, & sub hac ratione volunt Metaphysicam considerare rerum omnium quidditates in particulari tam rerum immaterialium, quam materialium, ut nimirum est communis ars, aliisque scientiis, & artibus præsit, unde tam Dialectica, quam Metaphysica per omnium scientiarum ditiones *vagantur*, & spatiantur, hæc quidem ut domina, illa vero, ut famula, & ancilla ; quem dicendi modum amplexus est Meruisse quæstion. 5. procem. Metaphysic. ut libere defenderet posse Metaphysic, in aliquo sensu contemplari omnium rerum quidditates in particulari ; quod si ei obiicias non posse scientiam transgredi objectum suum, & extra proprium abstrahendi modum exorbitare, per eandem responder distinctionem, id verum esse de Metaphysica, ut particularis scientia est, non vero ut communis, & universalis,

64 Sed isti dubio procul abutuntur hoc Metaphysicæ-privilegio, illudque amplius extendunt, quam Metaphysicæ natura patiatur, quia Metaphysic. non alia ratione dicitur scientia universalis, nisi ratione sui objecti abstractissimi, & universalissimi, & quia principia declarat universalia, & prima, quibus potest alias coadjuvare scientias ; cum ergo objecta materialia, ut sic, non contineantur *sub ratione formali objecti scibilis*, sub qua ens consideratur a Metaphysic. ex vi cujus abstrahit ab omni materia, etiam ut scientia universalis nequit rerum omnium quidditates in particulari considerare. Tum quia si id munus obire posset, ut scientia universalis, tunc adhuc omnia sequerentur absurda, quæ supra quæstion. 1. intulimus contra defendentes Metaphysicam esse rerum omnium in particulari contemplatricem, præsertim quod aliæ scientiæ penitus superfluerent ; parum enim ad hoc refert, quod Metaph. hoc munus gerat, ut scientia universalis, vel particularis. Deinde distinctio ista Metaphysic. in universalem, & particularem, est prorsus vana, & sine fundamento, quia Metaphysic. in suo esse particulari, & ut ab aliis condistincta, involvit quod sit universalis ; quia in suo esse particulari, & ut ab aliis condistincta contemplatur ens, ut objectum, ratione cujus contemplationis dicitur universalis, quod ergo non potest, ut scientia particularis, nec etiam poterit, ut universalis, cum sub utraque consideratione idem semper habeat objectum, & consequenter eosdem limites, quos transilire non potest. Denique paritas assumpta ex logica non valet, quia illæ duæ rationes non distinguuntur ex natura rei in Metaphysicæ habitu, tanquam duæ partes ejus re ipsa distinctæ, sed ad summum sola consideratione, & præcisiva abstractione nostra per inadæquatos conceptus, verum logica docens, & utens important habitus realiter inter se distinctos, & specie abinvicem diversos, ut diximus quæst. procem. logic. art. 1.

Postea quam Logica nostra in lucem edita est, hunc dicendi modum de reali distinctione logicæ docentis, & utentis impugnavit Poncius Scotista recens, licet non recenti medio, disput. 2. logic. quæst. 6. n. 59. quia eo ipso, quo cognoscimus, quomodo syllogismus in quocumq; modo, & figura fieri debeat, quod est munus logicæ docentis, facilitamur ad conficiendum syllogismum in quocunque modo, & figura, ergo idem habitus logicæ docentis, exercet sufficienter munus quod nos attribuimus habitui log. utentis, nimirum reddere promptum, & expeditum intellectum ad conficiendos syllogismos, quod etiam confirmat, quia logica utens est, quæ inclinat ad faciendum syllogismum, sed Logica docens, sic inclinat, impossibile enim est, quod qui cognoscit, quomodo syllogismus sit conficiendus, non facilitetur per talem cognitionem ad eum conficiendum.

65 Verum necessitatem realis distinctionis Logicæ docentis, & utentis ibi aperte monstravimus ex diversis capitibus ; & præsertim ex communi natura, & conditione omnium facultatum organicarum, quæ omnes talis sunt naturæ, ut quælibet dividatur in docentem, & utentem, ut constat de frænefactiva, medicina, scriptoria &c. Et responsio Ruvii, qua utitur hic Auctor, ibi sufficienter impugnata est ; negat enim conseq; quia in illis artibus non est eadem potentia sola, quæ cognoscit, quomodo actus illi sunt faciendi, & quæ facit istos actus, ut patet, unde plures habitus ponuntur, unus ad determinandum unam potentiam, alter ad alteram, secus autem est in proposito, quia est eadem potentia, nempe intellectus, qui cognoscit quomodo faciendus sit syllogismus, & qui ipsum facit ; nec habet difficultatem aliquam in confectione syllogismi, quando cognoscit quomodo debeat fieri præter difficultatem, quæ oritur ex defectu cognitionis materiæ, quam difficultatem tollit scientia, in cujus materia sit syllogismus ; Immo ex illis exemplis scriptoriæ, medicinæ &c. solutionem hanc confirmat, quia ex parte intellectus non ponitur alius habitus in arte pictoria ad pingendum distinctus ab illo, quo determinatur ad cognoscendum, quomodo pingi debeat, ergo nec ex parte intellectus poni debent duo habitus, quorum unus determinet ad cognoscendum, quomodo syllogismus debeat fieri, & alter ad conficiendum syllogismum. Hæc, inquam, solutio sufficienter ibi est impugnata, quia re vera adducit non causam pro causa, non enim verum est ideo in illis artibus geminari habitus docentem, & utentem, quia non est eadem potentia, quæ regulas cognoscit, & quæ illas exequitur, & applicat ad opus, ut ait Poncius, quia medicina dividitur in utentem, & docentem, & tamen est idem intellectus, qui regulas, & medicos canones cognoscit, & eas exequitur ac applicat ad opus, dum hoc vel illo modo medicinas ordinat, & pharmaca ; idem est de Rethorica, & Grammatica, & in arte saltatoria, si quis haberet membra naturaliter ad saltandum disposita valde, sufficeret illi sola saltatoria docens, nec esset habitus alius necessarius in membris, etiamsi hæc potentia executiva sit diversa ab illa, quæ cognoscit, quomodo saltus sint faciendi, quia non diversitas potentiæ diversitatem habitus requirit, sed nova difficultas, sive hæc in eadem, sive in diversa potentia reperiatur ; quare cum intellectus etiam sufficienter imbutus præceptis logicis de conficiendis syllogismis sentiat adhuc ab initio difficultatem in applicandis illis regulis ad opus, ut ibidem solide demonstramus ex ipsa experientia, alter habitus distinctus erit illi concedendus ad tollendam hanc novam difficultatem, quia ut diximus necessitas habitus ex difficultate potentiæ ad aliquid operandum desumitur, non ex diversitate potentiæ. Nec est, cur adeo mordicus num. 64. hanc experientiam neget in Tyronibus, qui regulas Logicas maxime callent, sed quia adhuc sunt inexperti, & inexercitati, difficultatem in sentiunt in conficiendis syllogismis etiam de ipsis rebus Logicalibus. Quia si hanc Tyronum experientiam non admittit, revincam eum experientia proficientium, nam optimus Philosophus, vel Metaphysic. proficiens, & expedite argumenta conficit ex frequenti usu syllogizandi, nec distincte, & exacte recordatur præceptorum Logicæ, & summularum, unde si de illis examinetur, non ita prompte respondebit, ut prompte conficit syllogismos in Philosophia, & Metaphysica. Quod etiam contingit de Grammatica ; nam proficientes melius latine loquuntur, quam pueri, & tamen isti melius recordantur regularum grammaticalium ; hoc autem accidit, quia illi habent intensiorem Grammaticam utentem, quam isti. Neque exempla artium illarum hanc solutionem confirmant, at potius omnino infirmant, quia ideo in illis artibus non geminatur habitus docens, & utens in intellectu, quia directio, & executio non pertinent ad eandem potentiam, sed diversas, cum ergo in proposito hæc munera ad eandem pertineant potentiam, scilicet intellectum, erunt in eo geminandi habitus docens, & utens, quia unitas, vel geminatio habituum, ut diximus, non ex diversitate potentiæ deduci debet, vel unitate, sed ex diversitate munerum.

66 Deinde ibi arguebamus, quod actus utentis logicæ multiplicati generant aliquem habitum, & eum genitum augent ; sed non generant, nec augent habitum docentis Logicæ, quia non sunt scientifici, ergo habitum diversum, quia si essent *idem habitus*, per actus Logicæ utentis deberet augeri habitus docentis, habitus enim omnis augetur per suos actus. Respondet hic Auctor negando consequentiam cum probatione, quia non debet habitus augeri per actus alios, quam per illos, qui eliciuntur ab ipsomet, confectio autem syllogismi non fit ab habitu Logicæ docentis elicitive, sed regulative, & directive, unde non debet augeri per istam, confectionem. Contra, si regulative dumtaxat & non elicitive, actus logicæ utentis procedunt ab habitu logicæ docentis ; quæro a quo habitu elicitive, & Physice actus isti procedunt, nam ab habitu aliquo præsertim in viro provecto actus isti hoc modo, id est elicitive, & Physice procedere debent ; si ita procedunt ab habitu logicæ docentis, ergo ipsum augebunt, quod negabatur ; si ab alio habitu diverso, hic erit habitus Logicæ utentis realiter diversus ab habitu docentis, quod intendimus.

Tandem hinc Auctor tenet ibidem, quod & si habitus docentis, ac utentis Logicæ sint idem, actus tamen hujus, & illius sunt realiter distincti, & specie diversi, sed ex hoc sufficienter deducitur etiam ipsorum habituum diversitas, quia habitus specificantur ab actibus, unde actus specie distincti ab eodem habitu nequeunt provenire, & eodem argumento ipse utitur infra eadem disputat. 2. numer. 100. Respond. actus specie diversos provenire posse ab eodem habitu, quando unus ex ipsis procedit ab illo elicitive, alter vero directive, quemadmodum in proposito contingit, ut patet ex actibus omnium virtutum moralium, qui procedunt ab habitu prudentiæ, cum tamen distinguantur specie ab actibus ipsiusmet prudentiæ, unde ad probationem consequentiæ ait habitus specificari ab actibus elicitis, non vero ab imperatis, & his, qui directive tantum, & regulative ab ipso procedunt. Contra quia argumentum non urget de processione actus ab habitu in genere moris, scilicet regulative, & directive, sed in genere Physico nimirum elicitive, cum igitur in hoc genere nequeant actus specie diversi ab eodem habitu provenire, talesque sint actus logicæ docentis, & utentis, ut Auctor ille concedit, plane fatendum est, quod elicitive, & in genere physico a diversis procedunt habitibus ; Idque eodem exemplo Prudentiæ respectu actuum moralium virtutum confirmatur, quia actus verb. grat. temperantiæ, & prudentiæ, licet ab eodem habitu procedant, unus Physice, alter regulative tantum, tamen in genere physico procedunt a diversis habitibus, seu a diversis habitibus eliciuntur ; ita ergo erit in proposito, quod licet in genere moris (ut ita loquar) possit actus logicæ utentis ab eodem habitu regulative procedere, a quo Physice, & elicitive procedit actus docentis, tamen in genere physico assignandi sunt duo habitus realiter distincti.

Fundamentum ejus satis loc. cit. *logic. diluimus*, quia logica docens idealiter tantum, & regulative facilitat nos ad syllogizandum, quatenus intellectus, quo magis imbutus est præceptis logicalibus, minus exponitur erroribus in arguendo ; non tamen Physice, & realiter, quo pacto facilitamur ab ipso habitu logicæ utentis, non docentis, quia quantumvis Tyro regulas calleat logicales, semper ab initio aliquam patitur difficultatem, quousque per exercitium tollatur, sicut e contra provectior per logicam utentem facillime, & prompte syllogizat, etiamsi recenter non recordetur summularum. Et ad Conf. eodem modo occurritur, quod non eodem modo inclinat ad syllogizandum logica docens, & utens, quia hæc inclinat Physice, & realiter, illa idealiter tantum, & directive.

QUÆSTIO IV.

De Natura, & qualitate Metaphysicæ.

67 PRimo dubitatur, an Metaphysic. sit scientia, non enim defuerunt, qui dixerint non esse proprie scientiam, prout scientia definitur 1. Post. sed solum dici scientiam, ut nomen scientiæ extenditur ad notitiam, quæ habetur de propositionibus immediatis, ita sensisse videtur Tatar. 1. Metaph. quæstion. unic. not. 2. ibi namque docet non omnem scientiam esse per demonstrationem, & Metaph. esse scientiam, quæ habetur de propositionibus immediatis, primisque principiis. Alii quidam Scotistæ ex parte huic opinioni adhæserunt dicentes Metaph. non esse scientiam ratione subjecti universalis, id est ex ea parte, qua agit de ente, suis passionibus, aliisque *transcendentibus*, quia ens *inquantum* ens, cum non sit definibile, non habet passiones de ipso demonstrabiles, sed solum de illo immediate enunciatas ergo cognitio hujus objecti non potest esse scientia, ut definitur 1. Post. sed solum dicetur scientia, ut nomen scientiæ extenditur ad notitiam, quæ habetur de propositionibus immediatis ; addunt tamen esse scientiam ratione objecti principalis, qui est Deus, & ratione partium subjectivarum ipsius entis, quia talium passiones sunt demonstrabiles de ipsis per suas definitiones, ita significavit Barg. quæstion. 1. prologi *in §. tertio principaliter*, & in propria de hoc q. quæ impressa habetur post Ethicam in quibusdam Tat. voluminibus, tenetque Vigerius 1. d. 39. & seq.

Dicendum tamen est Metaph. universe sumptam, tam prout agit de ente, quam de partibus ejus subjectivis, esse vere, & proprie scientiam definitam 1. Post. c. 2. cujus *conditiones explicuimus disputat. disp. 12. logic. qu. 1. est* communis conclusio in omni Schola, omnique dubitatione vacat, & probatur evidenti ratione, quia ut aliqua facultas sit scientia proprie dicta de 1. Post. sufficit ut habeat objectum, quod habeat propria principia, propriaque passiones de ipso per ea demonstrabiles ; talis autem facultas est Metaph. ergo &c. Probatur minor, quia ut constabit ex infertius dicendis, ens habet propria principia, si non essendi, saltim intelligendi, habet etiam passiones vere de ipso demonstrabiles per ipsam rationem entis, & adhuc cum majori rigore alias demonstrat peculiares passiones de ipsis subsistantiis separatis nedum a posteriori, sed etiam a priori, & in ipso Deo ex quibusdam prioribus attributis alia quædam attributa demonstrat, quæ abinvicem formaliter ex natura rei vel saltim virtualiter distinguuntur, ut immortalitatem ex immaterialitate

æternitatem ex immutabilitate &c. ergo Met. ex omni parte est vera, & proprie scientia, quatenus nimirum est notitia discursiva, & demonstrativa per causam, quæ definita est ab Arist. 1. Post.

Et hinc patet ad rationem in oppositum, quia Metaph. non versatur solum circa prima principia, & immediata, sed etiam circa conclusiones ex eis deducibiles, & ideo est cognitio circa conclusiones ex eis deducibiles, & ideo est cognitio discursiva, ac etiam est demonstrativa, quia licet ens non habeat discursivam, ac etiam est demonstrativa, quia licet ens non habeat definitionem propriè dictam, habet tamen proprium conceptum quidditativum, & habet causam saltim virtualem suarum passionum, quæ causalitas sufficit ad inducendam propriam demonstrationem, & pariendam veram scientiam, ad quam non sufficit per requiritur propria, & rigorosa ratio causæ, & effectus, ut declaravimus p. 2. Instit. tract. 1. cap. 4.

68 Secundo dubitatur, an sit sapientia, ut Aristot. docet 1. Metaph. cap. 2. & ratio dubitandi est, quia sapientia est habitus specie distinctus a scientia ex Arist. 6. Ethic. cap. 3. ubi assignat sex habitus intellectuales specie distinctos, quos declaravimus quæst. procem. log. art. 4. in principio, & præsertim memorat scientiam, & sapientiam, si ergo Metaphys. est sapientia, non erit scientia, & hac de causa, aliqui constanter negant esse scientiam, & volunt esse sapientiam.

Dicendum tamen est Met. esse vere, & proprie sapientiam; neque ob id amittere rationem scientiæ: Ita passim Peripatetici omnes cum Aristot. qui ubique eam appellat scientiam; & adhuc probat. esse sapientiam ex ejus conditionibus 1. Met. c. 2. Prima sapientiæ conditio est, quod sit scientia universalis & quantum fieri potest, circa omnia versetur; hanc autem constat ex dictis convenire Metaph. quia cum speculetur ens, & communes ejus affectiones, aliqua ratione cuncta speculari dicitur. Secunda est, quod versetur circa res difficiles, & a sensibus valde remotas, quam etiam satis constat Metaph. convenire, quia est circa universalissima, & entia abstracta a materia contemplatur vel per essentiam, vel saltim per indifferentiam. Tertia est, quod sit valde certa cognitio, & hanc convenire Metaph. constat ex quæstion. præced. ex 3. ejus privilegio. Quartum est, ut sit valde idonea ad docendum, & hæc rursus ei competit per quartum munus ibidem explicatum. Quinta est, ut sit gratia sui, & non ordinetur ad aliud, & hæc quidem conditio, cum sit propria scientiæ speculativæ, quæ propter seipsam expetitur, ut diximus disp. 12. logic. quæstion. 5. Speciali adhuc ratione convenit Metaphysic. quia ratione objecti principalis, scilicet Dei habet, ut aliæ scientiæ, quodammodo ordinentur ad ipsam, & non ipsa ad alias, ut docet Scot. in prolog. quæstion. 9. Metaph, §. *de causa finali*, unde quamvis dicatur ad alias scientias conferre, quatenus confirmat earum principia, & objecta; hæc tamen, ait Doctor, non est propria utilitas, prout utile proprie dicitur ordinatum ad finem, quia potius aliæ omnes ordinantur ad ipsam, ut ad finem, quia ipsa est perfectissima contemplatio, in qua consistit speculativa hominis felicitas, unde dicitur utilis, quatenus illas juvat, regit, & ordinat. Sexta tandem conditio sapientiæ est, quod alteri non inserviat, vel ministret; sed potius aliis scientiis præsit, & imperet, & hanc quoque conditionem Metaph. convenire liquet ex ultimo ejus privileg. quæst, præced. explicato.

69 Deinde ex ipso conceptu sapientiæ id ipsum probari potest, quia illa scientia proprie est sapientia, quæ intra genus scientiæ cæteris præstat, ac omnibus supereminet; at Metaph. inter omnes scientias est hujusmodi, ergo &c, Probatur minor, nam si consideratur ex parte objecti principalis, contemplatur substantias separatas, ac Deum ipsum; si ex parte objecti adæquati, versatur circa universalius objectum, quam cæteræ scientiæ, quæ partem abscindunt entis considerandam, & versantur circa objectum præscindens ab omni materia, quod non contingit in objectis aliarum scientiarum, quæ semper aliquam materiam involvunt: si consideretur ex parte principiorum, ex quibus suas deducit conclusiones, sunt magis universalia, ac evidentia, quam in aliis omnibus scientiis, nihil ergo Metaph. deficit, quo minus potiatur, & decoretur nomine sapientiæ.

Quod autem hoc non tollat ab ipsa veram quoque rationem scientiæ probatur, quia cum 1. Post. definitur scientia, quod sit cognitio certa, ac evidens alicujus veri, necessarii, & a priori demonstrabilis evidenter deducti per suam causam immediatam, plane non accipitur pro habitu scientiæ a sapientia condistincto, sed ut sapientiam quoque comprehendit; quia licet sapientia prima principia contempletur, quatenus valet suas conclusiones in principia absolute prima resolvere, adhuc tamen, & ipsa circa conclusiones necessarias versatur per principia absolute prima evidenter deductas, quare horum duorum habituum distinctio non est ex eo petenda, quod habitus scientiæ sit habitus conclusionum a priori demonstrabilium, sapientia vero non, in hoc enim conveniunt, ut diximus; Neque ex eo distingui debent, ut quidam deducunt ex Aristot. 6. Ethic. c. 7. quod scientia est habitus tantum conclusionum, at sapientia versatur circa conclusiones, & principia prima, a quibus deducuntur, quasi eminenter contineat habitum scientiæ, & intellectus, qui est habitus principiorum, ut inibi Aristot. innuere videtur, & sequitur Tatar. quæstion. 1. Logic. & hic Meuriss. non, inquam, hoc modo secerni debent habitus scientiæ, & sapientiæ, quia non potest dari idem specie actus, vel habitus attingens simul principia & conclusiones, ut ostendimus disput. 11. Logic. quæstion. 2. sed ex eo præcipue distingui debent, ut ibi diximus in solutione ad princ. quod habitus scientiæ versatur circa conclusiones pendentes ex propriis principiis, & non absolute primis; habitus vero sapientiæ circa eas conclusiones versatur quæ ex principiis absolute primis deducuntur, unde etiam valet in principia absolute prima resolvere, ut probe notat Tromb. 4. Metaphys. quæstion. 4. Aristot. vero loc. citat. vel loquitur de sapientia universaliter sumpta prout cum Sophia convertitur, quo sensu non est determinatus habitus ab aliis distinctus: vel de sapientia propriè dicta, quatenus habet probare principia aliarum scientiarum, sic enim respectu eorum dici potest habitus intellectus, in hoc itaque sensu dici potest eminenter scientia, & intellectus, formaliter tamen, & proprie est habitus conclusionum ex primis principiis deductarum: hinc patet ad rationem dubitandi num. 68. adductam.

70 Tertio dubitatur, an Metaphysica sit scientia practica, vel speculativa, vel simul utrumque; Nec defuerunt asserentes esse simul practicam, & speculativam, nimirum ex ea parte, qua agit de ente, & aliis trascendentibus esse speculativam, quia istæ sunt formalitates mere speculabiles; ex ea vero parte, qua agit de Deo, aliisque intelligentiis esse practicam, quia Deus est objectum operabile, & practicabile, quatenus circa ipsum actus virtutis exercere possumus, & debemus. Et Suarez disput. 1. Met. sec. 5. inquit quod si de Angelis prout in se sunt, haberi posset naturalis scientia Metaphysicæ, ad illam pertineret, non solum eorum naturam contemplari, sed etiam quomodo essent capaces ultimi finis sui, & in quo eorum beatitudo consisteret, quibusve mediis ad illam possent pervenire, & talis cognitio utique practica foret, & esset Metaph. quia abstraheret a materia secundum esse.

Dicendum tamen est Metaph. esse scientiam mere speculativam ex omni parte, non vero partim practicam, partim speculativam. Est assertum receptum in omni schola, & Arist. 6. Metaph. cap. 1. ubi Philosophiam speculativam dividit in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam, sic etiam docet Doctor 1. Metaphysic. quæst. 7. & 6. Metaph. quæst. 1. dum inquit, ens quod est subjectum Met. esse mere speculabile, circa quod inquantum hujusmodi non est nata esse notitia directiva operationi practicæ, & alterius generis a speculatione; ita Scot. ibi; & quamvis Deum consideret, non tamen descendit ad regulandos actus nostros, quos circa Deum exercere debemus, sed hoc relinquit morali Philosophiæ, & quamvis demonstret Deum esse summe bonum, & nostrum ultimum finem naturalem, non tamen dictat practice, quo modo, & quibus mediis hic finis possit acquiri, sed modo mere speculativo rationem ultimi finis, & summi boni contemplatur, quatenus talis est in se; Conf. quia quamvis Theologia, quæ est de Deo, ut de subjecto, sit practica, ut vult Doctor quæst. ultim. prologi, non ideo est practica, quia sit de Deo, ut sic, sed quia versatur circa Deum, ut ultimum finem a nobis acquirendum, & præscribit modum, & media, quibus eum ut finem supernaturalem assequi possumus, & considerat operationes nostras, ut in ultimum finem ordinabiles, adeo quod Theologia supernaturalis, & naturalis non differunt solo lumine, sed rationibus quoque formalibus, & modis, quibus versantur circa Deum; Cum igitur Metaph. agat de primis rerum causis, de primis essentiis, supremisque prædicatis sistendo in simplici eorum contemplatione, & ex se ad nullum ordinentur opus, neque physicum, ut medicina, neque morale, ut Ethyca, neque supernaturale, ut Theologia, concludendum est esse simpliciter, & absolute speculativam ex omni parte.

71 Deinde si de substantiis separatis haberemus totam Metaph. intellectui nostro possibilem, adhuc ista speculativa foret, & non practica, ut volebat Suarez, quia ex naturalibus nunquam cognoscere possumus Deum esse earum ultimum finem beatificum, & est per beatitudinem ab eis fruibilem, quam propriis meritis assequi debeant, ut late demonstrat Doctor quæstion. 1. prologi contra Philosophos. Tum quia quando etiam cognosceretur a nobis naturaliter, quicquid ad Angelorum beatitudinem pertineret, ut Suarez velle videtur, si talis notitia esset practica, non esset Metaphysic. sed potius scientia moralis circa actus angelicos; sicut homo ut constat ex anima, & corpore ad Philosophiam naturalem spectat, sed ejus operationes, quatenus in genere moris dirigibiles attinent ad Moralem. Et parum refert, quod talis notitia circa Angelos abstraheret a materia, tum quia falsum est scientias sumere unitatem, vel distinctionem præcise ex eodem, vel diverso abstrahendi modo præcisa ratione formali objectiva diversa ex disput. 12. Logic. quæstion. 3. artic. 1. tum quia hac ratione etiam notitia supernaturalis, quam nobis tradit sacra Theologia de Angelis circa mysteria gratiæ Metaphysica foret, quia abstrahit a materia, tum tandem quia si talis notitia de Angelis habita non differret a notitia, quam modo habemus per diversam abstractionem a materia, differret per differentiam practici, & speculativi, quæ est distinctio major illa, quæ provenit a sola diversitate abstractionis.

Quod autem nequeat esse simul practica, & speculativa constas ex disputat. 12. Logic. quæst. 5. artic. 3. ubi universaliter probavimus nec actum, nec habitum posse simul esse practicum, & speculativum, nam istæ sunt oppositæ differentiæ actuum, & habituum, quæ contradictoriam inferunt oppositionem,

nem, ut docet Doctor quæst. 4. prolog. art. 2. cognitio enim practica fertur in objectum, ut operabile, & ex se est directiva operationis; speculativa vero ex propria natura respicit objectum in se, non in ordine ad opus, non est directiva operis, ergo implicat eandem scientiam esse simul practicam, & speculativam, sicut a pari ob eandem rationem repugnat eundem numerum esse simul parem, & imparem, qua ratione etiam probabamus logicam non esse simul practicam, & speculativam q. procem. log. art. 5.

72 Verum, quamvis hæc ratio sit expresse Doctoris loc. cit. q. 4. prologi art. 2. D. ubi inquit divisionem scientiæ per practicum, & speculativum esse veluti divisionem generis per proprias passiones specierum circumscribentes nobis differentias essentiales, sicut si dividatur numeris per par, & impar, ac etiam inferius, ubi ex hoc capite arguit contra Gotfred. & D. Thomam Theologiam non esse simul practicam, & speculativam, & adhuc inferius sub lit. V. §. *si quæris*, ubi negat constanter habitum per se speculativum posse esse etiam per se practicum, aut e contra idem habet lit. Ee. §. *ad rationes pro opinione*, nihilominus non placet Poncio disp. 2. de natura logica quæst. 8. num. 91. quod plane solaminis non parum mihi attulit, qui alias succensebam, quod frequenter hic Auctor nobiscum in conclusione conveniens, nostras tamen non recipit probationes, si enim hoc ei licet facere cum communi Magistro, quare non etiam cum condiscipulo? sed audiamus quomodo solvat hoc Scoticum argumentum, ait quod concludit de qualibet scientia partiali una numero versante circa unum particulare objectum, non tamen de scientia totali complectente multas particulares scientias habentes distincta numero, & specie objecta, quia in hujusmodi scientia posset una pars dirigere praxin, & alia non dirigere; Neque ex hoc quod adæquate dividitur scientia in practicam, & speculativam, recte deducitur (inquit) quod una, & eadem scientia utramque rationem participare non possit, quia secundum Thomistas ens adæquate, dividitur in decem prædicamenta, & tamen ex hoc non sequitur secundum ipsos, quin identificentur realiter res, quæ ponuntur in diversis prædicamentis, & secundum Scotistas potentia rationalis, ut sic, adæquate dividitur in memoriam, intellectum, & voluntatem, & tamen non sequitur secundum ipsos, quin intellectus, & voluntas identificentur, ergo quamvis scientia adæquate divideretur per practicam, & speculativam, non sequitur quin scientia speculativa, & practica possint identificari realiter, sed sufficit, quod distinguantur formaliter; unde non ex divisione præcise animalis in hominem, & brutum oritur; quod eadem res non possit esse homo, & brutum, sed oritur vel ex ratione particulari talis divisionis, quod fiat in membra realiter distincta, vel ex ratione particulari extremorum, qualis ratio particularis posset negari in divisione proposita, aut in membris ejus; concludit tandem hanc probationem non esse ex puro originali Scotico desumptam, sed ab illa additione, quæ incipit a §. *alia opinio tenet eandem conclusionem*.

Sed quod hæc probatio sit germana Doctoris, patet ex locis nuper citatis, præter eam additionem, & præcipuum hujus rei testimonium est unanimis Scotistarum consensus, qui a tot sæculis nemine discrepante, ut talem receperunt; neque prima ejus solutio aliquid valet, quia ut ostendimus disput. 12. logic. quæst. 5. art. 3. argumentum urget, nedum de scientia partiali, sed etiam de totali, scientia enim totalis dicitur una ex unitate habitus alicujus quidditatis ut includentis, vel virtualiter, vel potentialiter veritates demonstrabiles de eo, cujus est quidditas, & de inferioribus sub eo contentis, itaut omnia considerata in totali scientia conveniant in ratione formali considerandi vel generica, vel specifica. Tum quia divisio scientiæ in practicam, & speculativam, in qua fundatur argumentum Scoticum, est divisio præsertim scientiæ totalis, & non partialis. Nec etiam altera responsio aliquid soliditatis habet, quicquid enim sit de illis exemplis adductis, num divisiones illæ sint proprie generis in species, hoc certum est ex legibus bonæ divisionis assignatis disp. 1. log. quæst. 5. art. 1. quod membra dividentia habent aliquam inter se oppositionem idest sunt ita inter se distincta re, vel ratione, ut non coincidant in eo sensu, quo sunt membra dividentia, aut unum non includatur in alio, ergo eo modo, quo practicum, & speculativum dividunt scientiam in communi, non possunt coincidere; nec idem actus, vel habitus potest esse simul practicus, & speculativus. Tum quia divisio scientiæ per practicum, & speculativum petit ex sua ratione fieri per membra realiter, & non tantum formaliter distincta; Probatur, quia scientia sumit esse practicum vel speculativum ex suo formali objecto, ut ostensum est disput. cit. logic. ex Scot. quæst. 4. prologi; at objecta scientiarum realiter distinguuntur, ergo dum scientias specificant per practicum, & speculativum, eas quoque realiter distinguunt per tales differentias, & non formaliter tantum.

73 Contra hanc conclusionem solet argui, quia Metaphysic. ordinatur ad bonum moris, ergo est practica; probatur assumptum, quia ordinatur immediate ad fælicitatem, quæ est summum bonum, ordinatur enim ad contemplationem substantiarum abstractarum, in qua consistit fælicitas ex 10. Ethic. Tum 2. quia inclinat ad actus practicos, cum enim docet Deum esse summum bonum, & ultimum finem, insinuat consequenter esse diligendum, timendum, colendum, quia hoc debetur ei, quatenus summe bonus, & ultimus finis est. Tum 3. quia Metaphysic. est scientia communis ad scientias practicas, & speculativas, ergo abstrahit ab his, & illis, sicut superius ab inferioribus. Tum 4. quia ex dictis per sua universalia principia confirmat principia aliarum scientiarum, quarum aliquæ sunt practicæ, quædam vero speculativæ, ergo principia Metaphysic. debent esse saltim eminenter utrumque, alioquin inepta forent ad illud munus. Tum 5. scientia practica nobilior est speculativa, quia finis hujus est verum scire, illius vero bonum esse, & hoc est melius illo, cum ergo Metaphysic. sit cæteris nobilior, debet poni practica. Tum 6. quia sicut se habet Theologia ad perficiendum nos in esse supernaturali, sic Metaphysic. ad perficiendum nos in esse naturali, sed Theologia ponitur practica, quia perficit nos per amorem charitatis supernaturalem, ergo pariter Metaphysic. erit practica, quia perficit nos per amorem charitatis supernaturalem, ergo pariter Met. erit practica, quia perficit nos per amorem naturalem. Demum Metaphysic. est aliarum scientiarum ordinativa, & directiva ex dictis quæst. præced. ergo est practica.

Respond. negando assumptum, ad probationem dicimus Metaphysic. ordinari ad fælicitatem speculativam, quæ consistit in speculatione substantiarum abstractarum ex Aristot. 10. Ethic. cap. 7. non autem ad fælicitatem moralem, & practicam, quæ consistit in operatione secundum virtutem optimam in vita perfecta ex 1. Eth. cap. 7. quia ad hanc ordinatur scientia moralis. Ad 2. probat ad summum Metaph. inclinare ad actus practicos virtualiter, & remote, non autem formaliter, & proxime, ad conclusionem enim practicam inferendam duæ requiruntur præmissæ, quarum una sit ostensiva bonitatis, alia directiva in generali, ut summum bonum est diligendum, Deus est summum bonum, ergo diligendus, major est directiva in generali, & formaliter practica, & pertinet ad scientiam moralem, minor in se est formaliter speculativa, & attinet ad Metaphysic. verum tamen est, quod ut in tali syllogismo assumitur, est virtualiter practica, non repugnat autem unum, & idem esse formaliter speculativum, & virtualiter practicum, sicut aqua calida est formaliter calida, & virtualiter frigida, & vinum virtualiter calidum, & formaliter frigidum. Ad 2. Metaphysic. est communis ad alias scientias, non per prædicationem, quo pacto superius dicitur commune inferioribus, sed per applicationem suorum principiorum, eo modo quo logica dicitur scientia communis per applicationem suorum instrumentorum ad alias scientias. Ad 4. præstat illud munus Metaphysic. præsertim declarando simplices terminos, ex quibus constant principia aliarum scientiarum ex dictis num. 52. hoc autem est confirmare illa speculativo modo. Ad 5. negatur assumptum cum probatione quoad secundam partem; quia secundum Philosophum scire verum est actus melior, & perfectior, quia in ipso peculativa fælicitas consistit, quam præfert Aristotil. fælicitati morali lib. 10. Ethicor. capitul. 8. quia ipse non novit fælicitatem nostram consistere in clara visione, & fruitione Dei; vide Doctorem quæst. 4. prologi ad 3. princip. 1. quæstion. Ad 6. Metaphysic. perficit nos in cognitione naturali Dei, non autem in amore, & dilectione, nisi virtualiter, & remote, quatenus ex Dei notitia excitamur in ejus amore, vide aliam solutionem apud Fab. 1. Metaphys. disp. 15. cap. 1. Ant. Andr. & Zerbium quæst. ult. lib. 1. Met. quamvis ista sufficiat.

74 Ad ult. solet communiter a Scotistis negari conseq. quia actus aliarum scientiarum, quos Metaphysic. dirigit, sunt actus intellectus, nullus autem actus intellectus est praxis ex Doctore quæstion. 4. prolog. ubi non solum definit praxim, quod sit actus alterius potentiæ ab intellectu, sed occurrit incidenti dubitationi, quod aliqua intellectio possit esse praxis, quia potest a voluntate imperari, & ait non sequi, quod sit praxis, sed solum quod omnis intellectio imperata vel est praxis, vel practica, & hoc secundum concedit. Sed disputat. 12. logic. quæstion. 5. articul. 1. jam ostendimus quod etiam docet Doctor hic 1. Metaphysic. quæst. 7. quo pacto aliquis intellectus a voluntate imperatus possit esse praxis, & quomodo sub hac denominatione non est actus intellectus, ut intellectus est, sed alterius quasi distinctæ potentiæ, quia sub tali denominatione distinguitur a seipso nude sumpto, & ibi etiam cum Licheto explicuimus responsionem quam affert Doctor ad illam objectionem, videlicet, quod non loquatur Scotus de omni intellectione imperata, sed de illa, quæ est imperata a voluntate, ut dirigat in praxim, talis enim cognitio a voluntate imperata non est praxis, sed practica, quia non est directa & regulata, sed directiva, & regulativa. Quam rursus expositionem, etiamsi non meam, sed Lichet. reiicit Poncius cit. disp. 2. log. n. 80. quia si ulla cognitio imperata potest esse praxis, etiam & talis cognitio, nec refert, quod etiam sit practica, quia bene potest esse practica, ut dirigit aliam praxim, & praxis, ut dirigitur ab alia cognitione practica, & ut imperatur a voluntate sequente talem cognitionem, nec ex his denominationibus una potius, quam altera debet ei simpliciter competere. Et ideo quia & ipse tenet nobiscum actum imperatum intellectus posse esse praxim, exponit aliter locum illum, & ait, dum Doctor negavit illa conseq; accepisse praxim in magis rigorosa acceptione, quam communiter accipitur, sic scilicet ut pro tali habendus esset solus ille actus, qui haberet secundum se, esset alterius potentiæ ab intellectu, & qui præterea esset vel elicitus, vel imperatus a voluntate, quarum conditionum altera si deficeret non esset praxis in illo rigore, prout communius accipitur praxis.

75 Satius tamen erat, quod hic Auctor quiesceret nobiscum

expositioni Lich. quam ipse propriam adderet omnino alienam ab intentione Doctoris, facit enim ibi Scotus eam objectionem, ut declararet definitionem praxis, quam immediate supra attulerat, quod est *actus alterius potentiæ, quam intellectus, naturaliter posterior intellectione* &c. ergo in solutione objectionis praxim capit in eodem rigore, quo eam definierat, nam si caperet in sensu latiori, difficultas non faceret contra illam definitionem; quid plura? Doct. ipse ibidem in ipsa illius difficultatis solutione declarat, quo sensu praxim ibi accipiat his verbis tamen, *ut praxis dicitur sola operatio, ad quam intellectus potest extendi, nulla intellectio est praxis*, non ergo aliam acceptionem latiorem praxis hic cogitabat Doctor, sed semper in eodem sensu, & in eodem rigore loquitur de illa in toto illo articulo; præstat itaque expositionem Licheti recipere a nobis allatam, quam minime infirmat instantia contra eam facta ab hoc Auctore, quia cognitio directiva a voluntate imperata, etiamsi possit esse directa ab alia cognitione, & in hoc sensu dici possit praxis, tamen ut directiva, & regulativa, non praxis, sed practica omnino dici debet, & sub hac ratione nullatenus denominationem praxis recipere potest. Itaque ad argumentum principale respondendum est, quod utique Met. dicit, & ordinat alias scientias, non tamen practico modo, quasi illas ad opus ordinando, & dirigendo, sed speculativo, ut declaratum est num. 63. nec dirigit actus intellectus, ut imperatos a voluntate, quo pacto subire possunt rationem praxis, sed secundum se spectatos, & ut omnino præscindunt a voluntatis imperio; vide quæ diximus q. procem. log. art. 5. ut ostenderemus logicam non esse practicam, etiamsi dirigat actus intellectus, & totam illam doctrinam ad rem nostram applicat pro exacta argumenti solutione; & quæ docet prima Metaphysicor. quæstion septima in corpore, quod potest cognitio intellectiva multipliciter ordinari ad aliud absque eo, quod sit practica; Vel tandem ad argumentum dicas cum eodem Doctore in eadem quæstion. ad 2. quod Metaphysica ordinata alias scientias, ut finis ordinat entia ad finem, non ut scientia directiva.

76 Quarto dubitatur, an Metaph. sit scientia subalternans in ordine ad alias, neque ista dubitatio procedit de subalternatione communiter, & improprie dicta, quam vocare solent extrinsecam, quo pacto scientia illa dicitur subalternans, quæ est magis universalis, & aliquando opem offert inferiori; non, inquam, in hoc sensu movetur dubitatio, quia sic exploratum est apud omnes Metaphysicam dici posse scientiam subalternantem respectu aliarum scientiarum; quia, ut dictum est, Metaph. est scientia universalis, & communissima, quæ speculatur rationes transcendentales omnium entium, principiaque communissima cognoscendi, quæ sunt utilia omnibus scientiis; unde cum ex hoc capite habeat Metaph. quandam præsidentiam, & superioritatem supra alias scientias, possunt in hoc sensu dici omnes Metaph. subalternari. Sed dubitatio est de subalternatione proprie dicta, quæ ut colligitur ex Aristot. 1. Post. 43. & 69. & tex. 100. & 101. non est aliud, quam dependentia quædam, qua essentialiter una scientia dependet ab alia secundum rationem scientiæ, itaut ex vi hujus dependentiæ habeat, quod sit scientia, adeo quod si auferatur subalternans, neque amplius subalternata foret propter dependentiam essentialem hujus ab illa; ad quam proinde subalternationem propriè dictam tres sunt necessariæ conditiones secundum communem in omni schola ex Arist. deductæ loc. cit. Prima est ut subjectum subalternatæ contineatur sub objecto subalternantis; altera ut supra illud addat differentiam accidentalem; tertia tandem ut sua principia accipiat a scientia subalternante ad ostendendas proprias conclusiones, quas conditiones assignavimus, & fuse explicavimus disp. 12. Log. qu. 4. de subalternatione scientiarum. Nec desunt qui dicant etiam in hoc sensu omnes scientias Metaphysicæ subalternari, idque deducunt ex munere, quod Arist. Metaphysicæ tribuit 1. Phys. 8. & 4. Metaphys. 7. probandi, & confirmandi aliarum scientiarum principia; si enim principia unde aliæ scientiæ suas deducunt conclusiones, confirmari habent, atque probari in Metaph. ergo illæ scientiæ non habent certitudinem, ac evidentiam suorum principiorum in seipsis, sed in superiori scientia, scilic. Metaphysica, talis autem dependentia inter scientias infert subalternationem propriè dictam unius ad aliam; ita tenet Julius Sirenus disput. de subjecto primæ Philosophiæ sect. 2. capitul. 15. cum aliis quibusdam.

77 Oppositum tamen in omni schola docetur, sed præsertim in nostra, ita significavit Doctor 1. Metaph. qu. 9. Ant. And. 1. Metaph. quæst. 1. ad 4. princ. & rursus quæst. 9. in corpore quæsiti, Zerb. ibid. Faber. 1. Met. disp. 3. Meruisse quæst. 6. procem. & omnes Thomistæ passim Soto 1. Phys. quæst. 11. Javel. 1. Met. quæst. 9. Suar. disput. 1. Metaph. sect. 5. numer. 45. Pasqualig. disputat. 24. sect. 2. & 3. Aversa quæst. 1. sect. 7. Perer. lib. 1. capitul. 14 & alii passim, & deducitur ex dictis loco citat. in Logica de subalternatione scientiarum, proprie namque de subalternatione loquendo illa scientia dicitur alteri subordinari, quæ essentialiter in esse scientiæ ab ea dependet, itaut scientia dici non possit nisi conjungatur scientiæ subalternanti, & ab ea evidentiam suorum principiorum desumat, sed aliæ scientiæ habent sua principia per se nota, & evidentia ex dictis numer. 52. quibus intellectus statim per se assentitur sine ope Metaphysicæ talia principia demonstrantis, & habet talem evidentiam ex conceptu confuso terminorum, qualis occurrit primo ex sensibilibus, ut notat Doctor 1. distin. 3. quæst. 2. N. 5. & 6. Metaphys. quæst. 1. in fine, ergo Metaph. non est scientia subalternans respectu aliarum, major patet, quia scientia subalternata non habet principia per se nota, & immediata, sed accipit illa a subalternante, cujus sunt conclusiones demonstratæ, ut diximus disput. cit. Log. qu. 4. articul. 2. Probatur minor, non enim conclusiones Metaphysicæ sunt principia Physicæ, vel Mathematicæ, ut satis de se constat, sed utraque scientia habet principia prima, & immediata sibi propria, quæ a priori nequeunt demonstrari, quod de Mathematicis satis constat, quæ maguam habent evidentiam, ut est illud: *si ab æqualibus æqualia demas, remanent æqualia*, & alia hujusmodi, quæ fundantur in proprio objecto Mathematicæ; sic etiam Physica demonstrat de corpore, quod sit mobile, per hoc principium evidens, ac immediatum, quia est habens naturam, quæ est principium motus, & quietis.

78 Rursus probatur, quia esto quidam concedant secundum aliquas conditiones subalternationis posse dici alias scientias Metaphysicæ subalternari, re tamen exactius considerata patebit nullam ex adductis conditionibus hic intervenire; prima conditio, quod scilicet objectum subalternatæ contineatur sub objecto subalternantis hic non intervenit; non enim hæc conditio sic intelligi debet, quod sufficiat objectum subalternatæ contineri sub objecto subalternantis in esse rei; sed contineri debet sub eo in esse scibilis, adeout in scientifica cognitione dependeat ab ipso, itaut conclusiones scientiæ subalternatæ dependeant a subalternante; sic autem non subornantur objecta Physicæ, & Mathematicæ, objecto Metaphysicæ, nam ex se propriam habent cognoscibilitatem, propriam definitionem, atque ideo in illis scientiis propria fundare possunt prima principia ab aliis in scientia superiori independentia quoad evidentiam sufficientem ad principia; neque hic intervenit secunda conditio, quod scilicet objectum subalternatæ superaddat objecto subalternantis differentiam accidentalem, quia Physica addit naturalitatem, quæ utique differentia accidentalis non est, sed essentialis; & in Mathematica quantitas non additur immediate enti, sed corpori, unde neque de ipsa verificatur, quod objecto Metaph. addat differentiam accidentalem. Ut autem hæc conditio proprie habeatur, debet differentia accidentalis superaddita immediate afficere objectum subalternantis, ut in Musica sonus numerum. Nec tandem intervenit tertia conditio, quia ut diximus, istæ scientiæ intra suos cancellos habent sua principia prima, & evidentia, ex quibus suas conclusiones demonstrare possunt, sine recursu ad Metaph. ergo accipiendo proprie, & in rigore conditiones subalternationis, aliæ scientiæ nequeunt dici Met. subalternatæ.

Hinc patet ad rationem oppositæ sententiæ; quamvis enim Metaph. aliquo modo confirmet aliarum scientiarum principia, non tamen ea confirmat demonstrando a priori, itaut evadant conclusiones Metaphysicæ, alioquin non essent prima, & immediata, sed tantum confirmat terminos explicando, & per deductionem ad impossibile, ut declaravimus num. 52. ad inducendam vero subalternationem proprie dictam necesse est, ut principia scientiæ subalternæ sint conclusiones subalternantis, & quod non sint prima, neque immediata. Accedit, quod etiamsi in aliquibus paucis conclusionibus Physica v. gr. subordinaretur Metaphysicæ, non idcirco dici deberet ei subalternata, nam Mathematica causam assignat a priori aliquarum conclusionum, quas medicina docet, ut v. gr. quod vulnus circulare difficilius sanatur, quia in figura circulari partes plurimum distant, cum non faciant angulum, nec propterea dicitur sibi Medicinam subalternare; hoc enim deberet contingere in omnibus conclusionibus ad inducendam subalternationem, vel saltem ut in pluribus, quod non evenit de cæteris scientiis respectu Metaphysicæ; vide quæ de hoc diximus quæst. procem. Physicæ num. 37.

79 Quinto dubitatur, an Metaphysica sit una scientia, & quomodo; quæst. movetur de Metaphysica ut ab aliis scientiis speculativis constincta, & de unitate non quidem intrinseca & formali, an scilicet sit una simplex habitualis qualitas, vel potius multiplex; quia in hoc sensu non est hæc peculiaris difficultas Metaphysicæ, sed cujuscunque scientiæ, ideoque illam tractavimus disput. 12. Log. quæstion. 3. articul. 2. sed quæstio est de unitate extrinseca, quam scientiæ habent in ordine ad suum objectum, a quo essentiam sumunt, & specificationem, & consequenter etiam unitatem, quam proinde appellant objectivam, secundum quam inter se essentialiter vel genere, vel specie distinguuntur. Unde rursus supponit hæc quæstio scientiam totalem, quæ constituitur ex partialibus habitibus plurium conclusionum, non esse unam dumtaxat per accidens, & sola unitate aggregationis ad instar exercitus, vel cumuli lapidum, ut tenent Nominales, quos Poncius sequi videtur disput. 2. quæstion. 9. concl. 3. & 4. ubi etsi specialiter de Logica loquatur, tradit tamen communem doctrinam de quacunque scientia totali, quod nullam prorsus habeat per se unitatem, & nexum inter habitus partiales, ex quibus conflatur, præter unionem aggregationis, & ordinis; & quamvis concedat, quod totalis scientia ad suum objectum comparata suscipere possit denominationem unius genere scientiæ, vel specie juxta unitatem genericam, vel specificam ipsius; hæc tamen denominatio valde impropria est (inquit) cum non faciat ipsam scientiam totalem in se intrinsece esse unicam speciem, aut unicum genus. Sed hic dicendi modus de unitate scientiarum, qui est Nominalium, jam impu-

gnatus est disp. cit. Log. qu. 3. art. 3. ubi ostendimus in totali scientia admittendam esse majorem unitatem & inter partiales habitus suarum conclusionum majorem nexum, quam sit aggregationis, & ordinis, alioquin non esset major ratio, cur ex omnibus conclusionibus physicalibus constituatur una scientia, quam ex physicalibus & logicalibus simul. Quod si dicatur plures conclusiones potius in unam classem convenire, quam alias, ob aliquam communem rationem objectalem in qua conveniunt, & in qua velut in fundamento primo fundantur earum veritates proxime, vel remote, ut ipse postea fatetur disp. 22. Log. quæst. ult. num. 96. plane hæc unitas est major quam solius aggregationis, & ordinis, & est aliquis per se nexus illarum conclusionum in communi subjecto, quatenus omnes adunantur in eo per virtualem contineutiam, vel saltim potentialem, ut Doctor ex professo docet 6. Met. qu. 1. cum omnibus Scotistis, ubicumque tractant de unitate scientiarum; eo igitur modo, quo objectum virtualiter, vel potentialiter continebit veritates omnes illius scientiæ, cujus est objectum, dicetur scientia una specie, vel potius genere proximo, vel remoto, ut dicebat Aristot. 1. Post. 25. scientia est unius generis subjecti partes, & passiones habentis.

80 Tres hic sunt opiniones, duæ extremæ, ac una media, prima extrema est Averſæ, qui quæst. 1. Phil. sec. 6. & quæst. 2. sec. 7. contendit Metaphysicam ut modo traditur a Physica constinctam, quæ scilicet agat de ente, & substantiis immaterialibus, nullam prorsus habere posse unitatem, nam vel hæc unitas ei obveniret ex parte objecti in esse rei, vel saltim in esse scibilis, scilicet ratione consimilis abstractionis a materia: hæc enim sunt præcipua capita, ex quibus unitas in scientiis solet attendi, primum dici non potest, nusquam enim talis unitas consurgit in esse rei ex genere communi, & una specie ejus relinquendo aliam speciem, ex animali v. g. & homine relinquendo brutum ex quantitate, & quantitate successiva relinquendo permanentem; neque secundum, quia diversa est abstractio entis immaterialis, ac entis in communi a materia, una est realis, alia rationis, una positiva, altera permissiva, una per essentiam, altera per indifferentiam, tum quia tunc Logica esset una scientia cum Metaphysica quia abstrahit, sicut illa ab omni materia, & scientia moralis cum naturali, quia conveniunt in eadem abstractione a materia, scilicet singulari, & non sensibili.

Alia extrema opinio est communis inter Recentiores, qui Metaphysicæ attribuunt unitatem specificam, inter quos Suarez disp. 1. Metaph. sect. 3. & Pasqualig. disputat. 21. sect. 2. qui eam refert, ut sine controversia receptam in omni schola, & probat pluribus rationibus, quæ tamen omnes reducuntur ad istam, quæ est præcipuum hujus sententiæ fundamentum; tanta debet esse unitas scientiæ, quanta est unitas objecti, a quo desumitur, & cui omnino commensuratur, unde si unitas objecti est generica, unitas scientiæ talis erit, unitas autem objecti Metaphysici est specifica, ergo &c. Major patet, prob. min. unitas objecti cujuscunque scientiæ, sicut & potentiæ, non attenditur penes esse materiale ipsius, sed penes rationem aliquam formalem, secundum quam objectum specificat scientiam, aut potentiam; sic unitas objecti visibilis attenditur tantum penes rationem formalem coloris, non autem penes talem vel talem speciem coloris; sed talis vel talis ratio objecti materialis substernitur rationi objectivæ formali, a qua omnes coadunantur in unum objectum, & proinde cum ratio formalis, quæ coadunat, sit unica tantum, & non multiplex, oportet etiam quod scientia, vel potentia sit una similiter, cum ergo Metaphysica attingat omnia objecta partialia, quæ considerat, prout coadunantur in unicam tantum rationem formalem, nempe secundum rationem entis, erit una dumtaxat unitate specifica. Si dicas hanc rationem formalem objectivam esse quidem unam, sed genere, quæ postea dividatur in diversas species, & sic Metaphysica proportionaliter ad objectum erit una genere. Nec impugnat Pasqualig. multipliciter, quia in primis nequeunt assignari hæ rationes formales contractivæ. Tum 2. quia illa ratio formalis, quæ ponitur generica, non esset ratio formalis, sed materialis, quia contraheretur ab alia ratione, secundum eujus specificationem a scientia considerareturr. Tum 3. quia quæcunque sint hæ rationes contractivæ, debent esse intra abstractionem objecti Metaphysici, ergo jam omnes in una specifica ratione scibilis conveniunt, tum tandem quia istæ rationes specificæ contrahendo communem rationem objectivam ad speciales considerationes destruerent unitatem scientiæ, & hunc dicendi modum jampridem ex D. Thom. docuit Flandria 1. Met. qu. 1. art. 4.

81 Tertia sententia media tribuit Metaphysicæ solam unitatem genericam, & quamvis Pasqualig. dicat ex gravibus Auctoribus neminem certum vidisse, qui ex professo hanc opinionem tradat, eam tamen ex instituto docet Doctor 6. Met. quæstion. 1. cum omnibus Scotistis, & talem unitatem generaliter tribuit cuicumque scientiæ, quæ habet aliquod universale pro adæquato subjecto, ut sunt scientiæ humanitus adinventæ, ita quæstion. 3. prolog. 55. *de secundo dico* 1. d. 3. quæstion. 7. in fine, 3. d. 36. quæstion. 1. §. *quantum ergo ad istum articulum*, & alibi frequenter: Quare cum hæc sent. media, neque neganda est Metaphysicæ omnimoda unitas, ut facit Aversa: nec tanta tribuenda, ut faciunt cæteri: Quod non sit neganda omnimoda unitas, constat ex dictis quæstion. 1. num. 4. contra eundem auctorem, nam utique constitui pot-

sunt, atque distingui scientiæ totales, quarum una agat de rebus omnibus corporeis, & materialibus, sensuique subjectis, & alia rursus quæ agat de rebus spiritualibus, & a materia abstractis vel per essentiam, vel saltim per indifferentiam, ut sunt conceptus transcendentes, qua facta distributione utique conclusiones, quæ agunt de rebus immaterialibus majorem inter se connexionem, & convenientiam habent, quam aliæ, quarum aliquæ essent de rebus materialibus, & aliæ de immaterialibus; quia omnes conveniunt in ordine ad rem non corpoream, nec materialem, unde ratione istius convenientiæ, & connexionis adinvicem possunt omnes reponi in una classe distincta a classe, in qua reponuntur conclusiones de rebus corporeis, & materialibus: Immo in tali classe statui potest unum commune subjectum, in quo veluti in primo fundamento fundentur, & radicentur veritates omnes illarum conclusionum, in eoque virtualiter, vel saltim potentialiter contineantur, talem autem conclusionum classem appellamus Metaph. istiusque classis subjectum diximus esse ens, ut ens modo explicato quæst. 2. ergo Met. quam tradidit Arist. & quam præ manibus habemus, non est neganda omnimoda unitas.

Quod vero talis unitas nequeat esse specifica, probatur ex jam dictis disputat. 12. Log. quæstion. 3. articul. 2. & 3. Objecta partialia Metaphysicæ specie, & plusquam specie inter se differunt diversa, insuper passiones de illis ostenduntur, & per diversa media, ut cum de Deo demonstratur indefectibilitas per necessitatem, & de creatura defectibilitas per contingentiam, de subsistantia in subjecto non esse per perseitatem, & subsistentiam, & de accidente in subjecto esse per inalietatem, & radicalem inhærentiam, istæ, inquam, conclusiones, scitæ isti actus Metaphysici specie inter se differunt, ergo & habitus partiales ex ipsis geniti, consequ. patet, quia habitus specificantur ab actibus, probatur assumptum, quia ex diversis specie assentiendi rationibus generantur quoque assensus diversi ex dictis ibidem. Conf. quia potest quis habere habitum circa unam ex dictis conclusionibus, & habere difficultatem circa alias, ergo non est idem habitus specie inclinans ad omnes, antecedens patet experientia, quia in aliqua facultate sæpe quis callet unum tractatum, & non alterum; Prob. consequ. quando quis per habitum acquisitum facilitatur ad unum actum, & non ad alium, signum est habitum, quo inclinatur in unum, specie distingui ab habitu, quo inclinatur in alium, nam difficultates specie diversæ diversis specie habitibus tolluntur. Demum objecta partialia scientiarum nedum in esse rei, sed etiam in genere scibilium non se habent, ut numero differentia solum, ergo idem de habitibus dicendum, cum quilibet suam unitatem ab objecto desumat, probatur assumptum, quia in Physica v. g. corpus caducum, & cœleste oppositas habet passiones, & per opposita media demonstrabiles, sic Deus, & creatura, substantia, & accidens in Metaphysica, ergo etiam in genere scibilium differunt.

82 Negant Adversarii objecta partialia Metaphysicæ esse diversa in esse scibilis, nam in omni scientia habent eandem rationem *sub qua*, attinguntur ab illa scientia, ut verb. grat. in Physica omnia attinguntur sub ratione naturalitatis, & in proposito omnes actus Met. versantur circa sua objecta, secundum quod abstrahunt ab omni materia; afferunt aliqui exemplum de visionibus albedinis, & nigredinis, quæ sunt ejusdem speciei, etiamsi albedo & nigredo specie differant, quia licet disconveniant in esse rei, conveniunt tamen in esse visibilis. Hæc responsio satis ibi impugnata est, quia si per rationem *sub qua*, intelligant rationem formalem objecti, & modum considerandi ipsius, est una tantum genere in scientia totali, non autem specie, ut patet de naturalitate in Physica, quæ genus est ad naturam elementi, mixti, Cœlorum &c. si intelligant abstractionem, præter quam quod falsum est scientiam per se primo specificari ab abstractione, ut disput. cit. ostensum est quæstion. 3. artic. 1. falsum est insuper abstractionem objectorum Metaph. v. g. entis, & Dei esse omnino ejusdem rationis specificæ, Deus enim est abstractus per essentiam, adeout ei prorsus repugnet materia, ens vero cum aliis transcendentibus dicitur abstractum per indifferentiam: & tandem quando etiam assignari posset una ratio specifica *sub qua*, in omnibus objectis Metaph. semper urget argumentum, quod si diversas habent difficultates in demonstrandis propriis passionibus, & acquisito habitu circa conclusiones de uno objecto, adhuc remanet difficultas superanda circa veritates alterius, necessario assignari debent diversi habitus, quia diversæ specie difficultates tolluntur solum per diversos specie habitus, qua ratione distinguebamus quæst. procem. Log. artic. 1. logicam docentem, & utentem, ut habitus realiter diversos. Quod autem afferebatur exemplum de visione albedinis, & nigredinis est ad oppositum, quia visio albi est similitudo formalis albi non solum sub ratione coloris, sed etiam talis coloris, & nedum sub ratione visibilis, sed etiam sic visibilis; albedo enim movet visum disgregando, nigredo congregando, sic ergo pariter dicendum est de objectis partialibus in qualibet scientia totali, quod conveniant in una ratione objectiva generica tantum, & non specifica, præsertim quando habent magis universale pro subjecto, ut est in proposito.

Solent alii respondere, quod licet in scientia totali conclusiones sint diversæ speciei, ac etiam media, quibus probantur, tamen illa principia, & media habent adinvicem quandam naturalem connexionem, & ordinem, ratione cujus unus specie habitus potest circa ea versari. Sed & hæc quoque solutio ibi impugnata est, tum quia major utique connexio, & ordo cernitur

inter conclusionem, & principia, ex quibus deducitur, & tamen assensus principiorum, & conclusionum non sunt idem specie habitus; tum quia si talis connexio, & ordo non impedit diversitatem specificam actuum, & conclusionum in scientia, nec etiam impediat diversitatem specificam habituum, quia similes actus quoque producunt habitus; tum tandem quia si talis connexio, & ordo non impedit, quin conclusiones diversæ in scientia diversam habeant difficultatem, nec etiam impediet diversitatem habituum specificam.

83 Hinc itaque concludimus cum Doctore loc. cit. 6. Met. q. 1. & 4. Met. in expositione tex. 4. Metaphysicam esse unam scientiam unitate generis remoti, qualem unitatem habet suum objectum adæquatum, quod est ens, ut ens, & hæc unitas generica tum hic in Metaph. tum in quacunque alia scientia totali, quæ habeat aliquod universale pro objecto, declarari debet, ut nos ex professo declaravimus disp. & quæst. cit. log. art. 3. ex Doctore loc. cit. nempe per continentiam virtualem, vel potentialem omnium veritatum ad illam scientiam pertinentium in primo, & adæquato objecto, ut pote in prima radice, & minera illarum; scientia enim ab objecto aliam unitatem trahere non potest, quam quæ explicatur per continentiam virtualem, vel potentialem plurium veritatum in uno primo, & communi subjecto, & non potest ab illa mutuari majorem, quam habeat ipsum objectum, unde si subjectum est genericum, non poterit scientiæ præstare nisi genericam unitatem.

Ad rationem primæ opinionis sufficienter satisfactum est qu. 2. n. 47. ubi ostendimus, quo pacto ens ut ens, sub se comprehendens abstracta tam per essentiam, quam per indifferentiam habeat tantam unitatem, quanta sufficit ad constituendam unam scientiam, unitate generis remoti, unde ratio illa ad summum probat ens, ut ens, non posse habere unitatem specificam ad objecta partialia considerata in Metaph. nec in esse rei, nec in esse scibilis, quod gratis concedimus, non tamen excludit ab eo unitatem genericam; concedimus etiam Logicam non esse unam scientiam cum Metaphysica, nec moralem cum naturali etiamsi in modo abstrahendi convenirent, quia nos non distinguimus scientias penes varium abstrahendi modum præcise, sed per diversas rationes formales objectorum ex dictis q. 12. log. q. 4. art. 1. Ad rationem alterius opinionis, quicquid sit de majori, quæ non est vera sic absolute prolata, quia si objectum alicujus scientiæ esset species specialissima, adhuc scientia non esset una unitate specifica, sed generica, ut demonstramus ibidem articul. 3. neg. min. cum probatione, quia ut diximus ratio formalis objectiva, quæ coadunat omnia objecta partialia in Met. est una unitate generica dumtaxat, non specifica; Ad 1. impugnationem hujus solutionis negatur assignari non posse rationes contractivas objecti formalis generici, sicut enim in Physica naturalitas contrahitur per peculiares rationes, & naturalitates elementorum, mixtorum, Cœlorum &c. sic in proposito ratio entitatis, ut sic, contrahitur per peculiares rationes hujus, & illius entis in Met. considerati. Ad 2. neg. conseq. quia differentia addit perfectionem generi, & ideo non tollit modum considerandi, quem affert ratio objectiva generica, sed potius perficit addendo non alium modum considerandi, sed ulteriorem in eodem genere, sicut ratio specifica albedinis est ratio formalis objectiva visus simul cum ratione coloris, cum hoc solum discrimine, quod hæc est adæquata, illa inadæquata, singulæ tamen pertinent ad rationem formalem objectivam visus, ita Doctor 2. d. 3. q. 11. E. Ad 3. conveniunt omnes illæ rationes contractivæ, in una, & eadem ratione scibilis generica, non autem specifica, etiamsi concedamus hanc esse abstractionem (quod tamen falsum est ex dictis loc. cit. log.) quia ut diximus, non est omnino ejusdem rationis abstractio Intelligentiarum, & conceptuum transcendentium, quia hæc est abstractio permissiva, & per indifferentiam, illa vero positiva, & per essentiam. Ad 4. sicut differentiæ specificæ generi advenientes non tollunt ejus intrinsecam unitatem genericam, ita in scientia totali considerationes objectorum specialium etiam sub rationibus specialibus non impediunt unitatem genericam scientiæ, quia rationes illæ speciales coadunantur omnes in ratione formali communi objectiva, quam perficiunt per proprias considerationes intra idem genus scibilitatis.

84 Sexto tandem differere solent de utilitate Metaphysicæ; non defuerunt enim ex obtrectatoribus Arist. qui plenis buccis garrulant hanc facultatem esse prorsus inutilem, aptamque solum esse ad confundenda ingenia. Sed ex muneribus, & attributis Metaph. hactenus recensitis liquido constat quantæ sit utilitatis ad alias scientias, quantumque conferat ad acuenda humana ingenia, & quando etiam ad alias scientias naturales nullatenus conferret, negari tamen non potest ad sacram Theologiam capessendam, non solum utilem esse, sed etiam necessariam, utpote quia major pars conclusionum Theologicarum ex principiis pendet omnino Metaphysicis, & quamplures Theologici tractatus in Metaphysica fundamentum habent, ut v. gr. tractatus de cognoscibilitate Dei quoad conceptus communes cum creaturis, & proprios ex communibus: de distinctione attributorum ab invicem & a divina essentia, an sit formalis ex natura rei, vel tantum rationis; de constitutione divinarum personarum, an sit per relationes, vel per absoluta: de relationibus originis: de distinctione Spiritus sancti a Filio, si non procederet ab eo: de natura divinæ Incarnationis, vi cujus natura humana fuit hypostatice unita divino supposito, & alii plures, quos sigillatim referre opus non est; sed præsertim est Metaph. necessaria ad Theologiam addiscendam eo stylo, quo eam subtilis noster Doctor conscripsit, regulariter enim de rebus Theologicis semper Metaph. discurrit, & ad conclusiones Theologicas probandas principia inducit Metaph. quo factum est ut Avicennam in majori habuerit existimatione, quam Averroem, quia dicebat illum peritiorem fuisse Metaphysicum isto; profitebatur namque Scotus inter omnes scientias Metaph. magis, unde & in ea versatus magis apud omnes censetur, quam in aliis quibuscunque, Metaph. itaque alacri animo incumbat, qui Scotica doctrina imbutum esse cupit, nam sine Metaph. eam capere vel est impossibile, vel saltim nimis difficile, sed de hoc plura videre apud Fabrum 1. Met. disp. 1. & Saxium in sua Catast. disp. 2. q. 4.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

De Natura entis.

1 CUm in disput. proœmiali sufficienter explicata sint, quæ ad naturam Metaphysicæ, ut scientia quædam est, pertinebant, nunc ejus texturam prosequi volentes; ut eo utamur ordine, qui in disciplinis tradendis magis est congruus, ab iis disputationes inchoabimus, quæ spectant ad naturam objecti ejus adæquati, cumque hoc sit ens reale, & per se quatenus ens est, hinc prima omnium Metaphysicarum disputatio erit de natura, seu conceptu entis realis, quod est commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, & dici solet ens transcendenter sumptum, ut excludatur ens transcendentissime captum, quod est commune ad ens reale, & rationis, ac proinde in omni schola citra fere controversiam statuitur æquivocum, ut docet Magister formalitatum art. 1. §. advertendum ulterius, quæ etiam distinctio innuitur a Scoto quol. 3. art. 1. Verum, quia nomen entis in suo significato duo involvit, essentiam nempe, & existentiam: Initio hujus disputationis solet dubitari, quid præcipue significet, an hanc vel illam, cui Dubitationi breviter satisfieri potest per duplicem entis acceptionem, quam Doctor significavit 1. d. 36. quæst. unic. ad 1. princ. & 1. Periher. qu. 8. ad 3. & omnis schola recipit; ens enim, ut pote deductum a verbo substantivo sum, es, est, quod significat esse, dupliciter sumi potest, primo participialiter, hoc est tanquam participium ab ipso verbo deductum: deinde nominaliter, hoc est tanquam nomen substantivum ab eodem verbo derivatum; quam distinctionem immerito inficiantur Dominic. Scoto in Antepræd. cap. 4. quæst. 1. quia cum participium connotet tempus, consequenter significabit exercitium actualiter essendi, sive existendi; si autem sumatur nominaliter, significat absolute ipsum esse rei, quo aliquid est in se præscindendo a quacunque temporis differentia, qua ratione Arist. 3. de anim. 9. distinguit inter esse magnitudinis, & magnitudinem esse, dum ait, quoniam autem aliud est magnitudo, & magnitudinis esse, alia translatio clarius habet aliud est magnitudinem esse, & aliud magnitudinis esse, & denique hæc distinctio fundatur quoque in communi usu loquendi, nam de Petro in rerum natura existente dicimus per propositionem de secundo adjacente, quod Petrus est, idest est existens, & pariter etiam nome entis applicamus rebus non existentibus, dummodo eis esse non repugnet, ut cum dicimus scientiam esse de entibus realibus, quam tamen certum est abstrahere ab actuali existentia.

Itaque si ens primo modo accipiatur, scilicet participialiter ex vi participii tempus consignificantis, & exercitium existentiæ, significat primario existentiam, seu rem actu existentem: sed si sumatur secundo modo, significat essentiam, & quidditatem rei, seu rem habentem essentiam, & quidditatem ex vi nominis concreti, unde hoc modo deseribitur a Scoto quol. 3. cit. articul. 1. in arctiori entis acceptione, quam ibi assignat, ut ab ente rationis secernitur, esse illud, quod habet, vel habere potest entitatem extra animam, licet autem Grammaticorum captui prior acceptio entis scilicet participialiter sumpti sit magis prompta, & accommodata, posterior tamen est magis philosophica, & a sapientibus frequentius usurpata, dicunt enim ens esse quidditativum, ac essentiale rerum prædicatum universalissimum, quod sane de ente participialiter sumpto intelligi non potest, quia existentia non est prædicatum quidditativum, nisi solius Dei necessario existentis, ut suo loco constabit; ens ergo nominaliter sumptum regulariter apud Metaphysicos usurpatur; sicut etiam apud eosdem absolute sumptum, & sine ulla modificatione non ens rationis, vel in anima, significat, sed ens reale, & extra animam, juxta regulam logicalem, quod analogum in propositione positum stat semper pro potiori significato, ens autem commune enti reali, & rationis est æquivocum analogum, ut infra suo loco; de ente ergo transcendenter sumpto, & nominaliter, quo pacto est objectum Metaph. disp. instituimus.

QUÆSTIO I.

Ans ens habeat conceptum unum tam formalem, quam objectivum.

2 QUid sit conceptus formalis, & objectivus, jam diximus disp. 10. log. q. 2. art. 1. disp. 7. Phys. q. 7. conceptus enim formalis est ipsa rei cognitio, vel actus ipse intelligendi, & dicitur conceptus, quia est proles mentis, formalis vero, quia per ipsum formaliter intelligimus, conceptus autem objectivus est ipsa res mente concepta, vel saltim menti repræsentata per speciem, diciturque conceptus denominatione extrinseca a conceptu formali, quo dicitur concipi, & dicitur objectivus, quia cum res concipitur, non se habet ut forma inhærens concipienti potentiæ, sed ei ut consideranda objicitur, & obversatur; ita distinctionem hanc de duplici conceptu formali, & objectivo declaravit Doctor theoremate 8. & 9. a quo postea alii acceperunt; differunt autem hi conceptus non parum inter se, nam formalis est semper vera res positiva menti inhærens; objectivus vero non semper, cum privationes, & non entia, ac etiam entia rationis menti objiciantur. Item conceptus formalis semper est res singularis in essendo, licet possit esse universalis in repræsentando, cum sit ipsemet intelligendi actus, sed objectivus esse potest universalis, & singularis, nam & singularia, & universalia intellectui objiciuntur, ut intelligantur.

His præacceptis pro titulo quæsiti, tres in eo solent referri opiniones, duæ extremæ, & una media. Prima extrema satis frequens, & propagata in Thomistarum schola negat enti utrunque conceptum, tam scilicet formalem, quam objectivum, quam tradiderunt Ferrar. 1. contra Gentes cap. 34. Cajet. de analogia nominum cap. 4. & 6. & sequuntur passim recentes Thomistæ, Masius in Antepræd. sec. 1. quæst. 6. Compl. disp. 21. log. quæst. 5. Jo. de S. Th. ibid. quæst. 13. art. 6. & quæst. 14. Zanar. 4. Metaph. quæst. 2. Araux. ibid. qu. 3. art. 4. & præterea Ruvius in log. tract. de analogia, art. 2. verum est tamen recentiores Thom. distinguere de conceptu entis perfecto, & imperfecto, seu adæquato, & inadæquato, entique concedunt conceptum imperfectum, & inadæquatum, præcisum negant perfectum, & adæquatum; unde aliqui eorum parum, vel nihil distant a nostra sententia; Alia opinio extrema est Scotistarum, & fere omnium Neotericorum, ac etiam quorumdam Thomistarum, ut postea dicemus, qui cum Doctore 1. d. 3. q. 1. & 3. d. 8. q. 3. & q. 21. de an. pugnacissime tuentur in ente unitatem utriusque conceptus. Tertia tandem media admittit in ente unitatem conceptus formalis, & negat unitatem conceptus objectivi, ita præsertim docuit Aureolus 1. d. 2. qu. 1. sequuntur ex Thomistis quamplures Soncin. 4. Met. qu. 2. & 3. Fland. qu. 2. art. 6. Hispal. 1. d. 3. qu. 1. & videtur communis in schola Nominalium negantium præcisiones objectivas, vel certe eum non admittunt, ut a nobis asseritur, ut constabit ex inf. dicendis.

3 Dicendum primo Ens, ut sic, habere in intellectu nostro unum conceptum formalem, qui non repræsentat aliquod ex inferioribus contentis sub ente, aut illa omnia simul, secundum proprias eorum rationes, sed tantum rationem conceptibilem entis eis communem. Ita Doctor loc. cit. & cum eo Scotistæ omnes, ejus expositores ibid. Lichet. Bargius, Vigerius, Ant. And. 1. Met. qu. 1. Tromb. 4. Met. q. 2. Canon. 1. Phys. q. 3. ubi Tatar. Joan. de Mag. & alii. Rada 1. p. contr. 21. Faber. theor. 94. Meurissus lib. 1. suæ Met. q. 6. Suar. in Met. disp. 2. sec. 1. cum tota fere Recentiorum caterva; & probatur in primis, quia unitas conceptus formalis ex duplici capite potest attendi, primo ex unitate conceptus objectivi, quando enim objectum est unum, etiam actus intelligendi unus erit, actus siquidem ex objectis specificantur. Deinde ab experientia, quando enim ad prolationem alicujus vocis experimur intellectum nostrum uniri concipiendo aliquid unum, & non distrahi ad diversa, inditum est illi voci unum correspondere formalem conceptum, sicut e contra, cum distrahitur, signum est non correspondere unicum conceptum; sed sic est, quod conceptus objectivus entis est unus, ut mox dicemus, & audito nomine entis experimur mentem nostram, ut notavit Aureolus 1. d. 2. p. 2. art. 3. & post ipsum Suarez loc. cit. non distrahi, neque in plures conceptus dividi, sed potius in unum colligi, sicut cum concipit hominem, animal, & alia prædicata universalia, ergo &c. Major quoad primam partem constat ex 2. de anim. 33. quoad alteram declaratur exemplo; nam quia ad prolationem hujus vocis *canis* experimur intellectum non uniri in aliquo uno, sed ad diversa distrahi, scilicet ad canem marinum, cœlestem, & terrestrem, ideo illi voci dicimus non correspondere conceptum unum communem; & e contra quia ad prolationem hujus vocis *animal* experimur intellectum non distrahi ad diversa, sed uniri ad concipiendam substantiam sensibilem, inde deducimus unicum ei conceptum correspondere; Minor quoad primam partem probabitur conclusione sequenti. Probatur nunc quoad alteram, quia ens ex vi suæ impositionis non significat immediate aliqua plura sub propria ratione, & ut plura, sed rationem generalissimam, in qua plura illa conveniunt, ergo audito nomine entis non distrahitur intellectus ad varios conceptus, neque ad plura cogitanda, ut plura, sed unum conceptum efformat exprimentem rationem generalissimam, in qua illa plura conveniunt.

Respondent quidam Thomistæ audito nomine entis realis intellectum plures efformare conceptus, saltim duos, unum, quo

Deus

Deus primo cognoscatur, alterum quo cognoscatur creatura cum attributione ad Deum; seu unum, quo primo offertur intellectui substantia, alium quo accidens, cum habitudine ad substantiam. Contra hoc est, quia hoc nomen ens non significat plura, ut plura, sed potius ut unum, non significat Deum, & creaturam, substantiam, & accidens ut dissimilia, & diversa, sed ut similia, & convenientia in ratione entis; ergo nomini entis non correspondent immediate Deus, & creatura, substantia, & accidens secundum proprias rationes, sed ratio communis entis, in qua conveniunt; tum quia si audito nomine entis distrahitur intellectus ad plura inferiora sub ente singulos circa illa efformando conceptus infinitos, fere efformaret conceptus, quia non est major ratio, cur solum efformaret conceptum Dei & creaturæ, substantiæ, & accidentis, quam aliorum entium particularium, cum & ipsa directe contineantur sub ente; Tum tandem quia si plures formantur conceptus, vel singuli idem repræsentant, vel diversa; si primum, superflui essent tot conceptus, & unus sufficeret, cum hic repræsenter totum id, quod repræsentant cæteri; si secundum, ergo illi conceptus non erunt entis, sed objectorum illorum particularium.

4 Respondent alii, ut hoc evitent absurdum, nomini entis correspondere utique rationes omnium entium, sed non omnes explicite, sed solum conceptum Dei, vel substantiæ explicite, cæterorum vero implicite, ut pote quæ continentur implicite in conceptibus illorum; nempe conceptus creaturarum in conceptu Dei, & conceptus accidentium in conceptu substantiæ. Contra hoc iterum est, quia non videtur, quomodo ratio Dei sit implicite ratio creaturæ, nec substantia implicite ratio accidentis; nam quod ajunt conceptum primi analogati confuse repræsentare cætera, est prorsus falsum, quia conceptus est naturalis imago rei, & ideo si est proprius & adæquatus primi analogati secundum propriam rationem ejus, non potest reliqua repræsentare, ut bene advertit Suar. cit. num. 7. Tum quia tunc sequeretur, quod conceptus formalis Dei, vel substantiæ esset prorsus idem cum conceptu formali entis, unde quicquid diceretur de ente, ut sic, v. g. quod est indifferens ad Deum, & creaturam, ad substantiam, & accidens, dici quoque deberet de Deo, & substantia; Tum quia, ut mox dicemus possumus determinate concipere aliquid esse ens, & dubitare an sit substantia, vel accidens, ergo conceptus entis non dicit substantiam explicite.

Respondent proinde alii re vera conceptum entis formalem nullum inferius explicite repræsentare, bene tamen implicite, quia non perfecte præscindit ab eis, ut dicitur de generibus, & speciebus, ex tali igitur continentia inferiorum in ente multiplicatur conceptus formalis ejus. Contra est quia falsum est, ut ex infra dicendis apparebit, ens non præscindere perfecte a suis inferioribus quemadmodum cætera prædicata universalia; tum quia licet secundum esse implicitum ens esset multiplex objectum, adhuc tamen secundum esse explicitum esset unicum, ergo conceptus formalis entis unicam explicitam rationem repræsentaret, in qua implicite inferiora contineantur; atque ideo tantum unicus erit; Tum quia si conceptus formalis entis ex hoc solum multiplicatur, quia implicite inferiora includit, adhuc sequitur, quod audito nomine entis tot formales conceptus efformari deberent, quot sunt inferiora entia, cum non sit major ratio, cur potius ad hæc inferiora multiplicari debeat, quam ad illa, cum æque omnia ex hypothesi includantur in ente. Quod si per hanc implicitam continentiam inferiorum in ente intelligatur, non imperfecta præcisio ab eis, sed continentia potentialis, & confusa, qua inferius contineri dicitur in suo superiori, adhuc per hoc non tollitur unitas formalis conceptus entis, alioquin eadem ratione tolleretur in quibuscunque prædicatis universalibus: & ratio est, quia ipsemet conceptus distinctus, & explicitus rationis superioris, in qua inferiora conveniunt, est cognitio implicita, & confusa illorum; ratione cujus confusionis non distinguuntur, sed potius coadunantur in unum in illa communi ratione; Tum quia inferiora quando explicite concipiuntur, & secundum proprias rationes, utique diverso modo concipiuntur ac quando solum implicite concipiuntur, ut contenta in suo superiori; sed quando concipiuntur explicite, pluribus conceptibus formalibus attinguntur, ergo quando concipiuntur, ut implicite in suo superiori contenta, unico formali conceptu concipi debent.

5 Respondent Complut. loc. cit. ens non significare aliquem unum gradum seu rationem ab inferioribus præcisam, ut nos supponimus, sed significare immediate sua inferiora, ut sunt proportionabiliter similia, & ideo in intellectu non correspondet enti aliquis conceptus formalis perfectus, & distinctus, simpliciterque unus in repræsentando, sed imperfectus, & confusus, tantumque proportionabiliter unus. Contra est, quia falsum est assumptum, ut sequenti conclusione patebit, tum quia esto concedamus ens analogum esse, non est tamen ex illis, quorum unum dumtaxat formam analogiæ intrinsece participat, cætera vero solum extrinsece, quia ens tam in Deo, quam in creatura, tam in substantia, quam in accidente intrinsece reperitur; quare cum entia omnia in hoc conveniant, quod habent esse, & existunt, consurgit quædam unitas, & convenientia inter ipsa, ratione cujus coadunari possunt in una universalissima ratione objectiva, & per eam unico conceptu formali universalissimo attingi in tali universitate.

Secundo. Probatur conclusio famosa ratione Scoti loc. cit. quæ præsertim probat unitatem conceptus formalis, ut notavit Aureol. loc. cit. ad 1. principale; Intellectus certus de uno conceptu, & dubius de duobus habet in se conceptum unum formalem præcisum, & distinctum a conceptibus illorum duorum, alias de eodem esset certus, & dubius, vel de nullo esset certus; sed intellectus potest esse certus, quod aliquid sit ens, dubitare autem an sit Deus, vel creatura, substantia, vel accidens; ergo intellectus noster habet in se conceptum unum formalem entis præcisum, & distinctum a conceptibus particularium entium; major nota est ex ipsis terminis, quia conceptus formalis certus ex vi modi repræsentandi diversus est a conceptu dubio, & certitudo, ac dubietas sunt sufficientes ad diversificandos conceptus realiter, ac essentialiter; ergo sicut idem nequit esse objectum certitudinis, & dubietatis, ita nec idem conceptus esse poterit certus, & dubius; Minor probatur, quia Philosophi cognoverunt motorem primæ sphæræ esse ens, dubitarunt autem an Deus esset, vel alia secunda intelligentia; item cognoverunt lucem esse ens, sed dubitarunt, an foret accidens, vel substantia.

6 Respondent quidam Thomistæ ens dictum de Deo, & creatura, substantia, & accidente non importare unum conceptum, sed duos, qui ob maximam propinquitatem, & similitudinem videtur unus conceptus. Hanc solutionem reiicit ipse Doctor cit. 1. d. 3. q. 2. §. *secundo non asserendo*, quia destruit unitatem cujuscunque conceptus universalis, nam si dicas hominem habere unum conceptum ad Sortem, & Platonem, dicetur quod sunt duo, sed videntur unus propter magnam similitudinem; tum quia si sunt duo conceptus vel intellectui objiciuntur ut disparati, & tunc mirum quomodo videntur unus; vel ut comparati secundum analogiam idest secundum similitudinem & dissimilitudinem, & sic obiiciuntur adhuc, ut aliqualiter distincti; ergo non videntur ut unus; tum quia si sunt duo conceptus, & intellectui videantur unus, sane intellectus decipitur, quia rem concipit aliter, quam sit.

Respondent alii, in tali casu intellectum nostrum non concipere determinate Deum, vel creaturam, substantiam, vel accidens, sed indeterminate & confuse aut accidens, aut substantiam, ita quod intellectus esset certus de toto illo disiuncto, & figillatim dubitaret de singulis partibus ejus. Contra hoc est quod quando intellectus est certus de uno nihil cogitans de duobus, de quibus inde fit dubius, non potest ratio illius, de quo est certus, esse disiunctum illud duorum, de quibus inde fit dubius, quia tunc nihil cogitat de illis duobus; sed intellectus noster certificari potest, quod aliquid sit ens, nihil tunc cogitando de Deo, & creatura, substantia, & accidente, de quibus postea fit dubius, ergo dici nequit in casu rationem entis esse illud disiunctum; minor probatur ejusdem exemplis allatis, quia Philosophus videndo cælum moveri certus est principium illius motus esse aliquod, quod est ens, & in rerum natura, postea vero ulterius rem vestigando incidit in dubitationem, an hoc principium sit Deus, vel aliqua creatura. Tum quia in tali casu aliquid cogitat intellectus, de quo minime dubitat, sed hoc nequit esse Deus vel creatura etiam disiunctive sumpta, quia ex eorum particularibus rationibus oritur dubietas, non certitudo, ergo hæc erit præcise ratio ipsa entis ambobus communis, quæ ralem certitudinem fundat. Tum quia, ut inquit Tromb. disiunctio in casu posito non cadit supra conceptum entis certum, sed super conceptus dubios, dubitarur enim an causa efficiens motus primi Cœli sit Deus, vel creatura; Denique concluf. sequenti constabit conceptum formalem entis non immediate repræsentare disiunctum illud; vide Trombet. loc. cit. pluribus reiicientem hunc dicendi modum, & Borgium 1. d. 3. q. 1. ubi ait hunc esse quoque communem Averroistis, & Doctorem ipsum 1. d. 8. q. 3. verſic. *tertio modo respondetur*, ubi hanc solutionem reiicit, quia ista certitudo præcedit omnem apprehensionem quorumcumque dividentium ipsum ens, ergo præcedit certitudinem de toto disiuncto; probatur assumptum, quia non oportet in prima apprehensione, qua scitur hoc esse ens, apprehendere a se vel ab alio per se, vel in alio, & sic de aliis disiunctis; id etiam efficaciter refellit Aureol. cit. 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3.

Respondent alii Thomistæ ex Cajet. de ente, & essentia cap. 2. hanc rationem ad summum probare alietatem conceptus entis a conceptibus inferiorum, non autem univocationem. Hæc responsio admittit, quod intendimus, modo enim aliud concludere non intendimus, quam unitatem conceptus entis, & alietatem ejus a conceptibus inferiorum, & quidem etiam Doctor ipse loc. cit. hanc rationem induxit ad probandam directe, & primario unitatem conceptus entis, non vero univocationem, nisi consequenter, quatenus conceptus quilibet sic unus est etiam univocus, ut nos quoque cum ipso postea deducemus, quia inter æquivocum, & univocum non datur conceptus analogus medius, ita innuit Doctor illis verbis: *& ne fiat contentio de nomine univocationis, conceptum univocum dico, qui ita est unus, quod ejus unitas sufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de eodem*, ecce quod per eam rationem directe, & primario probare intendit unitatem conceptus entis. Respondent alii non inferri ex hoc alietatem simpliciter conceptus entis; sed tantum secundum quid penes majorem, & minorem expressionem. Sed hoc improbabitur infra, cum applicatur hæc solutio argumento huic facto pro conceptu objectivo sub num. 19.

7 Respondent tandem alii negando majorem, illam infirmando diversis instantiis, nam si tres sint in cubiculo obscuro, quorum unus me percutiat ibi existentem, vocati omnes nomine Sortis, sum certus in tali casu, quod Sortes me percussit, & dubito an hic, vel ille, & tamen nomen Sortis non importat unum conceptum communem illis. Item sint duo canes in sacco terrestris, & marinus, uno illo

rum

rum movente saccum, sum certus quod canis movet saccum, & dubito quinam illorum, & tamen canis non dicit unitatem conceptus ad illos. Item sum certus aliquid, v. gr. universale esse ens, dubito an reale, vel rationis, & tamen non datur conceptus unus ad ista. Rursus sum certus aliquid esse animal, ambigo tamen num rationale, vel irrationale; & tamen animal de illis differentiis non dicitur univoce. Demum sum certus quod ens dicit aliquem conceptum, & dubito an univocum, æquivocum, vel analogum, & tamen non datur conceptus, qui alter istorum non sit. Has, & alias consimiles instantias afferunt Adversarii, ut labefactent maximam illam Scoticam, *intellectus certus de uno conceptu, & dubius de diversis* &c quas variis modis Scotistæ evadere conantur, ut Scoticum argumentum in suo maneat robore, quæ quidem evasiones, ut verum fatear, ut plurimum sunt inutiles, quia si bene examinentur, vel petunt principium, vel etiam afferri possunt ad eludendum ipsum Scoti argumentum. Faber cit. theor. 95. inquit in allatis exemplis non afferri aliquem conceptum unius rei, de quo intellectus sit certus, & alios, de quibus sit dubius, sed solum affertur effectus, qui provenit ab altera illarum causarum, sed ignoratur a qua proveniat, nam existens in cubiculo sentio percussionis effectum, sed ignoro determinatam causam percussionis, an fuerit scilicet hic, vel ille Sortes, idem evenit in alia instantia de canibus in sacco, video enim motum canis, sed ignoro, cujus canis vel causæ sit effectus; ex quo constat in his, & similibus instantiis non dari unum conceptum notum, & alios ignotos, sed effectum notum, & causam ignotam. Sed sane tota hæc solutio, si quid valet, ipsissimo Scoti argumento poterit applicari dicendo, in exemplo de motu primæ sphæræ allato ab ipso non dari conceptum unum notum, & alios ignotos, sed effectum notum, & determinatam causam ignotam. Philosophi namque videbant primum mobile moveri, ita quod effectus motus erat eis notissimus, sed ignorabant causam determinatam ejus, & dubitabant an esset Deus, vel creatura; & ita Scot. argumentum juxta hanc solutionem nihil concluderet.

8 Communior evasio Scotistarum est illa, quam afferunt Canonic. & Tromb. quod nempe in præfatis casibus sumus certi de sola voce, non de aliquo communi conceptu, ut constat in instanti a de Cane, & Sorte, quia ab individuis non potest abstrahi conceptus communis inferior conceptu speciei specialissimæ, & sic pariter occurrunt ad alias instantias, at in proposito de ente certi sumus de aliquo uno conceptu, & non de voce tantum. Sed certe hæc est apertissima principii petitio, hoc enim est, quod disputatur, unde sic respondendo in argumento supponeretur id, ad cujus probationem ipsum inducitur; & quidem ea licentia, qua dicit Scotista in his casibus de voce solum nos esse certos, eadem prorsus licebit quoque Thomistæ dicere ad argumentum Scoti de ente factum, quod simus certi de sola voce, & non de aliquo conceptu, & in hoc mordicus persistet, quousque Scotista alio argumento ostendat certitudinem quoque de conceptu. Tum quia præter conceptum specificum potest etiam a singularibus conceptus individui abstrahi ex dictis disp. 5. Log. qu. 2. art. 4. unde Cavel. qu. 21. de Anima, ait in illo primo casu non esse certos de conceptu individui. Sed neque id sufficit, quia tunc nedum sum certus, quod aliquod individuum me percussit, sed etiam quod est aliquis Sortes. Ob id aliter conatur Bargius evadere 1. d. 3. q. 1. quam solutionem etiam innuit Tromb. cit. quod in casu de canibus sacco inclusis sum certus de conceptu animalis, & non de conceptu canis, quia nullus est, nec alius conceptus potest abstrahi ab illis duobus immediatus, nisi conceptus animalis, & sic pariter ait ad instantiam de tribus hominibus in cubiculo inclusis appellatis nomine Sortis, quod in tali casu non sum certus, nisi de conceptu hominis eadem de causa, quia nullus conceptus communis inferior abstrahibilis est ab illis; quam etiam solutionem amplectitur Saxius in sua Cataſt. disp. 10. qu. 6. art. 3. quo loco integrum quæsitum conficit de recta illius maximæ Scoticæ intelligentia. Sed neque id satisfacit, quia in casu de canibus non tantum certus sum de conceptu animalis, sed de aliquo etiam magis particulari illis duobus tantum communi, quo etiam modo impugnatur solutio data ad alium casum de tribus hominibus in cubiculo inclusis. Prævidit hanc instantiam Bargius, & ideo respondet, quod ille est conceptus animalis communis præcise illis duobus per multa accidentia, quæ accidentia faciunt, ut ille conceptus communis animalis sit tantum communis illis duobus. At certe non video quænam sint hæc multa accidentia, quæ conceptum communem animalis approprient duobus illis canibus, non enim aliud accidens apparet eorum in sacco latentium, quam motus, sed hic est accidens cuicunque animali commune, ergo nequit appropriare conceptum illum duobus duntaxat canibus in sacco latentibus: deinde conceptus communis essentialis non contrahitur ad inferiora per accidentia communia, sed per proprias differentias.

9 Itaque pro recta Scoticæ propositionis intelligentia est advertendum, in ea non fieri sermonem de conceptu objectivo, sed de formali, sic enim se habet, *omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubius de diversis, habet conceptum de quo est certus, alium a conceptibus, de quibus est dubius* ubi constat sermonem esse de formali conceptu, quia certitudo, & dubietas sunt affectiones præsertim conceptus formalis non objectivi; bene verum est ex unitate conceptus formalis optime deduci unitatem objectivi, quia, ut constabit ex conclusione sequenti, unitas conceptus formalis attenditur penes unitatem objectivi, & ideo ibidem Doctor ex unitate conceptus formalis in ente optime deducit unitatem objectivi; cum ergo propositio illa de conceptu formali intelligi debeat, sane nullo pacto negari potest, quia ut ait Doctor, subjectum includit prædicatum, nam si intellectus est certus de uno conceptu, *hoc est*, si habet in se unum conceptum formalem certum, & dubius de diversis, idest habet alios conceptus formales dubios, sane conceptus ille diversus erit ab istis quia implicat eundem conceptum esse simul certum, & dubium. Nec illæ instantiæ valent propositionem adeo evidentem labefactare, tum quia illæ procedunt, ac si propositio intelligeretur de conceptu objectivo, tum quia in illis casibus nunquam certi sumus de conceptu formali ultimato, quo scilicet cognoscimus res significatas per voces, sed ad summum de non ultimato, quo nimirum percipimus ipsas voces, quod de ente reali dici non potest, quia omnes fere admittunt in ipso unitatem conceptus formalis ultimati, & hanc vult astruere Doctor per illud argumentum, ut hinc postea deduceret unitatem quoque conceptus objectivi. Ultimæ tamen duæ instantiæ nihil prorsus concludunt contra propositionem allatam, quia si rationale, & irrationale sumantur materialiter, scilicet pro speciebus constitutis per illas differentias, animal est prædicatum eis univocum, & univoce dictum; si vero sumuntur formaliter, scilicet pro ipsis differentiis contrahentibus, quamvis de eis univoce non dicatur, adhuc tamen est univocum prædicatum, ut notat Bargius loc. cit. & demum ultima instantia non procedit, quia ut inquit Aureolus loc. cit. ad 1. princ. ubi hanc propositionem Scoticam defendit, & nos etiam docuimus disp. 2. Log. qu. 4. art. 1. §. *Tertio dubitatur*, conceptus non dicitur proprie æquivocus, sed vox, potest ergo haberi conceptus de voce, & tamen ignorabitur, quomodo se habeat ad sua significata, non sic autem est de ente, quia non est hic quæstio de voce, sed de conceptu communissimo, & confuso, qui habetur de omnibus omni voce circumscripta.

Tertio probatur Conclusio ex virtute præcisiva, qua intellectus noster potest res in plures resolvere conceptus usque ad supremum determinabilem, & ultimum determinativum, ut sæpe monet Doctor loc. cit. Cum enim videamus res inter se convenire, & differre; potest intellectus attingere in rebus utramque formalitatem, qua nimirum conveniunt, & qua differunt, & unam ab alia separare, & sicut potest sic præscindendo procedere usque ad ultimam differentiam, quia omnis differentia differentium reduci debet ad aliqua primo diversa; ita etiam procedere potest usque ad supremum conceptum determinabilem, qui sit omnibus communis, nec possit in ulteriores conceptus resolvi, ne detur processus in infinitum, ut discurrit Doctor 1. d. 3. qu. 3. G. ubi ait, quod omnis resolutio entium compositorum stat ultimo ad simpliciter simplicia; hic autem ultimus conceptus determinabilis, in quo omnia conveniunt, est ipse conceptus entis, ut pote qui nullam includit diversitatem, quia si duas includeret rationes, posset rursus intellectus virtute sua præcisiva distinguere in eo rationem convenientiæ, & differentiæ, & sic non esset ultimus conceptus, & supremus, in quo res omnes resolvi possunt, ut supponebatur, ergo tam juxta præscindentes objective, quam juxta præscindentes solum formaliter, ens, ut sic, habet suum proprium conceptum formalem distinctum a conceptibus formalibus suorum inferiorum.

Quarto tandem probatur ex natura ipsius conceptus formalis entis, ut sic; nam totum esse conceptus formalis consistit in esse repræsentativo, quia est essentialiter repræsentatio objecti, & ipsius naturalis imago, atque ideo ex diversitate objecti repræsentabilis deducitur sufficienter diversitas conceptus representativi; at sic est, quod ens universalissime sumptum habet aliud esse repræsentabile a substantia, & accidente, & alio quolibet inferiori, ergo conceptus quoque formalis ejus habebit aliud esse repræsentativum. Major constat ex ipsa notione conceptus formalis; Probatur minor, quia in ente universalissime sumpto repræsentantur Deus, & creatura, substantia, & accidens confuse, & indistincte prout inviçem conveniunt, sed per proprias rationes repræsentantur distincte, & prout abinvicem differunt, ergo habent diversum esse repræsentabile,

10 Dicendum secundo conceptui formali entis in mente nostra correspondere unum conceptum objectivum a conceptibus inferiorum præcisum, & distinctum. Ita Doctor loc. cit. in 1. sent. & qu. 21. de anima, cum suis, & sequitur fere universa Neotericorum turba, Suarez disp. 2. Met. sect. 2. Blanc. disp. 6. Log. sect. 2. Aversa in sua Philosoph. q. 3. sect. 7. Albert. tom. 2. coroll. princ. 1. Philosoph. disp. 1. qu. 4. Pasq. Thom. 1. Met. disp. 34. sec. 2. Hurtad. disp. 2. Met. sec. 3. Arriag. disp. 11. log. sec. 1. subsec. 1. & 2. Ovvied. controverſ. 3. Met. punc. 5. immo & aliqui ex Thomistis apud Suar. cit. Capreol. Javell. & Soto, sequitur ex præcedenti conclusione & probatur, quia ut notavimus disp. 2. Log. q. 4. art. 2. unitati conceptus formalis necessario respondere debet unitas objectivi, si ergo ut probatum est, habet ens in mente nostra unum conceptum formalem a conceptibus propriis inferiorum distinctum, pariter habebit objectivum, probatur assumptum, quia conceptus formalis est ipsa intellectio, seu actus intelligendi, at implicat intellectionem, ut sic, non esse alicujus rei intellectæ, quia cum actus intellectus habeat ex sui natura transire super aliquod objectum, ut in terminum; necessario dicendum est, quod cuilibet actui intellectus, seu conceptui formali ratio aliqua objectiva una debet correspondere.

Respondent Thomistæ, & Nominales ad hoc sufficere, quod conceptui formali correspondeat una ratio objectiva, vel plures immediate, & ajunt in proposito conceptui formalis entis correspondere entia omnia immediata indeterminate, & confuse. Contra hoc est quia ut probavimus disp. 6. de Anim. qu. 9. nu. 262. conceptus formalis nequit esse plurium, ut plurium, sed

sed debet esse vel unius, nam cum intellectus noster finitus sit ac ejus intellectio, finitas; non potest plura simul, ut plura sunt, intelligere, unde actus ejus, seu conceptus formalis, qui idem est, debet esse unius vel plurium, ut habent rationem unius, ut docet Arist. 4. Met. quo loc. ait, qui unum non intelligit, nihil intelligere; vide hoc fuse probatum loc. cit. Tum quia, ut diximus, de quacunque natura communi disput. 4. Log quæst. 1. articul. 1. cognitio universalis non immediate terminatur ad omnia singularia contenta sub eo, quia objectum quod per talem cognitionem universalem, & confusam attingitur, est indifferens, ut de hoc, & illo inferiori enuncietur, ergo immediatum objectum talis actus erit quidpiam commune, & indifferens ad omnia inferiora illius universalis, quæ omnia attinguntur, ut unum in illo universali; vide loco cit. ubi excludimus responsiones Hurt. & Arriag. qui in hoc cum Nominalibus conveniunt, quod possint dari præcisiones formales sine objectivis. Tum quia si conceptus formalis est unus, & ad omnia inferiora indifferens, utique opus est, ut unam, eandemque rationem importet in singulis inferioribus, nam si non unam in omnibus repræsentaret, esset unus dumtaxat in essendo, non in repræsentando, nec omnibus, & singulis indifferenter applicari posset. Tum quia conceptus formalis ab objecto specificatur 2. de Anim. illique omnino commensuratur in repræsentando, quia totum suum esse repræsentativum habet in ordine ad objectum repræsentabile, ergo nullatenus fieri potest, ut repræsentatio terminative accepta sit una, & non sit unus conceptus objectivus ei correspondens.

11 Respondent Nominales, conceptum objectivum utique debere esse unum, non aliqua unitate intrinseca objectiva, quam in se habeat, sed extrinseca desumpta ab unitate conceptus formalis, quo attingitur, unde dicunt omnia, & singula inferiora simul sumpta esse adæquatum objectum cognitionis universalis, quæ quidem cognitio cum sit una, & confusa, suam participat unitatem quodammodo omnibus illis, quatenus in illa cognitione omnia confunduntur in unum, nec possunt per illam cognitionem confusam, & universalem inferiora illa ab invicem discerni. Contra est, quia conceptus formalis non solum est unus in essendo, sed etiam in repræsentando, sed dicitur sic unus eo præcise quia repræsentat unum objectum, ergo tantum abest, quod conceptus formalis det unitatem conceptui objectivo, quod potius ab eo recipiat. Major patet, prob. min. nam quando intellectus conceptum formalem efformat, supponit in aliquo priori objectum, a quo desumit suum esse repræsentativum, ut pote qui est ejus naturalis imago. Tum quia objectum præsupponitur ad actum circa illud versantem ex 2. de Anim. ergo & unitas objecti præsupponitur unitati actus, non e contra. Tum quia præsertim in proposito ens reale, de quo loquimur, est primum, & adæquatum objectum intellectus ex dictis in lib. de Anim. ergo non sumit suam unitatem ab actibus ejus; Prob. conseq. quia sicut nullus actus potentiæ cujuscunque constituit objectum suum primum, ita nec facit unitatem ejus. Tum tandem quia pero a Nominalibus præcisiones objectivas negantibus quid dicat illa confusio, qua entia confunduntur in unum in conceptu entis, & in quo fundetur; sane fundari nequit in rationibus inferioribus ut sic, quia istæ sunt separativæ entium, & distinctivæ, non confusivæ, ergo fundabitur in aliqua ratione communi eadem in omnibus. Dices fundari hanc confusionem in convenientia, quam habent entia inter se. Contra quia ex 5. Metaph. 20. similitudo, & convenientia fundantur super unum, sicut diversitas super multa, ergo confunduntur entia in unum ex vi alicujus formalitatis, quam unumquodque ens participat, & propter quam entia omnia in unum conveniunt, non enim confundi possunt entia secundum illas rationes, quibus abinvicem distinguuntur, confusio namque distinctioni opponitur; fatendum igitur est, quod singula entia confundantur ex vi alicujus rationis, quæ non sit separativa, & distinctiva illorum, & consequenter, quæ sit eadem in omnibus; & hæc erit unitas conceptus objectivi correspondens unitati conceptus formalis.

Respondent quidam Thomistæ, conceptum objectivum entis importare immediate omnia, & singula sua inferiora, non tamen solute, sed copulative sumpta, nempe Deum, creaturam, substantiam, & accidens, & ob hanc copulationem conceptum objectivum entis esse unum. Contra hoc est, quia ratio entis, ut sic, ex oppositis rationibus constitui nequit, sed Deus, & creatura, substantia, & accidens, ut sic, constituuntur per oppositas rationes, ergo illa immediate importare nequit etiamsi copulative sumantur. Tum quia vel includeret illa secundum quod entia, & sic non includeret secundum proprias rationes, vel secundum quod talia entia, & sic includeret rationes oppositas. Tum quia hoc admisso nulla propositio, in qua ens diceretur de aliquo, esset vera, redderet enim sensum, hoc esse substantiam, & accidens, esse Deum, & creaturam. Tum quia hoc etiam admisso nemo posset esse certus aliquid esse ens, dubitare vero an sit substantia, vel accidens, quia quodlibet eo ipso, quo est ens, esset etiam simul, & semel substantia, & accidens. Tum quia si ens immediate supponit pro Deo, & creatura copulative sumptis, non bene divideretur in ens finitum, & infinitum, ut superius in sua inferiora, cum omne universale superius sit aliquis conceptus unus a suis inferioribus distinctus.

12 Respondent, quod quando ens prædicatur de substantia, & accidente, Deo, & creatura, non est una sola ratio quæ prædicatur, sed diversæ, nam de substantia prædicatur conceptus substantiæ, & de accidente ratio accidentis; unde cum dicitur, accidens est ens, idem est ac si dicatur, illud esse, quod est accidens, est ens, & cum dicitur substantiam esse ens, est idem quod dicere, illud esse, quod est substantia, est ens. Contra, quia tunc ens non diceret rationes Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis copulative sumptas, sed solutas, quarum unaquæque sigillatim sumpta prædicaret, hæc quidem de substantia, illa vero de accidente. Tum quia tunc illa propositio, Deus est ens, substantia est ens, foret identica, & æqualis de æquali, non autem superioris de inferiori, ut re vera est. Tum quia vox entis non est imposita ad significandas rationes proprias substantiæ, & accidentis, sed tantum rationem generalem entis, in qua conveniunt, ergo quando dicimus, substantia est ens, &c. sensus non est, substantia est illud esse, quod est substantia, & accidens est illud esse, quod est accidens, quia est aliquod commune, & indeterminatum ad utrumque.

Respondent alii Thomistæ ex Hervæo, & Soncinate conceptum objectivum entis importare immediate hoc disjunctum substantiam vel accidens, Deum vel creaturam, & sic inquiunt ens importare inferiora disjunctive sumpta. Contra, quia adversus hunc dicendi modum redeunt omnes fere difficultates contra præcedentem allatæ, si parum immutentur; Tum quia hic valent impugnationes superius factæ pro unitate conceptus formalis entis contra eandem responsionem; Tum quia sic dicendo præcluditur omnis via probandi unitatem rationis generice, nam pari ratione dicetur, quod cum concipitur substantia, non concipitur aliqua una ratio communis, sed corpus, vel spiritus; cum concipitur quantitas, non concipitur aliqua una ratio communis, sed linea, vel superficies, vel corpus; Tum tandem, quia cum concipimus hoc disjunctum, substantiam, vel accidens, tunc habemus tres conceptus, unum adæquatum illius disjunctionis sufficientis, & alios duos inadæquatos substantiæ scilicet & accidentis; & quod hoc assumptum sit verum ex eo constat, quod possumus certificari de illa disjunctione, quod sit vera, vel sufficiens, absque eo quod simul certi de altero extremorum; si igitur conceptui formali entis objective correspondet hoc disjunctum, substantia, vel accidens, vel illi respondet ratio disjunctionis, ut sic, aut rationes extremorum disjunctionis sic simpliciter, & solutæ, aut eædem rationes sub disjunctione, nam aliud fingi non potest; sed nullum horum recte dicitur; non primum, quia tunc nulla propositio, in qua ens de aliquo enuntiatur, esset vera, quia neque substantia, nec accidens est illa disjunctio substantiæ, vel accidentis; non secundum ut supra probatum est, nec tandem tertium, quia tunc sensus hujus propositionis, substantia est ens, foret hic, substantia est substantia vel accidens, & sensus hujus homo est ens, esset iste, homo est substantia, vel accidens sub disjunctione, quas esse falsas satis de se constat, quia substantia est determinate substantia, non vero substantia, vel accidens; & honio non includit utramque illam rationem substantiæ, & accidentis, etiam ut sub disjunctione concipiuntur.

13 Respondent proinde alii, quibus Bassolius noster conferire videtur 1. dist. 8. quæst. 1 §. *propter istas instantias*, ens esse analogum ad sua inferiora, & significare illa omnia immediate, non tamen omnino confuse, & promiscue, sed ordine quodam rationis, vel naturæ, sicut & inter se entia ordinem habent, primo Deum, secundo creaturam, primo substantiam, secundo accidens, ita quod in adæquato objecto conceptus formalis entis non includuntur inferiora entis immediate secundum proprias rationes, neque omnes sub aliqua una ratione communi, sed una tantum determinate, & expresse, nempe primi analogati Dei, vel substantiæ, aliæ vero indeterminate, & implicite. Sed contra hunc dicendi modum rursus redeunt ex integro difficultates factæ paulo supra num. 4. pro unitate conceptus formalis contra eandem solutionem; Tum quia, ut mox dicemus, *conceptus objectivus entis est omnino indeterminatus & indifferens a suis inferioribus æque præscindens*, non enim dicit habere talem, vel talem essendi modum, sed habere esse, ut sic simpliciter, & absolute sumptum, ergo ex sua impositione non magis explicite dicit substantiam, quam accidens; Tum quia substantia, cum dicat aliquid per se subsistens, non solum dicit habere esse, seu essentiam, sed etiam tali modo illud habere, quod non exprimitur per nomen entis, quod absolute dicit esse præscindendo a modo essendi.

Aureolus, ut refert Canon. cit. 1. d. 2. par. 1. art. 2. ut has omnes evitaret angustias, inquit enti nullum prorsus correspondere objectivum conceptum, nullam unam communem rationem correspondere vel particularem, neque immediate plures, sed putat conceptum entis esse unum unitate quadam confusionis, & omnimodæ indeterminationis actualiter denudatum ab omni ratione una, vel pluribus, propria vel communi, qui proinde conceptus dum applicatur ad proprias entium rationes coincidit in illas nullo addito illi, quia quælibet propria ratio est iste conceptus, & nihil addit. Contra hanc Aureoli opinionem, vel potius figmentum (quamvis dicat Meurisse cit. esse probabilem omnibus modis hactenus recitatis ad negandum conceptum objectivum entis) pluribus agunt Canonic. & Rubion. 1. dist. 3. qu. 3. Sed breviter ex dictis evidenter rejicitur, quia ut diximus, implicat actum intellectus, seu conceptum formalem mentis non terminari super aliquam rationem objectivam communem, vel particularem, unam, vel saltim plures, quia actus intellectus ea ratione, qua vitalis est, in aliud ferri debet, ut in objectum. Tum 2. quia implicat intellectum esse intelligentem, & nihil intelligere, & in nullum prorsus objectum tendere, ita autem se haberet conceptus formalis entis, si esset omni prorsus objectiva ratione denudatus, ac destitutus. Tum quia conceptus intellectus non potest ferri, nisi super aliquod conceptibile, ergo implicat conceptus formalis in mente, qui non sit alicujus conceptibilis. Conseq. patet, quia ratio conceptibilis, conceptibile, & objectivus conceptus idem sunt; Probatur assumptum, quia implicat aspectum non terminari ad aliquid, sed conceptus formalis est aspectus intellectus, ergo &c. Tum quia, quod nullam habet rationem intelligibilem nec in re, nec in intellectu, nec est ens, nec intelligibile, ergo si ens, ut ens nullam habet rationem intelligibilem, seu objectivam, quod idem est, ipsum non erit intelligibile. Tum quia si ens, ut ens, nullam habet rationem intelligibilem, quo pacto statui potest objectum in Metaphysica de cujus ratione est habere propriam scibilitatem, quomodo poni potest objectum intellectus? Tum quia quando intellectus certificatur, quod suus conceptus est verus, opus est conceptui illi aliquam rationem objectivam correspondere, quia veritas in cognitione pendet ex conformitate ad rem, vel rationem significatam, sed intellectus certificari potest conceptum suum, quo intelligit quantitatem v. gr. esse ens, esse verum, ergo illi conceptui aliqua ratio correspondere debet. Tum quia experimur, quod concipiendo ens concipimus rationem quandam communem, in qua entia omnia conveniunt, & confunduntur, sicut cum concipimus animal, in quo conveniunt suæ species, ergo conceptui formali entis ratio objectiva correspondere debet. Tum quia nequit intellectus plura capere objective, & modo confuso, nisi innitatur alicui certo, & distincto, in quo illa plura conveniant, & confundantur, ut v. gr. ideo potest intellectus omnes species animalis implicite concipere, quia innititur conceptui certo, & distincto sensibilitatis, qua ablata nullo modo potest figi intellectus implicite super species animalis, sed intellectus in conceptu entis omnia implicite comprehendit, ergo necesse est, quod ea *implicando innitatur alicui conceptui objectivo certo*, & distincto.

14 Sed Aureol. citat. articul. 5. ut has, & similes instantias excludat, & veritatem suæ imaginationis ostendat, notat quod conceptus implicitus, & confusus aliquando est sic confusus, ut relinquatur in eo aliquid ultimate distinctum formaliter, & ratione, & talis est conceptus specificus, ut puta hominis, qui licet omnes homines implicite comprehendat, in eo tamen relinquitur humanitas ultimate distincta, unde habet unitatem omnimodam formalem, & rationis, quia distingui non potest per plures rationes; Aliquando vero conceptus sic confusus est, ut relinquatur in eo aliquid medio modo distinctum, & talis est conceptus generum omnium usque ad generalissima inclusive, sic enim suas species implicite comprehendunt, ut semper relinquatur aliqua propria ratio generis distincta quidem, & explicita, nihilominus tamen amplius distinguitur per differentias specierum; Aliquando tandem conceptus sic confusus est, ut non relinquatur in eo aliquid ultimate distinctum, ut in speciebus, nec medio modo distinctum, ut in generibus, & talis est conceptus importatus per ens, & aliquid, qui sic omnia implicite comprehendit, ut nullum conceptibile includat explicite, & distincte; nullamque rationem nec propriam, nec communem; si enim explicite diceret aliquam rationem conceptibilem, ista non esset eadem cum qualibet implicita, nam contradicit, quod aliqua ratio sit simul explicita, & implicita, ergo rationes propriæ essent extra rationem entis, & per consequens essent nihil; & adhuc ista ratio explicita esset quædam specialis ratio contra rationes omnium entium divisa, & per consequens non esset ratio entis simpliciter, sed cujusdam entis, esset namque quædam ratio partialis. Ex hac doctrina nititur solvere Aureol. instantia factas, & falsum esse ait, quod oporteat aspectum intellectus semper terminari ad aliquam rationem propriam, vel communem, imo terminari potest ad aliquid mere indeterminatum, & confusum denudatum ab omni distinctione, & per consequens ratione, & illud confusum non erit unum unitate rationis conceptibilis, sed unitate unius modi concipiendi infinita conceptibilia implicite, & confuse; & rursum ait falsum esse, intellectum non posse plura confuse concipere, nisi aliquam rationem communem concipiat, in qua confundantur, concipiens enim significatum hujus termini *omnia* comprehendit omnia, quæ sunt, & omnes rationes implicite, & confuse, nec figitur super aliquid speciale; & cum hoc experiamur in sensu, non debet intellectui denegari, experimur autem in occursu alicujus superficiei, in qua colores sunt plurimi, & variæ celaturæ, nos intueri omnia in confuso, & nullum colorem, aut cælaturam distinguere.

Hoc tamen Aureoli fundamentum nullum est, quamvis enim prima, & secunda confusio conceptus bene assignetur, ultima tamen confusio, quam ait esse propriam conceptus entis, est adeo confusa, ut a nemine capi possit, nam vel conceptus formalis entis, quem ipse admittit, aliquid exprimit, & declarat, vel non; non secundum, quia dari nequit intellectio, & conceptus sine intelligibili, & conceptibili, ad quod terminetur; si primum tunc petendum est, quid per conceptum formalem entis intellectui explicetur, & manifestetur, vel enim sunt rationes particularium entium, quod nec ipse concedit, vel gradus universalissimus essendi, in quo omnia confunduntur, qui eo ipso quod clare, & distincte attingitur, confuse attingi dicuntur omnia particularia entia sub eo contenta, & hæc est confusio propria conceptus entis, constat autem hanc confusionem non esse talem, ut conceptus entis sit confusus spoliatus maneat omni ratione tam propria, quam communi; Tum quia non per hoc necessario distinguitur confusio conceptus entis a confusione conceptus generici, & specifici; sed per *confusionem in ratione magis*, vel minus communi, si enim ratio in qua plura conveninnt, est adeo determinata, ut non sit contrahibilis per differentias alterius rationis, fundatur in ea confusio conceptus specifici; si vero adeo communis est, ut possit contrahi per differentias alterius rationis, fundatur in ea confusio conceptus generici; si tandem sit ratio transcendens, & communis omnibus, tam in prædicamento, quam extra existentibus, fundatur in ea confusio conceptus transcendentis, & talis est confusio conceptus entis. Tum quia ex hoc, quod aliqua plura concipiantur adinvicem valde remote convenire, & valde tenuem habere inter se similitudinem, non statim inferre licet talem conceptum denudatum esse ab omni ratione tam propria, quam communi, sed *solum quod inter omnes conceptus illis pluribus communes* iste minimam habeat unitatem. Hinc etiam facile refelluntur solutiones ab eodem allatæ ad argumenta facta, cum falso innitantur fundamento quod possit dari conceptus formalis tertio illo modo confusus; neque alicui rationi conceptibili innixus, quique solum confusionem accipiat ex parte modi concipiendi, non ex parte rei conceptæ; & cum hoc nititur probare ex conceptione illius termini *omnia*, quæ aliam confusionem non habet, nisi hanc; negatur hoc pariter, quia explicari nequit, quid sit confusio illa, in qua omnia coadunari dicantur, nisi assignetur ex vi alicujus rationis communis, quæ sit una, & eadem in omnibus; non enim confundi possunt entia inter se secundum illas rationes, quibus abinvicem secernuntur, quia hujusmodi *rationes non sunt unitivæ*, & confusivæ, sed separativæ, & discretivæ; ad experientiam autem quam adducit de visione sensitiva constabit inferius numer. 58. præterquam quod jam dictum est disputat. 6. de Anim. quæstion. 9. in fine, colores illos in tali casu non unica visione videri, sed pluribus, vel si id fit unica visione, hoc sit duntaxat colligendo illos sub ratione una objectiva visibilis, quod innuit Doctor quæst. 8. de Anim. in corpore quæsiti; Et si talis confusio dari potest in aliquo conceptu, ut contendit Aureolus, sane tota illa doctrina applicari poterit nedum conceptui entis, sed etiam generico, & specifico, obstinate negando, quod detur una communis ratio, in qua talis confusio fundetur, quia semper negabitur ad confusionem necessariam esse rationis conceptibilis unitatem; Ratio tandem, qua probat talem confusionem in conceptu entis, nulla est, ut constabit infra num. 24. ratio enim explicita, quam importat conceptus entis, est eadem cum qualibet implicita inferiorum, inadæquate tamen, & rationes propriæ inferiorum, contrahentes rationem entis, licet sint extra rationem entis formaliter, quatenus non illud includunt in sua ratione formali, sunt tamen entia realiter, & identice, ut fuse declaratur quæstion. 7. Neque sequitur talem rationem entis esse specialem rationem contra rationes omnium entium divisam, imo est communissima ratio in omnibus entibus essentialiter imbibita; alioquin omnes istæ rationes pariter fieri possent contra rationem genericam, & specificam, ut discurrenti patebit.

Responsa nostris argumentis hactenus allata sunt priscorum Thomistarum, ac Nominalium, quæ adamussim adduximus, etiam si apud alios habeantur, ne huic famigeratæ controversiæ aliquid *deficeret; nunc veniamus ad solutiones Recentiorum Thomistarum*; Masius loc. citat scilicet in Anteprædic. sect. 1. quæstion. 6. negat in ente conceptum objectivum ab inferioribus præcisum perfectum, & adæquatum, tamen concluf. 3. ait, quod si est sermo de conceptu entis imperfecto, & inadæquato, de illo scilicet quod non repræsentat totum, quod est in re repræsentabile, in illo datur conceptus aliquis formalis præcisus, & distinctus re ipsa a conceptu substantiæ, & accidentium Dei, & creaturæ, quod probat, quia intellectus potest concipere ens esse id, quod est, nihil cogitans sit ne id, quod est, vel substantia, vel accidens, vel Deus, vel creatura, sed hic est conceptus formalis entis re ipsa distinctus a conceptibus formalibus suorum inferiorum, ergo in ente dabitur hujusmodi conceptus, & rursus hoc ibi probat ratione. Scoti, quod quis potest esse certus aliquid esse ens, & dubitare, num sit substantia, vel accidens. Postea infra concl. 5. loquens de conceptu objectivo inquit, non dari conceptum aliquem objectivum in ente perfectum, & adæquatum, qui sit præcisus, & reipsa separatus a conceptibus suorum inferiorum, bene tamen datur *conceptus objectivus imperfectus*, & *inadæquatus* præcisus, & separatus a conceptibus eorundem, quod probat, quia secundum talem conceptum ens exprimitur esse id, quod habet esse in communi, at sic habere esse præcisum est ab esse per se, & esse in alio; qui sunt duo modi essendi suorum inferiorum, neque in eo quod est habere esse in communi includitur habere esse per se, vel habere esse in alio; & concludit ibid. ex his colligendum esse conceptum entis imperfectum, qui est habere esse in communi, esse separatum, & distinctum a conceptu substantiæ, & accidentium, neque in illo esse includi proprias rationes horum inferiorum, ita ibid. clarissimus iste Thomista, quem non dubito Recentioribus omnibus præferre Thomistis; ex qua explicatione constat opinionem modo Thomistarum parum, vel nihil a nostra differre; nihil enim aliud Scotistæ contendunt, quam hujusmodi

di conceptum imperfectum, & inadæquatum entis ab inferioribus præcisum, quem mordicus ad hæc usque tempora negarunt prisci Thomistæ; vel saltim hæc olim adeo famosa inter Scotistas, & Thomistas controversia facta modo est quæstio quasi de nomine, sicut quæstio de actu entitativo materiæ in Physica, & hoc evenit eo quia Adversarii veritate coacti tandem & ipsi veritati subscribunt.

15 Cæterum Complutenses cit. disputat. 11. Log. quæstion. 5. ut pote priscum rigorem Thomisticum venerari videntur, & in omni rigore opiniones D Thomæ defendere profitentur, licet & ipsi utantur allata distinctione conceptus perfecti, & imperfecti, *alio tamen modo eam declarare videntur*; ne majorem unitatem conceptui entis admittere cogantur, quam puræ analogiæ proportionalitatis; dicunt enim conceptum formalem *perfectum* esse illum actum intellectus, qui repræsentat plura secundum atiquam unam rationem, seu gradum; itaut immediate, & distincte repræsentet talem gradum; conceptum vero imperfectum, & confusum esse illum, qui immediate repræsentat plura secundum aliquam similitudinem proportionalem, quæ proinde non attenditur in aliqua una ratione illis communi, sed secundum suas proprias rationes: non absolute consideratas, sed ut proportionaliter se habentes; unde concludunt postea numer. 46. ens ex sua impositione non significare immediate aliquem gradum, seu rationem communem inferioribus ab eis distinctam, & abstractam, sed immediate significat ipsa inferiora, ut proportionaliter se habentia inter se; atque ita simpliciter loquendo ens non habet unum conceptum objectivum *suis inferioribus* communem. Hinc tandem ad nostram difficultatem respondent numer. 54. ens non significare aliquem gradum communem substantiæ, & accidenti, neque *solum* substantiam, neque solum accidens, sed utrumque simul secundum suas proprias rationes; hoc autem potest intelligi dupliciter, primo quod ens significet substantiam, & accidens secundum suas proprias rationes absolute sumptas, vel disiunctive, vel copulative, & hoc modo est falsum. Secundo, quod ens significet substantiam, & accidens secundum proprias rationes, ut proportionaliter inter se similes, & hoc modo verum est, & ita quando ens prædicatur de substantia, & accidente, non prædicat eandem omnino rationem, sed quando dicimus *substantia est ens*, ibi de substantia absolute sumpta prædicatur ratio ejusdem substantiæ, ut proportionaliter similis accidentibus; & quando dicimus *accidens est ens*, ibi de accidenti absolute sumpto prædicatur ratio accidentis, ut proportionaliter *similis* substantiæ, & hic est proprius modus prædicandi analogi proportionalitatis, ut distinguitur ab univoco, & æquivoco, sic etiam loquitur Jo. de S. Tho. loc. cit.

16 Hæc tamen solutio ex multis capitibus a nobis debet rejici. Et in primis, quia licet concedamus ens esse analogum ad Deum, & creaturam, ad substantiam, & accidens, non tamen est analogum analogia proportionalitatis, ut ajunt Complut. ita quod ens dicatur de illis, sicut pes dicitur de pede animalis, de base lectuli, & radice montis, cum majori siquidem proprietate ens dicitur de illis, quam pes de istis, ut infra suo loco dicemus. Tum quia etiam hoc admisso redeunt adhuc difficultates factæ contra priores solutiones, ut enim analoga hujusmodi cognoscantur, quatenus talis, cognosci debent secundum proprias rationes non quidem absolute sumptas, sed ut proportionabiliter similes, & ratio est, quia proportionalitas in ipsis reperta non fundatur in aliqua ratione ipsis communi, *sed in propriis* cuiuscunque rationibus, ut constat in allato exemplo de pede, sed jam probatum est ens ex vi suæ impositionis non significare determinatam rationem substantiæ, nec accidentis; ergo nec illas significare potest, ut proportionaliter similes, quia talis proportionalitas explicari nequit sine propriis rationibus utriusque, in quibus fundatur. Tum quia analogia hæc proportionalitatis in eo consistit, ut sicut se habet substantia ad esse per se, ita se habet accidens ad esse in alio, ergo nomen entis significare debet utriusque proprias rationes, ut proportionabiliter se habentes; & utrumque simul significare debet vi talis analogiæ, quæ diversitatem simul cum aliqua convenientia importat, sed ens, ut sic, non dicit determinatam rationem substantiæ, vel accidentis, ut probatum est, ergo &c. Tum quia non valet dicere, quod exprimit tantum illa, ut proportionaliter similia, quia nedum hoc exprimit, sed declarat ea esse proportionaliter similia secundum proprias *rationes*, in quibus fundatur proportionalitas, ergo juxta hunc dicendi modum deberet ens significare nedum communem modum essendi substantiæ, & accidentis, sed attingere quoque determinatos modos essendi, scilicet per se, vel in alio. Tum quia, cum dicimus, *substantia est ens*, sane hæc tota videtur absoluta prædicatio nullo modo referens substantiam ad accidens, ergo falsum est in ea prædicari substantiam sumptam, ut proportionabiliter similem accidentibus. Tum quia si in hac prædicatione *ens* dicit rationem substantiæ proportionaliter similem accidenti; ergo hoc ipsum prædicatum non potest applicari accidenti, quia *aliquo modo involvit* rationem substantiæ, ut proportionaliter similem accidenti, quod de accidente verificari non potest. Tum quia hæc propositio reduplicativa est vera substantia, ut est ens, per se subsistens, sed si ly ens dicit rationem substantiæ, ut proportionaliter similem accidentibus, & non potius quid indifferens ad utrumque, non esset vera, quia proportionalitas illa fundatur in sua subsistentia, & ideo etiam sub ratione entis a subsistentia non abstraheret, quæ ratio est evidens.

Secundo principaliter solet probari hæc Conclusio ex eo quod Scotus docet in proposito 1. distinct. 8. quæst. 3. quod quando plura aliquam habent convenientiam inter se, possunt in aliquo communi signo, & universali repræsentari, & unam rationem illis communem potest intellectus abstrahere, sed sic est, quod entia omnia realia Deus, & creatura, substantia, & accidens habent aliquam similitudinem, & convenientiam in ratione essendi; ergo potest intellectus præscindere ab eis rationem communem, *in qua conveniunt*; Probatur major, quia cum intellectui non deficiat præcisiva virtus, statim ac in re fundamentum reperit differentiæ & convenientiæ, potest intellectus ea plura concipere secundum eam rationem, in qua conveniunt, præscindendo ab eis, quibus differunt, & tunc illa plura concipiet, ut sunt unum, probatur etiam minor, quia Deus, & creatura, substantia & accidens differunt quidem inter se, non tamen adeo inter se differunt, ut sint omnino primo diversa etiam in conceptu, nam certe magis inter se conveniunt, quam ens, & nihil, imo in quibusdam generalissimis attributis communicant, ut sunt esse objectum intellectus, contradistingui a nihilo, & a chimæra, capacitas durationis, loci, &c.

17 Respondent Complut. citat. distinguendo minorem, si enim sensus sit omnia entia realia in ratione entis habere similitudinem, & convenientiam secundum quid, seu proportionalem, *conceditur*, at negatur, si intelligatur de convenientia simpliciter, & propria, unde solum sequitur omnia entia realia habere conceptum objectivum abstractum secundum quid, non vero simpliciter; Contra hoc est, quia ex inferius dicendis ens non est analogum proportionalitatis ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, proprie enim, & simpliciter hæc omnia dicuntur entia per rationem entis in singulis eorum essentialiter imbibitam, ergo in ratione entis non conveniunt tantum secundum quid, & proportionaliter. Tum quia certe cum majori proprietate creatura, & accidens dicuntur entia, quam basis lecturi, & radix montis dicantur pes, quod ita de se constat, ut non nisi a protervo, & pertinaci in opposita sententia valeat negari, ergo ens non est analogum ad ea per *solam analogiam proportionalitatis*. Tum quia *multi* tenent analogiam proportionalitatis propriæ, ut distinguitur a metaphorica, non excludere unitatem conceptus objectivi, ut diximus disputat. 2. Log. quæstion. 5. explicando analoga proportionis, etiamsi cum ipsis Complut. oppositum censeamus probabilius. Tum quia si convenientiam, & similitudinem, quam habet Deus, & creatura, substantia, & accidens, in ratione generali essendi, durandi, præsentiæ in loco, contradictionis a nihilo, oppositionis cum chimæra, tu appellas similitudinem solum, & convenientiam secundum quid, & proportionalem, sic ego dicam e contra de similitudine, & convenientia, quam habent homo, & equus in ratione sentiendi, planta, & animal in ratione vegetandi; atque ita negabo unitatem conceptus in quocunque gradu communi, & dicam esse *solam* unitatem proportionalem, & secundum quid; & ut responsionem taciam excludamus, profecto parum refert, quod sit major convenientia, & similitudo inter aliqua plura, dummodo in ratione communi conveniant, hoc enim ad summum inferre potest majorem, vel minorem unitatem conceptus, non autem illam totaliter destruere, & hæc est potissima ratio, ob quam Recentiores omnes in hac materia de unitate conceptus entis declinarunt unanimiter in sententiam nostram. Tum tandem quia nedum substantia, sed etiam accidens contradictorie opponitur nihilo, & quidem hæc contradictio convenit utrique simpliciter, & absolute loquendo, non autem secundum quid uni, & simpliciter alteri, ergo admitti debet aliqua communis ratio, per quam contradictorie opponantur nihilo, cum enim æque id competat substantiæ, & accidenti, non potest eis convenire, ut talia entia sunt, quia cum ut talia sunt, oppositionem habent *adinvicem*, si uni conveniret, ut tale opponi nihilo, non posset alteri convenire, sicut ergo in tali oppositione cum nihilo, & chimæra simpliciter, & absolute assimilantur, & non tantum per quandam proportionalitatem, ita etiam assimilari debent in fundamento talis oppositionis, quod est esse in rerum natura absolute sumptum, & præscindens a particularibus modis essendi.

18 Tertio probatur cum Doctore 1. distinct. 3. quæstion. 3. & Mairon. quæstion. 2. de entis univocatione, ratione deducta ex unitate objecti intentionalis potentiæ. Ens enim reale, ut sic, est adæquatum objectum intellectus nostri ex natura potentiæ; ergo talem habere debet unitatem, qualis sufficiat ad specificandam potentiam intellectivam, cujus statuitur objectum; cum ergo potentia intellectiva sit una, ut de se constat, talis etiam ratio entis esse debebit, quæ est illius specificativa, nam si esset multiplex, non specificaret unicam potentiam. Quod potest confirmari ex unitate scientiæ Metaphysicæ, cujus adæquatum statuitur objectum, nam una scientia unum petit objectum 1. Post. 25. idque palam docuit Arist. 11. Metaph. *tum* 2. capitul. ubi ab initio capitis docet, quod esti ens, ut ens, dicatur multipliciter, non ita tamen dicitur, quin universaliter unam communem rationem a partibus suis præcisam habeat, & illius reddit rationem, nam quæcunque dicuntur mere multipliciter adeo quod nullam habent rationem communem, non possunt pertinere ad unam scientiam, modo Metaphysica est una scientia, quæ considerat multitudinem illorum entium, ergo ens etsi multipliciter dicatur, habebit tamen rationem unam communem præcisam a partibus; hæc autem

autem sunt Arist. verba ibid. ab initio capitis, cum autem Philosophi scientia sit entis, prout ens universaliter, & non secundum partem; ens vero multipliciter, & non secundum unum modum dicatur; si æquivoce, & non secundum aliquod commune dicitur, non est sub una scientia, talium enim non est unum genus, quod si secundum aliquod *commune*, erit utique sub una scientia; ita Aristot. ibid.

Respondet Aureol. omnem rem esse ab intellectu conceptibilem per se, & sub propria ratione, nec dari aliquam rationem communem objectivam mediantem inter rationes proprias, & intellectum; cum intellectus immediate in omnem rationem tendat, unde in hoc sensu non est vera illa propositio, quod unius potentiæ sit una formalis ratio, in quam immediate tendat, cum visus immediate tendat in omnes colores; sed illa una ratio debet intelligi pro uno modo potentiam immutandi, illa enim, quæ uniformiter immutant, habent unam potentiam, ut quia luminosa omnia immutant diaphanum, idcirco correspondet una potentia visiva, cujus organum substantiatur ex aere diaphano; & quia *omnes soni immutant* frangendo aerem, idcirco habent unam auditivam potentiam; cujus organum substantiatur ex aere frangibili, & sic de aliis potentiis, unde quia quælibet *res*, & *ratio est* apta seipsam declarare animæ, sic animam conformare, idcirco correspondet una potentia intellectiva. Ad Conf. pariter inquit ad unitatem scientiæ sufficere unitatem attributionis, nec requiri unitatem conceptus, & rationis communis. Hæc solutio facile improbatur ex dictis disp. 2. de Anim. quæstion. 4. numer. 54. ubi docuimus objecta potentiarum constitui debere, ut colorem visus, sonum auditus &c. non quidem, ut supponunt pro ipsis conceptibus abstractis simpliciter, quia tunc albedo v. g. & nigredo secundum suas rationes specificas, & individuales non percipierentur a sensu; sed neque constitui debent, ut supponunt personaliter pro hoc, & illo colore, pro hoc, & illo sono, ut inquit Aureol. quia tunc ratio generica coloris foret prorsus invisibilis, nec potentiæ ullam prorsus expectarent unitatem a suis objectis, & visibilitas non per se primo demonstraretur de colore, sed æque primo de hoc, & illo colore, qui est error ab Arist. notatus 1. Post. capitul. 3. cum passio superioris immediate demonstratur de inferiori; Sed debent objecta potentiarum prima, & adæquata assignari, ut supponunt absolute, tam scilicet pro ratione generali entis, coloris, soni, &c. quam pro specificis, & individualibus suorum inferiorum, nam ex primo capite salvatur unitas objecti adæquati, & ex alio capite quod objecta inadæquata attingantur a potentia etiam secundum rationes suas peculiares. Conf. ex dictis ipsius, quia peto, unde albedo, & nigredo habeant uniformiter immutare potentiam, sane id non habent per se primo ex rationibus suis *differentialibus*, ut per se patet, ergo ex ratione communi coloris, cui per se primo convenit immutare diaphanum, & aliis inferioribus suis per se secundo; tum quia cum hoc modo immutare potentiam sit passio conveniens omnibus, & singulis coloribus inadæquate, oportet adinvenire subjectum, cui per se primo, & adæquate conveniat, & cæteris per ipsum, & de ipso adæquate demonstretur, ne committatur error notatus ab Arist. loc. cit. & hic erit color in communi absolute supponens. Quod tandem addit de objecto scientiæ ei sufficere unitatem attributionis, id sufficienter impugnatum est in eo sensu, quo ab Aureol. suisque Sectatoribus Hurtad. & Arriaga intelligitur, disp. 12 Log. quæst. 2. art. 6.

Respondent Thomistæ passim ad unitatem scientiæ, & potentiæ sufficere *in objecto* unitatem proportionis, & analogiæ; Quæ solutio nullam prorsus habet probabilitatem, & præsertim in eorum principiis, qui volunt omnimodam specificationem essentialem actuum, & potentiarum ab objectis desumi debere, illisque prorsus commensurari; certe si ita est, ut ipsi fatentur, non sufficit allata responsio, quod ad specificandam unam potentiam sufficiat in objecto sola unitas analogiæ, seu proportionis; specificatio enim actus & potentiæ ab objecto in quadam commensuratione consistit, qua specificatum cum specificante commensuratur, & quale est specificans, tale etiam est specificatum; si ergo specificativum non habet unitatem, nisi imperfectam, & secundum quid, utique majorem actui, & potentiæ mutuare nequibit; cum ergo potentia Intellectiva sit una simpliciter, ac etiam Metaphysica sit una vere facultas, concludendum est ens, quod eorum adæquatum ponitur objectum, habere unam simpliciter rationem objectivam, & non tantum secundum quid, quia talis non sufficit ad specificandam potentiam; Tum quia hac ratione ens commune ad ens reale, & rationis non ponitur adæquatum intellectus objectum, quia nimirum non habet sufficientem unitatem, qualis requiritur ad specificandam unitatem intellectivæ potentiæ; certum autem est ei non deficere unitatem proportionis, sicut enim se habet ens reale ad esse extra causas, ita proportionaliter se habet ens rationis ad esse in intellectu. Tum quia vel unitas analogiæ proportionalis excludit ab analogo unitatem conceptus vel non excludit, si secundum, habemus intentum, si primum, jam palam est tale analogum poni non posse adæquatum objectum alicujus potentiæ, quia tunc potentia majorem haberet unitatem, quam suum specificativum, quia ipsa haberet unitatem perfectam, & simpliciter: suum vero specificativum haberet unitatem tantum secundum quid, & imperfectam, nec etiam poni posset adæquatum objectum scientiæ, quia de objecto in *scientia demonstrari* debent passiones per ejus definitionem, seu conceptum objectivum, ergo nullum analogum excludens unitatem conceptus idoneum est objectum alicujus scientiæ. Tum denique quia hic semper Thomistæ loquuntur de conceptu analogo, tamquam vere mediaret inter univocum, & æquivocum, quod tamen falsum esse ostendimus disp. 2. Log. quæst. 5. art. 3.

19 Quarto probari potest conclusio illa Scoti ratione applicata ad conceptum objectivum, potest enim intellectus esse certus de aliquo, quod sit ens, & dubius esse, an sit substantia, vel accidens, ut si quis dubitet, an aliqua hostia sit *consecrata*, certo cognoscit esse ens, dubitat vero num sit substantia, vel accidens; hoc autem contingere non posset, nisi intellectus concipiat rationem entis, non conceptis particularibus rationibus substantiæ, & accidentis, qui conceptus communis erit eis, & unus simpliciter, cum non includat aliquid ratione cujus possit ullam diversitatem, vel multiplicitatem habere, nam si talem haberet, hæ rationes aliæ non essent, quam rationes inferiorum, tota enim multiplicitas, & diversitas rationum est penes inferiora, & quidem argumentum procedit non tantum de *dubio negativo*, ut ait Jo. de S. Thom. sed etiam de positivo.

Respondent Complut. distinguendo assumptum, si enim sensus sit conceptum, de quo intellectus est certus, debere esse distinctum simpliciter a conceptu, de quo est dubius, negandum est; concedendum vero, si sensus sit debere esse distinctum secundum quid, seu penes majorem, & minorem expressionem; de eodem enim conceptu, ut est alteri similis, & ut imperfecte, & confuse significatur, potest intellectus esse certus alicui convenire, cum tamen dubitet, an illi conveniat idem conceptus absolute sumptus, vel ut perfecte, & distincte significatur. Zanardus vero 4. Met. qu. 1. ait, argumentum hoc peccare multipliciter, primo quia major est falsa, seu assumptum, possum enim scire quod canis currit & tamen dubitare, de quo cane verum sit, & tamen canis non dicit unum conceptum ad terrestrem, marinum, & cœlestem; deinde dicit illum conceptum, de quo est certus intellectus, esse unum analogice, non univoce. Sed neutra harum solutionum satisfacit, ista quidem Zanard. inepta est prorsus, & ridicula, quomodo enim possum esse certus, quod canis currit, & dubitare, quinam canis currat; quis non videt hoc solum de cane latrabili verificari; si vero dicatur nosse me esse certum, quod canis movetur, quod prædicatum potest omnibus convenire, ad hoc occurrimus supra nu. 9. dum idem argumentum solveremus factum contra unitatem conceptus formalis, ubi etiam alias solutiones ad hoc allatas reiicimus, & cum inquit conceptum illum, de quo intellectus est certus, esse unum conceptum analogum, non univocum: si analogis concedit vere unum conceptum objectivum, habemus quod intendimus, nec pro nunc curamus, an talis conceptus unus dicendus sit univocus, nec ne, *hoc enim infra examinabitur*, prius enim opus est astruere unitatem conceptus, quam de ejus univocatione sermocinemur; si vero non concedit analogi unum conceptum objectivum distinctum a conceptibus inferiorum, est nulla responsio, est enim id, quod directe argumentum probat.

20 Nec minus sufficit responsio Complut. alioquin per eam posset defendi in universum nullum genus dicere conceptum simpliciter distinctum a conceptu suorum inferiorum, & contrahentium, sed tantum secundum quid, seu penes majorem, & minorem expressionem, quod quam sit falsum, sufficienter demonstravimus disp. 5. Log. qu. 1. art. 4. dub. 2. ubi ostendimus, nullo modo actu, & formaliter contineri differentias in genere nec explicite, nec implicite, sed potestate solum, & qu. 3. artic. 3. ubi dicimus genus in suo conceptu objectivo omnino a differentiis præscindere tam explicite, quam implicite, quæ rationes fere omnes æque militant in proposito nostro de ente, suisque inferioribus, & contrahentibus ut eas pertractanti parebit; tum quia quæst. seq. probamus ex professo conceptum entis esse perfecte, & adæquate præcisum a suis inferioribus, & non differre ab eis dumtaxat per modum conceptus expliciti, & impliciti ejusdem essentiæ: tum quia etiam hoc dato sequitur conceptum superioris esse simpliciter distinctum a conceptu inferiorum, & non tantum secundum quid, quia conceptus explicitus, & implicitus non sunt idem formaliter conceptus, sed tantum materialiter, quatenus explicant eandem essentiam, sed non sub eisdem formalitatibus, nec eodem modo; tum quia respondere, quod ens in esse præciso includat inferiora sua, & contrahentia implicite, est absolute fateri, quod ea non includat in suo conceptu objectivo, quia in *tali conceptu non includitur*, nisi quod per conceptum formalem manifestatur, & quod per talem cognitionem attingitur; cum ergo per talem cognitionem ea minime attingantur, dicendum est a conceptu objectivo *entis*, ut sic, *excludi*; quo adhuc amplius declaratur, quia cum dicunt in conceptu entis objectivo implicite inferiora concludi, & contrahentia; vel hæc implicita continentia explicatur ratione *identificationis*, quam cum ipso habent a parte rei, & hoc non est includi in conceptu formali, vel objectivo entis secundum esse præcisum, sed in conceptu materiali ratione identificationis, & sic non est solutio ad propositum, quia hic est sermo de conceptu formali, & objectivo entis, non de materiali, ac identico, vel includuntur in ente secundum illud esse, quod intellectui repræsentatur, & manifestatur, & sic non includentur implicite solum, sed explicite, hoc enim explicite continetur in intellectu, quod per ipsam cognitionem ei explicatur, & obversatur; vide quæ *diximus disput. cit. Logic.* & inde percipies hanc responsionem esse prorsus inanem, & quæ infra dicemus quæstion. 3.

21 Quinto probatur ex Doctore cit. 1. d. 3. quæst. 2. B, & quæst. 21. de Anim. ubi probat unitatem conceptus objectivi entis, quia ejus unitas sufficit ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de uno, & eodem, sufficit etiam pro medio syllogistico, quatenus nimirum extrema unita in tali medio sic uno sine fallacia æquivocationis concludantur esse unum inter se; sed unitas analogiæ præcipue in sententia negante conceptum communem analogatis non sufficit ad contradictionem, neque ut distribuatur aliqua una ratio, quæ uniatur cum extremitatibus in præmissis, siquidem non datur talis una ratio, aut conceptus communis analogatis. Respondent Complut. disputat. 11. Logic. quæstion. 2. neg. min. ad cujus probationem ajunt, quod licet ens non habeat conceptum communem simpliciter unum, & præcisum ab inferioribus, adhuc potest esse medium demonstrationis, quia ad hoc sufficit identitas proportionalis, quam habent in ente inferiora ejus; ratio est, quia ut aliquid sit medium demonstrationis, sufficit posse integre conjungi cum extremitatibus, & distribui unica distributione pro omnibus inferioribus, ad quod est satis proportionalis convenientia eorum; nam eo ipso quod aliquid sequitur ad rationem unius, ut proportionabiliter se habet ad aliud, idem etiam sequitur proportionabiliter ad rationem alterius v. gr. si ex immaterialitate animæ rationalis sequitur esse spiritualem proportionabiliter in Deo, ex immaterialitate ipsius sequeretur ejus spiritualitas absque eo quod detur aliqua ratio immaterialitatis simpliciter una in illis.

Hæc solutio falsam omnino continet Doctrinam, falsum enim est analogum proportionalitatis etiam propriæ habere tantam unitatem, ut sufficiat ad contradictionem, ut enim unitas nominis in æquivoco ad hoc non sufficit, quia sine contradictione verificantur ista de eodem nomine, canis currit, & canis non currit, quia æque primo cursus affirmatur de cane latrabili, & negatur de cane cœlesti; sic in proposito unitas proportionalitatis non sufficit ad contradictionem, quia sine contradictione verificantur ista de eodem nomine analogo, pes currit, & pes non currit, quia æque primo cursus affirmatur de pede animalis, & negatur de pede montis, vel lectuli. Tum etiam falsum est sufficere ejus unitatem ad medium syllogisticum, quia sicut æquivocum non sufficit, nam in una præmissa accipi potest pro uno significato, & in alia pro altero, ut in hoc syllogismo, canis est animal, sidus est canis, ergo sidus est animal, ita etiam contingit in proposito de analogis, si enim fiat argumentum, pes currit, sed basis lectuli est pes, ergo basis lectuli currit, non concludit, quia pes in majori supponit pro pede animalis, in minori pro pede lectuli. Tum, quia si attributa, quæ conveniunt substantiæ, ut proportionabilis accidenti, conveniunt etiam accidenti, & e contra, certe non competunt huic, & illis secundum quod ipsum, sed inadæquate, ergo competunt adæquate, rationi communi, quæ erit una trascendentaliter in ambobus. Probatur consequentia, quia quælibet passio postulat adæquatum subjectum, cui per se primo competat, & cæteris per rationem ipsius. Tum quia analogum proportionalitatis plures immediate respicit rationes, ac simpliciter diversas, ergo non est idoneum medium in demonstratione; Ratio est quia sicut in demonstratione demonstratur una passio simpliciter de uno subjecto simpliciter, sic pariter demonstratur per unam rationem simpliciter. Tum tandem, quia potissimum principium regulativum syllogismi, ut etiam Complut. admittunt, est illud, *quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*, ut explicimus prim. part. instit. Logic. tractat. 3. capite 6. sed analogum proportionalitatis nequit dici unum tertium, cui ambo extrema identificentur, cum potius secundum rationem sit impliciter multiplex.

22 Postremo probatur, quia ens, ut commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti dividitur, & contrahitur per finitum, & infinitum, per inalietatem, & perfeitatem; positis autem contractivis, & divisivis, & quæ ens determinant ad tale esse, ponendum etiam est id, quod habet cum eis necessariam, & per se connexionem, scilicet ratio communis per ea divisibilis, & contrahibilis, hæc autem est ipsa ratio communis, & præcisa entis, quæ importat unum conceptum objectivum. Respond. Complut. non contrahi ens ad inferiora, tamquam gradum præcisum ab eius, sed per majorem expressionem ejusdem conceptus, quod est contrahi secundum quid, quatenus eandem rem, seu gradum, quem ens confuse, & imperfecte significat, significat substantia, aut accidens perfecte, & distincte. Hoc etiam facile rejicitur ex dictis, tum quia idem dici posset de quocumque gradu generico, quod non contrahatur vere per differentias, ut gradus ab eis præcisus, sed per majorem expressionem ejusdem conceptus, tum quia monstramus quæstion. sequ. ens, ut sic, esse gradum perfecte, & adæquate a suis inferioribus præcisum; tum quia infra ostendemus esse universaliter verum, contractivum, & contrahibile semper diversos importare conceptus, & perfecte abinvicem præscindere, quod etiam ex parte monstratum est disp. 5. log. qu. 3. artic. 3.

Diluuntur Objectiones.

23 Primo contra unitatem conceptus formalis objici solet, quod ens commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti est æquivocum, vel saltim analogum ea analogia, quæ excludit ab analogis unitatem conceptus, cum non significet aliquem unum gradum, seu rationem ab inferioribus præcisam, sed immediate sua inferiora, ut proportionabiliter similia, ergo in intellectu non correspondet enti conceptus aliquis formalis, qui sit simpliciter unus in repræsentando, sed tantum proportionaliter unus, & secundum quid. Respond. assumptum esse omnino falsum, ut constabit ex infra dicendis, nam ens commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti tantum abest, ut sit æquivocum, quod potius est univocum, vel si est analogum, non tamen ea analogia, quæ univocationem excludit, ut statim infra patebit.

Secundo objicit Aureol. apud Canon. & alij Thomistæ post ipsum contra unitatem conceptus objectivi; Conceptus entis coincidit in omnimodam identitatem cum omni ratione particulari nullo penitus sibi addito, ergo non habet aliquam unam rationem communem; Consequent. patet, quia ratio communis in inferiora descendit per aliquid sibi additum, scilicet per differentiam, vel aliam rationem habentem modum contrahentis; Probatur assumptum, quia vel illud additum esset ens, vel non ens, hoc autem dici non potest, quia ens per nihil ad inferiora contraheretur, si vero est ens, habetur intentum, quia nihil additur sibi ipsi. Deinde quia si ens diceret unam rationem communem, decem prædicamenta non essent primo diversa genera, quia in ratione communi entis convenirent. Demum hæc ratio objectiva entis aut esset absoluta, aut respectiva; non primum, quia non conveniret respectivis, nec secundum, quia non conveniret absolutis; neque dicas præscindere ab utroque, quia inter contradictoria non datur medium, esse autem ad se, & esse ad aliud sunt contradictoria, ergo &c.

Respond. Doctor ad 1. quæstion. cit. 11. de Anima dupliciter primo concedit, & negat consequentiam, ad probationem inquit, quod duplex est indeterminatum descendens ad inferiora, unum quod descendit in inferiora per aliquid additum, & tale dicit totum, quod dicit inferius per modum partis determinantis, ut differentia, & tale non est ipsum ens, aliud autem est commune indeterminatum, quod dicit totum illud, quod dicunt inferiora per modum totius, nec expectat terminari per aliud, ut species respectu individuorum, duo enim individua se totis in specie conveniunt, & in numero differunt, & tale commune non descendit in inferiora per aliquid additum; sic autem ens est commune ad Deum, & creaturam, ad substantiam, & accidens. Deinde respondet negando assumptum, & ad probationem ait ens in inferiora descendere per addita, quæ sunt etiam ens realiter, non tamen formaliter; Nec tamen ex hoc sequitur, quod secundum se sint non entia, sicut non sequitur, homo secundum se non est albus, ergo secundum se est non albus, quia nec ex ratione humanitatis habet, quod sit albus, nec non albus, quæ responsio conformior est doctrinæ, quam tradit Doctor de modis entis 1. d. 3. quæstion. 3. & inferius quæstion. 7. art. 2. late explicabitur, ubi eam a quibusdam Aureoli impugnationibus tuebimur. Ad 2. nostri respondere solent, ut passim videre est apud Scotistas, decem prædicamenta esse primo diversa in realitate, non in conceptu, seu in realitate subjectiva, non autem objectiva, quod ita omnes explicant, ut prædicamenta non conveniant in realitate aliqua generica, & per differentias contrahibili, sed tantum in realitate contrahibili per modos; at hæc responsio non solvit, quia non ens trascendens dividitur immediate in prædicamenta decem, sed ens finitum, quod veram dicit realitatem subjectivam per differentias contrahibilem, ut diximus disp. 6. Log. quæstion. 1. dicendum ergo, ut ibi fuse differuimus, ea decem vocari suprema genera, non quia assignari nequeat gradus adhuc genericus illis superior, sed quia ad ea tamquam ad suprema capita in diversis cordinationibus reduci possunt omnia contenta intra ambitum entis creati, & in hoc sensu vocantur primo diversa, quia nimirum in tali serie prima diversitas incipit a tali genere, quatenus omnia ad eam classem pertinentia per illud genus primo secernuntur a contentis in aliis coordinationibus, quam opinionem post nos secutus est ex nostris Poncius disputat. 11. log. quæstion. 1. Ad 3. concludit argumentum, si valet, nedum contra conceptum objectivum entis, sed etiam contra formalem, quem tamen Aureolus non negat, vel enim talis conceptus foret absolutus, vel relativus, ad quod utique ipse responderet esse absolutum in essendo, non tamen in significando, cum sit signum omnium non tantum absolutorum, sed etiam aliorum; tum quia pari ratione formari posset contra omnes conceptus genericos, nam si sumatur ratio objectiva substantiæ, quæ ponitur genus generalissimum in eo prædicamento, quæritur, an sit corporea, vel incorporea; nec dici posset ab utroque præscindi, quia replicabitur corporeum, & incorporeum esse contradictoria, inter quæ dari non potest medium, ut ergo ad hoc argumentum responderetur, sic in proposito est dicendum, ens, ut sic, præscindere ab absoluto, & respectivo, & falsum esse hæc duo contradictoria opponi, cum ambo extre-

extrema sint positiva; opponuntur ergo eo oppositionis genere, quo solent opponi differentiæ, idem commune genus dividentes, a quibus sicut secundum esse objectivum, & præcisum tale genus abstrahit, sic etiam in proposito præscindit ens ab esse absoluto, & respectivo, itaut neutrum sit formaliter, utrumque permissive.

25 At hanc solutionem impugnat Aureolus dupliciter apud eundem Canonic. Impossibile est intellectum rem aliquam intelligere, quin eam intelligat ad se, & sine alio termino cointellecto, vel non ad se, & aliquo termino cointellecto, quia hæc vere contradicunt intelligere rem cum ordine ad aliud, & sine ordine ad aliud, ergo cum ens concipitur, uno, vel alio modo concipi debet, nec medium dari potest. Deinde nulla ratio inferior est absolutior ratione superioris, sed ratio substantiæ, quæ est inferior respectu entis, est ens absolutum formaliter, ergo tanto magis ratio entis. Respond. rursus hoc argumentum reduci posse ad hominem contra conceptum formalem, ut antecedens, itaquè dicendum cum Canon. aliquam rationem intelligi non cointellecto termino dupliciter contingere posse, vel quia ista ratio est formaliter, & positive ad se, & quod sic intelligitur est formaliter absolutum; vel quia ista ratio non est formaliter ad aliud, licet non sit formaliter ad se, & quod sic intelligitur non cointellecto termino, non oportet, quod sit formaliter, & positive absolutum, nisi abstractum vocetur absolutum; concedimus itaque dum intellectus ens, ut sic, concipit, non cointelligere terminum, hinc tamen non statim sequitur immediate esse formaliter, & positive absolutum, sed vel absolutum, vel non formaliter ad aliud, idest absolutum positive, vel negative; Ad aliam instantiam per rationem absolutiorem in majori intelligitur ratio minus per differentias contracta, & in minori intelligitur ratio, quæ est ad se, & non ad aliud, & ideo nihil sequitur.

Tertio arguunt ad idem Thomistæ, & est præcipuum eorum fundamentum apud Complut. Nullus gradus vere communis, & præcisus potest esse transcendens, ergo ens ob suam transcendentiam nequit habere conceptum præcisum ab inferioribus, & contrahentibus; Probatur assumptum, quia transcendentia dicit necessariam, & essentialem inclusionem conceptus transcendentis in omnibus rationibus particularibus, consequentia vero de se patet, quia si foret ab illis præcisus, ergo non esset in eis essentialiter inclusus. Confirmat. quia ideo genus dicit unum conceptum communem, & præcisum, quia non est de essentia differentiarum, sed ens est de essentia differentiarum, & modorum, per quos ad prædicamenta ponitur determinari, ergo ens non dicit conceptum unum communem, & præcisum. Tandem deberet hujusmodi conceptus sumi ab una communi natura, quæ reperiretur in omnibus, sed hæc communis quidditas non datur, in unaquaque enim re tantum reperitur proprium esse ipsius, quod in substantia est secundum se totum substantia, & in accidenti secundum se totum est accidens.

26 Respond. argumentum in multis deficere, primo enim abutitur nomine transcendentiæ, quia per ipsam intelligunt rationem omnibus rebus communem, ac in eis essentialiter imbibitam, cum potius transcendentia dicat exclusionem a prædicamento, & indifferentiam ad finitum, & infinitum, ut diximus disp. 2. Log. quæst. 5. art. 1. concl. 4. explicando analogiam transcendentiæ, unde ex hoc capite potest negari assumptum cum probatione. Deinde accepta transcendentia in sensu argumenti negari potest esse transcendens respectu prorsus omnium rerum, ac realitatum, nam saltem modi entis non includunt ejus formalitatem quidditative, & essentialiter, sed tantum realiter, accidentice, ut in universum dicimus de quibuscumque differentiis respectu sui generis, ut inferius dicemus. Vel dicendum ad transcendentiam entis sufficere, ut in omnibus includatur essentialiter, vel identice. Demum concesso, quod essentialiter in omnibus suis inferioribus, ac etiam contrahentibus imbibatur, adhuc negatur consequentia cum probatione, nam solum ex hoc sequeretur ad summum non posse inferiora, & contrahentia præscindi ab ente, non tamen e contra, alioquin genus præscindi non posset a speciebus, ac differentiis contrahentibus; ratio a priori est, quia licet superius in suis inferioribus intime imbibatur, non tamen quoad formalitatem est omnino idem cum ipsis, sed differunt penes magis, & minus commune, & ideo cum inferiora secundum proprium esse differant, & secundum rationem entis conveniant, potest intellectus rationem convenientiæ concipere, non concipiendo saltem explicite rationem differentiæ, & hæc est objectiva, vel saltem formalis præcisio superioris a suis inferioribus, & contrahentibus, nec sequitur, si est conceptus superioris præcisus ab eis, ergo non est in eis inclusus, non enim hæc separatio est Physica, sed intentionalis, quæ sit præcise ex eo, quod per cognitionem attingitur ratio, in qua inferiora conveniunt, non attingendo illam, qua differunt; unde bene dixit Ovvied. hoc argumentum, quod adeo magnificant Thomistæ, nullius prorsus esse momenti. Ad Confirm. potest negari major, quia genus vere præscinditur, & abstrahitur a speciebus (quicquid dicant Complut. qui negant hanc esse veram abstractionem contra communem loquendum) & tamen est de essentia illarum; sed etiam admissa majori negatur minor, quam numquam ibi probant, sed supponunt, cum tamen hic tota consistat difficultas, negat enim constantissime Doctor ens includi formaliter, & quidditative in modis contractivis ipsius entis, quod infra late probamus. Ad ultimum negatur minor ad cujus probationem dicimus esse veram realiter, & identice, non autem formaliter, nam in esse Physico substantiæ, & accidentis plures formales rationes distingui debent, nimirum talis modus essendi, qui est constitutivus accidentis, vel substantiæ, & ratio essendi, & existendi, ut sic, & ideo falsum est non in utroque reperiri rationem præcisam, & communem, unde entia dicantur, quo pacto autem hujusmodi rationes taliter essendi, & essendi ut sic, distinguantur, inferius patebit.

Quarto idem probant ex absurdis, quæ inde sequerentur. Primo namque sequeretur ens esse univocum, quod enim magis, vel minus perfecte participetur, univocationem non impedit, ut constat de animali, quod perfectius participatur ab homine, quam a bruto. Secundo rationes determinativas entis non esse entia, quia ratio communis semper præscindit a contrahentibus, qua ratione Aristotel. 3. Metaph. 10. ait genus esse extra rationem differentiarum. Tertio ens posset poni in definitionibus contra Aristot. 8. Metaph. 16. asserentem non inesse in definitionibus neque ens, neque unum; sequela probatur, quia in qualibet definitione potest poni definitio ipsius generis ex 2. Topic. cap. 2. Tandem sequeretur aliquid esse prius, & simplicius Deo, nimirum conceptum entis, haberet enim rationem partis, & omnis pars est prior, & simplicior composito; & quod Deus, & creatura non infinite distarent.

27 Resp. vel illa non omnia esse absurda, vel quæ sunt absurda non sequi; sic ad primum concedimus ens esse univocum, non tamen purum univocum, sed univocum analogum, licet enim magis, vel minus perfecte participari non impediat univocationem simpliciter, & absolute sumptam, impedit nihilominus puritatem univocationis, ut postea dicemus. Ad secundum negatur consequentia; quia licet ratio entis non includatur formaliter, & quidditative in modis contrahentibus, includitur tamen realiter, ac identice, quatenus illi identificantur, quod est formaliter ens, & quando etiam ens quidditative includeretur in eis, adhuc ab eis præscindi posset conceptus entis, sicut genus præscinditur a speciebus, in quibus tamen essentialiter includitur, quia hæc non est separatio Physica, & realis, sed intentionalis tantum, & ideo fieri potest sine mendacio, quia abstrahentium non est mendacium ex 2. Physicorum. Ad tertium jam diximus disput. 1. Logic. quæst. 4. artic. 2. transcendentia in definitionibus non bene sonare, non quidem ob rationem allatam a Complut. quia scilicet includuntur in modis contrahentibus quidditative, & sic committeretur nugatio; nam infra ostendemus æque bene ens esse extra rationem suorum contrahentium, sicut genus extra rationem differentiarum, sed ob. eorum maximam communitatem & universitatem, satagendum enim est, ut definitio detur, vel per genus proximum, & ultimam differentiam nobis notam, vel quantum fieri potest per genera minus remota, ut ibi explicatum est, vide aliam solutionem infra numero centesimo vigesimo septimo, ubi ostendimus posse ens poni in definitione Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis. Ad quartum dicemus quæstione sequenti, ubi speciatim agemus de communitate conceptus entis etiam respectu Dei, & creaturæ.

Quinto obiciunt quasdam Arist. auctoritates, nam 1. Phys. 13. ait ens non significare aliquid unum, quod possit esse medium syllogismi, qua de causa syllogismum Parmenidis ibi damnat, qui ita arguebat, quicquid est præter ens, est non ens, sed non ens est nihil, ergo quicquid est præter ens, est nihil. Secundo, quia 1. Prior. 28. significat prima genera talia esse, ut de ipsis nihil dicatur, & ideo 1. Post. vocat eam propositionem immediatam, in qua unum genus generalissimum negatur de alio. Tertio quia 7. Metaph. 15. dicit utique ens dici de omnibus generibus, non tamen similiter, idest secundum eamdem rationem, & conceptum. Quarto, quia 8. Metaph. 16. ait ipsum ens, ut tale est, statim esse substantiam, quantitatem, qualitatem &c. hoc est immediate, & idem habet 10. Metaph. tex. 8. Tandem 6. Metaph. 4. ait, quod si non darentur etiam abstracta a materia, Physica esset prima Philosophia, quæ consequentia non esset bona, si ens, ut ens, significaret aliquod commune substantiæ, & accidenti, nam illud esse posset objectum Metaph. etiamsi non essent substantiæ abstractæ.

28 Resp. ad 1. Scot. 1. d. 3. qu. 3. lit. S. quod Parmenides, & Melissus, ut eis imponit Aristot. dicebant omnia esse unum, non loquendo de uno confuse, sed de aliquo uno determinato, & in hoc sensu vere negat Arist. ens esse aliquid unum, & ut sic posse esse medium in syllogismo. Ad 2. nihil tale invenitur ibidem, quod etiam si admittatur, ut ab Arist. dictum, explicari debet eo modo, quo nuper explicabamus id, quod passim dicitur ex eodem, decem genera esse primo diversa; neque ex eo quod illa decem genera conveniant in ente, sequitur, propositionem, in qua genus unum de alio negatur, non esse immediatam, quia id sequeretur tantum, si ens esset ratio, quare hæc propositio est vera, substantia non est quantitas, quia haberet medium distinctum a substantia, per quam verificaretur, sed non sic est medium, imo potius est medium convenientiæ, quam distinctionis, & diversitatis. Ad 3. cum ait ibi Arist. ens dici de omnibus generibus, sed non *similiter*, non bene exponitur, idest non uno conceptu, sed non eodem modo, quia non æque primo dicitur de substantia, & accidente, sed quodam ordine secundum

prius, & posterius, ut ibidem exponit Scotus, & 1. d. 3. qu. 3. lit. S. quo etiam pacto explicari debet Arist. cum 1. Met. tex. 2. 14. & 15. vocat accidentia non simpliciter, sed secundum quid, non enim vocat entia secundum quid, quasi formaliter non participent rationem entis, sed quia deficiunt a perfectione substantiæ. Ad 4. exponit ibi Doctor ens dici immediate descendere in prædicamenta, quatenus non expectat aliquid realiter distinctum ab eis, quod constituat substantiam, qualitatem &c. sed quasi seipsis, quia scilicet per modos intrinsecos essendi starim fiunt quod, vel quale, vel quantum, quo etiam pacto idem dictum exponit 10. Met. 8. quæ expositio necessaria est, quia in hoc secundo loco eodem modo loquitur de prædicatione, & communitate hominis, & entis, ait enim *in prædicatione unus homo non addit aliquid aliud, quam homo, stant neque ipsum esse præter quid est, aut quale, aut quantum*; quare si in virtute horum verborum, ut urgent Complut. docet ibi Arist. ens non significare aliquem gradum supra prædicamenta, sed immediate ipsa prædicamenta, hoc idem de homine dicendum erit; Sed ut omnis difficultas tollatur, advertenda est in his locis Alex. Aphrodisiensis expositio, quæ sane est magis ad sensum textus, ait enim, quod Arist. ibi intendit tantum declarare, quomodo res per id præcise, quo habent esse, habent etiam unitatem & non per aliquid realiter superadditum, quod innuit illis verbis: *statim enim unumquodque est ens quidam*; *& unum quidam*, idest exponit Aphrodis. eo ipso, quod res aliqua est ens tale, est etiam unum tale, quia unitas ipsius non est aliquid realiter superadditum entitati ipsius, quod adhuc magis exprimit Arist. dicens *propterea non aliqua alia causa ulli istorum, ut unum sint, nec ut ens quiddam sint, statim enim unumquodque est ens quiddam, & unum quiddam*, & hoc idem intendit 10. Metaph. 8. ut constat ex relatis verbis textus. Ad ultim. auctor. facilis est solutio ex his, quæ diximus eam exponendo quæst. procem. num. 40. ablatis namque substantiis abstractis cum suis accidentibus, sola remaneret substantia materialis cum accidentibus materialibus, & sic ens materiale commune substantiæ & accidenti materiali esset supremum prædicatum, quod ad Physicam pertineret, quæ entia materialia considerat, non autem ad Metaph. ut supponitur in argumento.

Sexto; ideo a Deo, & creatura; substantia, & accidente posset abstrahi conceptus entis, quia habent similitudinem in ratione entis, & potest intellectus de singulis determinate cognoscere, quod sit ens, & esse incertus, quod sit tale ens quod sit v. gr. Deus, vel creatura, substantia, vel accidens; sed hæc ratio non probat, quod ens dicat unum conceptum objectivum determinatum, ac præcisum, ergo &c. Probatur minor, quia omnia singularia, qua singularia habent talem similitudinem, potest enim intellectus cognoscere, quod una res sit singularis, & nescire an sit hoc singulare, vel illud, & tamen hinc non sequitur; quod detur conceptus communis singularitatis ab illis abstractus.

Resp. valde insudare Poncium pro solutione hujus argumenti disp. 18. de ente, ut sic, num. 14. eo quia jam in Logica statuerat dari non posse conceptum singularis, ut sic, ab hoc, & illo singulari abstractum; & quia ibi multa dicit, quæ longiori indigent examine, censuram differemus ad disp. de prin. individuationis, ad locum opportuniorem; sed apud *nos*, qui disp. 5. Log. quæst. 2. art. 4. concessimus talem conceptum communem esse a singularibus, ut sic, abstrahibilem, nullam facit difficultatem; & quidem si argumentum vim haberet, non solum impugnat unitatem, & præcisionem conceptus entis, sed substantiæ, animalis, & cujuscumque gradus communis, ut discurrenti patebit; quæ autem obiici possunt contra abstractionem conceptus singularis, diluta sunt loc. cit. Logicæ, & si quid aliud manet declarandum, id præstabimus infra disp. cit.

QUÆSTIO II.

An conceptus Entis sit unus, nedum respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam Dei, & creaturæ.

29 IN hac quoque quæstione, sicut & in præcedenti, tres sunt opiniones, duæ extremæ, & una media. Thomistæ namque negant in universum unitatem conceptus entis tam respectu Dei, & creaturæ, quam substantiæ, & accidentis, ut supra visum est; Scotistæ e contra eam asserunt universaliter respectu Dei, & creaturæ, accidentis, & substantiæ. Media opinio concedit unitatem conceptus entis respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam negat respectu Dei, & creaturæ, quæ videtur fuisse opinio Henrici in summa art. 22. qu. 1. 2. & 3. & pugnacissime defenditur a Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 28. ubi evertere nititur omnino unitatem conceptus entis respectu Dei, & creaturæ, quam postea defendit in ordine ad substantiam, & accidens disp. 33. & 34.

Dicendum est conceptum entis esse unum, nedum respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam Dei, & creaturæ. Ita Doctor loc. cit. qu. 21. de Anim. & 1. d. 3. qu. 1. & 3. & d. 8. qu. 3. & est communis omnibus illis Auctoribus, qui nobiscum concedunt unitatem conceptus entis respectu substantiæ, & accidentis, & quidem rationabiliter, nam omnes rationes, quæ probant unitatem conceptus entis ad substantiam, & accidens, probant etiam eamdem in ordine ad Deum, & creaturam, ut constabit singulas percurrenti; breviter ergo percurramus rationes illas quas Pasqualig. adducit disp. 33. & 34. ad probandam unitatem conceptus entis ad substantiam, & accidens, ut ostendamus easdem pariter probare ejusdem conceptus unitatem in ordine quoque ad Deum, & creaturam, quam ipse negat.

30 Primo itaque probat Pasqualig. unitatem conceptus formalis entis disp. 33. num. 6. & seq. ex vi præcisiva intellectus, qui potest in substantia, & accidente præcise rationem considerare in qua conveniunt, relictis illis, in quibus differunt; quoad etiam ibidem confirmat Scotico argumento, quod possumus de aliquo cognoscere quod sit ens, & dubitare, an sit substantia, vel accidens; Verum totum hoc argumentum cum sua confirmatione æque bene induci potest ad probandam unitatem conceptus entis etiam respectu Dei, & creaturæ, & quidquid dicetur ad argumentum pro hac parte, dici quoque poterit ad argumentum allatum pro altera, unde vel utrumque convincere debet, vel neutrum. Respondet Pasqualig. disp. 38. sect. 3. argumentum non concludere respectu Dei, & creaturæ, quia inter ista non est convenientia aliqua essentialis, seu in communi ratione essentiali, sed tantum in aliqua propositione, quia ratio entis in Deo est infinita, imparticipata, & talis per essentiam, in creaturis vero est finita, & participata, unde habet diversum modum essendi, quæ diversitas sufficit ad tollendam convenientiam essentialem; sic etiam ad Conf. negat dari conceptum entis distinctum a Deo, & creatura, ut utrique communem; quia alia est ratio entis in Deo, & alia in creatura, unde inquit, quod si quis haberet conceptum entis certum, quem tribueret Deo, & creaturis, falsum conciperet, dum eamdem rationem entis, quam tribuit creaturæ, tribueret etiam Deo, cum sit diversa. Contra, quia si hæc solutio aliquid soliditatis habet, poterit æque bene applicari eidem argumento facto pro substantia, & accidente, negando, quod inter ea reperiatur convenientia essentialis, quia ratio entis in substantia habetur per substantiam, & perseitatem, in accidente per inalietatem, & inhærentiam, quæ diversitas in modo essendi sufficit ad tollendam convenientiam essentialem, quare inter ea solum aliqua proportio reperitur, non autem essentialis convenientia; sic quoque pariter dicetur ad Conf. formatam ad idem, negando haberi posse conceptum certum entis substantiæ, & accidenti communem, quia alia est ratio entis in substantia, alia in accidente; itaque cum pateat ex dictis quæst. præced. hoc argumentum bene concludere respectu substantiæ, & accidentis, fatendum est etiam æque bene probare respectu Dei: & creaturæ: & solutionem allatam pro neutra parte sufficere, ut constat ex dictis quæst. præc. in confirmatione hujus argumenti, quia solutio semper loquitur de ratione entis, ut contracta ad Deum & creaturam per proprias rationes, non autem ut ab illis omnino præcisa, & abstracta, ut procedit argumentum.

31 Secundo idem Auctor, disp. 34. num. 10. probat unitatem conceptus objectivi entis ad substantiam, & accidens ratione deducta ex unitate objecti intellectus, quam etiam nos adduximus num. 18. quia deducitur ex Scoto loc. ibi cit. & ratio consistit in hoc, quod cum substantia, & accidens sint objectiva nostri intellectus, unica ratio objectiva communis est admittenda, quæ specificet unitatem potentiæ, & hæc est ratio entis. Sed sane hæc eadem ratio confici potest de Deo, & creatura, sed etiam Deus sub quibusdam conceptibus naturaliter acquisibilibus esse potest objectum intellectus nostri, ergo ratio objectiva adæquata debet esse aliquid commune abstrahens a Deo, & creatura, cum etiam Deus aliquo modo contineatur sub adæquato objecto intellectus nostri; Respondet Pasqualig. ibidem, quod quando intellectus noster Deum intelligit, non intelligit per propriam speciem, sed per speciem creaturarum, unde quando intelligit esse, & subsistere, illi tribuit rationem entis, & substantiæ, quam in rebus creatis attingit, ex quo patet; nec Deum proprie cadere sub objecto intellectus nostri, neque conceptus, quos ei tribuimus, esse illi communes cum creaturis, ac intrinsecos, sed re vera esse creaturarum conceptus illi extrinsece applicatos, ut tali pacto accomodetur intelligentiæ nostræ, eo modo, quo privationibus, & negationibus applicamus conceptum entis realis, quem vere non habent, ut possint accommodari intelligentiæ nostræ. Sed hæc responsio vel non solvit, vel solvit argumentum etiam factum pro substantia, & accidente, quia nec etiam substantia pro statu isto ait Doctor loco citato intelligitur per propriam speciem, quia non immutat immediate intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, sed solum accidens sensibile, ut dixinus disput. 6. de Anim. quæst. 6. art. 2. num. 161. quare sicut hac ratione inquit Deum non cadere proprie sub objecto nostri intellectus, & esse, quod ei tribuimus ex speciebus creaturarum, non esse conceptum communem quidditativum, sed proprie esse rationem entis creati, quæ illi applicatur; idem prorsus eadem ratione dici poterit de conceptu entis, quem tribuimus substantiæ, per species sensibiles accidentium. Tum quia duplex objectum adæquatum statui potest intellectus nostri ex natura potentiæ, ut docuimus disputat. 6. de Anim. quæst. 5. artic. 1. unum naturalis attingentiæ, aliud naturalis inclinationis, ibidemque statuimus ens reale in tota sua latitudine, ac indifferentia etiam ad Deum, & creaturam esse objectum naturalis inclinationis; quamvis ergo Deus non cadat sub adæ-

objecto naturalis attingentiæ, cadit tamen sub objecto naturalis inclinationis, quod sufficit, ut argumentum procedat etiam in proposito, quia objectum potentiæ debet esse unum, sive sit naturalis attingentiæ, sive naturalis inclinationis dumtaxat. Tum quia supernaturaliter elevatus intellectus noster Deum *attingit clare*, & *sub ratione Deitatis*, ergo sub hac ratione cadit sub objecto intellectus nostri, nam si extra ejus sphæram contineretur; neque supernaturaliter elevatus posset ipsum attingere, ut constat de oculo corporeo, qui per nullam potentiam potest elevari ad videndum Deum, quia est extra sphæram objectivam ejus. Quod autem in intellectu nostro sit necessaria hujusmodi elevatio ad videndum Deum, non infert exclusionem Dei a sphæra objectiva intellectus nostri, ut arbitratur Pasqual. cit. n. 12. sed tantum infert, quod intra eamdem sphæram est objectum superioris ordinis, atque ideo non naturaliter attingibile, & hæc est communis sententia omnium Theologorum in materia de Visione.

32 Tertio probat eamdem conceptus unitatem respectu substantiæ, & accidentis *disput. cit. 34. num. 6.* quia ratio entis est quid indeterminatum in modo essendi, quod quantum est de se, potest esse per se subsistens, atque alteri inexistens, non enim dicit habere talem, vel talem modum essendi, quia jam non esset communissime sumptum, sed tale ens determinatum. Et num. 7. probat, quia ut habeam conceptum objectivum entis, sufficit si concipiam aliquid habere esse, nec requiritur, quod concipiam habere tali, vel tali modo, at ad conceptum objectum substantiæ, aut accidentis oporter, quod concipiatur etiam talis, & talis modus essendi determinatus, nimirum esse per se, atque esse in alio, unde aliquid amplius debet concipi, & proinde necessario concedenda est aliqua diversitas inter conceptum entis, & conceptum substantiæ, aut accidentis. Et num. 8. probat, quia substantia, & accidens, quamvis inter se differant, adhuc tamen comparari possunt adinvicem, ut similia, assimilantur enim in eo, quod contradistinguuntur a nihilo, quod habeant esse, & sint aliquid reale, quod sint objectum intellectus, quod sint principium passionum realium, cum ergo similitudo fundetur in unitate, oportet concedere aliquam rationem unitatis, seu communitatis inter substantiam, & accidens, quæ non alia esse potest, quam ratio entis. Et num. 13. probat, quia, positis rationibus divisivis, & contractivis, debet etiam poni ratio communis per eas contrahibilis, & divisibilis, sed rationes accidentis, & substantiæ sunt contractivæ alicujus gradus communis per inalietatem, & perseitatem, ergo hic necessario est admittendus, & erit gradus entis communis substantiæ, & accidenti; Sed omnes istæ rationes ex integro applicari possunt ad probandam unitatem conceptus entis respectu Dei, & creaturæ variatis solis nominibus substantiæ, & accidentis, perseitatis, & inalietatis in nomina Dei, & creaturæ, finiti, & infiniti, a se, & ab alio, & quæcumque solutio adhibeatur ad eas solvendas, ut hanc partem probant, valebit quoque ad eas diluendas, ut probant alteram partem, nimirum de substantia, & accidente, quas quidem solutiones non adduco, quia nec adducuntur a Pasqualig. supponente has rationes probare tantum unitatem conceptus respectu substantiæ, & accidentis, non autem Dei, & creaturæ; vide Mairon. quæst. 2. de univocat. entis, his viis probantem hanc unitatem etiam respectu Dei, & creaturæ.

33 Quarto probat Pasqualig. loc. citat. num. 9. unitatem conceptus objectivi ad substantiam, & accidens, via reduplicationis, quam adhibere solemus quando dicimus aliquid convenire substantiæ, ut ens est, & similiter etiam accidenti, tunc enim non reduplicatur ratio substantiæ, quia tunc prædicamentum non verificaretur, falso enim diceretur, substantiam ut ens est, contradistingui ab accidente, esse per se subsistentem, ergo in his, & similibus prædicationibus reduplicatur ratio aliqua, quæ aliquo modo una est respectu substantiæ, & accidentis, quia tota diversitas, quæ est inter hæc duo membra, attenditur penes formales rationes proprias substantiæ, & accidentis. Sed hac eadem via æque bene ostenditur unitas conceptus entis in ordine ad Deum, & creaturam, immo ita de facto ostendit Mairon. unitatem istam respectu Dei, & creaturæ quæstione 2. de univocat. entis sic arguendo, quando aliqua *sic se habent*, quod quicquid convenit uni inquantum tale, convenit etiam alteri inquantum tale, convenit eis secundum rationem talem formalem, & unam in eis repertam, replicatio enim fit secundum rationem formalem; sed quicquid convenit Deo, inquantum ens, convenit etiam creaturæ, inquantum ens, & rursus quicquid repugnat Deo, inquantum ens, verbi gratia, esse nihil, repugnat etiam creaturæ, inquantum ens, ergo &c. minor patet; Probatur major, sic enim quicquid convenit uni inquantum tale, convenit etiam alteri inquantum tale, & non per eamdem rationem formalem, sed per diversas proportionabiliter se habentes, ut solent respondere Thomistæ, idem conveniret eidem rationi formali, & non conveniret.

34 Quinto aliis adhuc viis probat Mairon. loc. cit. quæst. 2. de univoc. entis, & quæst. 4. prolog. quatum evidentiores adduco; Prima est divisionis. Quod dividitur per plures differentias, seu rationes contractivas, illud habet unam rationem formalem communem membris divisis, sed dividitur ens nedum in substantiam, & accidens, sed in ens finitum, & infinitum, immo hæc est prior divisio illa, quia *illa* est subdivisio istius; ergo &c. Si dicas, quod ista est divisio vocis in sua significata; hoc statim reiicitur, ait Mairon. quia omnis divisio vocis in sua significata est divisio ad placitum, & immediata, hæc autem non est hujusmodi. Secunda est via definitionis. Quandocumque aliquid definitur per commune, & per contrahens, necessario illud commune convenit alicui, cui non convenit contrahens, sed creatura definitur per ens, & aliquid contrahens, ergo ens convenit alicui, cui repugnat contrahens, contrahens autem non repugnat, nisi Deo, ergo ens convenit Deo. Tertia est via distributionis. Nullus terminus æquivocus est distribuibilis, non enim bene dicitur omnis canis, omnis gallus, sed ens est distribuibile, dicimus enim omne ens est bonum. Quarta est via contradictionis. Quia in æquivocis non est contradictio, nam illi propositioni, omnis canis currit, non contradicit ista, hic canis non currit; sed isti propositioni, omne ens est illimitatum, contradicit ista, hoc ens, quod est Sortes, non est illimitatum, ergo, &c. Quinta est via argumentationis. Nam iste est bonus syllogismus, omne ens est bonum, Deus est ens, ergo Deus est bonus, similiter omne ens est bonum, creatura est ens, ergo creatura est bona; tunc arguitur, aut est idem medium in utroque syllogismo, aut non; si idem, cum dicatur de Deo, & creatura, ergo secundum eamdem rationem, si aliud, & aliud medium, tunc major utriusque syllogismi erit distinguenda, quod constat esse falsum, quia est demonstratio Metaphysica. Sexta tandem est via Metaphysicæ inquisitionis, ut loquitur Doctor 1. dist. 3. quæst. 2. §. *tertio arguo sic*. Omnis perfectio simpliciter, quæ invenitur in creatura, invenitur etiam in Deo secundum eamdem rationem formalem seclusis imperfectionibus, sed ens est perfectio simpliciter, ergo ens est in Deo, & creatura ejusdem rationis formalis; Major patet, quia in ente perfectissimo omnis perfectio simpliciter adinveniri debet, & quidem *in eo existere non eminenter, sed formaliter*; Probatur minor, quod est melius quocumque sibi incompossibili, est perfectio simpliciter, hæc enim est definitio perfectionis simpliciter, quam refert, & declarat Doctor quol. 5. ex Ansel. in Monolog. Sed ita est de ente, quia nihil est sibi incompossibile, tum quia passiones entis dicunt perfectionem simpliciter, ergo tanto magis ens, cujus sunt passiones.

35 Respondent Thomistæ ad hanc ultimam rationem, quæ expresse habetur a Doctore, aliam esse perfectionem, quæ reperitur in Deo, & aliam, quæ reperitur in creatura, nec umquam attribui Deo eamdem perfectionem in creatura repertam, quantumcumque ab imperfectionibus abstrahatur, sed sunt diversæ perfectiones, quæ quia aliquam habent inter se proportionem, ideo perfectio, quæ reperitur in creatura, potest causare conceptum perfectionis, quæ est in Deo. Contra est, quia proportio plus affert dissimilitudinis, quam similitudinis, ergo ex creatura intellectuali habere non possumus in Deo intellectualitatem absolute consimilem, sed potius dissimilem; Tum quia Deus cum intellectuali creatura comparatus, aut e contra non diceretur absolute intellectivus, vel intelligens, sed tantum proportionaliter, & sic homo, vel Angelus non esset simpliciter, & absolute intellectivus, sed proportionaliter tantum, inquantum haberet aliquam, in se vitalem perfectionem proportione correspondentem illi, quæ dicitur intellectus in Deo. Tum quia ut arguit Tromb. 4. Metaphysicorum quæstione secunda, articulo secundo nullum objectum creatum potest causare conceptum perfectiorem suo proprio conceptu quidditativo, quia imperfectius nequit causare perfectius, nec in esse reali, nec in esse cognito; sed conceptus entis dicti de Deo evit longe perfectior, quam conceptus entis dicti de creatura, si sunt simpliciter diversæ rationis, & solum proportionaliter similes, ergo &c. Et hæc est secunda ratio, quam format Doctor loc. cit. quam ulterius non prosequor, quia habetur apud omnes Scotistas cum suis replicis ad responsa Thomistarum; videatur Faber theor. cit. Meuriss. lib. 1. quæst. 8. concl. 3. Rada 1. part. controv. 27. art. 1. Posnanienss. 1. dist. 3. quæst. 2. disput. 4. Hinc etiam reiicitur responsio Pasqualig. citat. quæ in istam coincidit, ait enim per inquisitionem Metaphysicam numquam nos tribuere Deo eamdem perfectionem in creatura repertam semotis imperfectionibus, sed aliam æquivalentem, quam tamen eodem nomine explicamus, & quod nequeat esse eadem perfectio, probat ex Cajetano, quia dum demuntur imperfectiones, non solum auferri debet aliquid negativum, sed etiam illud positivum, in quo fundantur hujusmodi imperfectiones. Hæc, inquam, *solutio explosa manet ex confutatione* præcedentis, quia si non est aliqua convenientia, & similitudo, nec etiam in conceptibus transcendentibus inter perfectiones Dei, & creaturæ; non videtur quomodo perfectiones creaturarum nos manuducere possint per inquisitionem Metaphysicam in notitiam perfectionum Dei, & quidem juxta hunc sensum docuerunt Sancti Patres modum vestigandi ex creatis divinas perfectiones per inquisitionem Metaphys. ut Doctor ostendit 1. d. 8. quæst. 3. arguendo contra opinionem Henrici, unde D. Anselm. de lib. arb. cap. 1. reprehendit illam definitionem liberi arbitrii, quod est potestas peccandi, quia tunc in Deo non esset liberum arbitrium, quod est falsum, quæ improbatio nulla esset, si secundum aliam rationem omnino diceretur liberum arbitrium de Deo, & creatura quod etiam Doctor repetit 2. d. 44. qu. un. item D. Aug. 25. de Trin. cap. 4. vel 5. probat Deum summe vivere, & cuncta sentire, ac intelligere, eo quod viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus,

immortalia mortalibus, bona malis, &c. præferenda judicamus, quod argumentum non videtur valere (ait Doct.) si talia, ut reperiuntur in creaturis, non essent ejusdem rationis cum illis, quæ talia in summo attribuuntur Deo, & falsum est, quod Cajet. ajebat, semotis imperfectionibus tolli quoque formalitatem positivam creatæ perfectionis, in qua imperfectio fundabatur; nam ut docet Doctor cit. creatura habet multas perfectiones simpliciter, sed cum imperfectionibus permixtas, & cum limitatione, ut ergo habeatur ratio perfectionis simpliciter, sufficit, si depuretur ab imperfectionibus, & a limitatione præscindatur, quæ quidem limitatio erat positivum, super quod fundantur imperfectiones annexæ perfectioni simpliciter; unde patet, quo pacto ablatis imperfectionibus concomitantibus in creaturis perfectiones simpliciter, ac etiam ablato, positivo, super quo fundabantur, adhuc remanet perfectio simpliciter, quæ secundum suam rationem absolutam Deo attribuitur.

36 Aliam responsionem adhuc assignat Pasqualig. dispur. 34. num. 11. dicens, quod quando intellectus noster Deum intelligit, non intelligit per propriam speciem, sed ad modum rerum creatarum, unde quando intelligit esse, aut subsistere, vel sapientem esse; *illi* tribuit rationem entis, substantiæ, sapientiæ, quam in rebus creatis attingit, eo modo, quo nos privationibus, negationibus applicamus rationem entis realis, quam re vera non habent, hoc enim pacto nostræ intelligentiæ accomodantur, sic ergo contingit quando intellectus noster Deum intelligit, quia enim excedit captum nostrum, oportet quod proportionetur illi applicando rationes illas, quas intellectus noster attingit in rebus creatis. Sed id jam impugnatum est supra num. 31. impugnatur iterum, quia cum concipimus Deum esse, vivere, & intelligere, non est mera fictio nostri intellectus, sicut est quando concipimus tenebras esse, & existere; Tum quia si dum dicimus Deum esse ens, viventem, intelligentem, enunciaremus de ipso nostram entitatem, sapientiam, ac intelligentiam, istæ propositiones essent falsissimæ, quia falso Deo tribuitur ratio entitatis sapientiæ, & intelligentiæ creatæ secundum rationes proprias, & ut in nobis jacent; non ergo ex integro sumuntur, & applicantur Deo, sicut conceptus entis realis negationibus, & privationibus, ut ait Pasqualig. sed purgantur, ut sic dicam, & depurantur ab imperfectionibus, quas habent in nobis admixtas, & ita defecatæ Deo tribuuntur.

Sexto ulterius probatur nostra conclusio ex Scot. 1. dist. 8. quæst. 3. infra E. quam probationem tangit quoque Mairon. citat. Quæ comparantur in aliquo tertio, comparantur in eo, ut in attributo utrisque communi, ut docet Aristot. 3. Phys. 22. & constat exemplo, non enim dicimus albedinem esse magis coloratam *sono*, quia color non habet aliquam unitatem, & communitatem ad albedinem, & sonum; sed ens creatum, & increatum proprie comparantur in ente, dicitur enim Deus magis ens, quam creatura, & perfectius ens creatura, ergo &c.

37 Respondent Thomistæ ad faciendam comparationem inter aliqua duo non esse necessariam formam communem simpliciter unam, sed sufficere unitatem proportionalem, qua ratione prata florentia comparari *solent homini ridenti*, eo quia sicut risus in homine provenit ex interiori hilaritate, cum bene se habet; sic pratum videre dicimus, cum sua amænitate luxuriare *videtur*; sic etiam spinam in pisce ad os in aliis animalibus comparare solemus, etiamsi inter se majorem unitatem, & convenientiam non habeant, quam proportionis; Cum igitur Deus, & creatura comparantur in ratione entis, hæc comparatio non infert necessario unitatem conceptus entis utrique communis, *sed solam unitatem proportionis*, quatenus Deus', & creatura proportionantur in ente. Contra hoc est, quod in argumento non fit sermo de quacumque comparatione, sed de *comparatione* vera, & propria ad quam ajunt Grammatici requiri unitatem, & participationem ejusdem formæ in rebus comparatis; quamvis ergo concedamus ad comparationes abusivas, & minus proprie dictas sufficere unitatem proportionalitatis; tamen ad comparationem proprie dictam, qualis fit inter Deum, & *creaturam in ratione entis*, *plane* major unitas requiritur, quam proportionalitatis. Deinde quia falsum est inter Deum, & creaturam in ratione entis intervenire *tantum unitatem* proportionis, ut infra dicemus, & ratio præcipua est, quia etiamsi concedamus Thomist. ex dictis disp. 2. Logic. quæst. 5. non omnem analogiam proportionis esse Metaphoricam, & abusivam, sed dari analogiam proportionis cum aliqua proprietate, ut ibi explicuimus declarando hunc modum analogiæ; tamen hoc certum est, quod omnis proportio, sive fit per solam metaphoram, sive per aliquam proprietatem dicta, minuit semper aliquid de proprietate, & perfectione formalitatis, quamvis enim pes ver. gr. dicatur de planta hominis, de base lectuli, & radice montis proportionaliter in ordine ad munus sustentandi molem sui corporis, dicaturque de illis cum majori utique proprietate, ac veritate, quam risus dicatur de homine læto, & prato ridente, adhuc tamen *minus* proprie dicitur, quam dicatur substantia de corporea, & incorporea, animal de rationali, & hoc eo, quia proportio qualiscumque sit, semper minuit de prioritate, & perfectione formalitatis analogæ, cum ergo creatura, sive absolute considerata, sive etiam in ordine ad Deum, sit ens intrinsece cum omni proprietate per intrinsecam formalem rationem entis, non per metaphoram, neque per simplicem proportionem ad aliud ens, fatendum est inter Deum, & creaturam majorem certe unitatem intervenire, quam solius proportionis. Confirm. quia, quod est tale per solam proportionem, qualiscumque ista sit, non est simpliciter tale, sed tantum secundum quid, nempe proportionaliter, non simpliciter, & absolute tale; sed creatura est ens simpliciter, & absolute per rationem entis intrinsece participatam, ergo non per proportionem solam ad Deum.

38 Respondet Pasqualig. dispur. 29. section. 6. concedendo creaturam esse ens vere, & proprie, & non per proportionem ad Deum, sed negat Deum esse ens, ait enim esse aliquid supereminentius ente, quod ibi fuse probat ex multis SS. Patribus: Boetius enim de Trinitat. prope medium ait, *substantia in illo*, (scilicet Deo) *non est vere substantia*, *sed ultra substantiam*, & Div. Damasc. lib. 1. de fide capit. quarto inquit: *nam nihil eorum, quæ sunt, est, sed ut omnia entia supereminens, & super ipsum esse ens*, D. Dionys. capitulo primo de divinis, nominibus, *Deus est causa omnibus, ut sint, ipse vero non est tamquam omnis essentia superior*, & sic passim loquuntur alii Patres, quod etiam probat rationibus postea referendis. Contra; quia Deus est vere, & proprie ens, nec ratio entis excluditur ab eo per hoc, quod dicitur super ens, vel super substantia a SS. Patribus, sed solum significatur, quod longe nobiliori, & excellentiori modo reperitur ratio entis in Deo, quam in creatura; & in hoc sensu appellatur supersubstantia a Damasceno, hoc est, ut exponit Doctor 1. dist. 8. quæst. 3. §. *ad argum. pro 2. opinion.* accipiendo illud, quod est perfectionis in substantia, quæ est genus, & relinquendo illud, quod est imperfectionis; ita nos quoque has, & consimiles auctoritates expositimus disputatione septima Logic. quæstione prima articulo primo ad primum principium; quod Patres affirmant, Deum non esse ens, scilicet prædicamentale, sed supra ens, neque substantiam, scilicet prædicamentalem, sed supra substantiam, & hoc eodem modo ipsi Sancti Patres, & Hilarius 7. de trinitat. ab initio. August. libro primo de trinitat. capitulo primo, & libro quinto capitulo secundo, & septimo confess. capitulo decimo primo, & libro decimo secundo de civitat. capitulo secundo, & Hieron. in epistt. ad Ephes. 3. exponunt loca scripturæ, in quibus solus Deus dicitur esse bonus, aut sapiens, aut immortalis, quare non est cur Pasqual. vim tantam faciat in his, & similibus auctoritatibus, ut Deum ostendat non esse ens. Et res exemplo manifestari potest, Metaphysica namque appellatur sapientia idest plusquam scientia, non quia rationem scientiæ excludat, sed quia illam includit præstantiori modo, quam cæteræ scientiæ, pari itaque ratione Deus dicitur super ens, supersubstantia. Immo idipsum convincit ratio ipsa ex natura rei deducta, quia sicut *comparativum* præsupponit *suum positivum*, & superlativum sub eadem ratione; si ergo Deus est supra ens in superlativo gradu, hoc non excludit positivum entis, sed includit, ac præsupponit. Tum quia etiam in communi modo loquendi attributa soli Deo propria ei adscribuntur simpliciter, & absolute, non vero in comparativo, vel superlativo gradu, ut constat de æternitate, immensitate, immortalitate, &c. at quæ sunt ei communia cum creaturis, tribuuntur illi in gradu comparativo, vel superlativo, dicitur enim optimus, sapientissimus, clementissimus, &c. ergo gradus superlativus non excludit communitatem entis respectu Dei, & creaturæ, sed potius illam infert, & supponit per dictam regulam, quod comparativum, ac superlativum semper supponit positivum, in quo fit comparatio, & hoc adeo clarum est, ut ulteriori probatione non egeat.

Resp. tandem Capreol. per allatum argumentum ex comparatione deductum utique convinci unitatem conceptus entis respectu Dei, & creaturæ, non tamen univocationem, quia non æqualiter participatur ab illis, sed quicquid sit de hoc, de quo postea, nobis pro nunc sufficit, quod argumentum probet unitatem conceptus entis, hoc enim est, quod intendimus modo, nam an ulterius quoque *probet univocationem*, dissemus inferius, ubi statuemus inæqualitatem in participanda communi ratione, univocationem utcumque non impedire, sed tantum rigorose spectatam.

39 Septimo, probatur Conclusio evidentissima ratione. Non plus negat negatio, quam ponat opposita affirmatio; seu totum id quod tollit negatio, ponit contradictoria affirmatio, ergo totum quod negat nihil, hoc totum ponit conceptus entis ei contradictorie oppositus; at nihil, seu non ens nedum negat ens finitum, & creatum, sed omne prorsus ens, sive finitum, sive infinitum, ergo & ens ipsi contradictorie oppositum importat quid commune ad omne ens; Probatur consequentia, quia nisi conceptus entis se extenderet ad omne ens, nihil sive non ens, & ens non essent opposita contradictorie. Tum quia cum hæc sit unica oppositio, unicus etiam terminus hinc inde constitui debet hujus oppositionis, & hic ex parte entis erit unicus ejus *conceptus objectivus communis* Deo, & creaturæ, per quam contradictorie opponuntur nihilo: Et valde miror, cur hanc quoque rationem inducat Pasqualig. loc. cit. ad probandam unitatem conceptus entis ad substantiam, & accidens: peto enim ab ipso, an ens finitum, & creatum, quod sub se adæquate comprehendit substantiam, & accidens, adæquate opponatur nihilo, an potius ens absolute sumptum, ut comprehendit finitum, & infinitum, si primum, ergo Deus erit nihil, & non ens, cum non contineatur sub ente finito, qui ponitur adæquatus terminus oppositionis cum nihilo, si secundum, ut re vera est, ergo ens sic absolute sumptum dicet conceptum

unum,

unum, nedum respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam Dei & creaturæ, cum unica oppositio unicum quoque terminum utrinque habere debeat. Concludimus itaque ad consequenter loquendum, aut cum Thomistis negandam esse unitatem conceptus entis tam respectu Dei, quam creaturæ, tam substantiæ, quam accidentis; aut in omnibus concedendam esse cum Scotistis, ut enim sæpe diximus, major, vel minor convenientia non tollit unitatem conceptus, sed auget, vel minuit. Denique idipsum probat Doctor ibidem 1. dist. 3. qu. 2. infra B, quia negata semel unitate conceptus objectivi ad Deum, & creaturam præcluditur via omnis cognoscendi Deum ex creaturis in aliquo conceptu simplici, & essentiali contra illud Paul. *invisibilia Dei &c.* ad Rom. 1. Probatur sequela, illud cognoscitur per aliud, quod continetur in illo, vel formaliter, vel virtualiter; sed conceptus, qui repræsentatur de Deo ex vi speciei sensibilis creaturæ non potest esse conceptus Dei, ut Deus est, quia sicut *Deitas non continetur*, *nec formaliter*, nec virtualiter in re sensibili, ita nec per ejus speciem potest repræsentari; ergo erit aliquis conceptus communis Deo, & creaturæ, & in creatura formaliter, vel virtualiter inclusus, & hic erit conceptus entis. Respond. Cajetanus 1. part. quæst. 13. art. 5. aliquid continere virtualiter aliud, *potest duobus modis contingere*, uno modo sicut causa continet effectum, alio modo sicut effectus continet virtutem causæ, quod fit participando illam; in hoc secundo sensu creatura continet Deum virtualiter, potestque producere conceptum de Deo, quia est participatio ejus. Hæc tamen solutio prorsus voluntaria est, quia effectus nequit participare causam, nisi ex hoc, quod in aliquo conceptu conveniunt, nam si effectus in nullo conceptu convenit cum causa, signum est nihil participare ab ea; tum quia effectum participare causam est capere aliquid sibi commune cum ea, ergo si Deus in creaturis continetur participative, signum est, quod aliquo modo communicant cum eo in entitate; Aversa quæst. 3. sect. 9. ait hanc rationem non concludere, quia non ideo cognoscimus Deum ex creaturis, quia concipiamus naturam communem utrisque, sed quia ex propria ratione creaturæ ascendimus discurrendo ad cognoscendum aliquid proprium de Deo, ut igitur unum cognoscatur per aliud, opus non est contineri in eo formaliter, vel virtualiter quoad esse, sed sufficit contineri in eo intentionaliter, & repræsentative; quo pacto Deum contineri in creaturis, substantiam in accidentibus non est inconveniens. Hanc solutionem in terminis impugnat Doctor quolib. 14. §. *ad ista*, *ad primum*, cum enim obiiceretur posse aliquid causare notitiam alicujus essentiæ absque quod contineat virtualiter illam, sufficit enim, quod contineat ejus notitiam, non autem ipsam essentiam; hoc reiicit, quia nihil sufficienter continet continentia virtuali *ipsam notitiam*, nisi *contineat objectum cognoscibile*, tamquam proprium repræsentativum ejus, scilicet formale, vel ejus repræsentativum virtuale; species autem propria objecti, etsi sit respectu ejus diminuta in entitate, tamen continet ipsum primo modo, tamquam scilicet repræsentatum per ipsum formaliter; sed quando non est repræsentativum formale objecti oportet quod virtualiter contineat tale repræsentativum proprium, & quando est repræsentativum, sicut objectum cognitum, tunc oportet, quod contineat aliud objectum, quod per ipsum debet cognosci, quam doctrinam amplius declarat immediate infra §. *ad ista aliquid*, & Lichetus ibidem diserte; Est autem rationabilis valde ista Scoti doctrina, quia si ut unum objectum ducat in cognitionem alterius opus non est, quod illud contineat aliquo modo quoad entitatem, sed sufficit, ut contineat notitiam: tunc imperfectius potest semper causare notitiam etiam distinctam cujuslibet perfectioris, ut v. gr. lapis cognitionem Angeli, quia etsi sit imperfectior Angelo, est tamen perfectior, quam sit ipsa cognitio, quæ est accidens. Tum quia quod ducit in alterius notitiam, ut objectum cognitum, debet prius ipsum cognosci, ut postea manuducat in cognitionem alterius, sic imago Cæsaris prius cognosci debet, ut per eam veniamus in notitiam Cæsaris, sed sic est, quod nos non duceret in notitiam Cæsaris, nisi cum ipso communicaret aliquo modo in similitudine, & delineamentis, ergo sic in proposito, ut creatura ducat in cognitionem Dei, & accidens substantiæ, debent necessario in aliquo conceptu saltem remoto communicare.

Satisfit Objectionibus.

40 IN oppositum plura passim obiiciunt Thomistæ, sed præsertim Pasqualig. cit. disp. 28. & 29. ubi funditus evertere nititur conceptum communem entis Deo, & creaturæ, sive univocus ponatur, sive analogus, & quamvis plurimæ ejus rationes coincidant, ut ejus moris est in arguendo, omnes tamen referam quæ minus coincidunt, ne ullam subterfugere videamur; itaque primo probat ens non esse quid superius ad Deum, & creaturam ratione desumpta ex D. Thom. opusc. 42. capit. 1. Tota ratio entis reperitur in Deo, ergo nequit esse quid superius Deo, & creaturæ: Consequentia patet, quia ratio superior est universalior quocumque inferiori, quare non debet talis ratio tota reperiri in uno tantum extremo, sed debet excedere, quia si non excederet, neque esse posset, quid commune inferioribus; Assumptum majori indiget probatione, cum enim creatura sit formaliter, & intrinsece ens, non videtur quomodo ratio *entis* sit tota in solo Deo, & toraliter; sed tamen facile probatur supponendo, quod creatura licet sit ens intrinsece, non tamen est ens ex se, sed per participationem participando rationem entis ab ipso Deo, quatenus ipse est ens per essentiam, unde ex vi illius entis, quod in Deo est ens per essentiam, habet creatura, quod sit ens, quia hoc est esse ens per essentiam, esse nimirum tale ens, ut nequeat aliquid esse ens, nisi participando de hoc esse per essentiam, cum ergo Deus sit ens per essentiam, tota ratio entis reperitur in ipso. Conf. quia ratio communis ita se habet respectu inferiorum, ut immediate descendat ad ipsa, non vero ad unum descendit, & postquam facta est propria illius, descendit ad cæteras; at ratio entis non descendit immediate ad Deum, & creaturas, sed prius est in Deo, ut propria illius, deinde creatura participat esse ab ipso, ut Deus est, ergo nequit esse quid commune Deo, & creaturæ. Conf. tandem, *quamvis* hæc confirmatio cæteris urgentior ab Adversariis non adducatur, quia ens ponitur contrahi ad Deum, & creaturam per finitum, & infinitum, & prius ad Deum, quam ad creaturam; at si ita est, sequitur evidenter totam rationem entis, & totaliter a Deo absorberi; Probatur conseq. quia infinitas est modus totalitatis, itaut contrahat totam naturam, & totaliter, & adæquate, aliter non esset infinitum, imo finitum esset, aliquid enim remaneret, quod contraheret.

41 Resp. hæc, & similia argumenta, quæ mox facturi sumus, concludere in opinione eorum, qui ponunt conceptum entis, dicere, & præseferre realitatem præcisam ex natura rei a particularibus entium rationibus Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, ut bene notavit Lichet. 1. d. 2. qu. 1. *contra hanc rationem*, in solutione argumenti Ocham, & Bargius 1. d. 8. quæst. 2. §. *respondeo*, *quod quando*, & post ipsos Suarez dispur. 2. Meraph. sect. 3. num. 10. at non concludunt in opinione asserente conceptum entis abstrahi immediate a realitatibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis, non autem ab aliqua realitate illis communi, & ex natura rei priore, quam opinionem, ut veram, & Scoticam inferius amplectemur; itaque ad 1. neg. assumptum cum probatione, quamvis enim tota ratio entis reperiatur in Deo, non tamen adeo totaliter, & adæquate, ut etiam non reperiatur in creatura; neque ex hoc, quod sit ens per essentiam, recte infertur, quod tota ratio entitatis sit in ipso realiter, & formaliter, sed solum quod suum esse habeat ex se, & a se secundum omnem essendi plenitudinem, & perfectionem, & nullum ens extra ipsum habeat esse, nisi dependenter, & participative ab ipso, quæ quidem dependentia non tollit unitatem transcendentalem entitatis communicatæ, non quidem a parte rei existentem, sed per intellectum nostrum abstrahibilem, & hoc quidem cernitur passim in effectibus univocis, qui non obstante dependentia illius esse, quod a causa recipiunt, secundum illud idem esse *univocantur* cum ipsa. Ad secundum non est assumptum univerſaliter verum, verificatur enim solum in conceptibus mere univocis, in aliis vero potest bene consistere unitas conceptus cum inæqualitate descensus in inferiora, ut infra magis patebit. Ad tertium vim habet inevitabilem in opinione ens præscindente, ut realitatem, & naturam unam communem a suis inferioribus, sic enim conceptus entis prior esset ex natura rei realitatibus Dei, & creaturæ, unde procederet argumentum, verum hoc non asserimus, *sed dicimus conceptum* entis immediate ab intellectu abstrahi a realitatibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis; unde conceptus iste est revera posterior Deo, & creatura, non prior nisi prioritate Logica, a qua non convertitur subsistendi consequentia, non igitur a parte rei contrahitur *realitas communis* entis ad Deum, & creaturam per finitum, & infinitum, sed entitatem repertam in Deo, & creatura concipit intellectus, ut transcendentaliter unam ob convenientiam in eis repertam quoad gradum essendi, ut sic, quam postea fingit ad Deum, & creaturam contrahi per finitum, & infinitum, ut contrahi solent per differentias cæteræ realitates prædicamentales; unde quia hæc contractio non est omnino ex natura rei, sed fit per intellectum cum fundamento in re, negant aliqui ens prius contrahi per nostrum intellectum ad Deum, quam ad creaturam, postquam enim ego concipio rationem entis abstractam ab ente creato, & increato, possum immediate nulla alia cognitione intercedente apprehendere ens creatum, ergo ratio entis non prius contrahitur ad ens increatum, quam ad ens creatum, quo admisso dicendi modo non evidenter improbabili multa labuntur argumenta, quæ contra unitatem, & *univocationem conceptus entis* a Thomistis obiici solent; ita noviſſime tenet Ovvied. controversiam 1. Metaphys. punct. 6.

42 Secundo obiicitur, quia cum *ratio communis* ad *inferiora* descendit, per oppositas differentias dividitur, quæ seinvicem excludunt, & non est causativa alterius, quia tunc non essent simul natura, sed una supponeret aliam; at tota ratio creaturæ continetur in Deo eminenter, & ab ipso causatur; ergo non potest esse ratio *divisiva entis*, itaut sit differentia opposita cum Deitate respectu entis, ut sic; Deinde, quia ratio communis indifferenter enunciari potest de quocumque inferiori, ergo si ratio entis est quid superius commune Deo, & creaturis, ratio entis, quæ prædicaretur de creatura, prædicaretur etiam de Deo, & e contra, quod est falsum. Probatur falsitas, quia tunc esse participatum, & contingens prædicaretur de Deo, & esse imparticipatum, ac necessarium de creatura, nam ratio entis, quæ est in Deo, est imparticipata, & necessaria, & quæ est in creatura, est participata, & contingens;

implicat enim concipere aliquid in creatura, quod non sit ei a Deo communicatum, & participatum. Tandem ratio communis saltem explicite non dicit differentiam inferiorum; at nihil potest concipi in Deo, & creatura, quod sit extra esse creatum, & increatum, ergo nequit concipi aliqua ratio communis ipsis. Min. probatur, nam creatura etiam secundum primam rationem entis, qua constituitur, ut sit aliquid, est quid participatum, cum enim recipit esse a Deo, nedum recipit tale esse, sed etiam esse, ut sic, itaut simul cum aliis rationibus etiam secundum rationem entis communissime acceptam *terminet* productionem, ut enim docet Scotus 3. dist. 22. quæst. unic. G. naturæ quoque universales dicuntur concomitanter produci, & corrumpi ad productionem, & corruptionem singularium, eodem modo probari potest quamcumque realitatem in Deo a parte rei existentem esse imparticipatam, & per hoc excluditur frequens, & communis responsio Scotistarum ad hæc, & similia argumenta, quod in his abstractionibus fit præcisio ab esse participato, & imparticipato; cum enim ratio participati adæquet totum esse creaturæ, & ratio imparticipati totum esse Dei, facit, quod omnis formalitas in eis reperta sit talis, vel talis, præsertim si in eis existunt a parte rei.

43 Resp. ad 1. oppositionem differentiarum non impedire, ut una saltem eminenter in alia possit contineri, & ab ea causari, nam sensitivum v. gr. cum vegetativo, & intellectivo dividunt animam in communi, & tamen sensitivum eminenter continetur in intellectivo, quantitas dividitur in discretam, & continuam, & discreta causatur ex divisione continuæ, qualitas dividitur in actualem, & habitualem, & tamen habitus efficit actum; cui accedit, quod divisio entis in creatum, & increatum non est omnino realis, sicut est divisio animalis per rationale, & irrationale, sed fit per intellectum prius abstrahentem rationem objectivam entis, in qua fundamentaliter conveniunt Deus, & creatura, deinde contrahentem illam ad ea inferiora per finitum, & infinitum. Ad 2. concluderet argumentum, si diceremus conceptum objectivum entis inniti alicui realitati a parte rei existenti in Deo, & creatura, & quantum est de se indifferenti ad esse participatum, & imparticipatum, necessarium, & contingens, ut nonnulli Scotistæ defendunt; at non ita nos dicimus, quamvis enim hic modus Metaphysicandi verus sit in conceptibus naturarum, & graduum prædicamentalium; non tamen aptus est ad explicandam communitatem, & unitatem conceptuum transcendentalium, ut postea dicemus; itaque dicimus conceptum entis abstractum inniti realitatibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis, & ut sic indifferentem esse ad participatum, & imparticipatum, necessarium, & contingens, quod nullum est inconveniens, cum talis abstractio fiat per opus intellectus; qualiter autem adhuc conceptus entis dici possit, & debeat realis, inferius dicemus. Ad tertium pariter dicimus efficaciter improbare realitatem communem entis ex natura rei præcisam a Deo, & creatura, sicut animalitas dicitur ex natura rei præcisa a rationalitate, & irrationalitate, quo pacto eam admittunt, & defendunt Scotistæ nonnulli, fatenturque realitatem entis in tali statu realis præcisionis nec esse participatam, nec imparticipatam, nec necessariam, nec contingentem, sed ab his abstrahere; hæc, inquam, solutio re vera per illud argumentum destruitur, & ideo nos admittimus præcisionem entis in hoc sensu, quasi a parte rei præscindat a finito, & infinito, sicut abstrahit realitas generica a suis differentiis contrahentibus, sed dicimus solum per intellectum abstrahentem conceptum entis præscindere a creato, & increato, quatenus tales rationes in eo non relucent, non autem a parte rei actualiter, sed tantum fundamentaliter.

44 Tertio Deus, & creatura non conveniunt in ratione communissima entis, ergo, &c. Probatur assumptum, quia ratio communissima entis, quæ reperitur in creatura, est intrinsece, & essentialiter participata, nedum enim a Deo participat tale esse, sed etiam participat esse ens, & secundum ipsam rationem entis producitur a Deo, & e contra ratio entis, quæ reperitur in Deo, est imparticipata. Si dicas rationem entis præscindere a participato, & imparticipato; præterquamquod hæc solutio nuper rejecta est, iterum improbatur; vel enim ratio entis, quæ præscindere dicitur a Deo, & creatura, est a se vel ab alio, si a se, est imparticipata; si ab alio, jam est participata. Si iterum dicas ab utroque præscindere, & neutrum esse formaliter, utrumque permissive, ut dicitur de animali respectu rationalis, & irrationalis. Contra, quia ens dicit id, quod habet esse, implicat autem concipere habere esse, quod nec sit a se, nec ab alio, & instantia de rationali, & irrationali, quæ frequenter adducitur, est valde dispar a casu nostro, quia hæ sunt differentiæ specificæ, a quibus aliqua natura etiam a parte rei præscindere potest in sua formalitate; at in casu nostro sermo est de modis universalissimis, & communissimis, sub quibus quicquid est a parte rei, necessario cadere debet, cum repugnet dari aliquam rem, seu realitatem in rerum natura, quæ non sit a se, vel ab alio; si enim hæc est in creatura, opus est, ut sit ab alio, si in Deo, erit a se; quia sicut Deus secundum omnem realitatem suam est a se, ita creatura est ab alio secundum omnem suam, & præsertim secundum illam, per quam constituitur in esse reali, ut sic; quia esse reale, ut sic, non habet a se, sed ab alio. Deinde Deus secundum totum suum esse adæquate sumptum est singularissimus; ergo secundum omnem suam formalitatem, quam habet a parte rei; ergo etiam ipsa formalitas entitatis, ut sic, in Deo erit de se hæc, nec poterit sine falsitate a singularitate præscindi. Denique si posset ratio entis a singularitate præscindi, sequitur aliquid quod est in Deo posse non esse Deum; probatur consequentia, quia si ratio entis, aut aliqua alia reperitur in Deo, quæ non sit de se hæc, sed quantum est de se indifferens ad Deum, & creaturam, jam quantum est de se, poterit esse in creatura, & sic non esset Deus, nisi extrinsece, & per accidens.

46 Respondeo negando assumptum, ad probationem concedimus realitatem entis secundum esse subjectivum, seu secundum quod existit in Deo vel creatura, non esse ex natura rei distinctam ab entitatibus particularibus Dei, & creaturæ, ac proinde in eo statu non præscindere ab esse participato, vel imparticipato, ab esse a se, vel ab alio, ut bene probant illæ replicæ, negamus tamen, non convenire in conceptu communi abstracto ab intellectu ab illis totis entitatibus inadæquate conceptis, sicut etiam negamus conceptum entis sic abstractum non præscindere ab esse participato, & imparticipato, ab esse a se, vel ab alio, & hoc est, quod sæpe ait Doctor Deum, & creaturam esse primo diversa in realitate, non in conceptu. Ad 2. respondet Mairon. quæst. 3. de univoc. entis, & Tromb. loc. cit. quod in Deo sunt quædam rationes incommunicabiles creaturæ, ut infinitas, & immensitas, &c. Et istæ sunt de se hæc, quædam vero sunt communicabiles creaturis, ut entitas, bonitas &c. Et istæ non sunt de se hoc, alioquin communicabiles non forent, quæ solutio non admodum placet, quia in Deo admittit a parte rei formalitates aliquas potentiales, & contrahibiles per singularitatem, quod fieri nequit sine læsione divinæ simplicitatis, & quamvis aliquæ divinæ perfectiones dicantur creaturis communicabiles, sane non *ita* appellantur, quia eadem perfectio secundum rem, quæ est in Deo, possit communicari creaturæ, sed solum quia potest in nobis reperiri *perfectio ei consimilis in conceptu transcendentali*, quare respondere præstat cum Scoto 1. dist. 3. quæst. 2. §. *ad argum. pro* 1. *opinion.* ubi in terminis hanc difficultatem solvit, & ait, quod singularitas alicujus non impedit, quod ab eo, quod singulare est, possit abstrahi aliquis conceptus communis; & ideo in proposito, licet quicquid ibi est in re (nempe in Deo) sit singulare ex se in existendo, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem, tamen illud idem potest concipi, ut hoc in re, vel quodammodo indistincte, & ita ut singulare, vel ut commune; ita Doctor, & hoc fieri poterit sine illa falsitate, quia ut habetur secundo Physicorum abstrahentium non est mendacium, quando habent fundamentum in re, ut est in proposito. Ad tertium pariter dicimus concludere argumentum contra ponentes realitatem entis in Deo de se communem, & indifferentem ad Deum, & creaturam, sicut est animalitas ad hominem, & brutum, at nos dum loquimur de ente, & aliis transcendentibus, non admittimus, nec defendimus unitatem realitatis, sed solam unitatem conceptus abstracti per intellectum inadæquate concipientem Deum, & creaturam.

Quarto Arguitur ex Soncin. Complut. & aliis Thomistis, quod ex hac nostra sententia plura sequuntur absurda, primo enim sequitur aliquid esse prius, & simplicius Deo, realitas enim constituens est prior, & simplicior re constituta, 2. Sequitur, dari compositionem in Deo ex actu, & potentia; Consequentia patet, quia omnis ratio communis, & una ad plures contrahibilis est necessario ratio potentialis, unde cum ratione contrahente compositionem efficit, 3. Non distare Deum, & creaturam in infinitum, & non esse primo diversa, ut passim dicitur; nam quæ conveniunt in aliquo communi habent aliquam similitudinem, tum quia tunc magis distarent inter se ultimæ differentiæ, cum ab ipsis abstrahi nequeat *communis conceptus*. 4. Inter contradictoria, ut sunt creatum, & increatum dari medium per abnegationem extremorum, scilicet conceptum entis. Demum aliquid esse independentius Deo, quia superius non dependet ab inferiori, sed e contra.

46 Resp. pariter hæc inconvenientia sequi ad opinionem ponentem ens importare realitatem communem ex natura rei præcisam ab inferioribus, & contrahentibus, non autem ad nostram, qua asserimus ens dicere simplicissimum conceptum immediate abstractum a realitatibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis, quo quidem pacto concedimus utique dari aliquid simplicius, & prius Deo, quia non est inconveniens dari aliquid simplicius Deo simplicitate conceptus, non tamen simplicitate rei, quia ut notat Doct. 1. d. 8. qu. 3. Y. licet Deus sit summe simplex, non est tamen simpliciter simplex, quia resolvi potest in conceptum determinabilem, & determinantem; pariter non est *inconveniens* dari aliquid prius Deo prioritate a quo non convertitur subsistendi consequentia, quia hæc non est prioritas Physica, & realis, sed Logica, bene tamen inconveniens foret dari aliquam realitatem priorem constituentem ipsum Deum, ita Lichet. & Barg. loc. cit. & Rada controv. 21. ad arg. prin. Ad 2. sequeretur illud absurdum, si ens importaret realitatem aliquam adæquate concipibilem, tunc enim potentialis esset ad realitatem contrahentem, & sic ubicumque reperiretur, efficeret compositionem Metaphysicam, ut infra demonstramus, at nos non asserimus importare realitatem, sed conceptum dumtaxat apud intellectum inadæquate concipientem, unde solum sequitur, Deum esse compositum in conceptibus, quod nullum reputamus inconveniens. Ad 3. ait Doct. 1. d. 8. q. 3. §. *ad arg.*

arg. opin. oppositæ. Deum, & creaturam esse primo diversa in realitate, non in conceptu, item distant in infinitum quoad conceptus proprios, & specificos, non autem quoad transcendentes, & eo modo, quo distant *in infinitum*, certum est ab eis abstrahi non posse conceptum communem. Ad illud, quod additur de ultimis differentiis, dicimus forte ab ipsis quoque conceptum communem abstrahi posse, cui nulla correspondeat realitas adæquate concepta, de quo infra, & quando etiam talem conceptus communitatem non haberent, ut tenet communior Scotistarum, conceditur loquendo de distantia opposita convenientiæ conceptuum communium, magis distare ultimas differentias, quam Deum, & creaturam, neque hoc ullum est inconveniens. Dices, non potest dari distantia major infinita, quæ cadit inter Deum, & creaturam. Resp. quod est distantia infinita in conceptibus propriis, & specificis tantum, non in communibus; & sic verum est loquendo de conceptibus specificis nullas res in tota entium serie magis distare Deo, & creatura. Ad 4. ait Doctor citat. 1. d. 8. quæst. 3. solvendo arg. Henric. quod contradictoria formaliter, idest illa, quæ sunt præcise extrema contradictionis, nempe affirmatio, & negatio, nullum habent medium; sed Deus, & creatura non sunt hujusmodi extrema, quia nec Deus est præcise ista negatio *non ab alio*, nec creatura ista negatio præcise *non necesse esse*, sed sunt extrema contradictionis, tantum materialiter, seu potius sunt contenta sub extremis contradictionis, & ideo admittere possunt conceptum medium abstractum ab eis per opus intellectus, qui a creato, & increato præscindat, a contingenti, & necessario, & sit neutrum formaliter, utrumque permissive, ut passim dicitur de aliis conceptibus communibus respectu contrahentium. Ad ultim. inferius dependet a *suo* superiori realitatem præferente a parte rei, & non conceptum tantummodo, cum dependentia non sit, nisi ad aliquod prius in re; in proposito non est in hunc modum ens prius Deo, non enim ullam dicit realitatem Deo priorem, sicut animal in homine; ut enim notat Lichet. 1. d. 3. quæst. 1. in fine, cum abstrahitur animal ab homine, vel rationali, est abstractio alicujus prioris natura a posteriori ad quod est in potentia, at cum abstrahitur ens a Deo, vel creatura, est abstractio posterioris a priori, & ideo non proprie dicitur Deus ab ente dependere.

QUÆSTIO III.

An conceptus entis sit perfecte unus, & præcisus.

47 NOn solet hoc quæsitum moveri a defendentibus unitatem conceptus entis, eo quia rationes in superioribus allatæ pro tali unitate, si bene perpendantur, satis superque probant conceptum entis non utcumque ab inferioribus præscindere, quia etiam multi ex Thomistis concedunt; sed perfecte, & complete ab eis præscindere, atque ita esse omnino, & perfecte unum. Verum quia etiam ex Auctoribus nobiscum defendentibus unitatem, & præcisionem conceptus entis nonnulli eam ponunt imperfectam, dicuntque conceptum entis non nisi imperfecte ab inferioribus præscindere, quo dicendi modo parum, vel nihil distant a *sententia Thomistarum* negante unitatem conceptus entis, ideo opus fuit hoc movere quæsitum, ut ostendamus rationes hactenus allatas pro unitate *hujus conceptus* plus utique probare, quam solam unitatem, & præcisionem imperfectam eo saltem modo, quo ipsi eam explicant; Unde notandum hoc interesse inter præcisionem perfectam, & imperfectam alicujus conceptus, quod ille conceptus dicitur perfecte præcisus ab inferioribus, qui ita ex natura rei, vel saltem per intellectum ab eis abstrahit, ut solum dicat quendam superioritatis gradum, in quo nullo pacto nec implicite, nec explicite relucent rationes inferiorum; hinc conceptus perfecte præcisus dicit unam naturam pluribus communicabilem, quæ apta est esse in illis per contractionem, & determinationem factam per rationes particulares, e contra vero ille conceptus dicitur imperfecte præcisus, qui non dicit gradum aliquem superiorem ex natura rei, vel saltem ratione *distinctum* ab inferioribus, a quibus præscindere dicitur, sed implicite saltem, & confuse illa includit secundum propriasque eorum rationes; solumque præscindit ab explicatione, seu expressione eorumdem inferiorum; unde conceptus imperfecte præcisus non tam dicit naturam communicabilem pluribus, quam plura immediate, & confuse concepta per modum unius; Ex quo deducitur, quod imperfecta præcisio reddit conceptum abstractum imperfecte unum, quia non omnino excludit inferiora, a quibus provenit multiplicitas, cum ea saltem implicite includat, sed præcisio perfecta reddit conceptum tam formalem, quam objectivum perfecte, & omnino unum, quia omnino excludit inferiora, a quibus præscindit, tam explicite, quam implicite. Hæc de causa solet perfecta præcisio interdum appellari adæquata præcisio, quia per eam abstrahitur conceptus ita perfecte unus, ut secundum se totum concipiatur, nihil concipiendo de cæteris rationibus, a quibus abstrahitur, nec explicite, nec implicite, ut constat de animalitatis conceptu, qui quando ab homine abstrahitur, ita sola concipitur, ut nihil de rationalitate, aut irrationalitate concipiatur, & e contra imperfecta præcisio dicitur inadæquata, quia per eam conceptus præcisus non ita separatur ab *iis*, a quibus abstrahitur, quin aliquo modo ea includat.

48 Hac stante terminorum explicatione pro recta tituli quæsiti intelligentia, inter admittentes unum conceptum entis tam formalem, quam objectivum, adhuc controversia est, quo pacto conceptus entis, sive formalis, sive objectivus, nam de utroque potest quæstio institui, præscindat ab inferioribus, & quomodo sit unus, an scilicet perfecte præscindat, & consequenter sit omnino unus, vel solum imperfecte præscindat. Plerique ex Veteribus, ac Recentioribus solum enti concedunt conceptum imperfecte præcisum a suis inferioribus, eo quia saltem implicite ea includat, & consequenter dicunt non esse ita unum, ut non etiam admittat aliquam diversitatem, & multitudinem, ita ex professo tenent Aversa *in sua* Philosoph. quæst. 3. sect. 6. Hurtad. disp. 2. Metaph. sect. 4. Vasq. 1. p. disput. 114. cap. 2. Fonsec. 2. Metaph. c. 2. quæst. 2. sect. 4. qui ex veteribus citant pro hac sent. Ferrar. 1. contra Gentes cap. 34. Aureol. 1. d. 2. p. 1. Alens. 10. Metaph. tex. 8. Alexand. & Philop. 1. Priorum cap. 28. & alios qui re vera potius omnem unitatem conceptus entis negaverunt, quam imperfecta statuerint; vel si hanc admiserunt, nulla potuit esse inter veteres Scotistas, & Thomistas Controversia, quam de unitate perfecta, ac adæquata præcisione conceptus entis, unde bene notat Aversa cit. sect. 7. quod qui visi sunt ex antiquis Thomistis negare absolute ens dicere unum conceptum præcisum, noluerunt negare, nisi perfectam unitatem, & præcisionem, qualis ponitur a Scotistis; unde bene nos diximus ab initio quæst. qui non admittunt nobiscum perfectam unitatem, & præcisionem conceptus entis, non ingenue defendere unitatem conceptus entis, ut profitentur, sed verbis dumtaxat eam astruunt, & factis negant, unde consultius agerent, si cum Thomistis absolute negarent unitatem conceptus entis, qui sane magis ingenue in hac re se gerunt, quam isti Recentiores; nam ex eo, quod, & ipsi aliquam admittant imperfectam entis præcisionem, non ideo profitentur tueri unitatem conceptus entis, ut faciunt hi Recentiores, sed eam absolute negant; Opposita sententia docet conceptum entis perfecte præscindere ab inferioribus, & esse perfecte unum, ita Scotistæ omnes citati quæst. præced. cum Doctore ubique defendente unitatem conceptus entis, & cæteri Recentiores, qui volunt ingenue sententiam Scotistarum tueri de unitate conceptus entis, non enim Scotistæ suis rationibus solam imperfectam unitatem, & præcisionem conceptus entis astruere sunt arbitrati, sed perfectam, & absolutam, ita Suarez disp. 2. Metaph. sect. 2. num. 8. Cumel. 1. p. quæst. 13. artic. 1. quæst. 2. concl. 4. Albertin. tom. 2. princip. 1. Philosoph. disput. 1. quæst. 6. concl. 2. Pasqualig. tom. 1. disp. 35. esto id solum defendat de conceptu entis in ordine ad substantiam, & accidens, & ex Thomistis Javellus 4. Metaph. quæst. 1. Scoto in prædic. cap. 4. quæst. 1. Capreol. 1. d. 2. quæst. 1. & plerique alii.

49 Dicendum itaque pro quæsiti resolutione, conceptum Entis, sive formalem, sive objectivum perfecte præscindere ab inferioribus, atque ideo esse perfecte unum, & unum gradum superiorem importare inferioribus communicabilem, etsi non ex natura rei, saltem ratione cum *fundamento in re* ab illis distinctum. Conclusio hæc sequitur ex dictis, rationes enim allatæ pro unitate conceptus entis, ut diximus, probant pariter *ejus perfectam præcisionem* ab inferioribus, sive per hæc inferiora intelligantur partes subjectivæ entis, sive modi contrahentes, & quidem ratio illa Scotica, qua supra probavimus unitatem conceptus entis, quod potest intellectus de aliquo certus esse, quod sit ens, & dubitare num sit finitum, vel infinitum; num substantia, vel accidens, non solum convincit præcisionem conceptus entis ab inferioribus penes majorem, vel minorem expressionem ejusdem conceptus, sed perfectam, & adæquatam distinctionem illius conceptus ab aliis saltem per intellectum, ut ostendimus supra numer. 20. refellendo solutionem Compl. ad illud argumentum: quod amplius adhuc declaratur, quando enim concipimus ens, vel tunc menti obversantur finitas, & infinitas, esse per se, vel in alio, vel præcise ipsum esse rei abstrahendo a modo essendi, non primum, quia cum absolute cogito aliquid esse in rerum natura, non ulterius inquiro ex vi ejusdem cogitationis, quo pacto in rerum natura existat, an a se, vel ab alio, an per se, vel in alio, ergo secundum, hoc autem est unum ab alio objective præscindere, idest cognosci sine illo, aut illo non cognito. Nec sufficit dicere tunc inferiora obiici, & obversari menti implicite, & confuse. Hoc enim, ut ibi dicebamus, est absolute fateri ens in esse præciso, & objectivo ea non includere; ea enim in tali esse includit, quæ per conceptum formalem repræsentantur, & exprimuntur, quare cum per talem cognitionem nullo modo attingantur inferiora immediate, dicendum est, ea non includi in conceptu entis, nec explicite, nec implicite. Quod si per hanc implicitam inclusionem intelligunt confusam cognitionem, quam habemus de inferioribus in ipso *conceptu gradus superioris*, nam cognito animali statim confuse, & implicite noscimus inferiora ejus, hominem, & brutum; sane fatemur in hoc sensu inferiora includi in conceptu superioris, immo dicimus nec aliter, nec alio modo posse rite explicari implicitam continentiam inferiorum in conceptu superioris; cæterum talis implicita continentia inferiorum in superiori non destruit perfectam præcisionem con-

ceptus ejus ab illis, alioquin nullum genus perfecte præscinderet a suis inferioribus, cum hæc implicite præfato sensu in conceptu generis includantur, imo potius eam videtur astruere, nam ideo inferiora dicuntur implicite, & confuse significari in conceptu superioris, quia in eo attinguntur, non immediate secundum proprias rationes, sed mediate in conceptu universali, & omnibus communi. Conf. quia hæc præcisio, qua unus conceptus dicitur ab alio præscindere, non est præcisio secundum rem, quæ dicitur divisio, quasi fiat a parte rei, quia tunc non fieret sine mendacio, sed est præcisio facta per intellectum, & ita solet explicari, quod intellectus unam formalitatem concipi at alia non concepta, hoc enim est intellectualiter præscindere, unum sine alio cognoscere, vel alio non cognito, si ergo dum intellectus ens concipit, non attingit inferiora secundum rationes proprias, nec ejus contrahentia, quia tunc non esset ille conceptus entis, ut sic, sed inferiorum, scilicet Dei, vel creaturæ, substantiæ, vel accidentis, plane fatendum est conceptum entis esse perfecte unum, & perfecte, ac adæquate præcisum ab inferioribus.

50 Respondent Recentiores aliqui, ad perfectam, & adæquatam præcisionem unius conceptus ab alio opus esse, ut illi duo conceptus se invicem excludant, & ideo quamvis ens, ut sic, in suo objectivo conceptu nec contrahentia includat, nec rationes inferiorum; quia tamen e contra ipse conceptus entis intrinsece imbibitur in omnibus, & singulis suis inferioribus, ac contrahentibus, ideo nequit dici perfecte, & adæquate præcisus ab eis; Contra hoc est, quia si vera esset hæc doctrina, nullum genus perfecte, & adæquate præscinderet a suis speciebus, & nulla species a suis individuis, quia intrinsece, & essentialiter includitur in illis; non est ergo opus ad perfectam, & adæquatam præcisionem, quod extrema a se invicem mutuo præscindant; sed id solum exigitur ad hoc, ut præcisio dicatur perfecta hinc inde, nam si contingat unum extremum posse concipi sine alio, licet non e contra, illud dicetur adæquate, & perfecte præscindere ab isto, licet non e contra; quare concludendum est posse contingere præcisionem adæquatam ex parte utriusque extremi, ut v. gr. inter animalitatem, & rationalitatem, nam nec rationalitas involvit formaliter, & intrinsece animalitatem, nec animalitas rationalitatem ex dictis in Log. & rursus contingere posse, quod sit adæquata, & perfecta ex parte unius extremi, sed non alterius, ut v gr. inter hominem, & animal, quamvis enim conceptus hominis intrinsece, & formaliter includat conceptum animalis, non tamen e contra, & ideo animal potest adæquate, & perfecte præscindere ab homine; quod autem animal intrinsece includatur in homine, non infert, quod non perfecte, & adæquate præscindat ab eo, sed solum quod non est mutua præcisio hinc inde, ut bene adnotavit Pasqualig. citat. section. 2. Potest igitur in proposito ens comparari, vel ad sua inferiora, scilicet Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, vel ad sua contrahentia, ut sunt finitas, & infinitas; sic teneatur ens non includi essentialiter, & quidditative in modis contrahentibus, sed tantum identice, & realiter, ut Scotus velle videtur, tunc erit adæquata præcisio ex utroque capite, qualis est generis a suis differentiis; quod si cum communi teneatur includi essentialiter in illis, velut in aliis suis inferioribus, tunc adhuc bene consistit, quod perfecte, & adæquate præscindat ab illis, quia ad hanc sufficit, ut superius in se, & suo immediato significato percipi possit non concepto inferiori; Quod autem hoc sine illo concipi nequeat, solum infert, quod hoc non perfecte, & adæquate præscindat ab illo, & quod præcisio hinc inde mutua non sit, & ex hoc diruitur præcipuum fundamentum opinionis adversæ, quæ ob id præcise negat perfectam præcisionem entis ab inferioribus, & contrahentibus suis, quia intrinsece, & quidditative claudiuntur in omnibus illis; cum igitur ostensum sit id esse prorsus impertinens ad perfectam, & adæquatam præcisionem, quia perfectio, vel imperfectio præcisionis non attenditur ex parte illius, a quo præscinditur, sed ex parte ejus quod præscinditur, concludendum est, perfecte præscindere a suis inferioribus, & contrahentibus.

51 Respondent alii, ad perfectam unitatem, & præcisionem conceptus superioris ab inferioribus requiri, ut conceptus ille fundetur in aliqua una realitate, seu natura communi a parte rei inventa in omnibus inferioribus; cum igitur non detur a parte rei talis una realitas entis in Deo, & creatura, substantia, & accidente, ut diximus quæst. præcedenti, & magis constabit quæstione sequenti, qua de causa conceptum entis interdum solemus appellare inadæquatum, fatendum est, non esse conceptum perfecte, & adæquate præcisum, Sed contra, quia juxta hanc responsionem nullum genus, nullaque species perfecte præscinderet ab inferioribus, differentiisque contrahentibus, in opinione Adversariorum non admittentium naturas communes a parte rei in particularibus repertas; Tum quia quamplurimi Scotistæ admittunt unicam realitatem entis communem Deo, & creaturæ cui innitatur conceptus communis ejus per intellectum abstractus; Tum quia hac non admissa, non proinde negari debet conceptus entis perfecte unus, & præcisus, ad hoc enim sufficit, quod intellectus habeat fundamentum a parte rei distinguendi rationem, qua plura conveniunt quoad communem gradum essendi, a rationibus particularibus, quibus discrepant, qua ratione Adversarii ponunt conceptum generis perfecte præcisum a conceptu specierum, ac differentiarum, etiamsi non admittant naturam genericam a parte rei inventam in speciebus, & a rationibus specificis ex natura rei distinctam. Tum quia, ut diximus, hæc præcisio unius conceptus ab alio non est præcisio secundum rem, seu realis separatio unius formalitatis ab alia, sed consideratio unius sine consideratione alterius; sufficit ergo ratio per intellectum apprehensa cum fundamento in re, per quam plura conveniant entia si hæc ratio communis a parte rei a particularibus rationibus non distinguatur; Et tandem quando interdum appellamus conceptum entis inadæquatum, non est quia censeamus conceptum ejus non esse perfecte, & adæquate præcisum, sed quia non fundatur in natura communi entis a parte rei inventa in Deo, & creatura, & ex natura rei distincta a particularibus eorum rationibus, quæ adæquate illi correspondeat; sed immediate abstrahitur a pluribus, ut simul convenientibus, vel ab una dumtaxat natura, inadæquate tamen concepta quoad communem gradum essendi; qua de causa dicitur conceptus inadæquatus, non autem quia importare nequeat gradum communem saltem ratione præcisum ab inferioribus, & contrahentibus.

52 Secundo jam quoque supra probavimus unitatem conceptus entis ex convenientia, quam habent inferiora in ratione entis, & virtute præcisiva intellectus; ex eo enim quod intellectus aliqua plura videt partim inter se convenire, partimque differre, motivum, & occasionem sumit distinguendi rationes superiores, quibus conveniant, & inferiores quibus distinguantur; ergo ita distinguendo inter has, & illas, dicitur perfecte præscindere rationes magis universales a minus universalibus; Probatur consequentia, quia ratio magis universalis, qua talis est, per talem distinctionem excludit a se rationes minus universales, quia intellectus concipit rationem convenientiæ nil prorsus cogitando de rationibus diversitatis; ergo perfecte, & adæquate præscindit ab inferioribus rationem entis communissimam, in qua entia conveniunt. Conf. quia conceptus formalis entis perfecte, & adæquate præscindit a conceptibus formalibus inferiorum; ergo pariter, & conceptus objectivus ejusdem ab objectivis eorum secernitur; Probatur assumptum, quia in actu illo entia omnia confunduntur, & nullo modo secernuntur ab invicem, quia id quod concipitur, indifferens est ad prædicandum de substantia, & accidente, Deo, & creatura, & per talem conceptum non exprimitur determinatus modus essendi, sed tantum habere esse, ut sic, quod indifferenter omnibus entibus convenit, Probatur etiam consequentia, quia nequeunt entia adinvicem confundi objective secundum illas rationes, quibus abinvicem distinguuntur, quia istæ sunt separativæ, & distinctivæ entium, non confusivæ, & unitivæ, fatendum igitur est, quod confundantur ex vi alicujus rationis, & formalitatis, quæ non sit separativa, & distinctiva illorum, sed quæ sit eadem in omnibus, si enim esset diversa, esset quoque distinctiva, ergo conceptus objectivus entis est perfecte præcisus ab inferioribus, quia omnino præscindit a rationibus distinctivis, id enim est perfecte præscindere, quod nullo modo illas exprimere, & repræsentare,

53 Respondent utique inferiora convenire in ratione communissima entis, eam tamen convenientiam non esse perfectam, quia in eadem ratione entis inferiora partim conveniunt, partim differunt, adeout numquam concipi possit convenientia sine aliqua differentia. Contra est, quia jam ostensum est in ratione entis, ut sic, nec Deum a creatura differre, neque substantiam ab accidente, quia per ens non importatur determinatus modus essendi, sed purum habere esse in rerum natura; Tum quia hoc etiam admisso petendum est, unde hæc imperfecta convenientia procedat, ajunt ex hoc provenire, quia ens non perfecte præscindit ab inferioribus; & si rursus exquiras, quare imperfecte præscindat, & unde hæc imperfecta præcisio oriatur, ajunt, quia entia non perfecte conveniunt in conceptu entis, qui circulus est omnino vitiosus. Tum quia rursus urgetur argumentum principale ex virtute præcisiva intellectus deductum, cum enim entia ratione essendi, ut sic, conveniant, & in ratione taliter essendi differant, poterit utique intellectus solam rationem convenientiæ considerare nihil prorsus de diversitate cogitando, & tunc talis convenientia erit perfecta, quatenus nullam habebit diversitatem admixtam; Si iterum dicas eam convenientiam non esse perfectam, quia cum in conceptu entis saltem implicite contineantur inferiora, consequenter etiam cum convenientia includitur aliqua diversitas, quæ ab inferioribus rationibus ortum ducit; Ego rursus argumentum urgeo ex virtute præcisiva deductum, ubicumque enim invenit intellectus convenientiam, & differentiam, motivum habet secernendi rationes differenziales a communibus, cum igitur per rationem ipsam entis inferiora partim conveniant, partim differant; poterit rursus intellectus in ea ratione secernere rationem differentialem a ratione communi; quousque inveniat solam rationem convenientiæ, præscindendo omnino a ratione differentiæ; vel dabitur processus in infinitum, quod est contra Arist. 10. Metaph. ubi vult, quod sicut omnis differentia differentium reducitur a aliqua primo diversa, ita convenientia ad aliquam primam omnino rationem, quæ omnino præscindat a rationibus differendi.

54 Tertio quia ad tuendam imperfectam entis præcisionem, & unitatem semper solent Adversarii recurrere ad implicitam inclusionem inferiorum in conceptu entis, examinanda modo est talis inclusio, an detur, & quomodo, potest enim multis modis intelligi; primo conjunctive copulando, scilicet omnia entia per notam conjunctionis, ita ut ens significet Deum, & creaturam, substantiam, & accidens,

dens, & hunc modum inclusionis refutavimus supra numer. 11. Vel disjunctive, itaut ens per particulam disjunctionis immediate significet substantiam, vel accidens, Deum vel creaturam, & hoc ibidem confutavimus nu. 12. Vel attributive, itaut ens significet primario certum quoddam genus entis, ad quod aliud reducatur, nempe Deum, cui creaturæ attribuuntur, & substantiam, ad quam reducuntur accidentia; & hoc etiam rejecimus num. 4. & 13. Vel simpliciter, & absolute, itaut absque ulla copulatione, vel disjunctione omnia entia contineantur in ente, quo pacto Aversa cit. explicat hanc inclusionem implicitam, & hunc quoque dicendi modum renuimus supra nu. 10. & 11. dum impugnaremus opinionem admittentem præcisiones formales sine objectivis, si enim conceptus formalis entis est unus, unum etiam esse debet objectum, quod per ipsum repræsentatur, & non immediate plura, quod si illa plura repræsentat unum, ut jam illa plura repræsentabit, ut omnia cadunt sub una formalitate, in qua confunduntur. Vel ita explicatur, ut ens contineat implicite inferiora, idest virtualiter, quemadmodum dicitur causa suos continere effectus; neque hoc, quia ens non est causa suorum inferiorum, & superius non dicitur continere inferius virtualiter sed potentialiter. Tum quia causa, ut continet virtualiter effectus suos, non dicit esse effectuum, sed solum esse proprium, quod formaliter acceptum est esse virtuale effectuum,

55 Respondet Aversa, quod inclusio inferiorum in ente quarto modo explicari debet; itaut adæquate omnia entia contineantur in ente sine conjunctione, & distinctione, non tamen explicite, quasi idem sit concipere ens, ac explicite concipere substantiam, & accidens; manifestum enim est formari ab intellectu conceptum entis non cogitando de substantia, & accidente, sed implicite eo modo, quo explicat Cajetan. inferiora entia posse concipi duplici modo, itaut distinctio se teneat non ex parte objecti, quod concipitur, sed ex parte modi concipiendi; uno modo concipiuntur explicite, & sic concipiuntur, quatenus inter se distinguuntur; alio modo implicite secundum rationem essendi, & ut sic conveniunt, & includuntur in ente; Contra, quia hæc Cajetan. explicatio, qua utitur Aversa, nihil prorsus explicat, quia si cum entia concipiuntur secundum rationem essendi ut sic, implicite concipiuntur; explicite vero cum attinguntur secundum rationes proprias essendi; ergo distinctio illa non erit tantum penes modum concipiendi explicitum, & implicitum, sed penes rationes diversas propriam, & communem; Tum quia etiamsi conceptio rei in abstracto, & concreto non inferat, nisi distinctionem penes modum concipiendi, tamen concipere rem in universali, & in particulari quid amplius infert, distinctionem nempe etiam ex parte objectorum, quia aliud est objectum particulare, aliud universale, Tum quia etiamsi dici soleat definitionem, & definitum differre solum penes explicitum, & implicitum, quatenus quod confuse, & implicite dicit definitum, hoc totum, & non amplius dicit definitio explicite, & distincte, id tamen dici nequit de ente, & inferioribus ejus, quia ens dicit communissimum gradum essendi, & inferiora addunt determinatum gradum essendi, & ideo non differunt tantum ex parte modi concipiendi, sed etiam rationum conceptarum. Tum quia hoc est, quod hactenus contra Aversam probavimus, Deum, & creaturam, substantiam, & accidens resolvi posse in plures conceptus objectivos, quia non solum dicunt rationem talis entis, sed etiam entis, ut sic, & ideo involvunt duplicem rationem, nempe entis, ut sic, quod est determinabile, & talis entis, quod est determinativum entis, ut sic.

Quarto ratio entis est ex se determinabilis per rationes inferiorum, determinatur namque per finitum, vel infinitum, per inhærentiam, vel perseitatem, ut sit Deus, vel creatura, substantia, vel accidens, sicut ergo hac ratione conceptus genericus ponitur adæquate, & perfecte excludere differentialem, quia de ratione conceptus determinabilis est, quod excludat a proprio conceptu omne determinativum; ita pariter dicendum est in proposito eadem ratione conceptum entis, ut sic, excludere perfecte, & adæquate conceptus limitativos inferiorum; vide dicta disp. 5. Log. q. 1. art. 4. dub. 2. ubi ostendimus differentias nullo modo actu, & formaliter contineri in genere, nec explicite, nec implicite, nam aliquæ ex illis rationibus probant hanc nostram conclusionem, quas hic repetere non oportet, licet non omnes.

56 Respondent Adverfarii negando paritatem; quia genus, & differentia se habent velut duæ partes condistinctæ, quarum una additur alteri, atque ideo proprie se habent per modum determinantis, & determinabilis; non autem ita se habent ens, & ejus modi, quia modi essentialiter includunt ens, & ipsi saltem implicite includuntur in ente, unde solum se habent per modum conceptus expliciti, & impliciti ejusdem essentiæ, quatenus scilicet quod in conceptu entis implicite, & indeterminate continebatur, in conceptu inferiorum postea explicatur, ac determinatur; quare concludunt conceptum entis præscindere ab inferioribus solum secundum esse explicitum. Contra est, quia licet non tanta præcisio necessaria sit entis a suis inferioribus, quanta est generis a differentia, quia hæc debet esse præcisio nedum perfecta, & adæquata, sed etiam formalis, & ex natura rei, ut sufficiens sit ad Metaphysicam compositionem; adhuc tamen necessaria est præcisio perfecta, & adæquata saltem per rationem cum fundamento in re, quia per rationem distinguuntur, ut determinans, & determinabile; ergo perfecte, & adæquate ita quod nihil determinantis includatur in conceptu determinabilis, & ratio est, quia quam conditionem servant, ubi aliqua realiter distinguuntur, eandem suo modo servant, ubi distinguuntur tantum formaliter, & ratione ex Scoto quol. 1. art. 2. cum ergo determinans, & determinabile ubi realiter distinguuntur, vel formaliter, sic se habeant, quod determinabile perfecte præscindit a ratione determinante, ita quod nihil ejus realiter, vel formaliter includatur in determinabili, sic erit pariter dicendum in proposito, ubi tantum ratione ratiocinata, vel virtualiter distinguuntur; Deinde minus recte dicitur ens præscindere ab inferioribus solum secundum esse explicitum, quia si non præscinderet omnino, ita quod penitus excludat rationes inferiorum; cum dicitur Deus, vel substantia est ens, non tribueretur illi sola ratio convenientiæ, quam habet cum creatura, vel accidente, quoniam totum esse ipsius per hoc prædicatum importaretur. Tandem probatur, quod rationes inferiorum non includantur in conceptu entis, nec explicite, nec implicite, quia ut sæpe inculcatum est, id tantum concipitur, quod exprimitur per conceptum mentis, adeout quod nullo modo exprimitur nullo modo concipitur; cum igitur inferiora entis nullo pacto secundum proprias earum rationes in ejus conceptu includantur, fatendum est, perfecte, & adæquate ab illis præscindere, hoc enim est perfecte ab eis præscindere, quod nullo modo ea repræsentare secundum proprias rationes.

57 Respondet Jo: de S. Thom. quæst. 14. art. 2. aliud esse superius continere inferiora implicite in potentia, aliud implicite in actu confuso; quia continentia implicita in potentia dicit aliquid determinatum in se, sed per additionem determinabile ad plura, & sic animal dicitur implicite continere rationale, & irrationale, quia ut fiat repræsentatio eorum, opus est novo conceptu super addito per modum determinantis, sed continentia implicita in actu confuso dicit omnia sine determinatione alicujus, sed ut confusione una comprehenduntur, sicut cum multitudinem in confuso a longe videmus; ait igitur quod ens continet sua inferiora implicite in actu confuso, non in potentia, atque ideo ejus præcisio ab inferioribus non fit simpliciter, neque per exclusionem unius rationis ab alia, sed penes magis confusum, vel explicitum de eadem re, quod non variat res conceptus, sed modos concipiendi, sicut res visa a longe in confuso, vel prope cum distinctione, non variat res visas; quare concludit ex eo, quod rationes inferiores actu non repræsententur in conceptu entis, non bene deduci, quod actu non includantur in eo confuse, sed solum, quod non includantur explicite, & clare,

Hæc est solutio Cajetan. rejecta num. 55. quam adhuc magis urgemus, ut explicatur ab ipso Auctore, nos enim censemus aliam continentiam implicitam inferiorum in superiori conceptu non reperiri, quam continentiam implicitam in potentia, ut diximus n. 49. & quidem continentia illa implicita in actu confuso prorsus implicare videtur, quia ut explicatur ab hoc Auctore, penitus coincidit cum opinione Aureoli de confusione conceptus entis jam explosa n. 13. nam conceptus objectivus entis, qui dicitur implicite in actu confuso continere inferiora, utique dicit aliquam rationem, quæ exprimitur, & quidem non dicit explicite aliquam rationem propriam inferiorum, neque aliquam rationem communem ab inferioribus præcisam, ut isti volunt, ergo hic dicendi modus coincidit prorsus cum confusione entis Aureoli, quæ adeo confusa est, & obscura, ut a nemine capi possit, nam sic argumentor: vel conceptus formalis entis aliquid explicat, & declarat, vel nihil prorsus; si secundum, ergo dabitur intellectio sine intelligibili, & conceptus sine conceptibili: si primum, peto quid sit illud, quod exprimit, non enim potest ita aliquid exprimere, ut nesciatur quid sit illud, quod exprimat; implicat enim nescire, quod actu intellectui manifestatur per conceptum formalem; & rursus cum illud, quod exprimitur per conceptum formalem, non sit aliquod particulare, erit gradus aliquis universalis, qui eo ipso quod clare, & distincte attingitur; confuse attinguntur omnia particularia in eo contenta in potentia, quæ quidem est confusio potentialis, non actualis, quia explicari nequit quid sit conclusio illa, in qua coadunari dicantur omnia inferiora, nisi assignetur ex vi alicujus rationis communis, quæ sit una & eadem in omnibus, non enim confundi possunt entia inter se secundum illas rationes, quibus ab invicem distinguuntur, quia hujusmodi formalitates sunt separativæ entium, non unitivæ, & confusivæ, ut diximus num 52. Nec juvat dicere, quod confunduntur hoc ipso, quod intellectui non apparent rationes distinctivæ ipsorum, eo modo, quo a longe strues lignorum nobis apparet unum lignum, eo quia non videmus extremitates distinguentes unum lignum ab alio, & sicut cum postea cominus eandem struem videmus, distinguimus unum lignum ab alio, hæc visio non variatur quoad objectum, & res visas, sed tantum penes magis confusum, & explicitum de eadem re; ita in proposito de ente, & ejus inferioribus, Hoc, inquam, parum juvat, quia cum intellectui repræsentantur inferiora entis, sed non secundum proprias rationes, & ideo repræsentantur in confuso, pero, num intellectus attingat aliquam formalitatem in illis inferioribus contentam, vel nullam prorsus; si nullam, ergo intellectus nullo modo illa cognoscit nec confuse, nec distincte: si aliquam, habemus intentum, quod nimirum detur formalitas communis entis ab intellectu abstrahibilis a particularibus entium rationibus, quam cum intellectus attingit, non ulterius proceden-

cedendo, dicitur entia cognoscere in confuso sub ratione entis.

58 Et quidem disp. 6. de Anim. q. 8. nu. 247. cum loqueremur de cognitione confusa, tum ex Arist. tum ex Scoto, dupliciter tantum docuimus posse quidpiam confuse cognosci, vel quia intelligitur sicut exprimitur per nomen, quod genus confusæ cognitionis expressit Arist. 1. Phys. tex. 5. vel quia intelligitur in suo universali, sicut cum intelligitur sub ratione animalis, vel entis; istud vero tertium genus cognitionis confusæ, quod commiscuntur Thomistæ, qua plura immediate attinguntur sine distinctione inter se confusa, & non ex vi alicujus formalitatis communis, quæ sit eadem in omnibus, nobis videtur penitus fictum, & commentitium. Neque ad hanc cognitionem confusam comprobandam suffragatur ejus exemplum adductum de viso a longe, quod primo concipitur, ut ens, vel animal, & postea propius discernitur esse hominem, & hunc hominem, quo casu nunquam variatur cognitio quoad objectum, sed tantum quoad confusionem, vel majorem explicationem ejusdem objecti. Non juvat, inquam, hoc exemplum, sed potius officit, quia cum objectum eminus, & cominus cernitur, licet materialiter semper maneat idem, variatur tamen formaliter; & variantur cognitiones, quia cum Petrum a longe venientem concipio sub ratione animalis; tunc movetur potentia ab accidentibus generis animalis; cum propius discernit esse hominem, movetur a specificis, & sic etiam cum struem lignorum de prope videmus, & unum lignum ab alio discernimus, tunc aspectui nostro obiiciuntur extremitates eorum, quæ prius non obiiciebantur, ex quo constat variari in prædictis casibus visiones nedum quoad confusum, & explicitum, sed etiam quoad res visas; nam aliquid attingimus de prope, quod non attingebatur a longe; Et sane si hæc doctrina Thomistica de cognitione confusa, & implicita continentia in actu confuso inferiorum in ente vera est, potest applicari indifferenter cuicunque gradui communi etiam generico, & specifico, poterimusque dicere conceptum differentialem a generico non differre, nisi penes magis, vel minus explicitum, hocque poterit eodem exemplo confirmari de veniente a longe, qui prius concipitur sub conceptu animalis, postea hominis, absque varietate objecti, cum sola variatione majoris, vel minoris explicationis, quod apud omnes constat esse evidenter falsum. Denique supra probavimus unitatem conceptus entis via reduplicationis, quæ etiam hic mirabiliter convincit præcisionem perfectam ejusdem conceptus ab aliis inferioribus, nam quando aliquid repugnat alicui ex ratione aliqua formali, & idem non repugnat alicui ex alia ratione, ista ratio est distincta ab illa, ut patet per naturam contradictionis; sed Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti multa repugnarent ex ratione propria, quæ non repugnant ex ratione entis, ergo ratio entis est distincta, & perfecte præcisa a rationibus propriis earum; Probatur minor, quia creaturæ repugnat independentia ex ratione propria creaturæ, sed non repugnat ex ratione entis, quia & Deo repugnaret, Deo item repugnat finitas ex ratione propria Deitatis, quæ tamen non repugnat ex ratione entitatis, alioquin etiam creaturæ repugnaret; & quidem hæc ratio adeo probat, ut etiam extorquere videatur præcisionem, & distinctionem ex natura rei gradus entis ab inferioribus, & ideo explicabitur infra n. 91.

Solvuntur Objectiones.

59 IN oppositum arguit Aversa loc cit. probans ens non perfecte præscindere ab inferioribus entibus, & modis contrahentibus. Primo quia intantum conceptus superior dicitur perfecte præscindere a differentiis contrahentibus, quia differentiæ istæ sunt quidpiam illi conceptui superadditum, nec illum intime, ac essentialiter imbibunt; sed non ita se habet ens respectu suorum inferiorum, atque modorum contrahentium, cum in eis essentialiter includatur, ergo &c. Major probatur, quia perfecta, & adæquata præcisio consistit in hoc, ut ratio præcisa non includatur in illis, a quibus præscinditur, alioquin diceretur præscindere a seipsa; tum quia perfecta præcisio unius conceptus ab alio dicit actualem exclusionem, & separationem unius ab alio; tum quia hac ratione conceptus animalis dicitur perfecte præcisus a rationalitate, ac irrationalitate, quia non includitur in eis; Probatur quoque minor, quia ens non includitur in inferioribus entibus, ut in ipsis inveniat differentias additas ultra rationem entis, quæ non sint entia, alioquin per nihil determinaretur ad aliquid constituendum.

Resp. huic argumento, quod est præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, dupliciter; Primo negando minorem, quia ut constabit ex quæst. 7. falsum est ens quidditative, & formaliter includi in modis contrahentibus, cum tantum realiter, ac identice contineatur in eis; neque ob id sequitur, quod inferebatur in probatione minoris, ens per nihil determinari ad aliquid constituendum, quamvis enim modus determinativus entis non sit formaliter ens, sed tantum identice; non tamen inferre licet, quod sit formaliter non ens, & nihil; sed tantum quod non sit formaliter ens, ut loc. cit. ex professo declarabitur; sed quia id adhuc nobis infra probandum manet quicquid sit de minori; Secundo respondetur negando majorem, ut enim constet ex dictis supra, præcipue num. 50 ut aliquis conceptus dicatur perfecte, ac adæquate ab alio præcisus, minime requiritur, quod non intime in illo includatur, a quo abstrahitur, ut assumitur in majori ejusque probatione; sed solum sufficit, ut ille, qui abstrahitur, non includat illum, a quo præscindit, nec explicite, nec implicite; perfectio enim præcisionis, ut ibi diximus, attenditur ex parte conceptus abstracti, & præcisi, non autem alterius, a quo fit abstractio; & hac ratione animal dicitur perfecte, & adæquate a rationalitate, & irrationalitate præscindere, quia a suo conceptu prorsus illa excludit, quod autem neque rationalitas, neque irrationalitas animalitatem includant, non infert, quod animal perfecte ab eis præscindat, alioquin a speciebus, in quibus essentialiter includitur, perfecte non præscinderet, sed infert tantummodo præcisionem perfectam esse mutuam inter illa; cum igitur in proposito modi entis sint omnino extra conceptum entis, quia dicit purum esse rei, nullo modo tangendo determinatum modum essendi, hinc conceptus entis dici debet perfecte præcisus ab eis, etiamsi alias in illis esset intime imbibitus; hoc enim non impedit perfectam ejus præcisionem, sed solum impedit præcisionem mutuam; neque hinc sequitur, ut inferebatur in argumento, quod tunc idem præscinderet a seipso, quia præcisio fieret ab inferioribus includentibus ens; non, inquam, id sequitur, tum quia abstractio non fit ab ipso ente, sed ab includente ipsum ens, tum quia cum sit præcisio entis ab inferioribus, stulta est interrogatio, an illa adhuc includant ens, necne, nam certum est a parte rei includere, quia abstractio fit tantum per intellectum, & in ordine ad intellectum abstrahentem inferiora, neque includunt, neque non includunt rationem entis, quia tunc illa intellectui minime obversantur, cum tunc temporis intellectus de ente tantum, ut sic, cogitet, non vero de inferioribus, & hæc doctrina omnino vera, ac necessaria est, nisi quoque negare velimus genus perfecte præscindere a speciebus, ubi idem prorsus argumentum fieri potest.

60 Dices cum Aversa, vel ens præscindit ab inferioribus, quæ sint entia, vel quæ non sint entia; si primum, ergo præscindit a seipso, si secundum, ergo abstrahitur a nihilo. Resp. hoc idem prorsus argumentum fieri posse de genere respectu specierum, a quibus præscinditur, itaque juxta primam responsionem dicimus ens præscindi a modis, quæ sunt quidem entia realiter, ac identice, non tamen formaliter, & quidditative, sic enim sunt solum talitates entis, juxta aliam solutionem dicimus ens præscindi a modis, quæ sunt entia formaliter, non tamen præscinditur ab eis, quatenus entia sunt, sic enim utique præscinderet a seipso, sed quatenus sunt rationes determinativæ entis, ut sic. Sed rursus urgebis ex eodem Aversa; si omnis ratio, quæ est in homine & bruto, esset animal, non posset animal præscindere a rationali, & irrationali; sed quicquid est in inferioribus entis, & modis ejus, est vere, & formaliter ens, ergo nequit ab eis perfecte præscindere. Respond. rursus juxta primam solutionem negando minorem, quia modi entis non sunt entia, nisi identice, & realiter, sed juxta alteram solutionem quicquid sit de minori, negatur major, quia ex illa hypothesi solum sequitur nec hominem, nec cæteras ejus formalitates posse perfecte ab animali præscindi, non tamen e contra, quia adhuc animal excluderet hominem, & brutum a suo intrinseco conceptu, quod solum sufficit, ut diximus, ad perfectam præcisionem unius conceptus ab alio. Contra irerum instabis, quia cum modi entis sint essentialiter entia, implicite saltem includuntur in conceptu entis, nec possunt ab eo penitus excludi, quod nos quoque ad perfectam præcisionem postulamus. Resp. iterum negando modos entis esse essentialiter entia, quia essentialiter sunt talitates entis, quo etiam concesso negatur, quod inde infertur, implicite includi in conceptu entis, potius enim inferri deberet ens includi in conceptu illorum, atque ideo ipsos non posse perfecte, & adæquate ab ente præscindi, non tamen e contra.

Secundo Argumentum consimile format Aversa ex contractione conceptus præcisi. Omnis conceptus præcisus debet contrahi ad inferiora, quæ sub se continet, per quasdam differentias, quæ non includant eundem conceptum communem; sed ens non potest contrahi ad inferiora entia per hujusmodi differentias; ergo ens non habet conceptum perfecte præcisum; Major probatur, quia cum inferiora essentialiter participant conceptum illum, in illo conveniunt, & ex vi ejus non distinguuntur essentialiter; sed eadem inferiora inter se certe essentialiter distinguuntur, ergo debent habere alias differentias præter eundem conceptum communem, per quas essentialiter differant, & conceptus ille communis contrahatur; Probatur minor, quia ut sæpe dictum est, si illæ differentiæ excluderent conceptum entis, essent non entia, & sic ens per nihil contraheretur.

61 Resp. juxta allatam doctrinam adhuc dupliciter, primo negando majorem, quia parum refert ad perfectam præcisionem conceptus contrahibilis, quod includatur in differentiis contrahentibus, vel non; sufficit enim, quod differentiæ contrahentes non includantur in ipso actualiter, & ad probationem majoris dicimus sufficere, ut dum differentiæ superadduntur rationi contrahibili, etiamsi illam intrinsece imbibant, adhuc tamen aliquid novi afferant saltem secundum modum, per quod illa limitetur, & coarctetur: Verum quia majorem illam putamus esse absolute veram de quacunque ratione contrahibili, & contrahente etiam in prædicatis transcendentibus, ideo juxta doctrinam Scoticam inferius tradendam de modis entis negamus minorem, ad cujus probationem dicimus, quod licet modi entis excludant ipsum ens formaliter, & quidditative, non tamen realiter, ac identice; unde neque sequitur ens contrahi per nihil, sed per aliquid, quod est ens realiter, formaliter autem est talitas entis.

Tertio

Tertio, cum ens præscindatur a modis contrahentibus, vel adhuc remanet ens in conceptu eorum, vel non, si primum ergo non est facta perfecta, & adæquata præcisio, quæ postulat ut ratio præcisa ita ab inferioribus abstrahatur, ut non amplius in eis remaneat, quia præscindere est separare unum ab alio, sit ergo præcisio solum secundum explicitum, & est, quod intendunt Adversarii: si secundum, sequitur rationes inferiorum non esse aliquid, & quid reale, quia non haberent rationem formalem constitutivam realitatis, quod est ens. Resp. ens dici perfecte, & adæquate præscindi a modis contrahentibus, quia re vera nec modi intime imbibunt in conceptu quidditativo entis, nec ens in conceptu modorum, ut infra dicemus; verum quia ens non tantum dicitur a modis præscindi, sed etiam ab inferioribus suis, in quibus proprie includitur; & in ipsis modis si non includitur formaliter, & quidditative, includitur tamen realiter, ac identice; ideo ad hoc argumentum respondendum est non aliter, ac si ens quidditative includeretur in ipsis modis, sicut includitur in inferioribus; dicimus itaque hoc argumentum æque oppugnare præcisionem perfectam conceptus generici cujuscunque, atque specifici ab inferioribus suis, nam eadem in omnibus interrogatio fieri potest; unde pro ejus solutione repetendum, quod paulo ante diximus, stultam esse hujusmodi interrogationem, quia vel quæris, an remaneat conceptus præcisus in inferioribus, a quibus abstrahitur, a parte rei, vel per intellectum; & quocunque modo fiat, est prorsum consentanea, & parum urget conclusionem nostram; si in primo sensu interrogas, est stulta interrogatio, quia illa præcisio fit per intellectum, & non a parte rei, & ideo adhuc remanet conceptus præcisus in inferioribus a parte rei; si fiat in alio sensu, nil minus insipiens est, quia tunc intellectus præscindens nil cogitat de inferioribus, a quibus præscindit, sed tantum de ratione præcisa; impertinens ergo est tunc temporis quærere, num apud intellectum sic præscindentem inferiora includant conceptum illum necne; quia tunc non cogitat de illis, unde dici possunt non includere præcisive, non negative, quatenus tunc intellectus non cogitat, num includant illum conceptum, necne; non autem cogitat, aut affirmat conceptum præcisum in illis non includi; parum autem nobis officit, quodcumque dicatur, quia, ut sæpe diximus in hac quæstione, parum refert ad perfectam præcisionem alicujus conceptus, quod includatur in illis, a quibus abstrahitur, immo hoc est omnino impertinens, sed exigitur quod illa, a quibus fit abstractio, minime includantur in conceptu præciso; sicut in sententia Adversariorum, ex eo quod res separetur a suis modis, non e contra; non hinc sequitur subjectum non separari a modis, tanquam rem, quia parum refert, quod alterum extremum sit res, ad hoc ut unum, tamquam res separetur, sic in proposito nostro parum refert ad perfectam præcisionem unius conceptus ab alio, quod mutuo se excludant, sufficit enim ut unus perfecte excludat alterum, licet non e contra, & tunc ille dicetur adæquate præcisus, ut diximus n. 50.

62 Dices, si facta entis præcisione ab inferioribus, adhuc in eis ens remanet, ergo poterunt præcisiones in infinitum prorrahi, quia quoties intellectus ad inferiora redit, reperit ens in eis, quod possit præscindere. Respond. hoc etiam argumentum oppugnare præcisionem perfectam cujuscunque conceptus generici, vel specifici, negatur ergo sequi processum in infinitum in præcisionibus objectivis, quia ratio illa entis, quæ reperitur in inferioribus, est illa, quæ antea per intellectum præcisa fuit, non alia, atque ideo dum redit intellectus ad denuo præscindendum, multiplicantur solum præcisiones formales, hoc est ipsimet actus præcisivi, non autem objectivæ, ut diximus disput. 5. Log. quæst. 2. artic. 4. ad 1. princ.

Quarto arguit Jo. de S. Thoma quæst. 14. Logicæ art. 2. ad hominem contra Scotistas ex eo quod docet Doctor prim. distinct. 8. qu. 3. ad 1. prin. ait enim ibi conceptum entis sine modo contrahente esse conceptum imperfectum, & inadæquatum, & in hoc differre a conceptu animalis, quia quantuncumque perfecte intelligatur animalitas, & sub quocumque gradu intrinseco concipiatur, numquam in tali conceptu invenietur rationalitas, vel irrationalitas, ut modus intrinsecus ejus, sed adhuc intelligitur animalitas in tali gradu, ut perfectibilis a rationalitate, vel irrationalitate, non ita se habet conceptus entis, si enim perfecte, & adæquate concipitur, necessario concipitur sub modo, quod etiam declararat exemplo albedinis, ut decem, quæ si intelligatur sub ratione albedinis tantæ, perfecte, & adæquate concipitur, sed si concipiatur sub ratione albedinis præcise, erit conceptus imperfectus, & inadæquatus, ergo in sententia Scoti ens non nisi imperfecte præscindit a modis contrahentibus. Conf. quia si ens, ut sic, nullo modo actu includit modos contrahentes, nec explicite, nec implicite, posset contra dictum Doctoris loc cit. perfecte, & adæquate intelligi sine illis, sicut animal hac de causa perfecte, & adæquate intelligitur sine rationali, ac irrationali. Demum quæst. seq. monstramus, conceptum entis esse imperfectum, & inadæquatum, & fieri non posse, nisi ab intellectu inadæquate concipiente, ergo non importat conceptum perfecte præcisum.

63 Resp. Scotum illis verbis utique innuere, non velle in conceptu entis, ut sic, modos includi, immo ait ibi differre non includi, quod & declarat exemplo gradium albedinis, quæ concepta sub ratione albedinis præcise, illos non includit, sed solum ait includi in conceptu entis perfecte concepti, idest sub tali gradu, quo etiam pacto albedo concepta, ut tanta, gradus includit in suo conceptu, quia tunc non fem simpliciter, & absolute concipimus, sed rem sub modo, unde conceptus entis, ut sic, dicitur ibi a Doctore imperfectus, & inadæquatus, non quia perfecte, & adæquate non excludat modos, quo pacto nos hic loquimur, sed quia tunc ens non concipitur sub modo sibi intrinseco, appellat etiam conceptum entis imperfectum, & inadæquatum ad differentiam conceptus generici, qui sicut semper ab una sumitur realitate sibi in re correspondente, quam adæquate explicat, & importat, ita semper dicitur conceptus perfectus, & adæquatus, at conceptus entis non sumitur a realitate ex natura rei distincta ab ea, a qua sumitur modus contrahens, sed ab eadem perfecte, vel imperfecte concepta ambo desumuntur, nam cum perfecte, & inadæquate concipitur, abstrahitur conceptus entis, ut sic, & cum concipitur perfecte, abstrahitur conceptus entis sub modo, quæ sane perfectio, & imperfectio conceptus longe diversa est ab ea, de qua loquimur in præsenti quæst. ita hunc passum exponunt communiter Interpretes nostri, præsertim Lichet. & Bargius, immo sic se explicat Doctor ibi in illis verbis, requiritur ergo distinctio inter illud, a quo accipitur conceptus communis, & illud, a quo accipitur conceptus proprius, non ut distinctio realitatis, & realitatis, sed ut distinctio realitatis, & modi proprii, & intrinseci ejusdem, quæ distinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum, vel imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius, sed conceptus generis, & differentiæ requirunt disjunctionem realitatum, non tantum ejusdem realitatis perfecte, & imperfecte conceptæ, hæc Doctor, ex quibus satis constat, nil contra nostram conclusionem deduci ex isto loco. Ad Conf. concedimus, ens ut sic, posse perfecte, & adæquate intelligi sine modis modo jam explicato, quatenus scilicet illos omnino excludit a suo quidditativo conceptu, animal autem nedum in hoc sensu potest perfecte, & adæquate intelligi sine differentiis, sed etiam in alio sensu, qui anti convenire non potest, quia non solum animal, ut sic, excludit a suo conceptu differentias, sed in quocunque etiam gradu intelligatur, non ob id invenitur, ait Doctor, rationalitas, vel irrationalitas esse modus intrinsecus animalitatis, sed adhuc intelligitur animalitas tali in gradu, ut perfectibilis a rationalitate, vel irrationalitate, quia in genere conceptus contrahentes non dicunt modum intrinsecum contracti, ut in transcendentibus, in hoc igitur sensu negat Doctor conceptum entis esse perfecte, & adæquate præcisum, ut conceptum animalis, quia iste fundatur in una realitate, qua adæquate importat, ex natura rei distincta a realitate differentiæ contrahentis, non sic conceptus entis, qui cum ejus modo ab eadem prorsus realitate desumuntur secundum quod adæquate, vel inadæquate concipitur. Ad ultim. in hoc quoque sensu dicimus quæst. sequent. conceptum entis esse inadæquatum, & abstrahi ab intellectu inadæquate concipiente, quia non sumitur ab una realitate, quam importet adæquate distinctam a realitate, unde sumatur modus contrahens, ut evenit de genere, & differentia, quæ semper diversas realitates important, non autem dicimus esse inadæquatum, quia in suo conceptu aliquo pacto includat modos contrahentes.

64 Postremo obiiciunt, hinc sequi, entis conceptum esse univocum, probatur consequentia, quia ad univocationem alicujus conceptus plane aliud desiderari non videtur, quam quod importet conceptum omnino unum, & præcisum ab inferioribus. Resp. gratis concedendo conceptum entis esse univocum, licet non purum univocum, sed cum aliqua analogia permixtum, nam ad puritatem, & rigorem univocationis aliquid amplius desideratur ultra perfectam præcisionem, & unitatem conceptus, ut postea dicemus, Sed dices, si ens est analogum aliquo pacto, jam ejus conceptus cadit a perfecta præcisione, ac unitate, quia de ratione analogi est, quod non habeat perfectam unitatem, & præcisionem conceptus, & per hoc præsertim a conceptu univoco secernitur, qui importat rationem omnino unam, & perfecte ab inferioribus præcisam. Respond. quod licet ens sit analogum, non tamen est ex illis, qui excludunt unitatem conceptus, ut postea dicemus; & quando analogum aliquod talem obtinet unitatem, gratis fatemur hoc utique non esse ex vi ipsius analogiæ, sed ex vi univocationis annexæ, analogia enim secum non defert nisi unitatem attributionis, vel proportionis, quæ est unitas imperfecta semper involvens, vel plures rationes inter se proportionem habentes, vel plures habitudines ad unam formam, hæc vero unitas attributionis addita unitati univocationis, cum qua bene compossibilis est, sicut unitas minor cum majori, proprie non minuit eam, sed tantum reddit inæqualiter participalem ab inferioribus, quæ inæqualitas proprie loquendo univocationem potius, quam unitatem, & perfectam præcisionem rationis minuit, ut diximus disp. 2. Log. qu. 5. art. 2. & adhuc magis infra patebit qu. 5. ubi etiam explicabitur, qua præsertim ratione differant analoga ab univocis, quamvis etiam de hoc satis dictum sit loc. cit. in Logicæ art. 3.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An conceptus Entis sit ex natura rei ante intellectum præcisus, & distinctus ab inferioribus.

65 QUæstio hæc ad eos solum attinet, qui admittunt unitatem, & præcisionem perfectam conceptus entis a suis inferioribus, & contrahentibus; & sensus est, an admissa hujusmodi perfecta præcisione conceptus entis, præcedat omnino *hujusmodi* præcisio opus intellectus; adeout nedum adsit fundamentum in re distinguendi gradum entis a suis inferioribus, sed adsit etiam distinctio formalis ex natura rei, quæ *sit major* distinctione rationis, & minor distinctione reali simpliciter dicta, an proinde veluti media inter illas, quod genus distinctionis admitti debere modo supponimus tum ex dictis disputat. 1. Logic. quæst. 5. artic. 2. tum ex inferius dicendis, & quamvis quæstio hæc communis sit omnibus gradibus, seu conceptibus superioribus respectu inferiorum, hic tamen specialem habet difficultatem, ut adnotavit Suarez, ob transcendentiam entis, qua de causa factum est, ut Scotistæ, qui unanimiter tutati sunt incunctanter distinctionem ex natura rei formalem, & actualem inter gradus, & naturas prædicamentales superiores, & inferiores; tamen de gradu entis, aliorumque transcendentium loquentes, divisi sunt, unde aliqui admittunt distinctionem ex natuta rei formalem, quæ præscindat *ante opus intellectus* inter ens, & ejus inferiora, adeout non solum velint, quod intellectus concipere possit ens exclusis a tali conceptu omnino inferioribus, & contrahentibus; sed etiam quod non sit opus, ipsum aliquam fabricare distinctionem, atque ideo eodem modo loquendum esse quoad præcisionem conceptus, & distinctionem ab inferioribus de gradibus transcendentibus, ac prædicamentalibus, ita Ant. And. 1. Metaph. quæst. 1. artic. 3. Can. 1. Phys. quæst. 3. Fab. theor. 94. Poncius part. 3. suique Cursus disput. 18. numer. 11. Bonet. 1. lib. suæ Met. cap. 2. Magist. Formalit. art. 2. Meruisse lib 1. suæ Met. quæst. 7. Saxius in sua Cathast. disput. 10. quæst. 3. art. 3. & alii nonnulli, qui tamen dum asserunt conceptum entis importare realitatem communem ab inferioribus ex natura rei formaliter præcisam, ac distinctam, distinguunt de duplici realitate alia subjectiva, quæ convenit naturis communibus prædicamentalibus, & est contrahibilis per veras differentias, cum quibus proprie facit compositionem Metaphysicam: alia est objectiva, quæ scilicet ex natura rei apta est terminare unicum conceptum mentis, & nata contrahi non per veras differentias, sed per modos intrinsecos, & talem dicunt esse realitatem, quam important transcendentia.

66 Alii vero Scotistæ, & plurimi, & gravissimi oppositum docent, nimirum conceptum entis non fundari in aliqua una natura communi a parte rei inventa in omnibus entibus, & ex natura rei formaliter distincta a suis contrahentibus; sed immediate abstrahi a propriis realitatibus Dei, & creaturæ substantiæ, & accidentis, atque ideo non esse conceptum omnino præcisum & distinctum ab inferioribus ante opus intellectus, *sed tantum a parte rei præcedere fundamentum*, & occasionem talis abstractionis, quæ facit ut distinctio, & præcisio conceptus entis non sit omnino rationis, ut conceptus secundarum intentionum; ita docuerunt præclarissimi Scotistæ Tatar. 1. Met. quæst. 1. artic. 1. Vallon. tractat. formal. declarans univocationem, & communitatem conceptus entis; Smisinch. de Deo Uno tractat. 1. disput. 2. numer. 63. Lichet. 1. d. 2. qu. 1. solvendo argumenta Ocham, & d. 3. quæst. 2. & 3. & d. 8. quæst. 3. & 1. d. 25. & 26. Vigerius 1. d. 8. quæst. 3. in §. *ad 1. arg. princ.* ubi & Bargius clarissime item d. 26. Trombet. 4. Met. quæst. 2. ad 2. princ. & in suis formalit. part. 2. art. 2. declarando quid sit formalitas, & cap. de identitate, & distinct. ex natura rei. Herrera 1. dispur. 79. qu. 1. ad 2. Vulpes tom. 1. part. 1. disputat. 10. art. 1. numer. 2. & fuit constans sententia Scoti pluribus in locis infra citandis, adeout mirum sit, quomodo Recentiores omnes, admittentes *præcisionem conceptus entis*, qui unanimiter hanc secundam amplectuntur sententiam, oppositam passim absque ulla hæsitatione, vel exceptione Scoto tribuant, & Scotistis; cujus communis erroris potissimam causam fuisse arbitror, quia cum vidissent Scotistas inter gradus prædicamentales superiores, & inferiores ponere distinctionem ex natura rei formalem, & superioribus tribuere passim præcisionem ex natura rei ab inferioribus, putarunt etiam illos teneri ad consequenter loquendum eodem modo Metaphysicari de gradibus etiam transcendentibus, quod tamen judicium erroneum esse mox demonstrabimus: sed quid mirum, si etiam nostri ex hoc capite decepti sunt, ut constat apud Fabrum, & Ponc. loc. cit. ubi numer. 11. conceptum entis distingui ex natura rei ab inferioribus gradibus probat ex paritate aliorum graduum prædicamentalium; sed latam disparitatem assignabimus infra inter gradus prædicamentales, & transcendentales quoad distinctionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Respectu substantiæ, & accidentis conceptus entis est ex natura rei actualiter præcisus, non tamen respectu Dei, & creaturæ.

67 HÆc conclusio, in qua consistit resolutio hujus quæstionis, duas habet partes, in quarum prima asserimus, quod si ens comparetur ad substantiam, & accidens, importat conceptum ex natura rei actualiter præcisum a suis inferioribus, & contrahentibus, seu quod idem est, fundatur in aliqua realitate, seu natura communi a parte rei inventa in substantia, & accidente, & ex natura rei formaliter actualiter distincta a particularibus earum rationibus; & pendet ista conclusio ex dictis in Logica disput. 6. quæst. 1. & disput. 5. quæst. 3. artic. 3 nam in primo loco fuse ostendimus ens, quod in decem prædicamenta dividitur, esse vere, & proprie genus, quia non est ens transcendenter sumptum, seu commune Deo, & creaturæ, quod in ea dividitur, sed est ens finitum, & limitatum, quod immediate dividitur in substantiam, & accidens, velut in primas, & principales species subalternas, deinde substantia in corpoream, & incorpoream, accidens in absolutum, & respectivum, & sic deinceps, adeout falsum prorsus sit, quod dicebant Anton. And. 5. Met. quæst. 7. & Fab. ibid. disput. 1. cap. 1. & disp. 2. c. 1. theor. 87. ens immediate descendere in decem prædicamenta, & divisionem entis finiti in substantiam, & accidens non esse priorem divisione ejusdem in decem genera, sed esse omnino eandem brevius explicatam, quæ omnia ibi fuse probatum est esse de mente Doctoris 5. Met. quæst. 6. & lib. 7. quæst. 1. & d. 8. quæst. 3. N. ubi clarissime docet ens prius dividi in infinitum, & finitum, quam in decem genera, quia hoc quod in decem genera dividitur, est *ens finitum*; & ibidem in solut. ad 1. princip. negat ens transcendenter sumptum habere rationem generis, quia ejus conceptus est communis ad finitum, & infinitum, quæ communitas nequit esse in conceptu generis, ex qua sequitur evidenter divisionem entis finiti in substantiam, & accidens esse divisionem generis in species, & solum conceptum entis transcendentis effugere rationem generis ob ejus indifferentiam ad finitum, & infinitum.

68 Hoc autem præsuppositio satis evidenter prob nostra conclusio quoad hanc partem, quia ut diserte tradit Doctor loc. cit. 1. d. 8. quæst. 3. genus, & differentia semper important diversas realitates Metaphysicas, quarum una est potentialis ad aliam; ideoque constituunt compositionem Metaphysicam, & ideo genus dicit conceptum communem adæquatum ex natura rei præcisum actualiter a conceptu inferiorum, ac præsertim *differentiarum contrahentium*, unde disp. 5. Log. qu. 3. art. 3. ex professo ostendimus, genus, & differentiam mutuo abinvicem ex natura rei præscindere, quia semper sumuntur a diversis realitatibus; si ergo verum est ens finitum respectu substantiæ, & accidentis habere rationem generis, sane concludendum est, importare conceptum ex natura rei actualiter præcisum a suis inferioribus, ac differentiis contrahentibus; quod adhuc, vel eo maxime erit asserendum, quia inferius ostendemus inter gradus prædicamentales loquendo in universum intercedere distinctionem ex natura rei formalem actualem, & nullatenus sufficere virtualem; cum ergo conceptus entis finiti non sit transcendens, sed supremus prædicamentalis, nil obstat, quin fundetur in una realitate, seu natura communi in omnibus inferioribus reperta, & ex natura rei actualiter a realitatibus contrahentibus distincta; Quæ vero solent obiici contra hanc conclusionis partem; nimirum ens immediate descendere in decem prædicamenta 8. Metaph. 16. & 10. Metaph. 8. & rursus hæc decem esse suprema genera, & ab invicem primo diversa, & alia hujusmodi, sufficienter ibi diluimus, & de hoc etiam nonnihil supra diximus in hac disp. num. 24. & 28.

69 Altera pars conclusionis, quod conceptus entis respectu Dei, & creaturæ non fundetur in aliqua communi realitate, quæ sit una, ac eadem in ambobus, ac proinde non sit omnino ex natura rei præcisus ab illis, docetur a Doctore locis omnibus, art. seq. citandis, ubi ejus mentem in hac re ex professo aperiemus; sequuntur Scotistæ omnes supracit. & Recentiores quicunque nobiscum admittentes perfectam præcisionem conceptus entis. Verum tamen est Neotericos hanc secundam conclusionis partem probare rationibus plerunque inutilibus, ut pote quæ falso innituntur fundamento, vel universaliter excludunt distinctionem, & præcisionem ex natura rei inter omnes gradus Metaphysicos, sive prædicamentales, sive transcendentes; unde Suarez disp. 2. Met. sect. 3. ex eo probat, quia implicat dari naturam communem a parte rei formaliter actualiter distinctam a singularibus, quia utique talis natura esset a parte rei producta, & existens in rerum natura, & per consequens determinata, & singularis; Probat insuper, quia modi contrahentes ens ad Deum, & creaturam essentialiter, & quidditative includunt conceptum entis, ergo ens ex natura rei non præscindit ab eis. Sed hæc duo assumpta a Suarez, ut vera, sunt in nostra sententia prorsus falsa, & quia inferius ostendemus intra seriem prædicamentalem admitti necessario debere naturas communes ex natura rei formaliter actualiter distinctas a differentiis contrahentibus, quæ extrinsece solum,

lum, & per accidens sint singulares, non intrinsece, & per se, & rursus paulo post in hac eadem disput. demonstrabimus ens non includi essentialiter, & quidditative in suis modis contrahentibus, sed tantum realiter, & identice, atque ideo saltem formaliter ex natura rei ab eis præscindere posse; Item Pasqualig. disp. 36. Met. sect. 3. postquam rationes Suarez rejecit, ut insufficientes, alias ipse addit rationes ad hoc idem probandum, quæ similiter falso innituntur fundamento, quod nempe dari nequeat distinctio ex natura rei formalis actualis antecedens opus intellectus, & quod præsertim hæc admitti nequeat inter formalitates Metaphysicas, quorum utrunque est falsum; nam, & talem distinctionem admitti debere, veluti quasi mediam inter simpliciter realem, & rationis jam docuimus disput. 1. Log. q. 5. art. 2. ubi etiam quasdam ejus rationes ad impugnandam talem distinctionem, quas hic tangit, dissolvimus; & talem distinctionem necessariam esse inter gradus Met. præsertim genericum, & differentialem ostendimus disp. 5. Log. q. 3. art. 3. quæ Scotica principia adhuc magis inferius probabuntur; missas itaque faciamus Recentiorum rationes, & alias adducamus, quæ innitantur præmissis ab omnibus admissis, & quæ præsertim convincere valeant Scotistas, cum quibus hæc difficultas agitatur specialiter; rationes autem convincentes hoc nostrum assertum sunt illæ, quas adduximus supra quæst. 2. contra unitatem conceptus entis respectu Dei, & creaturæ a num. 40. & inde, diximus enim, illas re vera valide impugnare conceptum entis fundatum in una realitate communi Deo, & creaturæ, & ideo rationes illæ hic pertractandæ *sunt additis solutionibus*, quas *soleut afferre Scotistæ oppositæ* sententiæ, ut ex earum impugnationibus constet, quanti sint valoris, & roboris.

70 Primo itaque probatur ratione deducta ex compositione Metaphysica, quia data opposita sententia, quod conceptus entis fundetur in una natura, & realitate communi Deo, & creaturæ, sequitur dari compositionem in Deo saltem Metaphysicam, ex actu, & potentia; consequentia est evidens, quia omnis realitas ex natura rei communis, & una ad plures contrahibilis est necessario ratio potentialis, unde cum ratione contrahente compositionem efficit Metaphysicam, quæ destruit divinam simplicitatem, ut arguit Doctor 2. d. 3. q. 6. sub L. At est responsio in promptu Scotistarum alterius opinionis argumentum probare *tantum conceptum* entis importare non posse realitatem subjectivam, quæ utique cum ratione contrahente compositionem efficit Metaphysicam, non autem probare de realitate objectiva, hæc enim stat cum summa Dei simplicitate, nec cum ratione contrahente efficit compositionem; quod vario modo explicant Scotistæ ex diversa declaratione realitatis objectivæ, & subjectivæ; Sed hanc communem solutionem facile reiicies, si apud Tromb. tract. formalit. par. 2. art. 2. declarando quid sit formalitas, videbis, quid interfit inter realitatem subjectivam, & objectivam, ibi enim ostendit ens nullam dicere realitatem objectivam proprie dictam; eandem solutionem optime impugnat Bargius loc. cit. quia vel per realitatem objectivam entis intelligunt conceptum, qui non habeat integram, & completam unitatem suam antecedenter omnino ad opus quodcunque intellectus, quemadmodum habent ceteræ naturæ prædicamentales, & sic nobiscum sentiunt, vel intelligunt realitatem vere *communem a parte rei Deo*, & creaturæ, ac trascendenter unam, & hæc quocunque modo explicetur, si sit a parte rei cum tali unitate, & communitate semper intelligetur potentialis, & contrahibilis, & compositionem efficiet cum ratione contrahente, inquit Bargius.

71 Respondent alii Scotistæ, quod quando communis realitas contrahitur per realitates differentiarum, utique cum ipsis compositionem efficit Metaphysicam, cum altera respectu alterius rationem habeat potentiæ; si vero per modos intrinsecos contrahatur, tunc nulla ibi intervenit compositio, cum entitas, & modus una sint realitas adæquata, & per consequens nulla ibi intercedat ratio actualis, & potentialis, quia nihil est in potentia ad seipsum; in proposito ens ad Deum, & creaturam *contrahitur* per modos scilicet finitum, & infinitum, non autem per differentias, & ajunt hanc esse ipsissimam Scoti responsionem 1. d. 8. quæst. 3. ad 1. princ. Sed hæc communis Scotistarum solutio procedit ex doctrina Scoti circa contractionem entis ab aliquibus non bene intellecta, quia enim sæpe inquit ens contrahi ad Deum, & creaturam per finitum, & infinitum, putant hanc esse contractionem a priori, quasi una natura, seu realitas communis possit primo contrahi ad plura essentialiter distincta per modos intrinsecos, quod est omnino falsum, quia sicut modus rei intrinsecus non constituit rem in suo esse specifico, & quidditativo, sed sic constitutam supponit, ita distinctio modalis plurium supponit distinctionem specificam, atque ideo modus nequit esse prima ratio contrahendi realitatem communem ad constituendum plura essentialiter distincta; antecedens ab omnibus conceditur, præsertim in schola nostra, quia modus intrinsecus est extra essentiam rei, nec unquam rem essentialiter variat, sicut facit differentia, Prob. conseq. quia prima ratio contrahendi realitatem communem ad aliud particulare sub illa realitate communi est de quidditate, & essentia illius particularis, & facit illud essentialiter differre. Tum quia eadem sunt principia constituendi, & distinguendi apud Metaph. cum ergo modi intrinseci non sint prima constitutiva Dei, & creaturæ, non erunt consequenter prima distinctiva eorum, & prima divisiva realitatis entis, sed tantum a posteriori eo pacto, quo animal dividetur per admirativum, & non admirativum, esto concedamus modum *intrinsecum esse aliquantum* passione infimus. Tum quia quæ faciunt differre essentialiter, quæ per differentiæ essentiales, quæ modos præcedunt; ergo per has primario ratio communis dividitur, non per modos, nisi a posteriori, & secundario, & in hoc sensu Doctor intelligendus est, cum inquit ens contrahi ad Deum, & creaturam per infinitum, & finitum. Tum quia proprie loquendo finitum, & infinitum non sunt modi contractivi entis, sed modi intrinseci Dei, & creaturæ, ideoque infinitas Deum non constituit, nec finitas creaturam, sed in aliquo priori constitutæ supponunt, & ideo aliunde petenda est distinctio essentialis eorum, & contractio realitatis entis ad ipsa. Tum quia his omnibus admissis, quod scilicet finitum, & infinitum sint modi intrinseci entis, & posse per eos primo contrahi realitatem communem, *adhuc* non evitatur compositio Metaphysica in Deo, quia juxta allatam in responsione doctrinam reperitur in Dei aliqua realitas, quæ non est de se hæc, sed communis, quæ contrahitur per modum intrinsecum, ad Deitatem, quia adhuc ex natura rei modaliter ante opus intellectus ab ea secernitur, & ab ente contracto, atque ideo cum realitate contracta aliquam efficit compositionem; Conseq; patet, quia realitas contracta non est de se hæc, sed communis per datam responsionem, & ratio contrahens non est prorsus idem ex natura rei cum ratione contracta; cum ergo non sint idem prorsus a parte rei, & unum habeat rationem potentiæ, aliud actus, plane sequitur, in Deo compositionem Metaphysicam admitti debere. Denique falsum est, *Scotum loc. cit. 1. dist. 8. qu. 3. ad 1. prin.* hoc modo evitare compositionem Metaphysicam in Deo, ut enim manifeste constat in solutionibus, quas affert ibidem ad quasdam replicas sub lit. Aa, & Bb, per hoc præcise salvat *simplicitatem* Dei, quod entitas, ut reperitur in Deo, est de se hæc, & non contracta per aliud a parte rei, sive habeat rationem modi, sive differentiæ; quod etiam prius docuerat 1. d. 3. qu. 2. I. ubi hoc non obstante, significat, quomodo adhuc abstrahi possit communis conceptus entis a Deo.

72 Faber cit. theor. 94. cap. 3. respondet, quod Deus, & creatura proprie loquendo non differunt essentialiter, sed sicut perfectissimum, & minus perfectum in infinitum, quod sic declarat; illa differunt essentialiter, quæ per differentias sub eodem genere constituuntur in diverso esse formali, & essentiali, differentia enim, ut rationale est actus extrinsecus, qui adveniens animali generi illud actuat, & contrahit ad hominem, & facit differre a brutis; non sic est modus intrinsecus, quia non est quid extrinsecum essentialiter a realitate, cui advenit, ut cum albedo dividitur per albedinem, ut centum, & albedinem ut decem, albedo ut centum non variat essentiam albedinis, nec differt essentialiter ab albedine, sed solum ut albedo particularis ab albedine in communi; & albedo ut decem, ac albedo infinita si daretur, non differrent essentialiter, & specifice proprie loquendo, sed solum ut minus perfectum, & magis perfectum in infinitum; ita creatura differt a Deo, quia Deus est ens infinitum, creatura est ens finitum, hæc autem differentia non est proprie essentialis, Dsinde addit per hoc, quod infinitas sit modus Dei intrinsecus, non tolli, quod etiam non sit modus intrinsecus entis, sicut rationale dicitur differentia *animalis*, & hominis, animalis, quia ipsum dividit, & contrahit; hominis, quia ipsum constituit; ita infinitum est modus intrinsecus entis, quia ipsum dividit, Dei quia ipsum constituit, *non ut differentia, sed ut* gradus intrinsecus, de qua doctrina Faber *satis sibi* applaudit.

Fatemur hanc solutionem suo Auctore indignam esse, nil enim absurdius meo judicio dici potest, quam Deum, & creaturam non differre essentialiter proprie loquendo, sed solum sicut minus perfectum, & magis perfectum in infinitum, sicut albedo ut decem differt ab albedine infinita; ex hoc enim sequitur Deum, & creaturam ejusdem esse speciei, ut sunt albedo, ut centum, & albedo infinita. Deinde si Deus, & creatura adeo differunt, ut dicantur distare in infinitum, ac esse primo diversa, quomodo non habent diversas essentias; easque essentialiter diversas? Tum quia falsum est absolute loquendo, illa solum proprie essentialiter differre, quæ per differentias sub eodem genere constituuntur in diverso esse formali, & essentiali, alioquin quæ sunt genere diversa, non differrent essentialiter. Tum quia graduatio secundum magis, & minus perfectum, quæ Deum a creatura *secernit*, non est secundum pluralitatem graduum individualium ejusdem perfectionis specifice, ut videtur velle hic Auctor in exemplo albedinis, quod adducit, sed est secundum pluralitatem graduum essentialium, cum enim species dicantur se habere velut numeri, quia semper una excepit aliam in perfectione specifica, dicimus, Deum in perfectione essentiali excedere in infinitum species omnes creaturarum tam existentes, quam possibiles, sed differre hoc modo secundum minus, & magis perfectum in infinitum infert supremam differentiam, & primam diversitatem essentialem inter Deum, & creaturam. Demum falsum quoque est, quod ultimo addebatur, infinitatem esse modum intrinsecum entis, quia ipsum dividit, & Dei *quatenus ipsum* constituit, sicut rationale dicitur differentia divisiva animalis, & constitutiva hominis; hoc, inquam, falsum est, quia modus intrinsecus nunquam rem potest constituere in suo esse primo, & essentiali; cum rem sic constitutam supponat, & repugnat dicere, quod constituit rem ut gradum intrinsecum, *non ut*

diffe-

differentiam ; quia modus intrinsecus non iconstituit , sed differentia ; unde nec valet exemplum allatum de rationali , quod dividit animal , & constituit hominem ; hoc enim convenit rationali , quia eadem differentia , quæ est contractiva generis , est etiam constitutiva speciei ; & e contra ; cum ergo nec finitas essentialiter creaturam constituat , nec infinitas Deum , ex Scot. 1. dist. 2. qu. 2. eo quia supponunt illa jam in suo esse constituta , consequenter nequeunt esse modi contrahentes conceptus entis a priori , sed tantum a posteriori , ut dicebamus . Confir. quia si finitum, & infinitum sunt proprie modi *contractivi entis*, & talis est vera contractio a priori , cum contrahibile sit prius contracto eo modo, quo contrahitur, si contractio est ex natura rei , contrahibile quoque erit ex natura rei prius modis contrahentibus : in illo igitur priori, in quo ens præcedit modos, & ex natura rei distinguitur ab illis, utique non includit illos , & potest determinari per illos, ergo est vere in potentia ad illos, & cum eis efficit compositionem Metaphysicam.

73 Trombet. 4. Metaph. quæst. 2. & tract. formal. part. 2. art. 2. declarando quid sit formalitas, quamvis expresse teneat ens non importare unam realitatem communem Deo, & creaturæ , ibidem tamen in corpore quæstionis , & rursus tract. formal. par. 2. art. 2. declarando quomodo differentia importat realitatem distinctam a genere ad evitandam compositionem Metaphysicam in Deo per contractionem entis , utitur hac communi Scotistarum solutione , quod contrahitur per modos , & non per differentias, & hac de causa non efficere compositionem Metaphysicam , & ad ultimam instantiam a nobis factam distinguit de potentia Physica, & Metaphysica , & ait ens esse in potentia Metaphysica ad modos , non vero Physica, atque ideo cum eis compositionem non facere : Sed neque ista responsio satisfacit , quia secundum communem loquendi modum potentia Physica ut contradistinguitur ab actu Physico spectat ad partes physicas, materiam scilicet , & formam , & potentia Metaphysica ad Metaphysicam , & sicut potentia physica cum actu physico sufficit ad physicam compositionem , ita Metaphysica cum actu Metaphysico sufficit ad Metaphysicam ; si ergo ens habet potentiam Metaphysicam ad modos , hoc ipsum sufficit , ut cum eis inducat compositionem Metaphysicam ; Deinde hoc etiam sequitur explicando potentiam Metaphysicam, ut facit ipse Trombet. ait enim ipse , quod potentia Metaphysica est , secundum quam aliquod non includit aliud quidditative, & in conceptu suo formali , sic quod illud non sit de essentia ipsius , ergo si ens hoc modo est in potentia ad modos, ita perfecte præscindit ens ex natura rei a modis, sicut genus a differentiis, quantum ad excludendum eos a proprio conceptu quidditativo , & hoc sufficit ad compositionem Metaphysicam , quia est præcisio antecedens omnino opus intellectus . Denique conceptus entis prædicatur in quid , at modus intrinsecus prædicatur in quale , prædicari in quid est prædicari per modum potentiæ , prædicari in quale est prædicari per modum actus , ergo ens erit potentia respectu *modi* ; nec valet illa continentia identica entis ad modos , quia saltem distinguuntur ex natura rei , ergo ut sic videntur qualificare , & perficere ipsum ens .

Hoc præsertim ultimum argumentum etiam ipse Tromb. fatetur esse difficile , tamen 4. Met. q. 2. ait concedi posse modum intrinsecum eo pacto præsupponere potentiam , quo est actus, cum igitur non sit actus perficiens essentialiter, & quidditative, sed modaliter , non erit actus, sicut differentia, sed tantum in suo ordine ; in tract. vero formalit. aliter respondet, & ait prædicari in quid interdum sumi a potentia , & quod sic prædicatur, utique per modum potentiæ prædicatur, quandoque sumitur ab essentia, & quod sic prædicatur per modum subsistentis, & per se stantis ; & sic etiam prædicari in quale interdum sumitur per modum actus, interdum per modum adjacentis, & inhærentis ; ens itaque prædicatur in quid, & ejusmodi in quale secundo modo, non primo. At neutra harum solutionum satisfacit, immo utraque in solis verbis consistit; non secunda, quia si ens prædicatur essentia per modum essentiæ subsistentis, & per se stantis, & modus per modum adjacentis, & qualificantis, ergo ens prædicatur per modum potentiæ contrahibilis, & perfectibilis, & modus intrinsecus ad instar actus perficientis, & determinantis, nec enim aliter, nec alio modo explicuimus in Logica quid sit prædicari in quid, & in quale ; neque prima responsio satisfacit, quia etiamsi modus adveniens rei ipsum non perficiat in esse quidditativo, & essentiali, non proinde negandum est absolute, quod ipsum non perficiat, nec aliquam compositionem cum ea faciat, alioquin nullum prorsus accidens suum subjectum perficeret, & cum eo compositionem accidentalem faceret.

74 Respondent alii Scotistæ realitatem entis utique esse de se potentialem, & contrahibilem, sed ut est in Deo nullo modo esse potentialem, quia *transit in identitatem realem* Deitatis, quæ est actus purissimus, secus est in creaturis, in quibus tum omnis perfectio sit finita, etiam ratio entis erit potentialis ; sicut & aliæ rationes *minus communes*, ut in Deo omnes rationes transcendentes sunt absque alia potentialitate, ita Posnan. 1. d. 3. q. 1. disp. 4. ad 15. de cujus opinione nescio judicium facere, quia ibid. disp. 3. suppositione secunda vult conceptum objectivum entis, nedum ratione, sed etiam ex natura rei esse præcisum, & distinctum ab inferioribus, & postea Conclusione secunda nobiscum asserit conceptum entis non fundari in aliqua natura communi a parte rei Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Sed quicquid sit de ejus opinione, certum est, solutionem allatam frivolam esse, quia modus intrinsecus in schola nostra additus rei non variat rationem formalem, & quidditativam illius ; si ergo realitas entis de se potentialis est, & contrahibilis, etiam in Deo communitatem hanc, & potentialitatem intrinsece retinebit, ut dicimus de natura communi etiam a singularibus contracta, quia cum infinitas sit modus intrinsecus, ei additus non variabit rationem formalem illius. Tum quia hoc est, quod disputamus, quomodo realitas entis de se potentialis, & contrahibilis transire possit in identitatem realem Deitatis sine compositione, nam etiam animalitas per rationalitatem contracta transit in realem identitatem humanitatis, sed quia est de se potentialis, & contrahibilis non transit in identitatem ; sine compositione saltem Metaphysica, ergo ita etiam erit in proposito. Nec valet dicere Deitatem esse actum purissimum, ac proinde ob ejus infinitam actualitatem absorbere illam realitatem communem entis in sui perfectam identitatem absque ulla prorsus compositione. Nam ex hoc quod est purissimus actus potius inferri debet nullam secum compati realitatem de se communem, & potentialem, & omnes realitates quas absorbet in sui identitatem, esse in ultima actualitate, & singularitate.

75 Quare ad evitandam hujus argumenti efficaciam concludimus, quod supra docuimus q. 2. ens non importare realitatem communem ex natura rei præcisam a Deo, & creatura, illique communem, sed simplicissimum conceptum immediate abstractum ab intellectu a particularibus rationibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis, qui deinde per actum intellectus rursus referentem illum communem conceptum ad inferiora contrahitur ad illas per particulares conceptus finiti, & infiniti dicentes quale ; unde sicut conceptus entis re vera non est prior ex natura rei a Deo, & creatura , sed posterior, quia abstrahitur ab illis jam in suo esse constitutis ; ita contractio entis, quæ fit per finitum, & infinitum censeri debet contractio a posteriori facta per intellectum cum fundamento in re, non a priori, ut docet Lichet. 1. d. 2. q. 1. in §. *Quantum ad* 3. *art.* Et ex hac positione sequitur in Deo sola compositio rationis apud intellectum inadæquate concipientem, quæ nil derogat divinæ simplicitati , quia ut notat Doctor 1. d. 8. q. 3. Aa. non omnis compositio conceptuum apud intellectum significat compositionem extra in realitatibus , sed sola compositio conceptuum adæquatorum , tum quia talis compositio rationis non est aliud, quam *extrinseca* denominatio resultans in objecto ex negotiatione intellectus dividentis idem objectum adæquatum in plura inadæquata, unde nullam in objecto imperfectionem ponit, sed in solo intellectu, qui unico actu non valet assequi eminentem perfectionem objecti, ideoque prius illud concipit sub una ratione, postea sub alia, & tandem utramque rationem communem, & particularem componit adinvicem ; sic igitur in Deo primo gradum entis communem concipimus, ac veluti potentialem ad infinitum, deinde ratione infiniti concipimus veluti contrahentem ens ad Deum, qui modus concipiendi, ut patet, nullam ponit imperfectionem ex parte Dei , quia a parte rei ens non dicit potentiam , nec infinitas actum. Instabis cum Doctore cit. lit. Z. saltem conceptus communis est indeterminatus, & potentialis ad specialem conceptum. Respondet Bargius ibid. quod nulla est ibi potentialitas, quia talis præsupponit realitatem a parte rei, vel quod est ibi potentialitas *eo modo*, quo conceditur communitas, & ideo cum ibi concedatur communitas tantum penes intellectum, ita etiam tantum conceditur potentialitas penes intellectum ; totam hanc doctrinam de abstractione, & contractione entis clarissime docuit Lichet. 1. d. 3. q. 1. in fine his verbis ; quando abstraho hominem a Francisco, & Jo. abstraho ipsum hominem, ut prius omni singularitate, & ut indifferens ad omnem singularitatem hominis, & ut contrahibilem ad singularitatem per aliquid posterius ipso, puta per hæceitatem, ad quam est in potentia ; sed quando abstraho a Deo, non potest abstrahi aliquid prius, quod sit in potentia ad illud, quia natura divina est de se hæc, & quicquid est in Deo est de se hoc ; non abstrahitur ergo aliquid in re, quod sit in potentia ad determinari, sicut in creaturis ; sed sic abstrahitur, quod possum considerare singulare in communi, & ut hoc tantum ; in primo casu est abstractio alicujus prioris natura a posteriori, ad quod est in potentia, in secundo casu est tantum abstractio posterioris a priori, ita Lichet.

76 Secundo principaliter probatur assertum nostrum , quia si ens diceret realitatem suo conceptui adæquatam communem Deo , & creaturæ ; ergo a parte rei daretur aliquid prius, & idependentius Deo ; probatur consequentia, quia realitas constituens est prior re constituta per ipsam , cum in ordine ad eam habeat rationem partis , qua etiam ratione probatur consequentia quoad alteram partem , quia totum constitutum dependet a partibus constituentibus, non e contra ; si ergo ens se habeat in ordine ad Deum, ut realitas, & pars constituens, plane sequitur esse independentius Deo. Respondent rursus Scotistæ non esse inconveniens dicere, quod aliqua realitas objectiva sit prior Deo, nulla tamen realitas subjectiva est prior, & superior ; ita Posnanienus loc. cit. disput. 3. concl. 3. Sed hæc solutio jam exposita est supra numer. 70. utpote quæ in solis verbis consistit , & explicare nescit quid dicat realitas objectiva , ut a subjectiva secernitur ; vel enim per hanc realitatem intelligunt conceptum non habentem

bentem integram unitatem , & completam , priusquam intellectui obiiciatur, *& sic non erit omnino ex natura rei* , & complete præcisa ab inferioribus ; vel intelligunt aliquam naturam vere communem , & unam a parte rei citra quodcunque opus intellectus , quemadmodum dicere habent , ut a nobis dissentiant , & sic argumentum concludit vere dari a parte rei realitatem natura sua priorem Deo , ut Deus est .

Respondent solum sequi dari realitatem priorem Deo in prædicando , non in essendo , sed dari aliquid prius Deo , non prioritate reali , & existentiæ , sed prioritate generalitatis , seu prædicationis , quæ dici solet , a qua non convertitur subsistendi consequentia , quod nullum est inconveniens , quia non est prioritas Physica , & realis , sed Logica , & *rationis* . Contra , quia esto hæc *solutio* valeat juxta principia nostra , qui negamus veram realitatem entis communem Deo , & creaturæ , tamen apud Scotistas illam admittentes non valet , quia eo modo realitas entis præcedit divinitatem , quo eam constituit ; si ergo eam vere constituit a parte rei , ut relitas de se communis Deo , & creaturæ , plane saltem a parte rei : & prioritate naturæ reali , & non tantum Logica , præcedet Deum , ut Deus est . Confir. quia data hac opinione ita entitas præcederet Deum ob suam communitatem , sicut animal præcedit hominem , sed animal præcedit hominem non tantum prioritate prædicationis , & non convertentiæ , sed etiam prioritate naturæ , quam explicat per independentiam , quia Deitas præexigeret entitatem ad sui constitutionem , *& non e contra* , sicut homo præexigit animalitatem . Et quia in tali proprietate naturæ realitas communis privilegio gaudet indifferentiæ , & potest esse non magis in eo inferiori , in quo de facto reperitur , quam in aliis , sequitur dari aliquam realitatem in Deo , quæ quantum ex se est , poterat esse in creatura , & e contra ; immo si cum quibusdam Scotistis admitteremus naturas communes , non solum per indifferentiam , sed etiamper inexistentiam , tunc amplius sequitur unam , & eandem transcendentalem entitatem reperiri in Deo , & in creatura , quod quam sit absurdum , nemo est , qui non videat ; quæ omnia comprobari possunt , ac declarari exemplo animalis , vel alterius naturæ prædicamentalis ; cum enim adversarii Scotistæ *declarent communitatem entis* , sicut declarant communitatem aliorum graduum prædicamentalium , quantum attinet ad unitatem , & realitatem conceptus ; profecto quantum ad hoc eodem modo discurrere debent de communitate , ac indifferentia entis , sicut aliarum naturarum communium .

77 Tertio probatur , quia vel hæc realitas communis , quam importat conceptus entis , est creata , vel increata , vel participata , vel imparticipata , vel necesse esse , vel non necesse esse , & quodcunque admittatur est inconveniens , cum enim hæc realitas reperiatur a parte rei in Deo , & creatura , si est participata , aliquid participatum erit in Deo , si imparticipata , aliquid tale erit in creatura , quorum utrumque absurdum est . Hoc argumentum nullius prorsus momenti reputant adversarii Scotistæ , immo quod dissolvi possit a puero in Logica initiato , ubi docetur prædicata communia , ut sic , & ut simpliciter supponunt , præscindere a differentiis contrahentibus , & neutrum esse formaliter ; utrumque permissive ; ita substantia ; ut sic , nec corporea , neque incorporea est , animal nec rationale , nec irrationale , sed abstrahit ab utroque , sic in proposito , realitas communis entis nec creata , nec increata est , nec participata , nec imparticipata formaliter loquendo , utrumque permissive .

Sed cogimur dicere , & certe non absque rubore Conscotistas nostros energiam argumenti hactenus non penetrare , cum tamen eodem prorsus argumento utatur Scotus ipse 1. dist. 8. quæst. 3. dum probat ex ratione necesse esse conceptum entis communem Deo , & creaturæ esse non posse genericum , quia tunc vel intentio , seu *conceptus istius* generis erit ex se necesse esse , vel non necesse esse ; si primum , ergo non erit potentialis ad differentiam, quia necessitas potentialitatem excludit ; si secundum , ergo quod est necesse esse , esset constitutum ex eo , quod non est necesse esse ; ita arguit Doctor : quod plane argumentum nullum est , si allata solutio est sufficiens : quia tunc statim occurretur dicendo realitatem illam entis nec esse necesse esse formaliter , nec non necesse esse , sed utrumque permissive , necessariam scilicet in Deo , contingentem in creatura . Verum ex dictis supra numer. 42. & 44. liquet conspicue argumenti efficaci , quæ certe nullo pacto difficultari potest ; nihil enim concipi potest in Deo a parte rei existens , quod sit extra esse increatum , & imparticipatum , positive , vel negative , nec aliquid in creatura , quod sit extra esse creatum , & participatum , ergo dari nequit a parte rei realitas communis illis per indifferentiam , vel per inexistentiam , quæ abstrahat ab illis rationibus , sed tantum communis conceptus immediate abstractus a realitatibus Dei , & creaturæ inadæquate cognitis ; Probatur assumptum multipliciter , quia etiam ipsamet ratio entis , quæ in Deo est essentialiter divinas habet proprietates , ut esse infinitam , independentem , & increatam , & non tantum identice , ut responderi solet , sed etiam formaliter est de se infinita , ut ratio entis præcise , ait enim Doctor 1. dist. 8. quæst. 3. K. quod quæcunque realitas essentialis in Deo quantumcumque præcise sumpta est realiter *infinita* , & *idem habet 2. dist. 3. quæst. 6.* L. qua ratione excludit ibi omnem compositionem a divinis . Confir. quia creatura nedum participat a Deo tale esse , sed etiam participat esse ens , & secundum ipsam rationem entis producitur a Deo , ergo illud ens , seu ratio illa entis præcise sumpta , ratione cujus creatura est aliquid , est realitas participata . Probatur assumptum ex Auctore de causis proportione quarta , ubi loquens de illa ipsa realitate , qua creatura est ens , ait quod *prima rerum creatura est esse* , quam propositionem admittit quoque Doctor 4. dist. 1. quæstion. 1. §. *Sed istæ rationes* , concedit , inquam, ibi , creaturam esse creationis terminum , nedum secundum esse hujusmodi , seu tale , sed secundum esse simpliciter , sicut ergo realitas entis , ut sic , in Deo reperta est *formaliter infinita* , *imparticipata* , independens , ita e contra realitas entis , ut sic , in creatura reperta est formaliter participata , creata , dependens, falsum est ergo, quod ut sic præscindat ab esse creato , & increato , participato , & imparticipato .

78 Confir. 2. eadem confutatio , quia totum id , quod est in creatura intrinsece est finitum , participatum , & communicatum , & ratio participati , & communicati dicitur de tota creatura , non solum categoreматice , sed etiam syncategoreматice sumpta , ideo est secundum omnem ejus formalitatem , etiam quoad supremam , & infimam , siquidem creatura secundum omnem suam formalitatem , sive communem , sive particularem est aliquid participatum , quia nulla *prorsus illarum formalitatum assignari potest* , quam a Deo non habeat , & præcipue illa , secundum quam est aliquid , si enim secundum illam rationem formalem , ex vi cujus constituitur formaliter in esse reali , non esset quid participatum , jam creatura ex se esset realis ; ergo creatura etiam secundum supremam entis formalitatem in ipso repertam , est creata , & participata , adeout ratio creati , & participati adæquet totum esse creaturæ sive categoreматice , sive syncategoreматice sumptum . Confir. 3. quia implicat concipere aliquid in creatura , quod non sit ei communicatum a Deo , nam creatura etiam secundum primam rationem entis , qua constituitur , ut sit aliquid , est quid participatum , cum enim recipit esse a Deo , nedum recipit tale esse , sed eitam esse , ut sic , ut ajebat Doctor citat. 4. dist. 1. quæstion. 1. itaut simul cum aliis rationibus etiam secundum rationem entis communissime sumptam terminet productionem ; ergo si concipiatur creatura etiam secundum rationem communissimam entis , quam participat , debet concipi , ut aliquid participatum , quia esse participatum intrinsece involvitur in ratione entis , quod convenit creaturæ , sicut e contra esse imparticipatum , & independens intrinsece involvitur in ratione entis , quod convenit Deo . Confir. tandem evidentissime realitatem entis , si a parte rei in creatura reperitur præcisa a realitatibus minus communibus , non posse præscindere a creato , & participato , nam sumo hanc realitatem , ut a cæteris præcisam in homine , verb. grat. & peto secundum quam rationem primo , & per se ideo adæquate competat ei esse causatum , dependens , & participatum ; si dicas secundum humanitatem , vel *animalitatem* , vel *corporeitatem* , vel *substantiam* , *hoc* statim reiicitur, quia tunc accidens non esset ens dependens , & participatum , quia non haberet rationem secum per se primo trahentem dependentiam , & *participationem* , ergo prima , & adæquata ratio fundans dependentiam , & participationem est ipsissima ratio entis, ut sic , quæ convenit creaturæ .

79 Hæc argumenta sunt adeo evidentia , ut quilibet sanæ mentis convictus manere debeat , & fateri rationem entis , ut sic , quæ convenit Deo non præscindere ab increato , & imparticipato , & quæ convenit creaturæ , non præscindere a creato , & participato , sed solum conceptum entis immediate abstractum a realitatibus Dei , & creaturæ , ita præscindere , quia hic conceptus determinate nec Deo convenit , nec creaturæ , sed indifferenter se habet ad utrumque . Neque instantia de animali præscindente a rationali , & *irrationali toties* inculcata ab Adversariis facit ad rem , quia ut adnotavimus numer. 44. valde dispar est a casu nostro , nam rationale , & irrationale sunt infimæ differentiæ specificæ , non supremæ , a quibus *proinde* præscindere potest aliqua realitas a parte rei existens , unde in homine assignari potest realitas, quæ formaliter inspecta , & secundum se spectata nec sit rationalis , nec irrationalis , sed materialiter tantum , & identice ; at non ita assignari potest realitas aliqua in ipso a parte rei existens , quæ non sit dependens , & participata , quia quicquid realitatis habet , totum est ei a Deo communicatum , & ideo cum isti modi dependentiæ , creationis , participationis , &c. sint universalissimi , communissimi , & supremi , nequit assignari realitas a parte rei in creatura existens , quæ sub eis non cadat . Quod adhuc amplius explicatur , quia animal ver. gr. licet præscindat a rationali , & irrationali , non tamen præscindit a corporeo , *substantia licet* præscindat a corporeo , & incorporeo , non tamen præscindit ab ente per se existente , rursus ens finitum licet præscindat a perfectate , & inhærentia , non tamen a finitate , & participatione ; ergo ens , quod convenit creaturæ , ut sic , secundum suam præcisam formalitatem , involvit finitatem , & participationem ,

nem, unde concludendum est non dari realitatem mentis a parte rei in Deo, & creatura, quæ formaliter præscindat a creato, & increato, participato, & imparticipato, sed solum conceptum inadæquatum entis abstractum per opus intellectus modo paulo infra explicando, & ex hac doctrina solvitur instantia, qua conatur Arriag. disp. 11. Log. num. 7. ostendere præfatum argumentum non impugnare specialius realitatem entis, quam animalis, & aliarum naturarum prædicamentalium.

80 Quarto Deus secundum omnes rationes, & formalitates, quæ sunt a parte rei in ipso, est essentialiter singularis, ergo etiam realitas entitatis, ut sic, reperta in Deo a parte rei erit de se hæc, & singularis, non communis; Consequentia patet, probatur assumptum, tum ex Scoto 1. d. 3. q. 1. in fine, & d. 8. q. 3. Bb. ubi ait, quod ens, ut convenit Deo, est ipsum esse infinitum, & non aliquid, cui tantum convenit ipsum esse, & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum, per quod Scoticum dictum mirabiliter confirmatur argumentum præcedens; tum ratione, quia sicut in creatis unaquæque res est singularis secundum omnes suas rationes per individuationem superadditam naturæ, ita Deus per singularitatem sibi essentialem, & non superadditam, est secundum omnes formalitates suas singularissimus, ita quod unicuique formalitati singularitas sit essentialis. Respondent Adversarii Scotistæ negando majorem, ut universaliter veram, quia in Deo sunt quædam rationes creaturæ incommunicabiles, ut immensitas, æternitas, infinitas, & unaquæque istarum utique est de se hæc; quædam vero sunt creaturis quoque communicabiles, ut entitas, sapientia, bonitas, &c. & nulla istarum est de se hæc, alioquin communicabiles non forent. Hæc solutio jam explosa est supra num. 45. utpote quæ manifestam admittit compositionem in Deo, quia admittit realitatem de se communem, & contrahibilem, & aliam contrahentem, per quam singularizetur, unde se haberent per modum actus, & potentiæ, quod sufficit ad compositionem. Tum quia admittit aliquam realitatem in Deo, quæ quantum est de se, posset non esse Deus; Probatur consequentia; quia si ratio, verbi gratia, entis a parte rei præscindit a singularitate Dei, & non est de se hæc, realitas illa, quæ ponitur in Deo, jam haberet ex natura sua, quod posset esse cum singularitate creaturæ, & sic posset esse creatura, & non Deus, ratio enim, quæ abstrahit a pluribus singularitatibus, ita quantum est de se, potest esse cum una, ut possit etiam esse cum alia. Conf. exemplo animalitatis, quia enim in homine non est de se hæc, sed per aliam realitatem contrahitur, & individuatur, vel specificatur; ideo quantum est de se, potest esse in bruto, ratione intrinsecæ indifferentiæ, & communitatis, quam semper retinet; ergo pariter idem dicendum de realitate entis in Deo, si in eo ponitur distincta, & ex natura rei præcisa a cæteris realitatibus. Dum vero quædam divinæ perfectiones dicuntur creaturis communicabiles, ut loc. cit. diximus, sane non ita vocantur, quia eadem perfectio secundum rem, quæ in Deo reperitur, possit creaturæ communicari; sed quædam dicuntur communicabiles, quia ob quandam virtualem, & veluti inchoatam similitudinem, quam habent cum perfectionibus in creatura repertis, posunt invicem communicare in conceptu transcendentali formato ab intellectu nostro, ens inadæquate concipiente.

81 Quinto ulterius ostenditur, quo pacto negata communi realitate entis Deo, & creaturæ, adhuc convenire queant in communi conceptu entis inadæquato, res enim aliqua potest intelligi confuse, & indistincte in signo quodam communi ex duplici capite; vel quia realitatem quandam ex natura rei communem cum alia habet, unde cum illa adæquate, & distincte concipitur, statim inferiora illam includentia dicuntur concipi confuse, & indistincte; & in hoc sensu res concipi dicuntur confuse, & indistincte, quando attinguntur secundum gradus communes prædicamentales, quia isti fundantur in naturis a parte rei communibus, sive per inexistentiam, sive per indifferentiam, ut explicabimus disp. Alio modo dici potest res aliqua concipi confuse, & indistincte, quia inadæquate concipitur ob aliqualem convenientiam, & veluti inchoatam similitudinem, quam habet cum alia re, & in hoc sensu res concipi dicuntur, quando attinguntur secundum gradus transcendentales, quia isti non fundantur in una natura communi reperta a parte rei in Deo, & creatura, sed super quandam virtualem, & inchoatam similitudinem, quæ reperitur inter ipsa; quod exemplo declarari potest; nam cum indistincte concipio hominem, & equum in esse animalis, opus est, tunc eadem conceptione realitatem ipsam animalis eis communem distincte, & adæquate cognoscere; cum vero res indistincte concipitur, quia inadæquato conceptu intelligitur supposito aliquo fundamento similitudinis, & convenientiæ, tunc opus non est, realitatem aliquam distincte, & adæquate concipi, & talis est conceptio Dei, & creaturæ in conceptis transcendentibus.

82 Respondent Scotistæ adversarii negando secundum modum concipiendi confuse, & indistincte, & ajunt res non concipi confuse, nisi quando attinguntur conceptu fundato in natura aliqua communi ab illis participata, qui est primus modus confuse concipiendi. Sed contra argumentor, ostendendo dari quoque conceptum confusum secundo modo, non solum in schola Thomistarum, qui nec aliter, nec alio modo eum admittunt, sed etiam in schola Scotistarum: quamvis enim res una, sive realitas a parte rei pluribus conceptibus adæquatis exprimi nequeat, tamen pluribus inadæquatis, vel uno adæquato, & reliquis inadæquatis bene exprimi potest, & hæc doctrina præterquam quod est Scoti 1. dist. 2. quæst. 1. lit. I. ubi dicit, quod ab eo, quod ex se singulare est, abstrahi potest conceptus proprius rem adæquate repræsentans, sicuti est, & conceptus quidam confusus indistincte illud repræsentans, licet quicquid est ibi in re, sit singulare ex se in existendo, ita quod nihil contrahat ibi illud ad singularitatem, & 1. dist. 8. quæst. 3. lit. Aa. ubi ait, quod in objecto, ubi intellectus intuens distincte non format plures conceptus, potest idem intellectus abstractive cognoscens propter imperfectionem conceptum plures formare, Probatur etiam ratione, quia realitas una, quæ cum alia habet convenientiam aliquam in re saltem inchoatam, habet etiam, ut ab intellectu inadæquate concipiente possit in signo quodam communi concipi, ea enim qualiscunque similitudo sufficiens ratio est apud intellectum inadæquate concipientem, ut ab eis sic similibus abstrahere possit rationem unam communem, in qua ea sic similia secundum illam rationem indistincte concipiat, licet ergo Deus, & creatura in nulla realitate communi actualiter conveniant, tamen quia habent quandam convenientiam, & similitudinem fundamentalem, seu virtualem, ut inferius declarabitur, ideo potest intellectus inadæquate concipiens abstrahere ab illis aliquam rationem communem, in qua inadæquate concipiantur. Demum hoc ipsum declaratur exemplo, quia cum sint tres relationes in divinis tres personas constituentes, & in nulla communi realitate convenientes, ut docet Doctor 1. dist. 26. quæst. un. Y. adhuc tamen apud intellectum inadæquate eas concipientem propter eundem modum se habendi unica intellectione confusa concipi possunt, & sub unica ratione repræsentari subsistendi incommunicabiliter, sic etiam 1. dist. 3. quæst. 3. docet ultimas differentias esse primo diversas, & in nulla prorsus realitate convenientes, & tamen dist. 23. quæst. un. in fine concedit ab intellectu inadæquate concipiente abstrahi posse communem conceptum, quatenus sunt similitia in modo faciendi ultimo differre, ut quoque nos docuimus disp. 5. Log. q. 2. art. 4. & tenet Smisinch. de Deo Uno tract. 1. disputat. 2. num. 64. sicut ergo ultimæ differentiæ non obstante prima earum diversitate in quacunque realitate, adhuc tamen convenire possunt in conceptu ab eis immediate abstracto ab intellectu inadæquate concipiente, ita in proposito non obstante prima diversitate Dei, & creaturæ possunt convenire in conceptu inadæquato entis ab eis immediate abstracto.

Respondent hujusmodi conceptum non fore realem, si ei a parte rei non correspondet realitas communis, in qua fundetur, sed mere rationis, utpote per intellectum præcise fabricatum. Sed postea constabit in solutione rationum in oppositum, quo pacto conceptus entis possit dici realis, & rationis, & quomodo hoc non obstante potius dici debet conceptus realis.

Satisfit Objectionibus.

83 PRimo obiicitur ex Ant. And. & Canon. Illud, quod supponitur omni actui intellectus dicit unam realitatem ex natura rei extra intellectum, sed ens secundum proprium conceptum præsupponitur omni actui intellectus, cum sit ejus adæquatum objectum, & primum; ergo habet suam realitatem præcisam extra intellectum ex natura rei. Tum 2. quia si talis realitas ei non correspondet, conceptus entis non esset realis, sed rationis, quia nihil exprimeret in re, & esset præcise fabricatus per opus intellectus. Tum 3. quia intellectus intelligens ens commune Deo, & creaturæ, aut est verus, aut falsus; si verus, ut dici debet, ergo oportet esse ex parte rei aliquid realiter eis commune, tunc enim intellectus est verus, quando intelligit, sicut se habet in re ex 9. Met. cap. ult. Tum 4. Quia aliter universalitas entis esset quoddam fictitium, & chimera, nisi intellectus a parte rei cogeretur ad sic abstrahendum unum aliquod commune, unde oportet, quod omni unitati alicujus veri conceptus correspondeat aliqua unitas ex natura rei. Tum demum, quia alioquin ens non esset de quidditate Dei, & creaturæ, nec de illis prædicaretur in quid; Prob. consequentia, quia nec Deus, nec creatura in suis conceptibus dependent a nostro intellectu, neque ens rationis prædicatur essentialiter, & in quid de ente reali.

84 Respond. negando minorem, non enim conceptus entis præsupponitur omni actui abstractivo intellectus, ad probationem dicimus, illam primitatem non esse originis, cui utique repugnaret talem rationem abstractam esse per opus intellectus, sed est primitas adæquationis, cui non repugnat talem rationem sic communem abstractam esse; tum quia ut diximus, disputat. 6. de Anim. quæst. 6. artic. 1. numer. 144. cum ens reale statuitur objectum adæquatum intellectus nostri ex natura potentiæ, sumi non debet, ut supponit simpliciter, nimirum pro illo conceptu abstracto entis, ut sic, sed ut supponit absolute tam pro ratione generali entis, quam pro specificis, & individualibus particularium entium, secundum quas rationes certe præcedit omnem actum intellectus. Ad 2. ait Tromb. 4. Met. quæst. 2. ad 1. prin. conceptum objectivum entis, quamvis non ei correspondeat realitas adæquata a parte rei, esse realem, & non rationis, qui habet esse repræsentatum antea omnem actum intelligendi in aliqua specie intelligibili abstracta ab intellectu agente a realitatibus Dei, & creaturæ, quæ easdem realitates inadæquate repræsentat, quæ doctrina sumitur ex Scot. 1. dist. 3. quæst. 2. F. ubi dicit, quod res sensibiles possunt producere speciem minus universalis, magis universalis, & transcendentis; quam solutionem adhuc magis explicat tract. formalit. p. 2. art. 2. in declaratione quid sit formalitas, ubi ita declarat, quo pacto conceptus entis sit realis, his verbis; si ratio conceptibilis entis, ut est indifferens ad Deum, & creaturam, habet aliquam unitatem ex natura rei, illa non est extra intellectum omnino, sed solum competit enti per actum intellectus abstrahentis talem rationem a suis inferioribus, quæ ratio cum prius abstrahatur ab intellectu agente per aliquod repræsentativum ipsius, quam intelligatur ab intellectu possibili, habet unitatem aliquam ex natura rei, quia ante actum intelligendi, sed tamen non extra intellectum omnino, quia habet esse talis ratio in intellectu objective, & repræsentative; ita Tromb. loc. cit. Licherus vero supracit. ait conceptum entis esse realem, non quia fundetur in aliqua natura communi Deo, & creaturæ, sed quia vere abstrahitur ab intellectu, a realitatibus Dei, & creaturæ cum fundamento in re. Vigerius tandem, & Vallon. concedunt hujusmodi conceptum posse dici realem, & rationis, rationis pro quanto est fabricatus ab intellectu abstrahendo; realis quatenus non est ens rationis, & præcedit omnem actum collativum intellectus. Breviter tamen juxta dicta in Logica de ente rationis, & secundis intentionibus, conceptus entis debet dici realis, & primæ intentionis, non autem rationis, & secundæ intentionis; non potest dici rationis, quia per conceptum entis res exprimuntur, sicut sunt a parte rei, licet inadæquate, & confuse, non autem ut comparantur in aliquo attributo rationis; nec secundæ intentionis, quia præcedit omnem actum collativum intellectus; conceptus vero rationis, & secundæ intentionis fit per actum collativum, & exprimit res, non in suo ordine, & ut sunt a parte rei, sed extra suum ordinem, & ut comparantur in aliquo attributo rationis, eo modo quo explicavimus disput. 3. Log. quæstione 8. art. 1. adhuc magis explicabitur infra disputation. 4. numer. 6.

85 Ad 3. Intellectus intelligens ens commune Deo, & creaturæ, est verus, quia esto conceptui entis non correspondeat a parte rei realitas una adæquate concepta, in qua fundetur, correspondet nihilominus convenientia quædam fundamentalis, & similitudo virtualis mox explicanda, quæ sufficit ad veritatem, unde ad argumentum negatur consequentia. Ad 4. patet per idem, quomodo universalitas entis non est fictitia, & chimærica, quia habet fundamentum aliquod a parte rei sufficiens ad universalitatem transcendentalem. Sed dices ex Scoto 2. dist. 3. quæstion. 7. ab initio lit. A. universalitatem fundari supra communitatem naturæ. ergo ubi hæc non reperitur, fundari nequit universalitas. Resp. Doctorem ibi, ut dicemus artic. sequent. loqui de universalitate prædicamentali, quæ utique pro fundamento exigit realitatem, & naturam pluribus communicabilem, non autem de transcendentali, ad quam pro fundamento sufficit virtualis convenientia, & inchoata (ut ita dicam) similitudo plurium adinvicem. Urgebis iterum cum Fabro, quia tunc universalia realia, de quibus est Physica, & Metaphysica, non differrent ab universalibus rationis, & logicis, de quibus agit Logica, quia etiam, & ista habent aliquale fundamentum in re, & sic Physica, & Metaphysica non essent magis scientiæ reales, quam Logica; potius ergo in hoc differunt universalia realia ab universalibus logicis, quod illa fundantur super unitatem alicujus naturæ communis pluribus, non ista. Respond. universalia realia differre ab universalibus logicis, non ex capite assignato a Fabro, quia etiam universalia Logica v. g. genus, & species fundantur supra unitatem alicujus naturæ communis; sed quia universalia Logica important secundas intentiones, quibus explicantur res extra suum ordinem in aliquo attributo rationis, ubi per universalia, realia, sive prædicamentalia, sive transcendentia, explicantur in suo ordine, & ut sunt a parte rei, & ideo Metaphysica, quæ agit de ente, & aliis transcendentibus est scientia realis. Ad ult. conceptus entis dicitur quidditativus, non quia præferat aliquam realitatem a parte rei communem Deo, & creaturæ, sed quatenus necessario involvitur in conceptu quidditativo, quem nos habemus de Deo, & creatura, unde dicitur de quidditate, ut ait Vallon. conceptibiliter; dicitur etiam quidditativus, ut notat Licher. quia a pura quidditate Dei, & creaturæ natus est abstrahi seclusis omnibus, quæ sunt extra quidditatem ipsorum.

86 Secundo obiicitur, & est præcipuum oppositæ sententi. fundamentum, quod adducitur ab Ant. Andreol. Impossibile est aliqua plura secundum unam, & eandem rationem omnino simul convenire, & differre, & ratio hujus est, quia ex 5. Metaph. similitudo, & convenientia fundantur super unitatem, distinctio, & diversitas super multitudinem, sed Deus, & creatura realiter conveniunt in ratione entis, realiter etiam differunt rationibus propriis Dei, & creaturæ; ergo si ratio entis a parte rei nullo modo differt a Deo, & creatura, sequitur, Deum, & creaturam secundum eandem rationem, ac entitatem simul convenire, & differre.

Respond. Suarez cit. plura posse inter se convenire, & differre secundum eandem rationem, dummodo distinctio, & convenientia eorum sint diversorum ordinum, puta si convenientia sit rationis tantum, & diversitas realis, cujus rei rationem

reddit, quia si distinctio, & convenientia sunt diversorum ordinum, fundari possunt in eodem, quia una non involvit negationem alterius, immo quodammodo illam requirit, ita vero est in præsenti, nam distinctio est realis, convenientia autem secundum rationem tantum, & idcirco minime repugnat, ut duo simplicia, quæ secundum rem sunt realiter primo diversa, secundum rationem habeant unitatem fundatam in reali similitudine, vel convenientia, quam inter se habent. Contra hoc est, quod convenientia Dei, & creaturæ, quoad esse non est tantum rationis, sed vera, & realis, ut fatetur ipsemet Suarez in ultimis verbis allatæ solutionis sibi fere in eadem periodo contradicens, idque probatur ex eodem Ant. And. evidenti ratione; Circumscripto omni intellectu Deus, & creatura habent aliquam convenientiam, quia plus conveniunt, quam ens, & nihil; ergo illa convenientia est realis, & consequenter fundamentum istius convenientiæ debet esse reale, nempe realis unitas alicujus naturæ communis, quæ conceptui entis correspondeat.

87 Itaque pro exacta argumenti solutione dicimus, nullum esse inconveniens primo diversa in realitate, convenire in conceptu, ut sæpius docet Doctor, & ita est in præsenti, nam Deus, & Creatura ob infinitam eorum distantiam sunt primo diversa in realitate, adhuc tamen conveniunt in conceptu entis, & verum est unitatem hujus conceptus habere fundamentum reale, nempe realem convenientiam Dei, & creaturæ in ratione essendi, nam, ut diximus, hæc realis similitudo est fundamentum, unde intellectus abstrahit communem conceptum entis; sed hic maxime advertendum, quod docet Tromb. 4. Metaph. qu. 2. ad 2. prin. similitudinem hanc realem inter Deum, & creaturam in ratione essendi ante abstractionem conceptus entis non esse actualem, & positivam, quæ præferat relationem realem, quia, ut optime probat argumentum Ant. And. tunc necesse esset Deo, & creaturæ inesse realitatem unam communem, super cujus unitatem relatio illa fundaretur; sed adest tantum, ait Tromb. convenientia fundamentalis, & aptitudinalis, quæ convenientia præsupponit fundamentum in aptitudine, & non in actu; & talis convenientia fundamentalis est, quod quodlibet istorum natum est causare conceptum communem ambobus, quoad rationem essendi apud intellectum inadæquate concipientem, quare ad argumentum principale dicendum est, nullum esse inconveniens aliqua plura secundum unam, & eandem rationem simul convenire, & differre, dummodo id eodem modo non contingat, hoc enim solum sufficit ad contradictionem tollendam, quæ debet esse de eodem, secundum idem, & eodem modo; sic igitur in proposito Deus, & creatura secundum idem a parte rei conveniunt, & differunt, sed non eodem modo, nam differunt actualiter, conveniunt virtualiter, & aptitudinaliter, quod non contradicit, sicut nulla est contradictio, Solem secundum eandem formam esse calidum, & non calidum, calidum quidem virtualiter, non calidum actualiter.

88 Sed dices per hanc solutionem penitus enervari principale fundamentum, quo Scotus admittit naturas communes a parte rei 2. dist. 3. quæst. 1. nam præcipue fundatur in hac contradictione, quod homo a parte re convenit cum asino, & equo, ut animal est, differt ab ipsis, ut rationalis est, ergo istæ sunt diversæ formalitates ex natura rei, quia secundum eandem penitus rationem convenientia, & dissimilitudo inter aliqua duo contingere non potest. Respond. negando consequentiam; quia in ea ratione Doctor loquitur de similitudine reali, actuali, & positiva, qualis est illa, quæ versatur inter individua ejusdem speciei, & inter hominem, & equum in ratione sentiendi, talis autem non est similitudo, quæ inter Deum, & creaturam invenitur in ratione entis, quia ut dictum est, est virtualis tantum, & fundamentalis. Dices, quare similitudo inter Deum, & creaturam in ratione essendi non est actualis, & positiva, bene tamen inter equum, & hominem in ratione sentiendi, cum tamen nullo operante intellectu, eodem modo convenire videantur Deus, & creatura in ratione essendi, ac bos, & homo in ratione sentiendi, plane hoc prorsus videtur voluntarie dictum. Respond. non esse voluntarie dictum, sed fatis rationabiliter, quia nimirum species, & individua non sunt primo diversa, sed aliquid idem, entia ideo in aliquo realiter convenientia, & ideo fundant similitudinem positivam adinvicem; at Deus & creatura sunt inter se primo diversa in realitate, ut apud omnes est in confesso, & ideo fundare nequeunt realem, actualem, & positivam similitudinem, sed tantum virtualem, & fundamentalem, ratione cujus ambo causare possunt conceptum communem entis apud intellectum inadæquate concipientem; Tum quia nulli dubium est magis distare sine ulla proportione Deum, & creaturam, ab invicem, quam duas species, vel duo individua sub eadem specie, & ideo mirum non est, si hæc aliquam actualem positivam similitudinem fundare possunt, non illa. Dices rursus, cur igitur a Deo, & creatura non obstante hac prima diversitate in re, & realitate, potest abstrahi conceptus communis quidditativus, & non a differentiis ultimis. Resp. quidem hoc ideo esse, quia inter Deum, & creaturam reperitur aliqua convenientia, & similitudo saltem fundamentalis in ratione essendi, non ita inter ultimas differentias; Sed sane non video cur etiam ultimæ differentiæ dici nequeant similes saltem fundamentaliter in ratione faciendi differre, cum omnes eodem modo differre faciant scilicet ultimo, & ideo probabile censemus etiam ab ipsis inadæquate

conceptis abstrahi posse, si non conceptum enti, quia ipsum non includunt, saltem conceptum *ultimæ differentiæ*, & hæc ætatis, quidditative, ut sic, ut supra dicebamus n. 82. de quo inferius q.

89 Sed contra hanc *responsionem* urgent duo argumenta, quæ facit Meurisс. esto hanc solutionem non adducat in terminis. Quandocumque aliqua plura simul conveniunt, & differunt, *quantumvis imperfecte* conveniant, & perfecte differant, ab eodem tamen præcise, & formaliter non habent, unde conveniant, a quo habent, quod differant, ergo quantumvis imperfecte Deus, & creatura conveniant, & perfecte differant, ab eo tamen formaliter non habent, unde conveniant, a quo habent, quod differant. Prob. assumptum, brutum enim & planta imperfecte conveniunt, & perfecte differunt; constat tamen non ab eodem formaliter habere quod imperfecte conveniant, a quo habent, quod perfecte differant, nam a gradu viventis habent, quod imperfecte conveniant, & a gradibus sentientis, & non sentientis, quod perfecte differant. Confirm. quia ex eo tantum Deus, & creatura, & alia inferiora entis dicuntur in ente convenire imperfecte, quia habet conceptus entis unitatem *omnium minimam*, sed unitas, quantumvis imperfecta, numquam est fundamentum proximum differentiæ, sed numerus ex Aristot. 5. Metaph. 20. ergo ab eo non habent aliqua præcise, quod conveniant etiam imperfecte, a quo habent, quod differant.

Resp. si per imperfectam convenientiam, & perfectam differentiam intelligatur convenientia actualis in genere remoto, & diversitas in proximo, ut insinuari videtur in exemplo adducto de convenientia, & differentia bruti, & plantæ, conceditur assumptum cum ejus probatione, quia perfectio, & imperfectio respiciunt eundem ordinem convenientiæ actualis, & differentiæ actualis, unde cum contradictio verificetur a parte rei actualiter, opus est assignare diversa quoque ex natura rei fundamenta *convenientiæ actualis*, & *differentiæ actualis*; at si per imperfectam convenientiam, & perfectam differentiam intelligatur convenientia virtualis, & differentia actualis, sicut hic nos loquimur, negatur assumptum, ad cujus probationem in hoc sensu non facit exemplum allatum, quandoquidem tam convenientia, quam differentia inter brutum, & plantam ambæ sunt actuales, esto convenientia sit imperfecta, scilicet in genere remoto, & differentia perfecta, scilicet in genere proximo. Ad Conf. neque nos dicimus diversitatem Dei, & creaturæ fundari super unitatem imperfectam, & fundamentalem entis, sed super multitudinem rationum propriarum utriusque, super unitatem vero fundatur convenientia, & similitudo, quæ imperfecta est, & solum virtualis, qualis est illa unitas.

90 Tertio afferri solet non minus evidens, quam molestum argumentum: Deus non est ex eo Deus, quo ens; ergo ratio entis, & Deitatis distinguuntur ex natura rei. Consequentia clara est, quia distinctio ex natura rei convenienter colligitur ex effectibus formalibus, seu constitutis distinctis, cum ergo aliud constituatur per rationem Deitatis, & aliud per rationem entis, necesse erit, ut rationes illæ habeant a parte rei aliquam distinctionem; Probatur assumptum, quia cum Deus, & creatura in ratione entis conveniant, sequeretur Deum in ratione Deitatis cum creatura in ratione creaturæ convenire, & e contra. Confirm. ratio entis potest inveniri in eo, in quo non est ratio Dei, scilicet in creatura, ergo ex natura rei a propriis eorum rationibus est præcisa; sequela patet, quia ad distinctionem ex natura rei sufficit iste modus separationis, scilicet quod alicubi una ratio possit inveniri sine alia, si enim penitus eadem esset ratio, ubi una, & altera quoque ratio inveniretur, qua ratione utitur Ponc. citat. disput. 18. num. 11. solent etiam hæc argumenta formari de ente respectu substantiæ, & accidentis, immo ita illa efformat Suarez citat. cæterum solum respectu Dei, & creaturæ efformavimus illa, quia gratis concedimus respectu substantiæ, & accidentis conceptum entis esse ex natura rei præcisum, quia conceptus immediate communis illis non est conceptus entis transcendentis, sed entis finiti ex dictis num. 67.

91 Respondetur negando absolute assumptum, si sermo sit de eo, quod a parte rei contingit, in hoc enim sensu, eo omnino Deus est ens, quo substantia, ut notat Vulpes tom. 1. par. 1. disputat. 6. art. ultim. num. 5. & ratio est, quia eadem realitas correspondet conceptui Dei, & entis a parte rei, & cum dicebatur, hinc sequi Deum in ratione Deitatis cum creatura in ratione creaturæ convenire, & e contra, quia conveniunt in ratione entis; negatur, quia ut dicebamus ad argumentum præcedens, Deus, & creatura non conveniunt actualiter in ratione entis, sed tantum virtualiter, & fundamentaliter, cum non una, sed *plures* conceptui entis correspondeant a parte rei realitates, alia siquidem Deus est ens, & alia creatura, si vero sermo sit de eo, quod contingit ex parte intellectus concipientis inadæquate, sic verum est, Deum non dici Deum, & substantiam ab eadem omnino ratione conceptibili, a qua dicitur ens, sed tunc negatur conseq. quæ cum probatur, quia distinctio ex natura rei sufficienter colligitur ex effectibus formalibus, seu constitutis distinctis, dico, hanc regulam esse veram, quando rationes illæ conceptibiles, quibus aliud & aliud constituitur, sunt rationes conceptibiles adæquate, desest adæquate exprimentes diversas realitates a parte rei; quod si una illarum fuerit inadæquata, regula fallit, & ita est in proposito: Dices, si Deus a parte rei eodem penitus est Deus, quo ens; ergo a parte rei quod ei convenit, vel repugnat sub una ratione, conveniet etiam, vel repugnabit sub alia, quod tamen est falsum, nam Deo repugnat finitas ex ratione propria Deitatis, quæ tamen non repugnat ex ratione entitatis, quia si repugnaret, *ex ratione formali entis*, ut *ens* est, repugnaret omni enti, & consequenter etiam creaturæ, & hæcquidem instantia evidenter convincere videtur præcisionem ex natura rei conceptus entis ab inferioribus. Resp. hanc esse vim reduplicationis, ut faciat solum, & præcise illam rationem considerari supra quam cadit separando illam ab aliis, adeout, vel supponit rationem, supra quam cadit, ex natura rei præcisam ab aliis, vel saltem *medio* actu intellectus facit talem præcisionem; unde via reduplicationis utilis quidem est ad concludendam unitatem conceptus alicujus, & perfectam præcisionem *ejus* ab aliis, & sic ea usi sumus in superioribus ad concludendam unitatem, & perfectam præcisionem conceptus entis; at non juvat ad concludendam præcisionem ex natura rei, nisi inquantum interdum ei supponitur in rationibus, super quas cadit reduplicatio; cum igitur argumentum procedat de ente prout est a parte rei in inferioribus, male opponitur ei reduplicatio in tali statu, quia in transcendentibus statim ac adhibetur reduplicatio, devenimus ad rationes objective præcisas, non vero prout sunt a parte rei, nam reduplicatio in serie transcendentium fit tantum in ordine ad nostros conceptus inadæquatos, in serie vero prædicamentali fit *in ordine ad conceptus* adæquatos, quibus distinctæ realitates correspondent a parte rei, ideoque ex ipsa inferri potest distinctio ex natura rei inter rationes *super quas cadit*; quare ad argumentum negatur consequentia, quia fit reduplicatio supra rationem entis, ac si præcisa esset ex natura rei; unde argumentum petendo occulte principium supponit, quod probare deberet; eo enim ipso, quod assumit prædicata quædam repugnare Deo a parte rei sub ratione Deitatis, quæ non repugnant sub ratione entis, jam supponit rationem entis a parte rei præcisam a ratione Deitatis, de quo controvertitur, & hæc doctrina est valde notanda ad evitandas fallacias, quæ contingere possunt arguendo via reduplicationis in conceptibus prædicamentalibus, & transcendentibus; videtur enim eadem, & eodem modo concludere, cum tamen sit longe diversa.

92 Ad Conf. argumenti principalis dicimus forte plus probare, quam arguens intendat, nisi *enim recte intelligatur*, ex illo separationis modo rationum communium, & propriarum posset inferri inter illas nedum distinctio ex natura rei formalis, sed etiam realis, quia una inveniri potest, ubi non est alia, quæ separatio sufficiens inditium est realis distinctionis. Conceditur itaque assumptum, si sermo sit de rationibus ipsis objectivis, quia ratio entis includitur in ratione creaturæ objectiva, in qua non includitur ratio objectiva Dei, ut sic: sed negatur consequentia, & cum probatur, quia ad distinctionem ex natura rei sufficit iste separationis modus, dicimus quod utique sufficeret, si rationes illæ objectivæ essent adæquatæ, quia tunc singulis corresponderent singulæ realitates a parte rei, quæ fundare possent distinctionem formalem ex natura rei; at non est ita in proposito, quia ratio entis est inadæquata, utpote immediate abstracta a propriis realitatibus Dei, & creaturæ inadæquate conceptis; si vero sermo est de realitate, quæ enti correspondet a parte rei, tunc negatur assumptum, quia sicut enti non una correspondet realitas per ipsum adæquate importata, ut sæpe diximus, sed plures, sic realitas entis dicti de Deo nullo modo includitur in creatura, & e contra, unde potius colligitur indistinctio, & identitas ex natura rei. Immo in rigore loquendo, si etiam sermo sit de ratione ipsa objectiva entis, negandum est quod separetur a ratione propria Dei, & creaturæ, & ratio est, quia licet ens reperiatur, nedum in Deo, sed etiam in creatura; hoc minime infert separationem secundum esse formale unius rationis ab alia, sed solum quod ens a parte rei non sit idem cum solo Deo, aut cum sola creatura ob ejus amplitudinem, quia cum sit ratio communis excedens latitudinem Dei, & creaturæ, ita petit esse in Deo, & non distingui ab ipso ex natura rei, ut eodem modo petat esse in creatura cum eadem identitate; non ergo ex eo quod est in Deo, separatur a creatura, neque e contra, quia adhuc in ea perseverat ratione *suæ latitudinis*, & inadæquatæ identitatis, sicut ex eo quod anima rationalis est in pede inferre non valet, quod separetur a capite ratione suæ illimitationis, & virtualis divisibilitatis, & hoc modo servata proportione discurrendum est de aliis naturis communibus, quia enim animalitas non solum in homine reperitur, sed etiam in bove, non sequitur, quod ab homine separetur, quia non per hoc, quod est in bove, desinit esse in homine, quod ad separationem necessarium esset, sed solum sequitur, quod non sit idem cum solo homine, neque cum solo bove, sec cum omnibus animalibus adeout ejus unitas, & identitas sit illimitata, & inadæquata respectu singulorum.

93 Quarto arguit Meurisse, conceptus, qui ex natura sua pauciora dicit, quam alter, est ex natura rei præcisus, & distinctus ab eo, sed conceptus entis natura sua pauciora dicit, quam conceptus inferiorum, quia conceptus entis dicit solum gradum essendi, at gradus inferiorum addunt determinatum modum essendi, scilicet a se, vel ab alio, in se, vel in alio, ergo &c. si dicas conceptum entis hanc universalem repræsentationem non habere ex natura sua, sed solum ab intellectu inadæquate concipiente naturam aliquam, in qua separat, & distinguit gradum illum supremum a cæteris. Hoc ibi pluribus reiicit, quia talis solutio locum non habet in gradibus prædicamentalibus, ut ibi evidenter ostendit; tum

quia

quia ut inferius arguit confutando quandam responsionem Suarez esse creatum, vel esse substantiale plus dicit, quam esse simpliciter, quia hoc dicit conceptum simpliciter simplicem, & non ulterius resolubilem, illud vero dicit conceptum compositum ex esse, & determinato modo essendi. Tum 3. si esse ens creatum, & esse ens *simpliciter non* differunt nisi per intellectum, & sunt idem a parte rei; sicut ens simpliciter ex natura rei dicitur de Deo, ita quoque ens creatum. Tum 4. quia alioquin, ut arguebat Ant. And. prædicatio entis de Deo non esset prædicatio superioris de inferiori, sed ejusdem de se ipso. Tum denique quia ens ex natura sua est quid commune, & magis universale, quam quodlibet inferiorum, ergo ex natura sua diversum gradum constituit ab inferioribus.

94 Respondetur, ut ibi conceptum entis pauciora dicere ex vi intellectus abstrahentis, & inadæquate concipientis. Ad 1. impugnationem hujus solutionis ex gradibus prædicamentalibus desumptam negamus paritatem ob rationem sæpius adductam, quia *singulis* conceptus prædicamentalibus *correspondent* realitates propriæ per eos adæquate importatæ, & explicatæ, non autem conceptibus transcendentibus, Ad 2. concedimus esse *creatum*, vel *substantiale* plus dicere, quam esse simpliciter, vel negatur esse simpliciter distingui ex natura rei actualiter ab eo, quod addit esse divinum, vel esse creatum, itaut importet diversam realitatem per illud ex natura rei determinabilem, ut loquimur de gradibus prædicamentalibus. Ad tertium negatur consequentia, quia prædicatio in transcendentibus non fit per id, quod importatur a parte rei integre, & adæquate sumptum, sed per præcisiones objectivas factas ab intellectu inadæquate concipiente cum fundamento in re, & ideo non est prædicatio omnino ex natura rei secluso quocumque opere intellectus abstrahentis. Ad quartum negatur consequentia, ut enim fiat prædicatio superioris de inferiori, non semper opus est, quod superius importet realitatem a parte rei distinctam a gradu inferiori, sed sufficit interdum, quod eandem importet realitatem cum ipso minus adæquate conceptam, & explicatam, quo casu, ut notat Bargius 1. dist. 8. quæstion 3. ad primum principium idem imperfecte conceptum prædicatur de se ipso perfecte concepto, quod sufficit ad evitandam prædicationem identicam, ubi idem de se ipso prædicatur eodem modo conceptum, ut cum dicimus, homo est homo, Petrus est Petrus. Ad ult. gradus prædicamentales dicuntur natura sua communes, quia singuli singulas important naturas communes a parte rei, ita quod intellectus illos præscindendo, non plus præscindit, quam res se habeat a parte rei, & ideo rem dicitur concipere adæquate, & ex natura rei distinguuntur ab inferioribus; secus autem est de gradibus transcendentibus, quorum communitas non fundatur super naturas communes a parte rei importatas, sed in præcisionibus objectivis, factis ab intellectu res inadæquate concipiente, & ideo nequeunt omnino ex natura rei ab inferioribus distingui.

95 Quinto arguit idem Meurisse, & urget rationem Scoti, intellectus certus de uno, & dubius de duobus, habet conceptum illius objectivum distinctum a conceptibus istorum, sed intellectus potest esse certus de aliquo, quod est ens, dubitando an sit finitum, vel infinitum, ut superius probavimus, ergo conceptus entis, ut sic, est alius, & distinctus a conceptu illorum, & hoc quidem ex natura rei, quia *illud*, de quo intellectus est certus, natum est ex natura sua parere talem certitudinem, quemadmodum illa, de quibus est dubius, *parere* nata *sunt dubitationem*. Deinde conceptus entis est prior naturaliter conceptu Dei, & creaturæ, quia ille conceptus est naturaliter prior, a quo non convertitur subsistendi consequentia, ergo est alius, & distinctus, quia prius in suo priori non dependet a posteriori, nec quantum ad esse, nec quantum ad cognosci. Item inter conceptus quidditativos solus conceptus entis est simpliciter simplex; ergo est alius a quolibet inferiorum, quia impossibile est, eundem conceptum esse simpliciter simplicem, & non simpliciter simplicem. Demum arguunt alii, ratio entis eadem est in re, & quæ mente concipitur, alias intellectus fingeret rem conceptam, sed ratio entis in mente perfecte præscindit a Deo, & creatura, ergo ita est in re.

Respond. concedendo totum argumentum usque ad illud, quod ipse addit ex proprio penu, & hoc quidem ex natura rei &c. Doctor enim per illud argumentum solummodo probare *intendit* perfectam præcisionem conceptus entis a conceptibus inferiorum, non curando an ista præcisio sit omnino ex natura rei, vel potius aliquo modo completive ab intellectu, quia de hoc ibi non erat disputatio, sed de sola alietate conceptus entis, ad probationem vero illius consequentiæ, ut ab ipso proponitur, dicimus, certitudinem, & dubitationem, non solum ex parte objectorum pendere posse, sed tamen ex parte intellectus idem objectum prorsus a parte rei adæquate, vel inadæquate concipientis. Ad 2. conceptus entis est utique prior conceptu Dei, non tamen Deo ipso, immo est eo absolute posterior, ut cum Licher. diximus supra nu. 75. & illa non conversio in subsistendi consequentia non infert prioritatem realem, & in essendo, sed logicalem, & in prædicando, ut ibi diximus. Ad 3. per illud probatur tantum conceptum entis, esse perfecte præcisum a conceptibus inferiorum, non tamen esse præcisum ex natura rei, quia cum sola distinctione rationis ratiocinatæ optime salvatur unum conceptum esse simpliciter simplicem, & non alterum. Ad ult. negatur major,

nam rationi entis abstractæ, cum dicat conceptum inadæquatum, nulla una realitas propria, & adæquata correspondet, & ad probationem negatur sequela, adhuc *etiam* talis conceptio non est fictitia, quia ratio entis est abstracta a rebus habentibus convenientiam fundamentalem, quæ in casu est apud intellectum inadæquate concipientem, ut possit cum veritate abstrahere conceptum inadæquatum illis communem. Postremo, si ens aliquam realitatem non dicit, sed solum conceptum confusum, & inadæquatum, sequitur in intellectu divino univocationem entis non reperiri, cum nequeat aliquid confuse, & inadæquate concipere.

Respond. ex Bargio 1. dist. 8. quæst. 2. §. *Respondeo*, *quod quando* ita esse, potest tamen Deus cognoscere nostram intellectionem esse confusam, & ita potest cognoscere nos habere univocationem entis, ipse tamen eam non habet; sicut Deo repugnat cognoscere abstractive, tamen *cognoscit nos* cognoscere abstractive, & cognitionem nostram esse abstractivam, & confusam. Hinc satis lepide inquit Scotistas non habere *univocationem* entis in intellectu suo, cognoscere tamen illam in intellectu Thom. & ipsi Thomistæ eam habent, & non cognoscunt se eam habere; itaque concedendum est, univocationem entis non esse in intellectu divino, nisi mediate, quatenus Deus habet in mente sua objective conceptus nostros formales, quibus inadæquate concipimus ens, & convenientiam, quam ipse nobiscum habet in ratione essendi. Dices, si ergo nullus daretur intellectus creatus, qui conceptum entis abstraheret, non attingeret entis univocationem, nec ejus convenientiam cum creaturis. Resp. quod adhuc eam attingere posset mediate *in conceptibus* formalibus possibilibus ab intellectu creato possibili. Dices, ergo ex hypothesi, quod creatus intellectus non esset possibilis, nullatenus eam cognoscere posset. Resp. si nec intellectus creatus, nec alia creatura esset possibilis, nulla etiam univocatio esset possibilis inter Deum, & creaturam, quæ ab intellectu divino cognosci deberet, quod si supponantur aliæ creaturæ possibiles præter intellectum creatum, dandum est, intellectum divinum nullam univocationem, vel convenientiam cognoscere inter seipsum, & creaturam, sed solum fundamentum, unde talis univocatio abstrahi posset, si intellectus creatus possibilis esset.

ARTICULUS II.

Quæ fuerit Scoti sententia circa præcisionem, & realitatem conceptus entis.

96 Quia ut advertimus num. 66. Recentiores omnes, & Thomistæ indubitanter teneant, Scot. docere præcisionem ex natura rei actualem conceptus entis a suis inferioribus, & aliorum transcendentium, quemadmodum passim docet de gradibus superioribus, & inferioribus intra seriem prædicamentalem, atque ideo incunctanter omnes opinionem de naturali præcisione entis ei adscribunt, ut Auctori, operæ pretium duxi integrum subtexere articulum pro vera Doctoris sententia in hoc negotio aperienda, quod etiam *eo vel* maxime necessarium fuit, quia non solum extranei, sed ex nostris, etiam Scotistis quamplures, nec inferioris nominis, hanc genuinam fuisse Doctoris *mentem certo certius tenent*, quos præcedent, articul. citavimus ab initio numero 65. plura itaque ex libris sentent. adducemus loca, in quibus docet utique conceptum entis esse unum, & ab inferioribus suis esse perfecte præcisum; non tamen omnino ex natura rei actualiter, quasi ante opus intellectus communicant Deus, & creatura in una communi realitate, quæ dicatur entitas, sicut homo, & leo communicant in animalitate; loquimur autem de conceptu entis in ordine ad Deum, & creaturam, quia si sermo sit de ente in ordine ad substantiam, & accidens, gratis concedimus importare conceptum adæquato ex natura rei actualiter præcisum ab illis, ut diximus numero 67. quia talis conceptus fundatur in aliqua realitate, seu natura communi a parte rei inventa in substantia, & accidente, ut ibi declaratum est; at *in* ordine ad Deum, & creaturam, quia in tali consideratione nulla ei correspondet una communis realitas, in qua fundetur, ideo non importat, nisi conceptum inadæquatum ex natura rei fundamentaliter tantum ab illis præcisum, & distinctum; non autem ex natura rei actualiter.

Primus itaque locus haberur 1. dist. 8. quæst. 3. E. ubi solvens Doctor argumentum illud Henrici probantis non posse dari aliquid commune dictum univoce de Deo, & creaturis, quia primo diversa in nullo conveniunt, Deus, & creatura sunt primo diversa, ergo &c. ita respondet. *Ad secundum patebit in secundo articulo, quod Deus, & creatura non sunt primo diversa in conceptibus, sunt tamen primo diversa in realitate, quia in nulla realitate conveniunt, & quomodo esse posset conceptus communis sine convenientia in re, vel in realitate, in sequenti dicetur*, ex quibus verbis manifeste colligitur apud Doctorem enti, quod est commune Deo, & creaturæ nullam correspondere realitatem ex natura rei præcisam, illisque communem, quia si talis daretur, non dixisset Doctor Deum, & creaturam in nulla realitate convenire.

97 Respondet Faber theor. cit. 94. c. 3. sensum Doctoris in

præfata responsione esse, quod Deus, & creatura sunt primo diversa in realitate, non quacunque sed potentiali, & generica, quia Deus non est in genere, neque ens commune Deo, & creaturæ est genus, quia realitas communis, quæ ei respondet, non est potentialis, & contrahibilis per differentias, & consequenter non est generica, sed habet realitatem contrahibilem tantum per modos intrinsecos; Alii Scotistæ inquiunt, quod in idem recidit, Doctorem ibi loqui de realitate subjectiva, non objectiva; Hæc tamen solutio nec satisfacit, nec est ad Doctoris intentum, quamvis enim in ea quæst. 3. pestigetur, an Deus, vel aliquid formaliter dictum de Deo sit in genere; postea tamen Doctor duas refert opiniones extremas, quarum una ponit Deum sub genere, altera vero nedum negat Deum nobiscum in genere communicare, verum quoque negat communitatem conceptus transcendentis univoci, & hæc erat opinio Henrici, quam præsertim ea ratione probabat, quia Deus, & creatura sunt primo diversa, & Doct. respondet esse primo diversos in realitate, non in conceptu; vel ergo fatendum est ex solutione Scoti nullam dari posse realitatem contrahibilem, quæ non sit potentialis, & ad minus generica, ut artic. præced. demonstratum est; vel si talis datur realitas hanc quoque excludit ab ente, quia ibi de communitate conceptus transcendentis, non autem prædicamentalis, & negat conceptui entis ullam correspondere realitatem, in qua fundetur. Tum quia apud Doctorem primo diversa sunt in duplici differentia, ut docet præsertim 1. d. 26. & alibi sæpe, quædam sunt primo diversa in realitate tantum, & hæc sunt illa, quæ nullam habent natpram a parte rei communem, in qua conveniant, quædam vero sunt primo diversa, nedum in realitate, sed etiam in conceptu, & hæc sunt illa, quibus nedum natura una communis non est a parte rei, sed nec etiam conceptum habent communem ab illis abstrahibilem, ut sunt ultimæ differentiæ; at si Deus, & creatura haberent naturam entis unam sic a parte rei communem, nec essent primo diversa in conceptu, neque in realitate, & ob id nullo modo primo diversa, quia prima diversitas inter aliqua aut excludit ab eis unitatem communitatem conceptus cujuscunque, vel ad minus communitatem realitatis, Tum quia ubicunque Doctor loquitur de primo diversis, non aliam assignat primam diversitatem, nisi vel penes realitatem tantum, vel penes realitatem, & conceptum simul, & convenientiam in conceptu tantum ita explicat, ut in nulla fundetur realitate illis communi, distinguere ergo de una realitate generica, & potentiali, & alia non potentiali, nec generica, est eludere Scoticam phrasim, ex vi cujus colligitur omnem realitatem esse potentialem, & per differentias contrahibilem, & convenientiam in solo conceptu excludere omne prorsus realitatem. Eodem modo refellitur solutio aliorum Scotistarum de realitate subjectiva, & objectiva, tum quia ut notat Trombet. tractat. formalit. artic. 2. p. 2. declarando quomodo formalitas sit communis ad realitatem, & ad quidditatem, realitas objectiva proprie sumpta accipitur pro gradu entis, qui est extra intellectum omnino, & in re, cui corrispondet ad extra aliqua unitas ex natura rei circumscripto omni actu intellectus, & abstractivo, & intellectivo, quæ sic est extra, quod potest per se terminare actum intelligendi circumscripto quocunque alio, quo pacto gradus omnes prædicamentales important realitatem objectivam, quia omnibus istis corresponder aliqua unitas ex natura rei extra intellectum omnino, cum ergo gradui entis, ait Tromb. non competat talis unitas omnino a parte rei, sed necessarius sit actus intellectus abstrahentis talem rationem a suis inferioribus, cum fundamento in rebus ipsis reperto, concludendum est, ens nec dicere realitatem subjectivam, nec etiam objectivam, si proprie sumatur.

98 Secundus Locus habetur 1, d. 3, qu. 2. lit. I, ubi solvens argumentum Henrici dicentis a Deo non posse abstrahi communes conceptus sibi, & creaturis, quia est singularitas quædam, respondet, quod *consequentia non valet, Sortes enim, in quantum Sortes est singularis, & tamen a Sorte plura possunt abstrahi prædicata, & ideo singularitas alicujus non impedit, quin ab eo, quod singulare est, possit abstrahi aliquis conceptus communis, & licet quicquid est ibi in re sit singulare ex se in existendo, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem, tamen illud idem potest concipi, ut hoc in re, vel quodammodo indistincte, & ita ut singulare, vel ut commune*; ex quibus verbis clare deducitur conceptum entis, de quo ibi loquitur Doctor, non esse sumptum ab aliqua realitate communi in Deo, quæ contracta sit per aliud ad singularitatem, quia quicquid est ibi in re, est singulare ex se in existendo. Respondet Faber loc. citat. quod licet Sortes sit singularis, & quicquid est in eo sit singulare, tamen ab eo abstrahi possunt plura prædicata, & plures conceptus, neque singularitas Sortis hoc impedit, quia includit in seipso plures naturas communes, ut humanitatem, animalitatem, substantiam, ens, &c. Non in esse communi, sed singularizato, & contracto, & ideo possunt abstrahi prædicata, quibus ipsæ realitates, & naturæ communes in esse communi reali correspondent; non ergo habetur ex hoc loco, quod conceptus communis, qui a Socrate contrahitur, ut quod Socrates, sit homo, animal, ens, sint puri conceptus formati ab intellectu, quibus a parte rei non corrispondeat realitas communis, eadem enim est ratio de homine, animali, & ente, ita Faber.

Sed facile hæc evasio infringitur ex eisdem verbis Doctoris, quia si ideo a Sorte possunt abstrahi communia prædicata, quia includit plures naturas communes, quæ per aliud sunt individuabiles, ut ait Faber, ergo a Deo talia communia prædicata non possent abstrahi, quia ut ait ibi Doctor, quicquid est ibi in re, est singulare in existendo ex se, per quod Deus secernitur a Sorte, in quo etiam realitates, & naturæ omnes sunt in existendo singulares, non tamen ex se, sed per aliud, scilicet per differentias contrahentes; Quod etiam confirmatur, quia Doctor solvendo argumentum illud Henrici, admittit antecedens, in quo assumebatur, in Deo non esse plures realitates, quarum una esset communis, altera contrahens illam ad singularitatem; si ergo solum ratione harum plurium realitatum in singulari contentarum possunt ab eo abstrahi prædicata communia, plane cum talis realitatum pluralitas minime in Deo reperiatur ob summam ejus simplicitatem, nec etiam ab eo poterunt abstrahi prædicata communia transcendentia; Licet ergo verum sit abstractionem conceptuum communium prædicamentalium fieri a singulari eo modo, quo exponit Faber, ratione scilicet inclusionis plurium naturarum communium; id tamen falsum est de conceptibus transcendentibus, quia talium abstractio, ut ibidem expresse docet Doctor (de talibus enim conceptibus transcendentibus ibi disputat cum Henrico) fit hoc modo, *quatenus illud idem potest concipi, ut hoc in re, vel quodammodo indistincte, & ita ut singulare, vel ut commune*: unde falsum est, quod eadem sit ratio de abstractione conceptuum prædicamentalium, & transcendentium, ut putat Faber; Neque ex eo loco contendunt Scotistæ nostræ opinionis deducere, quod conceptibus hominis, & animalis non respondeat a parte rei realitas communis, hoc enim gratis concedunt de gradibus prædicamentalibus, ut sunt gradus hominis, & animalis ob rationem tactam n. 88. sed id contendunt solum de conceptibus transcendentibus, de quibus ibi loquitur Doct.

99 Tertius locus habetur 1. dist. 8. quæstion. 3. sub lit. L, ubi ait, quod *intentioni generis correspondet propria realitas, non sic alii intentioni communi*, quæ littera licet in quibusdam voluminibus ponatur, ut additio, fidem tamen facit, & auctoritatem, quia continet doctrinam, quam ait Doctor se latius confirmaturum infra in eadem quæstion. in replica ad solutionem primi argumenti principalis; per hoc autem dictum voluit significare Scotus solis conceptibus prædicamentalibus, quæ habent rationes generis, propriam correspondere realitatem, non autem alii intentioni communiori, quales sunt conceptus transcendentes, quod autem ait Fab. id intelligi debere de realitate potentiali, quæ nimirum correspondet intentioni generis, non sic alii intentioni communiori, hoc sæpius impugnatum est, tum quia nulla dari potest realitas communis, quæ non sit potentialis qualitercunque contrahi ponatur, dummodo talis contractio realis sit; Tum quia cum Doctor ubicunque de conceptu entis loquitur, neget semper illi propriam correspondere realitatem, non ita explicari debet, ut intelligat de realitate potentiali, sed de quacumque prorsus communi realitate, immo ex eo modo loquendi debet deduci nullam aliam agnovisse Doctorem communem realitatem, nisi potentialem, & contrahibilem, quia nullam aliam unquam meminit. Deinde in eadem quæstion. §. *Contra, conceptus ille*, sub lit. Aa. ait quod cum dicitur *Deus est ens*, tunc solum est compositio conceptuum, quæ compositio est signum identitatis significatorum, quia id ipsum in re, quod significatur per conceptum Dei, est id, quod significatur per conceptum entis; licet per conceptum Dei significetur distincte, per conceptum vero entis indistincte, Quod si rursus dicatur illum textum signari pro extra; urgeri potest id, quod immediate habet Doctor post illam additionem, ait enim, quod conceptus entis non accipitur ab aliqua una realitate, ut conceptus perfectus, & illi realitate adæquatus, sed uta imperfectus, ac inadæquatus, quod plane testimonium clarius desiderari non potest.

Quartus locus habetur prim. d. 26. quæstion. unic. lit. Y. Ubi Doctor a relationibus divinis ait abstrahi posse conceptum communem, & aliquo modo realem, cui tamen a parte rei nulla communis realitas correspondeat; cum sint relationes illæ primo diversæ, unde cum in sententia Doctoris pluribus in locis Deus quoque, & creatura sint primo diversa, si ab illis abstrahitur conceptus communis entis, consequenter dicendum est, illi conceptui nullam correspondere communem realitatem, in qua a parte rei conveniant Deus, & creatura, alioquin prima diversitas inter ea salvari non posset, quia hæc tollitur per convenientiam in realitate communi.

100 Demum hæc sententia in schola nostra defenditur a præclarissimis Scotistis, tam Recentioribus, quam antiquioribus, quos citavimus ab initio hujus quæst. num. 66. eam namque tuetur Tatar. 1. Metaph. quæst. 1. artic. 1. Lichet. disertis verbis 1. dist. 25. & 26. & dist. 3. quæst. 2. & dist. 8. quæst. 3. Vigerius item 1. dist. 8. quæst. 3. in solut. ad 1. princ. ubi ait, adverte, quod iste conceptus communis Deo, & creaturæ non est conceptus realis, qui sumatur ab aliqua realitate communi Deo, & creaturæ, quia nulla talis est; idem quoque habet dist. 26. Bargius etiam ita loquitur 1. dist. 3. quæst. 2. in fine, & dist. 8. quæst. 3. ad 1. princ. §. *Respond. quod quando*. Tromb. 4. Metaph. qu. 2. ad 2. princ. ubi diserte docet non dari convenientiam realem actualem inter Deum, & creaturam, quæ fundetur in una realitate utrique communi, & clarius tractat. formaliter artic. 2. part. 2. §. *pro declaratione quomodo formalitas*, habet, quod nulli enti, quod est indifferens ad finitum, & infinitum, seu quod reperitur in Deo, & creatura, correspondet

det unitas ex natura rei ratione sua conceptibili extra intellectum omnino; & quia aliquando in Metaphysic. visus est innuere, quod ens suo modo aliquam præseferret realitatem, in tractat. formalitat. art. 2. part. 2. §. *pro declaratione, quomodo ens importat unum conceptum realem, & non realitatem*, ut declaret, quo sensu id dixerit, habet inferius hæc verba; advertendum tamen est, quod si realitas objectiva capiatur pro ratione formali conceptibili, quæ habet esse in intellectu objective ante actum intelligendi per intellectum abstrahentem, & non tantum capiatur realitas pro re extra intellectum, omnino concedimus conceptum entis esse quamdam realitatem objectivam, & conceptum communem entis sumi ab aliqua realitate, ut conceptus adæquatus illi; sed capiendo realitatem alio modo, non est verum quod talis conceptus sumatur ab aliqua realitate, ut conceptus sibi adæquatus, sed præcise, ut conceptus inadæquatus, quia enti non correspondet una natura, aut una res extra intellectum omnino, & ait, hanc fuisse mentem Doctoris 1. distinct. 8. quæstion. 3. respond. ad 1. argument. princ. Cum ergo hæc sententia de inadæquatione conceptus entis clara habeat pro se Doctoris testimonia, & præcipuos Scotistas patronos, nec nova censeri debet in schola nostra, nec a mente Doctoris aliena. Quod vero ad hoc ait Faber, Scotistas hanc opinionem tenentes nutritos esse in doctrina Cajet. & Suarez, & pessime Scotum plerumque intellexisse, suæ molestiæ derogat, & charitati in suos condiscipulos, ac etiam veritati, tantum enim abest, ut Scotistæ illi doctrinam hanc de præcisione conceptus entis a Cajetan. vel Suarez didicerint, quod potius isti ab illis didicerunt, nam Tatar. & Tromb. Cajetanus, Vigerius, Lichet. & Bargius Suarez præcesserunt; & Scotum non pessime, sed optime interpretari sunt, adeout nos posteriores multum illis debeamus, non scommatibus, vel contumeliis, ut in castris, sed ingenio, & rationibus in scholis agendum est. Hanc denique sententiam de conceptu entis tuentur hujus ætatis adhuc superstites præstantiores Scotistæ, inter quos elegantissime præ cæteris, & scriptis, & viva voce eam audivi propugnatam ab Ad. R. P. Mag. Octaviano Camerano Ravennate olim in alma Universitate Cæsarea Viennensi sacræ Theologiæ professore, & divæ memoriæ Ferdinandi Secundi Roman. Imperat. Consiliario; cujus contubernio post fuum in patriam regressum, ac inter domesticos parietes frequenti de re literaria collatione, sicut per aliquot annos sum valde delectatus ita fateor mirabilem ejus tum fæcunditatem in scribendo, tum facunditatem in dicendo difficulter æquabilem esse. Unde juniorem hunc Octavianum seniori illo Ravennati Strambiato, adeo in nostra Religione ab antiquioribus, semper temporis acti laudatoribus, famigerato præferre dubitabit nemo, cum hic eadem prorsus, & felicitate, & facilitate nedum in Schola Subtilium, sed in aula quoque Principum partes suas egregie præstet, sola igitur tanti viri auctoritas, præciso quocunque nostræ necessitudinis vinculo, quod nec Atropos ipsa dissolvet, cum animos attingat ejus ditioni non subjectos, mihi sat est, ut absque hæsitatione proferam hanc fuisse de conceptu entis veram, & germanam Doctoris nostri sententiam.

101 In oppositum objiciunt, quia Scotus 2. distinct. 3. quæstion. 1. universaliter tenet naturas communes dari a parte rei præcisas a suis inferioribus, & contrahentibus, ergo idem asserendum est in proposito de ente, aliisque conceptibus transcendentibus, nam si in his negatur communis realitas, poterit pari ratione negari in aliis, & hoc est præcipuum argumentum, quod quamplures decepit Scotistas, ac Thomistas induxit, ut Scotum putarent Auctorem fuisse naturalis præcisionis conceptus, aliorumque transcendentium. Respond. tamen nec esse eandem rationem, neque Scotum eodem modo discurrere de conceptibus transcendentibus, & prædicamentalibus, quia conceptus transcendentes sunt conceptus inadæquati, quibus non unica, sed plures correspondent realitates; conceptus autem prædicamentales sunt adæquati, & fundati in una communi natura a parte rei in inferioribus reperta, de his loquitur Doctor 2. distinct. 31. quæstion. non autem de transcendentibus; ratio autem, cur conceptus prædicamentales sint adæquati suis realitatibus, quas important, non autem transcendentes, deducitur ex dictis articul. præcedent. quia nimirum sequeretur compositio in Deo, nam talis communis realitas per conceptum transcendentem importata non esset de se hæc, tum quia Deus, & creatura sunt primo diversa in realitate, nec habent convenientiam actualem etiam gradu essendi ex dictis numer. 88. virtualem tantum, ac fundamentalem; ob oppositam rationem conceptus prædicamentales debent esse adæquati, propriamque debent realitatem singuli importare, quia in seria prædicamentali conceptus communes cum peculiaribus veram efficiunt compositionem Metaphysicam, quæ non resolvat, nisi ex realitate contrahente, & contrahibili, & quæ sunt in prædicamento, non sunt primo diversa, ut Deus, & creatura, immo in pluribus gradibus prædicamentalibus conveniunt a parte rei actualiter nullo considerante intellectu, ut homo, & planta in gradu viventis, homo, & brutum in gradu sensitivo, quæ, proinde realis, & actualis convenientia in aliqua communi realitate fundari debet, quam adæquate importet gradus sensitivus.

Secundo Scotus in 1. distinct. 8. quæstion. 3. lit. Y. declarans a quo sumatur conceptus entis in communi, habent hæc verba; requiritur ergo distinctio inter illud, a quo accipitur conceptus communis, & illud, a quo accipitur conceptus proprius, non ut distinctio realitatis, & realitatis, sed ut distinctio realitatis, & modi intrinseci, quæ distinctio sufficit ad habendum conceptum perfectum, & imperfectum de eodem, quorum perfectus sit communis, perfectus proprius; Hæc Doctor, quibus verbis palam docet, quod conceptus entis sumitur a realitate communi, quæ cum per modos contrahitur, conceptus formatur particulares, quam auctoritatem valde exagerat Faber loc. citat.

Respond. hunc locum, si bene perpendatur, potius nobis favere, ut notavit Tromb. loc. citat. non enim ait conceptum entis in Deo sumi ab una realitate communi, & conceptum proprium ab alia realitate particulari contrahente, sed inquit quod conceptus communis sumitur ab ipsa realitate Dei præcise inspecta, conceptus autem proprius, quem nos pro hoc statu habemus, sumitur ab eadem Dei realitate, non præcise sumpta, sed cum modo; unde per illam realitatem præcise sumptam non intelligit aliquam realitatem, quam adæquate importet conceptus entis, ut Faber putasse videtur, sed intelligit realitatem Dei præcise inspectam, & sine modo.

102 Tertio obiiciunt rationes, quibus Doctor 2. distinct. 3. quæstion. 1. ostendit necessitatem naturarum communium in rebus, nam §. *contra istud*, assumit objectum, inquantum objectum, esse prius naturaliter ipso actu intelligendi, & ideo si est de se singulare, intellectus intelligens illud sub ratione universalis, intelligeret illud sub ratione opposita suæ conditioni: ergo si secundum nos quidquid est in Deo, est singulare, & de se hoc, non poterit Deus intelligi sub isto conceptu entis in communi, alias intelligeretur sub ratione opposita suæ conditioni, ergo dicendum est dari realitatem communem correspondentem enti. Deinde ibid. sub lit. B. ex dicto Philosopho 7. Phys. quod comparatio fit in specie athoma, arguit unitatem realem communem naturæ specificæ; ergo cum Deus, & creatura comparentur in ente, servata proportione poterit pariter inferri unitas realis communis enti correspondens. Item ibid. lit. D. ad ostendendum necessitatem naturæ communi sic arguit; si omnia essent unum numero, essent æque distincta, & tunc sequeretur, quod non plus posset intellectus abstrahere a Sorte, & Platone aliquod commune, quam a Sorte, & Linea, sequeretur etiam, quod universale quodlibet esset purum figmentum; ad quæ absurda evitanda infert Doctor dari naturam communem a parte rei, ergo a fimili arguendum est in proposito, alias argumentum non concluderet. Tandem sub lit. I. docet falsum esse intellectum facere universalitatem in rebus, nam id, quod fit universale, in reipsa habet unitatem indifferentem ad plura, ergo idem quoque dicendum est de ente, quod est quoddam universale commune Deo, & Creaturis.

Respond. rationes illas hic non concludere, quia hic sermo est de gradibus, & conceptibus transcendentibus, & Doctor illas effornat de gradibus prædicamentalibus; ut enim constat ex toto illius quæstionis processu, non loquitur ibi Doctor, nisi de naturis genericis, & specificis intra seriem prædicamentalem; & ideo ad 1. Resp. quod loquendo de conceptu adæquato, sicut ibi loquitur Doctor, non potest aliquod, quod est ex se singulare, concipi sub conceptu universalis, sed loquendo de conceptu inadæquato, sicut hic loquimur, id quod est singulare de se, bene potest concipi sub ratione universalis, ut expresse Doctor indicat 1. distinct. 3. quæstion. 2. I. neque hinc sequitur, tunc intellectum percipere objectum sub ratione opposita, & repugnante, tunc enim intellectus diceretur percipere sub ratione opposita, & repugnante, quando res illa non esset nata causare conceptum illum entis in intellectu inadæquate illam concipiente. Ad secund. negatur sequela, comparatio enim, & similitudo realis positiva, & actualis, qualis est individuorum in specie athoma; utique arguit realitatem communem naturæ specificæ, quia nequit esse convenientia, & unitas actualis aliquorum, nisi adsit aliquod actuale illis commune, in quo fundetur hujusmodi convenientia, Deus autem, & creatura habent convenientiam in ente, non actualem a parte rei, sed fundamentalem, & virtualem, ut ex Trombet. notavimus numer. octuagesimo septimo. Ad tertium negatur paritas, ibi enim loquitur Doctor de aliquo communi abstracto, quod habeat rationem communem conceptus adæquati, & tunc sequitur, quod si omnia essent unum numero, non magis intellectus posset abstrahere unum conceptum communem adæquatum a Sorte, & Platone, quam a Sorte, & Linea, quod implicat, & ideo infert, dari naturam communem, a qua fumatur conceptus adæquatus communis; sequeretur etiam quodlibet universale prædicamentale esse purum figmentum, quia tale universale importat conceptum adæquatum, & unam communem realitatem, in qua fundatur; sed non sequitur hoc inconvenjens de universali transcendenti, quod in conceptu inadæquato consistit, ut enim talis conceptus non dicatur fictitius, unitas naturæ actualis, & positiva præcedens opus intellectus abstrahentis non est necessaria; sed sufficit virtualis, & fundamentalis juxta explicationem datam numero octuagesimo quinto octuagesimo sexto & inde. Ad quart. negatur sequela, nam Doctor ibi loquitur de universali prædicamentali, cui aliqua realitas communis correspondet a parte rei nata adæquate concipi, non sic autem Metaphysicandum est de Universali transcendenti. Dices, si ergo salvatur universalitas in gradibus transcendentibus per solos conceptus inadæquatos, cur non etiam salvabitur æque

bene in gradibus prædicamentalibus. Respond. disparitatem esse sæpius assignatam, quia nempe in creaturis datur compositio Metaphysica ex realitate actuali, & potentiali, non in Deo, & quæ sunt intra ferjem prædicamentalem, a parte rei actualiter conveniunt in multis communibus prædicatis, non sic Deus, & creatura, & ideo universalitas prædicamentalis necessario importat conceptum adæquatum, non autem universalitas transcendens.

103 Quarto arguit Saxius tom. 1, catast. disp. 10. quæst. 3. art. 3. quia Doctor in 1. dist. 3. quæst. 1. probando, quod Deus cognosci potest, non tantum in conceptu analogo, sed in conceptu univoco Deo, & creaturæ in secunda ratione principali hæc formalia verba scribit; Nullus conceptus realis causatur in intellectu viatoris naturaliter, nisi ab his, quæ sunt naturaliter motiva intellectus nostri, sed illa sunt phantasmata, vel objectum relucens in phantasmate, & intellectus agens, ergo nullus conceptus simplex fit modo naturaliter in intellectu nostro, nisi qui potest fieri virtute istorum; sed conceptus, qui non esset univocus alicui objecto relucenti in phantasmate, sed omnino alius, & prior, ad quem iste haberet analogiam, non posset fieri virtute intellectus agentis, & phantasmatis &c. hæc littera, si bene intelligatur, inquit Saxius, præsupponit conceptum entis, quem intendit probare esse univocum, esse realem, aliter argumentum, quod procedit a simili de conceptu causato ab intellectu Viatoris, nihil valeret. Rursus in eodem 1. d. 3. quæst. 3. art. 2. de eodem conceptu entis ita ait; & ita patet quod ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est conceptus quidditativos generum, specierum, individuorum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati, & habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus &c. Quomodo autem, subinfert Saxius, posset habere hujusmodi primitatem, atque virtualitatem ad tales conceptus reales, nisi esset quid reale, & præsertim cum continentia virtualis in ente rationis esse non possit? continentia enim virtualis ad aures ejusdem Doctoris pertinet ad dependentiam causæ, & causati, quod quidem enti rationis minime convenire potest.

Resp. has, & similes auctoritates innuere quidem conceptum entis esse realem, non tamen in eo rigore, ut præseferat realitatem communem, a qua desumatur, & sit ex natura rei actualiter præcisus ab inferioribus; quo autem pacto conceptus entis possit, & debeat realis dici, & non rationis, etiamsi realitatem communem non importet explicatum est num. 84. ex variis dicendi modis Scotistarum, de quo vide Trombet. ibi cit. & tract. formal. artic. 2. par. 2. §. *pro declaratione, quo modo ens importat unum conceptum realem, & non realitatem*, ubi ait, quod conceptus entis est realis, tum quia abstrahitur immediate a re, tum quia non habet esse in intellectu objective per actum intelligendi, a quo dependeat in esse, & in conservari, neque etiam dependet ab actu collativo intellectus.

Quinto arguit Posnanensis 1. dist. 3. quæstion. 1. disputat. 3. ratione Doctoris subtilis, qua probat divina attributa inter se ex natura rei formaliter actualiter distingui 1. dist. 8. quæstion. 4. §. *ad quæstionem respondeo*, si ratio entis in substantia esset idem formaliter ex natura rei, quod substantia, sequeretur, quod ratio entis in communi esset substantia formaliter in communi, quod est falsum; probatur sequela antecedentis, sicut infinitas non destruit ejus rationem formalem, ita & unio illa intrinseca entis, & substantiæ non tollit rationem formalem entis, & substantiæ, & ratio hujus est, quia in quocumque gradu intelligatur esse aliqua perfectio, non tollitur ratio formalis illius perfectionis propter ipsum gradum, sicut igitur in communi ratio entis est formaliter distincta a ratione substantiæ, ita & in ipsa substantia, non amittit suam rationem distinctam formalem. Conf. hoc esse idem aliquid formaliter alteri est includere illud in ratione sua essentiali, ita quod si definitio includentis assignaretur, inclusum esset definitio, vel pars definitionis; at si definitio entis esset possibilis, ipse conceptus quidditativus entis non includeret substantiam formaliter in se, & idem est de aliis inferioribus entis, ergo neque ut est in substantia, ac proinde ratio entis in substantia formaliter, & ex natura rei non est idem rationi propriæ substantiæ.

104 Respond. re vera Scoticam illam rationem, qua probatur distinctio ex natura rei formalis actualis inter divina attributa, prima facie speciem gravis difficultatis ingerere posse; at si recte perpendatur, nihil concludere; Doctor enim illam ibi conficit rationem de Bonitate, & Sapientia dicens; Sapientia infinita non est formaliter Bonitas infinita, alioquin sapientia in communi esset formaliter bonitas in communi, quod est falsum, quia neutra in communi includit alteram in sua ratione essentiali; Probatur sequela, quia infinitas non destruit formaliter rationem illius, cui additur; hæc breviter, & in virtute est ratio Doctoris, quæ ad propositum applicata de substantia, & ente, non ita bene concludit, ut de bonitate, & sapientia, cæterisque attributis adinvicem collatis, & ratio est quia bene ex distinctione formali bonitatis, & sapientiæ in communi, deduci potest distinctio formalis bonitatis, & sapientiæ infinitæ, quia re vera bonitas, & sapientia in communi ita se habent, ut neutra perfectio includat alteram in suo essentiali conceptu, bonitas enim, & sapientia, sicut, & cætera attributa, se habent adinvicem, ut perfectiones disparatæ, nec una alteri subordinatur; at ens, & substantia quantumcumque in communi sumantur, semper se habent ut superius, & inferius, & unum includit aliud in sua ratione formali, unde falsum est, quod ens, & substantia in communi distinguantur formaliter abinvicem, ut Scotus affirmat, distingui sapientiam, & bonitatem in communi, hæc enim ita distingui asserit, ut una non includat aliam in sua ratione formali; Et ex hoc eodem capite sequitur, quod sicut non currit eadem ratio de bonitate, & sapientia in communi, ac de ente, & substantia in communi, ita neque in particulari; possunt enim Bonitas, & Sapientia divina, ac etiam cætera attributa distinctas realitates importare fundantes singulorum conceptus communes adæquatos, quia cum sint perfectiones abinvicem disparatæ, & singulæ in ultima actualitate ex una parte, & ex alia perfecte eadem inter se realiter ratione infinitatis, nullum adest periculum Metaphysicæ compositionis; secus est de ente, & substantia, quia hæc tam in esse objectivo, quam subjectivo semper se habent, ut superius, & inferius quare si in Deo diversas importarent realitates, non possent singulæ poni in ultima actualitate, sed necessario una esset potentialis ad aliam, atque ideo non esset cum ea perfecte eadem, sed cum ea faceret Metaphysicam compositionem; non ergo sequitur, quod si unum attributum distinguitur ex natura rei formaliter ab alio attributo, sic pariter, & ens distingui debeat, & præscindi a substantia, aliisque inferioribus suis; sed paritas afferri deberet, quod sicut bonitas in communi distinguitur a bonitate creata, & increata, sic eodem modo entitas in communi distinguitur a substantia, & aliis suis inferioribus, & tunc omnino concedenda foret, quia utrobique superius transcendens comparatur ad suum inferius. Ad Conf. negatur consequentia, quia ut sæpius dictum est, hoc interest inter gradus transcendentes, & prædicamentales, quia cum isti sint abinvicem ex natura rei distincti ob diversas realitates quas important, exprimuntur conceptibus adæquatis, qui eis conveniunt tam in esse objectivo, quam subjectivo confideratis; at illi cum non importent realitatem præcisam ab inferioribus, non nisi conceptibus inadæquatis exprimi possunt, qui proinde illis applicari nequeunt, nisi in esse objectivo confideratis; & ideo falsum est, quod ratio entis, ut est in substantia, possit dici ex natura rei præcisa ab ipsa ratione substantiæ, quia tunc gradus entis consideratur in esse subjectivo,

QUÆSTIO V.

An conceptus entis sit æquivocus, vel univocus, aut analogus Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti.

105 IN hac famosa controversia quatuor sunt sententiæ, singulæ suos sectatores habentes. Prima asserit, ens esse mere æquivocum tam respectu Dei, & creaturæ, quam substantiæ, & accidentis, itaut hæc omnia in nullo entis conceptu convenire dicantur, sed in solo entis nomine, quam sequuntur nonnulli ex illis, qui negaverunt unitatem, & præcisionem conceptus entis a suis inferioribus; & ex parte tenet Pasqualigus tom. 1. Metaph. disp. 28. & 29. ubi mordicus negat ens esse quid commune Deo, & creaturæ, in quo conveniant, ramquam in superiori conceptu univoco, vel analogo. Secunda docet e contra ens esse mere univocum tam respectu substantiæ, & accidentis, quam Dei, & creaturæ absque ulla analogia permixta, ita noviffime tenet Ariaga disput. 11. Log. fection. 4. numer. 40. eandem tribuens sententiam (immerito tamen) Scoto, & Scotisticæ scholæ Ovvied. controvers. 1. Metaphys. punct. 8. quod prius docuisse videtur Mairon. quæst. penult. de entis univocatione, ubi omnem negat inæqualitatem in ente, & sequitur ex parte Pasqualig. tom. 1. disp. 39. sect. 3. ut nimirum ens respicit substantiam, & accidens. Tertia negat utrumque esse scilicet æquivocum, vel univocum, & asserit esse purum analogum tam respectu Dei, & creaturæ, quam substantiæ, & accidentis, quæ fuit sententia D. Thom. p. p. quæstion. 13. articul. 5. quæst. 2. de Verit. par. 11. & libr. de ente, & essentia cap. 10. & 1. contra Gentes cap. 32. sequuntur Cajet. & Ferrar. illis in locis, & passim alii Thomistæ, tam veteres, quam Recentiores, Capreol. 1. dist. 2. quæst. 1. Soto in Anteprædicam. cap. 4. Complut. disputat. 11. Log. quæst. 3. ubi alios citant Thomistas Masium, Fland. Soncin. Nazar. Zanard. & alios quamplures, item Suarez disput. 28. Met. sect 3. Ruvius in Log. tract. de Analog Didac. a Jesu disput. 11. Log. quæst. ultim. Blanc. & Moris. in Anteprad. & passim Neoterici omnes in Log. vel Metaph. licet postea inter se discrepent in explicando, cujus generis sit hæc analogia entis, de quo postea dicemus. Quarta tandem sententia est Scoti, & Scotistarum asserentium ens quidem analogum esse respectu Dei, & creaturæ, & substantiæ, & accidentis, sed tali analogiæ genere, quæ secum univocationem quoque compatiatur, saltem in gradu quodam imperfecto; ita Doctor quæstione 21. de Anim. & 1. dist. 3. quæstione 2. dist. 8. quæst. 3. & 4. Metaph. quæst. 1. cum suis discipulis, & aliis mox citandis.

ARTI-

ARTICULUS I.

Ens reale esse analogum univocum ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens.

106 PRo resolutione quæsiti recolenda sunt, quæ docuimus de Univocatione, & analogia in communi disp. 2. Log. q. 4. & 5. & fuse tradunt alii Scotistæ loc. cit. triplicem nimirum esse univocationem, seu conceptum aliquem objectivum posse tripliciter esse univocum, scilicet Physice, Metaphysice, & Logice. Conceptus univocus Physice est, qui dicit unitatem nominis, cui correspondet unitas rei, seu realitatis, quæ non est divisibilis in plura alterius & alterius rationis, quo pacto sola natura specifica est univoca, quia ipsa sola non est divisibilis in plura alterius rationis, & in conceptu sic univoco æquivocationes illæ non latent, quas in genere dixit Arist. latere 7. Phys. qua de causa ibid. Arist. ait tex. 24. in specie athoma proprie fieri comparationem, ut notat Doctor 1. d. 3. quæst. 3. Q. Alia est univocatio Metaphysica, quæ convenit conceptui abstracto a rebus, quæ non sunt univocæ prima univocatione jam explicata, & hæc convenit omnibus gradibus tam transcendentibus, quam prædicamentalibus præter speciem ultimam. Univocatio Logica tandem est, quæ convenit realitati, vel intentioni primæ sub aliqua secunda intentione Logica conceptæ generis, vel speciei, aut alterius prædicabilis, qua univocatione non modo genera, & species, sed etiam transcendentia dici possunt univoca, quia subesse possunt cuidam secundæ intentioni v. g. intentioni universalitatis.

Rursus quatuor assignari solent univocationis gradus. Primus est, quando ratio communis correspondens nomini communi participatur ab inferioribus secundum eundem modum essendi, secundum eundem ordinem essentialem, & tandem secundum eundem gradum perfectionis essentialem, quo pacto species in sua individua descendere dicitur. Secundus, quando ratio illa communis participatur secundum eundem modum essendi, & secundum eundem ordinem essentialem, non tamen secundum eundem gradum perfectionis, sicut animal in perfectiori gradu participatur ab homine ratione perfectioris differentiæ contrahentis, quam ab equo. Tertius quando ratio communis participatur secundum eundem modum essendi tantum, non tamen secundum eundem ordinem, nec secundum eundem gradum essentialem perfectionis, ut est numerus respectu inferiorum suorum, numerus enim habet eundem modum essendi in inferioribus, quia omnes numeri sunt finiti; non tamen habet eundem ordinem, quia per prius in binarium descendit, quam in ternarium, nec etiam habet eundem gradum perfectionis, quia numerus tenarius est perfectior cæteris. Quartus, quando ratio illa communis participatur ab inferioribus cum diversitate modorum essendi, cum diversitate ordinis, & perfectionis essentialis, ita dicunt se habere ens respectu Dei, & creaturæ; vere enim reperitur ratio entis in Deo, & creatura, sed diverso essendi modo, quia in Deo est infinita, & independens, in creatura finita, & dependens; diverso etiam ordine, quia prius essentialiter reperitur in Deo, quam in creatura; & diverso tandem perfectionis gradu, quia Deus est essentialiter perfectior creatura. Hinc disp. cit. Log. quæst. 4. art. 2. §. *quinto dubitatur*, duplicem assignabamus univocationem ex Scoto qu. ult. prolog. in calce, unam perfectam, & completam, quæ nimirum importat unitatem rationis communis, modi essendi, ordinis essentialis, & gradus perfectionalis; alteram diminutam, & incompletam, quæ nimirum importat unitatem rationis communis (hæc enim conditio est simpliciter, & absolute ad univocationem necessaria) sed deficiunt cæteræ conditiones, vel saltem aliquæ illarum, ut constat in exemplis allatis; quia enim illæ conditiones necessariæ non sunt ad substantiam univocationis, sed solum ad ampliorem, & perfectiorem univocationis gradum; si deficiunt, non propterea cadit conceptus a ratione univocationis, simpliciter, & absolute sumptæ, sed a perfecto gradu univocationis; unde constat, univocationem non consistere in indivisibili, sed habere gradualem latitudinem modo explicato, ratione cujus latitudinis cum aliqua analogia consistere potest.

107 Deinde ex eadem disp. 2. Log. quæst. 5. recolendum est, analoga dici illa, *quorum nomen commune est, & ratio significata per illud nomen partim est eadem, partim diversa*, ex qua analogorum notione ab omnibus recepta deducitur analogiam *in nominibus* debere aliquam rationem præseferre, quæ aliquam unitatem simul, & diversitatem importet, qua ratione Doctor 1. d. 8. quæst. 3. sub lit. E. docet unitatem analogiæ (quam ibi vocat attributionis) minorem esse unitate univocationis, sed majorem unitate æquivocationis. Duæ autem, & præcipue ex ibi dictis solent assignari Analogiæ species, una dicitur proportionis, seu proportionalitatis, quam Analogiæ ex vi nominis importare videtur, & versatur inter illa, quæ licet rationes habeant simpliciter diversas, quia tamen sunt proportionaliter similes, ideo participant commune nomen, quo pacto analoga dicuntur os, & spina 2. Post. 87. gubernator navis, & civitatis; pes lectuli, pes montis, & pes animalis; risus hominis hilaris, & risus acceptus pro luxuria prati virentis; unde pupliciter hæc analogia contingere potest, uno modo per denominationem intrinsecam omnium analogatorum a forma analoga, cum scilicet in unoquoque eorum reperitur verum, & intrinsecum fundamentum proportionalis convenientiæ; licet habeant rationes diversas: ita analogice dicitur pes de planta animalis, de base lectuli, & de radice montis; principium de præmissis respectu demonstrationis, de corde respectu vitæ, de patre respectu filii, de fonte respectu rivuli, non enim ita metaphorice dicuntur hæc nomina de suis significatis, sicut dicitur risus de prato virente, sed cum longe majori proprietate; alio modo per denominationem intrinsecam, & propriam solius primi analogati, cæterorum vero per metaphoram, & ut stant sub comparatione, & proportione ad illud, quo pacto risus dicitur de prato florente per quandam comparationem, & proportionem ad hominem lætum. Altera, & adhuc magis præcipua analogiæ species dicitur attributionis, & versatur inter illa, quæ uno nomine communicans in participanda communi ratione unum dicit ordinem, & attributionem ad aliud, vel ambo ad tertium, merito cujus dependentiæ, & subordinationis hæc analoga ab Arist. 4. Met. 3. & lib. 7. 15. & 1. Ethic. cap. 6. vocantur *ab uno, & ad unum*; verum hæc quoque analogia dupliciter contingere potest, vel ita quod omnia analogata formam illam proprie, ac intrinsece includant, licet adhuc cum subordinatione, & dependentia unius ad aliud; vel amborum ad tertium, & hunc analogiæ modum ait Doctor 1. distinct. 3. quæst. 3. Q. reperiri in speciebus ejusdem generis, quod probat ex Arist. 10. Met. ubi ait esse essentialem ordinem, sive attributionem inter species ad primum illius generis. Vel ita contingere potest, quod primum tantum analogatum proprie tale denominetur per formam sibi intrinsecam, reliqua vero extrinsece, ratione solum illius habitudinis, quam habent ad illud primum, quo pacto sæpe docet Arist. sanitatem analogice dici de animali, cibo, medicina, & urina, quia sanitas proprie, & intrinsece in solo animali reperitur, in medicina vero, cibo, & urina, solum extrinsece per habitudinem ad sanitatem quæ est in animali; in medicina nempe, tanquam in causa effectiva, in cibo tanquam in conservativa, & in urina tanquam in signo; & hanc secundam analogiæ speciem, quæ dicitur attributionis, ita geminatam expresse significat Doct. 2. distinct. 12. quæst. 2. ad 4. & 4. dist. 12. quæst. 1. sub H.

108 Alia solet addi species analogiæ, quæ dicitur inæqualitatis, quando nimirum ratio communis importata per nomen, non æqualiter participatur ab inferioribus, sed prius, & perfectius ab uno, posterius, & imperfectius ab alio, & hoc genere analogiæ inquiunt transcendentia omnia Deo, & creaturis communia, substantiæ item & accidenti esse analoga, quia prius, & perfectius Deo competunt, quam creaturis, & ratione istius inæqualitatis cadunt a ratione univocationis, de cujus formali ratione est quod prædicatum commune omnino æqualiter ab inferioribus participetur, ita Suarez, Ruvius, Morisan. & alii Recentiores quamplures; qui ad hoc magis declarandum subdunt non quamlibet inæqualitatem sufficere ad analogiam inducendam, & præsertim illam, quæ oritur ex differentiis contrahentibus, ratione cujus animal perfectius ab homine participatur, quam a bruto; non, inquiunt, hæc sufficit, quia tunc nullus gradus prædicamentalis esset univocus, cum quilibet descendat in inferiora per differentias, quarum una est essentialiter perfectior alia; sed requiritur inæqualitas perfectionis & ordinis proveniens ex ipsa ratione communi, quæ ex se postulet prius, & absolute esse in una specie, & deinde in aliis per habitudinem ad primam; hoc enim inæqualitatis genere descendunt rationes transcendentales in Deum & creaturam, substantiam, & accidens, & ideo analogæ dicuntur, non univocæ. Verum hic dicendi modus Recentioribus multum familiaris in modo deficit, primo enim hanc speciem analogiæ constituit, ut distinctam ab analogia attributionis, quod falsum est, quia hæc includitur in illa, vel ad illam reducitur, nam quod est analogum attributionis, per prius dicitur de uno, quam de altero, ut constat ex explicatione illius analogiæ, deinde falsum ad univocationem absolute, & in sua universitate sumptam requiri, quando ratio communis æqualiter participetur ab inferioribus, & uniformiter, quia Arist. in definitione univocorum, quam tradidit in Anteprad. nec quidem verbum fecit talis æqualitatis, & uniformitatis in participanda communi ratione; nec dicas locum ab auctoritate negativum non urgere, quia cum agitur de definitionibus, sane exprimendum est in eis, quod principaliter spectat ad constitutionem definiti, atque ideo si verum esset, ut Recentiores isti comminiscuntur, illam æqualitatem, & uniformitatem in participanda communi ratione univocationem formalissime constituere; sane opus erat hanc conditionem in univocorum definitione apponere; non ergo necessaria est talis conditio ad univocationem simpliciter, & absolute sumptam, sed tantum ad univocationem perfectissimam, & in primo gradu ex supra assignatis. Demum falsum est inæqualitatem analogiam inducentem necessario esse debere intrinsecam conceptui communi, & non sufficere exirinsecam, quæ oritur ex differentiis contrahentibus, quia cum Arist. docet 7. Phys. 31. & 10. Met. 26. inæqualitatem inducere analogiam, plane loquitur de inæqualitate extrinseca, scilicet ex differentiis contrahentibus oriente, ait enim hac de causa naturæ genericæ aliquam analogiam subesse, quia descendit in species per inæquales differentias, quæ inæqualitas extrinsece in genus redundat. Tum quia ista inæqualitas intrinseca nimirum ex ipsa ratione communi

proveniens secundum multos non debet admitti, ut docet Mairon. quæst. de univ. entis dub. penult. quem sequuntur Hurtad. disp.9. Log.sect.3. sub sect.4. Arriag.disp.11.Log.sect.2. Ovvied. controv. 1. Met. punct. 6. Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 33. & alii quamplures, & ratio est, quia nequit natura communis sic inæqualiter descendere, nisi aliquid de se dicat in uno, quod non dicit in alio, quod stare nequit cum ejus unitate, ac indivisibilitate, nam diminuta tunc erit, ubi imperfectius existit; ergo tota ratio, cur natura perfectius existit in uno inferiori, quam in alio, omnino provenit ex inæqualitate differentiarum contrahentium, non autem ex inæqualitate naturæ in se consideratæ. Tum quia, quando etiam hæc inæqualitas naturæ intrinseca admittatur, ac etiam, ut sufficiens ad analogiam inducendam, non tamen negari debet inæqualitatem quoque extrinsecam cum suo modo analogiam inducere, quia Arist. loc. cit. ita significavit, atque ideo concludit Scotus 1. dist. 3. qu. 3. Q. & d. 8. qu. 3. sub E, quod quælibet inæqualitas in communicatione naturæ sufficit ad analogiam inducendam, dummodo sit per differentias essentiales, majorem, vel minorem juxta majoritatem, vel minoritatem ejusdem. Neque hinc sequitur, ut ipsi inferebant, nullum gradum prædicamentalem fore univocum, quia quilibet in inferiora descendit cum tali extrinseca inæqualitate. Non, inquam, hoc sequitur, tum quia cum tali analogia est etiam compossibilis univocatio, ut postea dicemus, tum quia in specie athoma talis inæqualitas non reperitur, & ideo Arist. dixit 7. Phys. 24. in sola specie athoma proprie comparationem fieri posse, ut in perfecte univoco, quæ omnia fusius tradita sunt disp. cit. Logicæ.

109 Aliam adhuc 4. analogiæ speciem invexere Recentiores quidam, quam dicunt transcendentiæ, qua ita ratio aliqua transcendit per inferiora, ut imbibatur quoque in eorum differentiis, atque ideo analogiam inducat, quatenus per talem rationem communem in se considerata inferiora conveniunt, & per eandem ut in indifferentiis inclusam differunt, & sic est partim ratio conveniendi, partim differendi, in quo consistit ratio analogiæ, ita Didacus a Jesu d. 11. Log. q. 4. Blanc. disp. 4. Log. sect. 6. Hurt. d. 9. Log. sec. 4. subsec. 5. & alii nonnulli. Verum hanc quoque analogiæ speciem ibi non admisimus saltem, ut ab aliis speciebus constitutam, tum quia abutuntur nomine transcendentiæ, non enim transcendens ex vi nominis significat prædicatum in omnibus rebus essentialiter imbibitum ob ejus universitatem, sed prædicatum omnia prædicamenta super excedens commune Deo, & creaturis, & indifferens ad finitum, & infinitum, ut docet Doctor 1. d. 8. qu. 3. N. & O. dato etiam, quod tale esset proprium significatum nominis transcendentiæ, falsum adhuc est ens esse ita transcendens, ut non solum essentialiter, & quidditative imbibatur in inferioribus, verum in ipsorum differentiis, ac suis modis contrahentibus, ut ostendemus qu. seq. nam ad ejus transcendentiam sufficit, ut in omnibus includatur, vel per essentialem identitatem, vel saltem realem.

Postremo recolendum est ex dictis ibidem quæst. 5. articul. 3. quod cum inter habere rationem eandem communi nomini correspondentem, & non habere eandem, nullum sit medium, opus est analoga cum univocis, vel æquivocis semper coincidere, adeout impossibile sit assignare conceptum pure analogum; ubi tamen advertendum est, ut ibi diximus, quod esto in re, & materialiter coincidant, alia tamen semper est ratio univocationis, æquivocationis, & analogiæ, nam si analogum coincidit cum univoco, ratio univocationis in illa unitate nominis, & rationis consistit, analogia vero in illa unitate ordinis, & attributionis unius ad aliud, vel amborum ad tertium, si vero coincidit cum æquivoco, ratio æquivocationis consistit in illa communitate nominis, cui rationes diversæ correspondent, ratio vero analogiæ in illa quadam unitate proportionalitatis, aut attributionis unius ad aliud, quatenus illo communi nomine participant, ut docet Scoto 1. distinction. 8. quæstion. 3. sub lit. E.

110 Sed præter rationes Thomistarum contra hoc Scoticum placitum loc. cit. adductas hic dissolvendum est argumentum quoddam, quo Ægidius Romanus 4. Metaph. quæst. 3. puram analogiam probare contendit, cum nomen aliquod pluribus imponitur per comparationem ad aliquam unam formam, aut illa forma æqualiter salvatur in illis pluribus, aut non æqualiter; si primo modo tunc illud nomen dicitur de eis univoce penitus, sicut homo penitus univoce dicitur de contentis sub ipso; si autem illa forma non æqualiter salvatur in pluribus, hoc tripliciter potest esse, aut quia illa forma in omnibus salvatur simpliciter, sed in uno nobiliori modo, quam in alio, ut forma animalis servetur simpliciter in omnibus speciebus, sed tamen nobiliori modo in homine, quam in equo, aut quia illa forma in uno invenitur simpliciter, in alio secundum quid, cujusmodi est entitas, quæ in substantia simpliciter reperitur, in accidente secundum quid; aut tandem quia in uno simpliciter, in alio vero tantum secundum similitudinem reperitur, ut constat de homine vivo, & picto; in primo casu oritur analogia multum univocationi propinqua, & ideo animal univoce dicitur de suis speciebus, in tertio casu oritur analogia multum æquivocationi proxima, & ob id animal æquivoce dicitur de animali vivo, & picto; quando autem forma in uno salvatur simpliciter, & in alio secundum quid, ut contingit in 2. casu, tunc talis oritur analogia, quæ nec penitus accedit ad univocationem, nec penitus ad æquivocationem, sed medium tenet inter utrumque, ita discurrit Ægid. loc. cit. Solet etiam urgeri exemplum medicinæ, quod sæpe Arist. adducit ad explicandam analogiæ rationem; medicinale inquit Arist. est nomen quoddam, quod dicitur de corpore tamquam de eo, quod medicinam recipit; de opere quod scilicet per medicinam exercetur, cujusmodi est purgatio, & de vase, tamquam de eo, quod medicinam continet; hoc autem nomen de his tribus dicitur non univoce quia unam naturam illis communem non significat, nec æquivoce, quia in æquivocis nullus est ordo, nulla similitudo, nulla comparatio; sed ad unum, hoc est analogice; verba Arist. sunt hæc, *nullum etenim medicinale corpus, opus, & vas dicitur æquivoce, neque secundum unum, sed ad unum.*

111 Resp. hunc Ægidii discursum potius nostræ sententiæ favere, quam obesse, nam exemplis illis ostendit, analogiam quandoque stare cum univocatione, quandoque cum æquivocatione, cum vero inquit, quod quando forma salvatur in uno simpliciter, & in alio secundum quid, tunc emergit pura analogia; hoc prorsus negandum est, quia illa particula secundum quid est particula diminuens, & potest diminuere dupliciter, aut ab entitate formæ simpliciter, & absolute, quo pacto homo pictus dicitur secundum quid homo, aut a perfectione formæ, quo modo accidens dicitur ens secundum quid per comparationem ad substantiam, non enim dicitur ens secundum quid, quasi non habeat propriam entitatem distinctam ab entitate substantiæ; sed quia non habet eam in eo perfectionis gradu, quo substantia; quando particula secundum quid minuit ab entitate formæ, tunc inducit analogiam æquivocam, quando autem diminuit a sola perfectione formæ, tunc inducit analogiam univocam, atque ideo analogia semper cum univocatione, vel æquivocatione reperitur. Ad exemplum illud de medicina satis Arist. familiari ad explicandam analogiæ rationem optime occurritur ex Doctore in expositione illius ejusdem textus, quod re vera medicinale de illis tribus dicitur æquivoce, ut etiam ipse docet 4. dist. 12. quæst. 1. H. tamen quia non dicitur pure æquivoce, sed per ordinem, & servata attributione ad corpus rectius: inquit Arist. dicetur ad unum, idest analogum; ubi notandum est illud Arist. verbum *rectius*, quasi concedat recte dici posse univocum, aut æquivocum quodcumque prædicatum; rectius tamen dici analogum, quando intervenit ordo, & attributio, quia univocum absolute prolatum sumitur pro puro univoco, quod omnem excludit ordinem, & attributionem, ac etiam æquivocum absolute prolatum sumitur pro pure æquivoco, in quo item nullus est ordo, nullaque attributio; quare ex illo textu non deducitur analogum mediare inter univocum, & æquivocum, ut sic, sed inter pure univocum, & pure æquivocum, quia tam pura univocatio, quam pura æquivocatio analogiam excludit, unde solum inferri potest prædicatum analogum nec esse purum æquivocum, nec purum univocum; sed univocum, vel æquivocum analogia permixtum; immo postquam dixit rectius tale prædicatum, & quodcumque simile potius dici ad unum, seu analogum, quam univocum, vel æquivocum, tandem in fine textus facultatem facit appellandi illud univocum, vel æquivocum juxta conditionem analogiæ annexæ, quia parum refert, sive hoc, sive illo modo dicatur dicens, *sed hæc quidem quomodocumque dicere quis velit, nihil refert*; his præacceptis.

112 Dicendum est pro solutione quæsiti ens reale ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens non esse æquivocum, sed analogum univocum, analogum scilicet analogia attributionis, cum qua consistit univocatio. Ita Doctor quæst. 21. de Anim. & 4. Met. qu. 1. & 1. d. 3. q. 2. & d. 8. quæst. 3. ubi ejus Interpretes Tatar. Licher. Vigerius, Bargius, & 2. dist. 12. quæst. 2. ad 4. & lib. 4. d. 12. quæst. 1. sub H. quibus in locis explicat, qualis sit entis analogia, & rursus 4. Metaph. qu. 1. ubi Metaphysici Scotistæ Ant. And. Tromb. Orbell. Zerb. Bonet. item Canon. 1. Phys. quæst. 3. Rada 1. p. contr. 21. Faber theor. 95. & rursus 4. Met. disp. 1. Meurisse lib. 1. suæ Metaph. quæstion. 8. Cavell. in annot. ad cit. quæst. 21. de Anim. Ant. Roccus 1. Phys. quæstion. 6. formalistæ omnes nostræ scholæ tract. formalit. & quod mirabilibus est sequuntur etiam quamplures aliarum scholarum, quibus antea adeo invisum fuit nomen univocationis in ente, ita Contaren. tom. 1. qq. peripat. quæst. de entis univocat. cap. 3. Aversa in sua Philosoph. quæst. 3. sect. 12. Arriag. Ovvied. citat. & alii recentissimi ex Societate Jesu, quorum aliqui, ut dixi, ita mordicus entis univocationem tuentur contra Thomistas, ut nullam in eo analogiam agnoscant; item quamplures Professores Parisienses Franciscus de Raconis in Log. & Metaphysic. Pitardus, referente Meurisse ubi supra, Æmil Acerb. libror. 1. qq. petipatet. quæstione 4. & alii.

113 Probatur nostra conclusio quoad omnes partes, & quidem quoad primam, quod ens non sit æquivocum ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens conceditur in omni schola, & eam expresse docuit Arist. 4. Metaph. tex. 2. ubi inquit ens dici ad unum, & aliquam unam naturam, & non æquivoce, & 11. Metaphysic. cap. 3. ait, quod si ens diceretur æquivoce, idest multipliciter, secundum rationem autem nihil, non caderet sub una scientia, at ens inquantum ens universaliter cadit sub una scientia. Probatur etiam ratione, qua usi sunt D. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 5. & Scot. 1. dist. 3. qu. 2. quia si ens esset æquicocum ad Deum, & creaturam, nihil posset de Deo cognosci, & demonstrari ex creaturis, quod nedum est contra Philosophos multa de Deo ex creaturis demonstrantes, sed etiam contra Apostol. 1. ad Corint. dicentem, Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta

cta conspici; Consequentia patet, quia si ens æquivocum esset, pariter, & alia prædicata communia, unde arguendo ab his, quæ sunt in creaturis, ad Deum, interveniret semper fallacia æquivocationis, quæ ratio applicari potest etiam ad substantiam, & accidens, quia ex accidentibus multa deducimus prædicata substantiæ absque fallacia æquivocationis. Deinde quia si ens esset æquivocum, non haberet passiones, quia passio naturam determinatam, & unam insequitur, & rursus non posset esse medium demonstrationis, quia æquivocum non habet unitatem sufficientem ad medium demonstrationis, at ens, ut sic potest esse medium in demonstratione, & sic verbi gratia, arguendo, omne ens est bonum, Deus est ens, ergo est bonus. Demum in præcedentibus late probatum est ens possideri unitatem, & præcisionem conceptus objectivi ab inferioribus, quibus commune est, ergo non est æquivocum, a quo omnis talis unitas procul est.

Quoad alteram partem, in qua asseritur entis analogia, est etiam apud omnes in confesso paucis quibusdam exceptis, & expresse docetur ab Arist. 4. Met. tex. 2. cit. cum inquit ens dici ad unum, & ad aliquam unam naturam, quod est esse analogum, & a Scoto locis omnibus citatis, ubi licet ponat ens esse univocum, subdit tamen esse etiam simul analogum, quia analogia stat cum univocatione imperfecta, qualis est univocatio entis, & quidem, quod inter Deum, & creaturam aliqua intercedat analogia, negari non potest, nam creatura in ratione essendi talem habet attributionem ad Deum, quæ analogiam inducit; ergo inter Deum, & creaturam in ratione entis aliqua cadit analogia, probatur assumptum, quia Deus est ens per essentiam, creatura per participationem, rursus esse quod est commune Deo, & creaturæ habet diversum modum essendi hic, & ibi, quia in Deo est infinitum, in creatura finitum; habet item diversum ordinem essentialem, quia prius est in Deo, posterius in creatura, & tandem diversum gradum perfectionis essentialis, quia Deus est perfectissimum ens, creatura multis imperfectionibus scatet; Sed ens per participationem attributionem dicit ad ens per essentiam finitum ad infinitum, posterius ad suum prius, & imperfectum ad perfectum, ergo creatura in ratione entis attributionem aliquam dicit ad Deum, quæ sufficit ad analogiam inducendam, ut enim supra diximus ex Arist. & Scot. quælibet inæqualitas in defectu rationis communis ad inferiora sufficit ad analogiam inducendam, dummodo sit inæqualitas essentialis, & non prorsus accidentalis. Idem eodem modo probatur de substantia, & accidente, nam accidens in ratione entis attributionem aliquam habet ad substantiam, quæ sufficit ad analogiam constituendam, ut Arist. docet 1. Eth. c. 6. & 4 Met. c. 2. & lib. 7. c. 4. & lib. 11. c. 3. & l. 12. c. 4. tum quia ratio entis non æqualiter descendit in substantiam, & accidens, idest cum eodem ordine essentiali; etenim esse prius absolute convenit substantiæ, deinde accidenti cum habitudine ad substantiam, neque in eis reperitur cum eodem gradu perfectionis essentialis, quia esse substantiale perfectius est essentialiter esse accidentali; cum ergo ignobiliora, & posteriora attributionem dicant ad nobilius, & prius, concludendum est accidentia in ratione entis attributionem ad substantiam dicere.

114 Sed difficultas est quodnam analogiæ genus sit hoc, quod reperitur inter Deum, & creaturam, substantiam, & accidens in ratione entis; Thomistæ dicunt esse præsertim analogiam proportionis, five proportionalitatis, ita Compl. disp. 11. Log. qu. 3. qui tamen explicant id esse intelligendum non de analogia proportionalitatis Metaphoricæ, quasi per solam Metaphoram ens dicatur de creatura, & accidente, sed proportionalitatis propriæ, itaut proprie dicatur de omnibus secundum quandam similitudinem & proportionem, quia sicut se habet substantia in sua entitate, ita proportionaliter accidens in sua. Hoc Thomist. placitum impugnari solet a multis, quia non datur analogia proportionalitatis propriæ, sed omnis vera analogia proportionalitatis includit aliquid Metaphoræ, & improprietatis, sicut ridere dicitur de prato per translationem Metaphoricam; cum ergo ens respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis nihil Metaphoræ, seu improprietatis includat, non erit analogum proportionalitatis respectu illorum, ita Suarez disp. 28. Met. sect. 3. n. 11. & disp. 32. sect. 2. n. 12. quem sequuntur Ruvius, Pasqual. Blanc. Arriag. loc. cit. & alii quamplures. Sed nos disp. 2. Log. qu. 5. art. 1. concl. 2. ostendimus hunc analogiæ modum proportionalitatis propriæ admitti debere ultra proportionalitatem Metaphoricam, atque ideo ex hoc capite Thomistarum opinio refellenda non est, sed ex eo quod innuimus supra n. 16. quia scilicet cum majori longe proprietate entitas dicitur de Deo, & creatura, substantia, & accidente, quam pes dicatur de planta animalis, de base lectuli, & radice montis, unde etiam admissa tali analogia inter Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, adhuc per eam non explicatur creaturam, & accidentia esse entia cum ea proprietate, qua entitatem participant; quid enim explicatur per hoc, quod sicut se habet Deus ad suam entitatem, ita & creatura ad suam, & sicut se habet substantia ad subsistentiam, ita accidentia ad inhærentiam. Tum quia, quamvis admittamus analoga proportionalitatis propriæ, adhuc tamen negamus posse illa habere unum conceptum communem l. c. art. 2. quod & gratis concedunt Thomistæ; cum ergo Deus, & creatura, substantia, & accidens conveniant in communi conceptu entis ab inferioribus præcisо, sane nequeunt in ipso analogari analogia proportionis etiam proprie dictæ; unde nescio qua ratione Aversa cit. qu. 3. sect. 3. qui tenet unitatem conceptus entis, hunc modum analogiæ admittat in ente. Tum tandem quia talis analogia debet enti attribui, quæ consistat cum unitate conceptus, ac ejusdem univocatione, ut frequenter monet Doct. sed analogia proportionalitatis, five proprie, five Metaphorice cum neutra compossibilis est; ergo non debet ens analogum poni hoc analogiæ genere; vide dicta num. 16. nam ex ibi dictis deducuntur alia argumenta contra opinionem Thomistarum, minor patet ex dictis in Logica de illo analogiæ genere.

115 Addunt insuper Thomistæ ens respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis esse analogum analogia attributionis illius generis, quæ sumitur quidem ab eadem forma, sed quæ intrinsece sit in uno tantum analogatorum, in aliis vero per solam extrinsecam denominationem, & habitudinem ad illud, ita declarant Compl. loc. cit. ex prævia Cajet. explicatione de nominum analogia cap. 2. Sed neque hoc recte asseritur, quia constat creaturam, & accidens non denominari entia sola denominatione extrinseca ab entitate, & esse, quod est in Deo, & substantia, sed a proprio, & intrinseco esse, quod in eis reperitur. Tum quia constat, creaturam, & accidens non dici entia quasi abusive, sed vere, & cum omni proprietate non secus ac Deus, & substantia, nam creaturæ, & accidentia existunt, vel saltem existere possunt, in quo consistit formaliter ratio entis, ut opponitur chymeræ. Tum quia supra probatum est ens uno conceptu dici de omnibus sitis intrinsece eis imbibito, ergo ejus analogia nequit esse istius generis; Tum tandem quia semper militat illa ratio, quod enti talis analogia debet tribui, quæ sit cum univocatione compossibilis, talis autem non est analogia attributionis per extrinsecam tantum denominationem a primo analogato.

Alii cum Hurtad. disp. 9. Log. sect. 4. dicunt, ens esse analogum analogia transcendentiæ, cum enim ens includatur quidditative etiam in ultimis differentiis, & modis constitutivis Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, per rationem ipsius entis præcisam ista conveniunt, & per eamdem in differentiis involutam ista differunt, & sic per eamdem rationem entis partim conveniunt, partim differunt, quod est esse analogum, quod generibus, & aliis gradibus prædicamentalibus convenire nequit, quia non includuntur in differentiis contrahentibus. Sed neque hic modus dicendi rationabilis est, primo quia falsum est ens quidditative in ultimis differentiis includi, & suis modis contrahentibus, ut dicemus quæst. seq. Deinde quia adhuc tali transcendentia admissa nulla sequitur analogia in conceptu præcisо entis, ut sic, licet enim transcendentia includantur in suis inferioribus, & contractivis; adhuc tamen differentiæ, & modi non includuntur in conceptibus superioribus, & transcendentibus, atque ideo conceptus entis, ut sic præcisus, erit tantummodo ratio conveniendi, non differendi. Tum quia cum ens consideratur in differentiis involutum, non amplius consideratur in statu abstractionis, sed contractionis, & non sub nomine entis, sed differentiæ; quando autem hic quærimus, an conceptus entis sit analogus, & qua analogia, non est quæstio de ente in statu contractionis, sed abstractionis, & præcisionis, sicut enim univocatio conceptibus, & realitatibus convenit in statu abstractionis præscindendo omnino a statu contractionis, ita etiam analogia. Tum tandem quia quando etiam admitteremus transcendentiam inducere analogiam, adhuc tamen non talem analogiam inducit, quæ univocationem excludat, ut isti prætendunt. Probatur assumptum, quia diversitas in statu contractionis univocationem non tollit, ad quam requiritur in statu præcisionis tantum rationem significatam esse omnino eamdem, ut constat ex ipsa Univocorum definitione.

116 Alii cum Suarez tom. 2. Metaph. disp. 28. sect. 3. n. 17. & disp. 32. sect. 2. num. 15. volunt ens esse analogum inæqualitatis sumendo analoga inæqualitatis non ita fuse pro omnibus iis, quæ sub se continent species inæqualis perfectionis; sed specialiter pro his, quæ continent species tali modo inæquales, quod una dicat dependentiam essentialem ab alia, & natura communis ad eas descendat per prius, & posterius, & contrahatur per unam speciem per dependentiam essentialem ab alia; hoc itaque modo inquiunt ens esse analogum, quia determinatur in creatura per dependentiam essentialem a Deo; in accidente per dependentiam essentialem a substantia; & dicunt hanc analogiam ab ente omnem prorsus exuere univocationem, quia univocum ex se ita est indifferens, ut æqualiter, & sine ullo ordine, vel habitudine unus ad alterum ad inferiora descendat; sed ens quantumvis abstracte, & confuse sit conceptum, tamen ex vi sua postulat hunc ordinem, ut primo, & per se competat Deo, & per illum descendat ad reliqua, quibus non insit, nisi cum habitudine, & dependentia a Deo.

At neque hic dicendi modus approbandus est, quia ista inæqualitas analogiam constituens exclusa univocatione, quæ proveniat ex ipsa ratione communi contrahibili, non est multum rationabilis, nam ratio entis in statu præcisionis omnino abstrahit a dependentia, & independentia, & est omnino una, & eadem indifferens ad speciem entis dependentis, vel independentis, & si aliqua inæqualitas reperitur interdum in natura communi, sane redundat in ipsam ex solis differentiis contrahentibus, ut diximus num. 108. Si dicas, quod licet natura in statu abstractionis præscindat a differentiis, & modis contrahentibus, tamen adhuc est fundamentaliter capax, & exigitiva differentiarum sic inæqualium, quia petit prius contrahi per rationem independentiæ, & poste-

posterius per rationem dependentiæ, ex quo infertur quod inæqualiter respiciat inferiora, quæ inæqualitas sufficiens est ad inducendam analogiam, & *univocationem* excludendam. Contra hoc est, quod talis inæqualitas suo modo reperiretur in qualibet natura generica, cum quælibet petat contrahi per differentias inæquales in perfectione essentiali; sicut ergo in natura generica hæc inæqualitas intrinseca non est, sed per solam extrinsecam demonstrationem in eam redundat desumptam ex differentiis, per quas est contrahibilis, ita pariter de ente, & alio quocumque transcendente dicendum est. Tum quia quando etiam hæc inæqualitas esset naturæ entis intrinseca, aut alteri naturæ communi, non arguit ullam diversitatem in ratione illa superiori; sicut enim materia per unam, & eandem potentiam Physicam penitus immutatam respicit formas oppositas, & prius substantialem, quam accidentalem, sic quoque natura communis per eandem indivisibilem formalitatem poterit respicere duas differentias oppositas, & prius unam, quam alteram; si ergo talis inæqualitas constitit cum omnimoda identitate rationis contrahibilis, nullam inducit analogiam, vel saltem non talem, quæ excludat univocationem, ad quam sufficit omnimoda unitas rationis. Tum quia in Univocorum definitione nulla fit mentio talis æqualitatis, quæ necessaria sit ad rationem univocationis, sed solum unitatis, & identitatis rationis, aut ergo hæc inæqualitas destruit unitatem rationis communis, quod non concedunt isti, cum quibus, disputamus, vel si cum ea compatitur, etiam cum univocatione consistit. Tum quia absolute falsum est inæqualitatem importatam per differentias dependentiæ, & independentiæ univocationem destruere, nam prædicatum vitalitatis univoce prædicatur de actu, & potentia *vitali*, & tamen actus vitalis ponitur essentialiter dependere a potentia vitali; nulla ergo inæqualitas intrinseca, & subjectiva admitti potest in ente, vel quavis alia natura communi in statu præcisionis, sed extrinseca solum, & terminativa, idest extrinsece desumpta ex terminis, & differentiis, quas respicit, & concedimus hanc *sufficientem* esse ad analogiam inducendam, ut diximus ex Arist. num. 108. sed talem, quæ nec univocationem excludat, & ad analogiam attributionis reducatur.

117 Restat ergo, quod ista analogia entis respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis non sit, nisi attributionis, ut ait Doct. 2. dist. 12. quæst. 1. G. & 4. dist. 12. quæstion. 1. H. & Alens. 7. Met. tex. 5. quæstion. 1. per intrinsecam convenientiam formæ in omnibus analogatis, adhuc tamen per participationem, & dependentiam unius ab alio, quod quidem facile suaderi potest ex dictis; nam manifestum quidem est accidens habere suam intrinsecam, & essentialem entitatem distinctam a substantia, & non esse formaliter per entitatem substantiæ; similiter creaturam respectu Dei, & ut sic ens dici de illis intrinsece, & essentialiter, quod adeo apertum est, ut nec Thomistæ audeant hoc negare; habet tamen creatura hoc esse cum habitudine, & essentiali subordinatione ad Deum, quia creatura est ens per participationem ejus esse, quod est in Deo per essentiam, adeo ut si Deus non esset, creatura non esset, deficiente siquidem ente per essentiam opus est quod & ens per participationem deficiat, & hæc est maxima illa analogia attributionis, quam inquit Doctor versari inter Deum, & creaturam; Similis analogia quoque reperitur inter substantiam, & accidens, esto non cum tanta subordinatione, quia nimirum in existendo ita a substantia dependet, tanquam a proprio subjecto, ut extra ipsam nequaquam existere possit naturaliter, quia ut de causa dixit Aristotel. accidens non absolute ens, sed *entis ens scilicet substantiæ*, quia non existit, nisi in ente, nimirum in substantia. Hic tamen advertendum est, quod bene Suarez adnotavit disput. cit. 28. sect. 3. num. 16. ubi & ipse hanc analogiam agnoscit in ente, quod cum dicimus ens dici de creatura per attributionem ad Deum, id non ita intelligendum esse, quod creatura concepta sub abstractissima, & confusissima ratione entis, ut sic, habitudinem dicat ad Deum; id enim est impossibile, cum sub ea ratione non concipiatur creatura ut ens finitum, & limitatum, sed omnino abstrahatur, & solum concipiatur sub ratione existentis extra nihil, sed est ita intelligendum, ut in reipsa creatura non participet rationem entis, nisi cum subordinatione quadam essentiali ad Deum, cum essentialiter sit ens ab alio; Ex quo duo colligere licet, unum est contra eundem Suarez totam inæqualitatem in conceptu entis redundare ab extrinseco ex modis contrahentibus, & analogiam vertentem inter Deum, & creaturam in ratione entis non attendi debere ex aliqua inæqualitate reperta in ente in statu præcisionis, & ex natura sua intrinseca, ut dicebat Suarez, quia jam ipse fatetur loco modo citato impossibile esse, quod creatura sub ratione entis, ut sic, dicat habitudinem dependentiæ ad Deum, sed attendi debere ex statu contradictionis. Alterum est, quod supra innuimus num. 41. quod cum dici solet ens prius ad Deum contrahi, quam ad creaturam, non debet ita intelligi, quasi in contrahenda entis ratione opus sit nostram cognitionem prius tendere in Deum, quam in creaturam, quia postquam concepimus rationem entis abstractam a Deo, & creatura, possumus immediate nulla alia cognitione intercedente ens creatum apprehendere; immo si de nobis loquamur, ratio entis prius ab hominibus concepta est in ente finito, quam infinito, quia ex cognitione creaturarum devenerunt in cognitionem Dei. Dices non posse creaturam sine creatore cognosci saltem distincte, & Deum esse priorem, hanc vero posteriorem. Hoc nihil refert, id enim tantum importat Deum cognoscendum esse, ut principium a quo creatura dependet, quod optime fieri potest per cognitionem simplicem terminatam primario ad creaturam, & secundario ad Deum, ex vi cujus creatura cognoscatur ut posterior Deo, ac dependens a Deo, ut notavit Ovviedus controv. 1. Met. punct. 6. in fine, prioritas ergo, & posterioritas Dei, & creaturæ in participanda entis ratione non debet attendi ex contractione a nobis per intellectum facta, sed ex statu contractionis a parte rei, juxta quem non reperitur entitas in creatura, nisi prius sit in Deo, & dependenter a Deo, & in hoc sensu dicitur ens prius ad Deum contrahi, quam ad creaturam; Secus tamen est de ente in ordine ad substantiam, & accidens, cum enim respectu eorum habeat rationem generis, & non importet solum conceptum, sed veram realitatem Metaphysicam, quia quod immediate contrahitur ad substantiam, & accidens non est ens transcendens commune Deo, & creaturæ, sed ens finitum, & limitatum, ut mox dicemus, & consequenter contractio illa fiat a parte rei, & non per opus nostri intellectus, omnino dicendum est, ens prius ad substantiam contrahi, quam ad accidens, quia ita est a parte rei; adhuc tamen poterit intellectus prius accidens concipere in ratione entis, immo ita de facto contingit in nobis substantiam cognoscentibus ministerio accidentium sub ratione communi entis, cœterum indagato arguitive conceptu proprio substantiæ, regredimur inde ad cognitionem distinctam accidentis, ut posterioris, & dependentis a substantia, unde quantum est ex parte objecti semper cognitio Dei dicitur præcedere notitiam creaturæ, & cognitio substantiæ notitiam accidentis, quia esto ex indigentia prius cognoscamus creaturam, quam Deum; & substantiam, quam accidens, attamen cognoscimus postea Deum esse priorem creatura, substantiam accidente.

118 Quoad ultimam conclusionis partem, in qua asserimus cum analogia entis consistere quoque univocationem saltem in imperfecto gradu, quia continet cardinem totius difficultatis, fusius probanda est cœteris, & quidem probatur primo auctoritate Arist. qui pluribus in locis id non obscure insinuavit, nam 4. Met. text. 2. cum docuisset Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, de quibus agit Metaph. esse ad unum, significare volens, quo pacto omnium istorum una possit esse scientia, subdit hæc verba, *non enim solum eorum, quæ secundum unum dicuntur, verum etiam eorum, quæ ad unam naturam dicuntur, unius scientiæ est speculari, etenim hæc etiam quodammodo secundum unum dicuntur*, quando ait Philosophus, *non enim solum eorum, quæ secundum unum dicuntur*, certum est intelligere de univocis, unde ex sententia omnium Interpretum per ly *secundum unum*, significatur univocum, quando autem ait, *quæ ad unam naturam dicuntur*, loquitur de analogis, hæc enim appellat ad unum ob attributionem quam dicunt ad unum primum. Dum ergo dicit hæc quodammodo dici secundum unum, significat analoga posse dici univoca, & cum analogia entis univocationem quoque consistere; addit autem ly *quodammodo*, ut indicaret univocationem in gradu imperfecto, quia univocatio in gradu perfecto non stat cum analogia ex dictis n. 106. Item 7. Met. 15. inquirens, num ens debeat dici unum, seu univocum, aut æquivocum, vel potius ad unum, sive analogum substantiæ, & accidenti, respondet *rectius est neque æquivoce dicere, neque eodem modo, sed quemadmodum medicinale*, idest rectius analogum appellari, & tandem subdit in fine textus, *sed hæc quidem quomodocumque dicere qui vult nihil differt*, quæ Aristot. verba sunt maxime notanda, dum enim ait ens rectius vocari analogum, quam univocum, utique innuit recte etiam appellari posse univocum, & sine ullo errore, licet rectius dicatur analogum, quia ut diximus nu. 111. univocum absolute, & simpliciter prolatum accipi solet pro puro, & perfecto univoco; dum tandem concludit parum referre quomodocumq; dicere quis velit, num scilicet velit ens univocum appellare, vel analogum, aperte docet utrumque cum veritate enunciari posse, & univocationem cum analogia vere consistere. Deinde probat Doctor alia auctoritate Arist. 2. Metaph. tex. 4. quam examinat quæst. 21. de Anim. §. *sed quod sit*, & 1. d. 8. quæst. 3. §. *Respondetur* dicentis, quod unumquodque est maxime tale, quod est causa, quod alia sunt univoce talia, ut ignis est calidissimus, quia est causa univoca caloris in alio, non autem hoc est verum de causa analogica, vel æquivoca, quia tunc sequeretur, quod Sol esset calidissimus, & subdit, quod *prima principia oportet esse verissima*, quia sunt causa veritatis in aliis, quod non sequeretur, ut dictum est, nisi veritas diceretur in utrisque univoce, sed subdit, *sicut se habent ad esse, ita ad veritatem*, igitur quod est causa entitatis in aliis, est maxime ens, si tamen ens dicatur de eis univoce, non aliter, cum ergo Deus sit causa entitatis aliis, & dicatur maxime ens, oportet, quod ens dicatur de Deo, & creaturis univoce aliquo modo, & non mere analogice, ita discurrit Doctor quæstione cit. de Anim. Resp. Cajet. lib. de ente, & essentia, analoga esse media inter univoca, & æquivoca, & medium ad unum extremorum comparatum induere rationem alterius, quia ergo ens est analogum, comparatum ad æquivocum vocatur ab Arist. univocum. Sed hæc solutio optime reiicitur ex consideratione facta a Scot. 1. dist. 8. quæst. 3. in constructione argumenti Aristot. nam data Cajet. responsione, ratio Philosophi nihil concluderet, & in ea essent quatuor termini, nam in majori loquitur de vera univocatione, & in minori loqueretur de analogia; præter quam quod assumit quoque falsum ista responsio, nimirum, quod detur analogum purum inter univocum, & æquivocum.

119 Se-

119 Secundo probatur ex ratione analogiæ, quæ ex sua natura cum univocatione est compossibilis, tam ex ratione generali, quam ex ratione speciali, saltem ut in pluribus; ex ratione generali quidem, quia ut in Logica dictum est, inter univocum, & æquivocum non mediat analogum per abnegationem extremorum, quasi dari queat purum analogum, quod nec sit univocum, nec æquivocum, quia inter importare eandem rationem communi nomini correspondentem, quod convenit univocis, & non importare eandem rationem, quod convenit æquivocis, non datur medium, quia sunt contradictoria; ergo analogum semper erit cum altero istorum scilicet vel cum æquivocatione, si importat rationes diversas, vel cum univocatione, si importat eandem, licet cum aliqua diversitate extrinsecus adveniente, ut ibi fuse probatum est; quod etiam non repugnet ex ratione speciali, probatur discurrendo fere per singulas analogiæ species, quia secluſa analogia per Metaphoram dicta, quam nullus tribuit enti (quia nec creatura, nec accidens sunt entia per metaphoram, & tropum, sed vere, ac realiter) omnes fere compatibiles sunt cum univocatione; nam si loquamur de analogia attributionis per participationem intrinsecam formæ ab omnibus analogatis, quæ proprie competit enti, sane hæc univocationem non excludit, quia hujusmodi analoga intrinsece denominantur ab una forma ejusdem rationis in singulis existente, qua de causa abstrahibilis est ab eis communis conceptus cum unitate univocorum propria, & ideo disput. 2. Log. quæst. 5. artic. 3. diximus talia analoga ad univoca pertinere. Si ens ponatur analogum analogia transcendentiæ, ut contendunt nonnulli, neque ita univocationem impedit, quia talis transcendentia non impedit omnimodam identitatem rationis entis in statu præcisionis, ut etiam Hurtadus ipse concedit; ergo nec impedit univocationem; Probatur consequentia, quia ad substantiam univocationis constituendam sufficit sola unitas, & identitas rationis correspondentis nomini communi, ut clare constat ex ipsa Univocorum definitione, tum quia ex vi talis transcendentiæ ens tantummodo includitur in differentiis, & modis contrahentibus, non e contra differentiæ in conceptu præciso entis; ergo talis transcendentia nullam appingit diversitatem conceptui entis præciso cum univocatione incompatibilem. Deinde si ens ponatur analogum analogia inæqualitatis, ut alii volunt, nec etiam ista impedit univocationem, quia vel ista inæqualitas est prorsus extrinseca conceptui entis sibi obveniens ex modis contrahentibus, ut nos putamus, & hanc certum est univocationem non impedire, ut etiam Suarez ipse fatetur, alioquin nullum genus univocum esset; vel ista inæqualitas est ei intrinseca, & neque etiam hoc modo univocationem excludit, tum quia non destruit unitatem conceptus objectivi ipsius entis, in qua fundatur univocatio, tum quia nullam affert diversitatem conceptui entis in statu præcisionis, quæ univocationem excludit, quia per unam, & eandemmet formalitatem potest inæqualiter respicere sua inferiora, sicut materia per eandem prorsus potentiam inæqualiter appetit formas ex dictis numer. 116. & tota diversitas in illo provenit ex modis contrahentibus, non ipsa ratione superiori, quæ præcise est una. Demum, si cum Thomistis ponatur ens analogum analogia proportionalitatis proprie, & attributionis per denominationem extrinsecam, adhuc non desunt, qui dicant hanc quoque analogiam secum univocationem compati (esto nos hoc non admittamus ex dictis in Logica, de hoc genere analogiæ) quia enim hujusmodi analoga proportionalitatis propriæ rationes habent intrinsecas, & fundamenta talis proportionis, volunt ab eis abstrahibilem esse unam communem rationem cum aliqua unitate, licet satis diminuta, in qua fundari queat imperfectissima omnium univocatio, & ita fere tenent Scotistæ omnes, quos in Logica citavimus disp. & quæst. cit. art. 2. Addunt insuper aliqui denominati posse accidens ab entitate substantiæ, quia est aliquid substantiæ, & in hoc sensu esse posse analogum attributionis per denominationem extrinsecam, sed adhuc etiam retinere analogiam attributionis per denominationem intrinsecam, & ita loquitur Aversa loc. cit. ubi distinguit varias acceptiones univocationis, & analogiæ, & juxta earum varietatem ponit ens analogum simul, & univocum.

120 Tertio probatur ex parte Univocationis, quæ ex natura sua secum compatitur analogiam, quia ut notat Doctor cit. 1. d. 8. quæstion. 3. sub E, unitas attributionis minor est unitate univocationis, hæc enim constituitur per unitatem conceptus ab inferioribus perfecte præscindentis, illa vero involvit vel plures rationes inter se proportionem habentes, vel plures habitudines ad unam formam, sed major unitas secum compatitur minorem unitatem, sicut quæ sunt unum specie, sunt unum genere, ergo &c. Tum quia Univocatio non consistit in indivisibili, ut Pasqualig. autumat, qua de causa cum ponat ens univocum ad substantiam, & accidens negat habere admixtam analogiam contra expressam Arist. intentionem 4. Met. tex. 2. quam varie extorquet, ac in peregrinos deducit sensus contra communem omnium Interpretum; non inquam, consistit in indivisibili, sed habet latitudinem gradualem per quatuor gradus jam explicatos num. 106. ratione cujus latitudinis distingui solet in univocationem perfectam, & imperfectam, & imperfecta dicitur magis, vel minus, secundum quod magis vel minus habet analogiæ admixtum. At respondet Pasqualig. negando assumptum, quia non datur imperfecta unitas, unitas enim non potest tolli nisi per multiplicitatem, & hæc ex natura sua perfecte tollit unitatem; cum ergo unitas, & multiplicitas consistant in indivisibili, si altera ab altera tollitur, adæquate tollitur, unde concludit non posse dari aliquid, quod non sit perfecte unum, aut perfecte multiplex, atque ideo cum univocatio fundetur in unitate conceptus præcisi ab inferioribus, nequit cum univocatione analogia consistere, quæ affert multiplicitatem, & diversitatem. Sed hæc solutio est prorsus inanis, & jam in Logic. loc. cit. hoc Pasqualig. figmentum confutavimus, quia tam in unitate, quam in multiplicitate datur latitudo, & cum unitate majori stat unitas minor, unde Arist. 5. Metaph. 12. plures gradus unitatis distinxit, dum inquit: *alia numero, alia genere, alia specie, alia analogia unum sunt*, & cum unitate specifica stat numeralis multiplicitas, ac pariter cum unitate generica *multiplicitas specifica*; cum ergo natura una genere sit multiplicata specie, & una specie multiplex numero, falsum omnino apparet, quod Pasqualig. ajebat, quamlibet multiplicitatem tarim ex integro destruere quamlibet unitatem, & quamlibet unitatem esse perfectam, quia illa tantum unitas potest dici perfecta, quæ nullam secum compatitur multiplicitatem. Deinde similitudo, & convenientia plurium fundatur super unitatem, ex 5. Met. & ab ea dimetitur, quod fit major, vel minor, sicut ergo non quælibet convenientia, & similitudo summa est, & omnino perfecta, quia major est convenientia inter Petrum, & Paulum, quam inter Petrum, & Bucephalum, sic ascendendo in prædicamento per omnes gradus semper minor unitas naturarum reperitur, & descendendo semper major, quia quo natura inferior est, minorem secum admittit multiplicitatem, & quo superior majorem. Nec refert, quod unitatem conceptus univoci dicamus esse perfectam (*quæ forte locutio Pasqualig. decepit*) quia non dicitur perfecta in sensu, quo ipse putat, quasi non detur major, vel minor unitas in conceptibus univocis, constat namque apud omnes majorem esse unitatem conceptus specifici, quam generici, & generici, quam transcendentis. Sed dicitur perfecta unitas, quatenus conceptus univocus perfecte præscindit a suis inferioribus modo supra explicato quæst. 3. num. 49. Tum quia ut diximus num. 64. analogia univocationi conjuncta non minuit ejus unitatem proprie loquendo, sed tantum reddit inæqualiter ab inferioribus participabilem, & hæc inæqualitas analogiam causat. At inquit Pasqualig. hanc inæqualitatem non convenire enti in statu præcisionis, sed tantum in statu contractionis, & secundum modum essendi, quod habet in *inferioribus*, & ideo non facere rationem entis analogam. Contra quia esto censeamus probabilius esse talem inæqualitatem enti advenire ab extrinseco, & a modis contrahentibus, non autem ei convenire ab intrinseco, quia in statu præcisionis est conceptus omnino unus, & idem; falsum tamen est, hanc inæqualitatem non esse sufficientem ad inducendam analogiam, quia cum Arist. docet ratione, inæqualitatis analogiam emergere in genere, 7. Phys. 31. & 3. Phys. 70. ait, naturam infiniti non esse unam, & eandem, idest univocam in pluribus, quia dicitur secundum prius, & posterius, & 3. Met. 11. infinuat prius, & posterius non stare cum perfecta univocatione, plane loquitur semper de inæqualitate a differentiis proveniente, ergo hæc est sufficiens ad analogiam inducendam. Tum tandem quia etiam & hic ipse Auctor loc. cit. disp. 39. sect. 4. num. 4. fatetur ens esse analogum secundum esse, quod habet in statu contractionis, atque ideo hanc analogiam *in ipsum redundare ex vi rationum contrahentium*, at neque nos in ente majorem, vel magis intrinsecam astruimus analogiam, quam quæ sibi advenit ex modis contrahentibus, nec alio modo, aliave ratione Arist. & Scot. illud faciunt analogum, ergo, sed de hoc rursus dicemus infr. n. 138.

121 Quarto directe probatur univocatio entis ex ipsa Univocorum definitione tradita in Antepræd. ex qua colligitur ad constituendam univocationem sufficere unitatem rationis communis, nec meminit Aristot. æqualitatis uniformitatis inferiorum in participanda communi ratione; cum ergo ut ex præcedentibus quæstionibus constat, ens habeat unum conceptum præcisum a suis inferioribus, concludendum est, esse univocum, esto inæqualiter in sua *inferiora* descendat, quia talis æqualitas, & uniformitas descendendi in inferiora non est conditio necessaria ad substantiam univocationis, ut constat ex univocorum definitione, sed tantum ad perfectionem ejus, atque ita jamdudum statuimus disput. 2. Log. quæst. 4. art. 2. explicando definitionem Univocorum. Quod si Suarez, & alii aliquid amplius ad univocationem desiderant, non stant rationes Univocorum definitioni, & quæstionem de nomine conficiunt; quod quidem effugium, ut præcluderet Doctor, ne incideremus in quæstionem de nomine, ita scriptum reliquit 1. d. 3. qu. 2. B. *ne fiat contentio de nomine univocationis, conceptum univocum dico, qui ita est unus, quod ejus unitas sufficit ad contractionem affirmando, & negando ipsum de eodem, & sufficit pro medio syllogistico, ut extrema unita in medio sic uno sine fallacia æquivocationis concludantur inter se unum*, ubi nomine Univoci intelligit solum univocum, quod opponitur æquivoco, quippe cujus unitas ad contradictionem non sufficit; & quidem etiam ipse Suarez agnovit inter nos, & ipsum non esse, nisi quæstionem de nomine, cum conveniamus in præcisione conceptus entis, ut constat ex verbis illis, quæ habet disput. 28. Met. sect. 3. num. 17. *quamquam, ut verum fatear, inter eos qui admittunt unum conceptum confusum entis, vix potest esse in hac quæstione dissensio de re, sed de modo loquendi, non sine dubio habet ens magnam similitudinem cum terminis univocis; cum*

medio

medio uno conceptu absolute, & sine addito de Deo, & creatura prædicetur, quam solam convenientiam considerarunt, qui illud univocum appellarunt.

Nihilominus ne argumentum hoc, cui multum defert ex univocorum definitione deductum, relinquat insolutum, tres affert solutiones, & tertiam, cui tandem aquiescit, assignat num. 21. negando rationem entis esse omnino eandem in ente finito, & infinito, nam hoc est ens, quia est ex se, illud vero est ens, quia est ab alio. Et quia prævidit statim impugnari posse, quia his verbis non explicatur ratio præcisissima entis ut sic, de qua est quæstio, sed rationes proprie talis, & talis entis. Respondet in primis, rationem entis esse transcendentem, & intime inclusam in omnibus propriis, ac determinatis entium rationibus, ratione cujus inclusionis diversitatem fortitur in hoc, & illo ente, unde non est eadem ratio entis in omnibus; addit deinde, quod etiam ratio ipsa entis præcisa non est omnino una, & eadem, quia non est ex se omnino uniformis in descendendo ad inferiora, quam uniformitatem requirunt univoca in ratione sua. Sed tota hæc doctrina in hac solutione contenta jam est rejecta, quia falsum est, ens quidditative includi in ultimis differentiis, & modis contrahentibus, & quando sic includeretur, talis inclusio univocationem non tollit ex dictis num. 119. quia si modi includunt ens, non tamen e contra, & ideo in sua ratione præcise nullam claudit diversitatem, quæ univocationem excludat, & hac eadem de causa falsum est, quod deinde subdit rationem entis in statu præcisionis non esse omnino unam, & eandem, quia cum in tali statu perfecte præscindat a modis contrahentibus, præscindit quoque ab omni diversitate, quæ non nisi ab illis expectari potest, & denique falsum est, illam æqualitatem, & uniformitatem in descendendo ad inferiora ad univocationem, requiri simpliciter, & absolute sumptam; quia univoca, & æquivoca opponuntur, atque ideo per rationes oppositas constituuntur; ergo si æquivocum per multiplicitatem rationum formalium constituitur, univocum e contra per unitatem ejusdem rationis communis constituetur; tum quia ratio perfecte præscindens ab inferioribus est univoca, quia nullam in seipsa diversitatem includit, & ibi univocatio reperitur, ubi diversitas non inveniatur, sed ratio entis perfecte præscindit ab inferioribus ex supradictis, & Suarez ipse concedit, ergo &c.

Respondent proinde Complut. disput. 11. Logic. cit. quæst. 2. negando ens habere unitatem conceptus perfecte ab inferioribus præcisam, & ingenue fatentur, quod qui talem unitatem concedunt conceptui entis, eis univocationem evitare non possunt; concedunt tamen explicationem illam nominis Univocationis a Scoto assignatam, & ens habere talem unitatem, quæ sufficiat ad contradictionem, & possit esse medium syllogisticum; sed ajunt ex Cajetano Scotum non bene unitatem istam appellare univocationis, cum ad hæc sufficiat unitas analogiæ proportionis saltem propriæ. Sed unitas, & perfecta præcisio conceptus entis fuse probata est in præcedentibus quæstionibus, & quod unitas analogiæ etiam proportionis propriæ non sufficiat ad contradictionem, nec ad medium syllogisticum ostensum est numero 21.

122 Denique adhuc potiori ratione stabilitur ens esse vere univocum ad substantiam, & accidens, quia ut diximus supra num. 24. & 67. ex disp. 6. Log. quæst. 1. ens in ordine ad substantiam, & accidens habet rationem generis, ergo nequit ei univocatio negari; Consequentia patet, probatur assumptum, quia ex dictis loc. cit. in Logica, non est ens transcendenter sumptum, quod immediate dividitur in substantiam, & accidens, sed est ens creatum, & limitatum, ut etiam Suarez adnotavit disp. 32. Met. sect. 2. nu. 2. quia ut docet Doctor 1. d. 8. q. 3. N. ens prius dividitur in infinitum, & finitum, & deinde finitum in substantiam, & accidens, seu in decem genera; ergo nihil deficit enti, ut descendit in substantiam, & accidens, quin sit genus; tum quia hoc asserendo de ente finito non sequuntur illa absurda, quæ sequerentur id asserendo de ente transcendenti communi Deo, & creaturæ, ut discurrenti patebit, nam certum est, negantes ens esse genus ea præsertim motos esse ratione, ne Deum sub genere concluderent, ac Metaphysice componerent ex genere, & differentia, aliaque absurda incurrerent, quæ ad hanc positionem sequi diximus q. 4. apud sentientes ens dicere realitatem. Probat etiam Doctor univocationem entis ad substantiam, & accidens 1. dist. 3. q. 3. sub lit. I. pertractando illam rationem, quam superius num. 39. ostendimus, quod Deus non esset a nobis naturaliter cognoscibilis, nisi daretur conceptus entis præcisus, ita arguit in proposito Doctor de substantia, & accidente, cum enim substantia non immutet immediate intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, sed tantum accidens sensibile, sequitur, quod nullum conceptum quidditativum habere poterimus de ea, nisi sit aliquis talis, qui possit abstrahi a conceptu accidentis; sed nullus talis quidditativus abstrahibilis est ab accidente, nisi conceptus entis, ergo &c. Quod autem substantia non immutet immediate intellectum, probat, quia si esset per se sensibilis, certe possemus ejus absentiam cognoscere, sicut per speciem ejusdem præsentiam perciperemus, & sic possemus naturaliter cognoscere in Sacramento Altaris substantiam panis abesse, quod est falsum, de quo vide disput. quarta de Anim. num. 57. aliæ quamplures solent a Scotistis adduci rationes ad probandam entis univocationem, quæ potius directe probant unitatem, & præcisionem conceptus entis, quam univocationem, & ideo adductæ fuerunt in præcedentibus quæstionibus, ubi disputavimus de unitate, & præcisione conceptus entis, antequam veniremus ad punctum de Univocatione entis; Scotistæ autem antiquiores ideo non distinxerunt quæstiones de unitate conceptus entis ac ejus univocatione, sed sub una, & eadem utramque comprehendebant, quia qui concedebant unitatem conceptus entis, pariter, & univocationem admittebant, & qui eam non admittebant, istam quoque negabant, ut consequenter loquerentur; Sed postquam Suarez, ac cæteri Recentiores admiserunt unitatem, & præcisionem conceptus entis, & constanter inde negaverunt ejusdem univocationem, opus fuit has quæstiones distinguere, ut unitate conceptus entis concluſa ostenderemus ad consequenter loquendum univocationem quoque admitti debere, qua de causa rationes unitatem conceptus entis probantes, possunt etiam ad præsens negotium univocationis entis inservire, eo quia ut diximus, concessa unitate, & præcisione alicujus conceptus a suis inferioribus, consequenter etiam concedenda est ejusdem univocatio; est enim aperta protervia concedere unitatem, & negare univocationem ait Doctor 1. dist. 8. quæstion. 3. lit. P. *Si autem aliqui*, ait ipse, *proterviant unum esse conceptum entis, & tamen nullum esse univocum isti, & illi istud non est ad intentionem hujus quæstionis, quia quantumcumque illud, quod concipitur, sit secundum attributionem, vel ordinem in diversis, si tamen de se conceptus unus est, ita quod non habet aliam rationem, secundum quam dicitur de hoc, & de illo, ille conceptus est univocus.* Neque dicat Masius disput. de analog. in Logica sect. 1. q. 2. non esse cum Scoto disputandum in hac qu. quia fingit sibi rationem univocationis, nec utitur ea, quam dedit Arist. assignando definitionem univocorum, juxta quam præter unitatem nominis, & rationis, requiritur, ut ex æquo participetur ab inferioribus. Nam potius Masius, & alii eam conditionem sibi confingunt, non Arist. qui ad univocationem requirit tantum unitatem nominis, & rationis, ut diximus in Logica explicando definitionem Univocorum.

ARTICULUS II.

Argumenta contra analogam entis Univocationem dissolvuntur.

123 Sicut nuper dicebamus, plura fieri argumenta a Scotistis, in hac controversia, quæ univocationem entis directe probant, sed unitatem conceptus, sic etiam e contra plures afferri solent ab Adversariis objectiones, quæ directe univocationem entis non impugnant, sed unitatem, & præcisionem ejus a suis inferioribus, atque ideo adductæ sunt, & solutæ in superioribus quæstionibus, unde in hac quæstione adducemus solum, quæ recta tendunt contra analogam entis univocationem jam staturam.

Primo itaque obiciuntur plures Aristotel. auctoritates significantes ens esse mere æquivocum, nam Porphyrius in primis cap. de specie citat Aristot. dicentem, si quis omnia entia vocet æquivoce nuncupabit, & 1. Phys. 13. argumenta contra Parmenid. & Meliss. assumit ens multipliciter dici, idest æquivoce, sic enim arguit, si omnia sunt unum ens, ut Philosophi illi dicebant, vel sunt hoc unum ens, vel illud unum ens, quæ conseq. non teneret, si ens non esset æquivocum, quia illi respondere possent, omnia esse unum, idest convenire in uno communi conceptu entis univoco; 4. Met. tex. 21. rursus ait ens dici multipliciter, & dici de entibus sicut sanum de sanis, sanum autem de sanis dicitur æquivoce, ut omnes concedunt, & 7. Met. 15. ait accidentia esse entia, sicut logici dicunt non ens esse ens, & non scibile esse scibile, & sicut vas dicitur salubre, sed in his est æquivocatio: Et accidentia rursus ibidem 14. & 15. ac ab initio libri tex. 2. vocat entia non simpliciter, sed secundum quid, & entis entia, ei autem quod est simpliciter tale, & secundum quid tale nihil est commune univocum; Et 1. Ethic. cap. 6. habet, bonum tot modis dicitur, quot ens, æquivoce, non a casu, sed a consilio; Deniq; Damascenus in sua Logica docet ens ad alia entia se habere æquivoce, quia sola vox est communis; Et sacra Scriptura Exod. 3. significat nomen entis soli Deo proprie convenire, & Isaiæ 40. creaturam esse ens secundum quid, & non simpliciter, inquit enim, quod omnes gentes sic sunt coram eo, quasi non sint, & quasi nihilum, & inane reputantur ei.

124 Respondet ad hæc omnia Doct. 1. dist. 3. quæstion. 3. §. *contra istam univocationem*, ad Porphyrium inquit, citare Aristot. sed non inveniri locum, ubi hoc dixerit; sed alii ex Doctore 4. Metaph. quæst. 1. qui magis Porphyrio deferunt, distinguunt de duplici univocatione, una limitata, quæ convenit gradibus prædicamentalibus, alia transcendenti, quæ convenit prædicatis ad finitum & infinitum indifferentibus, dicuntque Porphyrium de prima loqui, quia de gradibus loquebatur, ex quibus texendum erat prædicamentum, & eam excludit ab ente, non de secunda; In 1. Physicorum 13. loquitur de multiplicitate non significatorum, sed suppositorum, idest inferiorum, & argumentum Aristotel. tenet ad hominem, quia Aristotel. eis impingit, quod putaverint omnia esse unum, non loquendo de uno confuse, sed de aliquo uno determinato, qua data hypothesi, bene sequitur omnia, vel esse hoc unum, vel illud unum; In 4. Metaph. text. 2. ly multipliciter eodem modo exponi debet, ut intelligatur non quidem de multiplicitate significatorum, quæ est propria æquivocorum, sed suppositorum, seu inferiorum quæ convenit univocis, ut etiam exponit Doctor in eum textum; per exemplum autem de sano solum insinuare intendit ens analogice dici de entibus præscindendo ab eo, quod sit cum æquivocatione, & ideo ait Doctor 4. distinct. 12. quæst. 1. sub H. exempla illa ita debere intelligi, ut simile illud non currat super quatuor pedes, quia secundum Damascenum cap. 27. quod in omnibus est simile idem utique erit, & non exemplum, & 2. dist. 12. quæst. 2. sub G. ait, quod si ita est in isto exemplo de sano, quod ibi sit analogia sine univocatione, in centum aliis est contrarium; eodem etiam modo exponit locum ex 7. Metaph. 14. & 15. ut nimirum analogiam innuere voluerit, non tamen talem, qualis est in exemplis allatis, nam in illis analogia est conjuncta æquivocationi; in casu nostro est unita univocationi, & cum accidentia vocat entia secundum quid, illa particula non est distractiva entitatis ab accidente, quasi accidens non participet vere, & realiter rationem entis, sed diminutiva perfectionis gradus entitatis, quatenus accidens deficit a perfectione entitatis substantiæ, unde dicitur ens secundum quid, non in se, & absolute consideratum, sed cum substantia collatum, ut dictum est num. 111. & cum Aristot. appellavit accidens entis ens, nil aliud fait Doctor, per illam phrasim significare voluit, nisi ordinem essentialem accidentis ad substantiam in participanda ratione entis, ut etiam exponit Alens. 7. Metaphysic. text. 5. quæstion. 1. & 1. Ethic. c. 6. non habet illa verba, sed solum ait bonum tot modis dici, quot ens, quibus ibi idem negat universalitatem, & communitatem, qualem postulabat Plato ad habendam Ideam boni, non vero ad communitatem univocationis in sensu, quo hic loquimur. D. Damascenus, si illud habet in sua Log. quia ab aliis citatur in oppositum sobrie explicari debet, quemadmodum dictum Porphyrii nuper explicabamus; Demum phrasim sacræ Scripturæ jam exposuimus num. 38. loqui nimirum per quamdam exaggerationem, quatenus Deus infinite distat a nobis, & ad innuendum, quod Deus excellenti quodam modo est id, quod est, & fons totius esse, a quo habent cætera, ut sint, unde scriptura sic loquitur, non quasi velit negare creaturas esse vere, & proprie entia, sed ut affirmet maximam attributionem creaturæ ad Deum.

125 Secundo probatur ens purum esse analogum ex variis etiam Aristot. locis in Metaph ubi ait ens neque æquivoce dici, neque eodem modo ideſt univoce, sed ad unum ideſt analogice, ita significat 4. Metaph. 2. & lib. 11. cap. 3. & lib. 12. text. 28. ac alibi frequenter; Tum 2. ratione, nullum univocum salvatur in uno simpliciter in alio secundum quid, & per habitudinem ad illud, unde dici solet ei quod est simpliciter tale, & ei quod est secundum quid tale nihil esse commune univocum, sed ens in Deo, & substantia salvatur simpliciter, in creatura, & accidente secundum quid, & per habitudinem ad aliud, ergo ad summum est eis analogum. Tum 3. univocum æqualiter participatur a suis inferioribus, ens non participatur æqualiter ab eis, ergo est analogum cujus proprium est inæqualiter participari. Tum 4. quia si esset univocum substantiæ, & accidenti, tunc poni deberet in eorum definitionibus, quod est contra Aristot. 8. Metaph. 16. & rursus accidens non deberet definiri per substantiam contra Aristot. 7. Metaph. cap. 1. patet consequentia, quia quæ univoce conveniunt in aliqua ratione, conveniunt in eadem definitione, & ideo non potest unum per aliud definiri. Tum 5. in univocis alia est definitio rei, alia vocis, & nominis, sed definitio rationis entis, & nominis ejus est eadem, ut de se constat ergo &c. Tum 6. univocum perfecte præscindit a suis inferioribus, ens autem non nisi imperfecte; ergo analogum. Tum 7. illud in quo unum per se, & essentialiter antecedit aliud, non potest esse illis univocum, Deus antecedit essentialiter omnia entia in ente, ergo &c. Tum 8. id quod per essentiam capit aliquid non potest univoce convenire cum illis, qui capiunt illud per participationem, sed Deus est ens per essentiam, cætera vero per participationem, ergo &c. Probatur major, quia ideo Sortes, & Plato in humanitate conveniunt univoce, quia capiunt humanitatem per essentiam. Tum 9. univoca habent unam naturam, in qua conveniunt, & aliam secundum quam differunt, in inferioribus autem entis nequeunt assignari hæ duæ naturæ, quia quicquid assignetur est ens, etiam ultimæ differentiæ, ergo ens non est univocum, quia ratio univoca in indifferentiis suorum inferiorum non includitur. Tum 10. univoca non habent diversitatem in eo, quo sunt univoca, at inferiora entis continent diversitatem secundum rationem entis, differunt enim secundum differentias, quæ formaliter sunt entia. Tum tandem, quia nullum univocatum in ratione sui univoci habet aliquid plusquam reliquum univocatum, sed accidens aliquid amplius habet, quam substantia, quia in definitione accidentis ponitur substantia 7. Metaph. text. 2. & 3. hæc sunt argumenta congesta ab Ægidio, & Cajetano, Soncinnate, Svessano, Henrico, Suarez, & aliis.

126 Respond. hæc, & similia argumenta non excludere ab ente univocationem utcumque sed univocationem in gradu perfecto, quod gratis concedimus, & hoc solum intendit Arist. loc. citat. unde cum ait ens non dici *eodem modo*, vult significare idem, quod non secundum eundem ordinem essentialem, hoc enim est, quod ibi probare instituerat, ad esse scilicet ordinem essentialem accidentis ad substantiam in participanda ratione entis, & si excludit univocationem primi, & secundi gradus, non vero omnem quod manifeste colligitur ex illis verbis 4. Metaph. text. 2. *etenim hæc etiam quodammodo secundum unam dicuntur*, quibus insinuat substantiam, & accidens aliquo modo univocari in ente, ut ponderavimus num. 118. Ad 2. ens dicitur esse in Deo simpliciter pro quanto est perfectius contentum sub ente, in creatura est secundum quid, quia est imperfectior, & sic etiam de substantia, & accidente; unde quando dicitur accidens ens secundum quid jam diximus numer. 11. illam non esse particulam distractivam, quemadmodum homo pictus dicitur homo secundum quid, sed diminuentem dumtaxat de perfectione entitatis, licet autem enti simpliciter, & enti secundum quid in eo sensu, cum scilicet est particula distrahens, nequeat esse commune univocum, bene tamen in isto, creatura etiam dicitur ens in ordine ad Deum, & accidens in ordine ad substantiam, non quasi præcise ordo ille sit ratio cur dicantur ens, quo pacto sanum dicitur de urina per præcisam habitudinem ad sanitatem animalis, sed quod cum hoc etiam habeant formam, seu rationem intrinsecam, super quam fundetur talis ordo ad primum, & a qua sic denominentur, quod quidem univocationem non destruit, quia constituit analogiam attributionis per denominationem intrinsecam cujuscumque analogati, cum qua analogia stat univocatio, quia intrinseca participatio ejusdem formæ ab omnibus analogatis. Ad 3. Mairon. quæst. penult. de Univocatione entis negat minorem, contenditque ens æqualiter dicere de inferioribus, quia secundum unum, & eundem præcisum conceptum dicitur de omnibus, nec ulla intervenit inæqualitas, nisi quæ accidit ex parte contrahentium, quæ cum sint posteriora nequeunt variare rationem prioris, qua de causa aliqui ex Recentioribus faciunt ens omnino univocum; præstat tamen dicere, quod inæqualiter participatur ens ab inferioribus, quia nec secundum eundem ordinem essentialem, nec secundum eundem perfectionis gradum, & hæc inæqualitas saltem intrinsece redundat in conceptum entis, quod sufficit ad aliquam analogiam inducendam; sed non ad omnino excludendam univocationem: tum quia est inæqualitas penitus ab extrinseco proveniens scilicet ex parte contrahentium; tum quia etiamsi intrinseca esset, ut contendit Suarez, si tamen non destruit unitatem conceptus objectivi, ut idem Suarez dicere tenetur, adhuc univocationem secum compatitur, quia ut ait Doctor sæpe cit. 1. distinct. 8. quæstion. 3. lit. P. *quantumcumque illud, quod concipitur, sit secundum attributionem, vel ordinem in diversis, si tamen de se conceptus unus est, itaquod non habet aliam rationem secundum quam dicitur de hoc, & de illo, ille conceptus est univocus*, itaque inæqualitas impedit univocationem perfectam, & in primo gradu, non autem in cæteris.

127 Ad 4. concedimus posse substantiam definiri, quod sit ens per se, & accidens in alio, neque hoc negat Aristot. loc. ibi cit. sed solum negat ens debere poni in definitione substantiæ, & accidentis determinati, quia definitiones dari debent per genus, & differentiam, unde cum in genere quocumque ens includatur quidditative, si cum genere exprimeretur, nugatio committeretur; Negamus tamen alteram consequentiam, ad cujus probationem dicendum est, quod licet conveniunt in aliqua ratione communi, non possit unum definiri per aliud, ut in ea communi conveniunt, tamen secundum proprias rationes bene potest unum definiri per aliud, præsertim si aliquam dependentiam dicat ad illud, & in hoc sensu inquit Aristoteles 7. Metaph. cap. 1. accidens definiri per substantiam, non quidem ut ens est, sed ut tale ens, nam in ratione entis, ut sic, habent eandem omnino notionem, sicut enim substantia in ratione entis, est id, quod est, vel esse potest in rerum natura, ita & accidens; Nec valet replica, quam faciunt Complut. cit. disputat. 11. quæstion. 2. numer. 21. nimirum hanc responsionem destruere analogiam attributionis inter substantiam, & accidens, in qua secunda analogata non solum secundum suas proprias rationes, sed etiam secundum rationem analogam dependent a primo, & per illud definiuntur, ut constat de medicina, quæ in ratione sanitatis, ut sic, refertur ad sanitatem animalis; ac etiam repugnare Arist. 7. Met. cap. 1. ubi docet accidentia ideo esse entia, quia sunt entis entia, ideſt substantiæ, ergo etiam in ratione entis dicunt ordinem ad substantiam, & per eam definiri debent. Non, inquam, valet, quia quod de analogia attributionis assumunt, verum utique est de illa, quæ fit per denominationem extrinsecam, ut constat in exemplo allato medicinæ, & ratio est, quia in illis analogis ordo, & habitudo ad primum analogatum est ratio formalis, & præcisa cur talia dicuntur; non autem in aliis, quæ talia dicuntur etiam per formam intrinsecam, ut notat Doctor 4. d. 12. quæst. 1. sub T. & auctoritas Arist. 7. Met. ab initio potius est pro nobis, ait enim *accidentia dici entia, quia sunt entis entia, hæc quidem quantitates, illa vero qualitates*, &c. per quod significat hunc ordinem ad substantiam illis competere, non quatenus entia præcise, sed quatenus accidentia ejus, hoc quidem quantitas, illud vero qualitas &c. atque ita notavit Doctor 7. Met. qu. 1. in corpore q. Ad 5. major non est universaliter vera, quidam enim conceptus sunt adeo universales, & communes, ut in eis definitio quid nominis, & quid rei coincidant, ut constat de summis generibus, qualitas namque dicitur esse, secundum quam quales esse dicimur, quantitas secundum quam quanti, vel quoti. Ad 6. negatur minor, jam enim supra ostensum est ens perfecte præscindere, sunt etiam qui tenent ens imperfecte præscindere, & adhuc aliquam

quam retinere univocationem, ut Aversa. Ad 7. negatur major; jam enim dictum est *unitatem analogiæ* stare cum univocatione, & ad summum valet de perfecte univoco. Ad 8. rursus major valet tantum de univocatione perfecta, qualis est ea, quæ reperitur inter Sortem, & Platonem in humanitate, non de imperfecta.

128 Ad 9. negat. minor, nam etiam in inferioribus entis possumus suo modo assignare duplicem rationem, unam, in qua conveniant, & alteram, per quam differant, quæ quidem non tam erit ens, quam talitas entis, & formalitas habens vim determinandi rationem communissimam entis; tum quia etiamsi ens includeretur quidditative in differentiis contrahentibus, non propterea univocationem amittit, quia ad univocationem alicujus conceptus sufficit, quod ipse præscindat a differentiis, etiamsi istæ non præscindant ab ipso, & sic est de ente in proposito, quod perfecte præscindit ab illis; & denique incluso in differentiis est contra rationem generis, non contra rationem univoci, ut sic, ut mox dicemus. Ad 10. negatur minor, quia etiamsi daremus ens formaliter includi in differentiis, falsum est inferiora entis diversificari secundum rationem præcisam entis, & acceptam sub nomine entis; diversificarentur enim per rationem entis contractam, & sub nomine differentiæ acceptam; sed infra ostendemus differentias entis nequaquam esse formaliter entia, sed potius talitates entis. Ad ult. negatur minor, quia *accidens in ratione entis* non plus habet in sua definitione, quam substantia, sed tantum in ratione accidentis, ut *diximus* ad 7. & in hoc sensu loquitur Aristot. 7. *Met.* contradistinguit enim ibi accidens a substantia per *hoc*, quod in accidentis definitione ponitur inhærentia ad substantiam; non est autem inconveniens, quod unum univocatum secundum propriam definitionem aliquid claudat, quod non claudatur in alio, ut homo, & equus diversas habent definitiones, ut particulares species, sed eandem ut animalia sunt.

Tertio ulterius arguunt Thomistæ, præsertim Complut. cit. ex D. Th. 1. p. quæst. 13. art. 5. Quando aliquis effectus non adæquat virtutem causæ, nomen illis commune non potest esse univocum, sed solum analogum, sed creaturæ sunt effectus Dei in nullo adæquantes virtutem ejus, ergo &c. Probatur major, nam quando effectus non adæquat virtutem causæ, non recipit similitudinem ejus secundum eandem rationem, ergo nec potest habere nomen univocum. Deinde ratio entis taliter est in Deo, ut includat omnem perfectionem, independentiam, infinitatem &c. in creaturis vero reperitur modo longe diverso, immo contrario; ergo non prædicatur de illis secundum eandem rationem. Conf. quia nihil convenit Deo, & creaturæ secundum eandem rationem, nam sapientia verbi gratia non dicitur de Deo secundum illam rationem, secundum quam dicitur de creatura, in qua est qualitas, & in Deo substantia. Item ob distantiam quarundam creaturarum ab invicem non habent aliquod commune univocum; ergo tanto magis erit de Deo, & creaturis ipsis, quæ magis abinvicem distant. Tandem addit Aureol. 1. d. 22. qu. 1. art. 2. nihil potest univoce dici de exemplari, & exemplato, ut domus de domo extra, & specie domus intra, sed Deus est tota entitas per modum exemplaris, creatura autem est entitas diminuta, & exemplata, ergo &c.

129 Resp. rationes istas nedum solubiles esse, sed etiam facile retorqueri, si enim prima valeret, ignis, vel minera a Sole producta non esset substantia univoce cum Sole, cum sit effectus Solis non adæquans virtutem ejus; argumentum igitur probat non dari inter Deum, & creaturam univocationem physicam, & in primo gradu, quia hæc non reperitur inter causam, & effectum, quando causa est æquivoca, hoc tamen nequaquam tollit univocationem in gradu superiori; item dici posset, majorem esse veram, quando effectus in nulla ratione adæquet virtutem causæ; in proposito autem licet creatura secundum peculiarem rationem non adæquet virtutem Creatoris, æquantur tamen in simplicissimo conceptu entis, qui constitit in habere esse in rerum natura citra opus intellectus, quæ notio, ut sic, æque Deo, & creaturis convenire videtur, cum constitat in indivisibili. At instant Complut. majorem illam intelligi debere in sensu formali, est autem sensus formalis ejus, quod effectus in illa ratione, in qua est effectus non adæquans virtutem causæ, non potest cum illa univoce convenire, licet alias in alia ratione, secundum quam non habet rationem effectus, possit univoce convenire; & hoc contingit in Sole, & auro, nam aurum secundum gradum corporis, & substantiæ non est effectus Solis, nisi per accidens, & ideo in illis possunt univoce convenire; si vero imponeretur nomen ad significandam illam rationem, secundum quam aurum est effectus Solis non adæquans virtutem ejus, proculdubio esset analogum, non univocum; cum ergo creaturæ sint effectus Dei non adæquantes virtutem ejus, non solum secundum gradus particulares, sed neque etiam secundum universalissimam rationem entis, plane sequitur, nullum nomen posse de Deo, & creaturis univoce prædicari. Verum ex hac instantia nec roboratur ratio S. Thom. nec nostra infringitur solutio; falsum namque est, quod ajunt aurum non procedere per se a Sole, nisi secundum rationem propriam, secundum autem communem tantum per accidens, quod a Suarez mutuarunt disp. 28. sect. 3. num. 7. quia, ut Scotus docet 4. d. 1. quæstion. 1. D. non est tanta distinctio inter *rationem propriam*, & communem in effectu, quod ab alia, & alia per se causa esse possint, sed attingens rationem propriam attingit quoque communem; deinde falsum est, creaturam non æquari Deo in præcisissima ratione entis secundum se consideratæ, quia nihil entis, ut sic, plus est in Deo, quam in creatura; neque timorem Religionis incutiat alicui ex tyronibus hæc adæquatio creaturæ cum Deo, quia non est adæquatio in aliqua realitate ex natura rei, sed per præcisionem intellectus. Demum, quando etiam concedatur creaturam non adæquare Deum in conceptu entis, hinc non tollitur omnimoda univocatio, quia falsum est ad univocationem absolute sumptam æqualitatem requiri in participanda communi ratione; unde hoc argumentum; quod adeo magnificant Thomistæ, potest dupliciter solvi, vel negando creaturam non æquari Deo in præciso entis conceptu, vel concedendo non æquari, & negando ex tali inæqualitate univocationem penitus destrui.

Ad 2. si concluderet, probaret quoque animal non univoce dici de homine, & bruto, quia diverso modo reperitur in hoc, & illo, in homine ratio animalis est rationalis, discurrit, in bruto non; itaque dicendum est assumptum esse verum de ratione entis contracta in Deo, non autem præcisa, ut hic de ea loquimur. Ad Conf. pariter respondetur, sapientiam utique non secundum eandem rationem propriam de Deo, & creatura prædicari, quia in creatura est qualitas, & in Deo substantia; at secundum rationem communem abstrahit a substantia, & qualitate, & secundum eandem rationem præcisam sapientiæ, ut sic, prædicatur de Deo, & creatura, & quidem idem argumentum fieri posset de animali, quod homini, & bruto non sit univocum, quia includendo id, quo contrahitur ad unum, non prædicatur de alio. Ad aliud, nequeunt creaturæ adeo abinvicem distare secundum rationes proprias, ut saltem non conveniant in conceptu entis finiti, quod in decem prædicamenta distribuitur; sic etiam servata proportione nequeunt adeo distare Deus, & creatura in propriis rationibus, quin in aliquo transcendenti conceptu inadæquate *convenire* possint. Ad ult. ex Aureol. *verum* est ens non univoce dici de Deo, & creaturis, ut habent esse cognitum in divina mente, quia sic habent esse tantum diminutum, & secundum quid; falsum tamen est, si considerentur secundum esse, quod habent actu, vel possibiliter extra.

Quarto aliam quoque rationem cum fervore solent urgere Thomistæ contra entis univocationem, quia hinc, ajunt, sequeretur ens esse genus, quod est contra Aristot. 3. *Metaph.* 10. docentem, ens non esse genus, quia includitur in differentiis, quod omnino opponitur rationi generis; probant consequentiam, quia si ens est univocum, *non videtur*, posse esse aliud universale, quam genus, quia prædicatur de pluribus plusquam numero *differentibus* in quid, alioquin divisio universalis in quinque prædicabilia non esset adæquata.

130 Respondet Arriag. loc. cit. & disput. 7. Log. num. 25. gratis concedendo ens esse genus, & ex vi definitionis ipsius generis passim receptæ hoc necessario sequi, & præsertim in Scholis ejus univocationem admittentibus. Hoc tamen minime concedi debet, tum quia expresse repugnat Aristot. modo citato 3. Metaph. ubi declarat ens non esse genus, rationem assignans, quia includitur in differentiis, tum quia hoc dato Deus poneretur in genere, quod esse falsum ostendimus disput. 7. Log. quæst. 1. artic. 1. & ex definitione generis hoc non sequi demonstravimus disputat. 5. Log. quæstion. 1. articul. 2. in explicatione definitionis generis. Aversa quæstion. 16. Log. sec. 2. concedit & ipse, ens posse dici genus sumendo genus late pro omni prædicato, quod non solo nomine, sed etiam ratione significata dicitur in quid de pluribus, & non est species, quod vocat genus transcendentale, idem repetit, & confirmat quæstion. 3. Philos. sec. 12. nam sicut dicuntur species entis, differentiæ entis, ita etiam dici potest, ac debet genus entis capiendo genus in prædicto sensu; atque cum dividitur universale in illa quinque genus, speciem &c. possunt utique hæc omnia in illa divisione contineri, & debet universale in uno sensu ita ample sumi ad discrimen singularis, ut hæc omnia complectatur; Sed sane, ut diximus in Log. loc. cit si de genere loqui velimus, ut sapientes locuti sunt, nec abuti vocabulis, & instituere quæstionem de nomine, implicat in adjecto dari genus, quod transcendentale dicatur; quia nomen transcendentiæ, ut notat Trombet. tractat. formal. part. 1. art. 1. sonat conceptum indifferentem ad finitum, & infinitum, qua ratione prædicata Deo, & creaturis communia dicuntur transcendentia, genus vero suapte natura conceptum importat potentialem, & per modum partis; Quod si transcendens sumatur etiam in eo sensu, quo a Recentioribus passim sumitur pro prædicto, adeo ut in omnibus essentialiter imbibatur etiam in ultimis differentiis; adhuc etiam in hoc sensu implicat in adjecto ens esse genus, quia genus ex vi nominis importat conceptum potentialem extraneum a differentia, ut docuit Arist. loc. cit. 3. Metaph. 10. ens autem secundum communem includitur etiam in differentiis; Nec urget usus usurpatæ locutionis, qua dicimus species entis, differentias entis, unde infert in eodem sensu dici posse genus entis, quia hæc omnia abusive dicuntur, *non* proprie; certum enim est apud omnes, Deum non esse speciem, sed substantiam individuam, & singularem, & contractiva entis, dum candide loqui volumus, non differentias, sed modos appellamus; ex quo infertur e contra, candide loquendo, ens non posse dici genus: nec etiam refert universale divisum fuisse in illa quinque universalia; quia certum est apud omnes, & præsertim in Schola nostra, ibi divisum fuisse universale limitatum, quia universalium tractatus ordinatus erat ad texturam prædicamenti, in quo non nisi universalia limitata continentur; alia ergo universalitas admitti debet, quæ a limitatione præscindat, sitque propria conceptuum transcendentium, ut docet Doctor 4. Metaph. qu. 1. in corpore quæsiti.

Recentiores alii univocationem entis defendentes, vel saltem præcisionem conceptus ejus, respondent unanimiter negando ex entis univocatione, vel præcisione sequi ens esse genus, quia ratio, quam adducit Aristot. 3. Metaph. 10. cur ens non sit genus, non est, quia ens non est univocum, sed quia est nimis commune, & transcendens, unde sit, ut de suis differentiis etiam prædicetur in quid, quod est contra rationem generis; cui solutioni *solent* etiam Scotistæ passim acquiescere, quia eam tradidit Doct. in terminis 1. dist. 3. quæstion. 3. sub N. ubi tamen non profert Doctor ens includi in omnibus differentiis in universum, sed in quibusdam differentiis non ultimis, ut sequenti qu. explicabimus. Hanc solutionem impugnant Compl. cit. quia concedere ens esse conceptum univocum, & per varios modos contrahibilem constitutivos Dei, & creaturarum, & postea negare esse genus, quia deficit illi proprietas generis, scilicet non includi in differentiis, est prorsus, ac si quis concederet, equum esse animal rationale, & negaret deinde esse animal, quia ei deficit risibilitas; repugnat enim, quod alicui conveniat essentia, & quod non conveniat propria passio, vel contra quod de aliquo negetur propria passio, & quod non negetur essentia, sed essentia generis est esse naturam essentialiter perfectibilem, habentem rationem potentiæ respectu illorum, per quæ contrahitur; ex hoc oritur ramquam passio, quod non includatur in differentiis, quia potentia est extra actum, & actus extra potentiam; ergo cum Adversarii concedant ens importare rationem præcisam essentialiter contrahibilem per varios modos, habentemque rationem potentiæ respectu illorum, concedere etiam tenentur non includi in illis, vel si hoc inficiantur, oportet etiam, ut negent esse rationem abstractam, & contrahibilem. Hæc tamen replica neutiquam præfatam solutionem infringit, præsertim in nostris principiis, qui volumus, genus veram importare realitatem potentialem, per actualem realitatem differentiæ contrahibilem, ut ex eis fiat Metaphysic. compositio, quam potentialitatem non habent conceptus entis, quia non exprimit adæquatam realitatem a parte rei; forte tamen contra Recentiores concludit, qui essentiam generis, & differentiæ salvant, & explicant per conceptus inadæquatos, cum enim conceptus entis sit potentialis, & contrahibilis per modos, tenentur reddere rationem, cur concedendo enti id, quod spectat ad essentiam generis, esse nimirum partem potentialem, non etiam ei concedunt id, quod genus consequitur, ut propria passio, nimirum in differentiis non includi. At instat Jo: de S. Thom. magis contra nos Scotistas eam rationem concludere, quam contra alios, quia in nostra opinione ens non includitur in differentiis, unde nil ei deficit, quin sit genus; Sed neque hæc instantia cogit, quia, ut est videre loc. citat. Doct. non excludit ens a quibuscunque differentiis, sed tantum ab ultimis differentiis, & concedit de aliqua non ultima quidditative prædicari, genus autem cum sit realitas potentialis ad quamlibet differentiam, de nulla prorsus quidditative prædicari potest, & ideo hoc sufficit, ne ens sit genus, ut Aristot. docet loc. citat. 3. Metaphys. 10. Accedit Scotus non omnino prædictæ responsioni acquiescere, nam inquit, quod illa ratio ex Aristot. citat. deducta, cur ens non sit genus, posset negari, quia in eo loco Philosophus disputative procedit in utramque partem, non autem demonstrative; & sic etiam notavit quæst. 21. de Anim. in solutione ejusdem difficultatis.

131 Sed ut perfectam habeamus hujus difficultatis solutionem recolendum est id, quod notavimus in Logic. loc. cit. ex Doctore 1. dist. 8. quæst. 3. §. *Ad primum argumentum*, duas potissimum conditiones requiri ad genus Metaphysicum, ut etiam notavit Bonet. 1. Metaph. cap. 6. una est, quod non dicat purum, & simplicem conceptum, sed aliquam realitatem Metaphysicam citra omne opus intellectus habentem esse in rebus, altera est, quod hæc realitas sit potentialis ad aliam realitatem actualem, & per eam contrahibilis, ut ex utraque resultet Metaphysicum compositum; ratio hujus est, quia ut diximus in Logica disput. 5. q. 3. artic. 2. & rursus dicemus infrius, Metaphysica compositio non est mera compositio rationis, sed aliquo pacto a parte rei (alioquin non esset, cur a Deo excluderetur) non esset autem a parte rei, si genus, & differentia dicerent solos conceptus inadæquatos absque propriis realitatibus sibi correspondentibus, & rursus non esset vera, ac propria compositio, si una realitas non esset extra aliam, quia de ratione partis componentis est, ut sit extra aliam comparem, eo modo quo componit; realiter quidem & physice, si compositio est physica ex materia, & forma; formaliter vero, & metaphysice, si compositio est solum metaphysica, qualis est, quæ fit ex genere, & differentia; hinc igitur, est, cur ad genus metaphysicum requiritur, ut dicat realitatem, nec sufficit, ut dicat purum conceptum, & hanc quidem potentialem ad aliam, ut nimirum sit extra illam per modum alterius compartis; cum igitur ens non dicat realitatem potentialem, sed simplicem conceptum inadæquatum: ut qu. 4. art. 1. concluditur ens non esse genus, ideo habere nequit rationem generis; & hac etiam ratione docuit Trombet. 12. Met. q. 1. concluf. 2. ens non esse genus, & Mairon. qu. 7. de univocatione entis, ubi ait quod ratio generis consistit in hoc, quod prædicetur per modum partis essentialis, ens autem non prædicatur per modum partis, quia tunc esset compositio in Deo; Ex quo colligitur, præfatam difficultatem esse inevitabilem Scotistis docentibus ens dicere realitatem, ut cæteri gradus prædicamentales, quod enim dicere solent non esse genus, quia non contrahitur per differentias, sed per modos intrinsecos, jam superius num. 73. ostendimus esse merum effugium, nec bene per hoc excludit veram potentialitatem a conceptu entis, quantum sufficit, ne sit genus; tum quia ubicumque ponatur, habebit rationem partis essentiæ per aliud determinabilis, quod est esse genus; Tum quia ut optime notavit Jo: de S. Thom. Scotistæ sic respondentes *sibi manifeste* contradicunt, quia ex una parte ponunt ens habere conceptum *objectivum* ita unum, & præcisum, ut inferiora, & contrahentia actu non includat, sed potentia tantum, & ex alia parte dicunt ens non esse genus, quia realitas *entis* non est potentialis ad modos; si ergo non est in potentia ad modos, ergo actu eos includit, eatenus enim genus ponitur potentiale ad differentias, quia actu eas non includit; vel saltem nullo modo nec actu, nec potentia eos includet, sed disparate se habebit ad illos, & sic non erit contrahibilis per illos, nec actuabilis, si nec in potentia se habet ad illos, nos autem has angustias non incurrimus, quia eo modo, quo dicimus ens dicere conceptum præcisum a modis, non quidem omnino ex natura rei, sed per intellectum rem inadæquate concipientem, *ita etiam tribuimus* ei potentialitatem per opus intellectus unius conceptus ad alium; & cum dicimus ens prædicari in quid de Deo, & creatura, *sine non intelligimus* prædicari in quid, ut genus prædicatur de speciebus, nam genus *dicitur* prædicari in quid de speciebus, quia dicit partem constituentem a parte rei priorem ipsamet specie, ens autem dicitur prædicari in quid, quia nimirum desumptum est, & abstractum a quidditate rei, ut sæpe explicat Lichet. & sic tandem constat, præfatam difficultatem urgere tantum de ente communi ad decem prædicamenta, cum enim sic sumptum dicat realitatem vere potentialem, & per differentias contrahibilem, ut infra dicemus nu. 165. gratis concedimus esse genus, ut jam statuimus *disp. 6. log.* quæst. 5. ubi omnes difficultates contra hoc diluimus.

132 Et quidem Poncius *disp.* 18. part. 3. sui Cursus quæst. 3. ut consequenter loqueretur, cum prius *docuisset ens dicere* realitatem ex natura rei præcisam a gradibus inferioribus, videns juxta hunc dicendi modum evitari non posse, quin ens sit genus, nec bene difficultatem evacuari per id quod communiter dicitur a Scotistis, ens contrahi ad Deum per modos intrinsecos, & non per differentias, quam solutionem multis ibi impugnat, sed num recte, nolo in hoc tempus (ut ipse assolet) conterere, satis sit a nobis impugnatam fuisse sufficienter supra n. 71. & inferius n. 158. non quia doctrina, in qua fundatur, a Scoto tradita 1. dist. 8. q. 3. ad 1. non sit sufficiens pro solutione argumenti, & ingentes patiatur difficultates, ut *ipsum non* pudet dicere contra Magistrum, sed quia illa doctrina a *multis Scotistis non bene intelligitur*, de quorum numero erit ipse quoque, *cujus tamen rectam dabimus intelligentiam infr.* n. 159. videns, inquam, pondus *difficultatis*, & *insufficientiam* illius responsionis, tandem sub nu. 34. *cedens argumento concedit ens* esse genus, ac etiam per differentiam ad Deum contrahi, si tamen per genus intelligatur aliquod unum contrahibile ad plura distinctæ rationis etiam per differentias, non tamen si per genus intelligatur quid positive limitatum, & quamvis constet Deus ex genere, & differentia in præfato sensu, negat tamen hinc sequi compositionem metaphysicam in Deo ex gradu perfectibili, & perfectivo modo simplicitati suæ repugnanti; nam sicut non impedit divinam simplicitatem, quod includat formalitatem essentiæ divinæ, & formalitates sapientiæ, & justitiæ, ac relationum; non impedit etiam simplicitatem ipsius, quod includat formalitatem generis, & formalitatem differentiæ seclusis imperfectionibus, & sicut essentia divina non est perfectibilis per attributa aliqua perfectibilitate, quæ *imperfectionem* involvat, sic formalitas entis in Deo non est perfectibilis per formalitatem differentiæ aliqua perfectibilitate, quæ dicat imperfectionem, quam solutionem confirmat num. 36. quia finitas per Scotistas est principium, vel conditio necessaria ad potentialitatem, & perfectibilitatem involventem imperfectionem: cum ergo ens in Deo non afficiatur finitate, non poterit esse in potentia, aut proprie perfectibile, quantumvis per differentiam contrahatur: quem dicendi modum mutuavit a Bonero lib. 1. suæ Metaphysic. capit. 6. ubi cum, & ipse teneret ens dicere gradum ex natura rei ab inferioribus præcisum, tenet consequenter etiam ad primam intelligentiam contrahi per aliquam differentiam essentialem, ad quæ *infinitas consequitur*, tamquam ejus modus *intrinsecus*, *esto* adhuc *concedere nolit* ens esse genus, *in quo minus* consequenter loquitur, licet magis sobrie, quam Poncius, qui sic de Deo loquens, male eum tractat, ut alter.

Sed ens non esse genus jam exploratum est, & sufficienter supra probatum. Quod autem ait Poncius genus varias habere acceptiones, ac pariter differentias, juxta quas dici potest Deus constare ex genere, & differentia, vel non constare, est mera fuga fundata in doctrina Averræ, & Arriag. qui ita loquuntur, quam tamen confutavimus disputat. 7. Logic. quæstion. 1. art.

art. 1. ubi ostendimus, quod nisi velimus abuti vocabulo generis, & differentiæ, sed in ea significatione accipere, qua usi sunt sapientes, ac nostri progenitores, hæc vocabula sonant duas realitates Metaphysicas, quarum una est potentialis ad aliam, & per eam proprie perfectibilis, ex quibus proinde ob talem potentialitatem, & actualitatem fit compositio Metaphysica. Hinc ait Doctor 1. dist. 8. quæstion. 3. quod si daretur conceptus generis in Deo, iste conceptus esset proprie in potentia, & proprie perfectibilis per aliam realitatem. Nec valet, quod respondet Poncius Doctorem non ibi loqui de conceptu generis, ut sic, sed de conceptu talis generis, qui abstraheretur a re dependente formaliter, idest de genere finito, & limitato. Hæc, inquam, est frigida Doctoris interpretatio, quia dum ibi Doctor disputat, an Deus sit in genere, & probat non esse in genere, nec genere constare, loquitur de genere, ut sic; & secundum rationem formalem generis, non autem de genere finito, & limitato, quia de hoc nemo dubitat, & laboraret invanum Scotus ad hoc probandum, quia ab omnibus conceditur. Loquitur ergo Doctor de conceptu generis, ut sic, & probat Deum nec esse sub genere, nec genere constare; probatque ex ratione simplicitatis, infinitatis, & necessitatis Dei, quod ei repugnet talis compositio, quia genus ex ratione formali generis, ut sic, dicit realitatem finitam, potentialem ad aliam, ut magis communem ad minus communem, & cum ea componibilem. Et quidem genus, ut sic, realitatem finitam, & limitatam præseferre, abstrahendo etiam a Scoti auctoritate, probatur ex ejus doctrina, quam tradit loc. citat. evidentissime, nam genus, ut genus dicit rationem partis essentiæ, & non totam essentiam rei, ut per se notum est, ergo implicat in adjecto dari genus infinitum; Probatur consequentia, quia solum finitum potest esse pars alicujus totius; ergo si genus de se, & ex sua ratione formali habet rationem partis, debet esse finitum, & limitatum. Probatur assumptum, quia nullum infinitum potest habere rationem partis, omne enim totum est majus sua parte, infinito autem nihil est majus, & ideo inquit Doctor quol. 5. infinitum, ut sic, habere rationem totius, non partis. Deinde genus ex sua ratione formali a se differentiam, per quam contrahitur, excludit, ac etiam ab ipsa excluditur quantum sufficit, ut dicatur esse in potentia ad illam; sed realitas infinita quantumcumque præcise sumatur, nequit esse in potentia ad aliam realitatem, cum infinitum sit, cui nihil entitatis deest eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo uno. Dices quamvis dari non possit genus infinitum, posse tamen dari genus transcendentale, & tale esse ens. Contra, quia cum genus suapte natura importet conceptum potentialem, & per modum partis, ut probant rationes ex Scoto allatæ, debet necessario præseferre conceptum, vel realitatem de se finitam, & limitatam, & ideo cum transcendens dicat conceptum indifferentem ad finitum, & infinitum, conceptus generis nequit esse transcendens. Cum vero ex hac nostra doctrina suam confirmat responsionem, quia si finitas est conditio necessaria ad potentialitatem, & perfectibilitatem, cum ens in Deo non sit finitum, non poterit esse in potentia, nec proprie perfectibile, quantumvis contrahatur per differentiam. Hoc prorsus irrationabile est, nam potius ex hoc, quod ens in Deo non est finitum, nec potentiale ad aliud deducere debebat, quod in eo non importet realitatem per differentias contrahibilem, nam conceptus per differentiam contrahibilis necessario est potentialis ad eam, & per eam perfectibilis.

133 Deinde urgeo contra ipsum eo fere modo, quo ipse arguit contra Scotistas dicentes, ens non esse genus, nec facere compositionem in Deo, quia contrahitur per modos, & non per differentias; arguit ipse, quia si stare potest contractio entis ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens per modos absque differentia; non potest assignari ratio, quare non potest stare contractio substantiæ ad spiritualem, & materialem, & universaliter cujuscumque alterius gradus superioris ad inferiora absque differentia, & sic nulla omnino daretur differentia, sed omnia contrahentia essent modi intrinseci, & omnia constituta essent entia simplicia Metaphysicali compositione carentia, quia carerent genere, & differentia; sic pariter, inquam, contra ipsum urgeri potest, quod si potest in Deo admitti realitas generis, ac differentiæ absque Metaphysica compositione imperfectionem involvente; non poterit assignari ratio, cur non etiam in creatura ita contingat, cum genus, & differentia quantum est ex se, conjungi possint absque imperfectione compositionis Metaphysicæ. At in creaturis ens esse proprie in potentia ad differentiam, & cum ea compositionem facere, quia in creatura est dependens in existentia a causa extrinseca, tam quoad se, quam quoad conjunctionem sui cum differentiis, secus est autem de ente in Deo, vult enim ipse illam solam formalitatum unionem esse imperfectam, & arguere compositionem, quæ habet dependentiam in esse realis existentiæ a causa extrinseca, quod etiam repetit disput. 20. n. 59.

Sed contra, quia sic in primis possent respondere Scotistæ, quod contractio entis in Deo fit per modos, & non per differentias, quia conjunctio entis cum Deo fit per independentiam, concedendo postea, quod ubi fit contractio gradus superioris dependenter a causa extrinseca, omnis talis fiat per differentias, & non per modos, & sic pariter responderet poterunt ad alia argumenta, quæ contra eos congerit, ex eadem sua doctrina; ut discurrenti patebit. Tum quia falsum illud suum principium, quod sibi constituit, & sæpe repetit, independentiam in Deo esse rationem divinæ simplicitatis, & dependentiam in creaturis rationem compositionis; nam ratio divinæ simplicitatis, per quam de Deo demonstrari potest per se, & immediate, est infinitas, & ex tali medio etiam Doct. demonstrat 1. d. 8. q. 1. quia omne componibile habet rationem partis, quatenus caret perfectione ejus, cui est componibile, repugnat autem infinito, quod est actualissimum omnino, perfectione aliqua carere, rationemque partis respectu alterius subire, ergo ratio unde immediate desumitur, & deducitur divina simplicitas, non est independentia, sed infinitas; dixi immediate, quia mediate, & materialiter concedi potest Deum esse summe simplicem, quia est independens, nedum quia unum attributum infertur ex alio in divinis materialiter loquendo, & ratione concomitantiæ, ac necessariæ connexionis eorum in summo ente, quo pacto concedit Doctor 1. d. 37. q. un. ex Dei omnipotentia inferri posse immensitatem ejus, sed præsertim, quia ex independentia recte deducitur in Deo infinitas, ut constat ex Scoto quol. 5. art. 1. & quol. 7. lit. T. ubi probat Deum esse ens infinitum, & illimitatum, quia est prima omnino entitas in toto ordine entium & a se, quod autem habet a se aliquid, habet illud in tota plenitudine, quæ sibi competere potest, nihil enim habetur limitate in aliquo, nisi habeatur ab aliquo agente illud determinante ad certum gradum. Quod etiam rursus probari potest eo modo, quo probat Doctor loc. cit. ex divina immensitate non bene inferri omnipotentiam consequentia formali, & causali, quia si omnipotens esset per impossibile in aliquo loco determinato, & non ubique, posset aliquid ibi producere, ubi non esset, & quamvis Deus ante mundi constitutionem concederetur fuisse in spatiis imaginariis, non tamen ut alicubi præsens fuit potens facere modum; sic se habet res in proposito, quod si per impossibile dari posset ens infinitum sine independentia, adhuc consisteret summa ejus simplicitas, & si e contra dari posset ens finitum cum dependentia, non adhuc esset summe simplex, non ergo ex dependentia, vel independentia deduci debet consequentia formali rerum simplicitas, vel componibilitas, sed præcise ex finitate earum, vel infinitate. Tum tandem, quia cum Aristot. 2. de Anim. & 7. Metaph. radicem detegit compositionis rerum, plane non eam deducit ex causis extrinsecis, sed intrinsecis, quia scilicet coeuntia simul habent rationem partis, & unum se habet ut actus, aliud ut potentia, qua doctrina Scot. frequentissime utitur, ut ergo habeamus rationem per se, & proximam simplicitatis, & compositionis rerum, impertinens est recursus ad dependentiam, vel independentiam a causis extrinsecis.

134 Denique paritas, quam Poncius assumit in sua responsione de divina essentia in ordine ad attributa, ac attributorum adinvicem ad suum propositum declarandum de unione generis, ac differentiæ in Deo absque compositione, est omnino absimilis. Et disparitas est, quia ut docet Doctor 1. dist. 5. qu. 2. L. & d. 8. quæst. 4. ad 1. prin. divina natura ob suam formalem, & radicalem infinitatem omnes formalitates tam relativas, quam absolutas sibi perfectissime identificat, perfectio enim identitatis excludit omnem compositionem, & quasi compositionem, quæ identitas est propter infinitatem, quia idem non aggregatur, nec componit cum seipso, at genus, & differentia non ita inter se realiter identificantur, sed tantum ratione tertii in quo uniuntur, a quo si abstrahantur, tollitur omnis ratio identitatis, ut constat de animalitate, & rationalitate, & ratio est, quia neutrum habet rationem infiniti, cum ambo habeant rationem partis, & non totius: Ubi obiter nota, Poncium quoque hanc disparitatem afferre pro Scotistis ad eam postea confutandam, sed eam adducit inepte, inquit enim a Scotistis posse responderi disparem esse rationem, quia essentia divina radicaliter, & eminenter sapientiam includit, aliaque attributa, & propterea non facit compositionem cum ipsis, nec est perfectibilis per illas, quam etiam instantiam pro Scotistis affert disput. 20. num. 58. & confutat, quia aliquid continens virtualiter aliud, & radicaliter, potest cum illo facere compositionem tam Physicam, quam Metaphysicam, aqua enim continet virtualiter frigus, & tamen facit cum frigore compositum physicum per accidens, homo continet virtualiter risibilitatem, & tamen facit cum ea compositionem Metaphysicam, ergo quod essentia contineat virtualiter attributa, non impedit, quo minus cum attributis faciat compositionem. Omnino (inquam) inepte facit Poncius instantiam pro Scotistis, quia nec Scotus, nec Scotistæ dicunt essentiam, ideo cum attributis compositionem non facere, quia illa virtualiter contineat, ac eminenter; non enim hoc modo continentur in Deo perfectiones simpliciter, quales sunt omnes attributales, sed hic modus continentiæ convenit perfectionibus secundum quid, quia in eo nimirum continentur perfectiori modo, quam sint in seipsis, & sic creaturæ omnes dicuntur virtualiter, & eminenter contineri in Deo; at perfectiones simpliciter continentur formaliter in Deo, seu secundum proprias formalitates ut inferius suo loco dicemus. Sed ratio, quam affert Doctor, cur divina essentia non faciat compositionem cum attributis, est perfecta identitas cum eis, & per consequens continentia identica, & unitiva, non autem virtualis, & eminentialis, quæ longe diversa est ab illa, nec inter se confundi debent.

Est quoque disparitas comparationis attributorum adinvicem, ac generis, & differentiæ, tum quia attributa quoque ob eorum formalem infinitatem sunt ibi invicem perfecte eadem, at genus, & differentia non ita perfecte identificari possunt, quia sicut utrumque

num. 104. advertimus, attributa invicem comparata sunt perfectiones disparatæ, omnesque sunt in ultima actualitate ex una parte, & ex alia sunt perfecte eadem inter se ratione infinitatis, atque ideo nullam prorsus compositionem Metaphysicam in Deo facere possunt; secus est de genere, & differentia, cum enim ista necessario invicem comparari debeant ut duæ formalitates, quarum una veluti communior contrahi debeat, ac determinari per aliam, ut per formalitatem minus communem, ut Poncius fatetur num. 36. necessario una esset potentialis ad aliam, & consequenter cum ea compositionem faceret. Manet ergo ens genus non esse; nec Deum ex genere, & differentia constare, quia hoc in eo argueret compositionem, & imperfectionem; ob quam rationem cum Deum exclusisset Scotus a genere 1. d. 8. qu. 3. inconsulto inficiatur eam Poncius disp. 10. Logicæ nu. 24. ut suam adduceret ad idem probandum prorsus futilem, probat enim num. 25. Deum excludi a genere, & prædicamento, quia revera Philosophus non voluit dividere in prædicamenta, nisi entia creata, ac finita; quæ sane est manifesta petitio principii, hoc enim est, quod disputatur, an Arist. ita prædicamenta disposuerit, ut sola entia creata sub eis concluserit.

135 Quinto principaliter instat Pasqualig. disp. 29. sect. 4. & disp. 40. sect. 2. probando ens non esse analogum attributionis ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens per denominationem intrinsecam; quia, quod est tale per attributionem ad aliud, ab ipso sumit denominationem, ut patet de medicina, e contra vero quod est tale per formam intrinsecam, sicut ex se habet, quod sit tale, ita non indiget denominatione ab alio desumpta, sed ex vi proprii esse denominatur tale; cum ergo creatura, & accidens intrinsece propriam participent entitatem, non utique erunt talia per attributionem ad aliud. Conf. quia esse intrinsece tale, & per attributionem tale, opponuntur, quod enim est intrinsece tale, est absolute tale, & quod est tale per attributionem, hoc mendicat ex habitudine ad aliud: si ergo creatura, & accidens sunt intrinsece entia, utique non erunt tale per attributionem ad aliud. Rursus quia illa attributio, quam ex vi sui esse dicit accidens ad substantiam, creatura ad Deum, non illam dicit, tanquam ad formam denominantem, at analoga, quæ sunt talia per attributionem ad aliud respiciunt formam analogiæ, tanquam denominantem. Tandem ordo accidentis ad substantiam, creaturæ ad Deum, est habitudo causati ad causam; ergo non est sufficiens ad analogiam inducendam, alioquin omnes alii effectus etiam univoci servarent analogiam ad suam causam, alias ad hoc idem conglomerat ibi rationes hic Auctor, quæ in istas recidunt.

Resp. in analogis attributionis intrinsecæ denominationis utique formam analogam in omnibus reperiri, sed diversimode; quia in uno habetur per dependentiam, & cum subordinatione ad aliud; & ex hac diversitate in modo participandi eandem formam oritur analogia attributionis intrinsecæ denominationis, quæ quidem sumitur a forma intrinseca uni analogato, non quidem nude inspecta, sed fundante ordinem ad aliud; unde illa habitudo non exigitur in accidente v. g. ut dicatur ens, quia hæc sufficienter habetur per propriam entitatem sibi intrinsecam; sed ut dicatur ens dependens, & alteri inhærens, & sic de creatura in ordine ad Deum: unde illa denominatio integra est partim intrinseca, partim extrinseca; intrinseca quidem, quia fundatur in forma intrinseca analogato, extrinseca vero, quatenus fundatur in ea, non nude sumpta, sed ut ordinem fundat ad aliud analogatum; dicitur tamen absolute attributio intrinsecæ denominationis, tum ob formam analogam intrinsece repertam in omnibus, & singulis; tum ad differentiam alterius analogiæ attributionis, in qua analogata totaliter talia denominantur a forma existente in principali analogato. Ad Conf. non inconvenit aliquid esse intrinsece tale, & per habitudinem ad aliud, immo ita semper contingit, cum denominatio fiat a forma subjecto intrinseca, non tamen nude inspecta, sed cum habitudine ad aliud; sic oculus dicitur videns a visione, quæ est forma absoluta oculo intrinseca, fundante tamen habitudinem ad objectum; ita fere se habet res in proposito, quia denominatio entis in creatura, & accidente sumitur ab uniuscujusque propria entitate fundante habitudinem ad Deum, & substantiam, non autem nude inspecta, ut monet Scot. cit 4. d. 12. q. 1. infra H. ubi loquens de substantia, & accidente ait, *quod in utroque extremo est aliquod absolutum, propter quod formaliter utrumque dicitur ens, licet super unum absolutum fundetur ordo ad aliud.* Ad aliud vera est minor de analogis attributionis per extrinsecam denominationem, hæc enim utique respiciunt formam principalis analogati, ut extrinsece denominantem; at analoga attributionis alterius generis illam dumtaxat respiciunt, ut præcise terminum suæ dependentiæ, & subordinationis. Ad ultimum gratis concedimus non quamlibet habitudinem effectus ad causam constituere analogiam attributionis, sed illam tantum, qua effectus procedit a causa secundum eandem rationem, sed imperfectiori modo participatam, & cum inæqualitate, ut est in proposito de creatura respectu Dei, & accidentis respectu substantiæ; & rursus ut diximus disputat. 2. Logic. quæst. 5. artic. 1. præter dependentiam requiritur ad analogiam inducendam prædicatum commune pluribus conveniens uni principaliter quantum ad nominis impositionem, ac independenter; alteri vero minus principaliter, & dependenter, quod non in quacumque causa, & effectu contingit, nam calor verbi gratia æque primo significat calorem æque, ubi est dependenter, & calorem ignis; ubi est independenter; vide disputatione citata Logic. quæstione quinta, articulo primo, conclus. 1. ubi solvuntur alia argumenta, quæ fieri solent contra hoc genus analogiæ attributionis intrinsecæ denominationis, quam enti tribuimus.

136 Sexto arguunt Thomistæ probando ens esse analogum proportionalitatis; tum ex Arist. 12. Metaph. cap. 4. in principio, & fine docente principia prædicamentorum, idest prædicata communia ipsis prædicamentis esse unum proportione, & analogia, intelligens analogia proportionalitatis; Tum ratione, quia quemadmodum se habet Deus ad esse suum, ita & creaturæ sese habent ad suum, etenim quemadmodum Deus est ens per suum esse, ita creaturæ sunt entia per suum esse; sed hæc est analogia secundum proportionalitatem, ergo, &c. idem quoque discursus fit de substantia, & accidente; Addunt, quod si enti velimus adscribere quoque analogiam attributionis, non aliam patitur ab ea, quæ dicitur extrinsecæ denominationis, nam Arist. volens entis analogiam explicare 4. Metaph. 2. & lib. 7. tex. 14. & 15. utitur exemplo analogiæ sanitatis ad animal, & medicinam, quæ certe est analogia attributionis solius extrinsecæ denominationis.

Resp. Arist. 12. Metaph. loc. cit. per principia prædicamentorum non intelligere prædicata communia, ut dicitur in argumento, sed intelligit materiam, formam, & privationem, quæ suo modo proportionaliter interveniunt in mutatione accidentali, sicut in substantiali; ad rationem illam, quam Thomistæ semper præ manibus habent, fateor me numquam ejus energiam capere potuisse, quia comparatio illa, qua attenditur proportionalitas secundum quatuor terminos, cum dicitur, sicut se habet Deus ad esse suum, ita & creatura ad suum; certum est, sic absolute sumptam non inducere analogiam, ut bene Suarez notavit disp. 28. sec. 3. num. 10. nam potest indifferenter fieri in univocis, & æquivocis, sicut se habet homo ad animal intrinsece illud participando, ita & equus, & sicut se habet canis cœlestis ad canem in communi, solum scilicet nomen participando, ita pariter canis terrestris, & marinus, immo etiam fieri potest inter res diversæ speciei, quatenus diversæ sunt, nam ita se habet rationale ad constituendum hominem in esse rationale, sicut irrationale ad constituendum brutum in esse irrationali, & e contra inter individua ejusdem speciei, inter quæ nulla prorsus versari potest analogia: quare nisi aliunde sequatur analogia, plane ex vi hujus proportionalitatis absolute sumptæ nequit haberi, licet id constanter affirment Complut. cit. disp. 10. Logic. quæst. 4. num. 37. solum ergo ista analogia proportionalitatis propriæ sequi potest, si proportionalitas ista fundetur, non in unitate alicujus rationis communis, sed solum in aliqua proportione, quam habet unum analogum ad alterum, quod declarari solet exemplo serenitatis in aere, & tranquillitatis in mari, & jam in Log. disp. 2. cit. quæst. 5. pluribus exemplis declaravimus, de pede nimirum in ordine ad plantam animalis, basim lecluli, montisque radicem, hæc enim omnia proportionantur ad invicem in munere sustinendi molem sibi impositam, & in tali convenientia proportionali fundatur analogia proportionalitatis propriæ, quam ultro concedimus Thomistis; sed certe talis convenientia, vel unitas proportionalis non explicatur, immo nec a longe innuitur inter Deum, & creaturam, substantiam, & accidens per prædictam comparationem in argumento factam, alioquin aliæ quoque comparationes a nobis factæ in univocis, & æquivocis validæ erunt ad inducendam analogiam, cum proportionalis unitas non magis explicetur in comparatione a Thomistis adducta, quam in illis. Denique ad id, quod addunt ex Arist. sæpius exemplum sanitatis adducente pro declaranda entis analogia, constat ex dictis nu. 124. exemplum illud fuisse ab Arist. adductum, ut solum innueret analogiam entis esse attributionis præscindendo ab eo, quod sit intrinsecæ, vel extrinsecæ denominationis, alioquin non fuisset exemplum, sed identitas.

137 Postremo arguitur ex Pasqualig. tom. 1. Metaphysicæ disp. 39. sec. 3. ad probandum ens esse omnino univocum ad substantiam, & accidens, nullamque in se habere analogiam, & licet ibi multas ad hoc congerat rationes, omnes tamen ad hanc præcipue reducunt, quod conceptus objectivus entis abstractissimus est omnino præcisus ab inferioribus, nec aliquam in se includit diversitatem, sed est perfecte unus; ergo quantum est de se, æqualiter descendit in sua inferiora, & consequenter pure univoce; nam si ratio communis secundum aliquid descenderet ad unum ex inferioribus, secundum quod non descenderet ad aliud, sicuti descenderet cum inæqualitate, & diversitate, ita etiam in seipsa includeret diversitatem, ac inæqualitatem. Nec valet responsio Suarez disp. 32. sec. 2. quod licet conceptus entis sit omnino unus, & præcisus, descendit tamen per prius, & posterius, itaut prius sit in substantia, & dependenter ab ipsa in accidente, & ideo deficere ab univocatione. Quia hæc solutio subsistere nequit, supposita unitate conceptus objectivi, vel enim hujusmodi ordo, sive hoc prius, & posterius ponit intrinsecam diversitatem in ratione communissima entis, prout participatur ab inferioribus, vel non; si non habetur intentum; si primum, ergo ratio communissima entis non est perfecte una, nec ab inferioribus perfecte præcisa, quod est contra ipsum Suarez. Nec etiam valet aliorum solutio dicentium, hanc inæqualitatem non esse intrinsecam rationi entis, ac proinde consistere ejus unitatem, sed

sed a rationibus contrahentibus provenire; Quia talis diversitas univocationem non tollit ex 7. Phys. 31. tum quia si talis diversitas sufficiens esset ad analogiam inducendam, omnes gradus prædicamentales essent analogi, quia in omnibus talis diversitas reperitur. Deinde principaliter arguit ibidem num. 13. omne prædicatum univocum habet propriam essentiam, & quidditatem, quæ consistit in indivisibili ex 8. Met. 10. ex quo sic arguitur, unaquæque quidditas debet participari a suis inferioribus, eo modo, quo participabilis est, ergo si ratio entis ponitur univoca, ut servet regulam generalem cujuscumque quidditatis, non nisi modo indivisibili ab inferioribus participari poterit, atque ideo eum omni æqualitate, & uniformitate, quæ ratio evadi non potest, nisi dicatur essentiam, & quidditatem entis non esse perfecte unam, & ab inferioribus perfecte præcisam, quod supra refutatum est. Tandem id quoque probat tom. 2. disp. 31. sect. 2. ubi pluribus ostendit nullum prorsus analogum habere unum conceptum analogatis communem, nec consequenter esse posse univocum, quia univocatio destruit quamcunque analogiam, e contra; cujus ratio est, quia analogia, ut sic, dicit plures rationes inter se tamen proportionem habentes, univocatio vero dicit unitatem conceptus, & hanc perfectam, quia essentia univoci consistit in indivisibili, unde tolli nequit per multiplicitatem aliquam, qualiscunque hæc sit, quin totaliter tollatur; & ad hoc reducuntur rationes omnes, quas ibi congerit ad hoc ostendendum.

138 Resp. ad hæc constare, quid dicendum sit ex dictis nu. 119. & 120. certum est enim ens ab inferioribus non ex æquo participari, sed perfectiori modo reperiri in uno, verbi gratia in substantia, quam in alio, scilicet accidente, & ex hoc capite analogum esse, quod adeo clarum est, ut hoc ipsum asserat quoque hic Auctor disp. cit. 39. sect. 4. esto dicat hanc inæqualitatem esse extrinsecam, & non oriri ex natura ipsius entis, sed ex modo essendi, quem acquirit in statu contractionis in inferioribus, hoc autem parum refert, dummodo hæc inæqualitas sufficiens sit ad analogiam inducendam, ut supra ex Arist. ostendimus, nec ipse negare potest, cum in hoc sensu sect. 4. cit. conclus. 3. analogiam admittat in ente; sed hæc etiam analogia posset aliquo pacto enti intrinseca dici, quia licet inæqualitas illa principaliter oriatur ex modis contrahentibus, adhuc tamen dici quoque potest oriri ex ipsa ratione communi, quatenus in illo statu abstractionis, etsi præscindat a differentiis, est nihilominus adhuc fundamentaliter capax, & exigitiva differentiarum sic inæqualium, quod quidem contingere potest absque læsione, & præjudicio unitatis conceptus ipsius entis, quia per unam, & eandem formalitatem potest inæqualiter respicere sua inferiora, ut diximus sub num. 119. unde utraque ex illis solutionibus admitti potest; esto secunda magis placeat, ex qua non sequitur omnes gradus prædicamentales fore analogos, quia gradus specificus, utpote, qui est physice, & in primo gradu univocus, omnem prorsus excludit analogiam, qua de causa ajebat Arist. 7. Phys. 24. in sola specie athoma proprie comparationem fieri. Ad 2. concedo essentiam univoci prædicati consistere in indivisibili, sed nego univocationem illius essentiæ in indivisibili consistere, haberi siquidem latitudinem gradualem, secundum quam potest ab inferioribus diversimode participari, unde inæqualitas ista non minuit unitatem essentiæ, & præcisionem conceptus, sed ipsam univocationem, cujus rei signum est, quod in infimo univocationis gradu unitas essentiæ, & conceptus adhuc illæsa manet, quia nimirum tali unitate læsa labitur univocatio. Ad 3. negatur assumptum, nullum prorsus analogum posse habere unitatem conceptus, quia ut diximus in Logica disp. 2. q. 5. art. 2. analoga attributionis per intrinsecam denominationem, talem unitatem possidere possunt, quia singula intrinsece participant, esto diversimode, communem formam, in qua fit analogia; bene tamen verum est, quod ibi dicebamus in fine, analoga ut analoga, numquam ad unitatem conceptus abstrahibilis pervenire posse; quod si interdum talem videantur obtinere unitatem ut contingit in trascendentibus, hoc utique non est ex vi ipsius analogiæ, sed ex vi univocationis annexæ; analogia enim secum non defert, nisi unitatem attributionis, vel proportionis, quæ est unitas imperfecta semper involvens vel plures rationes inter se proportionem habentes, vel plures habitudines ad unam formam, quæ tamen unitas attributionis cum unitate univocationis consistere potest, ait Doctor, ut minor unitas cum majori, unde falsum est, quod dicebatur in argumento, analogiam, & univocationem semper incompossibiles esse, quia unitas minor stat cum majori, ut diximus num. 120. & licet essentia univoci consistat in indivisibili, ideoque tolli nequeat per multiplicitatem nisi tollatur totaliter; univocatio tamen essentiæ absolute sumpta non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet gradualem, & minui potest juxta quatuor gradus nu. 106. assignatos, verum tamen est, quod cum ad infimum gradum perventum erit; non amplius diminutionem patitur, quia tunc univocatio salvatur in sola, & simplici unitate essentiæ, quæ consistit in indivisibili,

QUÆSTIO VI.

Quomodo, & per quid ens ad inferiora contrahatur, ac determinetur, num per differentias, vel modos intrinsecos.

139 Quæstio hæc locum non habet apud illos, qui rationem entis a rationibus inferiorum non præscindunt, at nobis perfecte illam præscindentibus incumbit ostendere, quo pacto fiat tale, vel tale ens, quomodo nimirum determinetur ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens; cum enim fit ratio communis, & præcisa, opus est ut aliquo modo limitetur vel per differentias, vel per modos intrinsecos; & rursus vel per modum compositionis, vel saltem majoris explicationis; qua quidem difficultate non premuntur negantes unitatem conceptus entis, inquiunt enim in conceptu entis, ut sic, omnia simul inferiora immediate commisceri, vel simul confuse concepta, vel sub disiunctione, & sic ad determinationem entis sufficere, ut quæ concipiebantur simul, & confuse, postea concipiantur seorsim, & distincte.

Circa determinationem entis ad Deum, & creaturam nemo, quem viderim, asserit fieri per differentias (præter Poncium cit. n. 132. qui id dicere tenetur juxta sua principia) ne sequatur compositio in Deo, ex genere, & differentia, sed omnes fatentur fieri per modos intrinsecos, & quia in hoc sensu adhuc dupliciter cogitari potest hujusmodi contractio, vel scilicet per modum compositionis ex determinabili, & determinativo, vel per modum explicationis, & majoris expressionis ejusdem realitatis, vel conceptus. Aliqui docent fieri primo per modum compositionis saltem secundum rationem, quæ fiat ex ente, ut sic, & modis positivis, itaut Deus, & creatura sint resolubiles in duos conceptus, nempe in conceptum entis, ac modi contrahentis, ita passim videntur Scotistæ metaphysicari ex his, quæ habet Doctor 1. d. 3. q. 3. & sequitur Pasqualig. tom. 1, Met disp, 37. sect. 3. quamvis ibi loquatur de conceptu entis in ordine duntaxat ad substantiam, & accidens, quia præter istum, ut supra diximus, nullum alium conceptum entis agnoscit. Alii vero putant fieri posteriori modo, ut Suar. disp. 2. Met. sect. 6. n. 7. ubi inquit, alio modo contingere contractionem entis, & cæterarum rationum communium, nam hujusmodi contractio non est imaginanda per modum alicujus compositionis, quamvis solum secundum rationem, sed tantum per modum cujusdam expressionis conceptionis alicujus inferioris ad ens, itaut uterque conceptus tam entis, quam substantiæ v. g. simplex sit, & irresolubilis in duos conceptus, solumque differant, quia unus est magis determinatus, quam alter, quod in ordine ad conceptus formales recte explicatur, differunt enim solum, quia per unum expressius concipitur res, prout est in se, quam per alium, quo solum confuse concipitur, & præcise secundum aliquam convenientiam cum aliis rebus; hoc autem totum fieri potest sine propria compositione per solam cognitionem confusam, vel distinctam, præcisam, vel determinatam; sic igitur his conceptibus formalibus intelliguntur correspondere duo objectivi simplices, & irresolubiles in plures conceptus, quorum unus dicitur superior, vel abstractior alio, solum quia respondet confusiori conceptui formali, per quem non concipitur res secundum determinatum modum, quo est in se, sed confuse, & præcise. Potest etiam intelligi ille conceptus superior includi in inferiori sine propria compositione inferioris, quia totum id, quod confuse concipitur in illo conceptu præciso, reperitur in alio objecto expressius concepto, & in toto illo quacumque ratione consideretur: ac denique intelligitur determinatio superioris ad inferius, & additio inferioris ad superius non quasi per additionem partis ad partem, sed per solam majorem determinationem, vel expressionem, aut confusionem ejusdem rei in ordine ad diversos conceptus mentis; ita discurrit Suarez loc. cit. quem sequitur Aversa cit. cum multis Recentioribus; & ex nostris Meurisse lib. 1. suæ Metaph. qu. 10. conclus. 2.

140 Circa vero determinationem entis ad substantiam, & accidens, seu ad decem prædicamenta multi eodem modo discurrunt, quod nempe non contrahatur per differentias, sed adhuc per modos intrinsecos, & quia istorum alii sunt modi prædicandi, & alii essendi, putarunt quidam apud Ant. And. 5. Metaph. q. 7. ens contrahi ad decem prædicamenta per modos prædicandi, at alii volunt contrahi per modos essendi, ut Anton. And. loc. cit. Faber theor. 97. & 7. Met. disp. 2. & alii Scotistæ passim, per modos inquam positivos, & reales perfeitatis, & inalietatis importatos per illos terminos *per se*, qui convenit substantiæ, & *in alio*, qui convenit accidenti. Sonc. tamen 5. Met. qu. 14. & lib. 4. q. 1. ad 2. & q. 19. ad 7. ait modum constituentem substantiam, & consequenter determinantem ens ad illam esse tantum negationem, unde inquit, licet ens quidditative includatur in substantia, non tamen in eo, per quod contrahitur ad conceptum substantiæ, quia id solum est quædam negatio, quam circumscribimus hac voce *per se*, unde sentire videtur, ens quidem contrahi ad substantiam, & accidens per modos intrinsecos, non tamen positivos, sed negativos.

A R-

ARTICULUS PRIMUS.

De modis intrinsecis, ac extrinsecis.

Quoniam entis determinatio per modos intrinsecos luculenter percipi nequit, nisi habita exacta cognitione modorum intrinsecorum, ideo in hoc articulo præmittere decrevi quæsitum hoc de modis intrinsecis, cui etiam adjungo quæstionem de extrinsecis, quia quamvis isti potius ad Physicum pertineant, quam ad Metaphysicum, attamen cum notitia modorum extrinsecorum valde juvet ad vestigandam naturam arcanam intrinsecorum, non erit abs re etiam de extrinsecis hic sermonem instituere; sed mirum est, quam extremi fuerint in hac tractatione Antiquiores, & Moderni; Antiquiores enim, & præsertim nostri Scotistæ, quinternos implevere de his modis intrinsecis, nec quidem verbum faciendo de extrinsecis; Moderni e contra, tota enim eorum Philosophia, & Theologia his modis extrinsecis contenta est, adeout si hujusmodi entitates, quas vocant modales, absfuleris, tota eorum doctrina ruit; unde cum modi extrinseci in eorundem sententia adeo modicæ sint entitatis, ut rebus semper petant affixos esse, neq; seipsis subsistere possint, plane eorum doctrina fulcris nimium imbecillibus innititur, quod tamen jocose dictum volo.

141 Primo itaque Sciendum, hic nos non accipere modum in ea latissima significatione, qua modus dici solet omnis determinatio, vel limitatio præfixa unicuique rei finitæ juxta mensuram ejus, quo sensu D. Aug. lib. 4. Genes. ad lit. cap. 3. ait *Modus est, quem mensura præfigit*, & Poeta, *est modus in rebus*, &c. Sed accipitur pro entitate quadam, quæ non tam ad rei essentiam pertinet, quam ad complementum ejus, in quo sensu a quibusdam non inconsulto definitur, modum esse, *qui additus rei illam modificat vel in se, vel in alio, vel ad aliud vel quoad esse, vel quoad operari*, quem ita describserunt, ut sub hac definione comprehenderent omnes modos tam intrinsecos, quam extrinsecos rem ipsam determinantes vel ad esse sive essentialiter sive accidentaliter, vel ad operari: Modos autem extrinsecos dari debere in rerum natura probari potest inductione a posteriori, nam in quantitate v. g. vel qualitate duo considerari possunt, unum est, absoluta entitas ipsius quantitatis, vel qualitatis; alterum est unio, seu actualis inhærentia horum accidentium cum substantia; primum vocatur simpliciter, & absolute res quantitatis, res qualitatis includens in se quicquid est de essentia quantitatis, vel qualitatis individuæ, & in rerum natura positæ, quæ manet, & conservatur, etiamsi hæc accidentia a substantia separentur; alterum vero scilicet inhærentia appellatur modus quantitatis, vel qualitatis, quatenus est aliquid illa accidentia afficiens, & quasi ultimo determinans statum, & rationem existentiæ eorum, & est adeo modicæ entitatis, ut per se, ac solitarie existere nunquam possit etiam per Dei potentiam; sed necessario petat affixum esse rei, quam modificat, ac determinat; unde res potest quidem existere sine modo, non tamen e contra; cujus ratio a priori est, quia entitas modalis a natura fuit instituta non ad per se existendum, sed ad modificandum rem per se existentem, tum quia præsertim in schola nostra omnis entitas modalis hujus generis est relativa, omni autem formæ relativæ ex dictis in Physica disp. 3. q. 4. repugnat per se existere. Et sic sub nomine modi extrinseci cadit figura respectu quantitatis, unio, præsentia localis, seu ubicatio, actio, passio, motus &c. quæ quidem entitates omnes dicuntur modales, quia rem modificant, ac determinant vel quoad esse accidentaliter, v. g. esse unitum, figuratum, locatum, nam determinare essentialiter spectat ad modum intrinsecum, vel quoad operari, ut constat de actione, productione, & motu, & hoc pacto formalitatem modi extrinseci explicant Recentiores omnes, Suarez disp. 7. Met. sec. 1. num. 16. Hurtad. disp. 2. Metaph. sec. 5. Arriag. disputatione 1. Metaphysic. sect. 1. Ovvied. contr. 4. Metaphysic. punct. 5. & 6. ac alii passim.

142 Secundo. Quamvis autem acceptio modi in hoc sensu temporibus elapsis non fuerit in schola nostra admodum in usu, quia omnes has entitates Scotistæ nostri appellabant res, & non modos, sub nomine modi intelligentes solum modos intrinsecos, ut constat apud Formalistas, adhuc tamen eam agnovit Doctor 2. d. 1. q. 5. ubi sub lit. B. relationem realem unionis, & inhærentiæ vocat modum sui fundamenti, & certum est, non esse ejus modum intrinsecum, ergo extrinsecum, & rursus lit. D. §. *quod si adhuc*, ut dirimat litem de nomine, an relatio sit res, vel modus sui fundamenti; inquit posse dici rem, & modum; potest dici modus, quatenus est imperfecta entitas per se existere non potens, sed fatali necessitate semper est affixa rei, quam modificat; potest autem dici res, quatenus essentialiter cadit sub divisione entis realis, unde ibi concludit esse modum, non tamen modum intrinsecum, sicut est infinitas in Deo; ecce quomodo unionem, & inhærentiam vocat modos extrinsecos, & licet dicat etiam res appellari posse, non tamen accipit nomen rei pro entitate perfecta per se existere valente, sed pro ente reali fuse accepto, & contradistincto a nihilo; immo in eadem qu. sub lit. H. & clarius adhuc in 4. d. 12. q. 1. lit. I. necessariam affixionem, & alligationem horum modorum ad res modificatas loquens de inhærentia sic manifestat, ac simul causam talis necessitatis his verbis: *cum quæris de illa inhærentia, quæ inhærentia albedinis inhæret albedini, dico, quod illa est eadem inhærentia albedinis, & tantum ibi est status, ratio hujus patet lib. 2. dist. 1. q 5. quia illa ratio est idem fundamento, sine qua fundamentum esse includit contradictionem, hujusmodi est illa inhærentia inhærentiæ, quia contradictio est, inhærentiam albedinis ad superficiem esse actu, & non inhærere actu, vel non habere inhærentiam*, in eodem sensu modum accepit Doctor quol. 3. art. 1. in secunda acceptione rei; ut res distinguitur contra modum, ibi enim modum esse declarat, quod est simplex circumstantia rei, & aliquid ei extrinsecus apponit, & sic inquit tria prima prædicamenta absoluta esse res, cætera vero modos; constat autem apud eum non esse modos intrinsecos, ergo extrinsecos; vere igitur Doctor non solum agnovit modos intrinsecos afficientes realitates Metaphysicas, sed etiam modos extrinsecos afficientes res Physicas, ac eorum quidditatem explicat, ut passim explicari solet, quod consistat in munere modificandi rem aliquam & in necessaria alligatione ad illam. Neque hic audiendi sunt Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 13. art. 3. nu. 3. & Saxius tom. 1. catastr. qu. 4. art. 3. nu. 169. priorem Scoti locum intelligentes de modo intrinseco, hoc liquidem manifeste repugnat textui, qui sic loquitur, *relatio licet sit modus, si sit extra intellectum, & non modus intrinsecus fundamenti, sicut est infinitas in Deo, sequitur quod talis modus alius a re ex natura rei sit res alia a fundamento accipiendo rem generalissime, ut dividitur in decem genera*, en quomodo dicit relationem esse modum fundamenti, sed non modum intrinsecum, & rursus esse talem modum, qui includat quidditative ens in decem genera divisum, quod Scotus non concedit de modo intrinseco, ut patebit quæst. sequenti; de modis etiam extrinsecis loqui videtur, cum quæst. 36. prædicam. & 4. d. 6. qu. 10. N. docet divisionem prædicamenti qualitatis in 4. combinationes non esse generis in species per differentias, sed potius per modos extrinsecos eidem qualitati competere valentes.

143 Tertio tamen advertendum est, quod esto cum Recentioribus admittamus modos rerum extrinsecos, nihilominus ab eis discrepamus in hoc, quod ipsi tales modos aut ponunt omnino absolutos, aut solum transcendentaliter relativos, itaut constituantur ex entitate absoluta, & relatione transcendentali in eis essentialiter imbibita, sic enim passim loquuntur de actione, passione, ubi, motu &c. nos autem hujus generis modos dicimus esse puros respectus extrinsecus advenientes, ut plurimum pertinentes ad sex ultima prædicamenta, ita docuimus in lib. Phys. tractando de actione, passione, motu, & ubi, ac etiam in Log. disp. 8. q. 12. art. 1. loquendo de constitutione illorum sex prædicamentorum; quod etiam suaderi adhuc potest de quacumque entitate modali generatim ratione deducta ex natura ipsius modi, qui talis est, ut diximus, ut necessario affixum esse petat cum re modificata, nec aliter subsistere possit in rerum natura etiam divinitus, nisi illi colligatus; sed omne accidens absolutum ea ratione, qua absolutum est, potest divinitus a subjecto separari, ac separatum existere, & solum accidenti relativo hoc repugnat, ea ratione, qua relativum est; ergo hujusmodi entitates modales potius sunt relativæ quam absolutæ; major patet, & ab ipsis quoque contrariis conceditur. Probatur minor, quia hac ratione in Sacramento Altaris dicimus omnia accidentia absoluta, ut quantitatem, & qualitatem, existere a subjecto separata, unde aliqui Moderni ponentes ubicationem formam absolutam, & a re ubicata separabilem, negant consequenter esse modum, ut Arriag. disp. 14 Phys. sec. 2. subsec. 7. & tandem probari potest inductione in singulis modis extrinsecis actione, passione, ubi &c. ex *specialibus disputationibus* de ipsis in Phys. habitis, immo hoc ipsum de figura (quod minus videtur) quæ est quarta species qualitatis, *monstravimus* disp. 7. Log. q. 3. art. 2. declarando illam qualitatis speciem, omnes ergo hujus generis modi sunt entitates relativæ; Neque hic obiicias existentiam, & subsistentiam, qui sunt modi substantiæ, & intensionem, ac remissionem, qui sunt modi qualitatis, & tamen entitates relativas non important; nam quidquid sit de hoc, de quo in propriis disputationibus, isti modi non sunt ejus generis, de quo loquimur, nempe modi extrinseci, sed modi intrinseci naturam ipsam determinantes, ac modificantes; vel in esse specifico, vel individuali, in quo puncto defecerunt Moderni non discernentes modos extrinsecos ab intrinsecis, cum tamen magna sit differentia inter hos, & illos, ut constabit ex mox dicendis.

144 Quarto ad magis percipiendam naturam horum modorum sciendum est, modum non egere alio modo in suo genere, in quo est modus; quia a se habet ut quo illud prædicatum; sicut albedo, ut reddat album, non eget alia albedine; qua de re dicebat Arist. 5. Phys. ad actionem non esse actionem, nec ad motum esse motum, quia tunc daretur processus in infinitum, & ideo a Logicis tradi solet regula talis, *quod est alicui ratio essendi tale, illud seipso est tale*, unio ergo seipsa unitur, & non per aliam unionem, actio seipsa producitur, & non per aliam, ubicatio seipsa locatur, & non per aliud ubi, & sic de aliis; quamvis autem in eo genere, in quo aliud determinat, & modificat, non egeat alio modo, eget tamen in alio genere, in quo non est determinatio: sic unio, & ubi fiunt per actionem a se distinctam, unio determinatur per ubi ad diversa loca, & sic de aliis. Dices, nec ubi, nec motum, nec actionem egere alia unione, ut suis uniantur subjectis, sed seipsis uniri; ergo falsum est modum egere modo in alio genere. Resp. hoc universaliter esse de ratione cujuscumq; modi, quod seipso uniatur rei modificandæ per ipsum, quia per suam essentiam est actualis determinatio rei, quod non esset, si per unionem superadditam uniretur, unde in modis idem est eos se unire suis rebus, & illis communicare suum effectum intrinsecum, quia sunt intrinsece earum determinationes; Tum quia, quod indiget superaddita unione, ut alteri copuletur, utique potest ab eo separari, ac separatum existere ablata unione illa, atque ita si modus indigeret unio-

no distincta, ut rem modificaret, jam posset ab ea separari, & separatus existere, quod est contra ejus rationem formalem; Tum tandem quia est regula Scoti cit. 4. d. 12. qu. 1. I. quod illa relatio est idem fundamento, sine qua fundamentum esse includit contradictionem, sic autem se habet respectus unionis ad modum, quod modus nequit esse sine illa: ergo unio est quicunque modo realiter saltem identificata; non ergo ubi, actio, passio, motus, &c. indigent unione ex rationibus suis specialibus, quia sub hac ratione possunt, immo petunt modificari in alio genere, sed ex ratione generali modi, qui postulat seipso uniri *subjecto* modificato, & non per unionem distinctam.

145 Quinto quamvis fateantur omnes talem esse naturam modi extrinseci, qualem hactenus declarayimus, adhuc tamen dissidium est in ejus definitione tradenda; communis definitio, quæ tradi solet, est *modum esse, qui nec divinitus potest separari a subjecto*, quæ definitio deficit, quia non explicat quicquid est de ratione modi, quamvis enim exprimat necessariam ejus connexionem cum re modificata, non tamen exprimit ejus munus, & officium determinandi rem, & modificandi; Tum quia convenit aliis a definito, multa siquidem inveniuntur, quæ inseparabilia sunt a subjecto, nec tamen sunt modi, forma siquidem in sententia Thomistarum est a materia divinitus inseparabilis, item passio a subjecto, totum apud nos a partibus, & tamen hæ non sunt entitates modales; ideo Hurtad. loc. cit. aliter modum definit, quod sit *actualis determinatio rei indifferentis*, quæ etiam definitio non plene satisfacit, quia saltem explicite non declarat ejus inseparabilitatem, quæ tamen eprimenda erat in definitione, cum sit præcipua differentia, qua modus differt a re modificata; tum quia actus vitalis est actualis determinatio potentiæ ad objectum, & tamen etiam secundum ipsum Hurtad. non est modus. Nec valet, quod ait ipse actum vitalem se solo non determinare potentiam ad objectum, sed prius indigere unione a se distincta, qua copuletur potentiæ, & sic actum vitalem cum unione determinare potentiam ad objectum; non inquam sufficit, quia hoc ad summum probat unionem determinare potentiam ad cognitionem, non autem ad objectum, nisi media cognitione, unde a primo ad ultimum est ipsa cognitio, quæ actu determinat potentiam ad objectum, ut actualis ejus repræsentatio, non autem unio; sic etiam ultima dispositio introducta in materia est actualis determinatio materiæ ad talem formam, & tamen non est modus, & sic in multis aliis, ergo præfata definitio non sufficienter explicat essentiam modi; Arriag. proinde aliter definit modum *esse actualem informationem subjecti*, quæ sane definitio deterior est aliis, quia bona definitio debet cum definito converti, hæc autem non convertitur, quia licet omnis informatio subjecti sit modus, non tamen omnis modus est formaliter informatio subjecti; Probatur hoc assumptum, informatio subjecti non est nisi unio formæ cum subjecto; at præter unionem alii rursus modi reperiuntur in rebus, motus, ubi, actio, passio, &c. & licet ii omnes modi seipsis uniantur subjectis, idest per unionem eis realiter identificatam, ut paulo supra diximus; non tamen sunt formaliter uniones, nec sub ratione unionis sua afficiunt subjecta, sed suis propriis rationibus specificis; deficit etiam in hoc præfata definitio, quod nec ipsa expresse declarat, sed tantum implicite, inseparabilitatem modi a re.

146 Itaque dimissis his definitionibus potest modus extrinsecus definiri, quod est *forma necessario subjectum afficiens dando illi aliquid, quod est extra essentiam totam, ut individuam, & existentem in rerum natura*, ita modum describit doctissimus Suarez cit. disp. 7. sect. 1. num. 16. forma stat loco generis; per hoc, quod subjectum afficit necessario, significatur ejus inseparabilitas a subjecto, ita quod extra subjectum consistere nequeat; per hoc, quod dat aliquid, quod est extra essentiam totam, significatur proprium modi munus, quod est novam entitatem non afferre, sed præexistentem dumtaxat modificate; adeout, ut dicebamus, non spectat ad essentiam rei; sed ad perfectionem, complementum essentiæ; per id tandem, quod dicitur dare esse, quod est extra essentiam, ut individuam, & existentem; significatur discrimen, quod versatur inter modum extrinsecum, & intrinsecum, quia licet modus intrinsecus ad quidditatem rei primo, & directe non pertineat, & rem supponat in sua essentia integre constitutam, tamen non supponit eam individuam, & existentem, vel subsistentem, non est aliquis modus eam consequens in esse specifico, ut finitas, & infinitas, contingentia, necessitas, &c. hi namque sunt modi comitantes naturam rerum specificam; alii comitantur eam in esse individuali, ut gradus intensionis in qualiiate; alii eam faciunt formali, ut modi existentiæ; alii subsistentem, ut modus ipse substantiæ; at modi extrinseci nedum supponunt essentiam rei integre constitutam, sed etiam individuam, existentem, & subsistentem, ac ut uno dicam verbo in toto suo complemento substantiali; & hæc est differentia vertens inter modum intrinsecum, & extrinsecum, quam Recentiorum nullus sufficienter explicuit, immo nec a longe insinuavit; cum tamen modi intrinseci non sint Pura Scotistarum inventa, siquidem eos quoque admittit Thomistica schola cum D. Thoma qu. 1. de verit. art. 1. & qu. 21. art. 1. Bann. 1. part. q. 11. art. 1. concl. 2. & 3. Fons. 5. Met. cap. 6. Suarez disp. 2. Met. sect. 6. nu. 7. & quotquot dixerunt ens contrahi per modos & non per differentias.

147 Ex declaratione modi extrinseci in rebus physicis facile modo erit vestigare naturam modi intrinseci in realitatibus Metaphysicis, sicut enim se habet modus extrinsecus ad res, ita se habet modus intrinsecus ad realitates hinc inde proportione servata; quemadmodum ergo dicebamus, modum extrinsecum non pertinere ad essentiam rei, sed potius ad complementum ejus, eique advenire jam individuatæ, existenti, ac subsistenti; sic in proposito dicimus modum intrinsecum advenire realitati, & naturæ jam in suo esse essentiali, & quidditativo constitutæ: & hoc sonat ipsummet modi nomen, quod innuit modum non pertinere ad esse rei, sed ad modum essendi, & non intrare quidditatem rei, sed ipsam circumstare; ita omnes Scotistæ præsertim formalistæ tract. formalit. Mairon. 1. d. 42. q. 4. Tromb. part. 2. art. 2. §. *Pro declaratione definitionis, quæ datur de modo intrinseco*, ubi docet cum cæteris Scotistis, modum intrinsecum in hoc a differentia secerni, quod non intrat quidditatem rei, & probat cum Mairon cit. quia nullum posterius est de essentia prioris, sed modus intrinsecus est posterior quidditate, sicut intensio albedinis est posterior albedine, ergo, &c. tum quia res definitur secundum se definitione quidditativa, ut abstrahit ab omni gradu, ut de eadem albedine constat, ergo gradus non est de essentia rei; ita etiam colligitur ex Doctore pluribus in locis, sed præcipue 1. d. 8. q. 3. ad 1.

148 At instat Paulus Scriptor insignis Scotista 1. d. 3. qu. 1. modum intrinsecum non alia ratione talem appellari, nisi quia intrat quidditatem rei. Resp. Tromb. cit. cum Mairon. dici intrinsecum, quia non intrat quidditatem rei. Sed sane hac ratione potius dici deberet extrinsecus, & ideo melius occurritur non ea ratione dici intrinsecum, quia ad quidditatem pertineat, nam tunc omnino se haberet ut differentia, quod sæpius negat Doctor, sed dicitur intrinsecus, tum quia est realiter idem cum subjecto modificato, per quod distinguitur a modo extrinseco; tum quia est etiam cum eo intimior ipsa passione, ut expresse monet Doctor quol. 5. C. ubi dicit, quod *infinitas intensiva dicit modum intrinsecum illius entitatis, cujus est, sic intrinsecum, quod circumscribendo quodlibet, quod est proprietas, vel quasi proprietas ejus, adhuc infinitas ejus non excluditur*, qua de causa Scotistæ ajunt modum proprie non pertinere ad secundum modum dicendi per se, in quo passio dicitur de subjecto, sed ad primum modum, quia aliquo pacto pertinet ad quidditatem rei, quatenus perfecte, & adæquate quidditas nequit concipi non intellectu modo intrinseco, non tamen attinet ad primum gradum perfeitatis primi modi, nam intimiora sunt rei prædicata quidditativa, quam modi intrinseci, ut docuimus part. 2. instit. Log. tract. 1 cap. 3. quod ita declarari potest ex Scot. loc. cit. & omnibus Scotistis ibid. ubi distinguunt de duplici modo intrinseco, alter enim consequitur naturam specificam, & alter individuale esse; exemplum primi quantitas perfectionalis, quæ insequitur naturam specificam albedinis, ut albedo est, est modus ejus intrinsecus demonstrabilis de ipsa natura albedinis, ut abstrahit ab omni esse individuali, quia considerando naturam albedinis in se, & in esse quidditativo, est nigredine perfectior, & iste modus intrinsecus idem est, quod finitas albedinis in suo gradu specifico, quem inter species universi tenent, & non potest albedo perfecte, & adæquate intelligi in suo esse specifico, quia etiam essentialis illa perfectio intelligatur, quia illa nil aliud est, quam ejus essentia in tali gradu in ordine entium; quia ergo nequit albedo perfecte, & adæquate intelligi sine tali modo etiam in primo modo dicendi per se, in hoc sensu dicitur ad quidditatem rei attinere; hoc etiam adhuc clarius constat de modo intrinseco insequente esse individuale, scilicet de intensione, & remissione in qualitate, immo exemplum de isto attulit Doctor loc. cit. ad hoc declarandum; si esset, inquit, albedo sub decimo gradu, quantumcumque esset simplex omnino in re, posset tamen concipi sub ratione albedinis tantæ, & tunc perfecte conciperetur conceptu adæquato illi rei; vel posset concipi præcise sub ratione albedinis, & tunc conciperetur conceptu imperfecto, & deficiente a perfectione rei, hæc Doctor, ex quibus constat, posse naturam saltem imperfecte & inadæquate concipi quidditative, & quoad sua essentia prædicata sine modo, ideoque modum intrinsecum non esse inter prædicata quidditativa connumerandum; quia tamen nequit perfecte, & adæquate concipi in primo modo sine suo modo intrinseco, & gradu perfectionali sibi debito, hoc pacto dicitur modus attinere ad quidditatem rei, & aliquo pacto prædicari in primo modo dicendi per se; non tamen in eo perfeitatis gradu, quo prædicatur differentia, quia licet sit intimior passione, extimior tamen est differentia, ita etiam hanc rem declararunt ex Doct. c. Tatar. quolib. 6. §. *quantum ad secundum*, Posnanienf. 1. d. 2. qu. 1. dub. 2. ad 5. Smisinch. de Deo uno tract. 2. disp. 1. q. 1. n. 4.

149 Sed dices, Doctorem loc. cit. significare modum esse intimiorem etiam ipsa differentia, sic enim loquitur §. *ad primum*, sub lit. Y. differentiæ non dicunt modum realitatis alicujus generis, quia in quocunq; gradu intelligatur animalitas, non propter hoc invenitur rationalitas, vel irrationalitas esse modus intrinsecus animalitatis, sed adhuc intelligitur animalitas in tali gradu, ut perfectibilis a rationalitate, vel irrationalitate. Resp. non defuisse Scotistas, hoc concedentes, ut refert Posnan. 1. d. 8. q. 3. disp. 1. hoc tamen minime concedendum est, quia differentia cum genere constituit essentiam specificam, & modus intrinsecus consequitur eam jam constitutam, & Doctor loc. cit. non compa ratdifferentiam ad id, quod constituit, scilicet rationalitatem ad hominem, sic enim nulli dubium est in constituto ipsam omnino præcedere modum intrinsecum; sed comparat ad animal, quod contrahit; cui utique prius convenit suus perfectionalis gradus intrinsecus, quam differentia, per quam contrahitur, verum si etiam ille suus modus intrinsecus conferatur cum differentia, quæ ipsum constituit, scilicet cum sensitivo, palam rursus erit differentiam præcedere modum intrinsecum, unde in generibus licet præcedat modus differentiam divisivam, non tamen constitutivam.

150 Rursus ad enucleandam magis naturam modi intrinseci, docent Scotistæ modum non dicere propriam formalitatem, atque ideo non nisi formaliter negative a quidditate distingui, non autem formaliter positive; sed quia hoc est difficile captu, quare modus intrinsecus, si non est prorsus nihil, non & ipse propriam habeat conceptibilitatem, quæ suo modo etiam tribui solet ipsis negotiationibus, & privationibus; ideo variis modis, & non sine magna perplexitate id explicare conantur; omnes tamen in hoc denique convenire videntur, ideo modum intrinsecum non dicere propriam formalitatem, nec formaliter positive a quidditative distingui, quia modus nequit perfecte, & adæquate concipi sine re, cujus est modus; quæ explicatio non placet, quia ex hoc capite etiam res ipsa diceretur propria carere formalitate, & solum formaliter negative a modo distingui; & ratio est, quia sicut modus non est perfecte, & adæquate conceptibilis sine re, cujus est modus, ita etiam e contra res nequit adæquate, & perfecte concipi sine suo modo intrinseco, ex Scoto loco citato. Hoc ergo potius declarandum est per analogiam ad modum extrinsecum, unde sicuti de modo extrinseco dicebamus, quod in recto non appellatur res, & ens, quia seipso existere nequit in rerum natura, sed semper petit affixum esse rei modificatæ; ita servata proportione modus intrinsecus proprie non potest dici formalitas, quia formalitas apud formalistas sonat rationem objectivam ex se adæquate conceptibilem sine alia, modus autem nullatenus potest quidditative concipi sine re, cujus est modus, cum dicat ordinem transcendentalem ad illam, unde suapte natura petit concipi cum re, quam modificat; & rursus sicut distinctio rei, & modi ejus extrinseci ponitur distinctio realis, sed veluti imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione rei, unde a Recentioribus appellatur distinctio modalis; ita in proposito distinctio quidditatis, & modi ejus intrinseci, dicitur formalis, licet quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione formalitatis, & ideo dici consuevit formalis negativa; quem autem loquendi modum observare debeamus, ne confusio contingat circa distinctionem modi extrinseci a re, & modi intrinseci a realitate, jam diximus disput. 1. Logic. quæst. 5. art. 2. in declaratione formalis distinctionis; itaq; modus intrinsecus ea ratione dicitur propria carere formalitate, & solum formaliter negative ab essentia distingui, quia essentia sine modo potest aliquo pacto quidditative concipi, licet non omnino perfecte, & adæquate, sed modus nullo modo concipi potest quidditative sine re, cujus est modus.

151 Quamvis autem fateantur Scotistæ, talem esse naturam modi intrinseci, attamen circa definitionem ejus non minus rixantur, quam Recentiores circa definitionem extrinseci; Modus intrinsecus definiri solet in schola nostra ex his, quæ habet Doctor loco citato 1. d. 8. qu. 3. ad 1. princ. & q. 4. §. *ad quæstionem, qui non variat rationem formalem rei, cujus est modus*. Cum enim per id, cujus est modus, possit vel modificatum, seu contractum intelligi, vel constitutum ex modo, & modificato, disputant quomodo sit accipiendum in hac definitione; aliqui dicunt debere id intelligi non priori modo, idest respectu illius, cui advenit, sed posteriori, scilicet respectu ejus, quod constituit; & ratio est, quia si intelligeretur de ratione formali ejus, cui advenit, sequeretur, quod gradus intrinsecus, & differentia essentialis non differrent, quia certum est, quod differentia essentialis adveniens generi non variat rationem formalem illius, sicut rationalitas non variat rationem formalem animalis; ita Tromb. Posnan. Smisinch. loco citato Tatar. 1. distinct. 8. qu. 3. ad 1. princ. Vallon. & Magister Formalit. unde solum ex parte constituti restat discrimen inter differentiam, & modum, quod differentia variat rationem formalem constituti per ipsam, modus autem non variat rationem formalem constituti per ipsum; cujus rationem assignant, quia variare rationem alicujus est proprium formalitatis, modus autem intrinsecus nullam habet formalitatem; & ideo Auctor Formalit. juxta hunc dicendi modum assignat definitionem modi intrinseci, quod sit ille, qui *additus alteri non variat rationem formalem constituti*. Alii e contra volunt id potius intelligi debere respectu modificati, seu contracti, non autem constituti, quia modus etiam in suo genere variat rationem formalem constituti per ipsum, nam sit constitutum per intellectum, & infinitatem aliquid, quod dicatur B, ita quod sit B. hoc totum intellectus infinitus, certum est quod per appositionem infinitatis constituitur B & per ejus remotionem destruitur; ergo variat ipsum, ita Bargius 1. d. 8. q. 3. §. *Quia si infinita sapientia*, ubi proinde erroris omnes relatos Scotistas insimulat in hac re, & graviter reprehendit Auctorem Formal. quod modum definierit illum esse, qui non variat rationem formalem constituti, cum Doct. nequaquam dixerit, quod non variat rationem formalem constituti, sed illius, cui additur, ejus tamen verba 1. d. 8. q. 4. §. *Ad quæstionem*, ex quibus elicitur definitio modi, sunt ista, *infinitas non destruit formaliter rationem illius, cui additur*, & in hunc dicendi modum etiam inclinare videntur Lichet. & Vigerius 1. d. 8. q. 4.

152 Alii rursus ajunt hanc definitionem intelligendam esse de modis in genere, non de modis supra genus, quia finitum, & infinitum in quantitate, & qualitate non variant rationem quantitatis, vel qualitatis; variant tamen rationem entis, si in ente reperiantur. Alii tandem distinguunt de modis intrinsecis specificis, & individualibus, & ajunt definitionem illam de istis principaliter verificari, unde intensio, & remissio addita qualitati, augmentatio, & diminutio addita quantitati, non variant rationes earum; albedo enim intensa, & remissa sunt ejusdem rationis, similiter linea major, & minor; dicunt etiam applicari posse modis contrahentibus ens ad Deum, & creaturam, nullo tamen pacto convenire modis determinantibus ens creatum ad decem categorias, quia ita illud modificant, & determinant, ut simul cum ipso decem varias classes entium essentialiter distinctorum constituant; ita Meurisse has rixas conciliare tentavit lib. 1. suæ Met. qu. 11.

Dicendum tamen est, hanc definitionem recte intellectam omnibus modis intrinsecis convenire, & re vera modum intrinsecum nec variare rationem formalem illius rei, cui additur, nec illius, quam constituit; Quod omnibus modis intrinsecis conveniat tam in genere, quam extra genus, tam specificis, quam individualibus ex eo patet, quia apud Doctorem, & formalistas de quibuscunque modis intrinsecis occurrat occasio loquendi, semper allatam definitionem assignant, immo eam Doctor assignavit præsertim occasione desumpta ex contractione entis per finitum, & infinitum, quo pacto contingere possit absque eo, quod ens sit genus, finitum, & infinitum differentiæ, ergo merum effugium est ad evitandas difficultates hanc definitionem intelligere solum de modis in genere, non extra genus, vel de modis individualibus, non specificis, non multum vero curamus, num quoque competat modis dividentibus ens in decem prædicamenta, quia vere putamus ens ad illa contrahi per veras differentias, & non per modos, ut dicemus art. 3.

153 Ut autem intelligamus, quo sensu verum sit modum intrinsecum nec variare rationem formalem illius, cui additur, neque constitui per ipsum, sciendum est, Doctorem ita eum descripsisse, ut per talem notionem illum secerneret a differentia, atque ita ostenderet ens non contrahi ad Deum, & creaturam per differentias, licet contrahatur per finitum, & infinitum; dicitur itaque differentia variare rationem illius, cui additur, quia illud removet a statu suo contrahendo ipsum ad inferiorem quidditatem; ut constat de rationali, cum advenit animali; modus autem non sic variat illud, quia cum non sit gradus quidditativus, non trahit ipsum ad inferiorem quidditatem, sed tantum quidditatem, cui additur, modificat; rursus dicitur quoq; differentia variare rationem formalem sui constituti, quia cum realitate contracta novam quandam naturam constituit, quam formaliter ingreditur, eamque essentialiter a quocunque alio distinguit; sed modus non constituit novam naturam, quia novum gradum quidditativum non affert, sed priorem modificat, ac determinat; id manifeste constat de gradu individuali, gradus enim quartus, vel quintus albedini additus non aliam naturam de albedine constituit, sed eandem determinat, & modificat, hoc totum declarari potest per id, quod Arist. de differentiis pronunciavit 8. Metaph. tex. 10. ubi ait juxta Doctoris expositionem, & aliorum quod differentiæ respectu quidditatum se habent sicut numeri, nam sicut addita, vel ablata unitate statim variatur species numeri, addita enim unitate ternario fit statim quaternarius, & sublata fit binarius, quæ sunt aliæ species a ternario, sic est in quidditate, & definitione rerum; exemplum sit substantia animata sensibilis, est quidditas, & definitio animalis, si addatur rationale, statim fit quidditas hominis, si vero substrahatur sensibile, statim constituitur quidditas, seu definitio plantæ; non sic est de modo, nam additus, vel ablatus nunquam variat statum quidditativum rei, idque etiam probari potest ex analogia sæpius allata ad modum extrinsecum, modus enim extrinsecus in Physicis ideo dicitur seipso uniri rei, nec superaddita indigere unione, quia novam non affert entitatem unibilem, sed solum modificat præexistentem; sic pariter in Metaphysicis modus non dicitur variare quidditatem, nec cui additur necquam constituit, quia non novam quidditatem secum affert, vel gradum quidditativum, sed præcedentem magis modificat, ac determinat; & hoc est, quod ajebat Mair. cit. 1. d. 42. q. 4. quod modus intrinsecus est ille, qui adveniens alicui non variat quidditatem, eo quod de se nullam quidditatem, vel rationem formalem dicit, quod quidem intelligi debet servata proportione, sicut de modo extrinseco dicimus, quod non habet propriam entitatem; unde his sic stantibus definitio modi sic debet intelligi, modus intrinsecus est ille, qui additus alteri, idest ei, cujus est modus, non variat rationem ejus formalem, idest non facit aliam quidditatem nec destruendo priorem, nec contrahendo ad inferius, sed est præcise modus ejus inseparabilis omnimode ab illa quidditate, & sic ad verbum eam definitionem explicat 1. d. 13. qu. 1. in corpore quæstionis.

154 Contra hanc definitionem obiici solet, quia si modus non variat rationem formalem ejus, cujus est modus, sequitur, prædicamenta non inter se essentialiter distingui, quia ens non descendit in illa, nisi per modos, immo idem sequitur de Deo, & creatura, quia ens ad hæc contrahitur per modos; vel si hæc essentialiter distinguuntur abinvicem, jam modi variabunt rationem formalem rerum, cum non nisi per modos secernantur. Deinde accidentia communia non variant rationem formalem ejus cujus sunt acci-

dentia, album siquidem, & nigrum non variant rationem formalem superficiei; similiter differentiæ non variant rationem formalem generis; ergo tam accidentia communia, quam differentiæ essentiales erunt modi intrinseci. Denique si hæc modi definitio significat modum non variare rationem formalem rei, quam afficit, ut distincte ab illo; hoc commune est omni formæ, & cuicumque entitati excogitabili; nulla enim reperiri potest, quæ variet rationem formalem alterius, a qua distinguitur, non enim potest aliqua entitas per aliquid illi superadditum habere diversam rationem formalem constitutivam, aut diversam essentiam, ita arguit Ovied. controvers. 4. Met. punct. 5. contra Albertinum acceptantem hanc Scoti definitionem in prædicam. ad aliquid qu. 12. dub. 1.

155 Resp. neg. consequentiam quoad utramque partem, sicut enim ens finitum descendit in substantiam, & accidens per proprias differentias, ut dicemus art. 2. ita etiam non tantum per modos, sed per proprias differentias, esto nobis ignotas, distinguuntur, quod etiam tenet Canon. Bargius, & Vallon. loc. cit. ubi ait, hoc argumentum aliter solvi non posse; ad illud de Deo, & creatura dicendum cum eisdem Scotistis, quod essentialiter distinguuntur propriis quidditatibus, non autem per finitum, & infinitum, nisi quantum ad nostrum modum confuse concipiendi, quia talis contractio non est a parte rei, & a priori, sed tantum a posteriori per nostrum concipiendi modum cum fundamento in re, unde ait Tromb. ens finitum dupliciter sumi posse, fundamentaliter scilicet, & formaliter; primo modo considerata, inquit, essentialiter distinguuntur, & non præcise ratione finitatis, vel infinitatis, sed essentiæ ipsæ, ad quas ista sequuntur, sibi ipsis essentialiter distinguuntur; quæ solutiones consonant supradictis de conceptu entis, & postea dicendis de ejus contractione. Ad 2. ait Mairon. cit. longe diversam esse rationem de modo intrinseco, & accidentibus, licet enim albedo adveniens superficiei non variet rationem formalem illius, tamen quia rationem formalem dicit albedo, hinc est, quod ex ea, & superficie constituitur ratio formalis distincta a superficie, superficies enim alba formaliter distinguitur a superficie, non sic autem de modo, quia modus non dicit aliquam rationem formalem, & licet ex eo, & quid constituatur aliquid distinctum ab altero, per se tamen ex ipso, & quidditate non constituitur aliquid formaliter, vel quidditative distinctum a quidditate, quia illud, quod addit tale constituturn supra quidditatem, non est quidditas, sed modus quidditatis; Vel clarius dicatur, quod sicut differentia ideo variare dicitur rationem formalem generis, ipsam a proprio statu dimovendo & trahendo ad inferiorem quidditatem, sic etiam accidens commune in suo ordine dicitur accidentaliter variare quidditatem, cui advenit, ipsam trahendo ad aliam speciem accidentalem, quod non facit modus intrinsecus, quia est veluti gradus internus suæ quidditatis, & solum ea ratione illam determinare dicitur, quia illam intra seipsam perficit; nam si concipi debet cum perfectione, quam possidet in toto ordine entium, necessario concipi debet cum suo modo intrinseco; cui etiam accedit, quod accidens commune realiter distinguitur a quidditate, non vero modus intrinsecus; quo etiam pacto a differentia secernatur, sufficienter declaratum est supra. Ad ult. jam ex Arist. 8. Met. 10. ostendimus, quo pacto differentiæ additæ quidditatibus, vel sublatæ illas variare dicuntur, sicut unitates additæ numeris, vel subtractæ eos variant, & in hoc sensu intelligitur modus intrinsecus non variare rationem formalem nec ejus, cui additur, neque constitui per ipsum.

ARTICULUS II.

Ens ad Deum, & creaturam per modos intrinsecos determinatur; ad substantiam vero, & accidens per differentias.

156 Conclusio hujus articuli quoad primam partem de contractione scilicet entis ad Deum, & creaturam per modos intrinsecos, & non per differentias, ponitur a Scoto pluribus in locis præsertim tamen 1. d. 8. q. 3. ad 1. princ. & sequuntur Scotistæ omnes, ac etiam plures alii cum Scotistis defendentes unitatem, & præcisionem conceptus entis, quod ita probare solent ex Alensi 3. Met. quæst. unic. in tex. 10. utrum ens habeat differentias, quia contrahibile per differentias est extra conceptum illarum, ut constat de animalitate, & rationalitate, sed ens esse nequit extra sua contrahentia, quia per nihilum contraheretur; ergo contrahi nequit per aliquid habens rationem differentiæ, sed modi intrinseci. Hæc tamen ratio non est sufficiens, quia dubium assumit, ens nimirum formaliter includi in suis modis contrahentibus, quod forte verum non est, ut constabit quæst. seq. tum quia si ens includitur intrinsece in suis contrahentibus, ejus contractionem non fieret per compositionem, in qua requiritur, quod una pars componens sit extra conceptum alterius partis, sed potius per majorem expressionem, ut dicebat Suarez, qui hac ratione præcise talem excogitavit dicendi modum, cujus falsitatem mox ostendemus.

157 Scotistæ probant, quia ens determinatur ad Deum, & creaturam per infinitum, & finitum, sed hæc sunt modi, & non differentiæ; ergo ens ad prædicta inferiora non determinatur per differentias, sed per modos intrinsecos; Major conceditur ab omnibus, probatur minor, quia, ut constat ex dictis artic. præced. differentia est realitas alia a realitate generis, quod determinat, modus autem est gradus realitatis determinabilis, sine quo nec existere, nec perfecte concipi potest; sed finitum, & infinitum non sunt realitates extra realitatem entis determinabilis, sed sunt gradus ens intrinsece perficientes, sine quibus nec existere, nec perfecte concipi potest; ergo, &c. Major item constat ex dictis art. præced. hoc enim est præcipuum discrimen, quod Doctor loc. cit. assignat inter differentiam, & modum intrinsecum; Probatur minor, quia finitum, & infinitum intrinsece modificant ens, illudque perficiunt intra sphæram propriæ realitatis, non extra, ut solet differentia perficere genus; unde conceptus entis sine hujusmodi modis est confusus, & imperfectus, & perfectus cum illis, quod Doctor explicat loc. cit. exemplo albedinis in ordine ad gradus individuales, qui eam ita perficiunt, ut eam non ad ulteriorem realitatem trahant, ut facit differentia genus, sed intra eam perficiunt.

158 Sed hæc ratio non plene satisfacit, nisi bene intelligatur, & reddatur ratio, cur conceptus entis, & aliorum transcendentium per modos intrinsecos, contrahantur, non autem alii gradus prædicamentales communes; quis enim instare poterit, quod etiam substantia, quantitas, & relatio per suos modos intrinsecos contrahantur, & non per differentias; quod si respondeas substantiam contrahi per corporeum, & incorporeum, quantitatem per continuum, & discretum, quæ sunt differentiæ, & non modi intrinseci, quia in quocumque gradu concipiantur substantia, vel quantitas, non invenitur in eis corporeitas, vel incorporeitas, continuitas, vel discretio; hoc parum refert, quia etiamsi istæ concedantur esse differentiæ, & non modi, adhuc instabit ille, quod non per istas realitates contrahuntur substantia, & quantitas, sed per modos intrinsecos proprios. Neque etiam hanc difficultatem evitant, qui dicunt hanc determinationem entis per modos non fieri ad modum compositionis, ut fit in gradibus prædicamentalibus, sed ad modum explicationis, quatenus modi illi non ita modificant ens, quasi illud sit aliquid potentiale perfectibile per modos, & modi sint, quid actuale perfectivum hujusmodi determinabilis, sed quia illud magis explicant, & reddunt ex confuso distinctum, & ex imperfecto perfectum, Non; inquam, ita dicentes hanc difficultatem evadunt, quia præterquamquod etiam entis contractio fit per modum compositionis, ut mox probabimus; adhuc istud non satisfacit; nam adhuc instari poterit, quod etiam contractio conceptuum prædicamentalium communium fiat per modum solius explicationis, & non compositionis, unde numquam plene difficultati satisfiet, nisi quousque assignetur ratio, cur contractio entis, & transcendentium fieri debeat per modos intrinsecos, non per differentias, & per modum explicationis, non compositionis, & non ita fieri debeat contractio graduum prædicamentalium.

159 Et plane discriminis hujus alia ratio reddi nequit, nisi quia conceptus prædicamentales ita determinantur per sua contrahentia, ut cum eis compositionem veram conficiant Metaphysicam, ad quam necesse est, ut ratio contrahens, & contracta distinctas dicant realitates, quarum una sit per aliam perfectibilis, atque ideo una habeat rationem generis, & alia differentiæ, ex his quidem compositio Metaphysica coalescit; conceptus vero transcendentes ita per sua contrahentia determinantur, ut non efficiant cum eis compositionem Metaphysicam, atque ideo distinctas realitates importare non possunt, quarum una sit perfectiva, perfectibilis altera, ex quo factum est, ut dicatur transcendentium contractionem fieri per modos intrinsecos, & non per differentias; hæc est ratio, quam affert Doct. cit. 1. d. 8. q. 3. ad. 1. prin. ad ostendendum ens cum suis contrahentibus compositionem non facere, quia scilicet non dicunt distinctas realitates, unde subinfert esse contractionem potius per modos, quam per differentias, quia modus non addit distinctam realitatem illi, cui additur, & etiam quia non est contractio vera, & a priori, ut illa, quæ fit per differentias, sed potius facta per intellectum a posteriori cum fundamento in re, ut diximus n. 71. Hinc sequitur, ut ibi innuebamus, quod licet in opinione negante realitatem entis bene salvetur ejus contractionem fieri per modos, & non per differentias, id tamen nequaquam salvari potest in opposita opinione realitatem entis asserente; quia si ens veram realitatem dicit Deo, & creaturæ communem ante quodcumque opus intellectus, consequenter per aliam realitatem sibi correspondentem in ratione actus contrahi debebit, quia cuicumque realitati contrahibili propria quoque realitas contrahens correspondere debet; Tum quia ideo genus dicitur contrahi per differentias, & non per modos, quia propriam dicit realitatem contrahibilem, cuicumque enim potentiæ proportionatus debet correspondere actus; ergo si ens ponatur propriam importare realitatem, jam per differentias contrahi deberet, & non per modos; Intantum ergo bene dicitur ens per modos contrahi, & non per differentias, inquantum asseritur dicere conceptum inadæquatum, & non realitatem, & ex hoc bene occurritur instantiæ allatæ contra probationem conclusionis, & idonea redditur ratio, cur conceptus entis per modos contrahatur, conceptus vero generum per differentias, quia nempe isti realitatem præseferunt, non vero conceptus entis, unde si etiam conceptus entis ponatur realitatem præseferre, plane voluntarium est dicere, ejus contractionem fieri per modos, & non per differentias; & semper instantia jam allata urgeri poterit; unde concludimus, Scotistas tribuentes ex una parte realitatem enti, &de alia asserentes ejus contractionem fieri per modos intrinsecos, & non per differentias, non consequenter loqui, quia talis contractio cum realitate entis non consistit.

160 Sed

160 Sed probatur ulterius contractionem entis per modos intrinsecos fieri ad modum compositionis saltem rationis, & non per modum majoris expressionis, ut ajebat Suarez, sic enim expresse docuit Arist. 4. Met. tex. 1. dum ait Metaph. speculari ens, prout ens est, & ea, quæ illi per se insunt, hoc est inferiora, ut multi exponunt, quæ sunt intra abstractionem Metaphysicam; ergo dantur aliqua, quæ insunt enti, ubi autem unum alteri inest, & non per omnimodam identitatem fit aliqua compositio; id etiam expressius docuit Scot. 1. d. 3. q. 3. §. *ad quæstionem*, ubi duabus rationibus ostendit ens quidditative non includi in ultimis differentiis, & propriis ejus passionibus; Prima est, quia alias in differentiis daretur processus in infinitum; altera quia in Physica compositione fit resolutio in actum ultimum, & potentiam ultimam, itaut actus nihil habeat potentiæ, nec e contra; ergo pariter, inquit, in competito ex conceptu determinabilis, & determinativi fiet resolutio in conceptum determinabilem tantum, & determinativum tantum, qui est ultimæ differentiæ; jam constat ex hac secunda ratione in sententia Doctoris conceptum determinabilem entis facere compositionem cum determinativo sui modi intrinseci, unde in universum docet ratione talis compositionis omnia inferiora entis in conceptum ultimo determinantem, & ultimo determinabilem resolvi posse; ne vero quis putaret compositionem hanc, quam facit ens cum suo contractivo, esse in toto rigore Metaphysicam, & ex natura rei, inferius 1. d. 8. q. 3. in replicis ad solutionem primi principalis §. *contra conceptus ille*, declarat talem compositionem non esse realitatum, sed conceptuum, neq; conceptuum adæquatorum, sed inadæquatorum, ac proinde potius esse compositionem rationis, & apud intellectum, licet cum fundamento in re, & ideo inquit, *quamvis compositio apud intellectum sit conceptuum tamen est pro re extra*, & licet textus ille in quibusdam originalibus signetur pro additione, in aliis tamen non signatur, & ab expositoribus Doctoris exponitur ut genuinus textus.

161 Secundo probatur rationibus, primo ex via distinctionis, nam ubi est distinctio inter aliqua plura, dum uniuntur, fit aliqua compositio inter illa juxta tenorem distinctionis, præsertim vero quando unum habet rationem determinabilis, & aliud determinativi; cum ergo ratio entis saltem secundum rationem distinguatur a suis inferioribus, & præsertim a contrahentibus, quia nec illa quidditative includit, ut superius visum est, nec in illis quidditative includitur, ut sequenti quæst. dicetur, sequitur necessario, quod compositionem saltem rationis faciant, cum uniuntur. Secundo probatur ex via præcisionis, quia præcisio fit per separationem plurium rationum, seu per resolutionem alicujus in plures conceptus, quorum unus est determinativus, determinabilis alter, sed non fit duorum separatio, nisi præcedente eorum compositione; si ergo conceptus entis præscindi, & separari potest per intellectum a conceptibus contrahentium, signum est cum eis quoque compositionem facere, quando contrahitur; eadem enim ratione, qua præcisio fit per separationem, eadem quoque ratione contractio fier per compositionem. Tertio probatur ex via divisionis, quia finitum, & infinitum dividunt conceptum entis, ut quid communius, & superius; sed divisio rationis superioris, & communioris fieri nequit, nisi ipsa uniatur, & aliquo modo componatur cum rationibus dividentibus, hoc enim pacto fit descensus superioris ad inferiora; ergo &c. Quarto idem ostenditur ex via universalitatis, quia magis universale fit minus universale acquirendo aliquem gradum essentiæ magis determinatum, sed hic acquiri non potest per majorem expressionem, seu explicationem ejusdem conceptus, sed per additionem alterius conceptus, minus communis, cum igitur ens sit minus universale per contractionem ad Deum, vel creaturam, hoc utique fiet via compositionis, & additionis, non vero majoris expressionis; Major patet; Probatur minor, quia major expressio ejusdem conceptus non affert novum gradum essentiæ, sicut asserre debet modus contrahens, sed tantum eundem conceptum magis explicat; tum quia si universale solum contraheretur per aliquid magis expressum, quicquid tunc exprimeretur esset æque universale, ac ipsum, quia extraheretur veluti ab ejus intrinseco, sicut de passione contingit, quæ est æque universalis, ac ipsum subjectum, quia ab ejus intrinseco consequitur.

162 Et tandem probatur ex ipsa ratione contractionis, quæ cogitari nequit fieri per modum explicationis, sed necessario per modum additionis, atque compositionis, quod ita evidenter deducitur, vel enim ens, quando per contractionem factum est Deus, vel creatura, dicit quid amplius, quam antea cum habebat esse præcisum, vel non; non secundum, quia certum est, quod ens in esse præciso non dicit totum id, quod dicit Deus, vel creatura, neque enim dicit dependentiam, vel independentiam, sed se habet indeterminato modo; tum quia implicat aliquid crescere in esse, & non aliquid ei superaddi, ut constat de toto tam essentiali, quam integrali, non enim quinarius fit senarius, nisi aliqua ei addatur unitas; ergo ita quoque erit de toto universali, quod per contractionem non fiet minus universale, nisi ei aliquid addatur, & sic etiam erit de ente, quod ad inferiora non descendit, nisi per additionem talis gradus determinati entis, talis autem gradus est determinativus, & limitativus entis, ut sic; ergo talis additio erit aliqua compositio. Accedit, quod si contractio magis universalis ad minus universale fieri posset per modum cujusdam expressioris conceptus, & per majorem explicationem, tunc definitum esset magis universale, & definitio minus universale, & illud posset per istam contrahi, quia differunt per magis, vel minus explicitum, quod enim dicit definitum confuse, hoc dicit definitio distincte ex 1. Phys. 5. sed hoc est falsum; ergo ad contractionem rationis communis non sufficit major explicatio ejusdem conceptus, sed necessario requiritur additio novi gradus essendi.

163 Tertio adhuc specialiter probatur contra Suarez, & Meurisi. isti enim admittunt præcisionem, & unitatem conceptus entis; ergo parum consequenter dicunt contractionem entis ad inferiora fieri per majorem explicationem ejusdem conceptus, & non per compositionem; Probatur sequela, quia iste modus contrahendi ens ad illos pertinet, qui negant præcisionem conceptus entis; cum enim secundum ipsos inveniantur omnia entia in conceptu entis involuta, vel simul confuse concepta, vel sub distinctione, ajunt consequenter sufficere ad determinationem entis, quod concipiantur distincte, ac determinate illa, quæ prius concipiebantur in confuso. Tum quia adhuc minus consequenter ait Suarez loc. cit. disp. 2. sect. 6. n. 7. conceptum substantiæ, & accidentis esse æque simplicem, ac conceptum entis, & irresolubilem in inferiores conceptus, nam supra sect. 2. ejusdem disp nu. 32. docuerat conceptum entis adhuc ad inferiora comparatum esse ab illis præcisum; sed hoc plane fieri nequit, nisi in inferioribus entis duo inveniantur conceptus distincti, quorum unus terminet comparationem alterius; ergo conceptus cujuslibet inferioris ad ens etiam ex confessione ipsius Suarez est in plures conceptus resolubills. Denique ex ipso etiam discursu, quem facit Suarez ad declarandam hanc entis contractionem ad modum explicationis, palam colligitur intervenire compositionem, & additionem novi gradus essendi; ait enim loc. cit. id optime explicari in ordine ad conceptus formales, quia nimirum conceptus entis formalis est confusus, & indeterminatus, quatenus non attingit aliquem determinatum modum entis; conceptus vero formalis talis entis determinate repræsentat substantiam, v. g. vel accidens, quia repræsentat cum tali determinato modo essendi, & in ordine ad has repræsentationes per conceptus formales factas ait intelligi objectivam contractionem entis, sic nimirum ut illis conceptibus formalibus correspondeant duo objectivi simplices, & irresolubiles, quorum unus dicitur superior alio, solum quia respondet confusioni conceptui formali; Ex hoc, inquam, colligitur compositionem intervenire in contractione entis, quia juxta hunc discursum prius concipitur sola ratio entis ab inferioribus præcisa, deinde concipitur peculiaris modus essendi; tunc quæro, an in prima repræsentatione reluceret hic modus essendi, vel non; si non, ut Suarez etiam fatetur; ergo in posteriori conceptu aliquid objective attingitur, quod in priori non attingebatur; ergo sicut conceptui formali entis additur alter, sic pariter de conceptu objectivo dicendum, unde tandem sequitur, quod sicut fit compositio conceptuum formalium apud intellectum, ita pariter uniuntur plures rationes objectivæ, quarum una est superior, altera inferior, quod sufficit ad compositionem rationis, quam prætendimus.

164 Quarto adhuc specialius probatur inconsequentia Meurisi. in suo modo dicendi, plus enim inconsequenter ipse loquitur, quam Suarez; iste siquidem quamvis admittat unitatem conceptus entis, ejusque præcisionem ab inferioribus, non tamen admittit unitatem realitatis adæquate conceptui respondentis, neque ejus præcisionem statuit omnino ex natura rei, ut facit Meurisse. At ipse respondet hæc omnia bene cohærere cum doctrina, quam tradidit de univocatione, & præcisione entis ex natura rei; cohærent primo (inquit) cum univocatione entis, quia rationem entis, quod hucusque probavimus esse univocum, volumus esse tantum imperfectam, confusam, & indeterminatam, confusione, scilicet, & indeterminatione inferiorum, & modorum determinantium; cohærent etiam cum præcisione ex natura rei rationis entis ab inferioribus, cum enim ens, ac ens infinitum distinguantur plusquam ratione, quatenus scilicet illa magis, vel minus expressa ratio, vel illa ratio nunc imperfecta, nunc perfecta reperitur etiam ut sic in conceptibus objectivis, sit, ut illa communis, & confusa ratio, ut communis, & confusa fit ex se præcisa a seipsa, ut distincta, & determinata, nam etiam ex natura rei gradus essendi prius potest nobis obiici, quam gradus essendi sic, vel *sic*, cohærent denique (ait) cum eo quod dicimus conceptum entis esse simpliciter simplicem, & conceptum entis infiniti, & entis finiti non esse adeo simpliciter simplices, quia conceptus entis, ut sic, est irresolubilis in plures conceptus; conceptus autem aliorum entium non sic sunt irresolubiles, immo vero resolvi possunt in conceptum determinabilem, & conceptum determinativum, quorum prior est conceptus entis, & alius est conceptus modi ejus.

165 Sed plane falsum est ista hæc simul cohærere; non quidem cum univocatione entis, ut ab ipso ponitur, quia si ratio entis est confusa, & indeterminata, ut ait ipse, nedum indeterminatione modorum essendi, sed etiam inferiorum; ergo non potest contrahi per modum dumtaxat majoris explicationis, sed necessario id fiet per additionem novi gradus essendi: Probatur consequentia, quia contractio per modum solius explicationis determinat quidem quod est confusum, & indeterminatum confusione graduum intrinsecorum, & indeterminatione modorum, sed minime sufficiens est ad determinandum, quod etiam indeterminatum est indeterminatione inferiorum; nam ad talem determinationem necessario requiritur novus gradus essendi particularis; quod etiam ex ipsius doctrina confirmatur, nam quæst. 11. de modis entis concl. 4.

ideo ait determinationem per modum solius explicationis non sufficere ad contrahendum ens finitum ad decem prædicamenta, quia conceptus entis in ordine ad illa, non est tantum confusus confusione graduum intrinsecorum, sed confusione etiam inferiorum, & partium subjectivarum; sed ens commune Deo, & creaturæ est etiam hoc modo confusum, ut hic ait, nedum scilicet confusione modorum, sed etiam inferiorum; ergo pro ejus determinatione non sufficit contractio dumtaxat per modum majoris explicationis; Neque cohærent cum præcisione, & distinctione conceptus entis natura rei a suis inferioribus, quia in omni schola, quæ præcise differunt secundum magis, vel minus explicitum, plane non differunt ex natura rei, sed tantum ratione, & secundum nostrum intelligendi modum, quia tota eorum diversitas non ex parte rei conceptæ, sed solum ex parte intellectus concipientis se tenet; si ergo ens, & ens infinitum non differunt, nisi penes magis vel minus explicitum, plane salvari nequit distinctio conceptus entis ex natura rei a suis inferioribus, & plane est omnino voluntarie dictum, & prorsus absque fundamento, quod ratio communis, & confusa sit ex natura rei præcisa, & distincta a seipsa, ut distincta, & determinata, nam si hæc distinctio oritur ex parte rei, non erit eadem ratio communis, & particularis; si oritur ex parte intellectus tantummodo clarius tandem rem repræsentantis, non erit distinctio ex natura rei, sed per intellectum. Quod autem gradus essendi, ut sic, prius obiici possit, quam gradus essendi determinatus, non infert contractionem entis per solam majorem explicationem ejusdem gradus entis, sed per propriam additionem gradus ad gradum; Nec denique cohærent cum resolubilitate entis finiti, & infiniti in ulteriores conceptus, immo ex hoc, quod determinatio conceptus objectivi entis ad inferiora fit per modum expressionis conceptionis alicujus inferioris ad ens, sequitur utrumque conceptum tam entis, quam inferioris ejus, esse simplicem, & irresolubilem in duos conceptus, quia juxta hunc dicendi modum conceptus superioris, & inferioris non sunt nisi unicus conceptus modo magis, modo minus determinatus juxta majorem, vel minorem expressionem ab intellectu factam; unde quoad hoc adhuc etiam minus consequenter locutus est Meurisse, quam Suarez, quia iste postquam statuit contractionem conceptus entis fieri per modum explicationis, æque simplices posuit conceptus inferiorum, & superiorum quantum ad resolutionem in ulteriores conceptus, quod non fecit Meurisse, qui tamen considerare debebat, quod resolutio conceptus inferioris in ulteriores conceptus, determinabilem scilicet, & determinativum, arguit necessario compositionem realitatum, vel saltem conceptuum.

166 Quoad alteram articuli partem, nimirum, quod ens ad substantiam, & accidens non contrahatur per modos, sed per veras, ac proprias differentias, colligitur ex Scoto ubicumque significat ens finitum, prout descendit in substantiam, & accidens, seu in decem genera, habere rationem generis, ita enim significavit 7. Met. qu. 1. ubi inquit, quod omnis conceptus inferior conceptus entis transcendentis, & superior decem generibus dictus in quid de ipsis est conceptus genericus; cum ergo talis sit conceptus entis finiti respectu substantiæ, & accidentis, erit genericus; & 1. d. 8. qu. 3. ideo excludit rationem generis ab ente transcendenti, quia non est conceptus limitatus, sed indifferens ad infinitum, & finitum; cum ergo conceptus entis finiti sit limitatus, nihil ei deficit quominus sit genus; & ibid. lit. H. aperte insinuat ens finitum esse supremum genus ad decem genera; postquam enim dixerat ens prius dividi in infinitum, & finitum, quam in decem genera, quia quod in hæc dividitur est ipsum finitum, subdit, quod *quæcunque conveniunt enti, ut indifferens ad finitum, & infinitum, vel ut est proprium enti infinito, conveniunt sibi, non determinatur ad genus, sed ut prius, & per consequens, ut est transcendens, & extra omne genus;* quibus verbis significat eo ipso, quod ens est contractum ad finitum, statim determinatur ad constituendum genus, quod est ipsum ens finitum, inquit enim tunc determinari ad genus, & non ad genera; eandem quoque conclusionem Scotistæ nonnulli tuentur, Bargius 1. d. 8. q. 3. assignans definitionem modi intrinseci, ubi pro eadem citat Canonicum: item Vallon. in formalit. in explicatione definitionis modi intrinseci, pro eadem opinione Vigerius quoque cit. Francisc. de Marchia 1. d. 3. q. 3. ubi, Bargius idem replicat, & Bonet. 1. Met. cap. 6. valde propendet in hanc partem expresse docens ens finitum ad decem genera per indifferentias, ac tandem in eam valde inclinat Meurisse loc. cit. concl. 4. licet vereatur aperte a communi modo loquendi recedere; Probatur primo quia nullum est inconveniens unum dumtaxat constituere prædicamentum rerum omnium creatarum, cujus supremum genus sit ens finitum, ut dicebamus disp. 6. Log. q. 1. siquidem ut ibi diximus ex Scoto pluribus in locis, divisio illa famosa in decem suprema genera non potest convincenti ratione demonstrari, sed sola auctoritate tenetur, quæ non debet prævalere rationi. Deinde quia si ens finitum ad decem genera contraheretur per solos modos intrinsecos, & non per differentias, sequitur decem genera non esse inter se essentialiter diversa; quia modi intrinseci ex dictis art. præc. non variant, nec diversificant essentialiter res, quas modificant, nemo autem est, qui non videat absurditatem consequentis, & hæc est potissima ratio, quæ relatos Scotistas adduxit a communi modo loquendi aliorum Scotistarum, unde inquit Vallon. hoc argum. solvi non posse.

167 Rursus, quia in proposito mirabiliter militat ratio, quam urgebamus supra nu. 158. contra entis transcendentis contractionem per modos, non enim reddi potest ratio convincens, cur substantia, quantitas, qualitas, & cætera prædicamenta contrahi debeant, & determinari per differentias ad sua inferiora, & ens finitum per modos intrinsecos; neque enim in proposito de ente finito reddi potest ratio illa, quæ ibi reddebatur pro ente transcendenti sub n. 159. si enim apices prædicamentales ideo per differentias contrahuntur, & non per modos, quia talem dicunt habitudinem ad sua contrahentia, ut cum eis compositionem efficiant Metaphysicam, idem quoque de conceptu, seu realitate entis finiti dici poterit, & debebit, quia cum suis contrahentibus constituere debet naturas Metaphysice compositas, & abinvicem essentialiter diversas. Demum nulla est ratio convincens in oppositum, ut mox constabit; ergo dicendum est, ens finitum ad decem prædicamenta determinari per differentias, & non per modos intrinsecos; & quia omnis bona divisio bimembris esse debet, vel saltem ad bimembrem reduci, melius est prius, ac immediate dividere ens infinitum in substantiam, & accidens, & hoc in absolutum, & respectivum, & rursus hoc in intrinsecus, & extrinsecus advenions, & sic deinceps, differentiæ vero contrahentes, ac immediate ens finitum dividentes erunt perfectas, & inalietas, illa cum realitate entis finiti constituet supremum genus in coordinatione substantiarum, & inalietas cum eadem realitate constituet supremum genus in coordinatione accidentium.

Addendum tandem est, quod sive ens finitum ad substantiam contrahatur per differentias, sive per modos, talia contrahentia aliquid positivum præseferre debent, & non puram negationem, ut Soncin. ab initio oitatus videbatur assererę, quod quidem luculenter ostenditur; quia substantia, & accidens si positive conveniunt in una ratione communi, positive quoque differunt secundum proprias rationes; ergo supra conceptum entis finiti, in quo conveniunt, aliquod positivum addere debent; tum quia exploratum est præter rationem communissimam entis diversas reperiri essentias in coordinatione entium creatorum reales, & positivas, quæ etiam sunt principia passionum realium, & positivarum; ergo supra illam addunt determinatos gradus essendi positivos, & non negativos; tum quia etiamsi perfectas substantiæ explicari soleat per negationem inhærendi alteri, & rursus inhærentia, seu inalietas per negationem per se subsistendi, adhuc tamen negationes istæ supponunt in substantia, & accidente rationem positivam, in qua fundentur, quia ut docet Doct. 1. d. 23. q. 1. & 3. d. 1. q. 1. & alibi frequenter negatio, quæ convenit subjecto necessario, & simpliciter semper ei convenit ratione alicujus affirmationis, ad quam sequitur, ut homini convenit negatio rugibilitatis, quia est rationalis; istæ autem negationes existendi in alio, vel per se subsistendi in substantia, & accidente repertæ utique in ipsa ratione entis fundari nequeunt, quia ista communis est ambobus, & quantum est de se ab utraque negatione præscindit; erunt ergo rationes particulares positivæ eis propriæ, quas addunt supra ens finitum, & istæ erunt differentiæ divisivæ entis finiti, & constitutivæ substantiæ, & accidentis.

In oppositum obiicitur Primo contra prædeclaratam entis contractionem ad Deum, & creaturam, quia vel id, quod contrahit, est ens, vel non ens, non primum, quia idem contraheret seipsum; si secundum, ergo ens contrahitur per nihil. Conf. quia cum natura superior contrahitur, opus est, ut formaliter excludatur a contrahentibus, quia si illam includerent, non amplius essent contrahentia, sed natura contracta, at nullum contractivum entis excogitari potest, quod sit ens, ergo conceptui entis, ut sic, contractio repugnat.

168 Respond. hanc esse potissimam difficultatem, ob quam Thomistæ univocationem entis negaverunt, ac unitatem conceptuum ejus, qua unitate negata nulla contractio entis est necessaria, quia quod ab inferioribus non abstrahit, utiq; ad ea contrahi non indiget; itaq; Suar. loc. cit. quia nobiscum defendit unitatem, & præcisionem conceptus entis, respondet allatam difficultatem urgere, quia supponit contractionem entis, ad inferiora fieri per modum compositionis, ut sit contractio generum in prædicamentis, quæ suppositio falsa est, quia non est cogitanda entis contractio per modum compositionis, & additionis, hoc enim supposito procedit argumentum, quod illud enti superadditum vel est, vel non est ens, sed cogitanda est per modum majoris explicationis, modo supra explicato num. 139. sic enim intelligitur ille conceptus superior includi in inferioribus sine propria compositione inferioris, quia totum id quod confuse concipitur in illo conceptu præciso, reperitur in alio objecto expressius concepto, & in toto illo quacumque ratione consideretur, ac denique intelligitur determinatio superioris ad inferius, & additio inferioris ad superius non quasi per additionem partis ad partem, sed per solam majorem determinationem, vel expressionem, aut confusionem ejusdem rei in ordine ad diversos conceptus mentis. Sed hæc solutio Suarez ex dictis explosa manet, satis namque probatum est contractionem entis fieri non posse per modum solius majoris explicationis, sed necessario compositionem intervenire etiam ex ipso discursu Suarez, quem facit num. 7. quia si intellectus concipiendo ens, ut sic, non exprimebat rationem Dei vel creaturæ, & postea exprimit in alio conceptu; ergo priori conceptui superadditur alter, in quo aliquid exprimitur, quod prius non exprimebatur, & sic aliquid de eo novo advenit in esse objectivo, quod est entis contractionem fieri per modum additionis, & compositionis, non autem simplicis explicationis.

169 Re-

169 Respondent alii apud eumdem Suar. utique contractionem entis fieri per modum compositionis, & additionis, & cum quæritur an in modo contractivo includatur ratio entis, affirmative respondent, dicuntque hoc non esse inconveniens, quia ens est transcendens, non autem alii gradus prædicamentales; & si quæras, an modus ille contrahens sit in plures conceptus resolubilis, iterum affirmative respondent, quia involvit rationem entis, & rationem modi, & consequenter ita posse in infinitum procedi, quia non est major ratio sistendi in uno, quam in alio; neque absurdum reputant ponere hunc processum in infinitum, cum sit tantum secundum rationem, ac nostram præcisionem; inconveniens esset, si ponerentur conceptus ex natura rei distincti, quia oporteret fingere in quolibet inferiori entis infinitos modos ex natura rei distinctos, & in perfectione inæquales. Sed neque hæc solutio est approbanda, & reiicitur a Scoto 1. d. 3. qu. 3. F. & G. quia processus in infinitum quocumque modo fiat, semper absurditates involvit, & ideo ait Arist. 5. Met. & 10. quod omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua primo diversa, & 2. Metaph. cap. 2. tex. 10. & 11, negat posse procedi in infinitum in prædicatis quidditativis, quare concludit Doctor, quod sicut resolutio entium compositorum stat ultimo ad simpliciter simplicia scilicet ad actum ultimum, & potentiam ultimam, quæ sunt primo diversa, ita quod nihil unius includit aliquid alterius; ita oportet in conceptibus omnem conceptum non simpliciter simplicem resolvi in conceptum ultimo determinabilem, qui est conceptus entis, & in ultimo determinantem, qui est conceptus modi contrahentis, vel ultimæ differentiæ.

170 Huic igitur difficultati assignat Doctor qu. 21. de Anim. num. 18. duplicem responsionem, in prima, quam etiam memorat 4. Metaph. quæst. 1. in corpore quæst. negat contractionem entis fieri proprie per additionem, quia ens tali indeterminatione est indeterminatum, ut in inferiora seipso statim, & immediate descendat sine ullo addito, quam solutionem retulimus supra num. 24. Sed quia valde difficile est hoc declarare, aliam subdit, quam postea confirmat 1. sent. d. 3. qu. 3. concedendo ens descendere in inferiora, quod quidem etiam sit ens realiter, & identice, non tamen formaliter; quod ita intelligi debet, ut ipse quoque modus contrahens sit quidem ens, non tamen ex se, sed ratione illius, quod coarctat, & contrahit, ipsum enim coarctando recipit esse ens, quatenus cum ente contracto identificatur in communi constituto, quam quoque solutionem accipit ex integro Pasqualig. disp. 37. cit. volens nolens, ita enim loquitur num. 6. & 7. ubi tandem concludit in solutione ad tertiam rationem, quod in hac contractione aliquid additur supra ens, nimirum illud limitativum entis, quod quidem quantum est de se, non includit rationem entis, nimirum prout se exhibet, ut limitativum, sed solum quatenus illam recipit a ratione, quam contrahit modo explicato; & sub num. 8. explicat hanc contractionem exemplo materiæ, & formæ, quemadmodum enim materia est substantialis potentia, & per formam determinatur tamquam per actum, ut sit hæc, vel illa essentia Physica; forma vero recipit a materia sustentationem, sine qua non posset subsistere, ita enim ens determinatur a modis contrahentibus, ut tale, vel tale ens, modi vero recipiunt ab ipso, quod sint entia, & aliquid reale; hoc data opera adnotare volui duplici de causa, primo ut ostenderem Pasqualig. non distare ab opinione Scori quoad inclusionem entis in modis contrahentibus, quia si concedit modos entis non esse ex se, & formaliter entia, sed fieri entia ratione illius, quod contrahunt, ut ibi sæpe fatetur, jam in opinionem descendit Doctoris subtilis, qui in hoc præcise sensu concedit modos entis esse entia; deinde quia inter omnes Auctores extra scholam Scoti hunc solum invent, qui hanc veritatem cum Scoto fateatur etiamsi quasi invitus, quia Scotum arbitratur neque in hoc sensu concedere, quod sint entia.

171 Secundo obiicit Meurisse contractionem entis per modos non fieri ad modum compositionis, sed explicationis, quod probat evidenti auctoritate Doctoris loc. cit. 1. d. 8. qu. 3. ad 1. princ. ibi enim diserte docet conceptus contrahentes ens dicere modum intrinsecum ipsius contracti, & non aliquam realitatem perficientem ens; & conceptum entis, sine modo, esse conceptum communem, & confusum, sed cum modo, esse proprium, & perfectum; constat autem ex dictis art. præc. modum non determinare rem, cujus est modus per compositionem, & additionem, quia nullam addunt modi novam realitatem rei modificatæ, sed per solam explicationem, majoremque expressionem, quatenus conceptum illius realitatis magis explicant, & reddunt ex confuso distinctum, & ex imperfecto perfectum; Et hunc modum determinationis esse possibilem declarat ibidem Doctor exemplo albedinis; si esset albedo, inquit, sub decimo gradu intensionis, quantumcumque esset simplex omnino in re, posset tamen concipi sub ratione albedinis tantæ, & tunc perfecte conciperetur conceptu adæquato illi albedini, ut tantæ, vel posset concipi præcise sub ratione albedinis & tunc conciperetur conceptu imperfecto, & deficiente a perfectione rei; conceptus autem imperfectus posset esse communis illi albedini decem graduum, & alii, & conceptus perfectus esset conceptus proprius hujus, vel alterius albedinis; & eamdem habet doctrinam 1. d. 3. qu. 1. §. *quarto dico*.

172 Resp. quamvis iste locus in sola verborum superficie consideratus possit favere opinioni Suarez, & Meurisse. quod contractio entis fiat per modum explicationis, & non compositionis, nequaquam tamen censendum est Doctorem in ea fuisse sententia, quod non solum constat ex dictis num. 160. sed præsertim ex solutione assignata ad præcedentem difficultatem; ut enim illi occurreret dixit ens non includi quidditative in modis contrahentibus, quod quidem dicere opus minime erat, si eam contractionem fieri putasset solummodo per modum simplicis explicationis, immo Suar. & alii eam dicendi modum elegerunt, ne cogerentur excludere rationem entis a modis contrahentibus, videbant enim quod admittentes contractionem entis per modum compositionis, & additionis, ut consequenter loquerentur, etiam exclusionem rationis entis a modis contrahentibus admittere cogebantur; cum ergo Doctor asserat ens non includi formaliter in illis, evidens inditium est voluisse entis contractionem fieri per modum compositionis, & non explicationis, alioquin sine necessitate asseruisset illud, in quo ut ait ipse Meuriss. qu. 11. ab initio ab omnibus fere derelinquitur ob asserti difficultatem; Ne ergo decipiamur ex loc. cit. advertendum est Doctorem ad declarandam entis determinationem ad sua inferiora ibi dixisse fieri per modos, & non per differentias, ut ostenderet ens, & contrahentia sua non importare diversas realitates, neque cum eis Metaphysicam facere compositionem, neque esse contractionem, & determinationem a parte rei, & a priori, sed per intellectum, & a posteriori, qualis esse solet contractio, quæ fit per modos, quemadmodum declaravimus nu. 159. ut ex his concluderet ens non esse genus, neque compositionem in Deo sequi ex hoc quod ens ponatur univocum Deo, & creaturæ, & ad hoc ipsum suadendum adduxit exemplum illud de albedine, quod ideo sumendum est, non ut in omnibus simile, quia tunc non esset exemplum, sed omnimoda paritas, & identitas; quod autem non sit accipiendum, ut par in omnibus, ex eo constat quia albedo a suis gradibus præcisa, ut sic, remanet confusa confusione graduum intrinsecorum, non autem partium subjectivarum, quia gradus non sunt partes subjectivæ illius albedinis; ens autem præscindens a finito, & infinito nedum manet confusum confusione graduum intrinsecorum, sed etiam partium subjectivarum, atque ideo ad ejus contractionem non sufficit determinatio per modum solius explicationis, quemadmodum sufficit ad tollendam confusionem albedinis præcise a gradibus suis individualibus, sed necessaria est determinatio per modum compositionis, & additionis, quia nec aliter, nec alio modo superius potest ad sua inferiora descendere.

Tertio ad idem obiicit Suarez probando exemplis hunc modum determinationis per modum solius explicationis esse possibilem, nam cum dividimus quantitatem in bicubitam, & tricubitam, non potest intelligi, quod conceptus bicubitæ quantitatis resolvatur in conceptum quantitatis, & bicubiti, quia impossibile est concipere bicubitum non concepta quantitate, signum ergo est illos duos conceptus solum distingui, sicut expressum, & confusum; Idem fere est in conceptu caloris, & caloris ut octo, cujus signum etiam est, quod conceptus communis caloris non solum includitur in toto calore, ut octo, sed etiam in singulis gradibus ejus, cum ergo dicitur calor, ut octo, non additur modus distinctus faciens compositionem cum calore, ut sic, sed exprimitur, & concipitur calor prout est in re.

173 Resp. non esse eamdem rationem de quantitate contracta per bicubitum, & tricubitum, & ente contracto ad creatum; & increatum, substantiam, & accidens, quia ratio bicubiti non importat novum gradum quantitatis, sicut importat Deus, & creatura, substantia, & accidens novum gradum entis, sed solum quamdam dicit mensuram quantitatis, quæ non est quid a quantitate diversum, sed est quantiras ipsa cum tanta extensione, vel tanta; Ad aliud exemplum de calore constat etiam ex solutione ad argumentum præcedens non adesse omnimodam paritatem, quia calor non respicit suos gradus ut inferiora, & partes subjectivas ejus, sed potius ut partes integrales ejusdem entitatis caloris, ens autem respicit Deum, & creaturam, substantiam, & accidens proprie ut inferiora sua, & partes subjectivas.

Quarto probat Meurisse ens in prædicamenta descendere per modos, & non per differentias, primo auctoritate Aristot. 8. Met. 16. dicentis ens statim seipso esse substantiam, quantitatem, ac cætera prædicamenta, non expectans aliud faciens seipsum naturas prædicamentales, non potest autem explicari quo pacto fit statim quid, quantum, & quale, nisi quia seipso idest per modos sibi intrinsecos, ut ibi Doctor exponit, statim fit, quid, quantum, & quale, & non per differentias additas. Deinde probat ratione, quia differentia omnis distinguitur formaliter simpliciter a suo genere, modi autem illi per se, & in alio non distinguuntur formaliter simpliciter ab ente; tum quia illud, quod natum est contrahi per veras differentias, debet esse longe minus confusum, quam sit ens contrahibile per hos modos, quod licet sit unum, tamen est adeo confusum, ut modi illi censeri debeant potius rationes explicativæ istius confusi, quam contractivæ istius unius.

174 Resp. auctoritatem illam ex 8. Met. 16. etiam a Thomistis adduci ad destruendam unitatem conceptus entis, cui proinde satisfecimus superius num. 28. ubi diximus ita exponi a Doctore ibidem, ut Arist. intendat ens non descendere in prædicamenta per aliquid ab eo realiter distinctum, quod bene salvatur sive ponatur contrahi per differentias sive per modos, quia neutrum istorum realitet distinguitur a natura contracta; dixit autem Scotus ibi, ac interdum alibi contrahi per modos, ne videretur recedere a communi opinione, attamen juxta ejus principia sentiendum est contrahi per differentias; vide loc. cit.

aliam

aliam quoque expositionem illius textus Alexand. Aphrod. Ad rationem dicendum, quod licet illi modi per se, & in alio non distinguerentur formaliter ab ente, ut sic, tamen ita distinguuntur ab ente finito, respectu cujus potius rationem habent differentiarum, quam modorum, vel saltem eas nobis circumscribunt; quia cum ipso varias classes entium essentialiter distinctorum constituunt, quod modis convenire non potest; & rursus quamvis confusio entis transcendentis ea sit, ut contractionem differentiarum *non patiatur*, quia *non importat* realitatem, sed solum conceptum inadæquatum, tam confusio entis finiti non est tanta quo minus talem sustineat contractionem, *immo cum dicat* realitatem finitam, & limitatamspluribus communem, satis consentaneum est, ut per alias realitates sit contrahibilis, quæ habeant rationem differentiæ, & non puri modi; alias rationes contra hoc militantes vide disp. 6. Log. qu. 1. ibid. solutas; & eodem modo solvi possunt rationes Doctoris qu. 4. prædicam. quibus ibi oppositum aliquando defendit, nam coincidunt cum allatis.

QUÆSTIO VII.

An ens sit de essentia omnium, itaut in cujuscumque formali, & quidditativo conceptu includatur.

174 APud omnes nemine sanæ mentis excepto satis exploratum est, ens includi in formali, & quidditativo conceptu omnium eorum, quæ directe respicit ut inferiora, ideoque Doctor 1. d. 3. qu. 3. art. 1. luculenter docet ens quidditative includi in omnibus generibus, speciebus, individuis, & partibus essentialibus istorum nempe materia, & forma, & in ente increato, cujus ratio est, quia prædicatio superioris de inferiori semper est quidditativa; Sed difficultas est de iis, quæ respicit ut contrahentia, vel proprias passiones, ac denique de ultimis rerum differentiis. Doctor namque ibid. de his omnibus affirmare videtur, quod non sint entia formaliter, quasi ratio entis in eorum conceptu formali, & quidditativo directe includatur, sed tantum identice, & realiter, quia prædicatio contrahibilis de contrahente, & subjecti de passione solet esse denominativa, non quidditativa, ut cum dicimus rationale est animal, sensibile est animal; Quæ quidem Doctoris sententia adeo difficilis, ne dicam chimericam, visa est in omni schola, ut omnes eum deserant, & impugnent tum Veteres, tum Moderni; & acriter insequuntur, tamquam inexpiabile quoddam facinus *in Philosophia* patrasset, ut ait Meuriss lib. 1. suæ Met. qu. 6. quia si modi, passiones entis, ac ultimæ rerum differentiæ non ineludunt entis conceptum quidditative, jam erunt nihil, sed si sunt nihil, quo pacto exercere poterunt munera modi, passionis, & differentiæ, quæ sunt realia? ita contra Scotum clamant Thomistæ, Avverroistæ, & Nominales omnes.

176 Sed quod mirabilius est, & magis deplorabile, est, quod etiam multi ex nostra schola his clamoribus perterriti, aut Doctorem, communemque Magistrum omnino deserunt, ut Jo. de Bassolis 1. d. 28. aut sinceram, & genuinam ejus sententiam proferre non audent; ajuntque exteros Scotum non *intellexisse*, quia non fuit mens ejus excludere rationem entis ab intrinseco, & essentiali conceptu modorum, passionumque suarum, ac ultimarum differentiarum, neque negat *de his omnibus* prædicari in quid prout ly, *in quid* dicit prædicatum pertinens ad essentiam rei primo modo dicendi per se; sed negat prædicari in quid prout *dicit* prædicatum quidditativum, quod habet rationem totius, & determinabilis, & communicabilis inferioribus; quia tunc ultima differentia adhuc esset divisibilis, & modi non haberent conceptum simpliciter simplicem; unde in illis solum includitur, ut determinativum, quia illa differentia, & modus non exercet, nisi munus determinandi: in passionibus vero includunt ens quidditative, sed solum qualificative, ut ultimæ extremitates entis, atque ideo prædicatio entis de modis, passionibusque ejus, ac ultimis rerum differentiis non est prædicatio in quid, sed in quale. Hinc aliqui distinguunt *duplicem entis* considerationem scilicet ens quid, & ens quale; ens quid dicunt esse ens contrahibile, & potentiale ad inferiora; ens quale dicunt esse ens actuans, ac determinans, seu contrahens; & dicunt ens quid non includi in modis, & ultimis differentiis, & juxta hunc sensum procedere rationes Scoti 1. d. 3. qu. 3. §. *ad quæstionem* cum ait ex hoc sequi processum in infinitum, quia si differentiæ ultimæ includerent ens in quid convenirent in illo, & rursus differrent inter se; non utique per id, in quo conveniunt; ergo aliquo alio quo differunt; rursus de illo modo differentiæ inquiretur, & sic in infinitum: debet ergo terminari iste processus in aliquo, quod non includat ens in quid, licet sit ens quale; & hunc dicendi modum sequuntur passim Recentiores Scotistæ, sic enim facile pondus rationum adversantium evadere putant, quia Scotus juxta hanc explicationem non excludit ens omnino a ratione intrinseca modorum, passionumque suarum, & ultimarum differentiarum, sed solum exclusit ens quid ab eis, non ens quale, ita Faber theor. 95. cap. 4. & 7. Met. disp. 2. cap. 2. Cavellus in annot. ad qu. 21. de An. concl. 2. Meuriss loc. cit. Mesiner. disp. 2. de æquivocis qu. 1. & seq. Contaren. quæst. de Univoc. entis cap. 5. Hinc Faber loc cit. non distinguens prædicatum univocum a prædicato, quod prædicatur univoce, docet ens univoce prædicari nedum de Deo, & creatura, substantia, & accidente, sed etiam de ultimis differentiis, modis intrinsecis, & passionibus ejus; licet de his non prædicetur univoce in quid; & hoc probat, quia Doctor docendo ens univoce dici de Deo, & creatura, substantia, & accidente, consequenter docet univoce dici de omnibus per se intelligibilibus, & ob id de ultimis differentiis, modis intrinsecis, & passionibus entis, cum omnia per se intelligibilia sub *illis quatuor membris* contineantur.

177 Præterea quidam alii Scotistæ concedunt ens posse univoce dici de ultimis differentis eo modo, quo dicitur de Deo, & creatura, quia ut sic dicit conceptum inadæquatum nullam præseferens realitatem; non tamen eo modo quo dicitur de decem prædicamentis, quia ut sic dicit conceptum adæquatum, & realitatem; repugnat autem ultimis differentiis convenire in realitate, cum in ea sint primo diversæ, & in hoc sensu procedere rationes Scoti 1. d. 3. qu. 3. arbitrantur, ita Lichet. 1. d. 26. qu. un. §. *sed contra*, ubi Doctor manifeste concedit ab ultimis differentiis, & constitutivis abstrahi posse ab intellectu inadæquate concipiente rationem communem in quid, & alii nonnulli ex nostra schola; in has autem ac similes phantasias non alia de causa devenere Scotistæ, nisi ut vim declinarent rationum adversantium, quæ illis nimis urgentes visæ sunt, ideoque si non ex toto, saltem ex parte Adversariis manus dare voluerunt, & potius Doctorem nostrum in eorum opinionem trahere, quam illum, ejusque sententiam, quæ verissima est, & rationabilissima pro virili defendere.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolutio Quæsiti.

177 PRo resolutione quæsiti dicendum est, ens non includi in formali, & quidditativo conceptu modorum ejus, ultimarum differentiarum, ac denique passionum suarum, atque ideo ens de illis non prædicari in quid, etiam ut ly *in quid* dicit prædicatum pertinens ad essentiam rei in primo modo dicendi per se; sed tantum realiter, & *identice*, *unde respectu* illorum est quidem univocum prædicatum, sed non univoce dictum. Conclusio quoad omnes partes est Scoti qu. 21. de Anim. 1. d. 3. qu. 3. art. 1. & d. 8. qu. 3. quem juxta sensum positæ conclusionis intelligunt & sequuntur vetustiores, & candidiores Scotistæ. Canon. 1. Phys. qu. 3. concl. 6. Tromb. 4. Met. quæst. 2. ad. 1. princ. & tract. Formalit. part. 1. art. 2. Auctor formalit. art. 1. princ. ubi omnes Formalistæ Mairon. tract. de Univoc. entis qu. 4. Ant. And. 4. Met. qu. 3. Zerbius ibid. qu. 1. concl. 3. Rada part. 1. contr. 21. art. 2. & alii Scotistæ vetustiores passim; quamvis autem Doctor hactenus fuerit solus in hac conclusione; modo tamen incipit habere sectatores, omnes enim Recentiores ex Societate docentes ens esse purum univocum, & habere rationem generis respectu suorum inferiorum, docent consequenter esse extra rationem formalem suorum contrahentium ad instar aliorum generum, sic consequenter discurrit Arriag. disp. 11. Log. sec. 3. *ubi concl. 2. tenet ens non* transcendere differentias, & modos; verum tamen est hoc assertum ab eo non defendi, sicut a nobis, ipse enim tuetur illud juxta sententiam admittentem *solas* præcisiones formales; nos autem juxta illam, quæ præter formales admittit quoque objectivas, quæ est sententia communis in schola Realium; eamdem quoque sententiam quoad modos intrinsecos amplexus est Fons. 5. Met. cap. 6. qu. 6. sec. 2. designans aliud esse ens, alios esse modos rerum; & asserit non omnes modos esse entia, sed quosdam dari qui sunt puri modi, & non sint entia, & affert exemplum modorum intrinsecorum, de quibus hic loquimur; eamdem quoque tenetur sequi Pasqualigus, ut demonstravimus ex ejus discursu nu. 170. licet ipse profiteatur oppositam; etenim falsum est, quod ipse ait disp. 38. sec. 1. num. 1. hic sermonem esse de modis prout *subsistunt* in se, non autem prout habent rationem limitativi, & secundum id, quod exhibent enti, quando ipsum contrahunt. Nam cum hic loquamur *de modis ens contrahentibus* secundum propriam eorum formalitatem; hæc autem in eo consistat, quod sint determinationes, & taleitates entis, consequenter hic sermo est de ipsis secundum quod habent rationem limitativi; juxta quam rationem etiam ipse concedit, quod non includunt formaliter rationem entis disp. 37. sec. 3. probatur autem nostra conclusio discurrendo per singulas ejus partes.

179 Primo probat de modis intrinsecis, quod non sint formaliter, & quidditative entia, adeout directe includant rationem entis in suo quidditativo, ac formali conceptu, deducitur autem probatio ex dictis qu. præc. art. 2. cum enim contractio, & determinatio entis per modos non fiat ad instar solius explicationis; sed compositionis, & additionis; sequitur necessario, quod ratio contracta sit extra rationem contrahentis, consequentia patet intantum enim genus censetur esse extra rationem differentiæ, quia contractio generis per differentias fit per modum compositionis, & additionis, & ratio est, quia si ratio contrahens non esset aliquo pacto extra rationem contractam, nulla fieret compositio, nam compositio petit, ut una pars sit extra aliam compartem, cum igitur conclusum sit supra, contractionem entis per modos fieri ad instar compositionis, & additionis, consequenter asserendum est, extra rationem formalem contrahentium remanere; Tum quia si quis defendere posset contractionem entis per modos fieri per compositionem, & adhuc includi in suis contrahentibus, idem quoque eadem ratione posset contractione generis per differentias tueri; sed neutrum defendi potest, quia ad rationem compositionis necessario exigitur, ut pars sit extra aliam compartem; & ideo qui asserunt rationem entis *in* suis quoque contrahentibus essentialiter imbibi; consequenter ejus contractionem ponunt per modum simplicis explicationis, & majoris expressionis, non autem compositionis, vel additionis.

180 Deinde probari potest ex proportione modorum intrinsecorum entis ad differentias aliorum generum, quia ut notavimus disp. 5. Log. qu. 3. art. 3. quantum attinet ad exclusionem contracti a contrahentibus, eadem fere militat ratio de differentiis respectu generum, & modorum respectu entis; unde rationes omnes ibi adductæ ad probandam exclusionem generis a differentiis contrahentibus, hic pariter ex integro applicari possunt ad ostendendum exclusionem *rationis* entis a modis ipsum contrahentibus; ac eædem prorsus difficultates, quæ fiunt contra exclusionem entis a modis, fieri pariter possunt contra exclusionem generis a differentiis; sicut enim hic quæritur, an præciso conceptu entis, modi ipsum contrahentes sint entia vel non entia, ita de differentiis in genere relationis quæri poterit, an præciso conceptu relationis sint formaliter relativæ, vel absolutæ; & in genere quantitatis an sint extensæ, vel non extensæ, & sicut ibi respondetur de illis differentiis, ita quoque in proposito responderi poterit de modis entis. Neque valet disparitas, quam affert Aversa qu. 3. suæ Philosoph. sect. 4. ad 1. objec. quod substantia, quantitas, relatio &c. sunt quædam determinata entium genera, & ideo bene dari posse modos substantiæ, qui non sint substantiæ, & sic de aliis, at non poterunt dari modi entium, qui non sint entia. Non valet, inquam, quia non minus inconvenit dari in genere substantiæ differentias, quæ non sint substantiæ; & in genere quantitatis longitudinem, & latitudinem, & profunditatem, quæ non sint extensæ; & in genere relationis differentias, quæ non sint relationes; quam in genere entis ejus modos non esse entia, qua de causa ipse Aversa opinatus est etiam quædam genera non perfecte a suis differentiis præscindere, quasi non minori necessitate imbiberent genus, quod contrahunt, quam ipsum rationem entis; Tum quia etiamsi modi non includant ens in suo formali conceptu, non proinde dici potest, quod non sint entia, ut ipse deducit, simpliciter, & absolute; quia sunt entia realiter, & identice; sed ad summum deduci potest, quod non sint entia formaliter, quia ex sua ratione formali non tam sunt entia, quam talitates entis; Quemadmodum ergo in aliis generibus non prædicatur genus de suis contrahentibus formaliter, & quidditative, sed solum denominative, nam in genere substantiæ ejus differentiæ non dicuntur formaliter substantiæ, sed substantiales; in genere relationis non dicuntur relationes sed relativæ, & sic de aliis, ita in proposito in genere entis modi ejus entia formaliter, & quidditative dici non debent, sed solum denominative, idest entales, ut cum Doctore barbaro utar vocabulo ad melius rem declarandam.

181 Denique probatur ex proportione modi intrinseci ad extrinsecum, quam declaravimus quæst. præc. art. 1. omnes namque Recentiores rotundo ore fatentur modum extrinsecum non habere propriam entitatem, quia non est entitas, sed entitatis modus; non esse proprie rem, sed esse modum rei; & cum ipsis *obiicitur id*, quod *a nihilo contradistinguitur esse* rem, esse aliquid, & ens; dicunt hoc falsum esse in rigore loquendo, quia præter res dantur etiam modi reales, unde licet modus non sit res proprie loquendo, est tamen aliquid rei, seu aliquid reale, ita de modo extrinseco Recentiores discurrere solent, ut videri potest apud Pasqualigum tomo secundo Metaphysicorum, disputatione 51. sectione tertia ubi ad ostendendum, quo pacto modus extrinsecus sit quid reale, dicit nu. 4. dupliciter contingere posse, quod aliquid sit reale, vel tamquam res, & entitas, vel tamquam aliquid de ipsa re, & entitate, esse autem reale hoc secundo modo nihil aliud dicit, nisi fundari in realitate rei; non autem dicere propriam entitatem, unde consequenter non dicit esse aliquid reale in seipso, *sed in alio; licet ergo modus non dicat* realitatem, nec entitatem, non sequitur quod simpliciter non sit aliquid reale; sed solum quod non sit aliquid reale in seipso, adhuc tamen est aliquid reale in alio, nempe in re, cujus est modus, est enim entitas rei prout tali vel tali pacto se habet, unde sufficit, quod sit quid reale prout involvit entitatem subjecti; quia adhuc stat, quod sit aliquid reale a parte rei; ita Pasqualig. ibid. ex communi modo dicendi Recentiorum; Sed sane tota hæc doctrina est ipsamet, quam nos adhibemus in proposito, in declarando naturam modorum entis, quidem ipsi non habent intrinsece propriam entitatem, cum re vera non sint entia, sed modi, & talitates entis, atque ideo non dici debent res, sed reales; non entia, sed entialia; non ens, sed aliquid entis, adeout in tantum quid reale dicantur, inquantum identificantur enti quod contrahunt in communi constituto ex ipsis, si ergo ita Adversariis discurrere licet de modis extrinsecis, cur adeo acriter abominantur in nobis eumdem loquendi modum in materia de modis intrinsecis? notetur ergo bene hæc doctrina, quam tradunt de modis extrinsecis, ex ea namque adamussim omnia eorum argumenta intendimus inferius repellere, ac retorquere.

182 Secundo ad tollendum effugium Scotistarum distinguentium de ente quid, & quale, dicentiumque ens, ut quale, & determinativum includi in modis contrahentibus, non autem ens, ut quid; Probatur hoc falsum esse, quia hoc ens quale distinctum ab ente quid est mere fictitium excogitatum dumtaxat ad eludenda argumenta opposita, nam vel hoc ens quale includit ens quid, vel non includit; si sic, ergo quidditative, & essentialiter erit ens; id enim est includere ens in quid, & sic modi entis erunt ens quid, & non quale dumtaxat. Si non; ergo nihil erit, quia ens quid, seu aliquid, est illud, quod opponitur nihilo; & recedit a nihilo. Si dicas etiam ens quale opponi nihilo. Contra est, quia tunc ens quid, & ens quale conveniret in hoc, quod est aliquid esse in rerum natura a nihilo contradistinctum; unde de hoc conceptu communi ad ens quid, & quale inquiri poterit, quomodo intrinsece includitur *in* utroque, siquidem utrumque *habet intrinsece*, & formaliter esse extra nihil, & ipsi nihil opponi. Tum quia si modi aliquo pacto includerent rationem entis essentialiter, sive per modum quid, sive qualis, tunc ejus conceptus non foret simpliciter simplex, quod est expresse contra Doctorem, & veritatem. Probatur consequentia, quia quod essentialiter includit conceptum communem multis, & ipsum est ab illis multis differens, potest resolvi in plures conceptus, & per consequens non habet conceptum simpliciter simplicem, quod est esse irresolubilem. Tum etiam quia ex hoc sequitur processus in infinitum, quia inquiri poterit quomodo modi conveniant in ente quali in communi, & rursus inter se distinguantur, nam si per aliquem modum, vel superadditam differentiam id fiat, rursus de ea fiet inquisitio, quomodo conveniat, & differat cum aliis differentiis, & sic in infinitum; quod si dicatur differentias illas intra rationem entis qualis se *totis* differre, & non per aliquid *superadditum*, *reddenda est* ratio, cur ab initio id dici non potuerit de modis ipsius entis intra rationem entis quid. Præterea si essentialiter includeretur ens in ipsis modis, vel in illis includeretur ut determinabile, vel ut determinativum; non primum, ut etiam ipsi fatentur, quia tunc de illis prædicaretur, ut quid, quod ipsi negant; neque secundum, quia tunc non modi determinarent ens, sed ens in eis inclusum esset eorum determinativum, & sic quod est communius esset determinativum illius, quod est minus commune. Denique juxta hunc dicendi modum facile posset quisquis tueri quodlibet genus essentialiter in suis includi differentiis distinguendo v. gr. in genere substantiæ de substantia, ut quid, & ut quali, ut determinabili, ac determinativa, & dicendo quod substantia primo modo considerata excluditur a differentiis, sed considerata secundo modo includitur in illis, & sic pariter in aliis generibus, constat ergo opinionem, & distinctionem illorum Scotistarum nullum prorsus habere fundamentum, & solum ad hoc excogitatam fuisse, ut declinarent vim argumentorum probantium modos, & differentias entia esse.

183 Tertio probatur ens in differentiis ultimis quidditative non includi ex Doctore cit. 1. d. 3. qu. 3. §. *ad quæstionem igitur*, quæ probatio ut magis percipiatur, prius declarandum est, quid sit differentia ultima, & quæ non ultima, ex non recta enim hujus divisionis intelligentia patitur Scotus immerito calumnias apud Adversarios; sciendum itaque differentiam rei interdum sumi ab una forma a qua ratio sui generis non sumitur, interdum vero ab una, & eadem forma secundum aliam tamen, & aliam realitatem, ut declaratum est disput. 5. Log. quæst. 3. art. 2. versus finem; & ratio hujus est, ut constat ex *physicis*, & declarat Doctor citatus littera O. quia *constituitur* ex genere & differentia est aliquando unius simplicis naturæ Physice loquendo, ut sunt intelligentiæ, & accidentia; vel si est Physice compositum, ex materia tamen, & una sola forma constat, ut sunt corpora simplicia, ac inanimata, aliquando vero constat ex materia, & multis formis subordinatis in ea, qualis est compositio animatorum sententia nostra formam mixti in eis admittente præter animam, in simplicibus, vel compositis primo modo ratio generis, & differentiæ ab eadem natura, & forma sumuntur secundum alias, & alias realitates; in compositis secundo modo ratio generis a priori forma sumitur, ratio differentiæ a posteriori; exempli gratia, in albedine, quia est una forma simplex, genus, & differentia nequeunt a pluribus formis desumi, sed necessario ab una, & eadem desumuntur; licet secundum aliam, & aliam realitatem; in corpore vero animato, quia pluribus constat formis subordinatis scilicet forma corporis, & anima, a prima, & ratio generis scilicet corporeum desumetur, & a posteriori, ratio differentiæ scilicet animatum, & pariter in homine, si tres admittentur animæ realiter distinctæ, ut multis placet, ratio sensitivi a sentiente anima sumeretur, & rationale ab anima intellectiva; quare differentia ultima est, quæ sumitur ab una realitate non amplius resolubili in realitatem, & realitatem, sed omnino simplici; quæ vero ab alia forma sumitur, a qua ratio generis accipitur, dicitur non ultima, quia forma illa, a qua sumitur, continet in se plures realitates, unde non est ultimo simpliciter simplex; ita luculenter se Doctor explicat loc. cit. lit. O. dum dicit, *distinguo de differentiis, quod aliqua potest sumi a parte essentiali ultima, quæ est res, & natura alia ab illo, a quo sumitur conceptus generis, sicut si ponatur formarum pluralitas, & genus dicatur sumi a parte essentiali priori, & differentia specifica a forma ultima, tunc sicut ens dicitur in quid de illa parte essentiali, a qua sumitur differentia talis specifica; ita dicitur in quid de tali differentia in abstracto, ita quod sicut hæc est in quid, anima intellectiva est ens, accipiendo eumdem conceptum entis, secundum quem dicitur de homine, vel de albedine, ita hæc est in quid, rationalitas est ens, si rationalitas sit talis differentia; sed nulla talis differentia est ultima, quia in tali continentur plures realitates aliquo modo distinctæ tali distinctione, vel non identitate, qualem dixi quæst. 1. de trin. 2. dist. esse inter essentiam, & proprietatem personalem, vel majori, sicut*

alias

alias explanabitur, & tunc talis natura potest concipi secundum aliquid, ideſt ſecundum aliquam realitatem, & perfectionem, & ſecundum aliquam ignorari, & ideo talis naturæ conceptus non eſt ſimpliciter ſimplex; ſed ultima realitas ſeu perfectio realitatis naturæ, a qua ſumitur ultima differentia, eſt omnino ſimpliciter ſimplex, iſta realitas non includit ens quidditative, ſed habet conceptum ſimpliciter ſimplicem.

148 Ex his verbis liquido conſtat Doct. non bene intelligi a Modernis in ſignificato differentiæ non ultimæ, nec a Scotiſtis quibuſdam in ſignificato differentiæ ultimæ; nam Suarez, Averſa, & alii Recentiores ita Scotum intelligunt, ut differentiam non ultimam poſuerint eſſe illam, quæ ſumitur a tota, & integra una forma, quod falſum eſt, nam inquit Doctor, quod ideo dicitur non ultima, quia forma unde ſumitur *continet in ſe ex natura rei* plures realitates, unde poteſt ſecundum unam ſciri, & ſecundum aliam ignorari, adeout in ejus ſententia differentia non ultima ſumatur quidem a forma diſtincta ab ea, a qua ſumitur ratio generis; non tamen a tota illa forma, ſeu ab omni realitate illius formæ, ut putavit Suarez diſp. 2. Met. ſect. 5. Quidam vero Scotiſtæ in ſignificato differentiæ ultimæ ita eum intelligunt, ut aliqua differentia dicatur ultima, vel quia eſt ultimatæ ſpecificationis, quando ſcilicet conſtitutum per eam non amplius eſt diviſibile per differentias eſſentiales, vel ultimatæ determinationis, quando ſcilicet conſtitutum per eam eſt incommunicabile; ſed hoc nec bene dicitur, nec ad mentem Doctoris, quia in 2. d. 3. q. 6. G. docet, differentiam ſpecificam quandoque eſſe ultimam, cum ſcilicet ſumitur ab *ultima realitate* ejuſdem formæ, a qua ſumitur ratio generis, & quandoque non ultimam, cum ſumitur a diverſa forma, & in primo loc. cit. O. ſuppoſito quod in *homine* eſſent tres animæ, appellat rationalitatem differentiam non ultimam; tum quia hinc ſequeretur, differentias omnes intermedias accidentium eſſe non ultimas, cum tamen ex dictis conſtet omnes eſſe ultimas, quia ab eadem natura ſumuntur, a qua ſumitur ratio generis; dicendum ergo quod ſicut differentia non ultima cenſetur illa, quæ cum ſit deſumpta ab una forma, non tamen ab ea deſumitur ut ultimate ſimpliciter ſimplici; ita ultima dicitur, quæ ſumitur ab ultima realitate ejuſdem formæ, a qua ſumitur ratio generis, ſive hæc differentia fuerit intermedia, ſive ultima ultimatæ ſpecificationis, ſive ultimatæ determinationis. Notandum autem eſt, cum hic quærimus, an differentiæ includant ens, nec ne, non eſſe ſermonem de differentia in concreto, & pro materiali, ut nimirum *rationale ſupponit* pro habente rationalitatem, ſed ſumitur formaliter, ac veluti in abſtracto pro ipſa rationalitate.

185 Hac igitur ſtante explicatione differentiæ ultimæ, & non ultimæ, ait Doctor, ens eſſentialiter includi in non ultima differentia, quia inquit, hæc differentia ſupponit pro forma, a qua ſumitur, ut verbi gratia rationalitas pro anima intellectiva, quare ſicut hæc eſt in quid, anima rationalis eſt ens, ita quoque hæc erit in quid, rationalitas eſt ens; quamvis etenim a tota illa, nec non integra forma non ſumatur, pro tota tamen illa forma ſupponit, ex communi uſu *loquentium*; unde *ſolemus* dicere, quod ratio animati corporis, faciens differre corpus animatum ab inanimato anima eſt, & ſi tres animæ eſſent in homine, rationem *propriam hominem diſtinguentem* a bruto diceremus eſſe animam rationalem, differentia vero ultima pro nullo alio ſupponit, niſi pro illa ultima ſimplici realitate, a qua ſumitur, ut verbi gratia continuitas, ſi eſt differentia conſtituens quantitatem continuam, nil aliud ſignificat, niſi illam realitatem ultimo ſimplicem, ideſt non reſolubilem in plures realitates, quas continet; illam realitatem, inquam, quæ quantitatem in communi contrahit ad eſſe quantitatis continuæ; & ideo ait Doctor, ſicut iſta realitas non includit ens quidditative, ſed habet conceptum ſimpliciter ſimplicem; ita etiam differentia ultima, quæ ab ea deſumitur, & pro ea ſupponit. Quod autem differentiæ ſic ultimæ non includant ens quidditative, probat Doctor duplici ratione, prima eſt, quia ſi differentiæ ſic ultimæ includerent ens in quid dictum de eis, ergo cum non ſint omnino idem, erunt proprie differentes, nam differentiæ dicuntur ex 10. Metaph. diverſa aliquid idem entia; quod ſi ſunt differentes; ergo aliis differentiis differunt, de quibus rurſus quæritur, an includant ens quidditative nec ne, & ita erit proceſſus in infinitum in differentiis, vel ſtabitur ad aliquas omnino non includentes ens quidditative. Altera ratio ex compoſitione phyſica deducitur, cum enim in ea ita fiat reſolutio in actum ultimum, & potentiam ultimam, ut nihil potentiæ includatur in actu, & e contra; ita ſimiliter in compoſitione Metaphyſica continget, quod compoſitum ex conceptu determinabili, & determinativo reſolvetur tandem in conceptum determinabilem tantum, qui eſt entis, & determinativum tantum, qui eſt ultimæ differentiæ.

186 His duobus argumentis mille ab Adverſariis adhibentur ſolutiones, quarum nulla ſufficit, & ideo Canon. citat. vocat has rationes ſolemnes, & primam præſertim ait eſſe prorſus inſolubilem; quod etiam Complut. ipſi fatentur diſput. 11. Logic. quæſt. 4. num. 40. in ſententia admittente unitatem & præciſionem conceptus entis; quia vero ab ipſis illa negatur, ideo nullo negotio utramque ſolvunt; negant ad 1. differentias proprie convenire in ente quaſi ens ſit aliquid unum, in quo conformentur; unde concedunt eſſe primo diverſas, & ſe totis differre, & in ente ſolum proportionaliter convenire; Ad 2. concedunt paritatem aſſumptam, negant tamen conceptum, in quem ut in ultimam potentiam reſolvitur compoſitum Metaphyſicum, eſſe ens, ſed inquiunt in unoquoque prædicamento id eſſe ſupremum genus illius prædicamenti; ideo enim prædicamenta dicuntur prima genera, quia ibi proprie loquendo ſiſtit reſolutio, cum ſint conceptus omnino ſimplices, & conſequenter irreſolubiles in alios ſimpliciores. Sed ſicut iſti facile ſolvunt, quia negant unitatem, & præciſionem conceptus entis, ita nos quoque facile eorum ſolutiones reprobamus, quia eam aſtruimus; ſed & adhuc unaquæque ſolutio ſingillatim impugnari poteſt; prima quidem, quia veriſimile non eſt, tantam eſſe convenientiam in principiis, & conſtituentibus, quanta in principiatis, & conſtitutis, ſemper enim major convenientia reperitur inter principiata, & conſtituta ad invicem, quam in eorum principiis, ut conſtat tam in compoſitis phyſicis, quam metaphyſicis, nam major eſt convenientia inter ſpecies ad invicem, quam inter differentias; cum ergo Deus, & creatura, ſubſtantia, & accidens in ente conveniant proportionaliter ſolum in ſententia Thomiſt. plane ultimæ rerum differentiæ minus convenire debebunt, quod fieri non poteſt niſi per excluſionem rationis entis, quomodocumque una ponatur, ſive univoce, ſive proportionaliter; in ſecunda etiam ſolutione falſum aſſumitur, nempe ultimos conceptus determinabiles rerum ſimpliciter, & abſolute eſſe illa decem rerum genera; quamvis enim id verum ſit loquendo de ultimo conceptu determinabili in aliqua determinata rerum ſerie, qualis eſt prædicamentorum coordinatio; falſum tamen eſt de ultimo conceptu determinabili in tota entium coordinatione, talis enim conceptus eſt ens indifferens ad Deum, & creaturam.

187 Reſpondet Suarez citat. num. 18. unam differentiam, quantumvis ultimam poſſe eſſe primo diverſam ab alia, etiamſi cum illa in communi entis ratione conveniant, ſicut de primis decem generibus omnes docent, quæ propterea non proprie differre, ſed primo diverſa eſſe dicuntur, quia alias non eſſent ſuprema genera, ſed ſub alio ſuperiori contenta; ſic etiam Soncin. reſp. 4. Metaph. quæſt. 19. quod non repugnat primo diverſis in aliquo communi conceptu convenire, nam decem prædicamenta ſunt primo diverſa, & tamen conveniunt in ente, ſic inquit de ultimis differentiis dicendum eſſe; addit autem non ob id ſequi, quod alias habeant differentias, quibus differant, quia non dicuntur differre, tamquam ſint ea, quæ differant, ſed quia ſunt ea, quibus alia differunt. Sed hoc faciliter relicitur a Scotiſtis, quia alia eſt primo diverſitas differentiarum ultimarum, alia prædicamentorum; hæc enim ſunt primo diverſa in realitate, inquiunt, non in conceptu; ſed illæ ſunt primo diverſæ utroque modo, quia in eis datur ſtatus, tam quoad realitates, quam quoad conceptus; cui nos addimus ex dictis quæſt. præc. art. 2. decem prædicamenta, nec etiam eſſe primo diverſa in realitate, quia omnia conveniunt in ente finito, quod realitatem *genericam importat*, & ut diximus diſp. 6. Logic. quæſt. 1. illa decem genera dicuntur ſuprema non ſimpliciter, & abſolute; ſed in determinata entium coordinatione; quare aſſumpta in ſolutione paritas nullo modo valet, & ſtat argumentum, quod ſi differentiæ ultimæ aliquid includunt quidditative, differentia differentium non ſtat ad aliqua primo diverſa; quod autem addebat Soncin. omnino vanum eſt, nam ſi ſemel conceditur ipſas differentias convenire in una ratione communi, & non eſſe omnino idem, quomodo negari poteſt non eſſe ea, quæ differunt, licet quoque alia differre faciant; ita calor aquam calidam a frigida diſtinguit, nec tamen hinc ſequitur frigus, & calorem ſeipſis diſtingui; imo ultimæ differentiæ numquam erunt tales, quibus ultimo alia differant, niſi quouſque negetur illas convenire in communi quidditativo conceptu.

188 Reſpondet Averſa differentias entis differre ſeipſis, ſeu potius eſſe primo diverſas, & eſſe ſimplices, *itaut non componantur ex conceptu ſuperiori entis*, & ex aliis differentiis, ſed etiam ſeipſis convenire in eo quod ſunt entia, non quidem quaſi in quadam natura *ſuperiori abſtracta*, quæ indigeat differentiis contrahentibus, ſed quatenus implicite ab intellectu concipiuntur ſub confuſa ratione ejus, quod eſt; unde poſtea dum intellectus explicite concipit ipſas differentias ſecundum ſe, concipit eſſentialem diverſitatem earum; ſic etiam reſpondet ad 2. inferiora entia reſpectu entis non eſſe compoſita Metaphyſica, quæ conſtituantur ex ipſo ente, & ex propriis differentiis, quæ debeant eſſe extra ambitum entis, ſed abſque compoſitione reſpectu entis omne ſpeciale ens ſecundum omnem ſuam rationem, & ſecundum totum id, quod eſt adæquate eſt ens. Hæc tamen ſolutio tota innititur falſo fundamento, ſupponit enim ens nec perfecte a ſuis contrahentibus præſcindere, neque ejus contractionem fieri per modum compoſitionis, ſed per expreſſiorem conceptum ejuſdem eſſentiæ, quorum utrumque ſuppoſitorum falſum eſſe jam demonſtravimus in ſuperioribus; quamvis enim ultro fateamur ens differentiis non indigere, ut *contrahatur*, quia non dicit realitatem contrahibilem; contrahitur tamen per modos intrinſecos, & quidem non per ſolam majorem conceptus expreſſionem, ſed per *compoſitionem*, & additionem ſaltem rationis cum fundamento in re, ut quæſt. præc. probatum eſt.

Reſp. Hurtad. diſp. 2. Metaph. ſect. 4. ſe hujus argumenti lumbos enervaſſe, quando in Logica probavit ab ultima differentia individuali confuſe cognita poſſe abſtrahi rationem communem ultimæ, ac individualis differentiæ; non vero abſtrahi con-

conceptum communem ab ultima clare, & in ſingulari cognita, ut ultima; unde concludit, differentias ultimas convenire quidditative in ente, ſi confuſe concipiantur, & ſe totis differre, ſi cognoſcantur clare, ac diſtincte. Ad aliud negat, ens, & differentias eſſe partes compoſiti Metaphyſici, ſicut materia, & forma ſunt partes phyſici, quia ens, & differentia non ſunt duo conceptus adæquate diſtincti, ut genus, & differentia, ſed inadæquate, ac proinde non ſunt proprie partes, quarum una aliam excludat.

189 Fateor hanc ſolutionem magnam habere apparentiam præſertim in ſententia noſtra, qui diſp. 5. Log. quæſt. 2. art. 4. admiſimus rationem individui, ut ſic, univoce communem *omnibus individuis*, & de ſingulis prædicabilem *in quid*; immo hanc ipſam ſolutionem ibidem adhibuimus, ut præfatis Scoti rationibus reſponderemus, quatenus contra noſtrum illud aſſertum adduci poterant, dicebamuſque ſolum probare, quod ab ultimis differentiis nequeat abſtrahi conceptus communis adæquatus, & realitatem importans, ſic enim ponendo ſequitur proceſſus in infinitum; at ponendo quod talis conceptus abſtractus, in quo conveniunt, ſit inadæquatus, evitatur talis proceſſus in conceptibus, quia individua conſiderata ſub illa ratione communi non diſtinguuntur rurſus per alias differentias individuales, ſed per eaſdem adæquate, & clare conſideratas; cum igitur conceptus entis quoque, de quo hic eſt ſermo, ſit inadæquatus nullam importans realitatem a parte rei communem, ſi dari poteſt *conceptus individuationis dictus in quid de ultimis* differentiis, idem quoque de conceptu entis dici poterit; hac de cauſa huic ſolutioni ſuccubuere Scotiſtæ cit. n. 177. concedentes ens dici poſſe univoce de ultimis quoque differentiis, quia dicit conceptum inadæquatum, & talem conceptum ab eis abſtrahibilem eſſe gratis concedit Doctor 1. d. 26. q. un. Y. unde quando duabus rationibus allatis probat Doctor ens non univoce dici de ultimis differentiis, inquiunt locutum eſſe ex ſuppoſitione, quod ens aliquam a parte rei importaret realitatem; quod enim diceret ſolum conceptum inadæquatum, determinat inferius diſp. 8. quæſt. 3. Adhuc tamen abſque ſufficienti cauſa Scotiſtæ citati huic ſolutioni ſuccumbunt, nam ſtante quod ens dicat conceptum inadæquatum, & quod ab *ultimis differentiis abſtrahi poſſit aliquis talis conceptus*, non neceſſario ſequitur hujuſmodi futurum quoque entis conceptum; cum enim ait Doctor 1. d. 26. & nos cum ipſo diſp. cit. Log. poſſe ab ultimis differentiis abſtrahi communem conceptum de ipſis univoce dictum, ſermo erat de communi conceptu individuationis, & hæcceitatis, qui quidem ab eis abſtrahitur, ut a ſuis inferioribus, ab intellectu confuſe concipiente; at non hoc pacto reſpiciunt conceptum entis, non enim ens reſpiciunt, ut inferiora ſuum ſuperius, ſed comparantur ad ens, ut contrahentia ad ſuum contrahibile; licet autem ab inferioribus poſſit conceptus ſuperioris abſtrahi in eis eſſentialiter incluſus; non tamen ſic eſt de conceptu contrahibilis in ordine ad contrahentia; quia contrahibile ſemper eſt extra conceptum contrahentis, quando contractio fit per modum compoſitionis, & additionis, ut re vera fit in conceptibus univocis; & in hoc conſiſtit omne robur rationum Scoti adductarum, quia ſi contrahibile non eſſet extra rationem contrahentium, tunc daretur proceſſus in infinitum, & non fieret reſolutio in conceptus ſimpliciter ſimplices. Et tandem ex hoc patet ſolutiones Hurt. non ſatisfacere, quamvis enim concedamus ab ultimis differentiis poſſe abſtrahi conceptum communem individuationis in eis eſſentialiter incluſum, non tamen idem judicium ferendum eſt de conceptu entis; quia ad conceptum hæcceitatis comparantur, ut inferiora ad ſuum ſuperius, ſed ad conceptum entis comparantur, ut contrahentia ad contrahibile; unde etiam gratis concedimus abſtractionem conceptus entis ab ultimis differentiis *non ex eo capite implicare*, quia ab ultimis differentiis non ſit ullus conceptus communis abſtrahibilis, ut paſſim dicere ſolent alii Scotiſtæ; ſed ex eo præciſe, quia ultimæ differentiæ reſpiciunt ens quodam modo a latere, & *veluti contrahentia* ſuum contrahibile, quod numquam quidditative includitur in illis. Nec etiam valet ſolutio ad 2. quia cum entis contractio fiat per modum compoſitionis eſto per intellectum; ens contractum, & modus contrahens habent rationem veluti partis quantum ſufficit, unum ſit extra aliud; & quando dicuntur conceptus inadæquati, & inadæquate diſtincti, non ideo hoc dicitur, quia non ſe adæquate excludant, ſed quia non important realitates diſtinctas, ut important genus, & differentia.

190 Hæc rurſus concluſionis particula, quod ens quidditative non includatur in ultimis differentiis, probari adhuc ſolet a Scotiſtis alia ratione ex via nugationis deducta, quia ſi differentia includeret ens, tunc nugatio eſſet dicendo, ſubſtantiam corpoream, animal rationale, quia ens bis repeteretur, ſemel in ſubſtantia, vel animali, & rurſus in differentiis, ita arguit Canon. loc. cit. & hac quoque ratione nos uſi ſumus diſp. 5. Log. qu. 3. art. 3. ad *probandum genus non includi eſſentialiter* in differentiis, ſic enim arguit Ariſt. 6. Top. cap. 6. & Doctor 4. d. 12. qu. 3. §. *Ad rationes ergo*. Verum hæc ratio in propoſito nimium probare videtur, quia non ſolum probat ens *non includi in differentiis*, ultimis, ſed etiam in non ultimis, ut patet, & ideo Doctor eam ſolvit tam qu. 21. de Anim. §. *Contra dicta*, quam in 1. d. 3. qu. 3. lit. P. & ſolutio conſiſtit in hoc, quod tunc eſt nugatio, quando idem conceptus ſecundum eamdem rationem bis habetur, ſed quando ſecundum aliam, & aliam rationem, non eſt nugatio, ut ſi dicatur, color, albedo, committitur nugatio, quia bis repetitur ens per modum quid; at ſi dicatur, color albus, non fit nugatio, quia non repetitur ſecundum eamdem rationem, nam in genere ponitur per modum quid, & in differentia per modum qualis, quod ſufficit ad evitandam nugationem. Dices eodem modo dici quoque poſſet de genere reſpectu differentiæ. Negari poteſt conſequentia, quia non eſt tanta neceſſitas incluſionis generis in differentiis non ultimis ipſum contrahentibus, quanta eſt neceſſitas incluſionis entis; & doctrina, quam affert Scot. loc. cit. ad evitandam nugationem ob incluſionem entis in illis, tradita eſt pro *ente*, & *non* pro aliis generibus; ait enim, quod quando duo inferiora ad tertium ſic ſe habent, quod unum denominat alterum, illud commune particulariter denominat ſeipſum ſine nugatione, ſicut albedo, quæ *eſt inferior ad ens*, *denominat* animal, quod eſt inferius etiam ad ens ſine nugatione &c. Et quando etiam conceditur illata conſequentia, non adhuc hinc ſequeretur genus includi in indifferentia, quia præter illam rationem de nugatione ſunt aliæ rationes efficaciores adductæ diſputatione citat. Logic. Itaque pro hac parte concluſionis probanda ſufficiant duæ rationes allatæ, quas facit ipſe Doctor; quæ quidem non ſolum probant ens non includi in ultimis differentiis per modum quid, & determinabilis, ut ajebant Scotiſtæ ab initio citati, ſed probant etiam nullo pacto includi eſſentialiter, ut prædicatum primi modi, ut ſatis conſtat ex rationibus adductis contra illum dicendi modum num. 182. quod etiam ſatis luculenter ex ipſa Doctoris litera colligitur, nam ibi §. *quantum ad ſecundum*, *concludens* quid probatum fuerit per eas rationes, inquit probatum eſſe ens non poſſe eſſe commune univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus; quia non de differentiis ultimis, nec de paſſionibus ſuis, & immediate explicans infra, quid intelligat per prædicatum univocum dictum in quid, declarat ſe intelligere prædicatum eſſentiale, ut ſic, ſive ſit per modum determinantis, ſive determinabilis, & ideo inquit nec differentias ultimas, nec paſſiones entis includere ens eſſentialiter. Accedit quod lit. O. inquit, quod ſi A eſt ultima differentia, hæc prædicatio A eſt ens, eſt prædicatio quaſi per accidens, quod verum utique non eſſet, ſi ens aliquo pacto includeretur in eis eſſentialiter, ſive per modum quid, ſive qualis.

191 Quarto principaliter probatur alia concluſionis particula, ens non includi quidditative in ſuis paſſionibus ex Doctore loc. cit. quia ſubjectum ex 7. Metaphyſ. 17. & 19. cadit in definitione paſſionis, ut additum, ita quod definitur per ipſum per additamentum; quod autem definit aliquid iſto modo, non eſt de ipſius quidditate; Tum quia ex 1. Poſt. cap. de ſtatu principiorum, propoſitiones per ſe non converturtur, ita quod ſi prædicatum dicatur de ſubjecto per ſe, non tamen e contra ſubjectum dicetur per ſe de prædicato, ergo ſi iſta eſt per ſe ſecundo modo, ens eſt unum, hæc alia, unum eſt ens, non poterit eſſe per ſe primi modi, ſed quaſi per accidens, ſicut iſta eſt per accidens, riſibile eſt homo, quæ duæ rationes adeo ſunt efficaces, ut Adverſarii negent ens habere veras, & reales, poſitivaſque paſſiones. Rurſus probat Doctor, quia ens adæquate dividitur in increatum, & ſumma decem genera, tamquam in ea, de quibus quidditative prædicatur; ſed paſſiones *ipſius nec ſunt ens increatum*, nec aliquod ex decem generibus, quia æque patent, ſicut ipſum, & ſunt indifferentes ad finitum, & infinitum; argumentum eo tendit, ut probet ens non prædicari de ſuis paſſionibus, *velut de inferiori*, ut Adverſarii velle videntur, quia paſſiones entis cum ipſo adæquantur; Denique ſi paſſiones entis ens includunt, utique non includunt ens ſolum, ſed etiam aliquid aliud, alioquin idem eſſet paſſio ſui ipſius; tunc quæritur de illo alio, an rurſus includat ens, & ſic, vel in infinitum procedemus, vel tandem ſiſtendum erit in aliquo, quod ens quidditative non includat, & talis proprie erit paſſio entis; Et quidem rationes iſtæ nedum probant ens non includi in ſuis paſſionibus per modum quid, & determinabilis, ut dicebant illi Scotiſtæ; ſed probant omnimodam excluſionem quidditativam primi modi, ut ſatis conſtat ex ipſis, tum quia modus ille incluſionis, qui aſſignatur ab eis, eſt prorſus irrationabilis, dici enim ſolet paſſionem in ſubjecto ſuo contineri, non tamen ſubjectum in paſſione, tum quia etiamſi poſſet ens includi in ſuis modis, ac ultimis differentiis per modum determinantis, & contrahentis, id tamen dici nequit de ſuis paſſionibus, quia paſſiones non contrahunt ens, neque coarctant, cum in latitudine, & ambitu ei prorſus adæquentur; tum tandem, quia ſi ſubjectum ponitur in definitione paſſionis tantum, ut additum, ergo ens non poteſt includi in ſuis paſſionibus, ut prædicatum ſpectans ad eſſentiam earum in primo modo, ut volebat Faber.

192 Reſpondet ad hæc Paſqualig. cit. ens ratione ſuæ tranſcendentiæ non ſolum prædicari, ut ſuperius de ſuis inferioribus, ſed etiam ut æquale de æquali, & quidem prædicatione quidditativa, & hoc pacto quidditative de ſuis paſſionibus prædicari, quæ eſt communis reſponſio Thomiſtarum. Et expreſſe negat propoſitiones per ſe non converti; & tandem negat ad ult. ſequi proceſſum *illum in infinitum*, ſuppoſito namque paſſiones præter ens aliquid aliud addere, ſi ens præſcindatur, hoc aliquid aliud, dum concipitur ut quid reale, non *includit novam rationem entis*, ſed illam ipſam, quæ præciſa fuit, quam de novo intellectus concipit implicite in paſſionibus. Hoc tamen non ſatisfacit, quia ſi ens tranſcenderet omnia, plane ſingula illa reſpiceret, ut inferiora ſua, & nullum ut æquale, tum quia repugnare videtur aliquid includere con-

ceptum

captum communem multis, & ipsum ab illis multis differre, & non respicere communem illum conceptum, ut suum superius, in quo cum aliis convenit, sed ut æquale, si ergo passio entis includit ejus conceptum, qui aliis quoque entibus est communis, a quibus ipsa aliquo modo distinguitur, includit illum, ut superiorem potius, quam ut æqualem; tum tandem quia prædicatio quidditativa, seu per modum quidditatis & essentiæ semper esse solet superioris de inferiori, non æqualis de æquali. Immerito quoque negatur doctrina illa Arist. 1. Post. de inconvertentia propositionum per se, quia nedum Arist. auctoritati innititur, sed etiam rationi, ratio namque cur propositiones per se non convertantur, est, quia subjectum includit causam formalem inhærentiæ prædicati, ut diximus in Logica; sicut igitur non datur circulus, quantum ad esse rei in dependentia essentiali, ita non datur circulus in dependentia prædicatorum a subjecto, quantum ad inhærentiam formalem prædicati ad subjectum in prædicatione per se, quia hæc quoque est dependentia essentialis; si ergo humanitas verbi gratia aut rationalitas est ratio formalis, per quam risibilitas ineſt homini, non poterit e contra ipsa risibilitas esse ratio formalis, per quam sibi insit homo; sed de hoc videatur Faber theor. 8. Nec tandem bene solvit ultimum argumentum, nam si illud aliud, quod addit passio enti præciso; dum concipitur ut quid reale, non includit novam rationem entis, sed illam ipsam, quæ præcisa fuit; tunc sequitur, quod ex alia parte in argumento inferebatur, quod idem prorsus esset passio sui ipsius, nec amplius admittit suppositum, ut pollicitus erat, quod passiones præter ens aliquid aliud adderent; sed de hoc rursus infra redibit sermo, cum loquemur de passionibus entis disp. 3.

193 Quinto quod modi entis, ejus passiones, ac ultimæ rerum differentiæ sint realiter, ac identice entia docet Doctor loc. cit. 4. Met. quæst. 1. & adhuc magis resolute qu. 21. de Anim. ubi inquit unum addere aliquid enti, quod est realiter, ac identice ens, non formaliter; & quod ens in inferiora descendit per addita, quæ etiam sunt entia realiter, non tamen formaliter, quam phrasim retinet quoque in libris Sent. appellat ergo modos entis, ejusque passiones realiter entia, quia sunt realiter identificata cum ente, suntque una & eadem res cum ipso, sic etiam ultimæ rerum differentiæ entia dicuntur realiter, ac identice, quia identificantur cum eo, quod est directe, & formaliter ens. Cæterum pro recta hujus particulæ conclusionis intelligentia notandum est discrimen, quod posuimus inter prædicationem formalem, & identicam disput. 10. Log. quæst. 3. in fine, ac etiam Tromb. declarat trac. formal. p. 3. art. 3. §. *pro declavatione prædicationis identicæ*, plura enim de se invicem prædicari possunt in sensu reali, & identico, non tamen in sensu formali, ut passim in omni schola conceditur; nam in sententia non distinguente realiter potentias ab anima, & a se invicem, istæ propositiones, anima est intellectus, intellectus est voluntas, & similes conceduntur in sensu reali, & identico, non tamen formali; sic pariter in divinis in sensu identico admittitur quod pater est sapientia, non tamen in sensu formali; & ratio est, quia prædicatio identica est illa, in qua præcise significatur prædicatum eamdem rem, ac Physicam entitatem importare cum subjecto; præscindendo a denominatione, & a formalitatibus Metaphysicis, & objectivis conceptibus; declarat enim prædicatio identica totum id, quod est subjective a parte rei, non quod objective est in intellectu, cum præsertim res inadequate concipit, ut formaliter distinguat Metaphysicas; cum igitur ita sit a parte rei, quod potentiæ animæ eamdem rem cum animæ essentia constituunt, & integrant eamdem entitatem; idcirco in omni rigore veræ sunt propositiones illæ in sensu identico, & reali, quia propositio identica attingit rem, & non formalitatem; Ita igitur in proposito cum passiones entis identificentur cum ente, sicut & ejus modi, & ultimæ rerum differentiæ cum eisdem rebus, quarum sunt differentiæ, sequitur, hæc omnia esse realiter entia, ac in sensu identico in omni rigore propositiones istas fore concedendas, passio entis est ens, modi entis sunt entia, ultimæ rerum differentiæ sunt entia, non tamen in sensu formali; Neque ex hoc sequitur esse non entia, vel nihil, sicut non sequitur in divinis, Pater non est formaliter sapientia, ergo absolute est non sapientia, quia est realiter, ac identice sapientia. Hinc eleganter dixit Doct. cit. qu. 21. de Anim. loquens de modis contrahentibus ens, ac ultimis differentiis, quod sunt entia, *realiter, non tamen formaliter; nec tamen ex hoc sequitur, quod secundum se sint non entia, sicut non sequitur homo secundum se non est albus, ergo secundum se est non albus, quia nec ex ratione humanitatis habet quod sit albus, nec non albus, entis ergo differentiæ non per rationem differentiæ sunt entia, nec tamen sequitur, quod per rationem differentiæ sint non entia*, quæ doctrina est valde notanda, quia ex his paucis verbis Doctoris omnia argumenta in oppositum facile solvuntur, ut constabit art. seq.

194 Confirmatur adhuc; & declaratur, quomodo præsertim modi entis sint realiter entia, non tamen formaliter; dum ens ad inferiora sua descendit, per modos suos determinatur ad novum gradum entis, & cum talis determinatio fiat per modum compositionis, & additionis, implicat enim quod aliquid crescat in esse, & non superaddatur aliquid ens; hujusmodi gradus se invicem exhibent; ens quidem se exhibet, ut prima ratio conferens seipsam realitatem propriam unicuique constituto per ipsum; gradus autem inferiorum ita se exhibent, ut ab ente recipiant realitatem, ipsi vero determinent realitatem acceptam ab alio; & sic fit quædam compositio ex ente tamquam ex ratione communicante realitatem, & ex gradibus inferiorum tamquam ex determinativis realitatis acceptæ, unde quia ens venit in compositionem, tamquam ratio communis communicans seipsa formaliter unicuique realitatem, ideo imaginandum est hoc extremum, tamquam communicativum totius illius realitatis, ut sic quæ reperitur in illo composito; e contra vero coarctativum entis est imaginandum tamquam conferens determinationem in essendo ipsi enti, & simul ab ipso recipiens realitatem, ita ut quantum est de se, non habeat unde subsistat in esse reali, sed recipiat ab ente, quod coarctat, & ex se ad hanc compositionem conferat tantum determinationem essendi, unde ad interrogationem, qua quæritur, an determinativum entis sit ens, respondendum est, esse quidem ens, non ex se, sed ratione illius, quod coarctat, ipsum enim coarctando recipit esse ens, in compositionem tamen non venit ratione entis, sed ratione determinati modi essendi, quem importat, & hoc pacto salvatur, quomodo hæc duo extrema ens, & modus concurrant ad hanc compositionem, & utrumque conferat aliquid diversum ab alio, & hoc declaravimus supra num. 170. exemplo materiæ, & formæ, quemadmodum enim materia est substantialis potentia, & per formam determinatur, tamquam per actum, ut sit hæc vel illa essentia, forma vero recipit a materia sustentationem, sine qua non posset subsistere; ita etiam ens determinatur a modis, ut sit tale, vel tale ens, modi vero recipiunt ab eo, quod sint entia, & aliquid reale, quatenus in tertio ex ipsis constituto simul identificantur, his etiam fere verbis rem hanc declarat Pasqualig. disp. 37. sect. 3. quæ ex proposito transcripsi, ut ostenderem, hunc Auctorem palam Scoti sententiam amplecti, (quamvis postea, & disp. seq. eamdem acriter insequatur) quia ibi nu. 7. ait modum limitativum entis quantum est de se, & ex sua ratione formali, non includere rationem entis, sed solum quatenus illam recipit a ratione, quam contrahit, hoc adamussim est, quod docet Scotus, modum limitativum ex sua ipsa ratione modi, ut sic non habere, quod sit ens, sed ex ratione entis, quam contrahit, illa namque in ipsa actuali contractione sibi per identitatem communicatur.

195 Ulterius quidam Scotistæ, ut Zerbius 4. Met. qu. 1. §. *propter tertium*, ita rem hanc declarant, quod modi, & passiones entis, ac ultimæ rerum differentiæ dupliciter considerari possunt, vel ut aliquid in se, puta rationalitas, unitas; vel per modum denominantis, inquantum scilicet sunt informativa entis, primo modo considerata sunt formaliter, & quidditative entia; at secundo modo realiter tantum, ac identice, quæ quidem declaratio fuit Scoti 4. Met. quæst. 1. ubi in corpore quæstionis difficultatem adducit, quomodo modi entis includant ens, cui quatuor assignat responsiones, quarum tertia erat, quod ens est commune formaliter, & essentialiter cuicumque naturæ conceptæ, ut est aliquid in se, non tamen conceptæ ut denominat aliud, est formaliter commune, sed tantum per identitatem: & paulo inferius ait, quod hæc responsio videtur probabilis, quia ex quo conceptus entis est absolutus, non est inconveniens, quod claudatur in aliquo, quod concipitur, tamquam absolutum in se, non autem ut concipitur, ut denominativum alterius, sicut in albedine includitur formaliter color, non tamen in albo. Verumtamen quamvis hæc declaratio subtilis sit, & acuta, & per eam faciliter evaderentur multæ difficultates, tamen non consona videtur his quæ docet in lib. sent. 1. d. 3. qu. 3. ubi absolute docet, hæc omnia ex suis formalitatibus non habere, quod sint entia, & quod hæc prædicatio, *unitas est ens*, est tantum vera in sensu identico, non formali, & pariter quod si rationalitas foret ultima differentia, hæc non esset formalis, & in quid *rationalitas est ens*, sed tantum realis, & identica, quare prior declaratio, ut magis Scoticæ doctrinæ consona huic secundæ omnino est præferenda.

196 Sexto tandem, quod ens respectu suorum modorum, passionum, ac ultimarum differentiarum sit quidem prædicatum univocum, non tamen univoce dictum; quæ erat ultima conclusionis nostræ particula. Probatur, quia ut notavimus disp. 2. Log. qu. 4. art. 2. ex Doctore, qu. 3. Anteprædic. ad 4. & 1. d. 3. qu. 3. & dist. 8. qu. 3. P. & 3. dist. 7. qu. 1. D. & alibi frequenter, aliud est esse univocum prædicatum, aliud univoce prædicari; hoc enim infert illud, non e contra; illud namque dicitur univocum prædicatum, quod unicum dicit conceptum objectivum multis communem præscindendo ab hoc, quod de eis prædicetur essentialiter, vel accidentaliter, & sic album de nive, & cygno dictum est univocum prædicatum, univoce vero prædicari aliquid aliud addit, nam præter unitatem conceptus objectivi communis multis importat ulterius quod in eis includatur essentialiter, & quidditative prædicetur de illis, unde dici solet univocum prædicatum in quid, quo pacto solum universalia essentialia prædicantur, nempe genera, & species, & insuper differentiæ essentiales de suis subjectis, quibus insunt. Unde nescio qua de causa Faber loc. cit. acriter adeo Scotistas omnes reprehendat de hac distinctione prædicati univoci ab univoce prædicari, dicatque hoc esse commentum quorumdam non intelligentium Scotum; nam Doctor loc. cit. hanc distinctionem in terminis, hocque discrimen posuit inter illa duo; immo & Arist. ipse cap. de substantia, ut adnotavit Vallon. in 1. art. Formalit. ubi dicit in aliquibus nomen nihil prohibet prædicari aliquando de subjecto, & ponit exemplum, ut album de corpore, ecce prædicatum univocum, quia album dicit unum conceptum, & prædicatur de corpore; subdit deinde, rationem vero impossibile est prædicari, quia definitio, & quidditas albi non potest prædicari de corpore univoce, & quidditative, ecce prædicatum univoce dictum.

197 Quinimo, & hoc ipsum suadet manifesta ratio, certum enim est apud omnes, universale importare prædicatum univocum, & non dari solum universalia essentialia, sed etiam accidentalia, ut proprium, & accidens; ergo necessario distinguendum est univocum prædicatum a prædicato univoce, & in quid dicto; Probat. conseq. quia si prædicatum eo ipso quod est univocum, univoce quoque prædicaretur & in quid, tunc quodlibet universale esset essentiale, nullumque daretur universale accidentale; & hæc de causa disp. 2. log. quæst. 6. art. 1. diximus denominativa esse univoca prædicata de suis subjectis, at non univoce dicta, & in quid, quia de ipsis solum accidentaliter prædicantur; Et denique hæc distinctio est adeo patens, ut etiam in aliis scholis agnoscatur, licet sub aliis terminis, quod enim nos appellamus prædicatum univocum, vocant ipsæ univocum accidentale, quia de suis utique subjectis prædicatur secundum idem nomen, & eamdem rationem, sed accidentaliter, ut album de nive, & lacte; & quod nos appellamus prædicatum univoce dictum, vocant univocum essentiale, quia de suis prædicetur subjectis, non solum secundum idem nomen & rationem, sed essentialiter, & quidditative, quatenus est in eis essentialiter inclusa, ut animal de homine, & equo; ergo hæc distinctio est necessario admittenda in omni schola, nec circa hoc, explicatis bene terminis, potest esse quæstio, nisi de solo nomine, ut diximus in Log. loc. citat. Falsum insuper omnino est, quod Faber omnibus impingit Scotistis, quod dicant ens univoce quidem prædicari de omnibus per se intelligibilibus, non autem esse univocum prædicatum ad illa, tunc enim bene contra ipsos teneret Fabri redargutio, quod si univoce de illis prædicatur, erit quoque respectu eorum univocum prædicatum, quia hoc infertur ex illo; at non ita ipsi dicunt, immo totum oppositum, quod est univocum prædicatum ad illa omnia, sed non univoce dictum, ut est videre apud Magistrum Formalit. in eo tract. artic. 1. & omnes Formalistas ibidem & præsertim Tromb. §. *pro intelligentia hujus qualiter est differentia inter esse univocum prædicatum, & univoce prædicari*, ubi docet non esse inconveniens aliquid dici univocum prædicatum, & non univoce dictum.

198 Dicit itaque Doctor 1. d. 3. quæst. 3. infra lit. L. *breviter ens est univocum omnibus, sed conceptibus non simpliciter simplicibus est univocum in quid dictum de eis, sed simpliciter simplicibus est univocus, ut determinabilis, vel ut denominabilis, [non autem ut dictum de eis in quid*, quibus verbis, ut Bargius monet, manifeste docuit ens respectu omnium intelligibilium esse quidem univocum prædicatum, sed non de omnibus univoce prædicari, & in quid, quia non de modis suisque passionibus, ac ultimis differentiis, ut etiam loquitur littera I. quoniam non includitur in eis formaliter, & quidditative; & cum alioqui respectu eorum omnium retineat unitatem rationis formalis, quam eis communicat vel formaliter, & quidditative, ut Deo & creaturæ, substantiæ, & accidenti, generibus omnibus, speciebus, individuis, & partibus eorum physicis, nempe materiæ, & formæ; quibusdam vero realiter solum, ac identice, ut ultimis differentiis, modis intrinsecis, suisque passionibus, ideo respectu omnium dicitur esse prædicatum univocum; Neque oppositum convincit, quod urgebat Faber num. 176. ex eo namque quod inquit Doctor ens univoce dici de Deo, & creatura, substantia, & accidente, deducebat ita consequenter dici debere de omnibus per se intelligibilibus etiam ultimis differentiis, modis, & passionibus entis, quia omnia sub illis quatuor membris continentur. Nam præterquam quod hoc non est universaliter verum, quia passiones entis sub nullo illorum membrorum continentur, sed immediate sub ente, vel potius in ente in communi; admisso tamen sub illis contineri, sicut vere ultimæ differentiæ sub illis continentur, adhuc neganda est consequentia, quia continentia ultimarum differentiarum, & modorum intrinsecorum in illis non est continentia communitatis, sicut inferius continetur sub superiori, sed solum continentia aut virtualis, aut essentialis, ut docet Doct. §. *quantum ad secundum*, ubi duplicem entis memorat primitatem, & cum hac continentia bene stat, quod aliquid essentialiter, & in quid de contento, & si in primo continentiæ genere id repugnet.

ARTICULUS II.

Objectionum Solutio.

199 IN Oppositum. Primo obiicitur ens essentialiter includi in rerum modis ex Aversa sect. 4. citat. quia omnes modi habent propriam, & positivam entitatem, & essentiam realem, per quam concipiuntur, constituuntur, & distinguuntur ergo vere sunt entia positiva, & realia, immo de facto realiter existunt in rerum natura, & non finguntur ab intellectu, neque sunt meræ negationes, ergo sunt proprie, & positive entia realia, & amplius fiunt de novo, ac producuntur, itemque tolluntur, ac destituuntur, & vel producuntur cum rebus, quas modificant, vel postea fiunt, & esse incipiunt, postquam ipsæ res præexistebant, & permanebant, ergo vere in seipsis sunt essentialiter entia. Conf. modi non dicuntur modi entis, eo quod quasi solum afficiant, & modificent vera entia, & ipsi non sint entia; immo potius hoc ipso quod modificant suas res, habere debent proprias entitates, per quas modificant, entitates, inquam, modales, & sic ipsi sunt entia modalia, & quod modus nequeat existere separatus, sed immediate insit subjecto, non tollit veram, & propriam rationem entis, sed constituit tale ens cum tali determinata essentia, & ratione. Tandem multa ex prædicamentis accidentium sunt puri modi, sed prædicamenta omnia sunt entia vera, & ens reale est, quod in decem prædicamenta dividitur, estque iis omnibus essentialiter commune, ergo modi sunt essentialiter entia.

Resp. satis constare ex ipso discursu argumentum non loqui de modis entis intrinsecis; sed de modis rerum extrinsecis; de quibus quæst. præced. art. 1. sermonem habuimus, quod etiam ibi fatetur hic Auctor, & ideo non est ad rem, quia hic est sermo de modis intrinsecis entis, quibus ad inferiora coarctatur, non autem de modis extrinsecis, de quibus non negat Doctor propriam habere entitatem, ac esse essentialiter ens, ut ens commune est ad decem prædicamenta, de modo namque loquens in hoc sensu ita scribit 2. dist. 1. quæst. 5. §. *quod si adhuc*, licet enim modus non sit ita res, sicut illa, cujus est modus, non tamen nulla res est, sicut nec ullum ens, quia tunc nihil esset, unde concludit; quod relatio, licet sit modus rei; cadit sub divisione entis, & quod modus in hoc sensu est res accipiendo rem generalissime, ut dividitur in decem genera, non ergo opus erat, ut Aversa adeo laboraret ad hoc probandum contra Doctorem, quia ipse concedit libentissime modum, ut accipitur in ejus discursu, esse essentialiter, & quidditative ens, verum est tamen, Recentiores non ita libere, ut loquitur Aversa, propriam entitatem adscribere modis, quia in rigore loquendo nolunt esse entitatem, sed entitatis determinationem; non rem, sed potius rei modum, ut constat ex iis, quæ dicimus ex communi eorum doctrina de modis quæst. præc. art. 1. & num. 181. in eo autem sensu, quo discursus Aversæ posset etiam modis intrinsecis applicari, mox diluetur.

200 Secundo igitur magis ad propositum arguit Suarez de modis intrinsecis numer. 8. quia hi modi intrinseci etiam in Scoti sententia sunt positivi, & reales, alioquin varias rerum essentias, & essentiale discrimen inter illas constituere non possent, ergo intrinsece, & essentialiter includunt ens, illud enim censetur intrinsece, & essentialiter ens, quod habet veram, & realem essentiam. Tum 2. quia si isti modi non sunt ens, ergo nihil sunt, & nihil conferre possunt ad essentias reales constituendas. Nec sufficit dicere esse quidem entia, non tamen formaliter; quia rursus arguitur, vel sunt formaliter entia, vel formaliter non entia, ex necessitate contradictionis alterum horum asserendum est, non secundum, quia nihil esset, ergo primum. Tum 3. quod est alicui ratio, quod sit ens est formaliter ens, & non identice tantum, modi entis sunt rationes, cur aliqua sint entia, ergo &c. Nec sufficit dicere ad hoc satis esse, ut sint ens, ut quo, non autem ut quod. Quoniam esse ens, ut quo, nihil aliud est, quam esse formam seu actum realem in Metaphysica compositione, nulla autem potest esse forma, vel actus realis alicujus, nisi in se sit aliquid reale, quod est esse in se ens reale, ut constat ex Physica compositione, ergo repugnat dicere, aliquid esse reale ut *quo*, & non ens, ut *quod*, nam illud ut *quo*, in hujusmodi ut *quod* necessario fundari debet. Tum 4. quia si isti modi non includerent ens, nihil eis deficeret, quominus essent veræ differentiæ nihilque enti, quia esset verum genus, quia de ratione differentiæ, nil aliud est, nisi quod essentialiter contrahat prædicatum univocum, & quidditativum non includendo ipsum, & de ratione generis, quod ita per sua contrahentia coarcteretur ut maneat extra illa, nec totam rei quidditatem dicat usque ad ultimum gradum. Tum 5. quia hi modi intrinseci sunt inæquales imperfectione entitativa, ergo sunt entia, patet antecedens, quia substantia est perfectior accidente, & non ratione ejus, in quo conveniunt, ergo ratione ejus, in quo differunt, scilicet modi. Tum tandem, quia modus, quo constituitur substantia, aliquo modo substantia esse debet, nam ut dixit Arist. 1. Phys. cap. 6. substantia non constituitur ex

non

non substantiis, sed quod est substantia, est etiam ens, ergo &c.

201 Respondent recentiores Scotistæ distinguendo de ente quid, & quali, & dicunt Scotum a modis neutiquam ens omnino exclusisse, quia intrinsece, & quidditative sunt entia qualia, licet non sint entia quid; sibique valde applaudunt de hac responsione, tamquam nec Recentiores, nec veteres Scotistæ mentem Scoti perceperint. Sed hoc merum esse effugium, nec etiam admissum sufficere ad evitandas propositas difficultates, ac etiam alias majores, jam satis ostendimus num. 187. proinde alii Scotistæ distinguunt ex Scoto quol. 3. ab initio triplicem acceptionem entis, & rei; potest enim sumi ens, & res communissime, communiter, & expresse; Primo modo sumitur pro eo, quod a nihilo contradistinguitur, & a fictitio, & in hoc sensu non solum res ipsa, sed etiam modus rei dicitur ens; Secundo modo sumitur res, & ens, ut distinguitur contra modum rei, quo sensu sola tria genera absoluta, substantia, quantitas, & qualitas rem demonstrant; alia vero rei circumstantias, & modos; Tertio tandem modo sumitur pro ente absoluto, ac per se existente, sicut est substantia; concedunt itaque modos, passiones entis, ac ultimas differentias entia esse, si ens sussisme sumatur, quatenus non sunt nihil, neque nostra figmenta, & nil aliud probare proposita argumenta, non tamen in eo sensu, in quo sumitur hic ens, cum ponitur univocum Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Sed neque ista solutio satisfacit, immo potius adductas difficultates confirmat, quia ens reale commune Deo, & creaturæ, ac in ea amplitudine, ut est subjectum Metaphysicæ, & hic de eo loquimur, accipitur pro eo, quod non est nihil, & in hac acceptione nil aliud significat, ut diximus ab initio disput. nisi id, quod habet verum esse a nihilo, atque a figmentis contradistinctum, si ergo in hoc sensu admittitur, modos, ultimasque differentias esse formaliter, & quidditative entia, jam Adversariis totum id conceditur, quod præfatis argumentis a nobis extorquere contendunt, nec enim in alio sensu, nec alia entis acceptione vertitur hoc quæsitum, nisi ut contradistinguitur a figmentis, & a nihilo, in hoc enim consistit formalissima ratio entis transcendenter sumpti, de quo totam hanc Disputationem instituimus. Neque verum est, Doctorem quol. 3. ab initio in hoc sensu concedere modos, de quibus hic est sermo, rationem entis includere, quia ut nuper dicebamus num. 199. ibi loquitur de modis rerum extrinsecis, quibus utique concedit realitatem entis, non autem de modis intrinsecis.

202 Resp. itaque nos neutiquam negare modos, passiones entis, ultimasque differentias esse entia, immo id constanter affirmamus, ut constat ex dictis numer. 193. & 194. id, quod negamus, est, quod sint entia ex suis rationibus formalibus, & non potius aliunde id habeant, unde ad eam interrogationem, qua ibi quærebatur, an modus determinativus entis sit ens, responsum est esse quidem ens, non ex se, quia ex sua ratione formali non habet, quod sit ens, sed quod sit limitativum entis, sed esse ens ratione illius, quod coarctat, ipsum enim coarctando recipit esse ens per identitatem cum ipso, unde quoad hoc non habemus cum Adversariis nisi litem de modo loquendi; volunt enim ipsi modos esse entia ex suis rationibus formalibus, nos autem per solam identitatem cum ente, quod contrahunt, unde omnes conveniunt in hoc, rationem entis intrinsece imbibitam esse in modis, passionibus ejus, ac ultimis differentiis, sed ipsi ajunt talem imbibitionem, & transcendentiam entis fieri per identitatem formalem, & essentialem, nos autem per totam identitatem realem; qua in re sanior utique est noster loquendi modus, cum enim ipsi inquiunt modos ex sua ratione formali entia esse, non distinguunt in ipsis rationem entis, & rationem limitativam entis, sed utrumque confundunt; quasi ens seipso prorsus sit determinabile, ac determinativum; nos autem in ipsis modis utrumque distinguimus, & dicimus ex sua ratione formali habere rationem limitativi, & modificativi entis; & per identitatem cum ente rationem entis habere, ut autem supra advertimus num. 181. omnia illa argumenta adducta contra modos intrinsecos retorqueri possunt in ipsos contra modos extrinsecos ab eis positos, cum enim explicant distinctionem modalem, quam ipsi ponunt inter rem, & modum, ita eam declarant, quod res possit existere sine modo, non tamen modus sine re, & rationem reddunt, quia modus non est res, nec addit rei, quam modificat, propriam entitatem novam, sed solum modificat præexistentem, ita inter alios docuit Suarez disp. 7. sect. 1. num. 17. ubi inquit, quod modus novam entitatem propriam non affert, vix potest in dubitationem venire; quia si esset nova omnino entitas, non posset esse actualis unio, (loquitur enim ibi de modo inhærentiæ) inter quantitatem, & subjectum, sed ipsa potius indiget, qua subjecto uniretur, & quantitati, sicut quantitas ipsa indiget inhærentia, qua subjecto uniatur. Quod ergo Recentiores docent de modis extrinsecis; hoc ipsum docemus nos de intrinsecis, sed majori ratione, quia extrinseci, ut nuper dicebamus, habent propriam entitatem modalem, licet non solitarie permanere aptam, & re vera sunt essentialiter entia, unde & dici possunt realiter distincta a re modificata, ut diximus disput. 1. Logic. quæst. 5. art. 2. at modi intrinseci, quia rem non afficiunt extrinsece, sed intrinsece, & non circumstant existentiam rei, sed essentiam ipsam, non distinguuntur ab ea realiter, sed eamdem rem, ac entitatem integrant cum ea, cujus sunt modi, & cum ea perpetuo affixi, & identificati debent intelligi, ut rite intelligantur, quia tamen ipsi id quoque de modis extrinsecis affirmant; ideo argumenta ab eis in nos contorta de modis intrinsecis, possunt rursus contra eos retorqueri quantum ad extrinsecos, & quemadmodum ipsi respondere solent, ita & nos.

203 Ut igitur objectis respondeamus in forma, accipiamus ipsamet distinctiones, quas ipsi adhibent ad tuendam modalem distinctionem inter rem, & modum, cum enim eis objicitur, quod si modus propriam non haberet entitatem, tunc daretur medium inter ens, & nihil, & inter ens reale, & rationis; respondent ens prout dicit propriam entitatem, non immediate a nihilo contradistingui, & ab ente rationis, sed ens, quod ab eis immediate contradistinguitur, est illud, quod habet esse in rerum natura independenter ab intellectu, & hoc subdividitur in illud, quod habet propriam entitatem, & in illud quod non habeat propriam entitatem, sed est ens entitate alterius, cujusmodi sunt modi. Cum rursus eis objicitur aliquid a nihilo contradistingui, quia in se est, ac propriam habet essentiam, ac entitatem, & ideo est proprie res, & ens, negant hoc assumptum, potest enim aliquid contradistingui a nihilo, vel quia est res, vel quia aliquid rei, vel quia habet propriam entitatem, vel quia est ens entitate alterius, & tales sunt modi rerum. Cum denuo illis objicitur, quod ens extra causas in rerum natura constituitur tale ratione alicujus entitatis; si ergo modus est extra causas &c. respondent, dupliciter aliquid participare posse realitatem entis, vel formaliter, & directe, quia ipsum est res, ac entitas, vel tamquam aliquid de ipsa re, ac entitate, esse autem reale hoc secundo modo nihil aliud dicit, nisi fundari in realitate rei, non autem dicere propriam entitatem, unde consequenter non dicit esse aliquid reale in seipso, sed in alio; & secundo modo inquiunt modum esse quid reale; est enim quid reale prout involvit entitatem subjecti; per hoc enim salvatur, quod sit aliquid a parte rei, quatenus ex sua ratione involvit entitatem subjecti, quod non competit negationibus, aut entibus rationis; ita discurrit Pasqualig. cum aliis Neutralibus tom. 2. Metaph. disput. 51. sect. 3. quæ doctrina an sufficiat ad salvandum suam modalem distinctionem inter rem, & modum, inferius suo loco expendemus; interim tamen certum est, sufficientissimam esse ad tuendam Scoti sententiam in præsenti, & solvenda singula argumenta superius facta.

204 Ad 1. falsum in primis est ex dictis a num. 153. modos intrinsecos constituere rerum essentias, easque essentialiter inter se distinguere; deinde concedimus modos entis esse reales, & positivos, & ens intrinsece includere, non tamen per formalem, sed solam realem identitatem, cum esse modos entis sit potius entia esse talia, quam esse entia simpliciter, unde non immerito a quibusdam Scotistis appellantur, non quidem entia, quia non includunt directe, & formaliter rationem entis, sed entalia, quia identificantur enti, sicut etiam differentiæ substantiæ, non dicuntur substantiæ, sed substantiales ob eamdem rationem. Ad 2. dicitur ut ibi, modos esse entia, non formaliter, sed realiter tantum, ac identice; & cum urgebatur, quod vel sunt formaliter entia, vel formaliter non entia; neutrum est concedendum, ut enim bene notavit Canon. 1. Physic. quæst. 7. prope finem, illæ propositiones re vera non contradicunt, quia in una non negatur, quod in altera affirmatur, unde ad hoc ut contradicant, sic formari debent, vel sunt formaliter entia, vel non sunt formaliter entia, itaut negatio cadat supra copulam ad faciendam proportionem negativam, & tunc vera est negativa, quod non sunt formaliter entia; sed identice tantum. Dices, saltem inter contradictoria incompleta dabitur medium, quia modus formaliter nec est ens, nec non ens. Resp. nullum esse inconveniens, immo esse necessarium dari medium inter contradictoria incomplexa cum aliquo syncathegoremate sumpta, ut docuimus disp. 9. Log. quæst. 2. art. 2. ex Doctore multis in locis ibi citatis, nam homo per se nec est albus, nec non albus, nam si alterum illorum per se homini conveniret, numquam oppositum ei competere posset, sicut quia homo est per se rationalis, numquam erit non rationalis; unde Mairon. tract. de Univoc. entis quæst. 4. huic difficultati respondens ait, quod contradictoria circa aliquid cum conditione, seu determinatione aliqua perdunt naturam contradictionis, sicut album, & non album sunt contradictoria, & ideo absolute de quolibet dicitur alterum, sed homo cum ista additione per se, vel quidditative, nec est albus, nec non albus, & hæc est solutio Scoti quæst. 21. de Anim. cujus verba retulimus n. 193. Dices adhuc cum Arriaga, quod tunc daretur formalitas enti, & non enti communis; Probatur conseq. quia formalitas modi, vel ultimæ differentiæ, ut sic, præscindit ab ente, & non ente, & ideo esse posset objective enti, & non enti communis. Resp. ex doctrina eorumdem Neutralium allata n. 203. quod inter ens, & non ens non datur medium ab utroque præscindens, si reale sumatur pro omni eo, quod quomodocumque est a parte rei, præsisa qualibet intellectus operatione; verum si ens sumatur prout dicit id, quod habet propriam entitatem, & ens includit formaliter, & quidditative, bene potest dari medium ab utroque præscindens, & tales sunt modi, & passiones entis, ac ultimæ differentiæ, nam ut ibi ex eorum doctrina diximus, ens quod nihilo immediate opponitur, comprehendit tam illud, quod est directe, & formaliter ens, quam id, quod

quod est identice tantum ens, & realiter, quia negationibus, & entibus rationis repugnat esse ens utroque modo.

205 Ad 3. negatur minor, quia ut probe notat Canon. cit. modus non est ratio formalis essendi ens, sed potius essendi tale ens, unde cum dico tale ens, duo dico, scilicet ly ens, quod ab ipso ente habetur, & illam talitatem, quæ habetur a modo, & sic solum sequitur, quod modus sit talitas, seu modificatio entis, non autem formaliter ens; approbat etiam ibi Canon. responsionem in argumento allatam, ad cujus impugnationem dicendum est quantum ad hoc diversam esse rationem de partibus physicæ compositionis, & Metaphysicæ, nam partes compositi physici sunt veræ res, & naturæ ab invicem realiter distinctæ, & ob id rationem entis directe, & formaliter includunt, at partes compositi metaphysici non sic se habent, sunt enim realiter inter se identificatæ, & una est aliquid alterius, unde non est necesse, quod ambo sint formaliter entia, & quidditative, sed sufficit, quod unum sit hoc modo ens, aliud vero realiter solum, ac identice. Ad 4. negatur conseq. ut enim constat ex dictis n. 133. aliquid amplius desideratur ad rationem generis, & differentiæ, ultra conditiones in argumento tactas, requiritur enim, ut ambo importent realitates ex natura rei formaliter distinctas, quarum una sit potentialis ad aliam, quia ordinantur ad compositionem metaphysicam, quod de ente non verificatur, ac ejus modis; ita docuit Doctor 1. dist. 8. qu. 3. ad 1. princ. dum ait differentiam sumi debere ab una realitate vere perficiente realitatem generis, & genus ab alia realitate vere per illam perficibili. Ad 5. modus intrinsecus utique dicitur perficere naturam, quam modificat, sed alio modo, quam faciat differentia, quia differentia perficit addendo novam entitatem, vel realitatem, ideoque dicitur variare essentiam rei, at modus rem perficit intra seipsam, nil novæ entitatis addendo, unde ex modo perficiendi, quem exercet, potius colligitur opus non esse, quod in se includat rationem entis, sed sufficere, quod sit ens beneficio illius entitatis, quam perficit, quatenus illi identificatur. Ad ultim. sicut differentiæ substantiarum proprie non dicuntur substantiæ, sed potius substantiales, quatenus substantiæ identificantur ex Aristot. capit. de substantia, ita modi entis in proposito entia dici non debebunt proprie loquendo, sed entalia, quia non tam sunt entia, quam talitates, ac determinationes entis.

206 Secundo objicitur pro differentiis ultimis, quod ipsæ quoque includant formaliter rationem entis, nam Arist. 3. Metaph. 10. inde probat ens non posse esse genus, quia in omnibus differentiis, & modis, quibus contrahitur, essentialiter includitur, quod repugnat generi ex 6. Topic. capit. 3. nec valet respondere cum Scoto, ait Suarez, ens non esse genus, quia licet non in omnibus, saltem in aliquibus differentiis includitur, scilicet in non ultimis; nam quid refert, quod ens includatur in quibusdam ultimis, & remotis differentiis, ut non sit genus respectu substantiæ, & accidentis, in quæ proxime, & univoce dividitur per differentias proprias, & extra sui rationem? satis ergo erit ad rationem generis habere differentias aliquas respectu aliquarum specierum, in ordine ad quas salva saltem consistet ratio generis. Confirmant Complut. disp. 11. Logic. quæst. 4. ex Soncinat. quia Aristot. ibid. text. 12. probat ens non esse genus hac ratione, nullum genus prædicatur de differentiis, ens prædicatur de differentiis, ergo non est genus, certum autem est in majori sermonem non fieri de prædicatione identica, nam tunc esset falsa, quia genus in sensu identico prædicatur de differentiis, cum non distinguatur ab illis, ergo erit sermo de prædicatione formali, & in eodem sensu procedet minor, ne varietur suppositio; hoc etiam ibi confirmant per oppositionem contradictoriam inter ens, & nihil, cui jam satisfactum est. Deinde urget Aversa, quando res ipsæ a parte rei existunt, utique differentiæ constitutivæ earum positive, & realiter existunt, ergo datur entitas, & realitas positiva cujusque differentiæ, ergo differentiæ omnes vere sunt entia tam quoad essentiam, quam quoad existentiam; Addit Aversa nescire quomodo Scot. 1. distinct. 3. quæst. 3. §. *contra ipsum*, potissimam difficultatem contra hanc suam sententiam insolutam relinquat, talis enim est ratio, quam ibi facit; si ens descenderet ad decem genera per aliquas differentias, aut istæ includerent ens quidditative, & tunc in conceptione cujusque entis includeretur nugatio, hoc est, bis repeteretur ens, aut ipsæ sunt non entia (ut ipse volebat) & tunc non ens erit de conceptu entis; cui difficultati nihil respondet Scotus, cum tamen ibi respondeat ad omnes auctoritates in contrarium adductas, unde suspicatur Aversa silentium Scoti non esse sine mysterio. Tandem arguit Cajet. quia in omnibus differentiis etiam ultimis reperiuntur passiones entis, quælibet enim est una, quia in se indivisa, & a quolibet alio distincta; est bona, quia habet suam definitam perfectionem, & appetibilitatem; est denique vera, quia non est conficta, & est per se intelligibilis. Nec sufficit dicere, quod sunt tales per identitatem cum ente; quia præter quam quod non solvitur difficultas, saltem ex hac responsione habetur, ultimas differentias realiter in ente convenire, & sic incurritur eadem difficultas, ac si diceretur convenire in ente formaliter; quia ob hanc realem convenientiam non erunt primo diversæ, ad quam primo diversitatem salvandam Scotus negavit inclusionem quidditativam entis in ipsis.

207 Respond. in primis Doctor 1. dist. 3. q. 3. N. testimonia, quæ ex illo tertio Met. libro sumuntur non esse firmæ auctoritatis, quia Arist. nihil in illo libro docet asserendo, sed argumentando, & disputando, quod & Suarez ipse fatetur disp. 2. sec. 6. num. 11. juxta quam solutionem nil urget primum argumentum cum conf. Compl. adhuc tamen admissa Arist. ibi auctoritate sufficit responsio Doctoris in argumento allata, nec eam labefactat instantia Suarez, cum enim genus sit entitas potentialis respectu omnium differentiarum, de nulla prorsus prædicari potest in quid, sive sit ultima, sive non ultima, unde ad removendam ab ente rationem generis sufficit, quod in quibusdam differentiis non ultimis quidditative includatur, etiamsi excludatur ab aliis, & ob id neque respectu illarum, a quibus exeluditur, poterit dici genus, quia genus ut sic petit excludi ab omnibus prorsus differentiis, & non a quibusdam tantum, unde sicut ratio generis non potest salvari per inclusionem in una tantum specie, quia plures respicere debet saltem in aptitudine, ita nec salvari poterit per exclusionem tantum a quibusdam differentiis, quia ex sui natura postulat ab omnibus excludi. Ad Conf. ex Compl. dico rationem Aristot. procedere etiamsi in majori sermo esset de identica prædicatione, neque major tunc esset falsa, quia ut omnes concedunt, & Soncin. ipse in ea q. §. *respondeo, in hac quæst.* prædicatio identica in abstracto communiter fieri solet sic, quod abstractum prædicatur de abstracto, & quando ita fit, tunc identificatio prædicari cum subjecto procedit ex infinitate actuali, vel saltem permissiva alterius extremorum; quando autem identificatio mendicatur a tertio, in quo extrema uniuntur per identitatem, tunc nequit fieri prædicatio vera in abstracto, sed tantum in concreto, quia si abstrahantur a tertio, tollitur ratio identificationis; in proposito genus dicitur identice de differentia prædicari secundo modo, non autem primo modo, quia hæc non est vera, animalitas est rationalitas, nam in tali statu extrema non concernunt tertium, quod erat eis ratio identificationis; ens autem dicitur de suis inferioribus, ac differentiis non ultimis etiam in abstracto, unde ista conceditur, animalitas est entitas, rationalitas est entitas, ut notavit Tromb. trac. formal. art. 3. par. 3. §. *pro declaratione prædicationis identicæ*, & nos disp. 10. Log. q. 2. in fine; & sic patet, quomodo ratio Arist. procedat loquendo de sola prædicatione identica.

208 Ad argumentum Averse dicimus, quod licet ultimæ differentiæ sunt entia entitate alterius, illius nimirum, cui identificantur, ita quoque existunt ad existentiam alterius, & ut constituant essentiam veram, ac realem, & realiter faciant differre, opus non est, quod sint formaliter, & quidditative ens, sed sufficit, quod sint entia identice, seu entalia, ut de differentiis substantiarum dicebamus, opus non esse, ut essent substantiæ, ad substantiam constituendam, sed sufficere, quod sint substantiales; Et quidem immerito Doctorem calumniatur Aversa, quod ex affectata ignorantia fortasse loc. cit. 1. d. 3. quæst. 3. solutionem illius difficultatis omiserit, quia non semel, sed ter, & quater eam dissolvit; nam in primis eam diluit quæst. 21. de Anim. dicens, quod illæ differentiæ sunt entia realiter, non formaliter; neque unquam concessit esse non entia, ut ei imponit Aversa; immo diserte ibi subdit, ex hoc non sequi, quod secundum se non est non entia, sicut non sequitur, homo secundum se non est albus, ergo secundum se est non albus, quia nec ex ratione humanitatis habet, quod sit albus, nec non albus; entis ergo differentiæ non per rationem differentiæ sunt entia, nec tamen sequitur, quod per rationem differentiæ sint non entia. Rursus eandem solvit difficultatem 4. Met. q. 1. ubi quadruplicem assignat responsionem, patens ergo, & parens calumnia est, imponere Doctori, quod eam difficultatem non dissolverit; Ideo autem l. c. 1. d. 3. q. 3. solutionem ejus sub silentio præterit, quia ut ibi notant Expositores, satis constabat quid dicendum ex solutione ad primum ex 3. Met. desumptum, ubi dixerat ultimas differentias includere ens denominative tantum, & realiter, non formaliter, & quidditative; Ad rationem Cajet. respondetur, ut ibi, ultimas differentias passiones entis participare ob realem cum ipso identitatem, neque sic dicendo eadem incurritur difficultas, ac si diceretur ens includi in ipsis formaliter, & quidditative, ut notavit Canon. cit. quia sic remanent adhuc primo diversæ, cum in ente non conveniant formaliter, sed tantum fundamentaliter.

Tertio arguit Hurtad. disp. 2. Metaphysica sec. 4. ad *idem*, quia ab ultimis differentiis abstrahi potest communis conceptus individuationis, ut ipse probavit in Logic. ergo, & conceptus entis; Probatur consequentia, quia Scotistæ passim id negant, quia dicunt ab eis abstrahi non posse conceptum communem, in quo conveniunt, cum sint ultimæ, & primo diversæ. Deinde differentia ultima, ut sic, & ut distincta ab aliis conceptibus, concipitur vel ut existens, vel ut apta ad existendum, ergo concipitur ut ens reale, consequentia patet ex definitione entis realis; Probatur assumptum, quia cum concipitur Petrus existens, vel existere potens, non solum humanitas concipitur existens, vel apta existere, sed etiam rationalitas, ac Petreitas ipsa; Demum quia cum ultima differentia præcise, & in se concipitur, vel conceptus objectivus formali respondens est rationis, vel realis, rationis esse non potest, quia rationale habet esse a parte rei, ergo ens imbibitur in quavis ultima differentia.

Resp. ad 1. satis constare ex dictis supra n. 189. Ad 2. ultima differentia, ut sic, concipitur ut existens, vel existere apta, non quidem in se, & directe, sed quatenus identificata rei existenti concipitur actu existens, & quatenus ei identificabilis concipitur apta existere non aliter, nec alio modo, & ideo negatur consequentia, quod sit ens reale in eo sensu, quod quidditative in-

cludat rationem entis. Ad 3. respondetur eodem modo conceptum illum esse realem, quatenus exprimit id, quod reale est, & præter opus intellectus, non quidem formaliter, & in se, sed identice, & in alio. Dices, ultima differentia habet suam peculiarem essentiam, & suam peculiarem formalitatem, ratione cujus constituitur in esse modi, vel differentiæ, & distinguitur a quocumque alio, quod non est differentia. Resp. ultimam differentiam habere quidem propriam essentiam, & formalitatem, sed hanc non esse de se sufficientem pro constituenda peculiari entitate sibi propria, & ratio est, quam reddit Doctor quæst. 21. de Anim. cit. quia differentia per suam formalissimam, & præcisissimam rationem habet, quod sit differentia, & facit differre, non autem, quod sit ens, quia tunc in ratione differentiæ faceret convenire; & ideo, quod sit ens, habet a ratione entis, quam coarctat, & cui identificatur, non ex seipsa.

209 Quarto arguitur pro passionibus entis, quod illud formaliter includant; nam passiones entis, ut sic, debent habere conceptum objectivum realem, si reales ipsæ ponuntur, & positivæ, & debent concipi, ut existentes, vel aptæ existere; ergo ut sic, sunt entia realia. Deinde nulla prædicatio est vera in abstracto, nisi sit quidditativa, sed in abstracto, veritas, unitas, & bonitas recipiunt prædicationem entis; ergo &c. Tandem urget Masius lib. 2. de transc. cap. 13. saltem in concreto has esse in primo modo, unum est ens; verum est ens. Resp. conceptum passionum entis esse realem eo pacto, quo nuper dicebamus conceptum ultimarum differentiarum esse realem. Ad aliud ait Mairon. tract. de univoc. q. 4. quod in abstractis non solum invenitur prædicatio vera quidditativa, sed etiam identica, sicut patet in divinis, & transcendentibus, cum hoc tamen discrimine, quod in divinis identificatio fundatur super actualem infinitatem unius, vel amborum extremorum; in transcendentibus vero super infinitatem permissivam, & nimiam communitatem eorum, ut explicat Tromb. jam cit. Ad ult. vel negatur assumptum, quia illæ propositiones indirectæ sunt, ac innaturales, vel eo concesso solum sequitur ens includi essentialiter in conceptu illius, quod dicitur unum, vel bonum, quo pacto conceditur ista, ut propositio primi modi, rationale est animal, non quia animal, includatur in conceptu differentiæ, sed hominis, qui dicitur rationalis.

Quinto arguitur simul pro modis, passionibus entis, ac ultimis differentiis, quod quidditative includant rationem entis, quia superius clauditur formaliter, & quidditative in quolibet inferiori suo, sed ens est superius ad modos, passiones suas, ac ultimas differentias, alioquin non esset universalissimum, ac communissimum prædicatum. Tum 2. idem ostenditur ex transcendentia entis, quæ est talis naturæ, ut extendat ejus rationem ad omne quod est reale, & extra nihil nullo prorsus excepto, quod satis aperte colligitur ex modo ejus prædicandi, nam sumpto quocumque reali, sive sit passio entis, sive modus, sive ultimæ differentiæ, ens prædicatur de ipso in recto. Tum 3. quia ultimæ differentiæ, modi, & passiones entis continentur intra objectum adæquatum intellectus, quod est ens, sunt enim per se intelligibiles, & propriam cognitionem causare, vel terminare possunt; ergo essentialiter includunt rationem entis. Tum 4. quia in his omnibus reperitur semper aliquis effectus, seu quasi effectus realis, quod non potest intelligi sine inclusione alicujus entitatis, nam constituunt, complent, aut integrant, ac distinguunt ens reale. Tum tandem, & hæc est ratio a priori, ait Suarez, quia ratio entis, ut hic de eo loquimur, est habere essentiam realem, in quo non includitur, quod illa essentia sit perfecta, vel imperfecta, integra, vel partialis, sed solum, quod realis sit, hoc autem necesse est includi in omnibus rebus, & modis, & passionibus, & ultimis differentiis.

210 Resp. negando minorem, quia superius non convertitur cum suo inferiori, ens autem convertitur cum suis passionibus; superius directe respicit inferiora sua, sicut ea, quæ constituit in suo esse essentiali, & quidditativo, ens vero indirecte tantum, & lateraliter suos respicit modos, ac differentias ultimas per modum contrahentis, ac determinantis; neque ens dicitur prædicatum communissimum, ac universalissimum, quia omnia respiciat, tamquam proprie inferiora sua, sed quia de omnibus prædicatur vel quidditative, & essentialiter, vel saltem realiter, ac identice, unde duplicem dicitur habere communitatem, ut notat Tromb. 4. Met. q. 2. ad 1. princ. una est communitas prædicationis quidditativæ respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, alia est prædicationis denominativæ, seu identicæ, quam communitatem habet ad differentias ultimas, & passiones proprias, & modos intrinsecos. Quod si tu dicas, conceptus entis est simpliciter simplex, aut ergo conceptus ejus erit realis ideſt realiter prædicabilis, respectu omnium, aut quidditativus, & essentialiter prædicabilis de omnibus. Resp. cum Tromb. quod est utrumque, quia, quod dico reale, & quidditativum ente, non importat duas rationes, sed unam, & eandem, quia eadem ratio entis, quæ est quidditativa quoad prædicationem respectu aliquorum, est realis, seu denominativa respectu aliorum, & hoc est, quod supra dicebamus ens respectu omnium esse univocum prædicatum, sed non de omnibus univoce prædicari, & in quid. Ad 2. patet per idem, dicitur enim ens transcendens respectu omnium ob duplicem communitatem declaratam, quia de omnibus prorsus nullo excepto, quod sit extra nihil, prædicatur aut quidditative, aut saltem denominative, & identice, quæ etiam prædicatio fieri potest in recto, immo & in abstracto ob infinitatem permissivam entis. Ad 3. ait Tromb. cit. etiam modos entis, ejus passiones, ac ultimas differentias comprehendi intra objectum intellectus ob identitatem realem cum ente, ut enim aliquid sit intelligibile, sufficit quod sit ens vel quidditative vel saltem realiter, ac identice, & ideo disp. 6. de Anim. q. 6. art. 1. n. 143. statuimus cum Doctore 1. d. 3. q. 3. §. *Quantum ad 2. articulum*, ens reale objectum adæquatum intellectus nostri ex natura potentiæ secundum duplicem primitatem communitatis scilicet, & virtualitatis, illius beneficio continet sub se omnia, de quibus quidditative prædicatur, & ratione istius continet omnia, quæ in eo virtualiter, vel identice continentur. Ad 4. jam diximus sufficere ad illa munera ut modi, ac ultimæ differentiæ sint entia saltem realiter, ac identice, quia per ipsa non realizantur res, nec rebus conferunt esse, sed omnia realizantur per ipsam rationem universalissimam entis; per modos autem, & differentias specificantur, ac determinantur, adeoque non tam sint entia, quam talitates entis secundum suam rationem.

211 Ad ultim. quidam ex nostris respondent, ad hoc, ut aliquid includat formale significatum entis, non sufficere, quod sit ex natura rei ante intellectum, sed necesse est, ut sit velut aliquod totum actuale, sive possibile, differentia autem ultima, ac modi intrinseci esto sint ex natura rei ante intellectum, tamen non sunt veluti hujusmodi entia per se, & totalia, sed veluti aliquitates entis. Hæc tamen solutio non satisfacit, quia hoc est, quod directe argumentum impugnat, in ratione formali entis, ut sic, non includi, quod illa essentia sit perfecta, vel imperfecta, integra vel partialis, sed sufficere, quod sit extra nihil, & citra opus intellectus, & ideo cum ita se habeant modi, differentiæ ultimæ, & entis passiones, inde concludit esse formaliter, & quidditative entia, & non identice tantum. Quare potius dicendum est definitionem entis, scilicet esse extra nihil, & citra opus intellectus, nequaquam modis, passionibus entis, ac ultimis differentiis directe convenire, & ex se, sed indirecte, & per aliud, ratione scilicet illius, cui identificantur, unde sicut non sunt entia, nisi realiter, & identice, ita sunt extra nihil eodem modo. Dices, rationem entis in eo consistere, quod aliquod sit extra nihil, & præter intellectus operationem, quomodocumque hoc fiat, sive directe sive indirecte, sive ex se, sive per aliud, sive formaliter, sive identice solum; & ideo cum modi, & ultimæ differentiæ sint aliquo pacto extra nihil, hoc sufficit, ut intrinsece, & formaliter rationem entis participent, Respond. hoc repugnantiam involvere manifestam, quia si aliquid est ens per solam identatem cum alio, quod est formaliter ens, jam nequit includere in suo formali conceptu rationem entis, quia tunc esset ens formaliter, & quidditative, & non identice solum, unde potius dicendum est rationem entis in eo consistere, quod aliquid ex se, seu ex sua ratione formali sit extra nihil, vel sic existere possit, & hanc rationem quibusdam convenire formaliter, & directe, & quibusdam denominative tantum, ac identice, qua ratione diximus conceptum entis esse quidem ad omnia prorsus univocum, quia respectu omnium retinet unitatem rationis, sed non de omnibus univoce dici, quia quibusdam denominative tantum convenit & identice; Ex his constat, quid dicendum ad nonnullas rationes Aureoli, quibus 1. dist. 2. part. 2. art. 4. probat contra Doctorem ens dici de omnibus formaliter, & quidditative, omnino enim coincidunt cum relatis, quas Recentiores ab Aureolo mutuarunt.

212 Sexto arguit Suarez contra divisionem a Scoto assignatam differentiæ ultimæ, & non ultimæ primo probat habere falsum fundamentum, quia aut ista divisio admittenda esset in substantiis, vel in accidentibus; non in accidentibus, quia cum accidentia sint formæ simplices, non potest in eis ratio generis sumi ab una forma, & differentia ab alia; neque in substantiis, quia aut istæ sunt simplices, & immateriales, & quoad hoc est eadem ratio de istis, ac de accidentibus, quia in eis etiam est una simplex natura physice loquendo; aut sunt materiales, & compositæ, & cum in istis secundum veriorem sententiam non detur, nisi unica forma, ab ea ratio generis, & ratio differentiæ sumetur secundum diversos gradus. Tum quia admissa etiam pluralitate formarum in animatis, nulla adhuc differentia poterit in eis a tota forma desumi, quia esto anima rationalis esset in homine v. g. distincta a sensitiva, adhuc ab ea non possemus sumere differentiam hominis propriam, quia secundum illam formam habet convenientiam cum Angelis in intellectualitate, & inter eam, at cæteras animas est convenientia in ratione communi formæ, vel animæ, & principio vitæ, & consequenter secundum omnes has rationes communes possunt ab illa sumi differentiæ intermediæ, & non ultimæ; ergo nulla erit differentia, quæ sumatur a tota forma, & consequenter nulla erit differentia non ultima, quæ sumatur a tota forma, ut loquitur Doctor. Deinde probat illam divisionem esse sufficientem, quia præter differentiam non ultimam, quæ sumitur a tota forma, & differentiam ultimam, quæ sumitur a realitate ultima formæ, dantur adhuc aliæ differentiæ; quæ neque sumuntur a tota forma, neque ab ultima realitate formæ, sed a forma secundum aliquam communem, & superiorem realitatem, ut est ratio sensitivi in homine, supposito, quod in eo anima sensitiva non sit realiter distincta ab anima rationali, & sicut est differentia coloris in forma albedinis, & universaliter, ut sunt omnes differentiæ genericæ in accidentibus, & substantiis simplicibus. Addit, quod Scotus non videtur consequenter locutus, nam alibi eam appellat ultimam differentiam, quæ non est ulterius determinabilis, quo pacto in

cto in ejus opinione solæ individuales differentiæ deberent dici ultimæ; male ergo hic alias differentias etiam specificas appellat ultimas.

213 Resp. concedendo tam in accidentibus, quam in substantiis simplicibus, & immaterialibus, non nisi ultimas differentias reperiri, at hoc negatur in substantiis compositis, in quibus sunt plures formæ subordinatæ, quam sententiam, ut longe probabiliorem docuimus in Physica, & cum ait admissa etiam hac formarum pluralitate nullam adhuc differentiam assignari posse, quæ a tota forma sumatur; & hoc pacto non ultima dicatur; hoc etiam ultro concedimus, falsum enim est apud Doctorem eam dici differentiam non ultimam, quæ a tota forma sumitur, ut ei Suarez imponit, seu ab omni realitate formæ; nam ut supra dictum est n. 183. apud Doctorem ea solum dicitur differentia non ultima, quæ sumitur ab alia forma, a qua ratio sui generis non sumitur, licet non ab omni, sed ab aliqua tantum ejus realitate sumatur. Quod si dicas, si differentia non ultima non potest sumi a tota forma, ergo neque sumi potest ab alia forma, a qua ratio generis non sumatur; negandа est hæc consequentia, quia ut constat ex dictis loc. cit. esse potest, ut differentia sumatur ab una realitate formæ, a qua tamen forma ratio sui generis non sumatur, sed ab alia diversa juxta sententiam admittentem pluralitatem formarum in animatis. Ad aliud pariter constat ex ibi dictis, quia differentia ultima non subit apud Doctorem istam denominationem, quia ultimo specificer, vel ultimo determinet, sed quia sumitur ab una realitate simplici, ideſt non continente in se plures alias realitates, & non ultima dicitur, quia sumitur a forma continenti in se plures realitates, pro qua etiam tota supponit in communi modo loquendi, licet a simplici realitate illius formæ sumatur, & non ab omnibus: ex quo deducitur sufficientia illius divisionis, nam differentiæ etiam intermediæ accidentium, & substantiarum simplicium sunt ultimæ differentiæ ultimatæ simplicitatis, & universaliter omnes illæ, quæ a realitate ejusdem formæ sumuntur, a qua sumitur genus, non ultimæ vero quæ a forma non ultimatæ simplici sumuntur. Falsum denique est, quod addebatur, Doctorem non consequenter loqui, nam apud eum utique sola individualis differentia est ultima ultimatæ determinationis, non tamen ultimatæ simplicitatis, nam etiam sic ultima dicitur differentia omnis specifica, & intermedia, quæ a realitate alicujus formæ sumuntur, qua etiam forma sumitur ratio generis secundum aliam realitatem.

214 Postremo arguit Aversa cum aliis contra eandem divisionem; cum enim ait Scotus, differentias sumi vel a tota, vel non tota forma, vel intelligi de tota entitate Physica rei, vel Metaphysica, si primum, certum est omnes sumi a tota entitate, & hoc præsertim necessarium est in rebus simplicibus, nec hoc quicquam refert, ut differentiæ dicantur includere vel non includere ens; si secundum, nulla prorsus differentia sumitur a tota rei entitate, supposita distinctione inter ipsos gradus essentiales, sed omnis sumitur ab ultimo gradu speciei constitutæ per eandem differentiam. Deinde in sententia Scoti eadem prorsus esse debet ratio omnium differentiarum, ut includant vel non includant ens; nam ens contrahitur ad decem genera per modos essendi, qui non sunt entia, deinde hæc genera contrahuntur ad species subalternas, & hæ ad alias per differentias, sed universaliter non debent includere ens; tum ne detur nugatio, hoc est, ne ens bis repetatur in entibus inferioribus. Tum etiam quia si differentia non ultima includit ens, distinguere in ipsa licebit & rationem entis, & aliam rationem propriam contrahentem, ergo tota illa differentia potius erat species, quam differentia, & differentia potius erat illa ratio, quam ipsa differentia non ultima addebat supra ens, ergo ab initio non oportebat replicare ens, sed omnes differentiæ quæ contrahunt summa genera ad species inferiores, erunt rationis additæ supra ens, & nulla includet ens. Tum demum, quia secundum Scotum ideo ens non prædicatur in quid de ultimis differentiis, quoniam sunt simpliciter simplices, at etiam differentiæ intermediæ, & non ultimæ sunt simpliciter simplices, quia sumuntur a gradibus æque simplicibus formæ, ac sumantur ultimæ differentiæ, ergo si ens non includitur in ultimis differentiis, eadem ratione nec includetur in aliis. Ex alia parte eadem quoque ratio est differentiæ ultimæ, & non ultimæ, ut ens includunt, si anima humana esset tantum rationalis, ac proinde rationalitas secundum Scotum sumpta ex tota entitate animæ, tanquam differentia non ultima esset ens, ideo ipsa rationalitas esset ens, quia anima quatenus rationalis vere est ens; sed pariter de facto anima humana, quamvis sit etiam vegetativa, & sensitiva, adhuc quatenus rationalis est ens, & non est nihil, ergo etiamsi rationalitas sit differentia ultima, non minus quam si esset non ultima, est essentialiter ens. Confirmatur, quia ideo differentiæ non ultimæ, & intermediæ includunt ens, quia sumuntur a gradu reali formæ v. gr. vivens a gradu vegetativo, sentiens a sensitivo, secundum quos gradus anima rationalis est ens, ergo eadem ratione etiam ultimæ differentiæ includent ens; Probatur conseq. quia talis differentia v. gr. rationale sumitur a perfectiori gradu animæ, & anima humana non est minus ens, quatenus rationalis, quam quatenus vegetativa, ac sensitiva.

215 Resp. hæc, & similia argumenta procedere ex non recta intelligentia Scotisticæ divisionis differentiæ ultimæ, ac non ultimæ, quia ut constat ex dictis n. 183. & inde, numquam Scotus dixit differentiam non ultimam sumi a tota forma, nec ultimam, prout distinguitur a non ultima, dicit esse illam, quæ non est determinabilis per ulteriores differentias; sed non ultimam appellat eam, quæ in compositis constantibus pluribus formis subordinatis sumitur ab una forma, a quo non sumitur ratio generis, licet non ab omni ejus realitate; & falsum est hoc, non quicquam referre ad hoc, ut dicantur differentiæ includere, vel non includere ens; quia quando sumuntur ab alia forma ab ea, a qua sumitur ratio generis, suscipiunt prædicationem entis in quid, quia ex communi usu loquentium supponunt pro tota, ac integra forma, a qua sumuntur (licet non secundum omnes ejus gradus) quæ est essentialiter ens; cum vero sumuntur ab ultima realitate ejusdem formæ, a qua sumitur ratio generis, tunc supponunt pro illa realitate præcise, quæ formaliter non includit conceptum entis, & ideo in primo casu ens de ipsa differentia effertur in quid, non in secundo, ut declaratum est supra n. 185. Ad aliud negatur eandem esse rationem utriusque differentiæ quantum ad inclusionem, vel exclusionem entis; Ad primam probationem pro exclusione negatur ens ad decem genera contrahi per modos essendi, qui non sunt entia, nunquam enim dixit Doctor, modos, vel differentias ultimas non esse entia absolute loquendo, sed inquit, quod non sunt entia formaliter, & quidditative, ex quo tamen inferre non licet, quod non sint entia absolute loquendo, sicut in divinis, ex eo quod Pater non est formaliter sapientia, non sequitur absolute, quod non sit sapientia, quia est sapientia realiter, & identice, & sic est in proposito de modis; neque Doctor ex eo probavit ens non includi in ultimis differentiis, ne committatur nugatio, sed alio ex capite, unde ipsemet illam rationem solvit ex nugatione deductam, ut diximus n. 190.

216 Ad 2. probationem, jam constat ex dictis ex relato num. 185. quo pacto dicatur ens prædicari essentialiter de differentia non ultima, intantum enim id Doctor affirmat, inquantum ex communi loquentium usu talis differentia supponere solet pro tota forma, unde sumitur, licet non a tota sumatur, sed ab aliquo gradu ejus; unde quia illa forma Physica dicitur essentialiter ens, sic etiam de differentia inde sumpta loquimur, & ideo non sequitur, quod inferebatur. Ad 3. probationem jam diximus etiam differentias intermedias, & subalternas esse ultimas, & non admittere prædicationem entis in quid, quando sumuntur ab eadem forma, a qua sumitur ratio generis, quia tunc ex virtute sermonis nequeunt supponere pro tota illa forma Physica, quæ est essentialiter ens, cum ab ipsa quoque sumatur ratio generis; sed præcise supponunt pro ultima realitate illius formæ ultimatæ simplicitatis, quæ proinde sicut non includit quidditative rationem entis, sic nec differentia inde desumpta dici potest essentialiter ens, & rursus quando differentiæ non ultimæ suscipiunt quidditativam entis prædicationem, hoc utique eis non competit ratione graduum, a quibus desumuntur, quia ut bene concludit argumentum, illi sunt æque simplices, ac gradus, unde sumuntur differentiæ ultimæ, sed talem prædicationem suscipiunt, quia ex virtute sermonis modo explicato n. 185. supponunt pro tota forma, a qua desumuntur, licet non totaliter, seu secundum omnem ejus gradum. Sic pariter respondetur ad primam probationem pro inclusione entis in omnibus differentiis, negatur enim paritas ibi assumpta, quia ut ait Doctor 1. d. 3. q. 3. lit. O. si in homine ponerentur tres animæ, & ab anima intellectiva sola desumeretur rationalitas, tunc rationalitas suscipieret prædicationem entis quidditativam, quia supponeret pro tota anima intellectiva, quæ est essentialiter ens; sed si in homine una sola ponatur anima, a qua secundum diversos gradus sumatur ratio viventis, sentientis, & rationalis, tunc rationalitas non posset supponere pro tota forma, sed præcise pro illo gradu, a quo derivat, & quia ille, cum sit simpliciter simplex, non includit quidditative gradum entis, ideo nec rationalitas ejus quidditativam prædicationem suscipere valeret, & anima rationalis de facto sola existens in homine continens virtualiter vegetativam, ac sensitivam, licet quatenus rationalis non sit nihil, sed sit ens; non tamen est ens quidditative ratione illius gradus præcise, sed quatenus est Physica entitas, & pars compositi physici essentialiter includens rationem entis. Ad Conf. dico rursus differentias intermedias non esse confundendas cum non ultimis in sensu, quo nunc loquimur de non ultimis, quia in isto sensu etiam intermediæ sunt ultimæ, quando sumuntur ab eadem forma, a qua sumitur ratio sui generis, ut est in casu argumenti, in quo nego differentias intermedias sentientis, & viventis includere quidditative rationem entis, quia gradus, unde sumuntur, sunt æque simplices, ac illæ unde sumitur rationalitas (supposito quod in homine una tantum sit anima) unde illæ differentiæ numquam in virtute sermonis supponere possunt pro tota substantia animæ intellectivæ sed præcise pro gradibus, & realitatibus, unde sumuntur, qui quidem gradus dicuntur reales, non quia quidditative ens includant, sed solum realiter, ac identice.

QUÆSTIO VIII.

An præter ens transcendens designandum sit ens completum a modis, ac differentiis perfecte præscindens.

217 Quæstio hæc apud priscos Metaphysicos non invenitur, quamvis enim eorum quamplures in aliis generibus distinctionem hanc gradus completi, & incompleti agnoverint videantur, & præsertim genere substantiæ; differentia enim, seu

seu modus constituens substantiam non est substantia completa, sed incompleta, quæ vero in recta linea illius præpicamenti disponuntur, substantiæ completæ censentur, & sic pariter in aliis prædicamentis; nemo tamen eorum, quem viderim, hanc distinctionem conceptui entis applicuit, ut eum divideret in completum, & incompletum; Recentiores vero Neutrales cum libentissime suscepissent Scoticam opinionem de entis præcisione, & univocatione contra Thomistas tuendam, postquam incidetunt in arduam difficultatem quæstionis præcedentis de præcisione entis etiam a modis, & differentiis, quam secum necessario trahere videbatur asserta entis univocatio, videntes efficaciam rationum pro utraque parte, conati sunt modum adinvenire servandi, ut ajunt, capream, & brassicas, quo nimirum ex una parte salvarent perfectam entis præcisionem nedum a suis inferioribus, sed etiam a contrahentibus scilicet modis, & differentiis, ut Scotistæ docent, & ex alia parte salvarent modos quoque, & differentias illud contrahentes esse quidditative, & essentialiter entiæ, ut volunt Thomistæ. Ut autem hoc assequerentur, præfatam distinctionem gradus completi, & incompleti ex aliis generibus etiam ad ens ipsum transtulerunt, & dixerunt, quod sicut differentia, & modus constituens substantiam non est substantia completa, sed incompleta, hac enim ratione substantia, quæ est generalissimum prædicamenti substantiæ, habere potest differentias, in quibus non includatur, quia genus illud tantum est substantia completa, differentia autem est solum substantia incompleta; ita in proposito dixerunt modos, & differentias ens contrahentes ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, esse quidem essentialiter, ac quidditative entia, non tamen completa, sed incompleta; ens autem completum esse illud dumtaxat, quod ad Deum, creaturam, substantiam, & accidens determinatur, ideo in illis tantum quidditative includi, non autem in modis, vel differentiis illud contrahentibus, unde per ens completum nedum illud intelligunt, quod est undequaque integrum, ac totale, sed etiam sub eo comprehendunt materiam, & formam, aliasque similes partes, solasque differentias excludunt, quia non sunt entia ut quod, vel quid, sed ut quo, vel quale, ex quo constat, ipsos loqui de complemento Metaphysico, non Physico, inter quæ magnum est discrimen, quia ens Physice incompletum potest esse Metaphys. completum, ut constat in allato exemplo de materia, & forma.

218 Juxta quem dicendi modum prima facie, ut verum fatear, omnia bene salvari videntur, & omnes difficultates declinari, quia rationes, quibus Thomistæ impugnare solent univocationem entis, perfectamque ejus præcisionem ab inferioribus, & modis contrahentibus, contra hanc sententiam non procedunt, quia non negant differentias, & modos esse aliquo pacto entia, sed solum negant, esse entia completa, unde gratis concedit ens communissime sumptum, complectendo omnia, quæ sunt, sive completa, sive incompleta, non perfecte præscindere, & sic etiam ens incompletum commune ipsis modis, & differentiis non perfecte præscindere, quia non habet alios modos, vel differentias, per quas ad eos contrahatur, & pariter rationes, quibus Scotistæ propugnant entis univocationem, ejusque præcisionem perfectam ab inferioribus suis, & contrahentibus, non hanc sententiam vexant, quia gratis concedunt ens completum vere univocum esse omnibus rebus, & entibus completis, Deo scilicet, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, non tamen modis, & differentiis, sed ei superaddi differentias, quæ sint entia incompleta, & sic inter ens completum, & ipsas differentias intercedere perfectam præcisionem rationis; ita defendit Albertinus tom. 2. suorum Corollar. princip. 1. philosoph. disputat. 3. quæstion. 5. *secunda sententia*, Blancus disputat. 6. Logic. per totam, & alii nonnulli, a qua sententia nec latum unguem distare puto Scotistas illos citatos numer. 176. qui distinguebant ens quid, & quale, & dicebant ens ut quale, & determinativum includi in differentiis, & modis contrahentibus, non autem ens, ut quid; porro quamvis non omnino iisdem utantur terminis, eorum tamen placitum in relatam coincidit sententiam; Neoterici namque per ens completum illud ipsum intelligunt, quod ab illis Scotistis intelligebatur per ens quid, & ab eo solas differentias, ac modos excluderent, & per incompletum intelligunt illud, quod ab eis significabatur per ens quale, sub quo solas comprehendunt differentias, & modos, & hunc dicendi modum jamdudum docuit Bonetus noster 1. Metaph. capit. 6. assignans duplicem entis acceptionem scilicet determinati, idest completi, & indeterminati idest incompleti, & ens hoc modo sumptum ait includi essentialiter in modis, passionibus, & ultimis differentiis, non autem primo modo.

Opposita sententia docet non dari hanc rationem entis completi diversam ab ente transcendenter, & communissime sumpto, de quo hactenus locuti sumus, quæ communis sit solum inferioribus, quæ sunt entia completa, non autem modis, & differentiis, quæ quidem sententia communis est, passimque recepta non solum apud negantes perfectam præcisionem entis ab inferioribus sicut est Aversa q. 3. de ente in communi sect. 10. sed etiam apud eam admittentes, sicut est Pasqualig. disp. 41. de conceptu entis, & rursus nedum tale ens completum negant, qui etiam in aliis generibus talem distinctionem gradus completi, & incompleti non admittunt, ut Aversa loc. cit. & qu. 13. Log. sect. 5. sed illi quoque qui in aliis determinatis generibus hanc distinctionem admittunt, in præsenti de conceptu entis talem distinctionem nequaquam admittere volunt, ut Suarez disput. 2. Metaph. sect. 5. num. 13. cum tamen in generibus substantiæ, & accidentis eam concedat, disputat. 31. sect. 1. & disputat. 38. sect. 1. & 3.

219 Dicendum est, quod licet in aliquo sensu etiam in ipso ente talis posset admitti distinctio, nequaquam tamen admitti debet in sensu a Neutralibus invento, & excogitato; hanc conclusionem esse de mente Scoti nemo ambigere debet, quia cum Doctor loquitur de univocatione entis, certum est, loqui de communissimo conceptu entis talis, quem mens nostra abstrahere potest, & non solum, ut est commune Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, sed etiam modis, & passionibus suis, ac ultimis rerum differentiis, & ad omnia prorsus intelligibilia, ut videre est loc. cit. 1. dist. 3. qu. 3. §. *ad quæst. igitur*, ubi concludit esse quidem univocum respectu omnium illorum, non tamen de omnibus univoce dictum, & in quid, quia non sic dicitur de suis modis, passionibus, ac ultimis differentiis, & inferius §. *contra istam univocationem*, concedit hoc ipsum ens essentialiter includi in differentiis non ultimis, signum evidens non loqui de ente completo, quia hoc modo nulla prorsus differentia sive ultima, sive non ultima est ens completum; Et quidem in hoc eodem sensu de ente loquuntur Thomistæ, cum negant ejus univocationem, perfectamque ab inferioribus præcisionem; unde Recentioribus istis illud contingit, quod Neutralibus regulariter evenit, qui nulli partium grati sunt, eorum namque inventum nec apud Scotistas, nec apud Thomistas gratiam ullam potuit invenire, eo quia non respondent quæsito in sensu, quo ab ipsis mota est hæc controversia, & eorum distinctio de ente completo, & incompleto palam excogitata putatur ad evitandas difficultates, & pondus rationum pro utraque parte. Solet autem hæc conclusio pluribus rationibus probari, & quidem ut plurimum inutilibus, & ineptis; quas tamen omnes, & singulas reprobare non intendo, quia nullam temporis particulam magis dilapidatam censeo, quam quæ impenditur in reiiciendis aliorum rationibus, qui nobiscum in conclusione conveniunt; quisque enim suas in medium rationes proferre debet, dum aliæ non videntur ei convincentes; non inficior tamen interdum non juvare aliorum rationes ad trutinam evocare, hoc enim aliquando, & juvat, & opus est, & Doctor etiam noster non semel sic procedit; sed eorum consuetudinem damnare intendo, qui totam fere quæstionem contexunt in impugnandis aliorum rationibus, & tandem ipsi unam, vel alteram ex suo pœnu afferunt rationem, quæ pejor est omnibus ab ipsis impugnatis; aliquas igitur rationes ab aliis allatas ad conclusionem probandam referam, & reiiciam, alias vero minoris momenti quisque prolibito poterit videre ab Aversa impugnatas loc. citat,

220 Primo itaque Fonseca 4. Metaph. cap. 2. qu. 1. sect. 4. reiicit hoc ens completum, quia hoc utique deberet esse commune substantiæ, & accidenti, absoluto, & respectivo; at hoc tale esse non potest, quia non videtur dari posse medium inter esse per se, & esse in alio, inter esse ad se, & esse ad aliud, hæc namque vel contradictoria sunt, vel saltem contradictoria inferunt scilicet esse per se, & non esse per se, ad aliud, & non esse ad aliud; Hæc ratio a nobis reiicienda est, nedum quia conclusionem positam non recte probat, sed præcipue quia destruit unitatem, & præcisionem conceptus entis transcendentis in superioribus sancitam; hoc enim est argumentum, quo Aureolus impugnabat eam unitatem, relatum, & solutum ab initio disp. hujus n. 14. ubi ostendimus nihil prorsus concludere, quia hoc est proprium cujuscumque gradus communis, & superioris ad plura, quod abstrahat a modis, & differentiis oppositis contrahentibus, licet a parte rei, & in esse, ut ajunt, subjectivo semper cum alterutra illarum debeat reperiri; sicut ergo ibi diximus conceptum entis transcendentis præscindere ab esse per se, ac esse in alio, ab absoluto, & respectivo, sive ab esse ad se, ac esse ad aliud, sic in proposito de hoc ente completo responderi posset, & falsum est isthæc contradictorie opponi, cum ambo extrema sint positiva, & ut notavit Canon, noster ibi relatus, quamvis esse per se inferat non esse in alio, & esse ad se non esse ad aliud, non propterea simplices illæ negationes constituunt rationem substantiæ, vel absoluti, sed affirmationes, ad quas sequitur, quia nec substantia, nec accidens, nec absolutum, vel respectivum constituuntur in esse per puras negationes, sed per modos, ac differentias positivas, & ideo quamvis ens in communi in statu abstractionis dicatur non esse per se, & pariter non esse in alio, non esse ad se, nec esse ad aliud, non id circo dici debet substantia, vel accidens, absolutum, vel respectivum, quia hæc omnia quid amplius dicunt præter illas negationes.

221 Secundo probat Suarez loc. cit. quibusdam rationibus, quarum potissimam inquit esse istam; Quia si daretur hoc ens completum commune substantiæ, & accidenti, deberet esse quoque commune entibus incompletis in genere substantiæ; probatur consequentia, quia entia incompleta de genere substantiæ excedunt a toto genere in perfectione entia ipsa completa de prædicamento accidentis, nam materia prima perfectior est, magisq; habet de entitate quam quantitas, & forma substantialis magis, quam qualitas, & pariter perfeitas, ac rationalitas, prout est differentia substantialis, perfectior est, quam quodlibet accidens; ergo ens prout est commune ad substantiam, & accidentia, multo magis commune est ad substantias incompletas. Sed & hæc quoque ratio claudicat, quia aliud est loqui de complemento physic. & perfectione entitativa, aliud de complemento metaphys. de quo præcise loquuntur assertores entis completi: licet enim primo sensu materia, forma, & differentiæ omnes prædicamenti substantiæ perfectiores sint in entitate, quam accidentia a toto genere, adhuc tamen in posteriori sensu verum est, accidentia esse entia magis completa Metaphysice, quia intra seriem proprii prædicamenti habet perfectum modum essendi, & se habent in illo, ut quod, directeque in recta linea collocantur, & nulli alteri adjacent ejusdem prædicamenti, quod non competit differentiis substantiæ in proprio prædicamento substantiæ; Et ut bene adnotavit Aversa cit. etiam ipse Suarez disput. 33. section. 1. num. 22. concedit aliquam substantiam incompletam perfectiorem esse aliqua completa, ut anima perfectior est lapide, & nihilominus substantiam completam dicit esse univoce communem substantiis omnibus completis etiam anima imperfectioribus, non tamen ipsi animæ, quare etiam juxta ejus principia hæc ratio non concludit.

222 Tertio probat Aversa loc. citat quia prorsus non apparet, quo pacto ens dicatur quid completum, & esse per se, ac in alio, sive perfeitas, & inalietas dicantur entia incompleta; nec apparet quo pacto in substantia designari valeant duæ rationes cum perfecta distinctione rationis, una quæ dicatur ratio entis completi, altera, quæ dicatur ratio entis incompleti, quinimo ipsa perfeitas dicit adæquate totam rationem, & entitatem substantiæ, dicit enim esse ens, & esse per se, unde substantia, & perfeitas se habent sicut concretum, & abstractum, ens, & entitas, Deus, & deitas, non enim differunt in re significata, sed in modo dumtaxat significandi magis, vel minus expresso. Hæc ratio falsis principiis totaliter innititur, fuse enim supra demonstratum est rationem entis in communi a rationibus perfeitatis, & inalietatis perfecte præscindere, quia entitas reperitur ubi non est perfeitas, ut in accidente, & ubi non est inalietas, ut in substantia, & ideo falsum est perfeitatem, ut sic, adæquate dicere totam rationem, & entitatem substantiæ, quia tunc substantia se tota distingueretur ab accidente, cum in ratione perfeitatis nullo pacto cum eo conveniat, quod tamen est falsum, quia cum eo convenit in ratione entis, & sic aliquo sui convenit, & aliquo differt. Unde tandem falsum est, substantiam, & perfeitatem se habere ut concretum, & abstractum, quia illa duo non differunt tantum in modo significandi, sed etiam in re, seu in conceptu significato, non enim sola perfeitas constituit substantiam, sicut nec sola inalietas constituit accidens, sed copulata, & conjuncta cum conceptu entis, velut concepsus proprii cum communi, ut satis liquet ex dictis in superioribus.

223 Quarto probat Pasqualig. loc. cit. sect. 2. ens completum præscindens ab omnibus inferioribus, non potest esse completum in alio genere, quam in genere entis, si enim esset completum in aliquo alio genere, non esset amplius ens præcisum, sed tale ens, ergo non potest dari ens completum præcisum ab inferioribus, quod sit aliquo pacto diversum ab ente transcendenti communissime sumpto, assumptum de se patet; Consequentia probatur, quia ut ens sit completum in ratione entis, ex vi talis complementi nequit aliquid aliud dicere, vel addere supra ipsam formalem rationem entis transcendentis, nam si aliquid aliud addit, jam non amplius erit ens, ut sic, ab inferioribus præcisum, sed ens contractum ad determinatum genus, hæc breviter, & in substantia est ratio Pasqual. quam ibi more suo fuse prosequitur, & adhuc magis declarat in hoc ejus efficaciam consistere nu. 7. Sed facile etiam, ut arbitror, assertores entis completi huic occurrerent argumento, nam per ens, communissime sumptum, quod immediate, & adæquate a nihilo contradistinguitur, intelligunt illud, quod omnia prorsus entia sub se complectitur, sive sint completa, sive incompleta, & hoc ut diximus in recitanda eorum opinione, ajunt ab illis non perfecte præscindere, & ideo cum ejus non agnoscant perfectam præcisionem, nec etiam admittent perfectam contractionem ad completum, & incompletum per modum compositionis, vel additionis, ut argumentum intendere videtur, sed per modum solius explicationis, vel expressionis conceptus; Præterea dicent, quod cum ens communissime sumptum contrahitur ad completum, & incompletum, non propterea constituitur ens in determinato genere substantiæ, vel accidentis, quia est quædam contractio, quæ non exit extra genus entis ad diversas species sub ente constituendas, sed adhuc remanet intra sphæram entis, ut sic, quia sit per quidditativum, & qualitativum, quæ entia non distinguuntur, nisi per discrimen completi, & incompleti, completum autem, & incompletum intra idem genus, licet differant secundum magis, & minus, non tamen differunt essentialiter. Vel tandem si rationes quidditativi, & qualitativi sunt inter se essentialiter diversæ, ut nonnulli ex illis concedere videntur, dicent rationem entis a nihilo adæquate contradistincti per rationem quidditativi contrahi ad constituendum ens completum, & per rationem qualitativi contrahi ad ens incompletum, & rationem quidditativi secum afferre complementum metaphysicum superius declaratum, rationem vero qualitativi defectum, quia ens, quod constituit, facit alteri adjacere in genere entis, quod in eo genere defectum importat; unde gratis concedent ens completum non importare conceptum entis, ut sic in tota sua amplitudine, ut contra distinguitur a nihilo, sed ens determinatum ad illud, quod est commune omnibus entibus completis, per rationem quidditativi, & juxta hanc ultimam solutionem tota vis illius argumenti mihi exhausta videtur, nisi aliunde fulciatur.

224 Quinto itaque cum hic dicendi modus non differat, ut diximus, ab opinione illorum Scotistarum, qui ut salvarent modos entis, ac ultimas differentias includere essentialiter ens, distinguebant de ente quid, & quali, reiiciendus est eisdem rationibus quas adhibuimus num. 182. contra illos, parum vel nihil immutatis, & summa consistit in hoc, quod ista distinctio entis completi, & incompleti nihil prorsus juvat ad evitandas difficultates, ob quarum evasionem excogitata fuit, immo easdem omnino incurrunt eius Auctores quibus subjacent negantes talem distinctionem; Probatur hoc assumptum. Nam admissa tali distinctione entis completi, & incompleti, cum hoc non secus, ac illud sit in rerum natura citra quodcumque opus intellectus, concedere oportebit ens communissime sumptum, ad entia completa, & incompleta, quod adæquate distinguatur contra nihil, & præscindat, ut sic, ab ente completo, & incompleto, & tunc redit difficultas, quomodo conceptus ille superior ad hæc inferiora contrahi debeat, & num modus contrahens ens communissime sumptum includat illud intrinsece, nec ne, nam si non includit, nihil erit; si includit, vel dabitur processus in infinitum, ut Scotus urgebat, vel idem dici poterat de ente transcendente sumpto absque distinctione entis completi, & incompleti. Tum quia sic ascendendo geminari oportebit in infinitum præfatam distinctionem entis completi, & incompleti, quia cum illa ipsa ratio entis præscindentis a completo, & incompleto cogitetur contrahi per modos completionis, & incompletionis; rursus ad hanc contractionem declarandam, & præcisionem entis communissime sumpti ab his modis, recurrere opus erit ad ens completum, & incompletum, quia illi modi completionis, & incompletionis erunt entia incompleta, & qualitativa; & species entis per ipsos constituræ erunt entia completa, & quidditativa, unde & ens incompletum, quod erat altera species entis communissime sumpti, debebit dici ens completum, ut distinguitur a modo incompletionis; per quem constituitur, eo pacto quo substantia dicitur ens completum, ut distinguitur a perfeitate, per quam constituitur; ac ipsum quoque ens communissime sumptum, quod a completo, & incompleto præscindere dicebatur, dici debebit completum, quia concipitur per modum conceptus contrahibilis, & quidditativi, non autem contrahentis, & qualitativi.

Rursus sicut ens completum ponitur univocum ad omnia entia completa, ita a pari etiam incompletum ad incompleta omnia erit univocum, & hic rursus redeunt difficultates, quo pacto unumquodque ad sua debeat descendere inferiora, & num quidditative includatur in suis contrahentibus, & quia ens incompletum concipitur per modum prædicati quidditativi respectu inferiorum suorum, hac ratione dici debebit ens completum, quia respectu suorum inferiorum est ens metaphysice completum, non secus ac illud, quod ex opposito ponitur completum respectu suorum; Quod si ad has angustias declinandas dicant, ut de facto respondent, ens communissime sumptum complectendo entia tam completa, quam incompleta, non perfecte præscindere, & sic etiam ens incompletum commune ipsis modis, ac differentiis non perfecte præscindere, quia non habet alias differentias, per quas ad eas contrahatur; convinci poterunt rationibus Scoticis, quibus supra probavimus præcisionem conceptus entis a finito, & infinito, ipsi namque eas recipiunt, & illis captivati fatentur præcisionem, & unitatem conceptus entis ad finitum, & infinitum, sed certe si huic proposito applicentur, non minus probabunt perfectam præcisionem conceptus entis a completo, & incompleto (hac distinctione admissa) & rursus entis completi ab omnibus completis, & incompleti ab incompletis, quam probent præcisionem ejus a finito, ac infinito, & si dicant differentias illas intra rationem entis incompleti se totis differre, & non per aliquid superadditum, ut in eis detur status, tenentur reddere rationem, cur ab initio id dici non potuerit de modis ipsius entis, ut sic, intra rationem entis transcendentis absque alia distinctione entis completi, & incompleti.

225 Sexto ulterius hoc ens completum, ut ponitur a Recentioribus distinctum ab ente transcendenti, reiicitur a priori, quia non satis explicari potest quid importet hoc complementum, quod enti transcendenti, ut est commune omnibus per se intelligibilibus, convenire nequeat; si enim sermo sit de physico complemento, hoc non est ad rem, neque de hoc ipsi loquuntur, cum certum sit etiam apud ipsos ens, quod ipsi completum vocant, dici de materia, & forma, quæ sunt physice incompleta, si vero sermo est de Metaphysico complemento, hoc rursus potest dupliciter explicari, vel ita quod illud dicatur Metaphysice completum; quod constituitur ex pluribus gradibus, & respectu illius incompleta dicantur illa, quæ tamquam partes sunt constitutivæ ejus, sumendo tam genus, quam differentiam, itaut ens completum accipiatur pro gradu totali, & incompletum pro partiali; & neque in hoc sensu ens dici potest completum, & differentiæ incompletæ, cum ens non dicat totam essentiam compositi metaphysici, vel ita explicari potest metaphysicum complementum, ut ille dicatur gradus completus, qui prædicatur in quid, & se habet ad modum per se stantis, quo pacto prædicantur genera, & species in recta linea prædicamentali collocata, gradus vere incompletus, qui se habet ad modum adjacentis, & prædicatur in quale, quo pacto prædicantur differentiæ a latere collocatæ, quo quidem sensu videntur Recentiores in proposito loqui de metaphysico complemento, ut diximus ab initio quæstionis, & sane in hoc sensu ens transcendens, de quo hactenus locuti sumus, & adæquate contradistinguitur a nihilo, & ab ente rationis, est metaphysice completum, quia prædicatur in quid de suis inferioribus, & quamvis apud Scotum non ita prædicetur

zetur de suis modis, passionibus, ac ultimis differentiis, ita tamen prædicatur etiam de istis in sententia horum Recentiorum; ergo nullatenus evitare possunt, quominus ens transcendenter sumptum, ut est commune omnibus per se intelligibilibus, dicatur metaphysice completum. Confirmatur quia juxta explicationem ipsorum Adversariorum, differentiæ solum ab hoc complemento excluduntur, sed ens transcendenter sumptum respectu omnium per se intelligibilium rationem differentiæ non habet; ergo ab *hoc complemento*, de quo ipsi loquuntur, excludi minime potest, cum ergo tali complemento non careat, vana est illa distinctio de ente completo, & incompleto in sensu ab *eis intento*.

226 Postremo, ut declaremus quo sensu possit admitti distinctio entis completi, & incompleti, recolendum est qu. præcedenti, quod licet ens, ut sic, ob suam maximam communitatem omnia prorsus intelligibilia transcendat, & in omnibus imbibatur, non tamen eodem modo imbibitur in omnibus, nam in iis, quæ proprie respicit, ut inferiora, imbibitur quidditative, & in eorum essentiali conceptu includitur, ut in Deo, creatura, substantia, & accidente; sed in his, quæ respicit lateraliter, ut sunt ejus modi, ac differentiæ, vel respicit convertibiliter, ut sunt ejus passiones, imbibitur tantum realiter, & identice. Quia igitur perfectiori modo, & potiori jure sunt entia, quæ directe, & formaliter includunt in suo essentiali conceptu rationem entis, quam illa, quæ dicuntur entia identice tantum, & realiter, idcirco illa dici possunt entia completa, ista vero incompleta; in hoc igitur sensu admitti potest distinctio *illa entis completi*, & incompleti, adeoque tam ens completum, quam incompletum dicunt eandem rationem formalem entis, sed diverso modo participatam, nam perfecte participatur ab ente completo, & imperfecte ab incompleto, unde denominatio completi, & incompleti non ex parte ipsius entis attendi debet, quæ semper una, & eadem est sed ex parte inferiorum, quibus communicatur, & modo, quo eis communicatur; cum enim eis communicatur quidditative, & essentialiter dicitur ens completum, cum vero communicatur eis realiter tantum, ac identice, dicitur incompletum; Et in hoc quoque sensu, & non aliter intelligi debet eadem distinctio, cum gradus prædicamentales inter se distingui solent per discrimen completi, & incompleti, ut nimirum substantia completa dicatur, quæ in suo formali, & quidditativo conceptu rationem substantiæ includit, illa vero incompleta, quæ solum dicitur substantia identice, & realiter, quales sunt differentiæ substantiales, & sic de *aliis prædicamentis*, ut magis mox explicabitur.

227 In Contrarium obiicitur primo fundamentum ab initio quæsiti infinuatum, quod in prædicamento substantiæ datur substantia completa, quæ est supremum genus illius prædicamenti perfecte præscindens a suis differentiis, & datur substantia incompleta, quæ in eis intrinsece includitur, alioquin salvari non posset differentias substantiæ esse substantias, & adhuc genus substantiæ esse extra conceptum illarum, & sic pariter alia prædicamenta disponuntur per gradus completos, & incompletos; ergo pariter de ente dicendum est, alioquin salvari non posset modos entis esse aliquid in rerum natura, nec tamen includere rationem entis, quam contrahunt.

Respondent aliqui concesso antecedente, negando adhuc consequentiam, & negando paritatem de ente transcendenti, & aliis gradibus prædicamentalibus, conanturque reddere disparitatis rationem, quorum responsiones, & disparitates optime confutat Averſa *loc. citat. non* enim reddi potest disparitatis ratio, quæ minimum urgeat, nam si in aliis generibus entis assignentur gradus perfecte præscindentes, qui a differentiis distingui dicantur per discrimen completi, & incompleti, pari ratione, & eodem modo, ut ait Averſa, debebit talis distinctio, & perfecta præcisio admitti in ente respectu suorum inferiorum, ac differentiarum, itaque concessa paritate dicendum est etiam in substantia, & aliis generibus admitti posse præfatam distinctionem completi, & incompleti, itaut differentiæ prædicamenti substantiæ dicantur substantiæ incompletæ, genera vero, & species substantiæ completæ, non tamen in sensu, qui intenditur in argumento, nam in eo sensu patitur omnes impugnationes, quas fecimus contra distinctionem entis completi, & incompleti numer. 224. & 225. ut per eas discurrenti patebit, sed solum admitti potest in sensu a nobis explicato num. 226. neque eo pacto, quo innuitur in argumento, salvandam esse præcisionem perfectam generis substantiæ a suis differentiis, & simul earundem substantialitatem, jamdudum ostendimus disput. 5. Logic. qu. 3. artic. 3. ad 3. princip. quia ut etiam notavit Canon. 1. Physicor. quæstion. 7. art. 2. si dicatur, differentia substantiæ esse quidditative substantia, non quidem sumendo substantiam pro substantia, quæ est apex in prædicamento, & dicitur substantia completa; sed esse substantiam late sumpto nomine substantiæ, prout distinguitur ab accidente, sic enim comprehendit tam substantias completas, quam incompletas, si, inquam, ita dicatur, non satisfacit, quia eadem recurrit difficultas de illo conceptu substantiæ, ut etiam comprehendit incompletas, nam & substantia, ut sic, dividi potest per spiritualem, ut est anima, & corpoream, ut alia quælibet forma substantialis, respectu quarum non ita esset analoga, ut excluderet rationem generis univoci: tutius ergo quæri poterit de modis, vel differentiis substantiam illam adhuc communius sumptam contrahentibus, an sint substantiæ, nec ne & quomodo, nec unquam difficultati satisfiet, nisi dicendo esse utique substantiales, non quia involvant essentialiter rationem substantiæ, sed quia esse substantiale recipiunt a ratione substantiæ, quam coarctant per identitatem cum ea, & hac præcise ratione dicuntur substantiæ incompletæ, *non aliter*, nec in alio sensu, & sic pariter dicendum de differentiis in aliis generibus proportione servata.

228 *Dices*, explicando substantiam completam, & incompletam in hoc sensu, materia, & forma essent substantiæ completæ, quia includunt quidditative in suo conceptu rationem substantiæ, ut distinguitur contra accidens, atque ideo directe in prædicamento collocari deberent, cujus oppositum in Logica, & Physica docuimus; Resp. ita dicendum esse in rei veritate, posseque ita disponi prædicamentum substantiæ, ut eis apex sit substantia abstrahens a completa, & incompleta, cum talis conceptus non sit transcendens, sed finitus, & limitatus, atque ita notavimus disput. 7. Logic. quæst. 1. ar. 1. ad 2. prin. solent autem dici materia, & forma substantiæ incompletæ Physice, quatenus sunt partes compositi Physici, & solent a recta linea prædicamentali substantiæ excludi, quia juxta structuram, quam nobis reliquit Aristoteles illius prædicamenti, solæ substantiæ finitæ, & completæ in ea serie collocantur; & sola substantia finita, & completa est illius prædicamenti supremum genus, ut nos quoque loc. citat. docuimus; sicut enim ab eo illius cathegoriæ structuram accipimus, ita ejus testimonio stare debemus quoad ejus generalissimum constituendum; absolute tamen, & simpliciter loquendo alio modo construi potest substantiæ prædicamentum, itaut sub se comprehendat tam substantias completas, quam incompletas, ut ibi dictum est.

Secundo arguunt ad idem, eo quia potest concipi tota ratio convenientiæ secundum essentiam entis completi, in qua conveniunt Deus, & creatura, substantia, & accidens, quæ sunt entia completa, & ita præscindi, ut non imbibitur in rationibus inferioribus contrahentibus, quæ sunt entia incompleta, ut sunt finitas, & infinitas, perfeitas, & inalietas, omnia enim entia *completa in hoc conveniunt*, quod sint entia completa; unde potest abstrahi ratio convenientiæ, differentiæ vero entis completi non sunt hujusmodi, cum non participent rationem *entis completi*, cum igitur ratio entis completi non imbibatur in differentiis inferiorum, optime poterit a suis inferioribus adæquate præscindere, tota enim ratio, cur non posset præscindere, esset, quia imbiberetur in differentiis, quemadmodum imbibitur ratio entis transcendentis communissime sumpti; ita arguit Albertinus loc. cit.

229 Resp. cogitari posse illam convenientiam entium completorum inter se, quatenus omnia intrinsece, & quidditative participant rationem entis, quo pacto non participatur ab entibus incompletis; hoc tamen non infert, aliam esse rationem entis completi, quæ descendit in Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, & aliam entis incompleti, quæ descendat in finitatem, & infinitatem, perfeitatem, & inalietatem, quia ens *dicit* unam, & *eandem indivisibilem* rationem respectu omnium, sed tantum infert esse diverso modo participatam ab illis illam eandem entis rationem; unde istud complementum, & *incomplementum* non ex parte entis cogitari debet, cujus ratio una est, ac indivisibilis, & respectu omnium unum, & eundem effectum formalem præstare debet, idest vel formaliter, & quidditative, vel saltem realiter, & identice communicare esse, seu rationem essendi, sed ex parte participantium rationem entis complete, & incomplete, & ideo cum ista diversitas ex parte inferiorum, & participantium ens procedat, non vero ex parte ipsius entis, consequenter nullam divisionem, vel distinctionem in ipsa ratione entis inferre potest, ut alia sit ratio entis completi, & alia incompleti, ut argumentum concludere intendit, sed tantum in modo, quo participatur ab *eis*; Preterea falsum est, quod etiam in argumento addebatur, totam rationem, cur ens completum præscindere non posset, esse, quia imbiberetur *in differentiis inferiorum*; Nam ut diximus qu. 3. per totam, sed præcipue n. 50. parum refert ad perfectam præcisionem conceptus abstrahibilis, quod includatur in differentiis contrahentibus, vel non, sed sufficit, quod differentiæ contrahentes non includantur in illo, eo enim ipso conceptus ille intelligitur ab illis præscindere.

230 Tertio tandem, quia vere sunt quædam entia completa, nempe genera, & species, quædam incompleta, nempe differentiæ; concedi ergo debet ens completum commune omnibus entibus completis, & præscindens a differentiis, tanquam ab entibus incompletis; Insuper in coordinatione prædicamentorum disponuntur in recta linea tantum illa, quæ sunt completa in eo genere, differentiæ autem collocantur a latere, sed ens est illud, quod dividitur in genera prædicamentalia; ergo *hoc dici* debet ens completum, directe quidem complectens ipsa genera, non autem differentias.

Resp. quamvis Logicus disponendo coordinationem prædicamentorum illa dicat entia completa, quæ accipiuntur per modum totius, quia sic apta sunt ad prædicationem, & illa incompleta, quæ accipiuntur per modum partis, ideoque ad prædicationem inepta sunt, ut diximus disputat. 6. Logic. quæst. 3. artic. 1. Tamen apud Metaph. qui potius attendit modum essendi, quam prædicandi naturarum, non ex modo prædicandi, sed ex modo essendi, & participandi rationem entis, ista distinctio desumi debet, ut explicavimus n. 226. unde Metaphysicus naturas genericas, & specificas entia completa vocat, quia intrinsece, & essentialiter includun t rationem entis, differentias vero appellat incompleta, quia illam non participant nisi

nisi realiter, & identice, quod est participare rationem entis imperfecte, & incomplete; Sed sive Logice, sive Metaphysice hanc distinctionem explicemus, numquam concludi potest, quod detur ens completum distinctum ab ente transcendenti, quia Logice loquendo ens transcendens debet dici completum, quia accipitur per modum totius, & in quid prædicatur de suis inferioribus, & rursus si de ente completo loqui velimus Metaphysice, nec etiam bene deducitur, quod sit quidam conceptus communis ab ente transcendenti distinctus, sed est idem prorsus conceptus entis, qui ex modo perfecto, vel imperfecto, quo ab inferioribus participatur, denominationem suscipit completi, & incompleti juxta explicationem datam num. 226.

QUÆSTIO IX.

An detur ens abstrahens ab ente reali, & rationis, positivo, & negativo.

231 QUamvis in cæteris scholis opinio vulgata, & omnium fere communi calculo firmata ferat ens, ut sic, mere æquivoce dici de ente reali, & rationis, itaut non *detur ullo pacto* aliquid abstrahens ab utroque, sed solum nomen entis significans ens reale conveniat enti rationis, nihilominus in schola nostra non defuit, qui oppositum, ut verum, tenuerit in sententia Scoti, vel saltem, ut probabile, ita docuit ex professo Bonet. Scot. acutissimus 1. suæ Met. cap. 6. §. *ens autem inquantum ens*, & Bargius 1. dist. 29. inquit saltem problematice hoc posse defendi in via Scoti, quia apud Doctorem hoc fuit problema, cum variis in locis modo in unam, modo in aliam declinet partem, immo ait, Doctorem reportatis Parisiensibus 1. dist. 29. viam præbere utramque defendendi partem, quamvis ibi magis ad univocationem declinare videatur; hinc non recte Meurisf. lib. 1. suæ Metaph. quæst. 2. dixit, nullum Scotistam usquam hanc tradidisse doctrinam de univocatione entis, ut sic, ad ens reale, & rationis; Alii vero, quamvis hoc assertum universaliter non defendant, adhuc tamen existimant, ut refert Suarez disp. 47. Metaph. sec. 3. num. 2. aliqua saltem entia rei, ac entia *rationis univoce convenire*, nimirum relationes reales, & relationes rationis, ad quas docent genus prædicamenti ad aliquid esse sinonymum, pro qua sententia refertur S. Thomas p. 1. qu. 28. art. 1. & 2. qu. 13. art. 7. & quolibet. 1. art. 2. quibus in locis Cajet. expresse sentit ipsum *esse ad*, univoce dici de relatione reali, & rationis; quod etiam docent Capreolus 1. d. 33. qu. 1. & Soncin. 5. Metaph. q. 26. conc. 2. & alii quamplures ex ea schola.

232 Alii tandem, quamvis nullo pacto id asserant de ente reali, & rationis, nec in tota eorum universitate, nec respectu quorundam entium, quia re vera ens rationis non simpliciter est, sed potius putatur esse, quia tamen a parte rei nullo cogitante intellectu dantur quædam privationes, & negationes, ut cæcitas *in oculo*, tenebra in aere, quæ proinde appellant entia realia negativa, consequenter affirmant dari conceptum entis univocum abstrahentem a positivo, & negativo, pro qua opinione refert Pasqualig. tom. 1. Met. disp. 26. sect. 1. Ægid. 2. d. 34. q. 1. ar. 3. ad 4. Tromb. 12. Met. qu. 6. Jo: Can. 1. Phys. qu. 14. art. 1. (apud quos tamen Scotistas loc. cit. expresse hoc non invenitur, sed solum negationes, & privationes appellant entia realia negativa, non specificando an ens sit commune univocum ad positivum, & privativum) Conimb. eodem lib. cap. 9. qu. 7. art. 1. Ruv. tract. 3. q. 1. in quam opinionem nos quoque *descendere* debere quis suspicabitur ob explicationem a nobis asquam univoce diximus competere materiæ, formæ, & privationi. Opposita tamen *sententia* est communis in omni schola docens non dari conceptum entis præcisum ab ente reali, & rationis, positivo, & negativo, atque ideo esse æquivocum, ad cin. 4. Metaph. quæst. 5. Javell. 1. Metaph q. 1. Bannes 1. p. q. 28. art. 1. an potius æquivocum analogum, ut alii.

ARTICULUS I.

Nonnulla de ente rationis recoluntur ex Logica.

NEquit propositæ Controversiæ exacta haberi resolutio, nisi agnita prius entis rationis essentia, & quidditate, ut ab nis cognitionem in Logica præmiserim disput. 3. ubi de ipso agitur ex instituto, aliqua tamen inde huc revocare censui ad *melius percipiendum* statum propositi quæsiti, quod etiam lubentius facio, ut quædam ibi dicta defendam ab impugnationibus Poncii, cum hic sit opportunus locus loquendi de ente ra-

233 Primo supponendum est ex dictis disp. 3. cit. qu. 1. contra nonnullos, in omni schola ens rationis admitti debere, capiendo ens rationis pro eo, quod *solum habet esse objective* in intellectu non aliter, nec alio modo; ita quoad omne suum esse, sive essentiæ, sive existentiæ, sive actuale, sive possibile pendeat ex consideratione intellectus, quatenus si existit, *non* nisi per opus intellectus existit, & si potest existere, hoc ideo dicitur, quia intellectus potest illud efformare, quod ibi suffi-

cienter probatum manet, ac etiam satis lapide probant ad hominem recentes quidam, nam negantes entia rationis, aut illa cognoscunt, dum negant, vel non cognoscunt, non secundum, quia tunc omnino irrationabiliter ea negarent, quia de objecto ignoto judicium fieri non potest, si cognoscunt, ergo habent illud esse objectivum, quod nos prætendimus. Nedum autem istam conclusionem ibi probavimus, sed & omnes difficultates contra eam urgentes diluimus, inter quas præcipua erat illa. Quicquid intelligitur, prius est intelligibile, quam intelligatur, quia actus secundus supponit actum primum; sed si daretur ens rationis, non esset prius intelligibile, quam intellectum, ergo *non datur*. Probatur minor, quia omne, quod est, antequam intelligatur, est ens reale. Cui difficultati satisfactum est ibi ad 3. Conf. primi prin. quod re vera loquendo de ente rationis secundum suum esse formale, & actuale, *non prius* habet esse intelligibile, quam intellectum, quia in ente rationis ita considerato potentia ad intelligi non antecedit actum, cum actu intelligi, & cognosci sit veluti de essentia entis rationis, quemadmodum in Deo potentia ad existendum non absolute dicitur præcedere actum existendi, quia actualis existentia est de essentia Dei, est enim regula, quod quando actus est de essentia rei, tunc in illa re potentia non dicitur actum antecedere; addidi autem ibi, ex hoc inferri non posse absolute loquendo ens rationis nullo modo esse cognoscibile, antequam cognoscatur, nec quoad hoc in ipso actum secundum ab actu primo secerni posse; sed tantum, quod non sit prius in se, idest secundum suum esse formale, & actuale (licet ibi particula *in se*, in quibusdam *originalibus ex errore præli deficiat*) *cognoscibile*, quam cognoscatur, quia saltem virtualiter in suis causis potest dici prius intelligibile, quam intellectum, immo etiam, & in aliquo sensu formaliter, & actualiter, quorum utrumque postea explico, nam paulo infra in solutione ad 2. princ. ad 2. ejus argumenti confirmationem, dico, entia rationis esse intelligibilia, antequam intelligantur, non quidem formaliter, sed virtualiter, ad quod non est necesse, ut præcedant opus intellectus secundum aliquod esse proprium, sed sufficit si in re præcedat fundamentum, qualecumque illud sit, & in intellectu potentia, & virtus intelligendi, unde esse intelligibile in entibus rationis non est aliquod intrinsecum, ut in entibus realibus, sed potius est denominatio extrinseca a potentia intellectiva procedens, quatenus, quæ non sunt, nec esse possunt, concipere potest ad modum entis.

Deinde qu. 2. art. 2. ad 1. prin. explico, quo pacto ens rationis etiam quoad suum esse formale, & actuale *dici* queat habere esse intelligibile, quam intellectum, explico autem distinguendo de duplici cognitione entis rationis, una directa, altera quasi reflexa ex Doctore 2. d. 1. q. 1. & d. 1. q. 3. B. prima est, qua fingitur, & accipit suum esse ens rationis, qua ratione Doctor 6. Met. q. 2. ad 1. arg. vocat eam cognitionem practicam, quia per eam practice, & in actu exercito versatur intellectus circa ens rationis fingendo, quod non est, ac si esset; altera vero dicitur speculativa, quia per eam veluti in actu signato consideratur ens rationis jam factum per primam cognitionem, unde in ea habet ens rationis præcise rationem objecti, non effectus, quia igitur per secundam cognitionem non recipit esse, sed ei supponitur, ut unum de numero intelligibilium, ut loquitur Doctor cit. 2. dist. 1. quæstion. 3. B. hac, inquam, ratione dici potest etiam in se, & quoad suum esse actuale, & formale prius habere esse intelligibile, quam intellectum, quia in prima cognitione accipit proprium esse *rationis*, & *intentionale*, quod postea per secundam cognitionem attingitur, sicut est, & quoad prædicata essentialia enti rationis convenientia.

234 Quia vero Complutenses, quoque disp. 2. Log. q. 1. negant & ipsi ens rationis habere prius esse intelligibile, quam intellectum, quia inquiunt actu cognosci esse de essentia entis rationis, & quando actus est de essentia entis, potentia non antecedit actum in tali ente, ut patet in Deo, ubi hac de causa potentia ad existendum actualem ipsam existentiam non antecedit; suspicatur Poncius d. 1. Log. q. 2. me accepisse totam hanc solutionem, & doctrinam a Complut. loc. cit. ideoque me cum illis simul impugnat, & in primis redarguit contradictionis, quia in eodem ipso loco fatemur ens rationis esse cognoscibile, antequam cognoscatur, quæ autem major potest esse contradictio, quam quod ens rationis sit cognoscibile, antequam cognoscatur, & non sit prius cognoscibile, quam cognoscatur, nisi forte sit aliqua differentia ponenda inter *antequam*, & *prius quam*. Deinde probat hoc absolute falsum esse, nam quemadmodum ex eo, quod verum sit dicere hodie, quod Antichristus sit producibilis, & non sit verum dicere, quod sit productus, optime colligitur, quod sit prius producibilis, quam producatur, ita similiter optime colligi potest chimæram esse prius intelligibilem, quam intelligatur ex eo, quod verum sit dicere illam intelligibilem esse jam, licet non intelligeretur actu jam, & hinc postea infert exemplum adductum de existentia Dei non esse ad rem, sed potius ad oppositum, quia pro nullo instanti verum est, quod possit existere Deus, pro quo non sit verum, quod de facto existat; cum ergo verum sit dicere pro hoc instanti, quod ens rationis sit intelligibile, licet pro hoc instanti non intelligeretur, sequitur potius ex *illo* exemplo, quod sit prius intelligibile, quam actu intelligatur. Rursus non minus ait falsum esse actu cognosci esse de essentia entis rationis, nam actu cognosci dicit *formaliter* ipsam cognitionem, per quam cognoscitur ens rationis, ergo non potest esse de essentia alicujus, de cujus essentia non sit actualis illa cognitio, constat autem actualem cognitio-

gnitionem, qua chimæra cognoscitur, non esse de essentia ejus, quia tunc ens reale esset de essentia ejus, & cognitio terminaretur ad seipsam, & in cognitione entis rationis semper interveniret actus reflexus, quo cognosceretur ipsa cognitio. Deinde meam quoque adducit responsionem (quasi non amplius respondeam cum Complutens.) qua dico ens rationis secundum esse fundamentale, prius utique esse intelligibile, quam intellectum, non tamen secundum esse formale, & proprium; & eam impugnat, quia de illo ipso ente rationis formaliter loquendo, quod intelligitur in hoc instanti, verum erat dicere in instanti antecedenti, quod erat intelligibile, & non solum id verum est de fundamento ejus, ut est manifestum, ergo quoad esse etiam formale prius est intelligibile, quam intelligatur. Denique suam subdit solutionem ad propositam difficultatem dicendo, omne intelligibile prius esse, quam intelligatur, quoad esse essentiæ, non autem quoad esse existentiæ, quia de facto ipsamet entia realia sæpe prius intelliguntur, quam existant realiter, & ideo in proposito minime opus esse, quod ens rationis sit prius quoad esse existentiæ, quam intelligatur.

235 His omnibus modo occurrendum est, in primis, quod ait in solutione hujus difficultatis me sequi Complut. ipsemet revocare videtur, dum paulo infra meam adducit responsionem, eamque impugnat, ut in aliquo diversam ab ea Complut. quia re vera mea responsio clarius, & evidentius difficultatem solvit; quamvis autem in eo consentiam cum Complut. quod ens rationis non prius habet esse intelligibile, quam intellectum, & in exemplo quoque, quod adducunt de existentia Dei; non ideo dicendum erat me in hoc secutum esse Complut. sed Doctorem nostrum, quem citavi in illa ipsa quæstione 2. d. 1. quæst. 1. art. 2. diserte docentem entia rationis, & secundas intentiones non prius habere esse in memoria, quam in intelligentia, loquendo de suo esse proprio, & formali, ut per hanc paritatem ostenderet etiam creaturas cognitas in mente divina non prius habere esse intelligibile, quam intellectum; postquam igitur sub lit. G. dixerat lapidem in mente divina non habere prius esse intelligibile, quam intellectum, infra lit. H. declarando ordinem naturæ, qui reperitur inter objectum primarium, & secundarium comparatione divini intellectus, & præcipue secundum naturæ instans ita loquitur, *sequitur secundum instans naturæ, in quo comparatur intellectus, & voluntas divina ad aliud objectum secundarium, & quia in illo instanti objectum illud non est ex se actu intelligibile, sed fit actu intelligibile per intellectum, ideo non habet esse in memoria divina, ut memoria est, sed producitur actu intelligentia in tali esse objecti, sicut in nobis intentiones secundæ producuntur per intellectum, & non sunt in memoria, ut memoria est*, si ergo hæc est doctrina Scoti, & ut talem adduxi in ea quæstione, cur ait me in hoc secutum esse Complutenses, & non potius Complutenses mecum secutos esse Scotum, sane potiori jure dicere quoque poterat distinctionem illam, quam adduxi de duplici cognitione entis rationis, una directa, altera reflexa, adeo necessariam in materia de ente rationis, me accepisse ab Aversa, Blanco, & aliis Neotericis, qui eam in terminis tradunt; Sed memini me sæpius dixisse, & præsertim disput. 9. Phys. num 13. quod cum Scoti Doctrinam, & quæ præsertim in terminis ab ipso traditur, in scriptis Recentiorum invenio, quamvis de more suo doctorem non memorent, eam libenter accipio, ut eorum furta deregam, non enim fur appellandus est, qui interdum doctrina alicujus Auctoris utitur, quem citat, sed furtum est, quando non citat, furari namque est rem alienam accipere invito Domino; non displicuet autem Auctoribus, immo summe gaudent, cum alii eorum utuntur doctrina, sed displicet, quando non citantur, & eorum doctrina adducitur, veluti ex proprio penu, quod est commune vitium Recentiorum, qui paucos citant Auctores, ne citando ansam lectori præbeant faciendi visum, & repertum.

236 Immerito etiam me arguit contradictionis hic Auctor, quasi absque ulla prorsus limitatione, vel declaratione dixerim in ea ipsa solutione ens rationis non prius habere esse intelligibile, quam intellectum; & esse cognoscibile, antequam cognoscatur, quæ est manifesta contradictio; quamvis enim Complut. ita loquantur, non sic ego, ut constat ex ea solutione allata num. 233. sed dico, quod licet ens rationis formaliter, & actualiter consideratum secundum suum esse proprium, non prius habeat esse intelligibile, quam intellectum; tamen adhuc absolute loquendo, potest in aliquo sensu dici cognoscibile antequam cognoscatur, quia scilicet in suis causis, & fundamentaliter consideratum potest dici prius intelligibile, quam intellectum; immo etiam, & aliquo sensu formaliter juxta sensum duplicis allatæ cognitionis directæ, & reflexæ, quam quidem declarationem non afferunt Complut. neque potest ipse hujus meæ declarationis ignorantiam prætendere, quandoquidem eam adducit; si ergo explico non semel, quo sensu dici possit ens rationis prius intelligibile, quam intellectum, & quo sensu non, cur contradictionis redarguor? Cum autem hanc meam explicationem impugnat, quia de ipso etiam esse formali, & proprio loquendo verum est dicere ens rationis prius esse intelligibile, quam intelligatur, nam in ipsomet instanti, quo sic intelligitur, verum est dicere, quod in instanti antecedenti sic erat intelligibile, hæc sane est ipsamet objectio, quæ in ea quæstione adducitur a me pro 2. Conf. secundi argumenti principalis, ubi arguo entia rationis prius habere esse intelligibile, quam intellectum, & prius esse possibile, quam actuale, quia antequam ad modum entium concipiantur, possunt sic concipi, & verum est dicere, antequam concipiantur, esse sic conceptibilia; ecce ipsam ejus objectionem, cui ibi satisfactum est dicendo ad has, & similes locutiones de entibus rationis verificandas opus non esse, quod præcedant opus intellectus secundum aliquod esse proprium, & formale, sed sufficere, si in re fundamentum quoquo modo præcedat, & in intellectu potentia, & virtus ad configendum ens rationis, atque ideo esse intelligibile in entibus rationis, antequam intelligantur, non esse aliquod intrinsecum, ut in entibus realibus, sed puram denominationem extrinsecam desumptam a potentia entis rationis fabricativa. Ex quo deducitur paritatem assumptam de Antichristo producibili, & nondum producto, non esse omni ex parte adaptatam, quia ejus producibilitas fundatur in esse reali potentiali, quod habet antecedenter ad actualem existentiam, ut infra dicemus disput. 8. qu. 1. & ideo etiam per intrinsecam denominationem dici potest prius producibilis, quam productus; at non ita est de ente rationis, quia possibilitas, & intelligibilitas antequam ab intellectu fabricetur, non verificatur de eo, nisi ratione fundamenti, & per solam denominationem extrinsecam desumptam a potentia illius fabricativa; potest etiam in aliquo sensu admitti intelligibilitas in ipso per denominationem intrinsecam, & in aliquo ejus esse formali, & proprio fundatam, cum scilicet jam fabricatum per operationem directam intellectus potest deinceps alio actu reflexo ab intellectu attingi quoad ejus esse intrinsecum, formale, & proprium, quod per actum directum ab intellectu recipit; hanc ergo solutionem ibi datam debebat Poncius infringere, & non eandem objectionem ibi solutam de novo afferre.

237 Et quidem ens rationis non prius habere esse intelligibile, quam intellectum, nedum cum Scoto cit. tenent Complutenses, sed etiam nuper Ovvied. Controv. 12. Met. punct. 1. ubi referens hunc dicendi modum Poncii, ut quorundam Recentiorum inventum, qui asserebant ens rationis non dicere essentialiter actu cognosci, sed tantum posse cognosci, quia antequam ens rationis cognoscatur actu, & habeat esse actuale, habet suum esse possibile ex eo, quod possit cognosci, & in illo possibilitatis statu retinet totam suam essentiam, quæ non includit existentiam, sicut essentia hominis non dicit illius existentiam, & ita homo possibilis totam suam retinet essentiam. Hunc, inquam, novum dicendimodum, ut prorsus inanem, & solum in verbis consistentem refutat Ovvied, cum enim inquiunt essentiam entis rationis non dicere actu cognosci, sed posse cognosci, possunt hoc intelligere in duplici sensu, primo quidem in eo, quo dicere solemus essentiam hominis non consistere in ipso actu ratiocinandi, sed in hoc, quod est, posse ratiocinari, & essentiam quantitatis non consistere in actuali impenetratione, sed in principio ejus, & hic sensus est omnino falsus, quia ens rationis nullum aliud habet esse præter hoc, quod est actu cognosci, & ex eo præcise, quod cognoscatur, habet suum primum esse, alioquin ens reale foret, & non rationis; alio sensu intelligi potest, ut ens rationis non dicat essentialiter actu cognosci, seu ipsam terminationem passivam cognitionis actu existentem, sed tantum ut possibilem; & licet sensus hic sit melior, ac tolerabilior, adhuc tamen nec bene dicitur in hoc sensu essentiam entis rationis consistere in posse cognosci; quia etiam unio quamvis actualiter dicat nexum extremorum, & actio actualem determinationem principii effectivi, & relatio prædicamentalis actualem extremorum referentiam, adhuc quoque considerari possunt ut possibiles, seu in statu possibilitatis, & potentia objectiva, in quo nullam dicunt formalitatem distinctam ab ipso actu exercito uniendi, efficiendi, & referendi; neque idcirco quispiam asseruit unquam essentiam unionis in hoc consistere, quod possit unire, & sic de actione, & relatione, sed absolute dicendum est, consistere in actu uniendi, qui intelligetur existens, quando unio sit existens, & intelligetur tantum possibilis, quando unio sit tantum in statu possibilitatis; sic igitur in proposito dicendum est de ente rationis, quod essentialiter consistit in actu cognosci, ita ut implicet haberi formalitatem entis rationis absque actuali cognitione ad ipsum terminata; & quod quamvis intelligi quoque possit in statu possibilitatis, non idcirco essentiam ejus in tali possibilitate ponendam esse, seu in hoc, quod est posse cognosci; quando itaque ens rationis actu fit, & cognoscitur, tunc habetur tota entis rationis essentia, quando autem non fit, sed fieri potest, tunc ejus essentia non habetur reipsa, sed solum possibilis est. Hic tamen Ovviedi discursus, quamvis per exempla unionis, actionis, & aliorum modorum, quorum essentia in actuali modificatione consistit, & non tantum possibili, bene convincat modum loquendi Recentiorum illorum circa ens rationis esse irrationabilem, deficit tamen in hoc, quod neque in secundo sensu ens rationis potest dici possibile, eo pacto quo possibiles dicuntur modi unionis, & actionis, possibilitas namque objectiva de istis modis non dicitur prorsus per denominationem extrinsecam, quia modi illi etiam antequam producantur, habent aliquam realitatem essendi saltem potentialem, at entia rationis, sicut quando actu sunt, non habent veram actualem realitatem, ita quando sunt in potentia, non habent suam propriam realitatem potentialem, sed possibilia dicuntur præcise ex ordine ad potentiam intellectivam, quæ potest ea machinari per denominationem mere extrinsecam.

238 Ne-

238 Neque cum dicimus, essentiam entis rationis consistere in actu cognosci, sequitur, ut Poncius inferebat, ipsam cognitionem fore de essentia entis rationis, tum quia quamvis denominatio cogniti realiter, & subjective considerata participet esse reale cognitionis, unde resultat, quia quantum ad omne illud reale quod importat, non est nisi ipsemet actus cognitionis ad tale objectum terminatus, ut docet Scot. 1. d. 36. & 4. d. 1. q. 1. lit. Q. tamen si præcise, & formaliter consideretur in esse denominationis extrinsecæ, non est ipsa cognitio, sed potius quidpiam ex ipsa cognitione resultans in objecto, ad quod terminatur, quemadmodum tamen explicuimus disp. 3. cit. Log. qu. 2. art. 1. non aliter, nec alio modo, quo pacto negatur actu cognosci dicere formaliter ipsam cognitionem, sic enim potius dicit terminationem passivam ipsius cognitionis. Tum quia nec etiam proprie loquendo formalitas entis rationis in tali denominatione cogniti consistit, quia ut ibidem dicebamus, talis denominatio in eo instanti, in quo fit ens rationis, non est objective in intellectu, quasi per talem actum attingatur, & tamen attingitur ens rationis; & talis denominatio est realis ex parte formæ denominantis sine ulla fictione; sed consistit in eo, quod ex parte objecti fingitur, & per talem denominationem afficitur, & per modum objecti per eumdem actum fabricati intellectui in eo instanti objicitur, & obversatur, ut bene notavit Ovvied. cit. punct. 2. num. 11. quare cum dicitur essentiam entis rationis consistere in actu cognosci, sensus est, quod ejus essentia non nisi per actualem cognitionem haberi potest, quia per cognitionem fit, & resultat, nec habet aliud fieri præter cognosci, per quod solum dictum instantia Poncii totaliter enervatur.

239 Postremo omnino falsa est responsio, quam ipse affert ad propositam difficultatem, dicens ens rationis antequam actu intelligatur, prius habere esse essentiæ secundum quod dicitur intelligibile, quam existentiæ, sic enim respondens coincidit in opinionem ponentem ens rationis utique quantum ad existentiam pendere ab opere intellectus, non tamen quoad essentiam, secundum quam re vera dicitur possibile esse in intellectu, sicut ens reale per suam essentiam dicitur possibile esse extra intellectum, quam opinionem loc. cit. in Log. refutavimus. Tum quia inferius suo loco ostendemus, nec entia quoque realia habere sic esse essentiæ, antequam existant, quasi constitutum ab esse existentiæ, in quo fundetur eorum intelligibilitas, & possibilitas; ergo tanto minus id potest asseri in entibus rationis. Tum quia concesso entibus rationis tali esse essentiæ actualem existentiam præcedente, nedum ens rationis secundum tale esse dicetur intelligibile, sed etiam poterit actualiter intelligi, & sic ante ejus existentiam habebit etiam esse intellectum, quod etiam ipse videtur ibi concedere, cum ait, quod sicut entia realia sæpe prius intelliguntur, quam existant realiter, ita opus non esse, quod prius sit ens rationis quoad esse existentiæ, quam intelligatur. Tum quia esse possibile entis rationis non dicit aliquid eis intrinsecum, ut in entibus realibus, sed est mera extrinseca denominatio desumpta a potentia entis rationis machinativa, unde ens rationis esse possibile aliud non est, quam intellectum illud machinari posse, ergo non habet tale esse possibile, antequam fiat, quod possit fundare propriam intelligibilitatem,

240 Dices, ens rationis independenter ab omni intellectu est ens rationis, ergo ante omnem actum intellectus habet suam essentiam, licet non existentiam. Respondetur assumptum verificari de ente rationis veluti in esse signato in ordine scilicet ad connexionem essentialem prædicatorum, quatenus talia, vel talia prædicata participat ex sua ratione formali, falsum tamen est assumptum de ente rationis in esse exercito, idest considerato in ordine ad existentiam actualem, vel potentialem, sicut enim ejus actualis existentia ab actuali cognitione dependet, ita & potentialis existentia a cognitione possibili. Dices, saltem esse essentiæ etiam in ente rationis aliquo pacto ab esse existentiæ secerni debere, itaut quando actu est, illud dicatur esse existentiæ, quatenus vero considerari potest, ut possibile abstrahendo ab actualitate essendi, dicatur esse essentiæ, & ita etiam me locutum esse disput. cit. qu. 2. art. 2. explicando formalitatem entis rationis. Resp. ita dici solere, quia formalitatem entis rationis nescimus explicare, nisi per analogiam ad ens reale, & ideo sicut essentia entis realis exprimitur per abstractionem ab existentia, & ab actualitate essendi, ita etiam loquimur de essentia entis rationis; cæterum in rigore loquendo, sicut ens rationis abstrahendo ab actuali existentia non dicitur possibile sicut ens reale, ita quod possibilitas dicat aliquid intrinsecum in ipso; ita proprie loquendo per talem statum possibilitatis non exprimitur ejus essentia, quæ potius consistit in actuali esse objectivo, quod ab intellectu recipit; & ideo in ente rationis non ita bene essentia distingui potest ab existentia, sicut in ente reali, quia non habet aliquam possibilitatem intrinsecam ante actualem existentiam, sicut illud; bene tamen verum est, quod si eas etiam in ente rationis velimus aliqualiter distinguere, non nisi præfato modo distingui possunt per analogiam ad ens reale.

241 Secundo principaliter ad explicandam formalitatem entis rationis variæ solent notiones ejus, ac definitiones circumferri, & præsertim Poncius aliquas affert disp. 1. Log. a nobis ex parte approbatas in Logica, ac eas carpit, & refutat, aliam assignando ex suo penu. Affert primo descriptionem entis rationis apud Recentiores vulgarem esse illud, *quod cogitatur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat*: quam impugnat, quia vel intelligunt, quod cogitatur, ut ens reale, cum nullam entitatem habeat realem; vel intelligunt, quod cogitatur, ut aliquod ens reale, aut rationis, cum nullam entitatem habeat realem vel rationis; hoc secundum dici nequit, quia ens rationis habet sine dubio entitatem rationis; sed neque primum, quia non est necessarium, ut entia rationis cogitentur, aut concipiantur per modum entium realium; immo sæpe cogitantur per modum omnino oppositum, hoc est per modum proprium entium rationis, alias intellectus non posset distinguere illa ab entibus realibus; Nec verum est (ait) quod dicit Mastrius disp. 3. q. 1. ex eo quod ens reale sit objectum adæquatum intellectus, sequi quod nihil concipere possit, nisi per modum entis realis; nam quamvis corpus naturale sit objectum adæquatum Physicæ, & Syllogismus, aut modus sciendi Logicæ, tamen certum est, Logicam tendere in multa, quæ non concipit per modum syllogismi, aut modi sciendi, & Physicam etiam considerare multa non per modum corporis naturalis; quod si illud esset objectum adæquatum intellectus, quod ita se haberet, ut nihil posset concipere, nisi per modum illius, profecto nec ens, nec ullum aliud unum quid esset objectum adæquatum ejus. Deinde arguit contra eandem descriptionem, quod dentur etiam actu suo modo existentia quædam entia rationis, quæ non cogitantur ullo modo, ergo non bene describitur ens rationis esse, quod cogitatur; Prob. antecedens, quia quando aliquis cogitat unum ens rationis, & alius simul cogitat aliud ens rationis, illa duo entia rationis habent inter se similitudinem rationis non minus, quam quæcunque alia entia realia habent inter se similitudinem realem, etiamsi nullas consideret, aut cogitet de illa similitudine; ergo dantur entia rationis actu existentia suo modo, etiam cum non cogitantur.

242 Altera descriptio entis rationis, quam rejicit, vulgaris est apud Scotistas, quod sit illud *quod habet esse objective tantum in intellectu*, quam colligunt ex quol. 3. ab initio, ubi Doctor ait, ens rationis esse, quod præcise habet esse in intellectu considerante; & impugnat Poncius eodem modo, quia similitudo, vel dissimilitudo duorum entium rationis non videtur esse objective in intellectu, dum sunt, aut existunt, quandoquidem non considerentur actu ab intellectu, & esse objective in intellectu idem sit, ac considerari ab intellectu. Alii solent definire ens rationis illud esse, *cui repugnat realis existentia*, quam etiam reprobat, quia est nimis obscura, nam non est difficilius cognoscere, aut explicare ens rationis, quam ipsum ens reale, seu illud ens, cui non repugnat realis existentia, unde explicare naturam entis rationis per ordinem ad existentiam realem est explicare ignotum per æque ignotum, quod aptæ descriptioni non convenit. Hinc tandem ens rationis sic ipse describit esse illud, *quod nequit aliquid efficere, neque inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentia potentis aliquid considerare*, quam probat discurrendo per singulas particulas, dicitur enim, quod nequit aliquid efficere, quia solis entibus realibus convenit aliquid efficere; dicitur neque inexistere alicui potenti efficere nisi per considerationem; quia non solum illa, quæ possunt aliquid efficere, sunt entia realia, sed quæ omnibus talibus absque consideratione inexistunt; additum est *nisi per considerationem*, quia per considerationem possunt entia rationis inexistere enti reali potenti aliquid efficere, quia potest intellectus considerare aliquod impossibile in tali v. gr. omnipotentiam in creatura; dicitur denique *potentiæ potentis* &c. ut abstrahatur a controversia, an alia potentia ab intellectu possit conficere ens rationis.

243 Hæc ultima descriptio, quam tradit hic Auctor, pace sua, nullo modo mihi probatur, quia in omnium sententia certum est, ens rationis describi debere per oppositionem ad ens reale juxta illud, quod contrariorum eadem est natura, & lex, idest quod unum explicari debet per oppositionem ad aliud, & hæc est methodus, qua omnes utuntur ad indagandam entis rationis descriptionem; ens autem reale non dicitur esse illud, quod potest aliquid efficere, vel inexistere alicui potenti aliquid efficere citra considerationem intellectus, sed describitur esse illud, quod est in rerum natura citra operationem intellectus considerantis, vel saltem sic sibi non repugnat esse; ergo opposito modo describi debet ens rationis, ut sit illud, quod nec est, nec existere potest, nisi per intellectum considerantem, & juxta hanc methodum illud ita describit ille ipse Auctor 3. part. Cursus disput. 18. de ente ut sic, quæst. 2. num. 6. per oppositionem ad ens reale. Tum quia ens reale secundum totam suam quidditarem optime manifestatur sine ordine ad effectum realem, & inexistentiam realem alicui potenti realiter efficere, & bene salvari potest realitas alicujus rei absque reali efficientia, ut multi dicunt de materia prima, quam ponunt mere passivam, ac omni prorsus reali efficientia destitutam, ergo bene e contra salvari poterit entitas rationis per solam exclusionem talis realitatis, nec in ejus conceptu necessario debebit exprimi, quod nequeat aliquid efficere, nec inexistere alicui potenti efficere. Tum quia tota illa definitio convenit enti reali nominaliter, quod scilicet non est, sed esse potest in rerum natura v.g. Antichristo, nam Antichristus in tali statu possibilitatis consideratus nec aliquid efficere potest, quia ad causalitatem effectivam exercendam requiritur actualis existentia, nec etiam alicui potenti efficere inexistere potest, ut

de

de se constat, nisi per fictionem intellectus, & tamen non est ens rationis, ut hic de eo agitur. Tum quia videtur etiam negationibus realibus quas extra genus appellant, posse applicari, nam nec realis efficientia ab illis prodire potest, nec possunt inexistere alicui potenti efficere, quia tales negationes non sunt subjecto addictæ, ut constat de negatione entis realis, ut sic, & de negatione importata per spatium imaginarium, quas tamen negationes etiam apud eum Auctorem constat non esse entia rationis, quia dantur a parte rei citra intellectus negationem. Tum, quia sicut ens reale non in sua constituitur realitate per posse aliquid efficere, nec inexistere alicui sic potenti efficere, sed hæc potius sunt attributa, & munera ejus realitatem concomitantia, sic e contra ens rationis non constituetur in sua, (ut ita dicam) rationalitate per impotentiam ad aliquid efficiendum, aut alicui realiter inexistendum, sed hæc potius ejus rationalitatem consequentur, ex eo enim quod nec est, nec esse potest in rerum natura, consequitur nec posse aliquid efficere, nec alicui realiter inexistere, nec per modum partis, nec per modum accidentis. Tandem falsum est, eam descriptionem colligi ex Scot. quol. 3. ut constat ex ipsis verbis Doctoris ab ipso adductis.

244 Definitiones vero entis rationis ab ipso rejectæ, etiam singulæ per se sumptæ, ac sigillatim, non adamussim, & adæquate entis rationis formalitatem explicent, unaquæque tamen aliquid veri continet, adeout ex omnibus simul propria, & adæquata entis rationis descriptio integrari valeat, ut satis constat ex dictis disp. cit. q. 2. art. 2. & quidem ut ab ultima incipiam, quæ dicebat ens rationis esse, cui repugnat realis existentia, verum dicit, quia enti rationis repugnat existere in rerum natura, & citra operationem intellectus, alioquin si ei non repugnaret, ens reale foret, etiamsi actualem existentiam non haberet, sicut dicitur de Antichristo; Et falsum est, quod in impugnatione hujus definitionis ajebat Auctor esse nimis obscuram, quia non est difficilius cognoscere, aut explicare ens rationis, quam ipsum ens reale, ideoque explicare naturam entis rationis per ordinem ad existentiam realem fit explicare ignotum per æque ignotum; hoc, inquam, falsum est, longe enim nobis notiora, magisque obvia sunt entia realia, quam entia rationis, namque quamplura entia realia sub sensu cadunt, non autem entia rationis, quo factum est, ut plures negaverint dari talia entia rationis, nullus tamen negavit dari entia realia. Secunda etiam descriptio a Scotistis tradita, quod sit illud, quod habet tantum objective esse in intellectu, verum profert, omnes enim qui hactenus de ente rationis locuti sunt, in hoc convenire videntur, quod nullam aliam possit ens rationis habere existentiam, quam objectivam, & quam assequitur ex actuali intellectus negatione, unde omnino falsum est, quod Auctor ille commiscitur dari quædam entia rationis existentia, quæ non cogitantur ullo modo, si hæc enim nullo modo cogitantur (ut ejus verbis utar) nec ullo modo pendent ab intellectus cogitatione; jam non entia rationis, sed entia realia erunt cum omni proprietate; Patet hæc consequentia, illud enim est ens reale, quod in rerum natura existit citra omnem intellectus cogitationem; cum autem id probat exemplo similitudinis, quæ reperitur inter duo entia rationis nullo intellectu cogitante, negatur pariter talem inter ea reperiri similitudinem citra intellectus cogitationem, sicut enim fundamenta talis similitudinis illa scilicet duo entia rationis non habent esse, nisi per opus intellectus, ita quoque dicendum est de illa similitudine, quod non habet esse, nisi opere intellectus considerantis uniformitatem essendi illorum entium, & ratio est, quia fundamentum numquam minoris est entitatis, quam fundatum; ergo si fundamentum talis similitudinis non nisi per intellectus operationem existit, plane relatio fundata citra opus intellectus nequibit existere; & parum refert, quod illa duo entia rationis uniformiter existant, & eodem modo ab intellectu fiant, quia sicut ejusmodi uniformis existentia non convenit illis entibus ex natura rei, sed per intellectus operationem; per eandem quoque insurgit similitudo inter illa, non autem ex natura rei nullo cogitante intellectu; & ad summum a parte rei, similitudo erit in modo cogitandi illa entia rationis, qui uniformis est in hoc, & illo intellectu.

245 Denique prima quoque descriptio a Recentioribus data entis rationis, esse nimirum illud, quod cogitatur, ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat, aliquid verum dicit, ut explicavimus disp. 3. Log. quæst. 2. art. 2. §. *quarto statuendum est*, fundaturque in eo, quod ibi diximus, ens rationis cognosci non posse, nisi per analogiam ad ens reale vel proportionis metaphoricæ, vel imitabilitatis objectivæ, quæ consistit in cognoscibilitate unius ad similitudinem alterius, ut ibi declaravimus. Et ideo ad formalitatem entis rationis non tantum spectat, quod sit objective in intellectu, sed etiam quod ibi sit ad instar veri entis, nam ratione istius analogicæ habitudinis præcise participat extrinsece, & æquivoce esse. Cum vero hoc impugnatur, quia entia rationis sæpius cogitantur, non per modum entium realium, sed per modum omnino oppositum, idest per modum proprium entis rationis, alias intellectus non posset ea distinguere ab entibus realibus. Occurritur ad hoc per distinctionem ibidem datam in solutione ad primum, & superius relatam n. 233. de duplici cognitione, quæ de ente rationis haberi potest, directa, & reflexa; in prima cognitione attingitur aliter, ac sit, quia per modum entis realis concipitur, cum tale non sit; in secunda concipitur, ut est, quia attingitur ut ens rationis, & per hanc potissimum cognitionem distinguitur ab ente reali. Fundatur quoque hæc necessitas concipiendi ens rationis ad modum entis realis, ut ibi dicebamus, quia ens reale est objectum adæquatum, vel saltem primarium intellectus, ut omnes concedunt cum Doctore 1. d. 3. quæst. 3 ergo ens rationis nequit intelligi, nisi quatenus concipitur, ut imitatio quædam entis realis, quia objectum potentiæ secundarium debet aliquo modo participare rationem formalem primi, & adæquati objecti, at ens rationis participare nequit formaliter, & intrinsece entitatem realem; ergo saltem participare debet secundum aliquam similitudinem, & proportionem. Cum autem instat Poncius, posse intellectum aliquid concipere, & non per modum objecti adæquati, si id ita intelligit, ut possit potentia ferri in aliquod, quod nullo modo participet rationem sui primarii, & adæquati objecti, hoc prorsus falsum est, quia nec oculus aliquid attingere potest, quod sub colore non contineatur, nec aliquo pacto rationem ejus participet, nec auditus quod non habeat rationem soni, & sic de aliis potentiis, ratio namque objectiva, & specificativa alicujus potentiæ superfunditur cuicumque objecto talis potentiæ aliquo modo; si autem id ita intelligit, ut non sola ratio generica objecti adæquati sit motiva potentiæ, quia tunc rationes specificæ sub ea contentæ non perciperentur a potentia, verum dicit, quia tunc albedo, & nigredo secundum suas rationes specificas non perciperentur a visu, sed hoc non excludit, quin objecta secundaria, & inadæquata nequeant aliquo pacto participare rationem communem objecti primarii, & adæquati. Et sic etiam res se habet in objectis scientiarum (ut occurram alii instantiæ ejusdem Auctoris, licet exemplum non sit satis idoneum) quicquid enim Logica considerat, ut partem subjectivam syllogismi, & Philosophia, ut partem subjectivam corporis naturalis, omnia considerat, ut participant rationem communem illius objecti adæquati, & primarii, esto ut contractam per proprias rationes, ut v. gr. Cœlum, corpus animatum, &c. ut talia, corpora naturalia; sunt autem alia quoque in scientia considerata, quæ directe non participant rationem communem adæquati objecti, quia non omnia considerantur in scientia, ut species adæquati objecti, sed quædam ut ejus partes essentiales, quædam ut passiones, quædam ut principia, ut habetur 1. Post. 25. unde ex hoc capite deficit exemplum illud, quia non eodem prorsus modo assignantur objecta adæquata scientiarum, & potentiarum.

246 Tertio circa potentiam entis rationis effectricem jam disp. cit. q. 4. art. 1. determinatum est, nullam potentiam vitalem ens rationis formale efficere posse, præter intellectum, & voluntatem, & quoad intellectum resolutionem certam dedimus, quoad voluntatem vero sub probabilitate reliquimus, cujus probabilitatis ibidem nonnullas rationes adduximus, sed eam præsertim, quod voluntas quoque suo modo potest dare esse objectivum rei, quæ realiter non est, nec esse potest, quia potest voluntas ex sua libertate bonitatem in objecto fingere, ubi re vera non reperitur, nec reperiri potest, neque ut bonum ab intellectu proponitur; ergo potest tale esse objectivum bonitati tribuere, quale requiritur ad ens rationis constituendum; Consequentia patet, quia in tali casu voluntas est, quæ primo fingit bonitatem in objecto, ubi non est, nec esse potest, non autem intellectus. Probatur assumptum, quia in sententia præsertim Doctoris præter finem verum, & apparentem, datur etiam finis præfixus, seu præstitutus 1. d. 1. q. 1. art. 3. & 4. & est quando objectum præcise est a ratione ostensum sub ratione mali, & voluntas ex sua libertate illud sibi præfigit, tamquam finem, non quod voluntas feratur in malitiam per se, quia hæc non est objectum prosecutionis, sed quia ostenso objecto voluntati sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni vel in se, vel in alio objecto, potest voluntas bonitatem illius objecti affigere, quam non habere prius ostenderat intellectus, & sub illius bonitatis prætextu objectum illud in se malum acceptare, ut bonum, quam doctrinam adhuc magis declaramus disp. 7. Phys. q. 8. art. 2. Negat Poncius disp. cit. nu. 82. ubi tenet oppositum, voluntatem nimirum esse objectivum entibus rationis præstare posse, quod ex eo probat, quia nequit dare esse objectivum entibus realibus, in quæ tendit; ergo neque entibus rationis. Sed desiderassem ab eo probationem illius assumpti, quod nequeat voluntas dare esse objectivum entibus realibus suo modo, sicut intellectus, hoc enim puto commune esse cujuscumque potentiæ vitali, quod quotiescumq; vitaliter tendit in aliquod objectum percipiendo illud, & attingendo intentionaliter, communicat illi esse quoddam intentionale, & objectivum; & quotiescumque objectum potentiæ obiicitur, & obversatur, tunc ab illa esse objectivum suscipit; sicut ergo potest ens reale ab intellectu recipere esse objectivum, quia illi obiici potest, ut cognoscendum, & considerandum, ita quia etiam voluntati potest obiici, ut volendum, & acceptandum, poterit hoc pacto ab ea recipere esse objectivum, non enim minus in objecto ponit esse intentionale, & objectivum denominatio cogniti, quam voliti.

247 Sed obiicit hic Auctor, quia voluntas non potest tendere in ullum ens rationis, nisi in illud, quod proponitur sibi ab intellectu, & quod consequenter habet esse suum intentionale accidentaliter productum; ergo non est dicendum, quod ipsamet det ipsi esse intentionale. Ad hoc jam loc. cit. responsum est, posse in aliquo casu voluntatem dare esse primum intentionale objecto, quia non tantum bonum verum, aut apparens est sufficiens voluntatis motivum, sed etiam bonum præfixum; licet ergo quando voluntas tendit in bonum

num apparens peccando ex ignorantia, intellectus det primum esse intentionale objecto, & fictio se teneat ex parte intellectus; quando tamen tendit in bonum præfixum peccando ex mera malitia, fictio non se tenet ex parte intellectus, quia ipse ostendit objectum malum, & sub ratione mali, sed totaliter se tenet ex parte voluntatis, quæ non obstante intellectus ostensione ex mera sua libertate applicat illi objecto bonitatem, & illud bonitate falso indutum sibi præfigit tamquam finem, quo casu voluntas censetur dare objecto primum esse intentionale, & fictum, neque ob id dicitur tendere in incognitum, quamvis enim intellectus non ostendat bonitatem in tali objecto, eam tamen ostendit in alio, vel in se abstracte, quod sufficit, ut voluntas deinceps possit eam ex se applicare objecto proposito, ut malo, nec ob id dicatur ferri in incognitum. Sed & ibidem in fine articuli addidimus; quod etiam admisso voluntatem non posse præstare primum esse intentionale, vel fictum objecto, non subinde sequitur ens rationis ab ea confici non posse, sicut enim nihil prohibet idem objectum semel, & iterum attingi diversis actibus; ita nihil prohibet ens rationis posse semel, & iterum fieri per repetitos actus ejusdem potentiæ, vel per actus intentionales alterius potentiæ circa idem objectum, qua de causa Arriag. disput. 7. Met. n. 37. & Ovvied. controv. 12. Metaph. punct. 6. n. 7. fatentur rationem illam non concludere intentum, quia licet ens rationis non fieret primo a voluntate, adhuc tamen suo modo fieri posset secundo. At rursus instat Poncius, quia licet ens rationis ab uno intellectu productum, possit & ab alio denuo produci, tamen productio entis rationis ab illo non necessario prærequiritur ad iteratam ejus productionem ab isto, sed ad hoc impertinenter se habet, quia secundus intellectus æque bene posset illud ens rationis producere, sive primus intellectus ipsum produxit ante, sive non; sed voluntas non potest tendere in ens rationis, nisi prius producatur per intellectum; unde illa productio ipsius per se requiritur, ut possit voluntas tendere in illud; atque ideo debet dici, quod voluntas ipsa non habeat virtutem productivam ipsius: Hæc etiam instantia parum urget, quia argumentum illud ex eo capite probare intendit voluntatem ens rationis efficere non posse, quia non dat esse rationis objecto, sed supponit datum ab intellectu, & consequenter ens rationis jam factum, unde vis argumenti ex eo pendet, quod ens rationis supponatur jam factum, ideoque denuo fieri nequeat, sive hoc per se contingat, sive per accidens; tum quia argumentum æque probaret intellectum ens rationis facere non posse, si prius produci deberet per phantasiam, siquidem pro statu isto non minus necessaria est prævia operatio sensuum ad operationem intellectus, quam ipsius intellectus ad operationem voluntatis, & tamen si sensibus saltem internis concederemus virtutem formandi entia rationis, non utique ob talem necessariam præsupositionem denegaretur intellectui talis virtus, tum tandem quia prima intellectus operatio necessario præsupponitur secundæ, & tamen communiter conceditur judicium suo modo facere ens rationis; licet supponatur factum ab apprehensione, ergo pariter in proposito necessaria præsuppositio negotiationis intellectus ad negotiationem voluntatis non impedit, quin & ipsa possit circa idem objectum ens rationis suo modo machinari.

248 Adhuc tentavit Ovvied. cit. probare voluntatem esse objectivum præstare non posse, quod probat ex modo, quo voluntas attingit objecta, ex vi cujus non dicitur objectum esse in voluntate, aut in actu amoris, neque voluntatem trahere ad se objecta; potius voluntas dicitur ferri in objecta, & esse in illis, amor enim est pondus quoddam, quo amans fertur in objectum amatum, & in illo esse dicitur, & non amatum in amante; ex quo fit idemmet objectum cognitum, & amatum habere esse in intellectu, & non in voluntate, & ita si aliud in se non habeat, habet tantum esse objective in intellectu, & non in voluntate, & ideo dicitur fingi ab intellectu, & non a voluntate. At bene solutionem prævidit hic Auctor, quia per metaphoram solum amor dicitur pondus, & amans esse in amato; alioquin physice loquendo cum objectum voluntati obiicitur, ita bene dicitur esse in voluntate, sicut dicitur esse in intellectu, cum illi obiicitur; & per tendentiam amoris in objectum, ita bene voluntas appingit illi esse intentionale, & objectivum; sicut intellectus per tendentiam cognitionis, & ideo mere voluntarium est afferere voluntatem per actus suos esse objectivum, & intentionale suo modo objectis non præstare.

249 Quarto circa varias divisiones entis rationis, quæ solent assignari, illam præsertim dedimus disp. cit. q. 7. de ente rationis fundato, & non fundato, ut satis consuetam in schola nostra, quam tradunt Recentiores sub aliis terminis in ens rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis, seu chimæricum; & ita explicuimus loco citato ex Scoto q. 4. univers. in fine, & communi Scotistarum, ut illa dicantur entia rationis fundata, quæ ex aliqua necessitate, vel occasione sic finguntur, ut non aliter, nec alio modo confingi debeant, & exemplum satis idoneum attulimus de secundis intentionibus logicis generis, speciei, &c. istæ enim nequeunt ad libitum super quascumque res fundari, sed juxta rerum proprietates, ut si aliqua natura sit aliquibus communicabilis, super ipsam fundabitur ratio universalis; si nullus particularis; si pluribus specie differentibus, intentio generis; si solo numero, intentio speciei, & sic de aliis; entia vero rationis chimærica, & non fundata e contra illa dicentur, quæ ad nostrum libitum finguntur, quia nulla est necessitas, vel occasio a parte rei, quæ nos potius ab hoc modo fingendum ens rationis determinet, quam illo modo, ut expetimur in fictione chimæræ, hircocervi, vel alterius monstri, quæ explicatio expresse habetur a Doctore loco citato, ubi ex eo ponit universale ens rationis fundatum, quia aliquid ei in re extra correspondet, a quo movetur intellectus ad causandum talem intentionem, & non aliam, figmenta vero, inquit esse non fundata, quia nihil tale extra correspondet, unde concludit, ens rationis fundatum distingui a figmento, quia originaliter, sive occasionaliter est a proprietate in re, figmentum vero minime.

Poncius disput. 1. citat. quæst. 10. hanc explicationem impugnat, quia non bene explicatur, quomodo consideratio hircocervi non habeat tantum fundamentum in re, quantum habet consideratio relationis rationis in re cognita ad cognoscentem, nam quemadmodum intellectus ex eo, quod videat denominationem novam in objecto cognito, dicitur per hoc habere fundamentum in re ad considerandum aliquem respectum in ipso, qui non sit realis; cur ex eo, quod imaginatio conciperet formam externam partim equi, & partim hominis, non posset intellectus dici habere sufficientem occasionem ad concipiendam aliquam substantiam per se unam, quæ exigeret talem formam, & intrinsece conveneretur ex natura equina, & humana? quare concludit numer. 102. hanc divisionem potius sic explicari debere, ut per entia rationis fundata intelligantur illa, per quæ communiter solent explicari aliquæ denominationes reales, quæ tam facile nec intelligi, nec explicari possent, si non considerarentur provenire ab hujusmodi entibus; per entia vero rationis sine fundamento in re intelligantur illa, quæ non concipiuntur in ordine ad talem denominationem realem, vel concipiendam, vel declarandam, juxta quem dicendi modum fundamentum in re, quod habent entia priora ultra illud, quod habent posteriora, erit utilitas ac difficultas intelligendi, ac explitandi hujusmodi denominationes.

250 Hæc tamen impugnatio frivola est, & quamvis in exemplum entium rationis fundatorum, non ego adduxerim relationem rationis in Deo ad creaturam, aut in re cognita ad cognoscentem, sed secundas intentiones logicas, in quibus evidentius cernitur fundamentum, & motivum eas conficiendi; adhuc tamen falsum est illas relationes rationis non habere majus fundamentum in re, quam habeant chimæra, & hircocervus; cum enim regulariter videamus in creatis causam ad suum effectum referri relatione reali, & quicumque actioni suam correspondere passionem, hinc occasionem sumit intellectus cogitandi in Deo relationem activæ creationis ad creaturas; & in re cognita formam illi inhærentem per modum cujusdam effectus, vel passionis correspondentis cognitioni activæ: & determinatur ad cogitandas hujusmodi species par modum accidentis respectivi, vel saltem includentis respectum, non aliter, nec alio modo; unde occasio a parte rei fingendi illas relationes rationis, si non est cogens, & necessitans, est tamen proxima, & urgens, at ex eo quod imaginatio conceperit formam externam partim equi, partim hominis, non habet tantam occasionem machinandi chimæram, ut dici possit proxima, & urgens; ut notavimus quæst. cit. in fine, quia licet partes chimæræ habeant in re fundamentum, nullum tamen habet fundamentum a parte rei unio illarum naturarum equinæ scilicet, & humanæ, quæ proprie constituit chimæram, & ideo intellectus aut nullam habet a parte rei occasionem machinandi chimæram, aut leviſſimam, & remotam, quæ proinde non sufficit, ut dicatur ens rationis fundatum, tum quia non determinatur intellectus ad fingendam chimæram magis ex his naturis incompossibilibus, quam ex aliis, sed ad libitum potest eam machinari hoc, vel alio modo, quod non contingit de illis relationibus rationis. Explicatio vero, quam adhibet Auctor ille ad hanc divisionem explicandam nedum inepta videtur, sed etiam contraria rei, de qua loquimur: ait enim fundamentum, quod habent a parte rei entia rationis fundata, esse difficultatem intelligendi quasdam reales denominationes (quarum tamen exemplum non affert) quæ facile intelligi nequeunt, nisi beneficio talium entium rationis: sed mea quidem sententia nil absurdius dici poterat, quam difficultatem intelligendi quasdam reales denominationes esse fundamentum cogitandi entia rationis, quia maior utique difficultas incurritur, dum volumus statum, & conditionem assequi quorumdam entium prolibitorum, & chimæricorum, quam relationum rationis, & aliorum entium rationis, quæ non sunt mera figmenta, ita etiam sunt entia rationis determinatæ, & certæ naturæ, ac proinde facilioris cognitionis, non illa, ergo juxta hunc dicendi modum figmenta maius haberent fundamentum a parte rei, quam alia rationis entia non chimærica. Tum quia fundamentum ducit intellectum in cognitionem entis rationis super illud fundati, at difficultas minime, immo potius impedit intellectum a cognitione, maior paret in secundis intentionibus.

251 Dices, fundamentum entis rationis dicitur illud, quod est specialis quædam occasio, & motivum, ac veluti impulsivum intellectui ad excogitanda entia rationis, sed sic est, quod difficultas, quam experimur in assequendis denominationibus quibusdam extrinsecis, v. g. creatoris in Deo visi in pariete, urget nos pro faciliori earum captu, ut eas cogitemus, vel uti formas correlativas Deo, & parieti inhærentes, ergo talis difficultas dici potest fundamentum fingendi entia illa rationis. Contra, quia hic fumitur fundamentum non pro quocumque, & quomodocumque impulsivo intellectus ad fingenda entia rationis, sed pro ea occasione, vel motivo, unde sufficienter movetur ad sic, vel sic effingendum ens rationis, scilicet

per

per modum substantiæ, vel accidentis, absoluti, vel respectivi, &c. adeo ut non temere, & mere gratis dicatur illud effingere, quo pacto rationem nos inducentem ad assentiendum alicui conclusioni fundamentum appellare solemus nostræ conclusionis, ac opinionis: & qui sine urgenti, ac sufficienti ratione alicui assentitur conclusioni, dicemus eum tenere conclusionem sine fundamento; constat autem difficultatem intelligendi quasnam denominationes reales fundamentum in hoc sensu non esse entium rationis, quæ adhibere solemus ad eas explicandas. Tum quia illa difficultas non determinat nos ad fingenda illa entia rationis, potius hoc, quam illo modo, fundamentum vero dicitur illud, quod nos inducit, & invitat ad sic, vel sic fingendum illud ens rationis, cujus dicitur fundamentum. Tum tandem; quia ut dicebamus, talis difficultas magis viget in assequendis figmentis, quam in aliis, cum ergo hæc difficultas sit communis omnibus, non bene explicatur in hunc modum divisio illa entis rationis in fundatum, & non fundatum, quia sic omnia entis rationis dicerentur fundata.

252 Postremo Poncius disp. cit. qu. ultima volens explicare quid sit prima, & quid secunda intentio, advertit num. 106. duplicem esse cognitionem intellectus, unam simplicem, qua considerat aliquid secundum se non comparando illud ad aliud, ut quando apprehendit aliquis hominem non judicando ipsum in aliquo, nec aliquid in ipso; alia cognitio intellectus est comparativa, ut illa qua judicatur aliquid in aliquo v.g. illa, qua apprehenditur Petrus esse homo, aut paries esse albus, quæcumque ergo prædicata conveniunt rei per ordinem ad hujusmodi cognitionem comparativam, sunt intentiones objectivæ secundæ, & termini significantes illa sunt termini secundæ intentionis, quæcumque vero conveniunt rei independenter ab hujusmodi cognitione, sunt intentiones objectivæ primæ, & termini significantes illa sunt termini primæ intentionis. Hinc postea nu. 107. concludit nedum primam, sed neque etiam secundam intentionem objectivam (nam de intentione formali, cum sit actus ipse intellectus tendentis in objecta primario, vel secundario, omnes fatentur esse ens reale) esse necessario ens rationis; quod probat, quia si aliqua intentio objectiva secunda diceret ens rationis, maxime foret esse genus, vel speciem, sed hæc non, ergo; Probatur minor, quia esse genus nihil aliud est, quam vel esse prædicabile, vel esse prædicatum de pluribus speciebus, & esse speciem nil aliud est, quam esse prædicabile, vel esse prædicatum de pluribus individuis, sed esse prædicatum non necessario dicit aliud, quam denominationem extrinsecam desumptam ab actu intellectus, quo judicatur aliquid de alio, & esse prædicabile non est aliud, quam aptitudo rei ad recipiendam talem denominationem, sed ex dictis constat (ait ipse,) hujusmodi denominationem extrinsecam esse quid reale, & nullo modo necessario sequi ad ipsam aliquid rationis, & hoc supposito certum est, quod illa aptitudo non sit, nec dicat aliquid rationis, tum quia sequitur rem nullo intellectu considerante, tum quia eatenus esset, aut includeret quidpiam rationis, quatenus illa denominatio extrinseca esset, aut includeret quidpiam rationis.

253 Hic modus explicandi secundas intentiones non solum non est Scoticus, sed nec idoneus, nec verus: Circa primum non immoror, tum quia in multis parum curat hic Auctor de doctrina Scoti, etiamsi Scotistam esse profiteatur, tum quia in schola Scotistarum, immo & Thomistarum, res adeo clara est, secundas scilicet intentiones esse entis rationis formaliter sumptas, ut nemo unquam de hoc dubitaverit, & sine hæsitatione quilibet secundam intentionem agnoverit pro peculiari quadam specie entis rationis, quo factum est, ut tam Thomistæ, quam Scotistæ in hoc conveniant, quod Logica est scientia rationalis, non vero realis, quia est de secundis intentionibus, quæ sunt entia rationis, legatur Doctor in quæstionibus Univers. quod in qualibet quasi pagina reperiet secundas intentiones esse entia rationis formaliter, præter expressa loca in lib. Sent. a me citata disp. 3. Log. q. 8. art. 1. Quod autem nec sit vera, nec idonea explicatio probatur, quia si verum est, quod universaliter profert, omnia prædicata, quæ rebus conveniunt per ordinem ad cognitionem comparativam esse secundas intentiones; dum dico unum album esse alteri albo simile, Franciscum esse patrem, Paulum filium, ignem causam caloris, hæc omnia erunt prædicata secundæ intentionis; Patet consequentia ex dictis ipsius, quia hæc sunt prædicata, quæ conveniunt rei per ordinem ad cognitionem comparativam, hic enim paries dicitur illi similis, quia unus alteri comparatur in albedine, & esse causam, vel effectum, Patrem, vel Filium, sunt prædicata rebus convenientia per ordinem ad cognitionem comparativam, non enim sunt conceptibilia per cognitionem simplicem, & absolutam; non ergo per hoc bene explicantur secundæ intentiones, quia apud omnes constat, hæc & similia prædicata non esse secundas intentiones: Cum ergo Scotus, & Scotistæ ajunt prædicata secundæ intentionis rebus convenire per ordinem ad cognitionem collativam intellectus, non debent intelligi in tanta universalitate, ut loquitur hic Auctor, quia multa prædicata primæ intentionis possunt rebus competere dependenter a tali cognitione, ut ostendimus, sed intelligi debet, ut nos loco cit. docuimus ex Scoto pluribus in locis, sed præcipue 1. d. 3. q. 7. infra E. ubi arguens contra Gotfredum ait, quod intellectus conferens unum objectum ad aliud secundum talem habitudinem, qualis est ipsorum ex natura rei, non causat relationes rationis, quæ sunt secundæ intentionis (de quibus ibi loquitur) sed tantum quando comparat in habitudine, quæ non sequitur illa ex natura rei, sed tantum eis convenit ex negotiatione intellectus.

254 Quod autem secunda intentio objectiva, de qua est sermo, sit ens rationis, non autem ens reale, constat ex discrimine, quod loc. cit. posuimus ex omnium fere consensu inter primam, ac secundam intentionem, & ex ipsis nominibus primæ, & secundæ intentionis: nam prima intentio ideo dicitur prima, & alia secunda, quia cum objectum considerari possit in duplici statu, primo secundum quod est in se, & secundum attributa ei convenientia ex natura rei; secundo ut est in apprehensione, & secundum attributa ei convenientia ex intellectus attributione, qui status, ut de se constat, posterior est illo, merito cognitio, quæ exprimit objectum sub primo statu, dicitur prima intentio, & quæ illud exprimit sub posteriori, dicitur secunda, & consequenter, quæ talem conceptionem terminant, entia rationis erunt; Ita etiam sentiunt Recentiores fere omnes, qui de secundis intentionibus agunt, inter quos præcipuus est Suarez, qui disputat. 54. Metaphysic. sectione quinta, numer. septimo, declarans naturam secundarum intentionum Logicalium, ait juxta triplicem operationem intellectus triplicem quoque esse ordinem relationum rationis, quæ dicuntur secundæ intentiones; nam ex prima operatione consurgunt relationes generis, speciei, definitionis, definiti, &c. ex secunda operatione relatio prædicati, subjecti, copulæ, propositionis; ex tertia relatio antecedentis, consequentis, medii, extremitatis, &c. hæ namque relationes non conveniunt rebus secundum se, sed ut denominatis ab aliqua operatione intellectus, & ideo semper rationis sunt, & non reales, atque ob hanc causam, inquit Suarez, solent hæ relationes rationis peculiariter appellari secundæ intentiones, quasi resultantes ex secunda intentione, seu attentione, vel consideratione intellectus. Immo etiam Auctores illi, qui alias explicare solent terminos Logicales, scilicet esse subjectum, esse prædicatum, esse antecedens, esse consequens, &c. per denominationes extrinsecas desumptas ab actibus intellectus prædicantis unum de alio, aut unum ex alio deducentis, sicut facit Aversa; fatentur adhuc terminos istos non dici secundæ intentionis, nisi quando explicantur per relationes rationis, unde ait Aversa quæst. 5. de ente rationis sect. 8. quod per secundam intentionem objective sumptam proprie intelliguntur hujusmodi entia rationis, quæ supponunt priorem aliquam cognitionem, & intentionem, in qua fundentur; Hinc apud omnes in confesso est secundam intentionem esse peculiarem speciem entis rationis, & de illa omnes loquuntur, ut de specie entis rationis; alienum ergo est ab omni doctrina illam statuere ens reale.

Neque ratio, qua oppositum Poncius probare tentabat, alicujus est momenti, negatur enim minor utriusque discursus cum suis probationibus, falsum siquidem est esse subjectum, & esse prædicatum sufficienter explicari per denominationem extrinsecam desumptam ab actu intellectus, quo judicatur aliquid de alio, nam per talem denominationem bene concipimus illa duo objecta, subjectum scilicet, & prædicatum referri ad intellectum per terminationem simplicem judicii ejus, sed non concipiuntur referri inter se, nisi quousque denominationes subjecti, & prædicati concipiantur per modum relationum mutuarum; Tum quia quando etiam concederetur, illos terminos sic bene explicari per extrinsecas denominationes, tamen ut sic concepti non adhuc dici possunt termini secundæ intentionis, nisi quousque denominationes illæ per modum relationum rationis concipiantur illorum objectorum adinvicem; falsum tandem est, quod ait prædicabilitatem universalis non dicere quid rationis, quia licet aptitudo remota, quam habet natura communis ad essendum in multis ob indifferentiam negativam, quam retinet etiam in singularibus diffusa, sit realis, aptitudo tamen proxima, super quam immediate fundatur prædicabilitas universalis est rationis, quia est aptitudo ad essendum in multis, nedum disjunctim, sed etiam simul, & conjunctim, exorta ex indifferentia positiva, quam natura communis non obtinet nisi per opus intellectus facientis universale, ut ex professo explicavimus disp. 4. Log. quæst. 2. art. 1.

ARTICULUS II.

Non datur ens præscindens a reali, & rationis, quod sit univocum ad illa.

255 Hæc Conclusio est communis in omni schola tam Thomistarum, quam Scotistarum, & Neutralium, eam tenent Hervæus lib. de secundis intentionibus artic. 1. Soncin. 4. Metaphysic. quæst. 5. Complut. disputat. 11. Logic. quæst. 2. Zimar. in tabula verbo ens, Pasqualig. disputat. 27. cit. ex nostris Lichet. 3. distinct. 3. quæst. 3. in §. *quantum ad 2. artic.* Trombet. 4. Metaphysic. quæst. 2. artic. 2. Bassol. 1. dist. 29. artic. Mairon. quæst. 10. prolog. artic. 1. Nicolaus de Orbellis 4. Metaphysic. quæst. 1. Canon. 1. Physic. quæst. 3. artic. Auth. formalit. artic. 1. prima, & 6. divisione entic. Vallon. ibi, Vigerius, Paulus Scriptor, & alii Scoti expositores 1. dist. 29. Saxius tom. 1. chatast. disput. 10. quæst. 1. artic. 3. Meurisse lib. 1. Metaphysicor. quæst. 2. Poncius 3. par. Cursus disput.

sputat. 18. quæstion. 1. ubi falso citat Canon. in hoc dubio problematicum, quia loc. citat. firmiter stat pro hac sententia, & falso etiam hanc conclusionem colligit ex Scoto 4. Metaph. quæst. 1. tamquam ibi expresse dicat ens esse æquivocum ad res primæ, & secundæ intentionis, quia ut bene notavit Bargius contra Vigerium 1. dist. 29. & constat ex ipso processu quæstionis, ibi non loquitur Doctor de ente communi ad reale, & rationis, sed ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens, & vocat æquivocum ad excludendam univocationem limitatam, & rigorosam; Itaque conclusio colligitur ex 1. dist. 29. q. unic. ubi probans relationi reali, & rationis non dari conceptum communem univocum, in illa ipsa probatione manifeste significat enti reali, ac rationis non dari conceptum unum communem, ut mox expendemus; deducitur etiam ex eo, quod docet de ente reali 1. dist. 3. quæst. 3. & dist. 8. quæst. 3. & ubique nimirum conceptum ejus esse simpliciter simplicem, idest non resolubilem in alios conceptus, quod falsum utique esset, data opposita sententia, nam tunc resolubile foret adhuc in conceptum entis sibi communis, & enti rationis; sed quamvis hæc confusio sit apud omnes in confesso, non tamen ab omnibus efficaciter probatur, immo plerique Scotistarum, ac etiam aliorum rationes inducunt plane solubiles eodem fere modo, quo solvuntur rationes adductæ contra univocationem entis realis ad Deum, & creaturam, ut per eas discurrenti constabit, & ideo nonnullas hic examinare juvabit.

256 Primo probat Auctor Formalit. quia si ens commune ad ens reale, & ens rationis diceret unitatem conceptus, vel ille conceptus esset secluso opere intellectus, vel non; si sic, ergo aliquod quod esset præter opus intellectus includeretur quidditative in illo, quod non esset præter opus intellectus, cujusmodi est ens rationis, si non esset præter opus intellectus, sed per opus intellectus, ergo aliquod quod est per opus intellectus includeretur quidditative in illo, quod esset præter opus intellectus, & hanc rationem ipse putat insolubilem. Nihilominus Scotistæ oppositæ sententiæ respondent ad hanc rationem, quod conceptus entis transcendentissime sumpti, nec est realis, nec rationis formaliter, sed tantum permissive; sicut animal nec est rationale, nec irrationale formaliter, sed tantum permissive, seu potestative. Hanc tamen solutionem impugnant Scotistæ nostræ sententiæ præsertim Meurisse, nam animalis, ut præcisi a rationali, & irrationali datur una ratio sine contradictione, entis autem ut abstracti ab ente rei, & ab ente rationis dari non potest una ratio sine contradictione. Sed hæc impugnatio nullius est momenti, petitque principium, quia hoc est, quod controvertitur, num absque contradictione dari possit ratio communis entis ad ens reale, & ens rationis. Melius itaque impugnant alii probando directe dari non posse conceptum entis ita præcisum, qui non sit vel ens reale formaliter, vel ens rationis formaliter, & ratio est talis, quia vel illi conceptui repugnaret existere realiter, & sic esset ens rationis, vel non repugnaret, & sic esset ens reale, quia nihil aliud intelligimus per ens reale, quam id, cui non repugnat existere realiter in rerum natura, & per ens rationis id, cui hoc repugnat. Sed adversarii Scotistæ eidem adhuc insistunt solutioni, quod sicut animal licet a parte rei esse nequeat sine rationalitate, vel irrationalitate, tamen ex se formaliter neutram dicit, ita conceptum entis transcendentissimi ex se nec dicere repugnantiam, nec non repugnantiam ad existere realiter, licet a parte rei esse nequeat sine aliqua ex illis. Hæc solutio rursus impugnatur, quia nulli rationi communi ex se repugnat identitas cum suis differentiis, vel modis contractivis, alioquin non esset per eas contrahibilis, ergo conceptus entis transcendentissime dicit formaliter non repugnantiam, ut contrahatur per realem existentiam contradistinctam ab existentia rationis; si ergo dicit non repugnantiam formaliter ad existendum realiter, ergo formaliter erit ens reale, cujus ratio formalis in tali non repugnantia consistit.

257 At respondent rursus conceptum entis transcendentissimi dicere formaliter non repugnantiam ad existendum realiter, non intrinsece quasi in se intrinsece includat realitatem entis, sed extrinsece quatenus conjungi potest cum modo, vel differentia realitatis, eo pacto, quo animal dicitur potens discurrere, non quia in se intrinsece includat principium discursus, sed quia extrinsece potest cum eo conjungi, cum sit per rationalitatem contrahibile, & ideo sicut ex hoc non sequitur, quod animal sit, homo formaliter, ita non sequitur ens latissime sumptum esse formaliter ens reale, sed tantum permissive, quatenus conjungi potest cum ratione formali constitutiva illius. His de causis argumentum illud non tanti ponderis æstimatur, ut putavit Auctor Formalit. miror tamen, cur etiam Poncius illud inficietur loc. citat. cum in terminis eo utatur ipsemet contra me lib. 1. Physic. disput. 2. num. 17. ad ostendendum tria principia rerum naturalium non convenire univoce in ratione principii, cui tamen objectioni satisfeci disput. 4. Physic. in secunda editione qu. 4. in fine.

258 Secundo probat Jo: Canonic. quia si daretur talis conceptus abstractus ab ente reali, & rationis de unoquoque prædicari deberet essentialiter., sed hoc repugnat, ergo &c. probatur minor quod prædicatur essentialiter de ente reali, debet esse reale, alioquin non posset vere, & realiter de ipso prædicari, si ergo talis conceptus prædicari potest de ente reali, erit quid reale importans, & sic non poterit prædicari essentialiter de ente rationis; vel si de hoc essentialiter prædicatur, de illo prædicari nequivit; Confirmo adhuc, & magis declaro vim hujus argumenti, quicquid est in ente reali est aliquid reale, & tota ipsamet ratio entis realis adæquatissime considerata est realis, itaut nil in ipsa reperiri possit, quod ab ente reali præscindat, & e contra in ente rationis nulla prorsus formalitas reperiri potest, quæ præscindat ab esse rationis; ergo nequit dari ratio præscindens ab ente reali, & rationis, & de illis essentialiter prædicabilis. Hæc ratio sic confirmata non est facilis solutionis, quia quicquid convenit enti reali est aliquid, quod vere est in ipso a parte rei, & nullo pacto a realitate præscindit, & e contra in ente rationis. Sed adhuc dici potest, quod sicut non est opus quicquid de substantia prædicatur esse substantiam formaliter, alioquin nullum superius prædicatum de ipsa diceretur, sed sufficit, quod sit substantia formaliter, vel identice; sic in proposito opus non est quicquid prædicatur de ente reali, & in eo reperitur esse ens reale formaliter, sed sufficit esse ens reale identice, & talis esse dicetur ratio entis communissime sumpti, cum per realitatem contrahitur ad ens reale, erit enim realis per identitatem, non tamen formaliter, & eodem pacto dicetur totam rationem entis adæquatissime sumptam esse realem scilicet vel formaliter, vel identice, quo etiam sensu verum erit dicere totam rationem substantiæ adæquatissime sumptam esse substantiam, & nihil in ea reperiri, quod non sit substantia. Impugnari tamen potest hæc solutio, quia est manifesta disparitas de ente, & de substantia, aliisque generibus, cum enim hæc sint determinata entium genera, bene dari possunt formalitates communes de ipsis essentialiter prædicantes, quæ non sint formaliter substantia, vel accidens: at nequit dari formalitas prædicans quidditative, & essentialiter de ente reali, quæ non sit entitas realis formaliter, & a realitate præscindat. Et confirmari potest hæc impugnatio ex eo quod docet Doctor in simile 2. d. 12. q. 1. infra D. cum enim ibi obiceretur materiam primam non esse substantiam, quia potentiale non est aliquid actu illius generis, cujus est receptivum, ut patet de superficie respectu coloris; respondet Doctor, assumptum posse concedi de receptivis in posterioribus generibus, non in omnino primo, quale est genus substantiæ, quia receptivum illorum potest esse in aliquo priori genere, non sic receptivum substantiæ, cum hoc sit primum genus, & idcirco cum hoc receptivum aliquid esse debeat, in hoc primo genere statui debet, sic igitur in proposito de ente reali discurrendum, quod cum ipsum sit omnino prima, & fundamentalis ratio, qua cætera omnia realizantur, nihil prorsus in ipso reperiri potest, quod formalissime non sit reale, quod quidem in cæteris generibus non opus est dicere, ut nimirum quicquid est in substantia, sit formaliter substantia, quia ipsa non est omnino prima realitas in tota latitudine entis, sed hæc est ens reale, Verum est tamen, quod si quispiam in ea paritate insistere vellet, & negaret opus esse, ut quicquid prædicatur essentialiter de ente reali, sit ens reale formaliter, & diceret sufficere quod non sit ens reale identice, difficile poterit ab hoc dimoveri, præsertim in via nostra, juxta quam admittimus aliquid in quale de ente reali prædicari, quod tamen non est ens reale formaliter, sed tantum identice, ut constat de modis, & passionibus entis.

259 Tertio probat Poncius loc. cit. non dari conceptum objectivum unum, qui sit ens, & reperiatur in ente reali, & rationis, quia non potest explicari quis sit ille conceptus, posset autem sine dubio si daretur. Hæc ratio nihil prorsus concludit, non enim ex eo quod difficulter aliquid explicamus, negari debet conceptus illius, numquid quia formalitas divini decreti nequit a nobis viatoribus sufficienter explicari, negari debet dari divina decreta? tum quia inquit ipse disp. 1. Logic. num. 5. difficillimum esse explicare conceptum entis realis, neque exacte explicari per ordinem ad existentiam realem, ergo eadem ratione negari quoque debebit conceptus entis realis; sicut ergo explicari solet conceptus entis realis per ordinem ad existentiam realem, & rationis per ordinem ad existentiam rationis, ita conceptus entis utrique communis explicabitur per hoc, quod sit aliquid potens existere præscindendo ab hoc, quod existat ex natura rei, vel per intellectum. At ipse hanc solutionem impugnat, quia posse existere, seu esse extra causas, seu terminare actionem causæ, quando dicuntur simpliciter, capiuntur pro existentia reali, quia vere non existit, nec potest existere, cui non potest competere realis existentia, sed ad summum ficte, ergo conceptus ille communis utrique enti non potest consistere in hoc, quod possit existere. Quod etiam confirmat, quia posse existere aliquo modo competit negationibus, & privationibus, quæ tamen non sunt entia, ergo ille conceptus non est conceptus entis. Hæ duæ impugnationes videntur seinvicem destruere, quia in prima dicit, posse existere convenire solum enti reali simpliciter, & absolute loquendo, & in secunda ait etiam competere negationibus, & ideo illum non esse conceptum entis, sed quidquid sit de hoc, certum est nullam convincere; non primam, quia esto cum posse existere sumitur simpliciter, conveniat solum enti reali, cum tamen in eo rigore non sumitur, potest etiam adaptari enti rationis, quia etiam ens rationis suo modo existit scilicet per intellectum, & habet existentiam objectivam, qua ratione dicebamus disp. 3. Logic. quæst. 1. ad 6. Confirm. pro 1. princ. ens rationis quodammodo mediare inter ens reale, & purum nihil, quod omnem prorsus existentiam excludit tam realem, quam objectivam; nec etiam altera confirmatio urget, immo potius favet, quia si posse existere potest negationibus, & privationibus, quæ non sunt entia, applica-

plicari suo modo, ut dicemus art. seq. poterit etiam suo modo applicari entibus rationis, & sic conceptus entis communissime sumpti explicari poterit, ut dicebamus.

260 Quarto probat Pasqualig. cit. quia hoc præscindens ab esse reali, & rationis omnino implicat, nec est ullo pacto excogitabile, vel enim erit *aliquid*, vel nihil, hæc namque sunt contradictoria, si est aliquid, ergo jam est ens reale, nec abstrahet ab ipso; sed erit ipsum; si autem dicatur esse nihil, neque potest abstrahere ab ente reali, sed erit oppositum ipsius, quod enim præscindit ab aliquo, potest de ipso prædicari, cum ergo impossibile sit ipsum nihil prædicari de ente reali, impossibile etiam erit, quod ab ipso abstrahat. Confirmat hanc rationem ex veritate illius primi principii Metaphysici, *quodlibet est, vel non est*, quod debet verificari etiam de quacumque ratione abstracta, & de ista non verificaretur, quia de ipsa nequit dici, quod sit, quia esse dicit aliquid reale, neque quod non est nihil, quia ab ipso præscindit, ergo talis ratio abstracta ab ente reali, & rationis dari non potest. Sed neque hæc ratio convincit, nam si nomen entis sumatur ample, pro eo nimirum, quod vel est in re, vel saltem in apprehensione, & accipiatur nihil, prout opponitur enti in ista amplitudine, in hoc, inquam, sensu ratio entis transcendentissime sumpti aliquid importabit, illud nimirum, quod vel habet esse in re, vel saltem in apprehensione, & per hoc patet etiam ad Conf. nam in hoc sensu de illa ratione abstracta dici poterit, quod sit; præter quam quod si argumentum valeret, probaret etiam dari non posse rationem *communem entis* rationis, ut sic, ad entia omnia rationis in particulari, imo nec rationes particulares entium rationis, quia de nulla harum rationum verificari posset, quod sit, si esse dicit aliquid reale, nec etiam, quod non sit, cum ens rationis habeat esse saltem objectivum.

261 Quinto igitur melius probari potest ratione, quam ipse Doctor affert 1. d. 29. quia ei, quod est secundum quid tale, & ei quod est simpliciter tale, inquantum tale, non est commune univocum illud, quod accipitur in eis secundum quid, & simpliciter, sed ens reale est simpliciter ens, ens autem rationis secundum quid ens, ergo non datur ratio una entis illis communis, & hæc ratio Doct. fundatur in illa regula, quæ habetur secundo Perih. quod a termino sumpto cum aliquo distrahente, vel diminuente ad eundem sumptum simpliciter non valet consequentia, sed ly *rationis* distrahit, vel saltem diminuit rationem entis, ut sic. Adhuc tamen respondent Bonet. quod ens rationis est ens secundum quid in comparatione ad ens reale, sed non in comparatione ad ens in communi, in ratione enim entis non exceditur ab ente reali, quatenus ens, licet bene, ut ens reale, quo quidem modo etiam nos occurrimus argumento Ægidii, quo probare tentavit ens reale non esse univocum substantiæ, & accidenti, quia substantia est ens simpliciter, accidens secundum quid. At bene percepta vi Scoticæ rationis statim constabit hanc solutionem non satisfacere, ut autem percipiatur, recolenda sunt, quæ supra diximus in hac eadem disputation. num. 111. ubi notavimus, quod particula secundum quid aut est particula distrahens, vel si est diminuens, dupliciter diminuere potest, aut ab entitate formæ simpliciter, & absolute, quo pacto homo pictus dicitur secundum quid homo, aut a perfectione formæ, quomodo accidens dicitur ens secundum quid per comparationem ad substantiam; non enim dicitur ens secundum quid, quasi non habeat propriam entitatem distinctam ab entitate substantiæ, sed quia non habet eam in eo perfectionis gradu, quo substantia; quando particula secundum quid est distrahens, vel diminuens a perfectione formæ, quæ dicitur communis, tunc diximus inducere analogiam æquivocam; quando autem diminuit a sola perfectione formæ, tunc diximus inducere analogiam univocam; cum igitur in proposito, quando ens rationis dicitur ens secundum quid; ly *secundum quid*, sit particula distrahens, vel diminuens ab entitate formæ, plane univocationem entis destruit, & æquivocationem inducit; unde non valet instantia illa, quæ fit de accidente, quia accidens non dicitur ens secundum quid eo modo quo ens rationis, ut satis constat ex ibi dictis.

262 Ratio autem cur in hoc sensu distrahente, & diminuente dicatur ens rationis ens secundum quid, est, quia quæcumque communi nomine participant, quia alterum illorum vere habet rationem entis intrinsecam, alterum vero solum per quandam *proportionem*, & similitudinem, cum communi nomine, non participant eandem rationem, ut constat de analogis proportionis disputat. 2. Logic. quæstion. 5., vel ut fiat universalior propositio, ita dicatur, quando membra comparantur ad aliquod commune prædicatum, quod uni simpliciter, & absolute competit, & alteri membro non nisi concipiatur ad modum alterius, tunc tale prædicatum non est eis commune univocum; sed ita se habet ens rationis, quod nequit dici ens, nisi *concipiatur* ad modum entis realis, ergo nequit cum eo univocari in ratione entis ab utrisque præcisa; major illa probatur, quando datur ratio aliqua communis pluribus, & univoca, omnia illa inferiora sub illa contenta sunt talia per rationem illam communem, non vero unum per alterum, seu quia concipiatur per modum alterius, min. constat ex dictis disp. 3. Log. quæstione 2. articul. 2. nam essentia entis rationis in eo consistit, quod non ens concipiatur ad modum entis realis, unde quod ens rationis sit ens aliquo modo, habet ab ente reali, quia nimirum ad similitudinem ejus concipitur, ergo non habet ab aliqua ratione entis superioris, quæ ab ente reali, & rationis præscindat, tunc enim esset ens ex vi illius rationis communis, non autem ex vi entis realis, ad cujus similitudinem concipitur. Confirm. quia ideo homo verus, & pictus non conveniunt in aliqua ratione communi hominis, quia quod homo pictus dicatur homo, habet omnino per ordinem ad hominem verum, ad cujus instar concipitur, non vero per ordinem ad aliquam rationem in utrisque essentialiter, ac intrinsece imbibitam, cum ergo ens rationis ita se habeat ad ens reale quantum ad suscipiendam entis denominationem, utique ratio entis ab utrisque præcisa dari nequibit. Et ex his constat solutionem Boneti non satisfacere, quia ens rationis dicitur ens secundum quid nedum in comparatione ad ens reale, sed etiam in comparatione ad ens, ut sic simpliciter, & absolute sumptum (quod etiam dici potest ens reale, quia præter ipsum non datur aliud ens univocum) quod utique Doctor ipse innuere voluit, cum dixit, ei quod est secundum quid tale, & ei, quod est simpliciter tale, inquantum tale, non est commune univocum illud, quod accipitur in eis secundum quid, & simpliciter; per illam inquam, reduplicationem, *in quantum tale*, significare voluit ens rationis non solum, ut sic, & secundum suam rationem peculiarem ad ens reale comparatam dici ens secundum quid, eo pacto, quo accidens in ratione accidentis, & per solam comparationem ad substantiam dicitur ens, sed inquantum tale, idest quatenus ens dici secundum quid tale, unde apposite Doctor illam reduplicationem posuit, ne posset cavillari ratio per instantiam de accidente, quod dicitur ens secundum quid.

263 Sexto ulterius probari potest alia ratione non minus evidenti, quia si daretur talis ratio abstracta ab ente reali, & rationis, tunc daretur minus ens ente rationis, & esset illud commune utrique, & tunc sequitur in ente reali reperiri aliquid, quod est minoris perfectionis, quam sit ens rationis, Probatur utraque consequentia, quia quodlibet commune est minus ens quocumque suo inferiori, nam quodlibet inferius semper aliquid addit ad suum superius, & *semper* inclusum eadem ratione est minoris perfectionis, quam includens. At respondet Bargius, quod ponendo gradualem latitudinem in ente rationis, nullum est absurdum concedere primam consequentiam, & etiam Bonetus inquit nullum esse inconveniens concedere secundam, quia sicut non repugnat substantiæ aliquid per se includere, quod sit minoris perfectionis, quam relatio, includit enim ens, quod est imperfectius ipsa relatione, sic a pari in ente reali potest aliquid per se includi, quod erit minoris perfectionis, quam ens rationis. Sed si bene expendatur illa consequentia, utique constabit, esse manifestissima absurda, quid enim absurdius est, quam concedere ens minus ente rationis, quod tamen sit ens? neque absurditatem tollit, ut ajebat Bargius, ponere in *ente rationis* gradualem latitudinem, quamvis enim intra ambitum entis rationis concedatur unum ens perfectius, vel imperfectius alio, hinc tamen *non sequitur* extra ejus ambitum, & latitudinem dari posse ens minus ipso, quod adhuc dici possit ens, nam minor omnium existentia, quæ possit haberi, est existentia objectiva; Et hinc etiam fit palam alterius consequentis absurditas, quod in ente reali detur aliquid minus ente rationis, quamvis enim absurdum non sit concedere in *substantia* aliquam formalitatem minoris perfectionis relatione, magnum tamen absurdum est concedere in ente reali formalitatem, quæ non solum *ens reale non* est, sed etiam minoris est constitentiæ, quam ipsum ens rationis. Videtur etiam in hoc manifesta implicantia, quia ex eo capite, quod hæc ratio est communis enti reali, & rationis, debet esse minus ens ipso ente rationis, ut Adversarii concedunt, sed ex alio capite, quod ab ente rationis præscindit, debet esse majus ens ipso. Probatur consequentia quoad hanc partem, quia quod non est omnino per opus intellectus, sed a tali esse præscindit, immo saltem remote potest realiter existere, est majus ens eo, quod est omnino per opus intellectus, & nullo pacto potest realiter existere, ut satis de se constat, sed ens rationis habet *esse* omnino per opus intellectus, & nullo pacto potest realiter existere, ens autem, quod utrique ponatur commune, præscindit ab esse per intellectum, & potest realiter existere saltem remote, quatenus contrahi potest per differentiam, vel modum entis realis constitutivum, ergo erit majus ens ipso ente rationis.

264 Aliam addunt alii rationem, velut efficacem, quod si daretur talis ratio communis, tunc ens rationis non esset abiiciendum a Metaphysico, immo ens communissime sumptum esset subjectum adæquatum Metaphysicæ, quia in scientiis semper conceptus communiores habent rationem objecti adæquati utpote ad quos cætera omnia reduci possunt. Hæc tamen ratio non convincit, quamvis enim Bonetus hac ratione teneat ens communissime sumptum ad ens reale, & rationis esse in Metaph. objectum adæquatum, attamen admissa etiam unitate talis conceptus adhuc necessario non sequitur ens communissime sumptum esse Metaphysicæ objectum adæquatum, quia objectum adæquatum in scientia non semper attenditur penes majorem conceptuum communitatem, alioquin in qualibet facultate subjectum attributionis semper coincideret cum objecto prædicationis, sed præsertim attenditur ex scopo, in quem facultas illa collimat, & *in* cujus gratiam cætera considerat, ut diximus quæst. procem. Phys. & falsum est in scientiis semper inferiores conceptus ad superiores reduci, minusque communes, *immo* regulariter res e contra se habet, quod sicut in esse rei genera ad species, & superiora ad inferiora reducuntur, ut

ut partes ad totum, ita quoque in esse scibilis, quatenus notitia superiorum ad notitiam distinctam, & scientificam inferiorum requiritur, ut ibi diximus num. 10. atque ideo sicut in Logica argumentatio, ac secunda intentio reducitur ad syllogismum, quia ejus exacta cognitio per se, & directe intenditur ibi ab Arist. & in Philosophia ens materiale, ac ens mobile eadem ratione ad corpus naturale reducitur, & in ejus gratiam consideratur, sic pariter in Metaphysica de conceptu entis transcendentissime capti dicendum esset, quod reduceretur ad ens reale, ut ad objectum attributionis, tam in esse rei, quam *in esse scibili*, quia Scopus Metaphysici est agere de ente reali, ejusque passiones investigare, non autem de ente rationis, nec de ente utrique communi, & si de illis agit, vel hoc est per accidens, vel certe hoc agitur in gratiam entis realis.

265 Septimo ex his sequitur ens commune ad ens reale, & rationis *esse* æquivocum, quia ut constat ex dictis in Logica, & superioribus quæstionibus inter univocum, & æquivocum nullum datur *medium*; si ergo *ens* in ea *acceptione* non est univocum, ut hactenus probatum est, restat ut sit æquivocum; Verum tamen est non esse purum æquivocum, sed æquivocum analogum, ut notavit Auctor Formalit. art. 1. dum dixit divisionem entis in ens reale, & rationis esse æquivoci analogi *in* sua æquivocata analogata, & colligi potest ex Arist. 4. Met. tex. 2. ubi dum ait ens non dici mere æquivoce de entibus, sed sicut sanum de sanis, inter ea, de quibus negat ens dici mere æquivoce, *comprehendit* etiam *entia rationis*, & negationes, quatenus ad modum entis significantur; fundatur autem hæc analogia in ordine attributionis, quem dicit ens rationis ad ens reale, & talis ordo non videtur esse, nisi imitabilitatis objectivæ, quæ consistit in cognoscibilitate unius ad *similitudinem* alterius; potest etiam dici cum Vallon. art. 1. Formalit. quod hæc sit analogia proportionis, nam quod nequit comparari ad verum ens secundum aliquam habitudinem, vel proportionem, nequit appellari ens, ut patet inductio in aliis æquivocis analogis, quia sanum quod principaliter, & per se dicitur, de animali, non dicitur de urina, ac dieta, nisi ob aliquam proportionem, & habitudinem, quam habent ad sanitatem animalis, & ridere dicitur de prato luxuriante ob proportionem, quam habet pratum virens ad hominem hilarem; cum igitur ens reale per se, & principaliter dicat rationem entis, ut sic, ens autem rationis non nisi præcise per ordinem, & attributionem ad illud modo jam explicato, sequitur ens respectu eorum non esse nomen mere æquivocum, seu æquivocum a casu, quale est nomen *Galli* respectu galli gallinacei, & hominis ex Paliis orti, sed æquivocum a consilio, quod coincidit cum æquivoco analogo, ut docuimus disput. 2. Log. quæst. 4. art. 1. & hæc est communis opinio in omni schola, quam tenent Complut. cit. disp. 11. Log. q. 1. num. 9. Aversa q. 3. de ente in communi sect. 11. Didacus a Jesu disp. 11. Log. quæst. ult. dub. 1. Meurisse loco cit. concluf. 3. Suarez disp. 54. Met. sect. 3. numer. 9. & alii passim.

266 Octavo tandem concludimus hoc totum pariter asseri debere de relationibus realibus, & rationis, quia ut inquit Doctor 1. d. 29. sicut esse in ratione est esse secundum quid, ita referri secundum rationem est referri secundum quid, quemadmodum igitur ens rationis in communi univocari nequit cum ente reali in ratione aliqua entis ab eis præcisa, quia ens rationis non est verum ens, nec intrinsece & proprie participans rationem entis, sed tantum est ens fictum, & cogitatum; ideoque non talem habent inter se convenientiam, qualis requiritur ad fundandam univocationem, ac unitatem conceptus; ita relatio rationis non est vera relatio, sed ficta, & cogitata relatio, atque ideo inter ista non verior similitudo, aut convenientia *intercedere* potest, quam inter quælibet alia entia realia, & rationis. Tum quia nec melius, nec facilius explicari potest in relationibus, quam in aliis entibus; qualis sit ille conceptus relationis communissime sumptus, & quo pacto determinari debeat ad relationem realem per modum realem, & ad relationem rationis per modum rationis. Tum tandem quia, falsum omnino est, quod asserebant Thomistæ num. 131. citati *esse ad*, constituens genus ad aliquid præscindere ab *esse ad* reali, & rationis, atque ideo de utrisque univoce dici: falsum, inquam, est hoc, ut probavimus disp. 8. Log. q. 4. quia differentiæ entium realium debent esse reales, cum ergo per *esse ad* contrahatur ens finitum, & accidens reale ad constituendum genus ad aliquid, plane sequitur illam, rationem *ad* debere esse realem. Rursus relatio prædicamentalis non solum est ens reale, & accidens reale, sed etiam relatio realis, quia per eam vere, & realiter subjectum refertur ad aliud, ergo in relatione non solum ratio *essendi in*, quæ *illi* competit, ut accidens est realis, sed etiam ratio *essendi ad*, quæ sibi præcise convenit, ut relatio, est totaliter ac adæquate realis.

Argumenta soluta.

267 In oppositum objicitur, Primo, Omnis potentia, quæ ferri potest super aliqua objecta, habet unum commune objectum, sub quo omnia illa continentur, sed intellectus ferri potest supra ens reale, & supra ens rationis, ergo hoc erit virtute alicujus primi objecti; sed objectum primum, & adæquatum intellectus unum esse debet, ut valeat specificare potentiam, quemadmodum docet Scot. 1. d. 3. quæst. 3. Conf. me acceptum, & prout est indifferens ad ens rei, & rationis posse poni primum *objectum nostri intel ectus*. Et tandem in Reportat. 1. d. 29. tenet ut probabilem univocationem entis communissime sumpti.

Resp. Canon. cit. intelligibilitatem per se convenire solum enti reali, ens autem rationis non esse intelligibile, nisi per accidens; & ideo ad argumentum *inquit* non ferri intellectum uniformiter super ens reale, & super ens rationis, sed in ens reale ferri ut in illud, quod est per se objectum; & in ens rationis, ut in illud, quod ei *obiicitur* per accidens, quare concludit intelligibilitatem æquivoce solum convenire enti rationis, quæ responsio fuit aliquando Mairon. 1. d. 3. quæst. 2. & recipitur a Meurisse lib. 1. Met. suæ quæst. 2. Et ab hac solutione non multum distat Pasqualig. cit. sect. 3. ubi ait ens rationis non intelligi *propria intelligibilitate*, quam habeat contradistinctam ab intelligibilitate entis realis, quia sicut non intelligitur, nisi per ens reale, ita non habet aliam intelligibilitatem ab ipso, per quod innuere videtur non esse *proprie*, & per se intelligibile. Sed entia rationis, secundasque intentiones propriam, & per se habere intelligibilitatem jam ostendimus disp. 3. Logic. quæst. 6. & adhuc probatur a Lich. Barg. Vallon. aliisque Scotistis evidenti ratione, quia sunt per se objectum unius habitus, scilicet Logicæ, definiuntur, dividuntur, in eis fiunt demonstrationes. & de eis moventur quæstiones, ergo sunt per se *intelligibiles*, & propriam habent intelligibilitatem distinctam ab intelligibilitate entis realis, sicut distinctam habent essentiam, atque ita expresse significavit Doctor quæst. 5. Univers. ubi vult *universale*, quod est secunda intentio, esse per se intelligibile, & 2. d. 1. quæst. 5. B. At ait Meurisse. quod cum dicitur entia rationis, secundasque intentiones esse per se *intelligibiles*, ly *per se*, *fumi* posse dupliciter, vel ita ut perseitas cadat in entia rationis faciendo sensum, quod entia rationis sunt per se *intelligibilia*; vel ita ut cadat in scientiam, ut sensus sit, entia rationis, & secundæ intentiones quocumque modo sint intelligibiles, intelliguntur, & considerantur per se a logico; primo modo, ait, falsum est, entia rationis esse per se intelligibilia, quia intelligi possunt solum in alio, & virtute alterius, nimirum entis realis, sed solum sunt per se intelligibilia secundo modo. Contra, quia ratio adducta manifeste probat entia rationis esse per se *intelligibilia* in primo sensu, quia nec definitio, nec demonstratio convenit enti, nisi primo modo per se intelligibili, hoc enim solum est objectum per se scibile, & definibile; tum quia alter sensus videtur *implicatorius*, *nullus* siquidem sciens assumere potest, ut per se intelligendum ab ipso, quod non est per se intelligibile, quia tunc *intelligeret* objectum illud modo sibi repugnanti, si ergo Logica per se *considerat* secundas intentiones, hoc arguit ipsas esse per se intelligibiles.

268 Neque quia entia rationis intelliguntur per aliud, & in virtute entis realis, secundæque intentiones virtute primarum, ideo dici debent propria, & per se carere intelligibilitate, quia etiam substantia pro statu *isto intelligitur virtute* accidentis, & non ob id propria dicitur carere intelligibilitate, sic quoque relatio virtute extremorum *intelligitur*, & passio per subjectum, & adhuc sunt per se intelligibiles, unde, *ut ajunt Logici*, ly *per se*, potest dupliciter sumi, vel ut opponitur *ei* quod est *per accidens*, vel *ei* quod est *per aliud*; licet ergo ens rationis non sit per se intelligibile, ut opponitur *ei* quod est *per aliud*, quia re vera est cognoscibile virtute entis realis, est tamen per se intelligibile, ut per se *opponitur ei*, quod est *per accidens*; ut clare demonstrant rationes allatæ, & forte Scotistarum quamplures in hoc sensu locuti sunt, cum dixerunt entia rationis esse per accidens intelligibilia, ut nimirum ly per accidens idem sonet; quod per aliud; Eodem modo reliciunt Iurio Pasqualig. qui eadem ratione negare videtur propriam intelligibilitatem entibus rationis, quia non intelliguntur, nisi per ens reale, & ad modum entis realis; nam ut dicebamus in Log. loc. cit. potius ex hoc oppositum deducitur, quod nimirum hæc erit ejus propria intelligibilitas, ut nimirum sit intelligibile per aliud, & ad modum alterius, & hæc ipsa intelligibilitas erit contradistincta ab intelligibilitate entis realis, quod non est hoc pacto intelligibile, sed per ipsum, & propria virtute; tum quia ut ibid. dictum est, & constat ex præcedenti articulo, licet in cognitione directa, quæ est *entis* rationis factiva, cognoscatur ens rationis ad modum *entis* realis, postea tamen in cognitione *reflexa concipitur in* suo ordine, sicuti est, & tunc maxime propriam dicitur habere intelligibilitatem, quia tunc intelligitur, ut est ens ab ente reali contradistinctum, ut monet Doctor cit. 2. d. 1. q. 5. B. concedenda igitur est propria, & per se intelligibilitas entibus rationis non quidem motiva, quia hæc certe propria est *solius* entis realis, & si ens rationis talem propriam haberet intelligibilitatem, jam non virtute alterius, sed virtute propria intelligibile foret; *sed concedenda est ei propria intelligibilitas* terminativa.

269 Sed tunc maxime urgere videtur proposita difficultas, quia talis passio communis utrique enti videtur etiam exigere commune subjectum, cujus sit adæquata passio, nam solum inadæquare singulis convenit, & hoc erit ens communissime acceptum, & ad utrumque indifferens; Variæ solent ad hec esse Scotistarum responsiones, ut videre est apud Lichet. & Bargium 1. d. 3. qu. 3. §. *quantum ad* 2. *art.* & §. *ad quæstionem igitur*, Valon. tr. formal. ar. 1. prin. Mauritium q. 5. univers. §. *quantum ad tertium*, & alios, quorum aliqui concedunt hanc intelligibilitatem terminativam esse utrique enti *communem*, & obje-

& objectum adæquatum intellectus quantum ad terminationem esse ens communissime sumptum ; negant tamen hinc recte inferri in tali objecto unitatem univocationis , quia ratio movendi si foret communis , inferret univocationem , non autem sola ratio terminandi : ita Bargius loco cit. & Vallon. qui ait , quod cum dicitur objectum potentiæ alicujus esse debere univocum , hoc debet intelligi de objecto motivo , & per se primo terminativo, non autem terminativo utcumque , quale ponitur ens communissime *sumptum*, *unde concludit ex tali communitate* passionis in ente sic abstracto solum inferri posse unitatem proportionis , quam sic declarat , quia sicut se habet ens reale respectu suorum inferiorum in suo ordine ; sic se habet ens rationis respectu suorum inferiorum in suo ordine ; Cæterum ut diximus disp. cit. Log. q. 6. admittendo intelligibilitatem terminativam sic in abstracto unam , & communem enti reali , & rationis ; & pariter objectum adæquatum quoad terminationem esse ens communissime sumptum adæquate correspondens illi intelligibilitati terminativæ , & dicere hoc non inferre unitatem univocationis , sed solius proportionis , certe videtur prorsus voluntarie dictum , quia talis communis passio ad illud commune subjectum sibi adæquatum utique eodem modo se haberet , sicut aliæ passiones ad sua subjecta , & de eo demonstrari posset per rationem formalem entis , ut sic, ergo nihil ei deficit ad unitatem univocationis , vel si hoc licet dicere de ista passione in ordine ad *suum subjectum* , *quod non* habeant nisi unitatem proportionis, idem pariter dici poterit de aliis passionibus in ordine ad sua adæquata subjecta . Præstat igitur cum *aliis Scotistis* ponere duas intelligibilitates terminativas , unam simpliciter correspondentem enti reali , aliam secundum quid correspondentem enti rationis , nec dari unum conceptum intelligibilitatis ab utrisque præcisum , & ratio hujus est, quia sicut res se habet ad esse , ita ad intelligi, quia ergo ens reale est simpliciter tale , ens rationis tale secundum quid , ita pariter intelligibilitas unius est simpliciter , & intelligibilitas alterius secundum quid , quam solutionem approbavi disp.3. cit. Log. q.6. ad 1. contra 2. concl. & disp.6. de Anim. n.146. & recipit Vigerius 1.d.3. q.3. Brasavol.qu.3. univ. in fine, & Bargius ipse quoque loc. cit. ubi etiam consequenter dicunt , *opus non esse* dare unum adæquatum objectum intellectus terminativum , sed sufficere unum objectum motivum ; cujus ratio deducitur ex dictis d.2. de Anim.q.4. ubi diximus munus esse solius objecti formalis, & motivi specificare potentias, ac earum actus, non autem objecti materialis , ac terminativi , unde per solam unitatem objecti motivi sufficienter solvatur unitas potentiæ intellectivæ, & tale est ens reale. Immo ut notavimus loc.cit. disp. 6. Anim. n.146. salvari etiam potest unitas objecti terminativi ponendo ens rationis reduci ad ens reale nedum in ratione objecti motivi, sed etiam terminativi, quatenus ens reale est objectum intellectus non solum primo motivum , sed etiam primo terminativum , & ens rationis in virtute entis realis est intelligibile terminative , non quidem per se primo , sed tantum per se secundo; ut dici solet de creaturis visis in essentia divina, cui tandem solutioni etiam acquiescit Vallon. cit.

270 Hinc patet, quid sit dicendum ad difficultatem propositam n.267. & 269. non enim datur talis intelligibilitas terminativa communis utrique enti reali , & rationis , nisi æquivoce , nec uniformiter *etiam* quantum ad *ipsam intelligibilitatem* terminativam fertur intellectus in ens reale, & rationis, quia in illud fertur per se primo, *in* illud per se secundo , & intelligibilitas *illius* est *simpliciter*, *istius* vero tantum secundum quid juxta conditionem suæ entitatis. Ad Conf. ex Scot. quol.3. ab initio varie quoque responderi solet a Scotistis, & Bargius accurate locum illum exponit 1. d.29. sed breviter dici potest, Doctorem non ibi cathegorice loqui , sed hypothetice , quod nimirum ex hypothesi quod ens communissime sumptum haberet unitatem univocationis, vel saltem analogiæ (qualis ponitur a Thomistis) tunc posset poni primum objectum intellectus, sed ait ibid. non eo loco curare de tali unitate , & communitate , qualis sit , num scilicet univoca , vel analoga , vel æquivoca , signum evidens non ibi loqui Doctorem resolute, & auctoritative. Ad auctoritatem ex deportatis dicitur, quod esto ibi Doctor problematice procedere videatur, tamen in scripto Oxoniensi , quod majoris est auctoritatis , pluribus in locis præsertim *vero* 1. d.19. negat ens in tali acceptione esse univocum , ut vidimus.

Secundo arguitur omnibus fere viis , quibus superius probavimus univocationem entis realis ad Deum, & creaturam, substantiam , & accidens . Primo , Via abstractionis , unus & idem conceptus nequit esse certus , & dubius ; sed multi sunt *certi* , quod relatio est ens , & numerus est ens , dubitant vero, an sit ens reale, vel rationis, ergo ens de eis dicitur univoce . Secundo via divisionis, quia ens prima sui divisione dividitur in ens in anima, & extra animam, seu in ens reale, & rationis, sed omnis divisio incipit ab una , ergo, &c. Tertio, via definitionis , quando aliquid definitur per commune , & per contrahens , necessario illud commune convenit alicui, cui non convenit contrahens , sed ens reale , & rationis definitur per ens , & aliquid contrahens , nam ens reale , & ens rationis est terminus complexus dicens duos conceptus objectivos , quorum unus significatur per ly ens , & *alter significatur* per ly reale , & rationis , ergo &c. Quarto ex via distributionis , nullus terminus æquivocus est distribuibilis , quia inconvenienter dicitur omnis canis , sed ens distribuitur pro ente *reali* , & rationis , quia ista est vera , omne ens est intelligibile , ut ens pro utroque distribuitur . Quinto ex via contradictionis , nam in æquivocis non est contradictio per Arist. in elenchis , sed hic est contradictio, genus est ens, genus non est ens; ergo &c. Sexto ex via numerationis , quando aliqua enumerantur in aliquo , univocantur in illo , sed ens reale , & ens rationis numerantur in ente , quia dicimus , quod sunt plura entia . Septimo ex via comparationis , omnis comparatio fit in aliquo univoco 7. Phys. sed in ente communissime sumpto fit comparatio , dicimus enim ens rationis esse minus ens ente reali ; ergo &c. *Tandem* ex via *argumentationis* , quia ens communissime sumptum habet sufficientem unitatem medii syllogistici; ergo non est æquivocum ; Probatur assumptum ; quia hæc est bona argumentatio , omne ens est intelligibile , secunda intentio est ens ; ergo est intelligibilis ; hæ sunt viæ , quibus supra quæst. 1. & 2. hujus disp. probavimus univocationem entis realis ad Deum, & creaturam, substantiam, & accidens , quibus si hic respondere volumus, ansam præbemus Adversariis respondendi eisdem , dum adhibentur ad ostendendam entis realis univocationem, vel saltem non modice enervantur.

271 Ad 1. solent respondere Scotistæ passim in eo casu nos esse certos de sola voce , non de aliqua re, vel conceptu, quæ quidem solutio , nisi melius explicetur , non sufficit , quia sic etiam respondere licebit ad illam maximam , cum adhibetur ad probandam unitatem conceptus entis realis , ut ostendimus supra numer. 8. ubi huic difficultati sufficienter occurrimus , quæ hic repetere piget. Poncius cit. disp. 18. de ente, ut sic, numer. 5. ait in eo casu non haberi conceptum determinatum, & unum de relatione , vel numero , sed indeterminatum , & confusum . At ita dicendo concedit totum id , quod Adversarii volunt , neque enim prætendunt abstrahi posse ab ente reali , & rationis unum conceptum determinatum, & adæquatum , sed indeterminatum , & confusum , qui non nisi ab intellectu inadæquate concipiente abstrahi possit , atque ideo recedendum non est a solutione nostra allata loc. cit. Ad 2. divisio incipit sic ab uno , quali modo unius est divisio ; divisio autem entis in reale , & rationis est divisio solius vocis in significatione , & ideo incipit sic ab uno , scilicet una voce . Ad 3. neg. minor , nam per ly reale , & rationis solum *determinatur æquivoca significatio entis communissime* accepti , sicut per verum & pictum determinatur æquivoca hominis significatio ad utrumque . Ad 4. ait Mairon. quæst. 10. prolog. illam non esse proprie distributionem, sed tantum quatenus explicari potest per disjunctivam , quo pacto dici etiam potest omnis canis , idest hic , vel ille canis . Ad 5. circa ens communissime sumptum non est contradictio, nisi facta distinctione, vel suppositione ens accipi in affirmativa, & negativa pro eodem , & hoc modo est contradictio in æquivocis , quia tunc fumuntur ut univoca . Ad 6. ait Mairon. cit. quod proprie non numerantur , nisi quatenus sunt diversæ acceptiones entis , sicut homo non numeratur in homine vivo , & picto , & tamen dicuntur duo homines, hoc est duæ acceptiones *hominis* . Ad 7. neque in ente communissime sumpto fit proprie comparatio , sed abusive tantum dicitur ens reale magis ens , vel verius ens ente rationis , quo pacto *homo vivus dicitur verius homo homine mortuo* . Ad ult. negatur assumptum , ad cujus probationem dicimus argumentationem illam non tenere , si accipiatur , ut syllogismus cathegoricus , sed tantum si accipiatur ut hypotheticus ex disjunctivis compositus , quo pacto tenet hoc argumentum , omnis canis est mobilis , sed Syrius pro fidere cælestis est canis ; ergo est mobilis , tenet , inquam , hic discursus inquantum syllogismus hic cathegoricus potest in hypotheticum resolvi ex disjunctivis compositum hoc modo ; hic vel ille canis est mobilis (sumendo canem in diversa acceptione , & significatione) Syrius est canis cælestis ; ergo &c. sic itaque tenet præfatus discursus in argumento factus , omne ens est intelligibile , secunda intentio est ens , ergo ; sic enim resolvi potest ; hoc vel illud ens idest reale vel rationis est intelligibile , secunda intentio est ens rationis , ergo est intelligibilis ; Neque solutiones istæ infirmant easdem vias , & adhibentur ad probandam entis realis *univocationem* ad Deum , & creaturam , substantiam , & accidens ; ut enim constat ex quæst. 1. & 2. hujus disp. longe efficacius concludunt pro univocatione entis realis, quam *entis communissime* sumpti ad reale , & rationis , tum quia longe major est convenientia inter Deum , & creaturam, substantiam , & accidens , quam inter ens reale , & rationis, & facilius explicari potest quid dicat conceptus entis realis , ut sic , quam entis communissime sumpti indifferentis ad reale , & rationis ; & ideo si prædictæ viæ non bene probant univocationem entis istius , non recte deducitur neque bene probare univocationem illius .

272 Tertio arguitur ad idem , quia primum principium Metaphysicum scilicet de quocumque verum est affirmare , vel negare æqualiter dicitur de ente reali , & rationis , ergo suum subjectum debet esse univocum , & hoc erit ens indifferens ad reale , & rationis . Tum 2. quia illa prima dignitas est univoca , eo quod distinctioni non subiicitur ex Aristot. 4. Metaphysic. cap. 8. ubi ait primum principium cum sit firmissimum , ac notissimum non esse distinguendum ; ergo , & *subjectum ejus debet esse univocum* . Tum 3. quia ens indifferens ad reale , & rationis de utroque prædicatur quidditative ; ergo univoce . Tum 4. omnis multitudo debet reduci ad unitatem , sed ens reale , & rationis sunt diversa ; ergo reduci debent ad aliquod unum , quod erit ens ad utrumque indifferens . Tum tandem , quia magis distant

Deus

Deus, & creatura, quam ens reale, & rationis, quia Deus, & creatura distant in infinitum, non sic ens reale, & rationis, si ergo a Deo, & creatura abstrahibilis *est conceptus* unus utrique communis, tanto magis ab ente reali, & rationis.

Resp. Mairon. loc. cit. quod eo modo quo subjectum primi *principii* (quod quidem *est ens* reale transcendenter sumptum) se extendit ad ens rationis , eodem modo salvatur quoque primum principium in ente rationis , cum ergo subjectum illud ad ens rationis se extendat tantum secundum quid , & diminute, ut ratio animalis salvatur in animali picto , eodem primum principium applicatur entibus rationis ; unde negandum est assumptum , quod primum principium in ente reali , & rationis æqualiter verificetur , quia proprie solum in ente reali verificatur , & in tantum enti quoque rationis applicatur , inquantum ad modum illius concipi potest, unde & ipse Bonet. cujus est hoc argumentum , ait non sufficienter *concludere* . Ad 2. concedendo , & primam illam dignitatem esse univocam , ac ejus quoque subjectum univocum esse, quia hoc est ens reale, *non vero ens indifferens ad reale* , & rationis, & in hoc sensu ait Arist. 1. Post. 14. dignitatem ex terminis communissimis constitui , quia nimirum constat ex terminis communissimis realibus , & transcendenter sumptis , non vero quia constet ex ente transcendentissime sumpto . Ad 3. negatur assumptum , vel si prædicatur in quid , hoc verificatur solum quoad quid nominis, non quoad quid rei , quia nullum tale habet. Ad 4. non omnis multitudo reducitur ad unum , quod nihil sit illius multitudinis , sicut multitudo primæ causæ , & causatorum non reducitur ad aliquod unum extra illam multitudinem , quia sic sequeretur aliquid esse prius primo , *sed tota illa* multitudo reducitur ad unum , quod est aliquid illius multitudinis , cui alia attribuuntur , ut ad primam causam ; sic in proposito *multitudo entis realis* , ac entis rationis reducitur ad unitatem entis realis , non autem alicujus , quod sit extra hanc multitudinem . Ad ultim. negatur assumptum , qua ut ait Canon. cit. magis distant extrema alicujus distantiæ , quam aliqua contenta sub altero extremorum , ens autem reale , & ens rationis sunt extrema alicujus distantiæ , & Deus , & creatura continentur sub ente reali , & ideo magis distant ens reale, & ens rationis , quam Deus , & creatura ; ad probationem assumpti dico cum eodem , quod inter Deum , & creaturam est distantia infinitatis intensivæ , quæ non tollit omnem rationem convenientiæ, sed distantia, quæ est inter ens reale, & rationis, tollit omnem rationem convenientiæ.

273 Quarto arguitur ad probandum saltem posse abstrahi conceptum *communem* ad relationem realem, & rationis, quia prædicamentum relationis constituitur per *esse ad* , cætera vero accidentium genera per *esse in* , & inhærere ; at hoc interest inter *esse ad*, & *esse in* , seu inhærere , quod *esse ad* abstrahit a reali , & rationis , sed inhærere ex proprio conceptu dicit aliquid reale , ergo saltem in genere relationis potest admitti talis conceptus præcisus ; major patet , probatur minor , quia *esse ad* , ut de se constat , æque convenit relationi rationis , & reali , & intellectus utique referre potest unum ad aliud , ad quod a parte rei non refertur , at nequit facere inhærere , quod re vera non inhæret, ita arguunt quidam Thomistæ , & præsertim Cajet. 1. quæst. 28. art. 1.

Resp. negando majorem , & minorem ; majorem quidem , quia ut constat ex *dictis disp.* 8. Log. quæst. 4. relatio ex proprio conceptu intrinseco non solum dicit *ad* , sed etiam *in* ; minorem vero , quia *esse ad*, vere, ac proprie sumptum, quo sensu constituit prædicamentum relationis, dicit conceptum realem , quia cum cæteris prædicamentis condividit ens reale , & sicut hoc non obstante potest dari *ad* rationis , ita & *esse in* ; sicut enim intellectus vim habet concipiendi respectum inter aliqua, quæ non referuntur , ita vim habet apprehendendi accidens in aliquo subjecto, cui inesse nequit , & quamvis intellectus nequeat virtute sua facere inhærere a parte rei , quod non inhæret, cogitare tamen potest illud , ut inhærens , sicut a pari quando irreferibilia adinvicem refert, utique non facit illa referri a parte rei, sed illa apprehendit ut relata ; unde quoad hoc nullum est discrimen inter *esse ad*, & *esse in* .

274 Postremo arguit Pasqual. tom. 1. Mer. disp. 27. sect. 2. probans inter ens reale & rationis nullam interesse analogiam, quia vel hæc esset analogia proportionis, vel attributionis neutrum est dicendum, quia proportionis non solum analogia quæ dicitur propria, & per denominationem intrinsecam, sed etiam impropria , & per metaphoram dicta , supponit in eo , quod tale dicitur proportionaliter, aliquam habitudinem ad id, quod est tale proprie , sic enim pratum dicitur ridere ob quandam habitudinem, quam dicit ad vultum hominis ridentis ; ens autem rationis , cum in se sit omnino nihil , non habet unde fundet talem habitudinem , quæ in se realis est ; eodem modo probat minorem quoad alteram partem, quia illa quoque analogia attributionis etiam ea , quæ dicitur per extrinsecam denominationem , dicit in secundis analogatis veram , & realem habitudinem ad primum, urina namque sana dicitur, quia dicit habitudinem in ratione signi ad sanitatem animalis ; sed ens rationis cum sit nihil , talem habitudinem fundare nequit , & cum hæc habitudo sit realis , enti rationis convenire nequit , ergo &c. Conf. quia si ens rationis analogum esset ad ens reale , hoc præsertim foret , quatenus habet similitudinem entis realis , dum dicitur concipi ad modum ejus , ut supra dicebamus sed ens rationis in se consideratum nullam prorsus similitudinem habet cum ente reali, immo magis ab eo distat, quam homo pictus a vero, nam hic saltem intercedit realis similitudo in aliquo accidente, quæ inter ens reale , & rationis nulla esse potest . Tum quia vel hæc similitudo esset realis , vel rationis, si realis, ergo in ente rationis fundari nequit; si rationis , jam nihil est , & ideo veram analogiam inducere nequit .

Respondetur ad hæc , & similia argumenta cum Suarez disp. 54. Met. sect. 1. num. 10. quod quamvis ens rationis , ut sic , nullam in se habeat proportionem , aut fundamentum proportionis ad ens reale , quia in se nihil est ; cogitatur tamen ad modum habentis proportionem , vel habitudinem , & hoc satis est ad fundandum aliquam analogiam ; unde neque *ponimus habitudinem* illam , quam *dicit* ad *ens* , veram , & realem, sed fictam, & cogitatam, quare argumentum cum sua confirmatione solum probat ens rationis non dicere veram , & realem analogiam , quod gratis concedimus.

ARTICULUS III.

Non datur ens præscindens a positivo , & negativo eis univocum .

275 Conclusio hæc colligitur ex Scoto 4. dist. 11. quæst. 1. §. *quantum ad 3. artic.* ubi ait subjectum esse sub privatione non esse taliter , *seu entiter se habere* , quia privatio non est aliqua entitas , ut sequitur ex dictis disp. 8. Physic. quæst. 1. art. 1. ubi determinatum est , quod licet sint multæ *privationes* , & negationes , quæ a parte *rei* de *suis* subjectis verificantur nullo intellectu cogitante , proindeque dici solent privationes, & negationes reales, seu ex natura rei , quatenus distinguuntur a privationibus , & negationibus mere rationis , diximus tamen nequaquam bene appellari entia realia negativa, vel positiva , ut quidam loquuntur , inter quos connumerari quoque potest Poncius disput. 5. Physic. num. 1. ubi non solum approbat modum loquendi illorum , qui privationem ex natura rei vocant ens privativum , immo inquit posse dici absolute , & simpliciter ens reale , quatenus ens reale opponitur enti rationis , quod adeo aperte falsum est , ut nec in ejus principiis consistere possit , quia secundum ipsum disp. 18. de ente , ut sic , num. 6. ens quod directe , & immediate opponitur *enti rationis* , est ens reale *positivum* , unde si privatio dici potest ens reale , quatenus ens reale opponitur enti rationis , ut ait loc. cit. disp. 5. Physic. num. 1. sequitur privationem esse ens positivum . Verum tamen est etiam nonnullos hunc dicendi modum admittentes , & distinctionem entis realis in positivum , & privativum, adhuc non concedere conceptum entis ab utroque præcisum , immo potius asserere videntur prout est commune utrique esse nomen mere æquivocum , ita Manca 1. Physic. quæst. 8. dub. 1. num. 3. Quamvis autem hæc conclusio sit adeo de se evidens , & manifesta , probari tamen solet quibusdam rationibus minus concludentibus , quas quia recipit Pasqual. cit. ut efficaces , & tuetur , nonnullas ad trutinam vocare juvabit .

276 Primo igitur probatur , quia ratio ista entis *a positivo* , & negativo præscindens , vel est aliquid , vel non ; si est aliquid , ergo aliquid essentialiter prædicatur de non ente reali , qualis est privatio , vel *negatio* , *si non est aliquid* , cum hæc ratio præcisa prædicetur de ente positivo , non aliquid prædicabitur essentialiter de eo, quod est aliquid . Hæc ratio similis est illi , qua num. 156. impugnabatur præcisio entis , ut sic , ab ente reali , & rationis , unde dissolvi potest , ut illa , dicendo ens abstrahens a positivo , & negativo esse quidem aliquid , sed quia aliquid æquivalet enti , abstrahit sicut illud a positivo , & negativo , datur enim in rerum natura aliquid positivum , & aliquid etiam reale negativum . Contra tamen instat Pasqualigus , quia aliquid de se significat quid positivum, & ratio est, quia aliquid , & nihil contradictorie opponuntur , ergo aliquid debet esse quid positivum , cum ex duobus contradictoriis alterum sit positivum, alterum negativum . At hæc quoque instantia facile ab Adversariis elidi poterit , quia eadem prorsus fieri posset de ente reali sic arguendo, ens & nihil contradictorie opponuntur ; ergo ens reale debet esse quid positivum ; quare sicut ad hoc *argumentum* dicerent privationes , & negationes ex natura rei subjecta sua efficientes esse utique ens reale , quatenus omne illud dicitur reale , quod non est ens rationis, non tamen ens reale *positivum* , quia ens reale , quod opponitur nihilo, sub se comprehendit , tam entia realia positiva, quam negativa, *sic in* proposito responderi posset ad argumentum factum per terminos *aliquid* , & *nihil* , quo autem pacto hoc argumentum ex contradictoriis desumptum deduci potest, ut sit efficax, postea demonstrabimus .

277 Secundo si daretur hæc ratio entis ab ente positivo , & privativo præcisa , deberet hæc ratio utique ad sua inferiora contrahi , & secum uniri , sed hoc est impossibile , ergo &c. Major patet ; Probatur *minor* , quia , quod non est positivum , nequit uniri cum positivo , præsertim cum eo quod secundum se totum est positivum , cum ergo ens illud , ut sic , non sit positivum , quia abstrahit, certe cum ente positivo uniri nequit , alioquin ens positivum reale secundum se

totum non esset positivum. Hæc ratio pariter similis est ei, qua supra num. 58. probatur præcisio entis, ut sic, ab ente reali, & rationis, & ideo dissolvi potest, ut illa, negando minorem, ad cujus probationem dicendum est, quod ratio entis sic præcisa non est quid negativum formaliter, & contrarie, sed tantum contradictorie, quatenus a positivo præscindit, immo quamvis non sit positiva formaliter, est tamen positiva permissive, & potestative, quod declarari potest exemplo cujusque naturæ communis a suis modis, ac differentiis contrahentibus abstrahentis, & ideo bene uniri potest cum ente formaliter positivo, eo pacto, quo dicimus ens non formaliter subsistens, vel inhærens posse uniri cum ente formaliter subsistente, & inhærente, idest cum substantia, & accidente, & ens non formaliter absolutum uniri posse cum ente formaliter absoluto, vel non relativum formaliter cum formaliter relativo; & sicut dicimus substantiam non esse secundum se totam, & adæquate sumptam syncathegorematice subsistentem, quia aliquam formalitatem includit non de se subsistentem, sed præscindentem, ut est formalitas entis, licet verum sit, nullam includere formalitatem positive inhærentem; sic in proposito dicendum foret, ens reale positivum dici secundum se totum tale, non quia omnis formalitas in eo reperta sit formaliter positiva, & nulla a positivitate præscindat, sed quia nullam includit formalitatem negativam, & sic manet ratio soluta; vel fieri poterit instantia in aliis rationibus contrahibilibus, ut v. gr. quod ens nequit contrahi ad substantiam, & accidens, quia non est subsistens, vel inhærens, quod autem non est subsistens, nequit uniri cum subsistente, neque non inhærens cum inhærente, & quemadmodum hæc argumenta solventur in aliis conceptibus communibus, sic in proposito dissolvi debebunt circa conceptum entis præscindentem a positivo, & negativo, si daretur.

Tertio si daretur ista ratio entis præscindens a positivo, & negativo, aliquid, quod prædicaretur de ente positivo, prædicaretur etiam de ente negativo, seu non ente, & e contra aliquid, quod prædicaretur de negationibus, prædicaretur etiam de ente positivo, hoc autem esse non potest, nam negativum secundum se totum est non ens, & secundum se totum est quid negativum, itaut nihil concipi possit in ipso, quod non sit negatio, ergo &c. Sed facile responderent negando minorem cum ejus probatione, nam licet ens negativum secundum se totum syncathegorematice sumptum sit negativum, quatenus nullam includit formalitatem, quæ de se sit positiva, falsum tamen est secundum se totum esse non ens; cum enim ens reale, ut secernitur ab ente rationis, quod solum habet esse per intellectum, sub se comprehendat nedum entia positiva, sed etiam negationes, & privationes ex natura rei sua subjecta afficientes, est commune utrisque, immo eo ipso quod dicitur ens negativum, ex vi nominis includitur ens, & solum excluditur quicquid habet rationem positivi.

278 Quarto igitur melius probari potest conclusio nostra ostendendo non dari tale ens reale negativum, & inconsulto prorsus negationes, & privationes ex natura rei subjecta efficientes entia negativa, & privativa appellari, cum enim hoc ostenderimus, statim demonstratum erit non dari ens reale commune enti positivo, & negativo, quia destructo altero extremorum, necessario quoque destruitur ens ab his duobus extremis præscindens. Tum quia ex hoc præsertim capite tale ens commune univocum positivo, & negativo invexerunt nonnulli, ut salvarent negationes, & privationes, re vera dari a parte rei citra cujuscumque intellectus operationem, unde hac necessitate sublata, consequenter tollitur præcisio entis a positivo, & negativo. Assumptum vero illud, nempe privationem, & negationem dici non debere ens reale, nec absolute ut dicebat Poncius, nec cum addito nempe privativum, vel negativum, ut dicebant alii, probandum est ex dictis disp. 4. Phys. qu. 1. art. 1. quia ens reale, ut sic, ex suo formali conceptu dicit quid positivum, ergo implicat in adjecto dicere ens reale negativum; Probatur antecedens, quia positivum, & negativum contradictorie opponuntur, ergo nedum opponuntur secundum rationes positivi, & negativi, sed etiam secundum rationem ipsam entis, seu tamquam ens reale, & tamquam non ens reale; Probatur consequentia, quia si non opponerentur in ratione etiam entis realis, tunc non opponerentur, ut pura affirmatio, & pura negatio, sicut petit contradictoria oppositio. Tum quia negativum ita directe opponitur positivo, ut directe tollat quicquid positivum ponit, sed ratione positivi involvitur quoque ratio entis realis, ut sic, ergo ens reale, ut sic, non involvitur in ratione negativi. Tum tandem quia peto quid dicat ratio illius entis, quod negativum appellant, & quare negativum, seu privativum dicatur, si enim tale dicitur, quia excludit omnem rationem entis realem, ut sic, habemus intentum, quod est purum nihil, & quod abusive dicitur ens negativum reale, cum potius dici deberet realiter non ens; si autem dicatur negativum ex sola ratione, quia tollit formam oppositam, licet etiam in se aliquam entitatem includat; hoc non tollit quin etiam sit ens positivum intrinsece, & formaliter, nam etiam calor tollit frigus, & tamen quia secundum se habet suum esse, est verum ens reale positivum; ergo si negatio, & privatio re vera sunt nihil formaliter loquendo, entia realia negativa non bene dicentur, immo potius non entia realia dici debebunt, & realiter nihil.

279 Denique potest etiam ad hujus asserti probationem inservire argum. quod nu. 263. proposui ad excludendam præcisionem entis ut sic, ab ente reali, & rationis, nam ex una parte ens negativum ut sic, deberet esse majus, & perfectius ens, quam ens commune ad positivum, & negativum, quia ratio inferior addita superiori auget illam in esse, non minuit, unde includens semper est perfectius incluso; at ex alia parte ens præscindens a positivo, & negativo esse deberet majus ens; quia non est negativum formaliter, & intrinsece, immo potest esse positivum ratione alicujus differentiæ contrahentis, ergo ens reale, quod dicitur negativum, est minus ens ente reali, quod præscindit a positivo, & negativo. Tum quia si daretur talis ratio præcisa, & utrique enti communis, scilicet positivo, & negativo, utique ad ens reale negativum per solam negationem contraheretur, sed cum sit purum nihil, ea negatio non videtur quo pacto ens reale contrahere possit; Probatur assumptum, quia in ente negativo reali præcisa ratione entis realis, sola & pura remanet negatio, ergo non nisi per illam contrahi potest, vel si per differentiam positivam contrahatur, erit jam ens positivum, non negativum.

In oppositum obicitur ex Arist. 4. Metaph. tex. 2. ubi explicans sphæram analogiæ entis inter hæc etiam enumerat negationes, & privationes illis verbis, *quædam enim quoniam substantiæ entia dicuntur, quædam quoniam passiones substantiæ, quædam quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut privationes*, si ergo privationes sunt analogice ens, debet ens quidpiam commune esse enti reali positivo, ac privativo. Deinde contra nos ad hominem urgeri potest difficultas proposita num. 132. quia disp. 1. Phys. quæst. 1. concl. 2. admittimus rationem principii, ab Arist. assignatam 1. Phys. materiæ, formæ, & privationi univoce convenire, si ergo enti reali positivo, sicut est materia, & forma, & privativo qualis est privatio, ratio principii in fieri potest esse communis univoce, id quoque de ratione entis realis, ut sic, verificari poterit.

280 Respon. ex Scoto super eum textum non utique esse Arist. intentum, statuere ens univocum analogum ad ea omnia, quæ ibi enumerat, sed tantum recensere varios modos, quibus aliqua appellari solent entia, ut hinc pateret omnia dici aliqualiter entia, quatenus singula habent aliquam attributionem ad ipsum ens, vel ad substantiam, modo, quo ibi exponit, negationes autem præsertim, ac privationes entia dicit, non quia in se vera sint entia, sed quatenus sunt remotiones verorum entium, & quatenus de suis subjectis verificari possunt a parte rei nullo cogitante intellectu, quia, ait Arist, *& ipsum non ens esse non ens dicimus*, cum veritate citra omnem intellectus fictionem, unde ly *esse* in tali propositione non determinat inhærens, quasi aliquid importet in ipso non ente, sed determinat inhærentiam, quatenus enunciat, ut res se habet a parte rei, & importat compositionem, quæ cum veritate est in intellectu; Ad aliud jam diximus ibidem, ac etiam disp. 4. Phys. quæst. 3. num. 29. non esse eamdem rationem de ente reali, ut sic, & de conceptu principii in fieri, quia ens reale, ut demonstravimus, ex suo conceptu formali, quid positivum dicit, & ideo implicat esse de se præcisum a positivo, & privativo, ut quidpiam utrisque essentialiter commune; at ratio principii in fieri, ut sic, non necessario dicit ordinem, seu habitudinem positivam principii ad principiatum, sed ab utroque præscindit, & æque bene salvari potest in materia, & forma, ac in ipsa privatione; hinc fit, quod rationes, quæ concludunt de conceptu entis, quod nequeat esse commune univocum positivo, & privativo, non ita bene concludunt de conceptu principii in fieri, ut sic.

Secundo, omne id, quod aliquo modo est in rerum natura independenter ab intellectu, potest ens reale vocari, sed privationes, & negationes sunt hujusmodi, quia nullo intellectu considerante vere dicimus aerem tenebrosum, oculum cæcum, ergo bene possunt entia realia vocari. Nec satisfacit dicere (inquiunt) tenebras esse in aere, non quia aliquid ponant in ipso, sed potius quia in aere adest remotio lucis; quia nec ipsi volunt privationes esse entia positiva, idest ponentia aliquid in rerum natura, sed solum removitva, hoc est, aliquam entitatem realem a subjectis removentia, unde dicunt nomen entis realis commune esse ad id, quod ponit entitatem, & ad id, quod entitatem removet.

281 Resp. loc. cit. satis explicatum esse ex Scoto 1. dist. 30. quæst. 2. ad ultim. quo pacto negationes, & privationes vere dicantur esse a parte rei suis subjectis, & realiter existere in rerum natura, ibi enim elegantissime docet realitatem, seu illam particulam, *realiter*, interdum determinare prædicatum, seu inhærens, & aliquando inhærentiam tantum, seu compositionem prædicati cum subjecto; in primo sensu denotat prædicatum importare esse reale in subjecto, sed in secundo sensu nil aliud dicit, quam quod illud vere est, sicut cum dicimus, hæc propositio, homo est asinus, est realiter falsa, hoc est vere falsa, cum ergo dicimus citra omnem intellectus fictionem aerem esse realiter tenebrosum, oculum cæcum, ly *realiter* non importat aliquid in ipsa tenebra, vel in ipsa cæcitate, sed tantum veritatem in propositione, quæ consistit in conformitate ipsius ad objectum, sicut se habet a parte rei, eodem modo ad hanc difficultatem respondet D. Thom. 1. part. q. 48. art. 3. ad 2. dicens, quod cum dicitur tenebram esse in aere, cæcitatem in oculo, ly *esse*, non sumi, ut significat ens divisum in decem prædicamenta, sed solum, ut denotat veritatem propositionis; ut sensus sit, hæc propositio est vera, in aere non est lux, in oculo non est visus; quod elegantius adhuc docuit cap. prim. de ente, & essentia, ubi nota ex Arist. 5. Met.

Met. tex. 14. ens per se dupliciter sumi, uno modo pro eo, quod dividitur in decem genera, alio modo prout significat propositionum veritatem, quorum differentia est, quod primo modo non potest dici aliquid, quod sit ens, nisi in re aliquid ponat; sed alio modo potest dici ens omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat, quemadmodum privationes, & negationes entia dicuntur, dicimus enim, quod affirmatio est opposita negationi, & quod cæcitas est in oculo, ita optime discurrit ibi D. Th. & consonat cum Scoto loc. cit. atque ita constat, ens nedum significare id quod est, & existit a parte rei, sed etiam veritatem propositionis, quam format intellectus.

Tertio oppositio privativa, & contradictoria sunt reales oppositiones, & existentes in rebus, unde etiam habere debent extrema realia, quorum alterum, cum non possit esse positivum, erit negativum, atque adeo aliquid reale negativum erit in rebus, cum ergo hoc ens negativum non sit purum nihil, bene poterit dari ens præscindens a reali negativo, & a reali positivo.

282 Respondet ad hoc Pasqual. cit. n. 7. oppositiones negativam, & privativam inter extrema versari, quorum unum dumtaxat est positivum, alterum vero vel est pura negatio, vel negatio connotans in subjecto aptitudinem, & capacitatem ad formam negatam, ex quo deducit alterum tantum extremorum esse extra intellectum, nempe positivum, alterum vero extremum non habet esse, nisi per intellectum, unde concludit istas oppositiones esse a parte rei tantum fundamentaliter, non vero formaliter, quia oppositio contradictoria formaliter consistit in affirmatione, & negatione, ut docet Arist. 1. Periher. cap. 5. quod etiam de oppositione privativa verificatur, nam & ipsa consistit in affirmatione, & negatione, & solum a contradictoria differt, quod supponit aptitudinem in subjecto; cum ergo propositiones sive affirmativæ, sive negativæ fiant per opus intellectus componentis, vel dividentis, plane dici nequit dari a parte rei, & nullo cogitante intellectu illas oppositiones formaliter, sed tantum fundamentaliter, quatenus nemine cogitante adest fundamentum illarum oppositionum. Hæc solutio non admodum placet, duo enim continet, quæ mihi nequaquam probari possunt, unum est quod alterum tantum extremorum harum oppositionum, scilicet illud quod est positivum, sit extra intellectum, aliud vero, scilicet opposita negatio non habeat esse nisi per intellectum; hoc, inquam, non placet, quia negationes, & privationes ex natura rei subjecta sua afficientes vere dantur a parte rei nullo intellectu cogitante, ut probatum est disp. 4. Phys. art. 1. & non sunt entia rationis formaliter ex dictis disp. 3. log. qu. 7. Alterum quoque quod displicet est oppositiones illas non dari a parte rei formaliter; sed tantum fundamentaliter; sicut enim a parte rei propositionum illarum una est formaliter vera, & altera formaliter falsa (nam sicut subjectum esse formaliter tale, est habere talem formam, sic formaliter non esse tale, est non habere talem formam) sic a parte rei adinvicem formaliter opponuntur in veritate, & falsitate, talis est enim oppositio earum in veritate, & falsitate, qualis est earum veritas, & falsitas. Tum quia si ea solum ratione dicuntur fundamentaliter opponi, & non formaliter a parte rei, quia propositiones illæ affirmativa, & negativa fiunt ab intellectu componente, & dividente, hac eadem ratione negari poterit dari a parte rei formaliter oppositionem contrariam, quia etiam propositiones contrariæ, per quas ipsa explicatur, fiunt per secundam intellectus operationem; immo hac eadem ratione dici poterit hanc propositionem, *homo est animal*, non esse a parte rei formaliter veram, quia talis propositio non habet esse citra intellectus operationem, sicut igitur ad formalem veritatis propositionem a parte rei sufficit conformatio intellectus cum objecto a parte rei, de quo fit enunciatio, & quod prædicatum, quod enunciatur, re vera includatur a parte rei in subjecto, de quo fit enunciatio, hac enim ratione ista propositio *homo est animal*, dicitur a parte rei vera formaliter, quia a parte rei formaliter animalitas includitur in homine; sic etiam concedi pariter poterit dari a parte rei oppositionem contradictoriam, & privativam, quatenus nullo cogitante intellectu, ut dicebat S. Thomas cit. de ente, & essentia cap. 1. affirmatio est opposita negationi, & forma privationi. Quod si quis instet hoc probare dumtaxat tales oppositiones, & propositionum veritates dari a parte rei fundamentaliter tantum, quatenus a parte rei fundamentum habet intellectus enunciandi illas veritates, & faciendi illas oppositiones, iste conficiet quæstionem de nomine; melius tamen erit tenere nostrum loquendi modum, quod tales veritates, ac oppositiones dentur a parte rei formaliter, ut distinguamus ab illis veritatem propositionum, quæ formari solent de entibus rationis, & secundis intentionibus, quas dicere solemus veras esse fundamentaliter, quatenus intellectus fundamentum habet in re illas efformandi; alia argumenta, quæ ad impugnandam conclusionem positam adduci possent, jam diluimus disp. 4. Log. cit. quæst. 1. art. 1.

DISPUTATIO TERTIA.

De principiis Entis.

Post explicationem conceptus entis, ut sic, de ejusdem principiis (si quæ habet) antequam de ejus affectionibus tractemus, agendum est; ordo namque doctrinæ ita postulare videtur, ut tractatio de principiis subjecti in aliqua scientia tractationem de ejus affectionibus præcedat, & ita observatum videmus ab Arist. in lib. Physicorum, ubi prius egit de principiis corporis naturalis, postmodum de affectionibus ejus.

QUÆSTIO I.

Num ens, ut sic, aliqua habeat principia, & quæ.

1
Uia, ut in Logica dictum est disp. de scientia ad lib. Post. principia subjecti scientia vel sunt principia incomplexa, quæ vocant essendi, & talia dicuntur, quia spectant ad constitutionem essentiæ subjecti, vel sunt complexa, quæ vocant cognoscendi, & talia dicuntur, quia sunt propositiones quædam maximæ, ex quibus deducitur cognitio subjecti, suorumque prædicatorum, & ex ipsis, velut ex mediis demonstrationis ostenduntur passiones de ipso, ut docet Scot. q. 3. prolog. ad argum. 1. quæst. nonnulla est difficultas inter Auctores, an ens, quod hic statuitur objectum in Met. hujusmodi principia habeat.

Et primo dubium est de principiis incomplexis, & essendi; complures enim præcipue ex Scotistis talia principia denegant conceptui entis, quorum fundamentalis ratio est, quia ens communissime sumptum, ut ponitur subjectum in Met. cum sit commune univocum Deo, & creaturæ, abstrahit a principio, & principiato, si enim ut sic haberet principia essendi, Deus quoque talia haberet principia, quo nihil absurdius, ita Scotistæ passim. Anton. And. 1. Met. qu. 1. ad 7. prin. Faber ibidem disp. 5. cap. 1. Tromb. 2. Metaph. quæst. 1. Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 1. quæst. 1. immo Doctor ipse cit. qu. 3. prolog. ubi Vigerius, Bargius, Lich. Paulus scriptor, ac cæteri ejus Interpretes, ait enim quod non oportet principia scibilis esse principia in se ipsius subjecti, quia entis inquantum ens, quod ponitur subjectum in Metaph. nulla sunt principia, quia tunc essent cujuslibet entis, sed oportet cujuslibet subjecti esse principia, per quæ demonstrentur ejus passiones de eo, ex quibus principiis, tamquam ex mediis demonstrationis formantur principia complexa, sicut propositiones per se notæ, hoc modo cujuslibet subjecti possunt esse principia quamumcumque imprincipiati respectu suarum passionum, ita Doctor ibi, & sic etiam loquitur 4. Met. cap. 1. & 6. Met. in principio.

Rursus est etiam aliqua difficultas de principiis complexis, & cognoscendi, quamvis enim fere ab omnibus hujusmodi principia entis concedantur; Vigerius tamen, & Bargius quæst. 1. prol. ista quoque denegant enti, quorum fundamentum est, quia ens communissime sumptum habet conceptum simpliciter simplicem, atque ideo in priores conceptus irresolubilem, quo sit ut habere nequeat principia per quæ demonstrentur de ipso affectiones, alioquin conceptum non haberet simpliciter simplicem, quia esset in illa principia resolubilis, & cum inquit Doctor loc. cit. cujuslibet subjecti debere principia constitui, per quæ ejus affectiones de ipso demonstrentur, ait Viger. hoc intelligi debere de subjecto non simpliciter simplici, quale non est ens, quam glos. etiam Bargius ibidem acceptat, esto fateatur quoquo pacto litteram Doctoris extorquere, & addit quod cum ille non sit locus proprius ipsius materiæ, Doctor ibi loquitur communiter.

2 Quoad primum dubium de principiis incomplexis, quæstio est parvi momenti, ac fere de nomine, quia certum est in rigore loquendo de principiis essendi, & incomplexis, ens transcendenter captum, ut est commune Deo, & creaturæ, hujusmodi principiis carere, quia ut sic abstrahit a principio, & principiato, & habet conceptum simpliciter simplicem in ulteriores conceptus irresolubilem, ut in superioribus declaratum est, & in hoc sensu loquitur Doctor loc. cit. neque opus est subjectum in scientia semper habere hujusmodi principia; satis enim est, ut habeat principia cognoscendi, ut diximus in Logic. loc. citat. explicando conditiones subjecti adæquati scientiæ, ut monet Doctor citat. Hoc tamen non obstat, quin in latiori sensu conceptui entis principia etiam incomplexa quoquo modo adaptari queant, & talia dicantur respectu ipsius essentia, & existentia, quia definiri solet ens reale per non repugnantiam ad existendum, per quam non repugnantiam explicari solet realis essentia rerum, unde cum essentia, & existentia integrent quodammodo, &

constituant conceptum entis, hoc, inquam, pacto ejus principia essendi possunt appellari. Et hoc ipsum quoque concedit Meurisse. loc. cit. concl. 1. ubi quamvis dicat essentiam, & existentiam, principia essendi entis vere, & proprie dici non posse, subdit tamen aliqua ratione dici posse principia ejus, quatenus nimirum videtur ens ex ipsis quasi constitui, & quatenus si proprie constitueretur, non ex aliis principiis, quam ex essentia, & existentia constatum esset, quo fit ut communiter dicantur principia entis incomplexa. Hac de causa Auctores gravissimi in Metaph. post disp. de natura entis, statim disputationem instituunt de essentia, & existentia, ut de principiis ejus incomplexis, quam ego quoque methodum servavi interdum in conscribenda Metaphysic. verum quia in ea disputat. de essentia, & existentia potiores difficultates, & controversiæ sunt de essentia, & existentia creaturarum, non autem entis ut sic; idcirco eam disputationem differre decrevi ad tractatum de ente finito statim habendum post tractationem de ente, ut sic, communi ad finitum, & infinitum inferius disp. 8.

3 Hic tamen, ne omnino ignota maneant hæc, quæ dicuntur principia entis incomplexa, ea declarabimus perfunctorie explicando quid importent nomina essentiæ, ac existentiæ, ut sunt communia Deo, & creaturis, & statuuntur principia entis realis; Et quidem circa explicationem nominis essentiæ non omnes eodem modo loquuntur; nonnulli etenim solam nominis ethymologiam attendentes, quatenus est abstractum ab esse, sive ab ente dixerunt, hoc nomen essentiæ significare solum gradum entis in abstracto, ut idem omnino sonet, quod entitas, quæ explicatio potius grammaticalis est, quam philosophica, quimvis enim hoc essentiæ nomen ab esse, vel ente deductum sit, ut notat Doctor quol. 1. art. 1. ex Div. Augustin. de Trin. cap. 4. vel 13. ab eo quod est esse appellatur essentia; ex usu tamen Sapientum, ac Philosophorum non significat solam, ac nudam rationem essendi in abstracto, quia non solum ens dicitur propriam habere, ac possidere essentiam, sed omnia, & singula entia tam in genere, quam in specie, ac individuo, indifferenter enim dicimus essentiam entis, generis, speciei, substantiæ, accidentis, & sic de aliis. Idcirco alii communiter, ut magis philosophice conceptum nominis essentiæ explicarent, ajunt nomine essentiæ intelligendam esse combinationem, & collectionem omnium prædicatorum ad primum modum dicendi per se spectantium, quibus unaquæque res in suo esse quidditativo constituitur loquendo de esse quidditativo, quo ad certum gradum entis determinatur, quod proinde ita est proprium ipsius, ut nulli alteri conveniat, unde cum verbi gratia dicitur essentia hominis, nomine essentiæ non debet intelligi sola ratio essendi hominis in abstracto, sed natura tota hominis constituta ex gradibus essendi, vivendi, sentiendi, ratiocinandi, &c.

4 Verum licet acceptio nominis essentiæ in hoc sensu sit bona, ac in scholis frequentissima, adhuc tamen nimis lata est, nec nomen essentiæ exprimit in eo rigore, & sensu, quo essentia dici solet principium entis realis, quo primo distinguitur a figmentis, & entibus rationis, nam juxta præfatam acceptionem nomen essentiæ etiam entibus rationis, & figmentis accommoditur, ipsa namque suo quoque modo propriam essentiam habere, & possidere dicuntur, & propriam prædicatorum necessariorum combinationem, quibus in suo esse quidditativo constituuntur, unde talem esse dicimus essentiam entis rationis, talem secundæ intentionis cum omni proprietate, non secus ac dicimus talem esse essentiam hominis, vel Leonis. Potius ergo dicendum est nomen essentiæ, ut hic de ea loquimur, illam rem significare, cui non repugnat esse existentiæ, unde juxta hanc essentiæ acceptionem neque figmenta, neque entia rationis propriam essentiam habere dicuntur, & in hunc modum nomen essentiæ explicuit Tromb. 5. Metaph. quæst. 6. art. 2. & quidem satis rationabiliter, quia, hic est sermo de essentia, ut est principium incomplexum entis realis, & ut ordinatur ad realem existentiam in rerum natura, & extra nihil, sed essentia in hac tertia dumtaxat acceptione est hujusmodi, quia in secunda acceptione etiam convenit entibus rationis, ac secundis intentionibus, ut dictum est, ergo hæc est vera & propria acceptio nominis essentiæ, ut convenit enti reali ab ente rationis, & nihil contradistincto. In quo autem differat nomen essentiæ a nomine quidditatis videatur apud eumdem Auctorem loc. cit. ubi ait latius patere nomen quidditatis nomine essentiæ, quia dicitur de pluribus formalitatibus in eadem re identificatis, quæ unam solam dicitur habere essentiam, ut constat in divinis, ubi est unica tantum essentia, sed plures quidditates, & formalitates in ea identificatæ, ut quidditas intellectus, voluntatis, justitiæ, sapientiæ &c.

5 Existentiæ nomen ita passim explicari solet ab Auctoribus, ut sit quasi extra sistentia, & existere quasi extra sistere, quod enim existit, sistit extra nihil sui, cum antequam existeret, nihil actu esset, sistit extra causas, in quorum potentia virtualiter continebatur; sistit extra potentialitatem essendi, dum educitur e numero entium potentialium, & inter entia actualia collocatur; ita nomen existentiæ explicat Aversa quæst. 8. sect. 5. & alii Recentiores passim. Sed satis de se constat, hanc esse notionem dumtaxat existentiæ creatæ, non autem existentiæ in communi ad creatam, & increatam, quo pacto dici potest principium entis realis, ut sic, quia Deus non ita dicitur existere, quasi extra causas sistat, & extra potentialitatem essendi, sub qua aliquando fuerit. Quare melius dicetur existentia esse id, ratione cujus res constituitur extra nihil, sic enim explicat conceptum existentiæ in communi ad Deum, & creaturam, quia tam Deus, quam creatura per ipsam existentiam extra nihil constituuntur in rerum natura. Itaque essentia, ut est communis Deo, & creaturis, exprimi debet per rei possibilitatem, & non repugnantiam ad existendum in rerum natura extra nihil, quia etiam Deus ipse est possibilis Logice, ut notavit Doctor 1. dist. 7. quæst. unic. quatenus non constituitur ex prædicatis inter se repugnantibus (esto non sit possibilis objective, quia nequit esse terminus actionis alicujus agentis) unde, & juxta nostrum concipiendi modum, antequam Deum concipiamus actu existentem in rerum natura, conciperè solemus, ut Logice possibilem, seu ut non repugnantem existere. Existentia vero in eadem communitate exprimi debet per rationem constituendi rem extra nihil quocumque modo id contingat; Et hæc sufficient pro nunc de essentia, & existentia rerum, plura namque de ipsis dicemus inferius in propria disp.

6 Quoad alterum dubium de principiis complexis, asserendum quoque est cum communi, ens inquantum ens, & quoad ejus scibilitatem consideratum habere principia complexa, seu cognoscendi; ita expresse Doctor loc. superius cit. quæst. prol. ad argum. 1. quæst. collat. & rursus in solutione ad 2. quæst. 2. collat. quod etiam habet in reportatis quæst. 1. prol. Nec valet, quod Bargius ajebat, Doctorem inibi esse communiter locutum, quia non erat locus proprius istius materiæ; nam ibi ex professo disputat Doctor de conditionibus subjecti, & declarat quo pacto verum sit subjectum cujuscumque scientiæ aliqua habere principia, dicens intelligendum esse universaliter de principiis complexis, & cognoscendi, non autem incomplexis, & essendi, & affert exemplum de ente, quod in Met. statuitur subjectum, cujus sunt principia cognoscendi, non autem essendi, & hoc ipsum docet 4. Met. cap. 1. & libr. 6. ab initio, ubi de principiis, & causis entis loquitur, atque ideo est locus propriissimus istius materiæ; Nec etiam satisfacit glossa, quam afferebat Vigerius supra relatus, quod Doctor loquitur de subjecto non simpliciter simplici, quale non est ens; Quia ut constat ex ipso contextu, loquitur universaliter de quocumque subjecto, immo, & expresse de ipso subjecto Met. quod est ens, unde ingenue fatetur etiam Bargius ipse, illam glossam, etiam si ei placeat, extorquere litteram Doctoris. Accedit Arist. auctoritas, quæst. 1. Post. tex. 179. loquens universaliter de subjecto cujuscumque scientiæ, tribuit illi proprietates, & principia, per quæ tales proprietates de ipso demonstrentur, ut ibi passim exponuntur Interpretes, & hæc autem sunt principia complexa, & cognoscendi, quæ subjecto conveniunt, non in esse rei, sed in esse scibilis, id etiam nominatim de ipso Met. subjecto asseruit 4. Met. cap. 3. dicens solius Met. esse considerationem illius primi principii, *impossibile est simul idem esse, & non esse*, cum enim sit id, in quod omnes demonstrationes resolvuntur, consequenter deducit esse primum principium entis, inquantum ens, & non alicujus determinati generis entis. Denique stabilitur ratione quam tangit Doct. loc. cit. omne subjectum habens proprietates, & passiones per se primo inhærentes, habet etiam principia, quibus tales affectiones de ipso demonstrari possint, quæ sunt principia cognoscendi, ut docuit Arist. loc. cit. 1. Post. sed ens communissime sumptum est hujusmodi, ergo re vera ens, ut ens, habet principia cognoscendi; Probatur minor, quia ut constabit ex hujus operis progressu, & præsertim ex disp. sequenti, multa de ente ostensive demonstrantur, & demonstratione etiam ducente ad impossibile, ergo principia complexa, & cognoscendi nequaquam ei debent denegari,

Ratio autem, qua moti sunt Bargius, & Vigerius ad negandum quoque principia cognoscendi ipsi enti, aut nihil concludit, aut ad summum probat, affectiones entis non posse de ente demonstrari demonstratione ostensiva, & a priori; non autem quod demonstrari nequeant demonstratione saltem ducente ad impossibile; sed quo pacto nec etiam illud probet, constabit ex disp. sequenti, ubi examinabimus contra præfatos Scotistas, num entis passiones possint aliqua ratione de ipso demonstrari etiam ostensive, & a priori,

7 Postremo ad declarandum quæ, & quot sint entis principia complexa, & cognoscendi, quibus assumptis quoquo modo affectiones ejus de ipso demonstrantur, supponendum est ex dictis in Log. duplex dari genus demonstrationis, ostensivum scilicet, & a priori, & deducens ad impossibile, quorum primum per se, & directe ad scientiam pertinet procedens ex causis ad effectus, vel ab essentia rei ad passiones demonstrandas; aliud vero inventum est, non tam ad scientiam pariendam, quam ad ignorantiam pravam eliminandam, & hominis proterviam convincendam, unde non solum ad conclusiones probandas conducit, sed etiam ad principia prima, & immediata persuadenda, & probanda contra protervos, & pervicaces; juxta hoc duplex demonstrationis genus duplicis etiam sunt generis principia, ex quibus illæ conficiuntur, nam quædam sunt principia propria ex ipsa rei essentia deducta, cujusmodi sunt ea, quæ priori generi demonstrandi inserviunt; nonnulla vero sunt communia, in quæ omnis alia demonstratio, & principia demonstrationis resolvuntur, qualia sunt ea prima principia, *impossibile est, idem simul esse, & non esse, quodlibet est, vel non est, quicquid est quamdiu est, necesse est esse* &c. Et hæc inserviunt posteriori generi demonstrationis, quia ipsis innititur omnis

nis deductio ad impossibile, ut docet Arist. 4. Metaph. cap. 3. & 1. Post. 82. Itaque si loquamur de principiis, quibus per ostensivam demonstrationem, & a priori ipsum ens potest cognosci, cum affectiones de illo demonstrantur; sic multa possunt ejus designari principia, sicut plures possunt de ipso formari ejusmodi demonstrationes; primum tamen omnium erit illud, in quo ratio entis quidditativa de ipso prædicabitur, hoc enim universaliter evenit in omni scientia, quod primum, ac præcipuum cujuscumque scientiæ principium est illud, quod subjecti definitionem continet, cum objecti scibilis definitio sit ratio demonstrandi passiones de ipso ostensive, & a priori, ut constat ex dictis in Logica; sic igitur etiam erit in Metaph. quamvis enim ens propriam definitionem non habeat, quia ejus conceptus est simpliciter simplex; habet tamen proprium conceptum quidditativum, quo mediante, possunt ejus passiones de ipso demonstrari modo inferius explicando disp. seq.

8 Si vero sermo fiat de principiis, quibus per deductionem ad impossibile ipsum ens cognosci potest, præcipua entis principia sunt illa jam relata, impossibile est idem simul esse, & non esse, quodlibet est vel non est, &c. quia sunt adeo communia, ut virtute ipsorum veritas omnis entis convinci possit per deductionem ad impossibile, & in ipsa omnis alia demonstratio, & principia demonstrationis resolvantur, quod in causa fuit, quare Arist. 1. Post. 82. & seq. docuit eas primas dignitates virtute ingredi omnem demonstrationem. At instabis, hæc non magis esse principia ipsius entis communissime sumpti, quam aliorum particularium subjectorum, siquidem iis utuntur particulares scientiæ ad ea, quæ sunt sibi propria, & ideo non posse cum veritate dici principia prima cognoscendi ipsum ens, inquantum ens. Resp. cum Arist. cit. 4. Metaph. cap. 3. quod licet aliæ quoque scientiæ his utantur principiis, quantum eis sat est, propterea quod aliquam entis partem considerant; nulla tamen his adæquate utitur nisi sola Metaph. quæ ens contemplatur in tota sua latitudine, & ideo bene salvatur ea principia speciali quadam ratione dici principia prima entis, inquantum ens; hic autem observa illa prima principia interdum quoque sub terminis dialecticis exprimi solere, ut cum dicitur, de quolibet verum est affirmare, vel negare, de nullo ambo simul. Alia quoque principia minus tamen communia assignari solent, quæ de particulari objecto Metaph. afferuntur, ut illa de ente creato, totum est majus sua parte; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia; his autem Metaphysicis principiis inferiores scientiæ utuntur eas applicando ad propriam subjectam materiam.

QUÆSTIO II.

An prima principia complexa sint nobis naturaliter nota.

9 Circa cognitionem primorum principiorum olim controversia fuit inter Arist. & Platonem; Plato siquidem insistens illi suo principio, quod animæ rationales sint ab æterno creatæ in quodam determinato numero, nec cognitionem accipiant a corpore, ad quod informandum destinantur, sed eis ab æterno species rerum omnium infusas esse, & perfectissimam omnium cognitionem; at dum corpus ingrediuntur, oblivisci, & paulatim deinde per doctrinam a præceptore memorari, ac reminisci, unde & nostram cognitionem reminiscentiam appellabat; huic, inquam, principio inhærens dicebat prima principia complexa ita esse nobis naturaliter nota, ut notitia ipsa complexa illorum sit immediate concreata, vel naturaliter congenita animæ nostræ. Arist. vero docet, animam nostram produci denudatam omni prorsus cognitione, & ut ipse loquitur 3. de Anim. 14. tamquam tabulam rasam, in qua nihil est depictum, adeo quod juxta Arist. sententiam anima secundum se nullam habet congenitam notitiam, non solum conclusionum, sed nec etiam primorum principiorum, ut dictum est in Logica dubit. 33. Institut. Log. ult. ergo Arist. etiam notitiam primorum principiorum acquiri de novo in intellectu nostro. Sed adhuc difficultas est in explicanda Arist. sententia, an nimirum sufficiat sola simplicium terminorum apprehensio ad acquirendam complexam notitiam primorum principiorum, exempli gratia an ad notitiam hujus primi principii *totum est majus sua parte*, sufficiat sola confusa apprehensio terminorum totius, & partis ab intellectu; an potius sit ulterius necessaria alia complexa cognitio experimentalis via sensuum habita, per quam apprehendantur extrema esse conjuncta in re, & in effectu; primum affirmat Scotus 1. Metaph. quæst. 4. & lib. 2. quæst. 1. & 1. dist. 3. quæst. 4. art. 2. cum omnibus Scotistis, posterius asserunt alii, ut Svesanus 1. Metaph. disp. 7. Javell. 1. Metaph. qu. 6. Fonsec. 1. Metaph. cap. 1. quæst. 4. sect. 3. Alexand. Themist. Averr. D. Thom. in expositione textus, quos citat, & sequitur Pasqual. tom. 1. Metaph. sect. 3.

10 Pro resolutione quæsiti advertendum ex Scot. loc. cit. 1. dist. 3. quæst. 4. art. 2. & 2. Metaph. quæst. 1. ubi & Ant. And. & Faber principia prima esse duplicis generis, quædam sunt simpliciter, & absolute prima, & per se nota, cujusmodi sunt propositiones maximæ, & dignitates, circa quæ imsunt illa, impossibile est idem simul esse, & non esse, si ab æqualibus æqualia demas &c. & similia; alia vero non sunt simpliciter prima; nec per se nota, sed possunt esse conclusiones respectu primorum principiorum, & aliunde eorum notitia complexa acquiri potest, scilicet per notitiam experimentalem sensibus habitam, & talia sunt principia scientiarum, & artium particularium, quæ notitia experimentali necessario indigent, & sine experientia ex simplici terminorum apprehensione cognosci nequeunt, exemplum sit hoc principium medicinale, quod Rheubarbarum est cholerae purgativum, quod pro sua sententia Javellus affert, intantum enim hæc propositio est vera in arte medica, quatenus Medicus pluries expertus est ita contingere, ex quibus frequentatis experientiis veritatem deducit illius propositionis, non autem ex simplici terminorum apprehensione; hac præaceepta distinctione adhuc magis explicanda quæst. seq. num. 29.

Dico Primo, quod prima principia complexa cujuscumque sint generis, non sunt nobis naturaliter nota in sensu Platonis, quasi notitia ipsa complexa illorum sit animæ nostræ a natura congenita. Est Doctoris loc. cit. & omnium Peripateticorum; Probatur ex principiis Arist. quia ex 3. de Anim. 14. ab initio suæ productionis anima in se est, tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum. Tum quia si prima principia essent nobis naturaliter nota, semper actu specularemur circa illa, vel saltem ad libitum circa illa speculari possemus. Tum quia experimur, parvulos in principio suæ cognitionis non habere notitiam complexam eorum principiorum. Tum tandem evidenti rctione, quam Doctor adducit 2. Metaph. quæst. 1. quia omnis nostra notitia intellectiva ortum ducit a sensu, sed cognitio primorum principiorum est intellectiva, unde 6. Ethic. cap. 3. ab Arist. talis cognitio vocatur intellectus, ergo non inest naturaliter ipsi intellectui; Majorem ita declarat Doctor, quia anima nostra nullam habet cognitionem naturalem ex natura sua, nec simplicium, nec complexorum, sed omnis cognitio ejus oritur a sensu, primo enim motu movetur sensus ab objecto simplici, non complexo, & a sensu motu movetur intellectus, & intelligit simplicia, qui est primus actus intellectus, deinde post apprehensionem simplicium, sequitur alius actus, qui est componere simplicia adinvicem, & post istam compositionem habet intellectus ex lumine naturali, ut assentiat veritati complexæ, si illud complexum sit primum principium.

11 Dico secundo, quod loquendo de principiis primi generis, quæ nimirum sunt per se nota, & simpliciter prima, non indigent experientia, seu experimentali cognitione complexa, per quam scilicet extra videantur conjuncta in re, & in effectu, sed sufficit simplex terminorum apprehensio, ut intellectus eis assentiat, unde notitia primorum principiorum in eo dumtaxat sensu dici potest nobis naturaliter inesse, quatenus ex lumine naturali intellectus sunt nobis nota habita notitia simplici terminorum. Ita Doct. loc. cit. cum suis, & aliis citandis ad finem quæstionis, & est expresse Arist. 1. Post. tex. 6. dum ait, principia prima cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus, quo dicto satis clare insinuat ad notitiam complexam primorum principiorum solam sufficere terminorum notitiam incomplexam, nec aliam complexam, qualiscumque ponatur, necessariam esse; Probat autem hanc conclusionem Doctor 1. dist. 3. quæst. 4. art. 2. §. *quantum ad secundum articulum*, sic arguendo; termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, ut alter notus evidenter necessario alterum includat, & ideo intellectus componens illos terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus componendi ad ipsos terminos, quorum est compositio, & etiam causam evidentem illius conformitatis, & ideo necessario patet sibi conformitas illa, cujus causam necessariam, & evidentem apprehendit in terminis; igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum, & compositio eorum, quin ster conformitas illius compositionis ad terminos, sicut non potest stare albedo, & albedo, quin ster similitudo; hæc autem conformitas compositionis ad terminos est veritas compositionis, ergo non potest stare compositio talium terminorum, quin sit vera, & ita non potest stare perceptio illius compositionis, & perceptio terminorum, quin stet perceptio conformitatis compositionis ad terminos, & ita perceptio veritatis, ita Doctor. Ex quo deducitur, quod nequit stare apprehensio totius, & partis in intellectu, quin insurgat veritas hujus complexionis, totum est majus sua parte, ex illa simplici terminorum apprehensione.

12 At, inquit Javell. experientia constare, quod licet habeamus simplicem terminorum cognitionem, tamen nisi sensitiva cognitione cognoscamus terminos conjungi in re, nescimus formare principium illud complexum, Rheubarbarum purgat choleram, quia stare potest, quod sciatur, quid Rheubarbarum sit, & quid cholera, & tamen ignoretur hæc complexio, Rheubarbarum purgat choleram, & rursus, quod sciatur quid sit æquale, quid sit demere, & quid remanere, & tamen ignoretur complexio illa universalis, si ab æqualibus æqualia demas &c. Contra, quia primum exemplum de Rheubarbaro non est ad rem, illud namque non est principium per se notum, simpliciter, & absolute primum, ut diximus, & de talibus principiis concedimus ad eorum complexam notitiam habendam, simplicem terminorum apprehensionem minime sufficere; aliud autem exemplum est quidem ad rem, & concedimus contingere posse, quod intellectus apprehensis illis terminis quid sit æquale, quid sit de-

demere &c. non faciat illam compositionem, si ab æqualibus æqualia demas &c. ut puta quia non animadvertit, vel quia ei non occurrit occasio; attamen si contingit, quod compositionem faciat illorum terminorum, statim illam cognoscit esse veram absque eo, quod recurrat ad experimentum, quia ex sola cognitione simpliciter terminorum propositio illa habet evidentiam, & in hoc sensu procedit ratio Doctoris allata, non enim ipse intendit, quod sola, & pura cognitio terminorum sit formaliter cognitio principiorum, quia non est eadem cognitio totius, & partis, sed intelligit quod facta compositione ex illis terminis statim intellectus illi assentit absque alia ratiocinatione, aut experimentali cognitione; quod etiam Jandun. docet 2. Metaph. quæst. 2. ubi ait principia communia esse nobis naturaliter nota, non quidem secundum actum perfectum, & completum, ut ajebat Plato, sed secundum potentiam, & dispositionem propinquam, quatenus potentia intellectiva habita sola, & præcisa terminorum cognitione est sufficienter disposita, ut faciat eorum compositionem, eique firmiter adhæreat absque alia ratiocinatione, vel præcedente notitia experimentali; licet hoc dictum minus recte extendat Jandun. etiam ad alia principia minus communia, quæ habentur in singulis scientiis.

13 Pasqualig. cit. huic rationi non respondet, quia eam non adducit; respondet tamen ad Arist. auctoritatem ex 1. Post. adductam, quod principia cognoscimus, inquantum terminos cognoscimus, & ad aliam consimilem ex 1. Top. cap. 1. ubi de primis principiis loquens Arist. ait, *sunt quidem, vera, ut prima, quæ non per alia, sed per se habent fidem*; per se autem fidem non haberent, si ultra cognitionem terminorum indigerent notitia experimentali, qua prius cognosceremus illos terminos in re conjungi. Respondet (inquam) Pasqual. quod prima principia dicuntur per se, & non per aliud cognosci, quia in se ipsis habent intrinsecam evidentiam, & non in alio, unde in se ipsis movent intellectum ad præbendum assensum ad differentiam conclusionum, quæ non habent evidentiam in seipsis, sed in suis principiis, a quibus intellectus movetur, ut assentiatur conclusionibus ab iis deductis, cognoscuntur tamen principia propter experientiam, quia evidentia illa, quam intrinsece dicunt, est coadunata ab intellectu ex pluribus evidentiis particularibus. Hæc solutio seipsam destruit, si enim principia in seipsis habent intrinsecam evidentiam ex terminis, ergo non necessario indigent experientia, per quam termini illi videantur conjuncti, quia talis conjunctio constat ex ipsa ratione terminorum per intellectum apprehensa. Tum quia si indigent ad eorum assensum notitia experimentali, ergo non per se ipsa præcise, sed per aliud cognosci dicuntur, scilicet per experientiam. Tum quia cum Arist. ait principia cognosci, inquantum termini cognoscuntur, plane per talem loquendi modum, & per illam particulam *inquantum*, solam includit cognitionem terminorum, & aliam omnem excludit sive a posteriori, sive per discursum, sive per experientiam; per quod reiicitur quod ibid. subdit Pasqual. quod principia dicuntur cognosci per seipsa, quatenus non per aliud medium a priori demonstrantur.

14 Secundo principaliter arguit Doctor loc. cit. quam rationem ita deducit Faber, si intellectus ex simplici terminorum cognitione absque experientia præcedente principium per se notum cognoscere non posset, sequeretur, quod in intellectu simul essent opiniones repugnantes; Probatur consequentia, quia habita cognitione horum terminorum totum, & pars, si quis faciat compositionem horum terminorum, totum est majus sua parte, intellectus ex ratione formali terminorum novit illam propositionem esse veram; quia vero non adest cognitio sensitiva, & experimentalis, poterit intellectus dubitare, num vera sit illa complexio, & ita in eodem intellectu erunt opiniones repugnantes scilicet opinio, quod sit vera, & opinio, quod non sit vera; Fundatur autem hæc ratio (inquit Doctor) in illo Arist. dicto 4. Met. tex. 8. & 9. ubi ait, quod oppositum primi principii scilicet hujus, *impossibile est esse, & non esse*, non potest venire in intellectum alicujus, quia tunc essent opiniones contrariæ simul in mente; posset autem venire in mentem alicujus oppositum primi principii, si nequit cognosci absque prævia experientia, & sufficiens assensus illi præberi, si enim termini illius principii conjungantur ante quamcumque experientiam, & intellectus illi non assentit ob experientiæ defectum, ergo oppositum primi principii venire poterit in mentem cujuscumque, & quilibet poterit in foribus errare, idest in primis principiis, si experientia careat, quantumcumque habeat simplicium terminorum cognitionem, cujus oppositum ubique Arist. docet, vide Tromb. 2. Metaph. quæst. 1. art. 2. paulo aliter hanc rationem deducentem, & magis inhærentem litteræ Scoti.

15 Tertio arguit Doctor, intellectus quantum ad notitiam principiorum non habet sensus pro causa, sed tantum pro occasione, quia intellectus non potest habere notitiam simplicium, nisi acceptam a sensibus; illa tamen accepta potest simplicia virtute sua componere, & si ex ratione talium simplicium sit complexio evidenter vera; intellectus virtute propria, & terminorum assentiet illi complexioni, non virtute sensus, a quo accipit terminos exterius, exemplum; si ratio totius, & ratio majoritatis accipiantur a sensu, & intellectus componat istam, omne totum est majus sua parte, intellectus virtute sui, & istorum terminorum assentiet indubitanter isti complexioni, & non tantum quia vidit terminos conjunctos in re, sicut assentit isti, Sortes est albus, quia vidit terminos in re uniri. Immo ait Doctor, quod si omnes sensus essent falsi, a quibus accipiuntur tales termini, intellectus circa talia principia non deciperetur, quia semper haberet apud se terminos, quia essent causa veritatis; utpote si alicui cæco nato essent impressæ miraculose in somniis species albedinis, & nigredinis, & illæ remanerent, post in vigilia intellectus abstrahens ab eis componeret istam, album non est nigrum, & circa istam non deciperetur intellectus, licet termini accipiantur a sensu errante, quia ratio formalis terminorum, ad quam deventum est, necessaria causa veritatis hujus negativæ.

Quarto ex hoc arguit Tromb. loc. cit. posita causa necessaria alicujus effectus de necessitate sequitur effectus, si illa causa est totalis, & sufficiens; sed sic est, quod causa necessaria, & totalis sufficiens respectu veritatis principiorum, ac evidentiæ eorum, est apprehensio terminorum simplicium, & compositio ipsorum in intellectu: ergo istis positis in intellectu de necessitate sequitur veritas principiorum, & evidentia ipsorum, & hoc circumscripto quocumque alio, ergo circumscripto hoc, quod extrema principii apprehendantur esse unita in re per sensum, non minus intellectus percipiet veritatem principii, & etiam evidenter cognoscet ipsum. Minor probatur, quia ex Arist. 1. Post. & 6. Ethic. in hoc distinguitur evidentia principii ab evidentia conclusionis, quia evidentia istius habet causam extrinsecam, a qua essentialiter dependet, sed evidentia principii dependet tantum a causa intrinseca, quæ sunt termini percepti ab intellectu, & compositi ad se invicem, ut ait Linchon.

16 Demum arguit, quia notitia, quæ est certissima, ac evidentissima, non dependet a minus certa, ac evidenti, sed notitia primorum principiorum est certissima, & evidentissima; experimentalis vero est incerta, quoniam sensus decipi potest; nec in omnibus, sed in paucis tantum individuis haberi potest ergo &c. Resp. quidam cognitionem principiorum quantumvis certam, & evidentem, posse tamen ab experientia pendere, quia non est ab illa sola, sed etiam a lumine intellectus talem certitudinem, ac evidentiam tribuente, unde experimentalis cognitio est veluti causa tantum partialis. Contra, quia falsum est evidentiam principiorum a lumine intellectus originem ducere, quia intellectus assentit illis propter eorum evidentiam, ergo ex se, & independenter ab intellectu eam habent. Tum quia eo concesso adhuc non solvitur difficultas, quia lumen intellectus idem est respectu cujuscumque cognitionis, sive sit principiorum, sive experimentalis, ergo ex se facere nequit, quod una notitia sit certior, ac evidentior altera, quia tales conditiones in cognitione se tenent ex parte objecti. Respondet Pasqualig. quod quamvis sensus decipi possint, tamen potest corrigi error, vel ab alio sensu, vel ab ipso intellectu, qui prius quam sequatur cognitionem experimentalem sensitivam, recte perpendit, an in ea interveniat aliquis error; quod si reperit certam esse, nec sensum falli, tunc illam sequitur, & ab ipsa desumit cognitionem principiorum coadunatam ex pluribus cognitionibus particularibus, & hoc modo ab experientia principia acquirunt certitudinem, atque evidentiam. Contra adhuc stat argumentum in robore, si enim sensus ab intellectu corrigi potest, ergo signum est, intellectivam cognitionem certiorem esse, ac firmiorem sensitiva; sed notitia certior, & firmior non pendet in sua certitudine, & firmitate a cognitione incertiori, & infirmiori, ut argumentum urgebat, ergo &c. Parum ergo refert, quod sensus possit corrigi ab intellectu, quia stante illa solutione sequitur notitiam ex suo genere certam, & evidentem pendere in sua certitudine a cognitione minus certa, ac evidenti.

Solvuntur Objectiones.

17 IN oppositum, Primo arguitur contra primam conclusionem, prima principia non sunt nobis cognita, nec per inventionem, nec per doctrinam, ergo eorum cognitio est nobis innata a natura, & non aliunde acquisita; Consequentia patet, quia non sunt plures modi cognoscendi, quam illa duo; Probatur assumptum, quia omne cognitum per doctrinam, vel per inventionem, cognoscitur per aliud prius notum ex primo Posteriorum omnis doctrina, & omnis disciplina &c. Sed primis principiis nihil est prius notum, ergo non sunt cognita per doctrinam, nec per inventionem. Confirmatur ex Comment. 1. Metaphysic. com. 1. super illud dictum, *nullus ignorat locum januæ in domo*, ubi dicit, quod principia sunt nobis naturaliter cognita in quoliber genere entium, & tertio de Anima com. trigesimo sexto repetit, quod principia sunt nobis naturaliter nota.

Respond. Doctor 2. Metaph. quæst. 1. cognitionem principiorum quantum ad simplicia acquiri ex sensibus, quatenus sensus repræsentat terminos simplices intellectui, quos virtute naturali apprehendit, & copulat, & sic aliqualiter nota fiunt ex præexistenti cognitione, non quidem complexa, sed incomplexa; cum autem dicitur, quod non sunt nota per doctrinam, vel per inventionem, hoc utique verum est, quia hic modus addiscendi pertinet ad cognitionem complexam, & ista dividunt acquisitionem scientiæ; quæ fit per prius nota, non sic autem est de intellectu, qui ponitur habi-

habitus principiorum; & hoc modo est dare tertium modum cognoscendi, qui scilicet fit ex præexistenti cognitione incomplexa terminorum. Ad Conf. ait, quod ideo prima principia dicuntur nobis naturaliter nota, pro quanto facta compositione simplicium terminorum, statim ex lumine naturali intellectus adhæret illi veritati; adhuc tamen illa cognitio terminorum acquiritur ex sensibilibus, & iste intellectus dicitur habitus principiorum, quo adhæret primis principiis. Sed contra instat Doctor, quia si homo ex lumine naturali assentit veritati principiorum, tunc omnes homines æqualiter assentirent, quia quod consequitur hominem, vel intellectum nostrum secundum naturam suam, illud æqualiter reperitur in omnibus habentibus intellectum; quod est contra Comment. super 3. Physic. in principio, ubi dicit quod aliqui propter consuetudinem negaverunt prima principia, & exemplificat de Christianis, qui negant illud principium, ex nihilo nihil fit. Respondet, quod allata solutio intelligenda est de principiis simpliciter primis cujusmodi sunt, impossibile est idem simul esse, & non esse, omne totum est majus sua parte, & hujusmodi, circa quæ impossibile est errare secundum Arist. 4. Metaph. tex. 8. non autem procedit de principiis secundariis, quæ possunt esse conclusiones respectu primorum principiorum, talibus enim potest unus magis assentire, quam alter, & de talibus loquitur Com. ubi supra.

Secundo urgetur contra secundam conclusionem probando prima principia nec esse nobis naturaliter nota modo ibi explicato, nam quæ fiunt nobis nota per experientiam, aut per inductionem, aut per consuetudinem, aut per memoriam, & sensum, non sunt nobis naturaliter nota, quia omnia talia habentur cum difficultate, sed prima principia fiunt nobis nota aliquo istorum modorum 1. Ethicor. cap. 7. ergo &c. Tum 2. quia aliquam patimur difficultatem in assentiendo primis principiis, alioquin frustra ponueretur habitus principiorum, qui dicitur intellectus, habitus namque ponitur in potentia vel propter ejus differentiam determinandam, vel ad eam facilitandam ad operationem. Tum 3. quia si nobis essent naturaliter nota, quis non posset ea negare? cujus oppositum refert Commentator loc. cit. vel saltem omnes homines æqualiter illis assensum præberent, cujus oppositum docuit Arist. 2. Cœli; ubi ait aliquos prima principia recipere non posse aut ex malitia complexionis, aut consuetudine audiendi falsa, aut ex parva instructione in Logica. Tum 4. quia non sunt nobis naturaliter nota actu, quasi actualis eorum notitia sit nobis ingenita, ut dictum est contra Platonem, nec potentia, quia eodem modo etiam conclusiones dici possent naturaliter notæ, nam intellectus possibilis est omnia fieri 3. de Anim. Tum 5. quia ut inquit Comment. 2. Metaph. prima principia potius passim recipiuntur propter famositatem, quam quia sint naturaliter nota, & ex terminis ipsis, unde si opposita primorum principiorum redderentur famosa, non minus illis assentiretur. Tum tandem, quia si ratio evidentiæ complexionis primi principii est, quia causa includitur in terminis, sequitur omnem propositionem veram, cujus terminos cognoscimus, esse principium per se notum, quia veritas illius complexionis continetur in illis terminis, ut verbi gratia causa propter quam risibilitas inest homini, includitur in homine; consequens autem est falsum, quia non omnis propositio vera est per se nota.

18 Resp. ad 1. potius esse ad oppositum, ait enim Arist. ibi cit. *principiorum alia inductione, alia sensu, alia assuetudine quadam, alia alio modo percipiuntur*, docet ergo Arist. aliqua principia non indigere cognitione experimentali, & hæc erunt principia omnino prima, de quibus hic loquimur; neque repugnat aliqua nobis fieri nota per sensum, quatenus notitia intellectiva terminorum dependet a sensu, & tamen talia dici nobis naturaliter nota, quatenus ex lumine naturali intellectus assentimus veritati eorum. Ad 2. ait Zerbius. 2. Metaph. quæst. 1. § *propter secundum*, potentiam intellectivam nullam, quantum est de se, habere difficultatem circa prima principia, nec esse indeterminatam ad opposita respectu eorum, quia naturaliter, & summe inclinatur in prima principia, sicut voluntas non est inclinata ad opposita respectu ultimi finis; atque ideo propter neutrum istorum ponitur habitus principiorum in intellectu scilicet nec ad tollendam indifferentiam potentiæ, nec ad eam facilitandam respectu primorum principiorum; sed ait poni ad tollendam difficultatem intelligendi alia principia secundaria, & conclusiones ex primis dependentes, quia intellectus habitu principiorum instructus facilius, & promptius conclusiones deducit ex ipsis, quam sine illo, sed de hoc dicemus quæst. sequ. Ad 3. prima principia, de quibus hic loquimur, a nemine possunt negari, ut enim ait Philosophus, in foribus quis delinquet? & cum oppositum innuit ipse, vel ejus Comment. intelligendum est de principiis secundariis, quæ non sunt communia omnibus scientiis, sed uni tantum, ut in physica, quod natura agit propter finem, & in Geometria, quod parallelæ non coincidunt, hæc enim principia, quia non sunt universalia, non vocantur dignitates, sed suppositiones, & petitiones ex 1. Post. cap. 2. quia præceptor in initio scientiæ postulat, ut tales propositiones, quæ sunt principia illius scientiæ particularis, supponantur pro veris, unde circa illas potest utique dubium aliquod contingere; Vel certe si prima principia a quopiam negantur, hic erit indispositus, & opinionibus falsis imbutus, ac enutritus, cum autem hic dicimus prima principia esse apud omnes naturaliter nota, supponimus, hominem esse recte dispositum, nec habere lumen rationis præpeditum, & læsum, ut ait Philosophus.

19 Ad 4. licet principia non sunt nobis naturaliter cognita secundum actum, sunt tamen nota secundum potentiam propinquam, quæ reduci potest ad actum sine ratiocinatione necessario præcedente causa sola cognitione terminorum, quo pacto conclusiones dici nequeunt naturaliter notæ. Ad 5. negat. assumptum, licet enim apud quosdam male dispositos principia aliqua cognoscantur propter famositatem, apud tamen bene dispositos cognoscuntur naturaliter ob evidentiam suæ necessitatis, vel illud dictum Comment. intelligi debet de peculiaribus principiis cujuscumque scientiæ, quæ suppositiones dicuntur in ea scientia ob famositatem, quam habent in ea. Ad ultim. jam diximus disp. 13. Logic. quæst. 3. art. 1. propositionem per se notam esse illam, quæ evidentiam habet ex terminis confuso modo cognitis; at in cæteris propositionibus veris, non tamen per se notis, licet earum veritas quoque prodeat ex terminis ipsarum; non tamen est evidens, nisi termini distincte cognoscantur, & quia cognitio distincta est difficilis, ideo eorum complexio non potest evidenter cognosci, nec potest dici propositio per se nota; in proposito autem causa evidentiæ complexionis primorum principiorum habetur ex cognitione terminorum confusa, & ideo dicuntur prima principia per se nota, quod convenire non potest cæteris propositionibus, quarum evidentia pendet ex terminis ipsarum distincte cognitis.

Tertio instat Suessan. probando ad notitiam primorum principiorum non sufficere simplicem terminorum apprehensionem, sed necessariam esse notitiam experimentalem complexam via sensuum habitam, qua extrema percipiantur esse in re, & in effectu conjuncta; probat autem quia in omnibus scientiis, & facultatibus ultima resolutio omnium principiorum stat ad experientiam ipsam, unde 4. Metaph. Arist. arguens contra negantes illud principium *duo contradictoria de eodem simul*, & *simul verificari nequeunt* ad eos revincendos reducit illos ad experientiam sensatam. Deinde intellectus magis assentit principio, quam conclusioni; non utique quia verius sit conclusione, quia utrobique æqualis est veritas, sed quia notius, at non est notius, quia intellectus agens magis principium illuminet, quam conclusionem, cum tale lumen respectu utriusque sit æquale, ergo hoc ideo est, quia principium magis experientiæ substat, quam conclusio. Rursus intellectus nihil cognoscere potest suo lumine non concurrente sensibili experientia, ergo neque principia; Probatur assumptum, quia si sensus errat, nequit illum intellectus corrigere proprio lumine, sed illum corrigit per alium sensum, unde cum visus decipitur judicando baculum fractum in aqua, intellectus illum corrigit testimonio tactus. Tandem, si sic, tunc omnes præceptores æqualiter docerent, nam in simplici terminorum explicatione non potest error contingere, vel falsitas, sed in compositione dumtaxat.

20 Resp. negando assumptum de principiis omnino primis, de quibus hic loquimur, siquidem ultima eorum resolutio stat ad simplices terminos, nam ea cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus, & quamvis experientia quoque sit valde utilis ad ea persuadenda, non tamen est simpliciter necessaria; unde si eam interdum adhibet Philosophus, hoc solum facit adversus protervos, qui magis convincuntur ex ipsa experientia sensata, quare concludo, experientiam esse solum necessariam ad ostendenda principia particularia in qualibet scientia, non autem principia omnino prima, ac universalia, quæ satis patent ex terminis. Ad 2. prima, & per se causa cur intellectus magis assentiat principiis, quam conclusionibus non est experientia; sed quia ex simplici terminorum apprehensione, immediate absque ulla experientia cognoscuntur esse connexa. Ad 3. negatur assumptum, quia intellectus multas cognoscit complexiones, & nonnulla principia, quæ immediate sensu non attinguntur, ut sunt illa, quicquid dicitur de aliquo universali, dicitur etiam de omni contento sub illo diversorum genorum, & non subalternatim positorum &c. & similes complexiones insensibiles; tum quia ut ajebat Doctor citat. num. 15. intellectus non dependet in cognitione sua a sensu, ut a causa ejus productiva, sed tantum occasionaliter, quatenus pro statu isto nequit habere cognitionem simplicium, nisi acceptam a sensibus, illa autem accepta potest simplicia virtute sua componere, & illam complexionem absque sensu proprio lumine cognoscere. Ad probationem assumpti dicendum, quod esto regulariter intellectus uno sensu utatur ad alterius errorem corrigendum, hoc tamen non obstat, quominus possit illum ex se corrigere immediate propria virtute. Ad ultim. etiam in notitia experimentali regulariter error non contingit, unde etiam ex hoc capite omnes magistri æqualiter docerent; itaque dicendum a præceptoribus non tantum prima principia edoceri, & omnino universalia, sed etiam minus universalia, & rursus conclusiones ab eis deducibiles per varia media, in qua quidem deductione error, & falsitas contingere potest.

21 Quarto ad idem arguit Pasqual. ex Arist. 1. Prior. cap. 32. ubi docet ad experientiam spectare, quod principia tradat, his verbis *quare principia quidem, quæ sunt circa unumquodque experimenti est tradere, ut astrologica, inquam, experientia, astrologicæ disciplinæ principia*, & 2. Post. cap. ultim. probat prima principia debere innotescere per inductionem experimentalem; Et ne dica-

dicatur Arist. ibi non loqui de principiis omnino primis, neque loqui de necessitate, sed de utilitate, subdit hæc verba, *necesse est igitur, ut ex hisce patet, ipsa prima* (scilicet principia) *inductione cognoscere, sic enim, & sensus in nobis efficit universale*. Deinde probat ratione, prima principia sunt propositiones universaliter veræ, at nequit intellectus cognoscere illas universaliter verificari, nisi talem veritatem percipiat in particularibus per experientiam ipsam, seu experimentali inductione in singularibus facta, ergo &c. Probatur minor, quia esse universalis propositionis dependet ab esse plurium propositionum particularium, quia prius est quod verificetur in pluribus singulari modo, quam quod verificetur universaliter. Neque dicas veritatem principiorum satis percipi ex ipsis terminis universaliter acceptis propter eorum evidentiam, Quia hæc evidentia terminorum est universalis, atque ideo apparere nequit, nisi dependenter a singularibus, in quibus reperitur, & sicut termini universales colliguntur a particularibus propter convenientiam, quam habent adinvicem; ita etiam ipsorum evidentia debet colligi ab evidentia terminorum particularium, & consequenter veritas propositionum universalium a veritate particularium. Rursus intellectus assensit principiis dependenter a sensu, quia omnis nostra cognitio ortum ducit a sensu; non potest autem assentiri, quia per sensus repræsententur, hic enim tantum singularia repræsentat, ergo non nisi quia prius sit inductio experimentalis in singularibus, ex qua postea intellectus colligit universalem veritatem. Denique intellectus, cum sit causa universalis, indiget aliquo determinativo, quod se teneat ex parte objecti, quo ad talem cognitionem determinetur; aliud autem motivum, & determinativum intellectus ad assentiendum primis principiis assignari nequit præter experientiam ipsam, ergo &c.

22 Ad 1. auctorit. constat Arist. ibi non loqui de principiis omnino primis, sed primis in aliqua scientia, ad quorum cognitionem ultro concedimus simplicem terminorum apprehensionem non sufficere, sed necessariam esse notitiam aliquam præcedentem conjunctionis eorum in re, & in effectu, ut num. 10. dictum est. Ad aliam auctoritatem ex 2. Post. exploratum non est apud omnes an de principiis omnino primis, & omnibus scientiis communibus, an de peculiaribus in aliqua scientia loquatur; si de principiis primi generis loquitur, particula *necesse*, non dicit necessitatem simpliciter, sed tantum secundum quid, quia ut ait Doctor 1. Metaph. quæst. 4. & Ant. And. ibidem, cognitio sensitiva experimentalis, qua novimus terminos illorum principiorum in suis singularibus reipsa esse conjunctos, valde juvat, ut intellectus citius illis principiis assentiatur; ex eo namque quod sensus frequenter videt hanc totalitatem, & majoritatem conjungi, citius intellectus assentit huic principio *omne totum est majus sua parte*; hoc tamen non est necessarium simpliciter, quia etiamsi in re numquam intellectus vidisset hanc totalitatem, & majoritatem conjungi, habita tamen simplici notitia horum terminorum *totius*, & *partis* incomplexa, potest intellectus virtute propria illos componere, & ex ipsa terminorum evidentia illi propositioni universali assentire, si autem Arist. ibi loquitur de principiis non omnino primis, ut explicat Vasquez part. 2. disp. 74. cap. 3. & Salas part. 2. tract. 10. disp. 2. concedi potest, quod loquatur etiam de necessitate simpliciter; si tandem promiscue loquitur de his, & illis, necessitas illa accipienda est in sensu accommodato, ut in ordine ad principia primi generis loquatur de necessitate secundum quid; sed in ordine ad alia principia minus communia loquatur, etiam de necessitate simpliciter. Ad rationem negatur minor, licet enim numquam per aliquem sensum videatur conjunctio, vel separatio in re extremorum alicujus primi principii puta totius, & partis; sed tantum ex sensibus apprehensi fuerunt termini totius, & partis, & intellectus illa componat, vel dividat; ipse propria virtute assentiet; unde dupliciter nobis innotescere potest aliqua propositio universalis, nempe vel ex veritate plurium particularium agnita per inductionem, vel ipsis terminis universaliter acceptis propter eorum evidentiam, & adhuc hac secunda via salvatur evidentiam universalem terminorum pendere ab evidentia singularium inquantum ex sensibus ipsi apprehenduntur termini, non autem eorum conjunctio, per quod patet ad replicam ibi factam; negandum tamen est, quod ibi sæpe inculcat Pasqualig. veritatem universalis pendere a particulari, licet enim id verum sit in materia contingenti, non tamen in materia necessaria, prius enim verum est, quod omnis homo est animal, quam quod Petrus sit animal, & ideo hæc infertur ex illa a priori, ut infra dicemus num. 60. Ad aliam rationem, esto intellectus assentiri possit primis principiis ex motivo tacto in argumento, nimirum ex inductione experimentali in singularibus facta, quia talis inductio valde juvat ad principiorum assensum; hæc tamen non est prima, & per se causa, sed ipsorum terminorum evidentia, quæ de se est sufficiens causa assensus, etiamsi nulla prorsus præcessisset experientia de extremorum conjunctione. Ad ultim. negatur minor, quia pro sufficienti motivo intellectus ad assensum primorum principiorum præter experientiam affignari potest evidentia extremorum; alia quædam argumenta contra 2. conclusionem facit Javellus, quæ ex dictis facile solvuntur, & præcipue probant de principiis secundariis, & peculiaribus in unaquaque scientia, ad quorum assensum ultro concedimus simplicem terminorum apprehensionem nequaquam sufficere ex dictis numer. 10.

23 Nota ad finem hujus quæstionis Blancum disp. ult. Log. sect. 11. ejus decisionem duabus conclusionibus non minus breviter, quam luculenter tradere, quærens enim ibi, an cognitio primorum principiorum, quæ dici solet intellectus, vel intelligentia generetur per inductionem, vel alio modo; primo advertit inductionem duobus modis sumi posse, primo proprie, prout discursus ex singularibus colligens universale; secundo lata significatione, prout significat quodcumque experimentum singularium, vel cognitionem eorum sive complexam, sive incomplexam. Deinde statuit primam conclusionem dicens, principia posse quidem cognosci per inductionem proprie dictam; eam tamen cognitionem non esse illam, quam vocant intelligentiam, seu intellectum, sed scientiam *quia*, primam partem probat, quia nulla est cognitio universalium, quæ non possit haberi per singulariam inductionem, alteram partem probat, quia talis cognitio per inductionem genita est discursiva, certa, & evidens, ergo est scientia, & non intelligentia, quæ non est discursiva. Postremo secundam statuit conclusionem, in qua dicit, quod cognitio principiorum pertinens ad intelligentiam generatur per inductionem late sumptam, idest per experientiam, sive cognitionem singularium incomplexam; Probatur, quia apprehensiones terminorum, per quas generatur ista cognitio, esse non possunt sine speciebus sumptis per sensus ex singularibus; ad hoc autem ut intellectus huic principio *omne totum est majus sua parte*, assentiat, oportet apprehendere significationem harum vocum *totum*, & *pars*, & ad istam apprehensionem necesse est, ut per sensum cognoscat aliquod totum, & partem; unde intelligentia, quæ est notitia primorum principiorum definitur, quod sit assensus principiorum ex apprehensione terminorum genitus, & hæc breviter est sententia Scoti superius explicata.

24 Eamdem quoque sententiam ex Ruvio tract. de habitibus principiorum, in Logica magna refert Salas part. 2. tract. 10. disp. 2. sect. 4. num. 97. & sequitur, distinguit enim ibi de duplici primorum principiorum genere, ut nos fecimus, quædam enim sunt omnino prima, & omnibus scientiis communia, & inquiunt hujusmodi principia ex vi conditionis suæ non indigere experimento vel inductione ut illis assentiamur, sed ad eorum complexam notitiam, seu assensum sufficere solam terminorum apprehensionem; de aliis vero principiis, quæ non sunt omnino prima, sed sunt principia particularium scientiarum, concedunt, quod experientia indigeant ac experimentali inductione; addunt tamen experientiam, & inductionem etiam ad notitiam, & assensum principiorum primi generis esse valde utilem, ac etiam aliquo pacto necessariam, non quidem ad assensum quoad substantiam simpliciter, & absolute sumptum, sed quoad firmitatem assensus, firmius enim, & certius adhæretur primo principio cæteris paribus inductione experimentali probato, quam ex terminis solum cognito; unde hæc nostra sententia communis modo est inter Modernos. Immo etiam hæc fuit veterum communis, Albertus namque 2. Post. tract. 2. cap. 6. quem sequitur Tolet. in eodem capit. comparat principia primi generis visibilibus luminosis, quæ suo proprio videntur lumine absque ullo alio extrinseco, & Ægid. 2. Post. cap. ult. inquit, sicut oculus informatus specie videt colorem, ita intellectus apprehensione facta assentit istis, & Lincon. 1. Post. cap. 9. & Arist. ipse 2. Metaph. cap. 1. vocant hæc januas scientiarum, in quibus non contingit error, & denique hujusmodi prima principia esse ex solis terminis nota docet D. Thom. part. 2. quæst. 51. art. 1.

QUÆSTIO III.

An detur habitus primorum principiorum ex eorum notitia genitus.

25 Negant Nominales dari habitum primorum principiorum ab ipso intellectu distinctum, qui sit qualitas ei superaddita, unde dicunt habitum principiorum esse ipsum lumen naturale intellectus, quo fertur in assensum primorum principiorum ex sola terminorum apprehensione, ita Ariminensis 1. dist. 1. qu. 1. art. 1. Durand. 2. dist. 24. quæst. 1. & 3. dist. 33. quæst. 1. ad 2. Soncin. 4. Metaph. quæst. 33. Soto lib. 1. de justitia, & jure quæst. 4. art. 1. D. Bonav. 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2. Palac. 1. dist. 23. quæst. 2. Valent. 1. 2. disp. 4. quæst. 3. punct. 1. & ex nostris tenent Cavell. disput. 3. de Anim. sect. 5. & Poncius 3. part. sui Cursus disp. 14. quæst. 1. concl. 3. ratio præcipua hujus opinionis est, quia ad operationes naturales, in quibus nulla est indifferentia, vel libertas, aut saltem difficultas superanda, non ponantur habitus, ut in potentia visiva ad videndum; immo nec in voluntate respectu ultimi finis, in quem naturaliter tendit per amorem; sed intellectus naturaliter assentit principiis, cum sint veritates immediatæ, ac necessariæ, itaut eis propositis non possit non assentire, ita enim se habet ad illa, sicut voluntas ad ultimum finem, vel visus ad colores, ergo nullo indiget habitu ad eis assentiendum. Et rursus id confirmant ex communi nomine habitus principiorum, qui ab Arist. dicitur intellectus, ut hoc loquendi modo significaret, hunc habitum esse ipsummet intellectum proprio naturali lumine propensum in principiorum assensum absque aliqua qualitate jam superaddita.

26 Opposita sententia tenet, habitum principiorum esse qualitatem,

tem quandam intellectui superadditam, qua inclinamur in principiorum assensum; citatur Henricus quol. 5. q. 18. Buridan. 6. Eth. q. 11. art. 3. Major. 2. d. 23. q. 2. Mairon. 3. d. 33. q. 1. art. 8. Conimb. disp. 7. Eth. q. 6. art. 1. Fonsec. 1. Met. c. 1. q. 4. sect. 4. Cajet. 1. 2. q. 51. ar. 1. & ib. Conrad. Ferrara 1. contra gentes c. 94. Medina 1. 2. q. 49. art. 2. Suar. tom. 1. Met. disp. 1. n. 15. Vasq. 1. 2. disp. 74. cap. 3. Azor. lib. 3. cap. 21. q. 1. Ruv. tract. de habitu principior. in Log. Complut. ibid. disp. 20. q. 1. & alii quamplures, quæ sane videtur fuisse Arist. sententia, cum 6. Eth. c. 3. & 2. Post. cap. ult. ponit intellectum, qui est habitus principiorum, inter virtutes intellectuales, quæ sunt habitus superadditi potentiis; pro qua opinione non omnes eandem adducunt rationem, quia non omnes ex eodem capite istius habitus necessitatem deducunt; quidam enim ut Ruvius illam deducunt *ex* indifferentia, quam habet intellectus ad bene, vel male discurrendum circa prima principia, cum possit errare circa illa. Alii vero hunc habitum inducunt non ad differentiam, sed potius ad difficultatem tollendam, ut Fonseca, quia postquam quis assensum præbuit alicui principio, facilius illi assentitur, nam etiam primum illud, & communissimum principium *de quolibet verum est affirmare, vel negare*, facilius, & promptius approbamus, postquam semel, & iterum approbatum est; Alii hunc habitum ajunt esse necessarium non quidem ad simpliciter assentiendum primis principiis, quia talis assensus haberi potest ex ipsa terminorum apprehensione, aut saltem exprimentali inductione, sed ad assentiendum firmiter, & stabiliter, nam si alicui homini vulgari proponantur rationes aliquæ apparentes contra prima principia, videmus illum dubitare de veritate eorum, ut ergo firmius, & stabilius inhæreat contra rationes apparentes, ponendus est talis habitus, ita Buridan. 6. Eth. qu. 11. ubi inquit hoc proprium munus hujus habitus se experientia comprobasse, nam cum quæsisset a multis vetulis, an crederent se posse simul comedere, & non comedere, statim negarunt, tunc instetit, vos creditis, quod Deus est omniporens, & potest totum mundum annihilare? responderunt affirmative, tunc Buridan. intulit, ergo Deus potest facere, quod simul comedatis, & non comedatis, ad quam illationem ipsæ hæsitarunt dicentes nescio, quare potest habitus hanc formidinem ortam ex sophistica ratione expellere.

27 Sed suppositio cum hac secunda opinione habitum principiorum esse qualitatem superadditam intellectui, & ab ipso realiter distinctam, dubium adhuc est, an sit indita, seu innata, an vero nostris actibus acquisita, vel alio modo. Quamplures putant esse innatam, & cum ipso intellectu creatione animæ comproductam, ita loquuntur Conrad. & Med. cit. part. 2. qu. 51. ar. 1. Bannes 1. q. 1. ar. 6. notab. 3. Sanch. lib. 7. Log. q. 15. Albert. cit. c. 1. Burl. 6. Eth. c. 6. in fine, quibus non parum favet D. Th. ut notant Complut. p. 1. q. 79. art. 12. & p. 2. q. 91. art. 3. & 2. 2. q. 8. art. 2. ad p. & q. 16. de verit. art. 2. & alibi sæpe; & eadem p. 2. q. 90. art. 1. ad 3. fatetur habitum principiorum esse in puero nondum habente usum rationis, quamvis nequeat eo uti ob defectum ætatis; quod hac ratione probat D. Thom. loc. cit. de veritate, quia in homine cognitio principiorum est quasi quodam seminarium totius cognitionis sequentis, sicut in aliis naturis sequentium operationum, & effectuum quædam naturalia semina præexistunt, ergo sicut hæc naturaliter insunt illis, sic etiam cognitio principiorum debet naturaliter ineste homini, & per consequens talis habitus erit omnino naturalis. Conf. quia facilitas, & promptitudo in operando est signum habitus præsentis, sed explicatis terminis ita facile, & prompte assentimur, cum primum ponitur hoc principium *omne totum est majus sua parte*, quam postquam plures actus habuerimus circa illum, ergo signum est ante illum primum assensum jam existere habitum, a quo causetur talis facilitas, & per consequens ipsum esse a natura inditum. Alii vero asserunt esse qualitatem acquisitam, ut Alens. 4. Met. tex. 8. Henric. loc. cit. Ægid. & Venet. 2. Post. in fine, Major 3. d. 28. qu. 2. Vasq. disp. 49. cap. 3. Ruvius, Azorius, & Suar. ubi supra, & alii communiter negant esse qualitatem intellectui innatam, aut a Deo inditam, quia ut dicit Arist. 3. de An. cap. 4. intellectus noster ab initio est tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum. Tum quia si naturaliter sumus prompti, & faciles ad assentiendum primis principiis, nulla est ratio, qua probari possit id fieri per qualitatem distinctam a potentia intellectiva; sed facile dici potest intellectum per suammet substantiam esse promptum, & facilem ad assentiendum primis principiis, ut voluntas ad amandum bonum in communi secundum multorum opinionem, & visus ad videndum colorem,

28 Adhuc tamen inter istos auctores est discrimen in declarando, quo pacto hic habitus principiorum sit qualitas acquisita, nam Cajet. c. p. 2. q. 51. art. 1. ad p. putat non acquiri per actus hunc habitum, sicut cæteri, sed statim ac termini sunt apprehensi fluere ab intellectu qualitatem quandam inclinantem ad assensum principiorum, qua ratione inquit hujusmodi habirum dici posse naturalem inchoative, quatenus ex ipsa natura animæ intellectivæ convenit homini, quod statim cognito quid est totum, & quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte, dici vero acquisitum, quia non potest cognoscere quid est totum, & quid est pars, nisi per species a sensibilibus acceptas, quem dicendi modum sequuntur Complut. cit. disp. 20. Log. q. 2. pro quo etiam citant Ferrar. 2. contra gentes cap. 78. Javell. 2. Met. q. 1. Nazar 1. p. q. 58. ar. 1. contr. 1. Masium 2. lib. Post. q. prac. Henr. & Burid. cit. Mol. 1. p. q. 58. ar. 14. Zumel ib. Acciajol. 6. Eth. c. 6. tum quia hic est consuetus modus, quo habitus naturalis acquiritur, nempe ex similibus actibus frequentatis. Tum quia regulariter natura solum concedit rebus, quæ necessaria sunt ad simpliciter operandum, quæ vero ad melius, vel facilius, relinquit acquirenda propria industria, & labore, tribuens illis principia, quibus possint operari, & operando ea acquirere, sed habitus principiorum non est necessarius ad simpliciter assentiendum primis principiis, sed ad assentiendum cum facilitate, vel cum majori firmitate, & intentione, ergo non est nobis a natura datus, sed propria industria acquisitus. Major patet; Prob. min. quia assensus primorum principiorum non excedit naturalem facultatem intellectus, cum sint veritates quædam naturales, & per se notæ, ergo formatus intellectus speciebus intelligibilibus terminos repræsentantibus apprehensis per illas terminis, potest virtute propria primis assentire principiis, & ex consequenti ad simpliciter assentiendum illis non erit necessarius habitus; Hinc communior opinio tenet habitum principiorum, neq; esse per ipsam intellectus naturam, neque ab eadem natura intellectus fluere, eo ipso quod habet species terminorum per quas illos apprehendit, sed esse acquisitum per actus ipsos, quibus intellectus assentitur principiis.

29 Hujus quæstionis resolutio expresse non habetur a Doctore, nam 2. Met. q. 1. loquens de habitu principiorum inquit, quod cognitio terminorum acquiritur ex sensibilibus, & iste intellectus dicitur habitus principiorum, quo adhæret primis principiis, unde cognitionem ipsam principiorum appellat intellectum, non vero aliquid ab ipsa generatum; & 2. d. 39. q. 2. licet syndereſim appellet habitum principiorum practicorum, non tamen explicat, an ille habitus sit quid distinctum a potentia intellectiva; & 3. d. 28. q. un. ad 3. ait quod per habitum principiorum tenditur in principium secundum propriam veritatem, quam habet ex terminis, & per habitum conclusionis tenditur in conclusionem secundum propriam veritatem ejus, quam habet aliam a veritate principii, quibus verbis videtur supponere Doctor, quod detur habitus principiorum a potentia intellectiva distinctus, sicut datur habitus conclusionum, licet autem resolutio quæsiti non habeatur a Doctore, facile tamen deduci potest ex distinctione principiorum jam assignata quæst. præced. n. 10. nam quædam sunt principia omnino prima, & omnibus scientiis communia, quæ ibi diximus innotescere ex sola terminorum notitia, & apprehensione, de quibus ait Arist. 4. Met. c. 3. esse per se nota, & negari mente non posse, seu contrariis proportionibus assentiri, ut impossibile est idem simul esse, & non esse, omne totum est majus sua parte, quæ ex solis terminis cognoscuntur ex 1. Post. c. 3. nam ad his assentiendum sufficit absq; ullo judicio præcedente cognoscere quid sit totum, quid pars, quid esse, quid non esse; unde Albert. optima tatione comparat hæc principia visibilibus luminosis, quæ absq; ullo alio extrinseco suo proprio lumine videntur; Alia vero sunt principia non omnino prima, nec omnibus scientiis communia, sed prima in aliqua certa scientia, ut in Philosophia, quod natura agit propter finem, in Mathematica, quod parallelæ non concurrunt, quæ licet syllogismo non probentur, aut demonstratione aliqua, quia tamen non sunt nobis obvia adeo, sicut illa, indigent tamen ad eorum assensum inductione variis experientiis nitente, ut docet Arist. 2. Post. cap. ult. 1. Post. c. 14. & 1. Met. cap. 1. & 6. Eth. c. 3. ita enim nobis notitiam comparamus horum principiorum, quod omnis ignis est calidus, omnis magnes trahit ferrum, quæ quidem principiorum distinctio præterquamquod manifeste traditur a Doctore 2. Met. q. 2. & 1. d. 3. qu. 4. art. 2. habetur etiam ab Arist. 1. Post. c. 2. & tex. 24. ubi principia prioris generis appellat dignitates, & secundi generis positiones; & ideo eam passim recipiunt omnes Peripatetici.

30 Dicendum igitur hac distinctione supposita, quod in ordine ad principia secundi generis poni debet habitus principiorum ab ipsa potentia intellectiva distinctus, non quidem congenitus illi, vel innatus, sed de actibus nostris de novo acquisitus; sed in ordine ad principia prioris generis non est tanta necessitas, quin oppositum defendi possit, & ideo utrumq; censendum est probabile. Hanc conclusionem tradiderunt Almain. 1. Moral. c. 17. Palacius 3. d. 23. q. 1. Vasq. p. 2. disp. 79. Amic. t. 2. Log tract 27. disp. 1. q. 5. dub. 1. a r. 2. & probabilem judicat Ruv. cit. hi omnes, & alii quamplures asserunt non esse ponendum habitum pro assensu principiorum universalissimorum, quæ appellantur dignitates, quia cum sint nobis notissima, absq; ulla difficultate eis assentimus, & ideo per frequentem eorum assensum non acquirimus habitum; sed solum esse ponendum pro principiis particularibus scientiarum, quibus non ita facile assentitur intellectus noster, cum non sint adeo nobis nota, ideo facilitate acquisita pro his indigemus, quæ vocatur habitus, itaq; hi Auctores in hoc solum a nobis discrepant, quod *absolute* negant, vel negare videntur possibilitatem habitus circa principia primi generis; verum nos non negamus possibilitatem, sed solam necessitatem, & utrumq; probabile censemus, quod nimirum admitti possit talis habitus circa ea principia, ac etiam non admitti, in quo etiam nobiscum sentit Morisan. qu. ult. ad lib. post. ubi ait, quod licet necessarius non sit habitus pro principiis communissimis, forte tamen dari potest ingenium tam stupidum, quod tali indigeat habitu; Probatur itaque conclusio posita quoad omnes, & singulas partes in ea contentas.

31 Primo, quod necessarius sit habitus pro principiis posterioris generis probatur, quia Arist. 1. Post. 44. & 2. Post. 27. & 6. Eth. cap. 6. & ubicumq; ponit habitum principiorum distinctum ab habitu conclusionum, præsertim loqui videtur de principiis

uniuſ-

uniuſcujuſq; ſcientiæ, quæ dicuntur poſitiones, ut notavit Amicus. Tum quia hujuſmodi principia, non ſunt nobis ex ipſis tetminis nota, ſed inductione, & experientia innoteſcunt ex Ariſt. 1. Poſt. cap. ult. ergo debet dari habitus inclinans ad eorum aſſenſum evidentem, nam intellectus eſt indeterminatus ex ſe, & poteſt diſſentire; Tum quia propter eorum inevidentiam patitur intellectus aliquam difficultatem circa eorum aſſenſum; ergo adeſt ſufficiens ratio ponendi habitum circa illa. Conſequentia patet, quia regulariter loquendo habitus ponitur, vel ad determinandam potentiam de ſe indeterminatam, & indifferentem ad oppoſita, vel ad ſuperandam difficultatem, quam circa aliquas patitur operationes; Probatur aſsumptum, quia extrema iſtorum principiorum, non ſunt adeo communia, & obvia, ut extrema principiorum communiſſimorum, ſed magis recondita, atque ideo non ſimplici apprehenſione innoteſcunt, ſed inductione indigent, & diſcurſu. Tum denique, quia ex hoc conſtat, fundamentum Nominalium ab initio quæſtionis relatum, quo negabant habitum principiorum intellectui ſuperadditum, urgere dumtaxat de principiis prioris generis, non autem poſterioris. Forte dices, hunc habitum poſſe quidem admitti circa talia principia, ſed non eſſe a ſcientia diſtinctum, quæ eſt habitus concluſionum. Contra, quia talia principia eſto oſtendi poſſint inductione, experientia, non tamen demonſtratione a priori, quia & ipſa ſunt propoſitiones immediatæ, præſertim in ea ſcientia, cujus ſunt principia, & carent medio, quo demonſtrentur a priori; ergo habitus circa illa eſt diſtinctus a ſcientia, quæ eſt habitus concluſionis a priori demonſtrabilis; Tum quia cognitio horum principiorum, ut ingrediuntur demonſtrationem, debet eſſe perfectior cognitione ipſa concluſionis, certior, ac evidentior; ergo habitus ex tali cognitione genitus diverſus eſt ab habitu ſcientifico concluſionis.

32 Secundo probatur talem habitum non eſſe nobis innatum, vel congenitum, ſed noſtris actibus acquiſitum, ſic enim expreſſe docet Ariſt. 2. Poſt. 27. & 3. de An. 40. ubi ait, intellectum noſtrum ab initio eſſe tamquam tabulam raſam, in qua nihil eſt depictum; Tum quia tunc quilibet deberet cognoſcere principia immediata ſcientiarum omnium, cum a natura ſupponatur habere congenitum habitum illorum, abſurdum enim foret, ait Ariſt. eſſe in nobis nobiliſſimos habitus, & latere. Tum quia univerſaliter loquendo non dantur habitus a natura inditi, & congeniti, quia natura non dat habitus ad operandum ſimpliciter, ſed potentias, ut ex uſu potentiæ acquiramus habitus: ut dictum eſt diſp. 4. de An. q. 3. Tum quia eſto præter potentias dentur in nobis facilitates quædam, vel difficultates ad utendum potentiis ipſis, ut docet Doctor 2. d. 16. q. un. P. & 4. d. 6. q. 10. O. alii enim ſunt habiles ad ſtudia, & quædam exercitia, alii inhabiles, iſtæ tamen proprie non conſtituunt habitum, vel diſpoſitionem de prima ſpecie qualitatis, ſed naturalem potentiam, & impotentiam de ſecunda ſpecie; ut enim dictum eſt in Log. diſp. 7. q. 3. art. 2. per hoc hæ duæ ſpecies differunt, quod licet tam in prima, quam in ſecunda ſpecie reponantur qualitates, quæ ſubjectum diſponunt ad agendum, tamen in prima ponuntur qualitates, quæ ab extrinſeco proveniunt; in ſecunda, quæ a natura tribuuntur. Tam tandem, quia ratio, quam afferebant Thomiſtæ nu. 27. pro oppoſita parte, ſolum procedebat de habitu principiorum primi generis, quæ ſunt nota ex ipſis terminis, ut conſtat ex exemplis ibi adductis.

33 Tertio talem habitum non eſſe neceſſarium reſpectu principiorum primi generis; Probatur oppoſito modo, quia ex nullo capite ejus neceſſitas videtur poſſe deduci; non quidem ex indifferentia, quam habet intellectus ad bene, vel male diſcurrendum circa prima principia, ut dicebat Ruv cit. num. 26. quia falſum eſt, intellectum errare poſſe circa prima principia, nam Ariſt. 2. Met. cap. 1. vocat hæc principia januas omnium ſcientiarum, in quibus non contingit error; Tum quia ſi lumen intellectus aliquam haberet indeterminationem ad eis aſſentiendum, vel ad oppoſitum, non adhuc eſt neceſſarius talis habitus ad determinandum intellectum ad alteram partem; ut volunt Complut. cit. nam ſine tali habitu ſufficienter determinari poteſt ab evidentia veritatis eorum. Neque deduci poteſt ex aliqua difficultate, quam ab initio patiatur intellectus circa aſſenſum primorum principiorum, ut ajebat Fonſec. ib. cit. qua ſuperata deinde facilius aſſentit per habitum acquiſitum. Quia non apparet ulla difficultas aſſentiendi primis omnino principiis, unde videmus ſine ullo magiſtro, & ſine ulla experientia ſolis terminis apprehenſis fieri illorum aſſenſum. Tum quia non apparet, quo pacto habitu tali acquiſito melius aſſentiatur primis principiis, quam ſine illo, ſiquidem explicatis terminis intellectus neceſſario aſſentitur, illis non explicatis autem nullo modo aſſentitur. Tum quia ſi vera eſt illa experientia, quam affert Fonſeca, & Ruv. confirmat, de difficultate circa intelligentiam primorum principiorum ab initio; hinc potius ponendus eſſet habitus circa apprehenſionem terminorum, ut bene notavit Durand. quam circa aſſenſum principiorum, nam tota difficultas petenda eſſet ex terminorum apprehenſione, qua habita ſtatim neceſſitatur intellectus ad aſſenſum eorum.

34 Sed ait Angeſtus in moralibus cap. 5. quod ſicut aſſenſus præmiſſarum cum aſſenſu bonitatis conſequentiæ neceſſitat intellectum ad aſſenſum concluſionis, & tamen adhuc eſt utilis habitus ſcientiæ, quia per illum magis inclinatur, & determinatur intellectus ad talem aſſenſum; ita licet intellectus cum ſola apprehenſione terminorum neceſſario aſſentiatur primis principiis, non erit ſupervacaneus habitus, quia per illum adhuc magis inclinabitur, & determinabitur ad talem aſſenſum. Contra id eſt, quia habitus ſcientiæ abſolute loquendo poteſt habere aliquem uſum, quando nimirum, vel non adeſt demonſtratio, vel non advertitur ad neceſſitatem conſequentiæ, vel quando occurrente ratione in contrarium ſuſpenderetur aſſenſus, habitus enim in tali caſu juvaret ad tollendam formidinem, & ſuſpenſionem, quam rationes contrariæ efficere poſſunt, ſicut aſſuetudo terribilia ſuſtinendi tollit timorem; ſed iſti caſus nequeunt habere locum in aſſenſu principiorum, de quibus loquimur, quia ad eorum aſſenſum non eſt neceſſaria diſtincta terminorum apprehenſio, ſed ſufficit confuſa, unde numquam eſſe poteſt adeo confuſa (niſi ſit falſa) ut non ſequatur aſſenſus, neque contra hujuſmodi principia poteſt afferri ratio, quæ de illorum veritate ſuſpicionem inducat propter eorum maximam evidentiam, ſicut afferri poſſunt contra concluſiones, unde non apparet, quem defectum ſupplere poſſit habitus principiorum, vel quem uſum habere.

Dices cum Complut. loc. cit. quod licet explicatis terminis naturaliter determinetur intellectus ad aſſentiendum principiis univerſaliſſimis, tamen reſpectu aliorum minus univerſalium poteſt habere falſam cognitionem, & cum intellectus in omni ſuo actu indigeat ſpeciebus intelligibilibus, non habet de ſe ſufficientem determinationem etiam respectu principiorum univerſaliſſimorum, neque ex ſe facilis eſt ad aſſentiendum illis. Contra, quia ſi reſpectu tantum principiorum minus univerſalium poteſt intellectus habere falſam cognitionem, non autem magis univerſalium, ergo reſpectu illorum dumtaxat, & non iſtorum poni debet habitus; cum autem dicitur intellectus indigere ſpeciebus intelligibilibus reſpectu cujuſcumque objecti, quibus intellectus determinetur ad hoc vel illud intelligendum, hoc utique verum eſt ob neceſſitatem propoſitionis objecti; ſed talis determinatio objectiva fit per ipſas ſpecies præſertim in cognitione abſtractiva, non autem per habitum; atque ideo terminis apprehenſis, & repræſentatis per ſpecies ex ſenſibilibus habitas immediate producitur aſſenſus principiorum, abſque ullo habitu mediante, unde per hoc oſtenditur tantum neceſſitas ſpecierum, non autem habituum.

35 Nec minus ſufficienter oſtenditur neceſſitas habitus circa prima principia per hoc, quod Burid. ajebat citato num. 26. ut nimirum aſſentiatur illis firmiter, & ſine formidine. Quia talis firma principiorum adhæſio ſine formidine de oppoſito ſufficienter cauſatur ab evidentia terminorum; neque ut diximus afferri poteſt ratio in contrarium, quæ valeat formidinem inducere de oppoſito ob maximam eorum evidentiam; unde etiam male Salas cit. ex hoc capite concedit neceſſitatem habitus circa prima principia, nimirum ne urgente ratione in contrarium ſuſpendatur aſſenſus, & dubitetur de veritate principii; quia talis ratio, ſive probabilis, ſive ſophiſtica adduci non poteſt, quæ dubitationem inducat de veritate primi principii. Et cum oppoſitum oſtendit Burid. ſcil. poſſe contingere dubitationem circa primum principium per rationem ſophiſticam, exemplo illarum vetularum, quæ ex argumento illis facto dubitabant de veritate primi principii; Valentia loc. cit. optime occurrit q. 3. punct. 1. negando vetulas illas ob id dubitaſſe de veritate primi principii, neque enim, quod ille vetulæ dixerint ſe neſcire, ſufficiens ſignum eſt ejus, quod vult Buridan. forte enim voluerunt tantum dicere, ſe nolle, ſeu non poſſe reſpondere ad illud argumentum, tametſi minime dubitarent de illo principio; ſicut ſi alicui ruſtico ambulanti proponerentur rationes Zenonis contra motum, diceret ſe neſcire ſolvere, ſed non propterea de motu, quem exercet, dubitaret.

36 Denique id ſufficienter probare videtur ratio Nominalium ab initio quæſt. relata, cui minime ſatisfacit Ruvius diſtinguendo minorem, quod intellectus naturaliter determinetur ad aſſentiendum primis principiis, nam quantum ad ſpecificationem, verum eſt, quia ſuppoſita debita apprehenſione eorum ſi judicium ferat cum illa, non poteſt eſſe judicium diſſenſus, ſed debet eſſe aſſenſus; quantum vero attinet ad exercitium, libertatem habet circa illa dependenter a voluntate, & ideo poteſt aſſenſum ſuſpendere. Non, inquam, ſatisfacit, quia ſi ſolum poteſt non aſſentiri, ſeu aſſenſum ſuſpendere ex imperio voluntatis, hoc non oriretur ex natura ſua, nec ex aliqua difficultate, quam haberet in aſſentiendo, ſed ex parte voluntatis, unde ſi eſset aliquis habitus propterea ponendus, deberet potius poni ex parte voluntatis, quam intellectus; Conſequentia patet, quia ſi indifferentia libertatis requiritur neceſſario ad habitum ponendum, eo modo, quo indifferentia alicui potentiæ convenit, pariter convenit habituari poſſe; atque ideo ſi intellectus circa prima principia omnino naturaliter operatur, & determinatur ad unum, & ſolum extrinſece agit libere, nimirum ex imperio voluntatis, jam circa illa non erit intrinſece habituabilis, ſed extrinſece ideſt ſicut libere operatur non per libertatem ſibi inexiſtentem ſed per libertatem extrinſecam ſibi, & intrinſecam voluntati, ita habituabilis erit, non per habitum ſibi inhærentem, ſed voluntati, ut arguebamus diſp. 3. de An. q. 2. num. 10.

37 Quarto quod etiam reſpectu principiorum primi generis poſſit admitti habitus, quæ erat altera pars problematis, deduci poteſt ex doctrina, quam dedimus loc. cit. diſp. 3. de An. q. 2. n. 11. circa poſitionem habituum in communi; dicebamus enim ibi omnem illam potentiam eſſe habitus ſuſceptivam, quæ vel aliquam patitur difficultatem in operando, ut promptius, & facilius operetur, vel ſi eſt ad plura indeterminata quoad elicitionem actus delectabilius, & promptius ad unam partem ſe determinet, vel tandem ſi nullam patitur difficultatem in operando, nec eſt ad plura indeterminata, adhuc tamen poteſt intenſius operari; itaut ſi non repugnat ipſi actum intenſiorem ſupra vires habere, debemus dicere, quod ſit habituabilis, ut perfectius, & intenſius operetur; quam doctrinam de habitibus ibi probavimus ex Scot. 2. d. 3. q. 10. ad 2. pro 1. opin & 3. d. 33. D. Quamvis ergo intellectus non ſit habituabilis reſpectu primorum principiorum ex primo, & ſecundo capite, ut bene probant argumenta adducta pro altera problematis parte, adhuc tamen poteſt poni habituabilis ex tertio capite, quia cum habitu circa prima principia intenſius operatur, quam ſine habitu; quem dicendi modum videtur ſignificaſſe Mairon. cit. 3. d. 33. q. 1. art. 8. ubi quærens, an habitus principiorum ſit qualitas ab ipſo intellectu diſtincta, affirmative reſpondet, & ſibi obiiciens, quod potentia, quæ naturaliter inclinatur ad actum, non indiget habitu inclinante, ſicut nec calidum ad calefaciendum; reſpondet, quod potentia non ſolum indiget habitu propter difficultatem, ſed propter perfectionem actus; anima enim naturaliter inclinatur ad diligendum Deum, neque ob difficultatem, quam habeat ad actum dilectionis divinæ, ponitur in ipſa charitas, ſed ſolum ob perfectionem actus dilectionis divinæ; Quamvis ergo intellectus circa prima principia ſit ſumme determinatus quoad alteram partem, adhuc tamen poteſt habituari circa illa, quia adhuc habet indeterminationem circa illa quoad intenſionem, & remiſſionem actus, etenim videmus, quod ex frequenti uſu circa illa intenſius operatur; Et quando inquit Doct. 2. d. 3. q. 10. ad 2. quod cum potentia eſt ſumme habilitata ad aliquem actum, non eſt habitus receptiva, ita intelligi debet, ut explicat Lichet, quod potentia ſit etiam determinata ad recipiendos actus determinatæ perfectionis, & intenſionis, qualem determinationem non habet intellectus ex natura ſua circa prima principia.

38 Poſtremo, quod ſi ponatur talis habitus etiam circa principia ſimpliciter prima, non ſit nobis innatus, & congenitus, ſed actibus noſtris acquiſitus, conſtat ex eiſdem probationibus, quibus idipſum probatum eſt de habitu principiorum minus communium n. 32. præſertim ex ea ratione univerſali, quod non dantur habitus inditi a natura, ſed omnes habitus naturales ſunt actibus noſtris acquiſiti. Neque ratio D. Thomæ allata n. 27. pro parte oppoſita convincit, ut enim habitus principiorum dicatur ſeminarium totius cognitionis ſequentis, ſufficit ut cognitio principiorum, unde paritur, ex nullo præcedenti diſcurſu, vel judicio fiat, ſed omnes tales actus præveniant, & fiat ex ſola terminorum apprehenſione, & ut omnes demonſtrationes, atque diſcurſus in prima illa principia reſolvantur, ut ſeminaria, & inchoationes eorum. Quod etiam talis habitus, ſi datur, acquiratur per actus repetitos aſſenſus circa prima principia, non autem fluat immediate ab intellectu agente ſtatim, ac habentur ſpecies intelligibiles terminos repræſentantes, ut Cajet. ajebat, probatur ex inductione facta in omnibus aliis habitibus, qui ex actibus repetitis generantur, unde abſque ſufficienti ratione de habitu principiorum id ſpecialiter afferitur; non enim apparet, cur hæc virtus productiva habitus in propoſito intellectui tribuantur, & non actibus; tum quia ideo intellectus poni non ſolet cauſa habitus, quia ipſa eſt cauſa indeterminata ad hos, & illos actus, habitus autem important determinatas inclinationes ad actus conſimiles iis, a quibus producuntur, ſed hæc ratio militat etiam in propoſito de habitu principiorum, ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

39 IN oppoſitum primo arguunt Complut. quia Ariſt. agens de habitu principiorum non diſtinguit principia in univerſalia, & particularia, ſed abſolute docet verſari circa prima principia, ergo reſpectu omnium debet admitti. Conſ. quia propria ratio, per quam habitus principiorum diſtinguitur a ſcientia, eſt, quod verſetur circa propoſitiones medio vacantes, & per ſe notas, quod æque convenit principiis univerſaliſſimis, & particularibus; ſiquidem utraque ſunt propoſitiones immediatæ. Denique quia neceſſitas ponendi hunc habitum ſuperadditum intellectui æque procedit in omnibus, ſiquidem ex utriſque derivatur cognitio ſcientifica, & ad omnia requiruntur ſpecies intelligibiles, ergo pro omnibus neceſſaria eſt virtus intellectualis, ut illis firmiter adhæreat intellectus, & determinetur ſufficienter ad veri cognitionem.

Reſp. negando aſſumptum, quinimo ut diximus n. 31. cum Ariſt. ponit habitum principiorum diſtinctum ab habitu concluſionum, loquitur de principiis ſcientiarum, ſcientiæ autem non procedunt per principia communia, ſed propria; tum quia cum loquitur de habitu principiorum, præſertim de illis principiis loquitur, quæ nota fiunt per inductionem, & experientiam, ut conſtat ex 2. Poſt. cap. ult. & 6. Eth. c. 6. talia autem non ſunt principia communiſſima, nam hæc ſunt ex terminis nota, ſed minus communia cujuſcumque ſcientiæ. Ad conſ. principia univerſalia, & particularia in hoc conveniunt, quod ſicut illa carent medio a priori, quo demonſtrentur, ita etiam iſta, ſaltem in ea ſcientia, ubi ſunt prima principia, ſed in in hoc differunt, quod iſta indigent inductione, vel experientia, ut cognoſcantur, non autem illa, quia ſunt ex ipſis terminis nota; unde neque conſequenter indigent habitu, quo determinetur intellectus ad eorum aſſenſum, quia ad hoc ſufficit propria eorum ex terminis evidentia, quod non habent principia particularia. Ad ult. negatur aſſumptum cum ejus probatione, nam ex principiis communiſſimis derivatur ſcientifica cognitio præciſe ob apprehenſionem ſuorum terminorum; negatur etiam conſequentia, nam ut intellectus firmiter adhæreat primis omnino principiis, & ad eorum veritatem determinetur, ſufficit propria eorum ex terminis evidentia.

40 Secundo arguitur probando admitti debere habitum etiam reſpectu principiorum univerſalium, quia datur caſus, in quo tellectus eſt indeterminatus ad aſſentiendum illis, ergo tunc debet determinari per habitum, probatur aſſumptum, quia poteſt accidere, ut termini propoſitionis non cognoſcantur diſtincte, atque ideo tunc evidenter veritas non conſtabit; unde neque naſcetur certus aſſenſus, quare in tali caſu poterit habitus ſupplere illam propoſitionem objecti evidentem, ergo ſaltem in aliquo caſu neceſſarius eſt habitus etiam circa principia univerſalia. Reſponder Amicus cit. ob hoc argumentum poſſe probabiliter ſuſtineri neceſſitatem habitus circa principia univerſalia. Sed certe nimis huic argumento defert, quod re vera nihil probat, quia ut dictum eſt qu. præc. principia univerſalia ſunt propoſitiones per ſe notæ, ad quarum notitiam, & aſſenſum ſufficit confuſa cognitio terminorum, neque neceſſaria eſt diſtincta, quare numquam eſſe poteſt adeo confuſa apprehenſio (niſi ſit falſa, ut diximus) ut non ſequatur aſſenſus. Quod ſi daretur talis caſus, ut per confuſam apprehenſionem terminorum non ſufficienter proponatur objectum, nec evidenter de ejus veritate conſtet, ſane hic defectus ab ipſo habitu ſuppleri nequaquam poteſt, quia ad ſpecies attinet proponere objectum, ac ſimul cum intellectu ejus veritatem manifeſtare, nec in hoc munere ſe miſcet habitus, ſed ſolum coadjuvat potentiam ad agendum, ſeq. tenet ex parte potentiæ, non objecti, ut dictum eſt loc. cit. de An. non ergo ob iſtud argumentum oppoſita pars problematis ſuſtineri debet, ut putavit Amic. ſed ob id, quod diximus num. 37.

41 Tertio e contra arguitur non eſſe ponendum habitum circa principia univerſalia, nam ſicut ſe habet voluntas reſpectu ultimi finis, ſic intellectus reſpectu primorum principiorum, ſed voluntate non ponitur habitus reſpectu ultimi finis, ergo &c. Ad argumentum hoc modo confectum facile occurritur negando minorem, quia de facto ponitur habitus charitatis in patria in ordine ad beatitudinem. Unde hoc argumentum aliter confici ſolet, ut concludat, in hunc modum; in voluntate non datur habitus circa bonum in communi, quia ad ipſum neceſſitatur quo ad exercitium, & ſpecificationem, ergo neque in intellectu dabitur habitus circa prima principia. At neque ita confectum melius concludit, quia in primis negari poteſt antecedens cum ejus probatione, ſiquidem ut docet Doct. 1. d. 1. q. 4. voluntas creata etiam circa bonum in communi habet libertatem exercitii, poteſtque circa illud actum amoris ſuſpendere, & rurſus conceſſo antecedente poſſet negari conſequentia; quia non recurrit omnimoda paritas inter bonum in communi reſpectu voluntatis, & principia reſpectu intellectus, quia bonum in communi eſt objectum adæquatum voluntatis, at vero principia non ſunt objectum adæquatum intellectus, ſed verum in communi, circa quod intellectus ipſe utique non indiget habitibus ſuperadditis; ſed bene circa tale verum. Dices, intellectus reſpectu principiorum neceſſitatur ad aſſenſum quoad exercitium, & ſpecificationem, ergo reſpectu eorum non indiget habitu. Negatur conſequentia, quia ut dictum eſt ex aliis capitibus, quam ex ſola indifferentia, & indeterminatione potentiæ ad alteram partem poni poteſt habitus in potentia, ſi enim hæc eſſet ratio præciſa ponendi habitum, tunc in nulla naturali potentia poni poſſet habitus, ſed in ſola libera, quia omnis naturalis eſt omnino determinata quo ad alteram partem.

42 Quarto tandem arguitur probando, quod ſi datur talis habitus circa prima principia, ſit ponendus intellectui innatus, aut ſaltem ab ipſo intellectu fluere per modum naturæ poſita notitia terminorum, ut Cajet. ajebat, non autem actibus acquiſitum; Probatur primum, quia habitus principiorum dicitur intellectus, non alia ratione, niſi quia vel non eſt quid intellectui ſuperadditum, quod non eſt aſſerendum, aut certe ſi eſt quid illi ſuperadditum, non eſt adventitium, & de novo acquiſitum, ſed illi coævum, & congenitum; Probatur ſecundum a Complut. cit. quia ſi talis habitus per noſtros actus produceretur, etiam augeretur per eorum repetitionem, & conſequenter creſceret in nobis facilitas aſſentiendi eiſdem principiis, & per ceſſationem, ſeu deſuetudinem eorumdem aſſenſuum diminueretur talis facilitas, & per conſequens poſſet ipſe habitus diminui, & tandem corrumpi, ſed hoc eſt falſum, quia licet ſcientia, & alii habitus intellectuales corrumpi poſſint, non tamen habitus principiorum; tum quia poſt mille repetitos aſſenſus hujus principii, *omne totum eſt majus ſua parte*, nullus experitur majorem facilitatem in aſſentiendo, ac habuit cum primo, explicati fuerunt illi termini, & eandem facilitatem experitur unuſquiſque, cum poſt diuturnam ceſſationem, & deſuetudinem actuum proponitur idem principium, ergo talis habitus non generatur per proprios actus, ſicut alii habitus acquiſiti, ſed aliquo modo fit in nobis per modum naturæ,

43 Ad primum habitus principiorum dicitur intellectus, non quia ſit præciſe ipſa intellectus natura, aut quid ei ſuperadditum quidem, ſed congenitum, & coævum, ſed ut explicant Euſt. & Burl. quia illa cognoſcit intellectus proprio lumine, & ad aſſenſum inclinatur ſine ullo medio neceſſario, ſed per ſeipſum facta apprehenſione terminorum, qua ratione habitus principiorum adhuc potiori jure dicitur naturalis, & eorum notitia nobis innata, ut explicat Alenſis 4. Met. q. 2. in tex. 8. quam alii habitus, qui regulariter actibus noſtris acquiruntur. Ad 2. nega-

negant Fonsec. Ruvius, & alii minorem cum probatione, & adducunt contrariam experientiam, quia videmus aliquos ab initio non facile assentiri primis principiis, & post repetitionem probationum, & assensuum facile assentiri, unde qui admittunt infinitum in actu, negant illud principium, omne totum est majus sua parte, & per rationes sophisticas in contrarium infirmatur assensus, & minuitur habitus, numquam tamen ex toto corumpitur ob maximam eorum evidentiam; quare si admittitur habitus principiorum actibus nostris acquiri, idem judicium de ipso ferendum est, quod fertur a quibusdam de habitu luxuriæ; quia enim natura nostra maxime in Venerem proclivis est, inquiunt, unum, vel alium actum Venereum sufficere pro generatione habitus intensi venerei, atque ideo facillime generari, sed difficillime corrumpi, ob fomentum, quod habet ab ipsa inclinatione naturæ, sic in proposito, quia intellectus suo naturali lumine maxime propendet in principiorum assensum, facillime ex tali assensu generatur habitus, sed semel genitus difficillime corrumpitur ob fomentum, quod habet ab ipso naturali lumine intellectus, & evidentia terminorum illa principia constituentium. Vel respondeti potest juxta dicta nu. 37. concedendo, quod ajunt Complut. quod scilicet explicatis terminis ita facile, & prompte assentimur primis principiis, cum primum proponuntur, quam post repetitos plures assensus circa illa, quia non ponitur habitus principiorum ad superandam difficultatem, quam ab initio habeamus circa eorum assensum, sed ponitur ad salvandam intensionem assensuum, quam experimur post multam repetitionem illorum; unde per eorum repetitionem, vel cessationem non augetur, vel minuitur facilitas circa eorum credulitatem, sed fit major intensio, vel minor ipsius assensus. Dices ex majori, vel minori intensione actus sequi in potentia majorem, vel minorem facilitatem ad ipsum exercendum. Resp. licet hoc interdum sit verum, non tamen in omnibus verificatur; non enim quia lapis magis, vel minus velociter descendit, augetur in eo, vel minuitur facilitas ad descensum, & contingere potest, quod Magister actu minus intenso facilius aliquam percipiat propositionem, quam actu intensiori ex majori conatu potentiæ prodeunte, sed non cum tanta facilitate percipit discipulus.

44 Disputant hic nonnulli, an habitus principiorum sit idem secundum speciem pro omnibus principiis, vel diversus pro diversis, & quidem Complut. disp. 20. Log. q. 1. num. 7. dicunt multiplicandos non esse specie habitus juxta numerum scientiarum non subalternatarum, sed unum, ac eundem habitum in specie infima sufficere pro omnibus principiis speculativis, sive universalibus, sive particularibus, ac pariter unum pro omnibus practicis. Rationem sumunt ex Arist. 2. Post. c. ult. ubi docet habitum istum esse virtutem intellectualem certiorem, & altiorem habitu scientiæ, in quam iste resolvitur, tamquam in principium efficiens præhabens in se quicquid perfectionis est in scientia, ergo unitas ejus sumenda est ex altiori, ac universaliori radice, ac proinde non est multiplicandus juxta numerum scientiarum. Tum etiam quia ratio propria formalis, sub qua habitus iste tendit in principia, nempe immediata connexio prædicati cum subjecto, eadem est in omnibus principiis scientiarum, quamvis pro diversitate materiali eorum sæpe interveniat major, aut minor difficultas in explicatione terminorum, ergo idem habitus in specie infima sufficit pro omnibus principiis speculativis tam universalibus, quam specialibus, & propriis scientiarum.

45 Oppositum tamen verius est; atque ideo in primis statuendum est habitus principiorum practicorum, qui dicitur synderesis, ex Scot. 2. d. 30. q. 2. & versatur circa illa principia prima in Morali, Bonum est prosequendum, Malum fugiendum, Virtus est amplectenda, vitium est repudiandum; & habitus principiorum speculativorum, de quibus hic est sermo, specie ac plusquam specie distingui; ratio deducitur ex dictis disp. 12. Log. qu. 5. art. 3. ubi diximus differentias practici, & speculativi esse essentiales, aut saltem tales circumscribere, atque ista distinguere inter se essentialiter, & specifice, tam actus, quam habitus in omni materia; actus enim, & habitus specie distinguuntur per diversa objecta formalia, ex disp. 2. de An. qu. 4. sed veritas speculativa, quam continent principia speculativa, & circa quam versatur habitus speculativus, tanquam circa proprium objectum, est specie diversa a veritate practica ex dictis ibidem, quia hæc ex propria natura ordinatur ad praxim, non autem illa; ergo &c. Quinimo etiam habitus principiorum speculativorum inter se specie distingui debent, secundum quod in diversis materiis inveniuntur, adeout habitus principiorum unius scientiæ specie distinguatur ab habitu principiorum alterius, ratio est, quia habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta, sed assensus principiorum unius scientiæ specie distinguitur ab assensu principiorum alterius, cum diversas specie veritates attingant, nam aliam veritatem continet Philosophicum hoc principium, quod natura agit propter finem, & aliam hoc Matemat. principium, quod lineæ parallelæ non concurrunt, ergo isti assensus specie diversi generant pariter habitus specie diversos, nam similes habitus generantur a similibus actibus, & dissimiles a dissimilibus. Ex quo tandem pariter infertur, quod si datur habitus etiam pro principiis universalissimis, sit etiam pro diversis diversificandus specie habitus, & hoc quidem convincitur per eandem rationem, nam alia est veritas, quam continet hoc universalissimum principium, quodlibet est, vel non est, ab ea, quam continet illud, omne totum est majus sua parte, & quidem alia specie diversa, ergo assensus unius specie distinguitur ab assensu alterius, atque ita pariter habitus ex ipsis geniti, quia similes habitus generantur ex actibus similibus.

46 Argumentum vero Complut. falsum assumit, quod nimirum sit eadem ratio formalis objectiva assensus in omnibus principiis scientiarum, nempe immediata connexio prædicati cum subjecto, quatenus omnibus principiis assentimur in quacumque scientia, aut ex sola terminorum apprehensione, aut inductione sine medio a priori, falsum id, inquam, est, quamvis enim sit eadem ratio formalis generica, est tamen specie diversa pro diversitate scientiarum, & principiorum, quia diversa est veritas immediata unius principii a veritate immediata alterius, nedum materialiter, ut ajunt Complut. sed etiam formaliter, quia unicuique assentitur intellectus, & propter seipsam sine medio a priori; imo si argumentum eorum urget, nedum probabit eundem specie infima habitum sufficere pro omnibus principiis speculativis, sed etiam pro omnibus, & singulis in universum, tam practicis, quam speculativis, quia eadem est ratio formalis assentiendi in omnibus, quia omnibus assentitur sine medio habita solum significatione terminorum, imo id ipsum concluderetur etiam de quocumque habitu scientifico, quod omnes essent ejusdem infimæ speciei, quia eadem est ratio formalis assentiendi in omnibus, quatenus omnibus conclusionibus assentimur per medium demonstrativum. Sicut ergo ad hoc argumentum diceretur, quod utique in omnibus scientiis est eadem ratio formalis assentiendi generica, scilicet per medium demonstrativum, sed est diversa specifice pro diversitate mediorum & principiorum demonstrationis, ita pariter dicendum est in proposito; Et parum ad hoc refert, quod habitus principiorum sit altior, atque nobilior habitu scientifico, ideoque sumendam esse ejus unitatem ex altiori, & universaliori radice, licet enim ob id quasdam habeat præeminentias, quibus caret habitus scientificus, attamen in ordine ad unitatem, & distinctionem, ita se habent, quod tam hic, quam ille habitus distinguuntur per actus, & actus per objecta.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit principium complexum omnium primum, & firmissimum, atque notissimum.

47 NOn est hic sermo de ea primitate, qua immediate prædicatum conjungitur subjecto, nam omnia principia complexa prima debent hac primitate gaudere, quatenus omnia habere debent immediatam connexionem terminorum, adeout sint indemonstrabilia, alioquin prima principia non forent, unde primitas ejusmodi debet æqualiter omnibus convenire principiis; sed sermo est de ea primitate, quæ importat communitatem quandam, & universalitatem, ex vi cujus principium, quod dicitur sic primum, præcedat ordine naturæ omnia alia principia, & in ipsum quodammodo resolvantur omnes conclusiones; hac stante explicatione, Arist. 4. Met. tex. 8. & 9. ex professo docet tale principium omnium primum, firmissimum, atque notissimum, esse hoc: *impossibile est idem simul esse, & non esse*, quod ibi longo discursu probat; sed quamvis quoad firmitatem, & notitiam omnes fere conveniant principium ab Arist. assignatum esse omnium firmissimum, atque notissimum, tamen quoad primitatem non omnes conveniunt; unde variæ exortæ sunt opiniones circa primitatem primi principii, quarum aliquæ directe impugnant Arist. dictum, aliæ vero illud limitant, adeo ut intelligi non debeat in ea universalitate, qua pronunciatum fuit ab Arist. & quamvis hæc quæstio sit mere textualis, a quibus quæstionibus abstinere proposui ab initio hujus operis, quia tamen difficultates continet non spernendas, & valde appositæ in hunc incidit locum, eam expendere libet.

48 Prima opinio est Ant. And. 4. Met. ubi quamvis q. 4. concedat principium illud ab Arist. assignatum esse omnium firmissimum, atque notissimum; tamen qu. 5. negat esse omnium absolute primum, & ait esse primum dumtaxat in serie eorum, quæ tamquam generalia, & universalissima circumferri solent, qualia sunt, *de quolibet verum est affirmare, vel negare; omne totum est majus sua parte, si ab æqualibus æqualia demas* &c. respectu, inquam, istorum inquit illud principium esse primum; at principium simpliciter, & absolute primum esse istud, *ens est ens*, quod tali ratione probat, quia primum principium debet constare ex terminis omnium primis, ut termini quoque proportionentur principio, at illud principium, impossibile est idem simul esse, & non esse, non constat ex terminis omnium primis, & irresolubilibus, siquidem ly *idem* est terminus inulteriores conceptus resolubilis, & ly *esse & non esse*, est conceptus aggregatus ex affirmativo, & negativo, at vero cum dicitur *ens est ens*, termini sunt omnium primi, quia nihil simplicius ente dari potest. Tum quia nulla propositio modalis est primo prima, quia est resolubilis in aliam de ineste, sed istud principium *impossibile est* &c. est propositio modalis, ergo non est primo prima.

49 Secunda opinio quoque negat illud esse primum principium, quod ab Arist. ponitur *impossibile est* &c. quia est negativum, omnis autem negatio in priori aliqua affirmatione fundatur, ergo datur aliud principium prius illo, in quo fundetur, quale erit hoc: *necesse est idem esse, vel non esse.*, vel si terminis Dialecticis illud explicare volumus, *de quolibet verum est affirmare, vel negare.* Cui opinioni etiam Scotus favere videtur 4. Met. in expositione text. 10. ubi ab initio ait, illud principium,

um, *impossibile est idem* &c. esse affine principio, *de quolibet est vera affirmatio, vel negatio*, nam quasi ex illo sequitur, & in illo virtualiter continetur, si ergo illud dependet ab isto, & in isto fundatur, jam istud erit primum omnino principium, immo contendunt aliqui hoc re vera fuisse principium ab Arist. positum, & non illud. Supponit autem hæc sententia illa duo principia scil. *impossibile est idem* &c. & illud *necesse est quodlibet esse, & non esse*, esse inter se diversa, quia re vera diversa enunciant; si quidem in priori significatur repugnantia contradictoria, quæ est inter ens, & non ens; in posteriori vero significatur inter ea non dari medium, atque ideo quod alterum ipsorum debet semper necessario convenire, sicut autem in contrariis, vel privative oppositis aliud est, quod non possint simul convenire eidem, aliud vero quod alterum eorum necessario debeat convenire, ut per se manifestum est; ita etiam in contradictorie oppositis hæc duo formaliter, & in rigore diversa sunt; sive ergo hæc principia per terminos Metaphysicos explicentur dicendo, *impossibile est idem esse, & non esse, necesse est, quodlibet esse, vel non esse*; sive per terminos dialecticos dicendo, *impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem, necesse est idem affirmari, & negari de eodem* (nam substrisque terminis promiscue traduntur ab Arist.) semper sunt principia distincta, & diversa continent significata, quod etiam approbat Suar. disp. 3. Met. sect. 3. n. 5. & Faber 4. Met. disp. 14. c. 1.

50 Tertia opinio est ipsius Suarez ibidem n. 6. & seq. ubi distinguit, quod sicut duplex est demonstratio, alia ostensiva, & alia ducens ad impossibile, ita principia sunt duplicis generis, quædam sunt principia ad demonstrandum a priori, quædam sunt principia ad impossibile ducentia, ut nos quoque distinximus supra nu. 7. itaque loquendo de principiis demonstrationis a priori, primum principium est definitio entis, vel primæ passionis entis; ratio est quia in demonstratione a priori definitio subjecti, vel primæ passionis est primum principium ad demonstrandam passionem de subjecto; vel passiones posteriores demonstrantur de eo per definitionem prioris passionis, igitur in hoc ordine demonstrandi primum principium erit illud in quo ratio, vel essentia entis distincte concepta de ipso ente prædicatur; In alio autem genere, seu modo demonstrandi per deductionem ad impossibile, primum principium, in quo totus ille modus demonstrandi nititur, est hoc, *impossibile est idem esse, & non esse*, quia omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistit, quod sequatur idem simul esse, & non esse, & quamdiu ad hoc non deducitur, non est satis demonstrata impossibilitas; postquam vero ad hoc deductum est, ibi sistitur, tanquam in ultimo termino resolutionis, & notissimo principio, quem dicendi modum sequitur ex nostris Meurisse. lib. 2. suæ Met. cap. 1. q. 2.

51 Quarta opinio est Pasqualig. tom. 1. disp. 42. sect 2. ubi negat principium illud ab Arist. assignatum, *impossibile est idem* &c. esse vere, & proprie principium complexum, quod probat, quia principium complexum ex sui natura ex duobus ad minus terminis constare debet, qui sint inter se evidenter, & immediate connexi; sed in principio unus dumtaxat reperitur terminus, licet plures intervenire videantur, ergo &c. major patet, quia idem non dicitur sibimet connecti; ut ergo in principio complexo salvetur terminorum connexio, debet intervenire diversitas, atque distinctio terminorum; Probat minorem n. 7. quia ly *non esse*, est purum nihil, unde ex parte objecti nullam importat rationem termini; ly autem *idem*, non est proprie terminus ex parte objecti, sed solum adhibetur ad significandum, quod esse, & non esse non possunt identificari adinvicem, ergo ex parte objecti unus tantum intervenit terminus, nempe ly *esse*; cum igitur non adsint plures termini, & consequenter nec connexio illa, quæ innotescit ex sola notitia terminorum; concludendum est, quod non servet proprietatem principii. Addit tamen, quod licet re vera non sit principium, est tamen fundamentum, ac velut radix, in qua radicantur cætera principia, quia ut inquit principio assentimur, quatenus aliquo pacto virtualiter in hoc continetur, quod immediate fundatur in ente, scilicet impossibile est idem simul esse, & non esse, unde evidentia hujus principii, *totum est majus sua parte*, tanquam evidentia entis determinati radicatur in illa evidentia, quod *non potest idem simul esse, & non esse*, tanquam in evidentia rei indeterminatæ, quæ est radix omnis evidentiæ rei determinatæ, sicut enim tale ex fundamento habet in ente, ut sic, ita etiam evidentia talis entis debet habere fundamentum in evidentia entis, ut sic, quæ eadem inductio prosequi potest in cæteris principiis.

52 Dicendum tamen est, primum simpliciter, & absolute loquendo principium esse illud ab Arist. assignatum 4. Met. c. 3. 4. & 5. Ita Scotus, & Alensis in commentariis ad illa capita cum aliis Arist. expositoribus, & iterum Doct. 4. Met. q. 3. & 1. d. 3. q. 4. art. 2. ubi ex 4. Met. refert primum omnino principium esse illud, impossibile est idem esse, & non esse; Probatur autem excludendo in primis omnes, & singulas sententias de primitate, & universalitate primi principii jam relatas; & quidem prima opinio, quæ pro primo principio statuebat illud *ens est ens*, valde hallucinatur nullum ponens discrimen inter primum principium, primamq; propositionem, cum enim principium complexum semper in aliqua propositione consistat, potest duobus modis considerari, vel quatenus propositio simpliciter, vel quatenus principium; & in utroq; sensu diversimode de ejus primitate philosophandum est; nam si consideretur in ratione propositionis, utiq; ejus primitas ex eo petenda est, quod non sit propositio negativa, sed affirmativa; quod non sit modalis, sed simplex; quod ejus termini sint simplices, & in alios irresolubiles, ut arguebat Ant. And. sed si consideretur in ratione principii sane non ex hoc capite ejus primitas est attendenda, sed ex conditionibus, quas affert Arist. loc. cit. nempe, quod si ita certum, ut non contingat circa illud errare; quod sit notissimum absolute, non autem ex conditione aliqua, & tandem quod sit impossibile oppositum venire in mentem alicui, has autem omnes habet conditiones principium illud, *impossibile est idem esse, & non esse*, ut ibi ex professo probat Arist.

53 Deinde tantum abest, ut propositio illa, *ens est ens*, sit primum omnium principium, in quod cætera resolvantur, quod potius proprie rationem principii non habet, unde aliqua conclusio deduci possit; quia principium complexum dicitur tale in ordine ad aliquam veritatem inferendam, aut conclusionem probandam; sed ex propositione identica non potest syllogistice inferri aliqua conclusio in rigore Logico; cum ergo talis sit illa, *ens est ens*, verum, & proprium principium constituere non valet. Major de se patet. Probatur minor, quia principia non sunt apta syllogistice disponi, & sic conclusionem inferre, nisi constent ex diversis terminis: si autem altera dumtaxat propositio sit identica, non constabit syllogismus tribus terminis, neque aderit medius terminus, in quo propositiones assumptæ connectantur adinvicem: tunc enim unus dumtaxat terminus interveniret in illa propositione, non autem aliqua extremitas, quæ cum medio termino connecteretur, ergo &c. Conf. quia ut dicitur in Log. quamvis prædicatio identica sit certissima, & verissima, unde ajebat Boetius, quod nulla est verior prædicatio, quam cum idem prædicatur de seipso, adhuc tamen dicitur prorsus ad scientiam inepta, quia per eam nihil notificatur ignotum: ergo primum principium, quod inservire debet ad omnes, & singulas veritates manifestandas, omnino inepte ponitur consistere in illa propositione identica, *ens est ens*.

54 Secundo, aliara quoque opinio, quæ primum statuit principium illud, *necesse est idem esse, vel non esse*, ruinoso nititur fundamento; quod nimirum hoc principium distinguatur ab illo, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, quamvis enim ex vi sermonis, & in virtute propositionum, per priorem scilicet explicetur immediatio inter esse, & non esse, quatenus inter illa non potest cadere medium, & per posteriorem repugnantia contradictoria inter illa; hæc tamen in contradictorie oppositis nullatenus separari possunt, cum inter ea nullum detur medium: unde qui dicit, impossibile est idem simul esse, & non esse, dicit etiam implicite, necesse est idem esse, vel non esse, quare licet in contrariis, & privative oppositis aliud sit, quod non possint convenire eidem, & aliud, quod alterum eorum necessario debeat convenire, quia primum separari potest a secundo, si sint talia contraria, inter quæ detur medium, non ita tamen discurrendum est in contradictorie oppositis, ut arguebat secunda opinio, quia inter ea numquam dari potest medium, ergo quamvis duo illi conceptus in contrarie oppositis, ubi separantur, diversa possint constituere principia, tamen in contradictorie oppositis, sicut se habent esse, & non esse, vel unum dumtaxat constituunt principium, vel saltem duo ad idem munus inservientia: hinc non abs re dixerunt Zerbius 4. Met. q. 5. §. *propter primum*, & Javellus q. 9. illas duas propositiones importare idem principium secundum rem, & solum differre penes enunciandi modum. Deinde concesso etiam, quod hæc sint duo principia diversa, falsum tamen omnino est, quod principium de impossibili pendeat a principio de necesse, imo res e contra se habet, quod hoc ex illo sequitur, & in illo virtualiter continetur, & ita intelligendus est Scot. 4. Met. tex. 10. licet ex amphibologia locutionis utramque recipiat expositionem: Et hoc suadet manifesta ratio, quia ex hoc, quod impossibile est aliquid simul esse, & non esse, sequitur statim, quod necesse est idem esse, vel non esse; quia inter illa non datur medium, unde licet illa consequentia non teneat gratia formæ, quia non teneret in contrarie oppositis, ubi datur medium, tenet tamen gratia materiæ, quatenus fit in contradictorie oppositis, quæ nullum habent medium. Conf. quia si etiam illa duo principia conficiantur ex terminis dialecticis in hunc modum, impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem, necesse est idem affirmari, vel negari de eodem, hoc secundum probari potest per primum, nam si de quolibet non est verum affirmare, vel negare, ergo de quolibet verum erit affirmare, & negare, quod est oppositum prioris principii. Nec respondeti potest, quod detur medium, quia affirmatio, & negatio sunt contradictoria, inter quæ nullum datur medium. Denique per se evidentius est contradictorie habere inter se repugnantiam, quam immediationem, illud enim prius fit statim palam ex ipsis terminis, at posterius aliquo indiget discursu, & declaratione, unde illud prius commune est omnibus oppositis, quæ rationem oppositionis inter se repugnant, posterius autem non omnibus convenit oppositis, ergo principium de impossibili, per quod explicatur repugnantia inter esse, & non esse, antecedit principium de necessario, quo eorum immediatio exprimitur, & hoc secundum ab illo depender; Tum quia prius secundum rationem est duas contradictorias non posse esse simul veras, quod explicatur per principium de impossibili, quam non posse esse simul falsas, quod explicatur per principium de necessario, quia veritas a toto genere est prior falsitate.

55 Tertio neque modus dicendi Suarez satisfacit; licet enim illa distinctio, quam facit, sit vera, ejusque discursus admitti possit, tamen ad rem non facit, quia in præsenti quæritur principium omnium primum, & firmissimum tum in genere demonstrationis ostensivo, tum in genere demonstrationis ad impossibile

nte ducentis: fruſtra ergo aſſertur diſtinctio illa principiorum ad hujus quæſiti deciſionem, quia licet in ſerie demonſtrationum oſtenſivarum detur principium aliquod primum, quod amplius probari non poſſit, quia in demonſtrationibus non itur in infinitum, iſtud tamen principium non debet vocari ſimpliciter primum, quia licet ſit demonſtrabile oſtenſive, probari tamen ulterius poteſt in genere demonſtrationis deducentis ad impoſſibile; Deinde e contra, ſi hoc principium, impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe, eſt primum dumtaxat in genere, ſeu modo demonſtrandi per deductionem ad impoſſibile, quatenus omnis deductio ad impoſſibile in hoc tandem ſiſtit, quod ſequatur idem ſimul eſſe, & non eſſe, ergo non erit omnium principiorum, & in quocumque genere ſimpliciter primum, quale eſſe debet illud principium, cujus firmitas, & primitas hic quæritur, ut vult Suarez: conſequentia patet, quia quod eſt primum dumtaxat in certo, & determinato genere, non poteſt, nec debet dici ſimpliciter, & abſolute primum. Tandem hoc primum principium ab Ariſt. aſſignatum nedum validum eſt ad confirmandas concluſiones, ſeu principia per deductionem ad impoſſibile, ſed etiam ad demonſtrandas concluſiones a priori, ergo nedum dici debet primum principium dumtaxat in genere demonſtrationis per deductionem ad impoſſibile, ſed dici debet primum ſimpliciter, & abſolute in quocumque genere demonſtrandi; aſſumptum conſtabit diſp. ſeq. n. 50. ubi declarabitur quo pacto etiam per hoc principium poſſint a priori paſſiones entis de ipſo demonſtrari; reſtat ergo, ut hoc principium dicatur ſimpliciter, & abſolute primum, & in quocumque demonſtrationis genere, licet ex ſui natura aptius ſit ingredi demonſtrationem ad impoſſibile ducentem.

56 Quarto tandem magis adhuc decipitur Paſqual. dum negat illud principium, *impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe*, eſſe complexum, & pluribus terminis conſtare: omnes namque fatentur hanc eſſe propoſitionem vere modalem; tum quia ſatis de ſe conſtat ly *impoſſibile, idem eſſe, & non eſſe*, diverſos terminos eſſe, & quamvis ly *non eſſe* ſit purum nihil, tamen falſum eſt ex parte objecti nullam importare rationem termini, ſiquidem non eſt de ratione termini, quod ſemper ſignificet quid reale, & poſitivum, ut conſtat ex Log. unde hæc eſt vera propoſitio, atque complexa oratio, Antichriſtus modo eſt nihil; Et ſane non video quomodo in mentem hujus viri figmentum adeo evidens venire potuerit, quod nullus Philoſophorum hactenus ſomniavit; Et hoc etiam ex ipſo convincitur Ariſt. qui 4. Met. agens de principiis complexis entis, inter alia connumerat iſtud, imo ait eſſe omnium primum, firmiſſimum, atque notiſſimum, ergo re vera hoc eſt principium complexum nedum quantum ad modum enunciandi, ſed etiam quantum ad rem ipſam, quia, ut ajunt, eſt propoſitio modalis de copulato extremo.

57 Reſtat ergo, quod illud principium ab Ariſt. aſſignatum 4. Met. *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ſit primum omnium principiorum, quod adhuc ita probari poteſt. Illud eſt primum principium ſimpliciter, quo non modo omnes concluſiones, ſed etiam cætera omnia principia confirmari poſſunt, tamquam per illud, quod eſt fundamentum, & radix omnium principiorum; ſed tale eſt præfatum principium ab Ariſt aſſignatum, ergo &c. Major patet; Ptobatur minor ab Alenſi 4. Met. in expoſitione tex. 9. hoc diſcurſu; duplex eſt operatio intellectus, prima eſt, qua intelligit ipſum quodquid eſt, & vocatur ſimplicium intelligentia, alia eſt, qua componit, & dividit, & in utraque operatione eſt aliquod primum, illud quod eſt primum in prima operatione, eſt ens, nihil enim poteſt concipi ſimplici intelligentia, niſi concipiatur ens, & primum in ſecunda operatione eſt hoc principium, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, & hoc eſt, quia hoc principium fundatur in ente, unde ſicut ens eſt primum in prima operatione, ita hoc principium in ſecunda, in ſecunda enim operatione nihil poteſt intelligi non intellecto hoc principio, ſicut enim totum, & pars non poteſt intelligi, niſi intellecto ente; ita hoc principium, omne totum eſt majus ſua parte, non poteſt intelligi, niſi intellecto hoc principio firmiſſimo, & ſic ſicut omnes conceptus ſimplices reſolvuntur in ens, ita omnes conceptus compoſiti reſolvuntur ad hoc principium, quia enim totum non poteſt ſimul eſſe totum, & non eſſe totum; ideo eſt majus ſua parte, ſi enim non eſſet majus, non eſſet totum, ſed pars: quare evidentia hujus principii, omne totum &c. tamquam evidentia entis determinati radicatur in illa evidentia, quod non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, tamquam in evidentia rei determinatæ, quæ eſt radix omnis evidentiæ rei determinatæ.

58 Amplius quoque Zerbius cit. 4. Met. q. 5. §. *Propter tertium*, declarat, qualis eſſe debeat primitas primi principii, & quo pacto dicatur primum reſpectu cæterorum; non enim ideo dicitur primum ſimpliciter, ut excludatur compoſitio ex pluribus vocibus, vel terminis componentibus, cum ipſum ſit reſolubile in terminos incomplexos, ex quibus componitur, ſicut complexum in incomplexum: nec ideo quia non habeat propoſitiones aliquo modo naturaliter priores eo, cum iſta *ens eſt ens* quam includit primum principium, tamquam ejus pars ſit prior eo naturaliter, aut effective, ſive materialiter, cum partes ſint priores toto; ſed ideo dicitur primum ſimpliciter, quia naturaliter ſimpliciter præcedit omnia alia principia complexa proprietate cauſalitaris, quia licet principia complexa, ex quibus ipſum componitur, ipſum præcedant in genere cauſæ efficientis: hoc tamen principium omnia illa præcedit in genere cauſæ finalis, quia propter hoc principium finaliter ſunt omnes aliæ propoſitiones, ex quibus componitur; præcedit etiam hoc principium omnia alia prioritate doctrinæ, prius enim ingreditur virtualiter demonſtrationem, quam aliquid aliud, quæ omnia ſicut ſunt finaliter propter ipſum, ita ratione ejus virtualiter ingrediuntur demonſtrationem, præcedit tandem omnia alia prioritate conſequentiæ, nam licet ſequatur, ens eſt ens, ergo quodlibet ens eſt, vel non eſt, non tamen e contra, quia ſi nihil nec aliqua, nec aliqualiter eſſet, adhuc quodlibet eſſet, vel non eſſet, non tamen ens eſſet ens, nec ita eſſet, nec vere eſſet, atque ita conſtat primum principium cætera omnia naturaliter præcedere, Et hac etiam ratione Soncinus 4. Met. quæſt. 31. tenet hoc principium eſſe ſimpliciter omnium primum, quia ſi aliqua propoſitio eſſet, cujus veritas ab hoc principio non dependeret, maxime eſſet iſta, *ens eſt ens*, quia ipſa componitur ex primis terminis, & eſt affirmativa, & in ea idem prædicatur de ſeipſo, ſed principium illud poteſt eſſe verum, dato etiam quod iſta non ſit vera, nam ſi per impoſſibile nihil eſſet in rerum natura, nec poſſet eſſe, adhuc iſta propoſitio eſſet vera, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, & tamen iſta eſſet falſa, *ens eſt ens*, ſive exiſtens eſt exiſtens, ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

59 IN oppoſitum primo arguitur probando, quod illud principium *impoſſibile eſt quod idem* &c. non ſit omnium primum, nam primum principium non componitur ex aliquo termino reſolubili in priores conceptus, nulla enim propoſitio eſt majoris ſimplicitatis, quam ſint ejus termini, ſed in illa propoſitione ponitur ille terminus *idem*, qui eſt reſolubilis in conceptum abſolutum, & relativum, ergo &c. Tum 2. omnis propoſitio negativa, & modalis habet aliquam de ineſſe, & affirmativam priorem ſe, ſed illa propoſitio eſt modalis, & negativa, ut de ſe conſtat, ergo &c. Tum 3. primum principium non poteſt probari, aliquin haberet aliquod prius ſe, ſed principium aſſignatum, impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe, probari poteſt per iſtud a priori, *impoſſibile eſt duo contradictoria eſſe ſimul vera*, ac etiam inductione a poſteriori ſic dicendo, impoſſibile eſt Petrum eſſe, & non eſſe, impoſſibile eſt Paulum eſſe, & non eſſe, ergo impoſſibile eſt aliquid eſſe, & non eſſe, cum ergo probari poſſit a priori, & a poſteriori, nequit poni primum principium. Tum tandem, quia prima principia continent virtualiter omnem veritatem, quoniam omnis propoſitio vera non prima eſt reſolubilis ad aliam, quæ eſt prima inter omnes, ſed principium allatum non continet virtualiter omnem veritatem, alioquin cognoſcens ipſum poſſet naturaliter acquirere notitiam cujuslibet veritatis etiam ſupernaturalis, ergo &c.

60 Reſp. ex dictis n. 52. argumentum probare dumtaxat, quod non ſit primum in ratione propoſitionis, non vero quod non ſit primum in ratione principii. Vel ex n. 58. negatur major, ad hoc enim ut ſit primum principium, non ſufficit, quod non ſit reſolubile in aliam propoſitionem, a qua ejus veritas, ac evidentia dependeat. Vel tandem negatur minor, quia ly *idem*, eſt terminus tranſcendens, neque eſt proprie ſubjectum primi principii, ſed potius determinatio ſubjecti, ſubjectum vero eſt ipſum ens, ut notavit Mairon. qu. 1. prolog. ubi fuſe agit de primo principio complexo, unde ſenſus ejus eſt, impoſſibile eſt idem ens eſſe ſimul ens, & non ens. Ad 2. reſp. per idem, quamvis enim in genere propoſitionum affirmativa ſit ſemper prior negativa, non tamen ita eſt in genere principiorum, cui accedit, quod inquiunt Scot. & Ant. And. loc. cit. illud principium quamvis ſecundum vocet ſit negativum, realiter tamen, & formaliter eſſe affirmativum, namæquivalet iſti propoſitioni, *neceſſe eſt idem non ſimul eſſe, & non eſſe*, quæ eſt affirmativa de modo. Ad 3. negatur minor, primum namque principium, nec a priori, nec a poſteriori proprie probari poteſt, unde ad primam probationem negatur aſſumptum, potius enim res e contra ſe habet, quod duo contradictoria nequeunt eſſe ſimul vera, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, & per hoc probatur illud, & hoc eſt notius illo, quia de hoc nulla eſt difficultas, ſicut eſt de illo, ad aliam probationem inquit Doctor 2. Met. q. 1. & 1. d. 3. q. 4. art. 2. D. quod cognitio ſingularium eſt tantum occaſio cognitionis primorum principiorum, unde illa inductio proprie non eſt probatio, ſed quædam manuductio, quia quandocumque intellectus intelligit primum principiam, magis adhæret illi, quam propoſitioni ſingulari inducenti, non eſt igitur vera probatio, ſed tantum eſt quædam illatio a poſteriori; ratio autem hujus eſt, quam ſupra innuimus n. 22. quia omnis univerſalis in materia neceſſaria eſt per prius vera, quam ejus ſingularis, ut prius verum eſt, omnem hominem eſſe animal, quam Petrum eſſe animal, & ideo hæc infertur ex illa a priori, eſſe autem, & non eſſe conveniunt cuilibet neceſſario ſub disjunctione, & ideo illa eſt per prius vera, impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe, quam iſta, impoſſibile eſt Petrum eſſe, & non eſſe: ita etiam reſpondet Soncin. loc. cit. & bene.

61 Ad 4. idem Sonc. ib. negat minorem, nam primum principium continet virtualiter omnem notitiam, quam continent ejus termini, conſtituitur autem ex terminis communiſſimis, ſcilicet ex ente, ens autem continet virtualiter notitiam cujuslibet proprietatis ſuæ, & ſuorum inferiorum, quia ſi quis perfectiſſime cognoſceret naturam entis, ſicut ea cognoſcit ſolus Deus, cognoſceret etiam omnes gradus, & perfectiones omnium entium, tam eorum, quæ ſunt, quam eorum quæ poſſunt eſſe, quod autem intellectus noſter ex notitia primi principii non poſſit naturaliter

liter acquirere quamlibet notitiam, ideo eſt, quia non perfecte cognoſcit naturam entis ſignificatam per terminos, ex quibus componitur primum principium, Sed univerſale non ex integro continere virtualiter cognoſcibilitatem ſui inferioris, minuſq; univerſalis jam oſtendi diſp. 6. de An. q. 7. ar. 1. n. 200. quia inferius ſemper addit aliquid quod nec formaliter, nec virtualiter in ſuperiori continetur, ſed ſolum potentialiter, nimirum illud, quod habet rationem contrahentis, & determinantis, talis autem continentia eſt tantum paſſiva per indifferentiam materialem, quam habet, ut per rationem illam contrahatur, & ideo nequit eſſe ratio illam determinate cognoſcendi, nec conſequenter conſtituta per illam, & ita expreſſe Doctor 2. d. 9. q. 1. §. 1. *Contra iſta*, & 3. d. 14. qu. 1. litt. A. quare quæſt. 1. prolog. loquens conſequenter ad hanc ſuam doctrinam inquit §. *Ad tertium*, quod ſicut termini, qui accipiuntur in primis principiis ſunt communiſſimi, ita virtute talium principiorum non ſciuntur de inferioribus, niſi prædicata communiſſima; quod probat ratione, quia medium non poteſt eſſe propter quid reſpectu paſſionis, niſi quæ includitur virtualiter in ratione illius medii; in ratione autem ſubjecti principii communiſſimi non includitur propter quid aliqua paſſio particularis, ſed tantum communiſſima, ergo illud ſubjectum non poteſt eſſe ratio cognoſcendi aliquas paſſiones, niſi communiſſimas ſub ratione communiſſima, ſed præter paſſiones communiſſimas ſunt multæ aliæ paſſiones ſcibiles, ad quas non poſſunt rationes primorum principiorum eſſe media, quia non includunt illas, ergo ſunt multæ veritates ſcibiles, quæ non includuntur in primis principiis; quod Doctor manifeſtat exemplo, quia iſtud, omne totum eſt majus ſua parte, etſi includat iſtam, quaternarius eſt major binario, & alias ſimiles de eodem prædicato, non tamen includit iſtas, ſcilicet quaternarius eſt duplus ad binarium, & ternarius ſe habet in proportione ſexquialtera ad dualitatem, nam ad iſta prædicata oportet habere media ſpecialia concludentia ipſa.

62 Dices; ſi ergo omnes veritates non continentur virtualiter in illo principio, jam non erit primum principium, de cujus ratione eſt, ut omnes concluſiones ſcibiles, & omnia alia principia in ipſum tandem reſolvantur. Negatur conſequentia, quia ut etiam probe notavit Suar. cit. n. 10. Ariſt. non vocat illud primum principium, quia virtualiter præfato modo contineat omnes alias veritates, & illo utatur Met. in demonſtratione oſtenſiva, in qua propria paſſio oſtendi ſolet propter quid de proprio ſubjecto, nam potius idem Ariſt. 1. Poſt. c. 8. tex. 26. dicit non ſolere illud principium formaliter ingredi demonſtrationem oſtenſivam, tum quia ſcientia non eſt ex communibus, tum quia hæc principia in ſua communitate manentia, & non aliquo pacto contracta, ſunt prorſus inepta ad peculiares paſſiones demonſtrandas de ſuis ſubjectis, quod & rurſus loc. cit. declarat Doctor clariſſimo exemplo, quia ſi ſumamus primum principium, ut demonſtremus, quod homo eſt riſibilis; numquam tamen per hoc principium, *de quolibet verum eſt affirmare, vel negare* (ubi nota quod hoc principium non diſtinguit ab illo, impoſſibile eſt idem de eodem ſimul affirmare, & negare juxta dicta num. 54.) plus poteſt inferri, quam quod ſit riſibilis, vel non riſibilis; altera igitur pars prædicati disjuncti nunquam ſcietur de ſubjecto per hoc principium commune, ſed requiritur aliquod principium ſpeciale, tamquam medium determinatum, & ratio ſciendi riſibile de homine. Dicitur enim primum principium ea præſertim ratione, quia ei innititur totus modus demonſtrandi per impoſſibile, per quem non ſolum omnes concluſiones, ſed omnia etiam alia principia perſuaderi ſolent, quia omnis deductio ad impoſſibile in hoc tandem ſiſtit, quod ſequatur idem ſimul eſſe, & non eſſe, & quamdiu ad hoc non deducitur, non eſt ſatis declarata impoſſibilitas, poſtquam vero ad hoc deductum eſt, ibi ſiſtitur tanquam in ultimo terminо reſolutionis, & notiſſimo principio; imo hoc demonſtrationis genere poteſt primum principium aſſumi ad oſtendendas etiam paſſiones inferiorum, utpote riſibilitatem de homine hoc pacto, de quolibet verum eſt affirmare, vel negare, ergo de homine verum eſt affirmare, vel negare riſibilitatem, ſed de eo riſibilitas negari non poteſt, ergo debet affirmari; itaq; cum Ariſtot. innuit in primo principio virtualiter contineri omnem veritatem, intelligit per virtutem demonſtrationis ducentis ad impoſſibile, & cum id negat Scotus, intelligit per virtutem demonſtrationis oſtenſivæ; quo autem pacto poſſit hoc primum principium etiam aliquam ingredi demonſtrationem oſtenſivam, & per ipſum a priori, & oſtenſive demonſtrari paſſiones entis de ipſo ente, & quocunque contento ſub ipſo, declarabitur diſp. ſeq.

63 Secundo principaliter arguitur probando primum principium non eſſe notiſſimum, quia notior omnium propoſitio, & verior eſt, in qua idem prædicatur de ſeipſo ex Boet. lib. de hebdomad. ſed in propoſitione aſſignata ab Ariſt. pro primo principio idem non prædicatur de ſeipſo, ergo &c. Deinde propoſitio affirmativa notior eſt negativa, quia notior eſt affirmatio, quam oppoſita negatio ex 4. Met. ſed principium ab Ariſt. aſſignatum eſt propoſitio negativa. Rurſus in ſyllogiſmo ex oppoſitis concluſio debet eſſe notior præmiſſis in falſitate, ſed in præmiſſis accipiuntur oppoſita contradictorie, in concluſione autem negatur idem de ſeipſo, ergo negatio ejuſdem de ſeipſo eſt notior oppoſito illius primi principii, in quo dicuntur duo contradictoria non poſſe eſſe ſimul vera, v.g. in hoc ſyllogiſmo, homo eſt animal, homo non eſt animal; ergo animal non eſt animal; concluſio eſt notior præmiſſis, in quibus habetur oppoſitum primi principii, & per conſequens aliquid eſt notius in veritate primo principio ſcil. oppoſitum illius falſi notioris. Denique primum principium ab Ariſt. poſitum poteſt aliquo pacto probari, & demonſtrari contra negantes ipſum ex eodem Ariſt. 4. Met. ſed omnis bona probatio ex notioribus procedit, ergo &c.

64 Reſp. nullam propoſitionem veriorem, & notiorem eſſe illa, in qua idem prædicatur de ſeipſo, loquendo de his, quæ poſſunt prædicari de illo eodem, unde verior eſt iſta, & notior, homo eſt homo, quam aliæ de eodem ſubjecto, homo eſt animal, eſt vivens, eſt corpus &c. ſimpliciter tamen, & abſolute loquendo verius, & notius eſt primum principium ab Ariſt. aſſignatum, quia in ipſo fundatur quoque veritas propoſitionis identicæ, ideo enim homo eſt homo, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Ad 2. conſtat ex dictis illam propoſitionem eſſe affirmativam ſecundum rem, licet ſit negativa ſecundum vocem. Ad 3. ait Doctor 4. Met. q. 2. ex illis ſyllogiſmis nihil recte deduci, ſicut nec ex hypotheticis, & circularibus, addit deinde notius eſſe, quod impoſſibile eſt aliquid ſimul eſſe, & non eſſe, quam negatio ejuſdem de ſe, quæ concluditur in ſyllogiſmo ex oppoſitis; poſſet enim fortaſſe quis negare, quod idem ſit ipſum, ſed nemo concederet unquam, quod idem ſit ipſum, & non ipſum, unde notius eſt in falſitate, quod idem ſit ipſum, & non ipſum, quam quod idem non ſit ipſum. Ad 4. negatur aſſumptum, re enim vera illud principium non poteſt alio demonſtrari, nec oſtenſive, nec per deductionem ad impoſſibile, ut ait Ariſt. 4. Met. cap. 4. non quidem oſtenſive, quia oſtenſiva demonſtratio progreditur ex notioribus, nihil autem eſt notius primo principio, non etiam ducente ad incommodum, quia nullum eſt aliud majus incommodum, quam illud ad quod deducit primum principium ſcilicet aliquid ſimul eſſe, & non eſſe; quod ſi contingat quempiam illud negare, ait Ariſt. dumtaxat ſupereſſe modum, quo poſſit probari, ſcilicet elenchice, non demonſtrative, arguendo ſcilicet contra negantem illud ex conceſſis; quod ſi nihil penitus concedat, contemnendum eſſe, tamquam ridiculum reſpondentem, neque cum eo eſſe diſputandum; Vel potius erit verberandus, aut igni exponendus, quouſque fateatur non eſſe, idem comburi, & non comburi, vapulare, & non vapulare, ut ait Doct. 1. d. 39. ex Avic. 1. Met.

65 Tertio tandem argui ſolet, primum illud principium non eſſe firmiſſimum, probando, vel contradictoria eidem ſubjecto ſimul, & ſemel convenire poſſe, vel ſaltem inter ea dari medium; ex primo enim ſequitur idem ſimul eſſe poſſe, & non eſſe, ſeu de eodem poſſe ſimul idem affirmari, & negari, ex alio vero ſequitur, de quolib. verum non eſſe affirmare, vel negare, quæ omnia deſtruunt rationem primi principii; Sed contradictoria de eodem ſimul, & ſemel numquam verificari poſſe, nec inter ea poſſe dari medium, ſive per participationem, ſive per abnegationem extremorum, jam oſtenſum eſt diſputat. 9. Logic. qu. 1. art. 2. ubi ex inſtituto contradictoriam oppoſitionem, ejuſque naturam, & conditionem explicuimus, & oſtendimus, quo pacto ſit omnium maxima oppoſitio, unde de ea oppoſitione nihil hic ſupereſt addendum.

DISPUTATIO QUARTA.

De proprietatibus, seu passionibus entis in communi.

Post disputationem de principiis entis, sequitur disputatio de ejus passionibus, & affectionibus, antequam ad ejus partes descendamus; eo præsertim quia principia entis assignata ad hoc præcipue ordinantur, ut passiones entis de ipso demonstrentur, ut de adæquato Metaphysicæ objecto; Quoniam vero doctrinæ ordo deposcit, ut prius communia declarentur, quam particularia; prius in præsenti disputationem de passionibus entis in communi instituemus, & postea de singulis in speciali.

QUÆSTIO I.

An Ens habeat veras, reales, & positivas affectiones.

UT pateat sensus quæsiti notandum est quatuor præcipue conditiones ab omnibus assignari, ut aliqua dicatur vera, & realis proprietas alicujus subjecti; prima est, quod sit aliquid reale, nam si nihil sit, aut aliquid solum per rationem confictum, utique realis, & positiva proprietas esse nequibit; Secunda, quod adæquate suo subjecto conveniat, & cum eo convertatur, de ratione enim proprii est, quod soli suo subjecto conveniat, & conversim de illo prædicetur, ut ostendimus disp. 5. Log. qu. 4. art. 1. ex Arist. 1. Topic. c. 4. Tertia est, ut non sit de essentia, seu de intrinseca ratione subjecti; neque e contra; cum enim suo modo dimanet a subjecto, atque ab ejus intrinsecis principiis consequatur, opus est ut sit extra intrinsecam rationem subjecti, & e contra, & utrumque optime docuit Arist. dum 1. Topic. c. 4. ait proprium non indicare quid rei, & 1. Post. c. 4. rei convenire secundo modo dicendi per se, non autem in primo; Et 7. Met. tex. 18. ac 1. Post. 35. subjectum non cadere intrinsece, & essentialiter, sed solum ut additum in definitione passionis. Quarta tandem, quæ ex hac tertia sequitur est, quod aliquo modo ex natura rei ab eo, cujus est proprietas, distinguatur, cum enim debeat esse, extra intrinsecam rationem ipsius, atque suo modo ab eo dimanare, necessario habere debet aliquam ex natura rei distinctionem a subjecto; Tum quia si esset omnino idem cum illo, potius erit essentia, vel de essentia ipsius, quam proprietas; Omnes autem, & singulæ hujusmodi conditiones veræ proprietatis facile deducuntur ex his, quæ diximus de proprio in Log. loc. cit. & ab omnibus passim acceptantur, ut videre est apud Suar. disp. 3. Met. sect. 1. n. 1. & Pasqual. tom. 2. Met. disput. 1. sect. 1. n. 1. ubi tamen falsum est, quod addit hujusmodi distinctionem passionis a subjecto esse debere Physicam, aut Metaphysicam pro qualitate passionis, si enim passio Physica sit, distinctio quoque debet esse talis, ut passio secundum esse Physicum distinguatur a subjecto, si autem passio sit Metaphysica, sufficiet quoque distinctio Metaphysica, quæ Metaphysico modo, hoc est secundum diversitatem formalitatum distinguatur a subjecto. Falsum, inquam, hoc est additum, quia omnis vera proprietas est Metaphysica, & suo subjecto realiter identificata, ut ostendimus loc. cit. in Logica, ut constat de risibilitate hominis, divisibilitate quantitatis &c. ratione cujus identitatis ac omnino indispensabilis connexionis potest per veram demonstrationem de suo subjecto ostendi, cætera vero, quæ dicuntur Physicæ passiones ob necessariam connexionem, quam cum suis habent subjectis secundum communem naturæ cursum, non sunt veræ proprietates, sed potius accidentia communia inseparabilia, ut albedo in lacte, nigredo in corvo, frigus in aqua, calor in igne &c. Hoc posito jam Auctorum varia placita de præsenti quæsito propono.

2 Prima sententia negat ens commune aliquas proprietates habere, ita Aureolus 1. dist. 3. quæst. 2. artic. 1. ad 12. Petrus Niger 1. part. sui Clypei quæst. 7. & ita loquuntur omnes Auctores, qui disp. 1. quæst. 4. dicebant Metaphysicam non esse scientiam, sed sapientiam, nam si ens proprias passiones haberet, utique illas Metaph. de ente demonstraret, & consequenter esset vere scientia, & non sapientia. Secunda opinio asserit, ens quidem proprietates habere, inquit tamen illas proprietates non esse reales, & positivas, sed potius rationis, quatenus volunt id quod enti formaliter superaddunt esse aliquid rationis, pro qua refertur Javell. 4. Metaph. quæst. 2. Fonsec. ibid. cap. 2. quæst. 5. section. 2. & alii quamplures Thomistæ. Tertia opinio concedit enti, ut sic, proprias quasdam affectiones reales, & aliquas etiam positivas, non tamen ab eo ex natura rei distinctas, defectu cujus conditionis, inquit, non esse veras passiones, sed potius attributa quædam entis, quæ vel per negationem solam, vel per relationem ad extrinseca explicentur; ita Recentiores omnes, Hurtad. disputation. 3. Metaph. sect. 1. Arriag. disputation. 1. Metaph. section. 2. Aversa in sua Philosoph. quæst. 4. sec. 1. 2. & 3. Pasqualig. tom. 2. Metaph. disputat. 1. & 2. Blasius a Concept. disp. 20. Metaph. quæst. 1. & alii passim, quibus præivit Suarez disp. 3. Met. sect. 1. ubi nu. 5. inquit aliud esse prædicatum, aliud esse veram, & realem passionem subjecti, aliud vero concipi, explicari, & prædicari a nobis per modum passionis, sive proprietatis; quod proprius diceretur per modum attributi ad eum modum, quo loquuntur Theologi de divinis perfectionibus; quo autem præcisse modo citra distinctionem ex natura rei passiones entis ab ente distinguantur, varie loquuntur; Blas. a Conc. ait virtualiter distingui, ita ut supra ens addant, & exprimant aliquem modum implicite in eo contentum, secundum quem concipiantur ab eo virtualiter dimanare; Hurtad. ait, distingui ratione ab ipso ente, non quasi dicant alias formalitates ex parte conceptus objectivi ab ente distinctas, sed tantum distingui per diversa connotata, sub quibus formantur quidam conceptus ordine rationis consequentes ad primum conceptum essentialem entis, nam v. gr. post conceptum entis, quatenus apti ad essendum, concipitur idem ens, ut aptum cognosci, ille prior est conceptus essentialis, hic posterior rationem habet attributi, & sic etiam loquitur Arriag. loc. citat. Pasqual. autem concedit quidem esse formalitates ex parte conceptus objectivi distinctas, sed ait disputat. 1. sect. 2. numer. 10. totam hanc distinctionem esse penes conceptus inadæquate explicantes ipsum ens: si enim haberetur conceptus adæquatus entis, nulla haberetur distinctio passionum entis, inter se, vel ab ente, sed una simplex, & indivisa ratio quidditatis. Alii tandem absolute ajunt ratione distingui, ut Acerb. libr. 1. qq. Peripat. quæst. 7.

Quarta denique ac ultima sententia est Scoti, & Scotistarum docentium ens habere reales, & positivas proprietates, quæ rigorose servent rationem proprietatis, servant enim illas quatuor conditiones supra enumeratas, nam consequuntur suo modo ab ente, atque cum ipso convertuntur, neque includuntur in ratione intrinseca ipsius, nec ipsæ intrinsece, & quidditative includunt ipsum ens, sed tantum realiter, ac identice., & tandem ex natura rei formaliter ab ipso distinguuntur præsertim in opinione Scotistarum conceptui entis tribuentium propriam realitatem, ut in nostra schola tribui solet cæteris naturis communibus. Ita significavit Doctor 1. d. 3. quæst. 3. & d. 8. quæst. 2. & 2. d. 16. quæst. 1. §. *Ideo dico aliter*, & 3. d. 8. quæst. un. sub E. ubi, & ejus expositores omnes, & quæst. 21. de Anim. ac ita passim loquuntur Scotistæ omnes Canon. 1. Phys. quæst. 3. concl. 6. Trombet. 4. Met. qüæst. 3. Ant. And. ibid. & 1. Met. quæst. 1. Zerb. ibid. quæst. 1. concluf. 3. Rada part. 1. controvers. 21. art. 2. Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 2. quæst. 1. Fab. 4. Met. disp. 5. Saxius tom. 1. Catast. disp. 11. q. 5. ubi plurima ex Trombet. transcribit, nec unquam ipsum memorat.

3 Pro resolutione quæsiti dicendum est, ens habere suas proprias affectiones, seu passiones reales, & positivas, ac certe plusquam ratione ab ipso ente distinctas modo infra explicando; Conclusio est Scoti, & omnium Scotistarum loc. cit. Probatur, & declaratur quoad omnes, & singulas partes, & quidem in primis ens habere suas proprias affectiones, quæ a Met. considerantur, docet expresse Aristot. 4. Met. ab initio, dum de Met. loquens ait, *est scientia quædam quæ speculatur ens, prout ens est, & quæ ei per se insunt*, ubi per ea, quæ enti per se insunt, intellexit suas passiones, quæ de ente prædicari, ac demonstrari possunt, secundum communem omnium interpretum expositionem præsertim Scoti ibidem, & 2. d. 16. quæstion. unic. §. *ideo dico aliter*. Nec valet, quod inquit Pasqualig. cit. hanc auctoritatem non convincere, quia cum ait Arist. Met. & unamquamque scientiam, considerare objectum, & quæ ei per se insunt, per ea, quæ insunt per se objecto, non intelligit passiones illius, sed differentias essentiales, quibus objectum commune, & adæquatum contrahitur, atque constituuntur objecta partialia, quod satis indicat, dum cap. 2. ait *quare entis quoque quot species sunt, & species specierum speculari unius scientiæ genus est*, quibus declarat, quænam sint ea, quæ per se insunt objecto Metaph. & vult esse species, non autem passiones, quæ dicuntur per se inesse, non quia ipsi inhæreant, sed quia per se continentur sub objecto adæquato. Non, inquam, valet hæc expositio, tum quia omnes Interpretes per illa, quæ insunt enti secundum se, proprias ejus affectiones intelligunt, non species. Tum quia ut ipse fatetur ly *inesse* proprie dicitur de passionibus, quia idem sonat, quod inhærere, non autem de speciebus, quæ proprie dicuntur subesse subjecto adæquato, non autem inesse, unde satis impropriæ locutus esset Arist. si de speciebus, & partibus subjectivis intellexisset. Tum tandem quia se explicans Arist. clarissime loquitur inferius textu 5. in hunc modum, *nam quemadmodum numeri, prout numerus est, propriæ passiones sunt, ut imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excessus, defectus: similiter solido, & immobili, & mobili, & gravi, & levi aliqua propria sunt, ita enti, prout ens est, quædam propria sunt, & hæc sunt de quibus veritatem considerare Philosophi est.*

4 Deinde

4 Deinde probatur rationibus, quia sunt aliquæ rationes communes, & transcendentes, quæ de ente in secundo modo dicendi per se prædicantur, ut unum, verum, bonum; at quæ prædicantur per se in secundo modo, sunt propriæ passiones, ergo &c. Tum quia si ens, inquantum ens, non haberet proprias passiones, non posset statui adæquatum Met. subjectum. Consequentia patet, quia hæc est una præcipua subjecti conditio in aliqua facultate, quod proprias habeat affectiones de ipso demonstrabiles per ejus quodquid est, ut constat ex Logica. Tum tandem quia, si ens passionibus careret, tunc de ipso formari non possent demonstrationes, in quibus propria passio ostendi solet de suo adæquato subjecto, & consequenter Metaph. non esset scientia contra statuta jam disp. 1. q. 4. dub. 1. scientia namque est habitus demonstratione acquisitus. Nec refert, quod sit sapientia, quia ut ibi notavit n. 69. ex hoc, quod est sapientia, non dimittit rationem scientiæ.

5 Secundo probatur, passiones entis debere esse reales, quia ut ait Doctor cit. 2. d. 16. q. un. R. si passiones entis non essent reales, tunc Metaph. illas de ente demonstrative concludens non esset scientia realis; & quidem hoc ipsum colligitur ex Arist. cit. 4. Metaph. 5. si enim ens habet passiones, ut ibi ait, quemadmodum numerus, mobile, grave, & leve, certum est, has species habere passiones reales, & ex natura rei illas consequentes, non autem præcise per intellectum. Hoc etiam concedit, & probat ipse Suarez cit. conclus. 2. tali ratione, quia simpliciter verum est unumquodque ens esse unum, verum, & bonum; ut autem hæc vera sint, non opus est, ut mens fingat aliqua entia rationis, quamvis enim mens nihil de rebus cogitet, aurum est verum aurum, & est una determinata res distincta ab aliis, & similiter Deus est unus & bonus, ergo, &c. Verum nec consequenter concedit, quia ut mox ostendam, per solam distinctionem rationis harum passionum ab ente non salvatur, quod sint passiones reales, nec bene probat, quia ejus probatio, ut liquido constat, procedit de unitate, veritate, & bonitate, non quidem transcendentibus, quo pacto sunt passiones entis, sed in genere determinato, cum enim dicimus, aurum est verum aurum, Deus est unus, & bonus, quis non videt in iis propositionibus sermonem esse de veritate auri, ut aurum est, ac de unitate, & bonitate Dei, ut tale ens est. Ut ergo ista conclusionis pars bene intelligatur, ac probetur, in hunc sensum accipi debet, quod per eam asserimus, scilicet passiones entis esse reales, non quidem, quod extent a parte rei, quemadmodum passiones naturarum prædicamentalium, cum enim ita non extet a parte rei ipse conceptus entis, quia non nititur, vel fundatur in una aliqua realitate ex natura rei præcisa a suis inferioribus, & contrahentibus, ut conceptus aliarum naturarum communium, quemadmodum visum est disp. 2. ita etiam in hoc sensu passiones entis dici possunt reales, & realiter enti convenire a parte rei, sed ita debet intelligi, quod sicut conceptus entis esto non sit ex natura rei præcisus, adhuc tamen dici debet conceptus realis; & non mere rationis, seu per intellectum fictus, eo modo, quo explicatum est disp. 2. q. 4. artic. 1. nu. præsertim 84. ita eodem pacto dici debent reales passiones ipsum consequentes, & quod statim ac intellectus præscindit ens, ut sic ab inferioribus, habeat suas passiones absque eo, quod ab intellectu fingantur, atque conveniant illi reali conceptui objectivo entis ex vi proprii esse realis; stante igitur tali intelligentia hujus particulæ conclusionis.

6 Probatur ratione, quamvis enim a parte rei non reperiatur ratio entis præcisa, & ex natura rei distincta a cæteris rationibus, est tamen realiter imbibita, ac immersa in omnibus entis physicis, atque ideo si ab intellectu inadæquate res concipiente præscindatur, conceptus ejus præcisus dicitur realis, quia importat rationem objectivam formalem, per quam res omnes dicuntur reales; ergo, & eodem pacto passiones ejus dici debent reales; siquidem affectiones suo debent proportionari subjecto, unde si ens consideratur prout immersum reperitur in rebus physicis, debent in tali statu comitari suæ passiones eisdem rebus immersæ, & si consideratur in esse objectivo, debent quoque in tali statu ipsum consequi eædem passiones absque ulla nostri intellectus fictione. Conf. quia si unitas, veritas, & bonitas transcendentes sunt passiones rationis, ac entia ficta, quæro ad modum cujus realis unitatis, veritatis, vel bonitatis conciperentur, siquidem omne ens rationis est non ens conceptum ad modum veri entis, sane hæc esse nequit unitas, veritas, & bonitas in determinato genere, quia tunc non conciperentur, ut transcendentes, ergo esse deberet unitas, veritas, & bonitas totam entis realis latitudinem adæquantes, & hæ quidem sunt passiones entis reales, quas hic dari contendimus. Denique ex eo præsertim arguimus conceptum entis esse realem, quia est origo, & prima inchoatio cujusque essentiæ realis, adeout per rationem entis omnia realizentur, unde impossibile esse dari entia realia, nisi daretur ens transcendens, a quo suam realitatem, & ratitudinem trahunt in genere entis realis, ergo ex eodem capite argui debet realitas, seu ratitudo passionum ejus, sicut enim ens transcendens est quid reale, quia est prima inchoatio talis entis realis, ita unitas transcendens erit realis, quia est prima inchoatio cujuscumque unitatis in determinato genere, quum esse realem nemo dubitat, & sic pariter discurrendum erit de veritate, ac bonitate.

7 Tertio probatur debere esse positivas, quia passio regulariter loquendo, ac ex intrinseca sua ratione importat perfectionem hujus, vel illius entis, sed perfectio in sola negatione non consistit, ergo passiones entis debent esse positive, & nulla negatio rite assignari potest pro passione, ac vera entis proprietate. Major patet, quia passiones, & affectiones dicuntur concurrere ad rei complementum in suo esse, ergo dicere debent aliquam ejus perfectionem saltem secundariam; Probatur minor, quia negatio, ut sic, nullam dicit perfectionem, & potius imperfectio, quam perfectio negationem important, siquidem essentialiter dicit carentiam debitæ perfectionis; unde quamvis interdum soleat aliqua passio, vel attributum per negationem explicari, non hinc tamen sequitur ejus essentiam formaliter in negatione consistere, sed per illam negationem explicatur positiva perfectio, in qua fundatur, & ratione cujus convenit subjecto, eo pacto, quo differentiam essentialem angelos constituentes explicamus, per negationem nempe per incorporeitatem, & immaterialitatem, differentiam bruti per irrationalitatem, & sic de aliis, omnis ergo vera, & propria passio entis debet aliquid positivum importare.

Ex hactenus dictis, atque probatis colligitur falsum esse, quod aiunt Suarez, & Aversa cit. ac communiter Recentiores, quod nimirum si passiones entis ita designandæ sint, ut intelligantur addi supra ipsum ens in tota sua latitudine sumptum, sic non posse formaliter consistere, nisi in negatione, aut habitudine rationis facta per intellectum, quia nihil aliud superesse potest, quod ei intelligatur addi, ab eoque distingui, nisi aut negatio, aut denominatio rationis constincta ab ente reali. Hoc, inquam, dici non potest, quia si passiones entis, quatenus tales, non important, nisi habitudinem rationis factam per intellectum, ergo non erunt passiones reales, & ex natura rei conceptui entis convenientes ut dictum est, & pariter, si ut tales important præcise aliquam negationem, ergo non erunt passiones, vel attributa positiva, unde constat hos Recentiores non cohærenter loqui, dum ex una parte admittunt passiones entis esse reales, & positivas, & ex alia illas præcise explicant per puram negationem, vel habitudinem rationis, quod adhuc magis impugnabitur disp. seq. de affectionibus entis in speciali. Immo alia adhuc major cernitur inconsequentia in eodem modo loquendi, dum ex una parte negant passiones entis ab ipso ex natura rei distingui, quantum ad id, quod illi superaddunt & ex alia parte affirmant addere supra ens negationem aut respectum rationis, & ab eo distingui ratione ad summum ratiocinata. Nam utique certum est ens rationis, ac non ens ab ente reali plusquam ratione distingui, immo distingui realiter, & essentialiter saltem negative; nam plus conveniunt inter se duo entia realia, quam ens, & non ens, ens reale, & ens rationis, si ergo passiones entis quantum ad id, quod ei superaddunt, important solas negationes, & relationes rationis, certe plusquam ipsi velint, immo & plus quam etiam nos Scotistæ prætendamus, ab ipso distinguentur.

Quarto probatur inter ens, ejusque passiones solam distinctionem rationis non sufficere, quia si solum ita distinguantur ab ente, non erunt passiones, & affectiones reales, & a parte rei aliquo pacto enti convenientes, sed passiones rationis, ita videtur arguere Doctor 2. d. 16. cit. q. un. K. Sed respondent Suarez, Pasqualig. & alii negando consequentiam; aliud enim est habere esse per intellectum, & aliud habere esse distinctum per intellectum, habere enim esse per intellectum dicit in se nihil esse, sed concipi ab intellectu, tamquam habens esse, at habere esse distinctum per intellectum, dicit quidem esse aliquid reale in se, sed reperiri a parte rei in aliqua entitate immersum, & simul cum aliquo alio identificatum, atque beneficio intellectus ab eo secerni, itaut tunc intellectus concipiat quidem aliquid reale non integrum, sed partem entis realis, seu ens reale inadæquate, quare quod concipitur, est reale, distinctio vero, qua concipitur, est rationis, ut pote quia ponitur ab intellectu, ubi a parte rei non reperitur, unde non valet argumentari, hæc passio habet esse distinctum a suo subjecto dumtaxat per intellectum ergo est quid fictum, per intellectum, seu solum sequitur, quod distinctio sit ficta per intellectum; Et per hanc doctrinam multa solent Neoterici solvere argumenta non solum in hoc proposito, sed etiam in materia de divinis attributis, & de gradibus Metaphysicis, quamvis enim in homine animalitas, & rationalitas, non nisi ratione distinguantur, hic tamen non sequitur animalitatem, & rationalitatem non esse a parte rei in homine, sed solum a parte rei non distingui, sed per intellectum.

8 Hæc solutio licet aliquam habeat apparentiam, falsam nihilominus continet doctrinam jam impugnatam disp. 1. Log. q. 5. art. 2. in declaranda distinctione formali ex natura rei, quæ adhuc magis in proposito fallax convincitur esse, quia non solum intellectus creatus, sed etiam divinus concipit has passiones de ente, alias non posset unum distingui a multis, nec verum ens a ficto, nec bonum a malo, nequit autem divinus intellectus concipere quidpiam enti convenire, quod ei vere non convenit. Dices, cognoscere quidem divinum intellectum hæc attributa vere convenire enti a parte rei, non tamen ut inter se ex natura rei, aut ab ipso aliquo passio distincta, sed id postea evenit ex intellectus operatione. Contra, nam licet possit intellectus noster distinguere quæ vere a parte rei distincta non sunt, id tamen nequit divinus intellectus, quia non aliter res concipit quam sint a parte rei. Tum quia divinus intellectus nedum concipit hæc attributa vere entibus a parte rei convenire, sed etiam ut distincta abinvicem secundum propria formalitates, unde inquit Doct. 1. d. 6. q. 4. lit. D. Deum intelligere suam essentiam inquantum

veram, & non inquantum bonam, & e contra; Tum quia si non attingeret attributa illa, etiam ut inter se distincta, nesciret Deus discernere inter unum, & multa, ut dicebam, nec bonum a malo, nec verum ens a ficto. Tum quia aliter concipit divinus intellectus ens unum, aliter ens verum, aliter ens bonum, intelligit enim ens unum, tamquam in se indivisum, ens verum tamquam conforme intellectui vero, ens bonum tamquam conveniens voluntati, & tamen non aliter, & aliter concipit præcisam rationem entis, ergo unitatem, veritatem & bonitatem concipit, ut aliquid præter præcisam rationem entis, tamquam distinctas formalitates secundarias illam primariam consequentes, ut veras passiones ejus. Quo autem pacto passiones entis dicantur ex natura rei ab ente distingui, & a se invicem, atque ut ita distinctæ cognoscantur a Deo, dicam statim numero sequenti, non enim adeo in rigore ex natura rei intelligo illas esse distinctas, ut proprias realitates præseferant a realitate entis fluentes, quia nec ens nec ejus passiones, & sic in abstracto, proprias important realitates ex dictis disp. 2.

Sed adhuc impugnare libet doctrinam illam Recentioribus adeo familiarem, hæc duo esse diversa, esse rem veram, & ex natura rei distingui a quacumque alia re vera; quia implicat terminos, seu extrema distinctionis esse actu a parte rei, & distinctionem non esse actu a parte rei, cum nihil aliud sit actualis distinctio, quam esse *ipsa extrema distincta*, seu esse actu sub ea ratione, sub qua distinguuntur, ut hominem, & lapidem esse actu distincta, aliud non est quam hominem esse actu *sub ratione hominis*, & pariter lapidem esse actu sub ratione lapidis, si ergo termini, & extrema distinctionis, quæ in proposito sunt subjectum, & passio, sunt actu a parte rei, jam actu distingui debent. Dices, ens cum suis passionibus dari quidem actu a parte rei, sed inquantum terminos, vel extrema distinctionis, non esse actu a parte rei, sed sic concipi per intellectum. Contra hoc procedit argumentum jam ab initio factum, scilicet unitatem, veritatem, & bonitatem non esse passiones reales entis. Probatur consequentia, quia formalitates istæ non sunt a parte rei, nisi quatenus prorsus identificatæ cum ente, nec aliam habent a parte rei *rationem formalem* præter entis, ergo non dantur a parte rei, quatenus passiones entis, juxta quam formalitatem aliquid debent superaddere enti, ut dicantur passiones, & *affectiones ipsum consequentes*. Deinde doctrina illa non minus destruit distinctionem ex natura rei formalem positam a Scotistis inter divina attributa, & *gradus Metaphysicos*, quam virtualem positam a Thomistis. Probatur hoc assumptum, nam ex hoc quod Deus est justus, est bonus a parte rei, homo est animal, est rationalis, & non per eandem omnino formalitatem, numquam inferri poterit aliqua distinctio inter illa formalis, vel virtualis, quia ex doctrina allata dicetur sufficere solam distinctionem rationis ratiocinantis, & utique Deum esse justum, & bonum per justitiam, & bonitatem in ipso a parte rei repertas, ac pariter hominem esse animal, & rationale per animalitatem, & rationalitatem in ipso a parte rei existentes, non tamen ab invicem distinctas formaliter, vel virtualiter; sed præcise per *solam intellectus consideration*em fingentem illas, ut formalitates distinctas.

Denique inter ens, ejusque affectiones, seu attributa, ut Recentiores loquuntur, *solam non sufficere distinctionem* rationis ratiocinantis ex eo deducitur, quod hæc attributa de ente demonstrantur in Metaph. ut de eorum adæquato subjecto, in demonstratione autem, ut ex Logica constat, tres debent esse termini, ex quibus duæ conficiantur propositiones, major, & minor, ut ex eis deducatur conclusio, & termini illi sunt subjectum, passio, seu attributum, & medius terminus, si autem subjectum, & attributum in demonstrationibus Metaphysicis de ente confectis omnino a parte rei sunt idem, & solum per nostrum intelligendi modum distinguuntur, sequitur in qualibet demonstratione committi petitionem principii, & idem prorsus de semetipso probari, qualis autem, & quanta debeat esse distinctio inter ens ejusque affectiones, ut possint propter quid de ipso demonstrari, plene constabit ex dicendis q. *ult. hujus disp.*

9 Quinto, ut magis constet, an distinctio entis a suis passionibus sit omnino ponenda ex natura rei, & omne opus intellectus anteverterens, advertendum est, quod licet *omnis* proprietas realis regulariter loquendo dicat realitatem, quæ veluti secundaria perfectio ex intrinsecis sui subjecti principiis consequitur, notabile tamen versatur discrimen inter proprietates entis, ut sic, & aliorum entium in determinato genere, limitata namque proprietas alicujus certi entis in determinato genere, utpote substantiæ, vel quantitatis, dicit realitatem quandam fluentem a natura sui subjecti per Metaphysicam causalitatem; sed hoc de proprietatibus entis asseri nequit, cum enim sint transcendentes, & rationes transcendentes non importent realitatem communem ex natura rei Deo, & creaturæ ex disp. 2. unam talem realitatem præseferre nequibunt, sed sicut earum commune subjectum, quod est ens, dicit solum in re plures realitates, quatenus ab intellectu natæ sunt confuse, & inadæquate concipi, ita quoque ipsa communis, & transcendens entis affectio dicit plures realitates in rebus fluentes ab ipsorum subjectis, quatenus tamen inadæquate, & indeterminate natæ sunt concipi. Ex quo fit, quod cum dicimus unitatem verbi gratia vel veritatem ab ente fluere, hoc non ita debet intelligi, quasi aliqua communis realitas fluat a communi realitate subjecti; quemadmodum risibilitas dicitur ab humanitate fluere, & sensibilitas ab animalitate, quia neutrum communem realitatem importat, sed hoc solum significat realitates ipsis rebus correspondentes, & a quibus ipsa communis ratio affectionis abstrahitur, vere fluere a realitatibus, a quibus ratio communis sui subjecti sumitur. Hoc igitur erit passionem communem & transcendentem adæquari suo subjecto, scilicet in nulla re realitatem *inveniri* posse, a qua ratio communis subjecti abstrahitur, in qua etiam non inveniatur conjuncta realitas, a qua ratio communis affectionis sumi possit, & e contra. Ex hoc itaque constat, qualis sit distinctio entis a suis passionibus, & quomodo de ea loquendum, non enim dicendum est distingui ex natura rei formaliter in eo rigore, quo dici solet in schola nostra risibilitatem ab humanitate distingui, & universaliter passionem quamlibet prædicamentalem a suo subjecto, cum enim nec subiectum transcendens, nec passio illi correspondens dicant veras realitates Deo, & creaturæ communes, sed solos conceptus inadæquatos, talem distinctionem ex natura rei in sua communitate fundare non possunt citra præcisionem intellectus, sed solum in suis fundamentis, a quibus abstrahuntur. Quatenus tamen statim ac intellectus præscindit ens, ut sic, ab inferioribus, occasionem quoque incurrit, immo necessitatem abstrahendi alios quosdam conceptus secundarios a quibusdam realitatibus illa *inferiora comitantibus*, hac, inquam, ratione dicere debemus passiones entis ipsum consequi ex natura rei, idest convenire illi reali conceptui objectivo entis ex vi proprii esse realis, non enim alio modo a parte rei convenire possunt, cum non detur a parte rei ratio entis præcisa, sed dicetur convenire a parte rei, quatenus conveniunt reali conceptui objectivo entis absq. fictione intellectus, & ex necessitate positionis illius conceptus; nam ad abstractionem conceptus entis sequitur necessario abstractio conceptus veri boni, &c. & in eodem sensu dici debent distingui ex natura rei formaliter.

10 Sexto tandem ex hactenus dictis probatur simul, & semel tota conclusio quoad omnes partes, quia unum, verum, & bonum, & si quæ aliæ sunt entis affectiones, habent omnes *conditiones requisitas* ad veram *rationem reali*, & positivæ affectionis enumeratas ab initio quæst. ergo &c. Probatur assumptum discurrendo per singulas, primam quippe conditionem habent, ut enim constat ex num. 6. ac etiam ex ipsorum Adversariorum confessione, affectiones entis, quas attributa vocant, sunt reales, entique conveniunt citra ullam intellectus fictionem, cumque in ente reali radicentur, atque ab ipso suo modo promanent, tamquam quid necessario connexum, & suo modo ipsum complens, debent necessario esse quid reale, non quidem per formalem inclusionem rationis ipsius entis in suo essentiali conceptu, quia tunc passiones non essent, cum subjectum non cadat in essentiali conceptu passionis sed per realem entitatem cum ipso; ratione cujus identitatis ait Arist. 4. Met. c. 2. ens, & unum eandem dicere naturam. Secunda etiam conditio eis competit etiam ex contrariorum consensu, quia unum, verum, & bonum cum ente convertuntur, & ens cum ipsis. Tertia conditio, quæ erat, ut passio non sit de essentia, seu intrinseca ratione subjecti, neque e contra, etiam illis convenit: nam ex Adversariis omnes fere negant ipsas *includi formaliter in conceptu* entis quidditativo; hac enim ratione vocant illas entis attributa, seu prædicata attributalia, & non quidditativa, quia sunt quædam rationes, quæ subjecto attribuuntur, & a nobis concipiuntur, ut quid consequens essentiam, & ideo enti conveniunt, quia talem habet essentiam, unde de ente demonstrantur per ejus quod quid est, & respectu entis servant ordinem prioris, & posterioris ex vi illius consecutionis, qua concipiuntur consequi essentiam entis, ita loquuntur Suarez, Averса, Arriag. Pasqualig. & alii, unde nescio qua consequentia deinde velit Pasqualig. hæc prædicata spectare ad conceptum quidditativum entis, & singula *illius*, quidditatem inadæquate explicare; si enim ita esset, integer entis conceptus esset illis posterior, non prior, unde nec a priori per entis conceptum possent *illa* prædicata de ente demonstrari, ut ipse quoque concedit; neque illa prædicata circumstarent essentiam entis, ut sæpius loquitur Aristot. sed intrarent; nec de *illo* prædicarent accidentaliter per modum passionis, & in secundo modo, sed essentialiter, & in primo. Nec valet, quod ait Pasqualig. passiones entis, licet contineantur in adæquato conceptu ipsius, habere tamen rationem passionis respectu primi conceptus inadæquate sumpti, illius nimirum, qui explicat ens, prout habet esse in seipso, cum enim hic sit prior respectu cæterorum conceptuum ipsum ens explicantium sub ratione unius, veri, & boni, cæteri conceptus dicuntur ei advenire, ac veluti ei accidere, ut posterius priori; & rursus cum conceptus ille prior sit veluti radix cæterorum, ideo alii possunt per ipsum tamquam per medium de ente demonstrari a priori. Non, inquam, valet, quia falsum in primis est illum conceptum omnium primum, qui ens explicat in ordine ad essendum, & prout habet essentiam *in seipso*, *esse conceptum* entis inadæquatum; hic enim est conceptus distincte, & adæquatissime ens explicans in seipso, prout ens est, ut constat ex progressu disp. 2. Tum quia si hic primus conceptus est inadæquatus, male deinde assumeretur ad demonstrandum de ente passiones per posteriores conceptus explicatas, sicut male per animalis conceptum demonstraretur risibilitas de homine, quia est conceptus inadæquatus hominis, esto sit prior quam conceptus differentialis, medium autem in demonstratione assumptum debet esse secundum quod ipsum ex 1. Post. cap. 4. idest debet esse ratio præcisa, & adæquata, secundum quam passio convenit subjecto; Et tandem si passiones entis essent conceptus inadæquate explicantes quidditatem ipsius entis, itaut ens in sua quidditativa

riva ratione adæquata illas includat, tunc conceptus entis non esset simpliciter simplex, sed in ulteriores conceptus resolubilis, & magis simplices.

11 Quod vero neque ens includatur essentialiter in præfatis suis affectionibus, quæ erat altera pars istius tertiæ conditionis, satis probatum est disputat. 2. quæst. 7. art. 1. numer. 191. immo & in aliquo sensu conceditur a quibusdam ex adversariis, unde Averса quæst. cit. sec. 2. concluf. 2. ait *cum* Suarez passiones entis non debere ita explicari, ut includant intrinsece, & essentialiter ipsum ens, eique aliquid superaddant, sed potius debent præcise sumi pro aliqua ratione superaddita ad ipsum ens, cujus dicuntur esse passiones, quod etiam ibi probat, quia Arist. 7. Metaph. cap 5. & 6. in universum docet accidentia, & passiones rerum definiri per additamentum, idest per suum subjectum, non tamquam in iis intrinsece inclusum, sed tamquam id, in ordine ad quod explicari debent, ergo sic passiones entis non includunt essentialiter, & directe ipsum ens. Tum quia passio se habet tamquam forma subjecti, itaut possimus considerare, & subjectum præcise, & passionem præcise, tamquam duo, quæ faciant unum concretum, quod neque sit purum subjectum, neque pura passio, sed quid ex utroque coalescens, unde in ente quoque id salvari debet, quod fieri non potest sine exclusione entis a quidditativo conceptu suæ affectionis. Tum quia albedo *non dicit* subjectum album, sed præcise formam albedinis, sed passio est quædam forma subjecti, ergo, ut sic, non includit subjectum, sed præcise dicit seipsam. Tum denique, quia passio accidentaliter prædicatur de subjecto seu in secundo modo dicendi per se, sed quod prædicatur accidentaliter de ente, sicut ejus affectiones, non est formaliter ipsum ens, sed esse indivisum, esse intelligibile &c. ergo unitas, & omnis alia passio entis in eo quod est passio, formaliter non includit ens, sed præcise est forma addita enti; Neque hic rursus refellere opus est solutiones, quas affert Pasqualig. disp. 1. cit. sect. 3. quia fundantur in illa sua falsa imaginatione, quam nuper impugnavi. Quamvis autem passiones entis proprie sumptæ ens non includant, sed dicant præcise *rationes additas enti*; verum est tamen *eas*dem passiones in concreto sumptas consignificare subjectum cum passione, & interdum accipi fundamentaliter, itaut nomen unitatis significet v. g. entitatem, in qua fundatur negatio divisionis, & sic de aliis passionibus.

15 Ultima denique conditio veræ proprietatis competit etiam affectionibus entis, cum enim sint extra rationem intrinsecam ipsius, atque suo modo ab eodem dimanare dicantur, ac illud necessario consequi necessitate vera, & reali, non autem ficta per intellectum; plane sequitur quod obtineant aliquam distinctionem a subjecto, idest ab ente, quæ non sit omnino per opus intellectus, ordo enim emanationis nequit intelligi absque distinctione illius, quod emanat ab eo, a quo emanat. Conf. quia affectiones entis possunt de ente demonstrari a priori, ut q. ult. dicemus; ergo talis distinctio inter ea versatur, quæ non est omnino rationis, quod sufficit ad salvandam quartam illam conditionem, si quidem per eam distinctionem aliquo modo ex natura rei in ea conditione expressam non debet intelligi distinctio vera, & realis, qualis intercedere solet inter rem, & rem, ut explicant Suarez, Arriag. & alii, quia repugnat passioni proprie dictæ realiter a suo subjecto distingui, ut diximus disp. 5. Log. q. 4. art. 2. sed debet intelligi distinctio ex natura rei formalis, quæ est minor distinctione reali, hæc enim est distinctio, quæ regulariter reperitur inter subjectum, & passionem, aut saltem distinctio ex natura rei virtualis, & fundamentalis, quæ est adhuc maior distinctione rationis, quatenus antevertit opus intellectus, si non formaliter, & actualiter, saltem virtualiter, & fundamentaliter, talis autem ad minus intercedit inter ens, & ens, & ejus affectiones, ut probant rationes allatæ.

Solvuntur objectiones.

13 IN oppositum arguitur Primo, affectiones entis relatas priæ passionis conditiones obtinere non posse, *non* primam, nam si aliqua entis affectio realis est, ac positiva quæ erat prima conditio, jam intrinsece, & essentialiter erit ens reale; nihil siquidem reale esse potest, nisi in suo conceptu ens reale includat, quod est inchoatio omnis realitatis, & ratitudinis, sed si concludit ens in suo conceptu, jam ei deficiunt cæteræ conditiones, deficit secunda, quia si includit ens reale in suo conceptu, & non est ipsummet ens reale, ergo erit inferius ad ens, & sic non erit cum ente convertibilis, quæ erat secunda veræ proprietatis conditio, deficit tertia, ut *satis de se* constat, quæ erat, ut subjectum non esset in conceptu quidditativo suæ passionis inclusum, deficit tandem quarta, quia quod est essentialiter ens, nequit ex natura rei ab ente distingui, si ergo aliqua entis affectio est essentialiter ens, non amplius poterit ab ipso ente, quod intrinsece includit, condistingui. Et sic a primo ad ultimum patet manifestam esse repugnantiam dari aliquod prædicatum, quod sit vera, & realis proprietas entis realis, ut sic, quia si est proprietas realis, ergo ens est de essentia ejus, & si ens non est de essentia ejus, ergo non erit vera, & realis proprietas, sed rationis, & ficta, & hic est cardo totius difficultatis in hac quæstione, ob quam coacti sunt Adversarii negare entis affectiones, & attributa esse entia positiva realia, ac veras ejus proprietates, & illa potuerunt esse entia rationis, vel negationes, vel relationes rationis, vel denominationes extrinsecas juxta varias opiniones ipsorum in explicandis passionibus entis.

14. Resp. tamen faciliter juxta nostra principia tradita disput. 2. quæst. 7. artic. 1. nullam in hac re esse repugnantiam si bene ponderetur; bene enim stat entis passiones esse reales, & positivas, ac etiam esse entia, non quidem per formalem inclusionem rationis entis in conceptu ipsarum, sed per realem identitatem; ut enim ibi diximus, potest aliquid dici, ac denominari reale dupliciter, vel quia includit formaliter conceptum *ipsum* entis realis, vel quia *realiter* identificatur cum ipso ente reali, aut cum aliquo quod essentialiter est ens reale; itaque passiones entis sunt quidem proprietates reales, & positivæ, ut magis infra constabit de *singulis discurrendo*, non quidem per identitatem formalem cum ente, quasi illud includant in suo conceptu, ut passiones sunt, sed per solam & simplicem identitatem realem, qualis intercedere solet *inter* subjectum, & passionem universaliter loquendo. Dices, de ratione passionis proprie dictæ est, ut a subjecto realiter distinguatur; ergo si entis affectiones sunt idem realiter cum ente, non erunt veræ illius passiones; Probatur assumptum, quia de ratione veræ proprietatis est, quod dimanet, & causetur a suo subjecto; sed causa, & causatum, principium, & principiatum realiter distingui debent. Negatur assumptum, ad probationem dicendum cum Doctore 2. d. 16. quæst. unic. & d. 25. quæst. unic. & alibi frequenter, quod cum passio dicitur a suo subjecto fluere, & *dimanare, non est intelligendum in rigore* de causa physica, & proprie dicta, sed de causa, & causalitate Metaphysica, & extensive accepta pro quacumque ratione principii, quæ in his secundum rationem inveniri necesse est, quæ si realitas distincta essent, vere, & realiter inveniretur; est enim regula Scoti quæst. 1. quolibet. lit. P. quod qualis ordo per se realis esset inter aliqua, si essent realiter distincta, talis per se ordo est *inter* illa correspondens illi distinctioni, quam habent, ut pote rationis, si distinguantur ratione, & hoc sive ratione sumpta ex parte rei, sive mere causata per actum intellectus, nunc autem si esset realis distinctio inter subjectum, & passionem, hæc utique vere, ac realiter a suo subjecto causaretur, igitur ubi distinguuntur solum ex natura rei formaliter, aut solum virtualiter, eundem ordinem servabunt prioris & posterioris, causantis, & causati modo eis proportionato in tali statu realis identitatis, ut fusius explicatum est loc. cit. in Logica. Dices Doct. cit. 2. dist. 16. quæst. unic. K. loquens de affectionibus entis dicit illas esse quasi passiones; ergo non sunt vere passiones. Respond. Ant. And. 1. Metaphys. quæst. 1. artic. 3. concl. 4. ly *quasi* non esse semper additionem diminuentem, immo interdum esse confirmativam, ut cum dicitur Jo. 1. *quasi* unigeniti a Patre, idest vere geniti. Vel potius entis affectiones appellat quasi passiones, quia re vera non tanta intercedit distinctio inter ens, ejusque passiones, quanta in aliis rebus intercedere solet inter passionem, ejusque subjectum, ut constat ex discursu facto n. 9. cum neutrum dicat realitatem a parte rei in rebus ipsis adæquate repertam.

15 Secundo arguitur ad idem, quia ens, inquantum ens, quo pacto ponitur subjectum in Metaph. abstrahit a causa, & causato, principio, & principiato, ergo ut sic, nequit veras proprietates habere, quia esset causa, & principium *illorum*, & sic ab illis non abstraheret. Conf. quia ens, ut sic, abstrahit ab essentia substantiali, & accidentali, simplici, & composita, actuali, & potentiali, perfecta, & *imperfecta*, perficiente, & perfectibili, ergo repugnat, quod habeat veras, ut sic, & reales affectiones, quia tales pertinent ad complementum, & consummatam essentiæ perfectionem, cum sint veluti secundariæ illius perfectiones. Resp. negando consequentiam, cum enim dicatur ens in sua communitate ad Deum, & creaturam abstrahere a causa, & causato, principio, ac principiato, hoc intelligitur de causa, & principio physice, & in rigore sumpto, quo quidem modo subjectum non dicitur causa, & principium suarum passionum, sed Metaphysice tantum extendendo nomen causæ, & principii modo jam explicato. Ad Conf. pariter negatur consequentia ob eandem rationem, quia proprietas non est in rigore accidens, & perfectio, nec subjectum est in rigore potentiale, & perfectibile, eo quia subjectum, & passio non distinguuntur realiter, nec invicem ordinantur in ratione perfectibilis, & perfectivi; sed in ratione primariæ, & secundariæ perfectionis, quatenus essentia dicitur primaria rei perfectio, passio autem secundaria integrans cum primaria totalem, & consummatam rei perfectionem, & pertinens ad essentiam rei in secundo modo dicendi per se.

16 Tertio probatur, affectiones entis nihil entis superaddere saltem ex natura rei ab ipso distinctum, quia ut inquit Suarez cit. numer. 9. ipsum ens, inquantum ens, ex eo præcise quod tale est absque alio modo reali ei superaddito, & ex natura rei distincto, habet quicquid positive necessarium est, ut sit unum, verum, bonum, &c. unde *in ipsomet* explicandi modo dicimus esse ens, quia habet veram essentiam, & perfectionem aliquam realem. Nec refert, quod possit mens concipere, & considerare rationem entis, non expresse considerando alias *rationes*, quia *hoc* ad *summum indicat* distinctionem rationis, vel aliquid negativum, aut extrinsecum in illis attributis inclusum, vel connotatum, seu distinctionem per modum *expliciti*, ut dicunt alii. Confirmat hoc idem evidentius Pasqual. quia considerando solum conceptum objectivum entis adæquate sumptum, ex vi talis conceptus est in seipso indivisum, & a quocumque alio divisum, & propterea ex vi proprii esse habet unitatem; rursus secundum proprium esse est quid intelligibile, intelligitur enim ab unoquoque quid sit ens, & ideo necesse est, ut habeat in se rationem fundamen-

Masstrii Metaph. P. 1. Tom. IV.

hujusmodi intelligibilitatem, quæ nulla alia est, quam ipsa veritas; & quidem ipsi Scotistæ multa affirmant de ipso ente, ut a suis passionibus condistincto, ut quod sit prædicatum univocum, quod non prædicetur quidditative de suis passionibus; ergo jam est intelligibile, & verum in seipso quocumque alio modo secluso. Denique si passiones entis sunt aliquid reale, & positivum superadditum enti, jam & ipsæ includent rationem formalem entis, & consequenter omnes ejus proprietates, quia quod est essentialiter ens, habere debet omnes entis proprietates, ac ita dabitur processus in infinitum; alia quædam Thomistarum argumenta omitto, præsertim Blasii a Concep. disp. 20. Metaph. qu. 1. quia probant solum passiones entis non addere aliquid ab ipso realiter distinctum, quod gratis undequaque concedimus non solum de passionibus entis, sed etiam cujuscumque alterius subjecti.

17 Resp. si Suarez intelligit illa, quæ in argumento tangit, convenire enti præciso, quocumque alio realiter superaddito, & ab ipso realiter distincto, graris totum concedimus; cum enim dicimus passiones entis ab ipso plusquam ratione distingui, ac veluti ex natura rei, sane per talem distinctionem opus intellectus antevertentem nec Scotus, nec Scotistæ intelligunt distinctionem realem in rigore sumptam, sed distinctionem valde minorem; immo quamvis Scotistæ passim per talem distinctionem ex natura rei intelligant distinctionem formalem actualem, quam Doctor inter realitatem, ac realitatem interponere solet, eo quia ipsi putant conceptum entis fundari in una realitate communi Deo, & creaturæ, ut fundantur aliæ naturæ communes prædicamentales, quia tamen in nostris principiis ens talem realitatem non importat, ut constat ex toto progressu disp. 2. ideo neque distinctio affectionum entis ab ipso dici debet ex natura rei formalis in eo rigore, sed appellari debet ex natura rei, quatenus instar illius a nobis concipitur, & quatenus contradistinguitur a distinctione rationis ratiocinantis, quæ præcise formatur ab intellectu absque fundamento a parte rei cum sola non repugnantia, ut bene ex nostris notavit Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 10. artic. 1. nu. 2. At quia discursus Suarez quid amplius prætendere, videtur, quasi ens ex sua ratione formali habeat, quod sit unum, verum, bonum, negatur assumptum, quia ut docet Scotus pluribus in locis, ens sub ratione entis præcise sumptum non habet, unde formaliter sit unum, verum, bonum, sed solum fundamentaliter; neque obstat vulgaris ille modus explicandi ens, illud nimirum esse, quod habet veram essentiam &c. quod enim ens hoc modo explicetur, non provenit ex eo, quod ita sit, sed ex eo, quod cum simpliciter simplex sit, non potest declarari nisi per ea, quæ ipsum circumstant. Neque ex hoc infertur sola rationis distinctio, aut per connotata, aut per modum expliciti, & impliciti, ut in argumento dicebatur; cum conceptus entis, ut sic, sit primarius, quidditativus, ac veluti absolutus; alii vero conceptus affectiones explicantes secundarii, qualitativi, ac veluti relativi, plane inter eos major distinctio poni debet, quam rationis, & per implicitum, & explicitum. Ad Conf. negatur assumptum quoad primam partem de unitate, quia ens ex vi sui conceptus quidditativi habet præcise, quod propriam habeat essentiam, non cogitando quod sit in se indivisum, & a quocumque alio divisum, quia hic conceptus est veluti relativus ratione divisionis ab alio, cum per ipsam ens referatur ad alia, atque ideo est posterior illo, quo præcise consideratur ipse, & est veluti absolutus. Tum quia ens ex vi sui conceptus habet tantum rationem essendi absolute, & non essendi unum, vel plura, quia abstrahit ab his rationibus. Quoad aliam partem de veritate concedo ens secundum suam rationem formalem, ut a passionibus istis præscindit, esse intelligibile, sed nego rationem fundantem intelligibilitatem esse veritatem, quia ut dictum est disputatione sexta, de Anim. quæstione sexta, articulo primo, num. 245, ens est objectum intellectus sub ratione ipsa entis, non autem sub ratione veri. Cum autem vulgo dicitur ens esse objectum sub ratione veri, & quicquid intelligitur sub ratione veri intelligi, hoc ideo dicitur, ut ibidem explicabam, quia dum intellectus aliquid cognoscit, resultat in eo veritas formalis, quæ est conformitas rei ad intellectum, nam veritati in essendo ex parte rei correspondet veritas in cognoscendo ex parte intellectus, & quia intellectus rendit in objectum, ut illi se conformet intentionaliter percipiendo illud sicut est, hinc dici solet ens terminare actum intellectus sub ratione veri, quod etiam fatetur Suarez disputatione decima Metaphysicor. nu. 19. sectione prima, & adhuc magis explicabitur infra disputatione sequenti, quæstione sexta, nu. 163. hinc ait Alensis 1. p. q. 13. membr. 2. quod nisi modus intelligendi impediret, adeo differunt intentio entis, & veri, quod posset intelligi ratio entis non cointellecta ratione veri, quemadmodum etiam intelligit ens non cointellecto bono. Ad ult. negatur consequentia, quia passiones entis non includunt rationem ejus formaliter, ac quidditative, sed realiter tantum, ac identice, ac ideo in ipsis datur status.

18 Quarto tandem arguitur ad probandum passiones entis illud includere essentialiter, si sunt reales, & positivæ; nam in ipsis terminis involvitur implicantia, inquit Aversa, si ex una parte asseritur passiones entis esse reales, & positivas, & ex alia dicatur non esse essentialiter ens, quia omnis ratio positiva, & realis, ut a nihilo distinguitur, & ab ente rationis, est essentialiter, & formalissime ens, quoniam ens reale, ut sic, est inchoatio, & fundamentum omnis realitatis, & ratitudinis, ut sæpe dictum est, & per ipsum formaliter quicquid est aliquid distinguitur a nihilo, Denique arguit Arriag. quia passioni entis ex eo, quod est realis, non repugnat existere, non secus ac ipsi enti; cujus est passio, ergo erit formalissime ens, quia in hoc consistit ratio formalis entis realis, quod sit illud, cui non repugnat esse. Denique id confirmat Pasqualig. ex ipsius entis transcendentia, cum enim sit principium formale totius realitatis, est essentialiter quid transcendens, quod per omnia realia transcendit, & proinde in omnibus essentialiter imbibitur, quomodo enim subsisteret in sua realitate, nisi includerent rationem formalem realitatis; aut quomodo ens transcenderet, tamquam ratio formalis realitatis, nisi in omnibus, quæ realia sunt, reperiretur? non ergo dari potest aliqua passio entis, in qua ens vi suæmet transcendentiæ non imbibatur.

19 Resp. ad hæc argumenta petere quid sit dicendum ex disput. 2. qu. 7. ubi ex professio monstratum est, ens nec in modis, nec suis passionibus, nec ultimis differentiis quidditative includi, unde ad 1. negatur assumptum, non enim implicat aliquid esse reale per identitatem solum, non autem per inclusionem rationis formalis entis in ejus conceptu quidditativo; ad probationem dicendum ens esse inchoationem, & fundamentum omnis realitatis, & ratitudinis in toto ordine entium, vel per inclusionem formalem ipsius in eo, quod dicitur reale, vel per solam identitatem realem, & hic est minimus modus realizandi entia, ita autem realizantur, & ratificantur passiones entis, nempe per realem identitatem cum ipso; & per eandem realem identitatem distinguuntur a nihilo, & ab ente rationis, pro quo vide, quæ dicta sunt disput. cit. nu. 211. ad simile argumentum Suarez pro modis, ac ultimis differentiis. Ad 2. passionibus entis non repugnat existere, non quidem directe, & in se, seu ex sua ratione formali, sed quatenus identificatæ, vel identificabiles cum ente non aliter, nec alio modo, & ideo negatur consequentia, quod sint entia realia, & reales in eo sensu, quod quidditative includant rationem entis, ita dicebamus ad simile argumentum Hurtad, loco citato nu. 208. pro modis, & multis differentiis. Ad 3. dictum est in eadem qu. transcendentiam entis non eo capite præcise sumendam esse, quod omnia penetrer, ac intret per propriam rationem formalem, quasi in omnibus essentialiter includatur, sed ex hoc quod omnia, quæ a nihilo distinguuntur, ac ab ente rationis, intrat, & penetrat vel per identitatem formalem, & essentialem, & sic transcendens dicitur, respectu omnium suorum inferiorum, vel saltem per identitatem realem, & sic penetrat modos, passiones suas, ac ultimas denique differentias, & sic omnia, quæ non sunt nihil, vel sub ente continentur ut sua inferiora, vel in ente, ut modi, differentiæ ultimæ, & passiones suæ; de quibus nunc est sermo. Dices vel passiones entis sunt aliquid, vel nihil, si secundum, ergo non sunt passiones entis reales, si primum ergo formalissime sunt ens, quia ens, & aliquid convertuntur, & ens describitur ab esse. Resp. passiones entis esse, non secundum primam rationem essendi, quæ est esse præcise, & a qua dicitur ens præcise, sed secundum rationem secundariam essendi scilicet indivise, ut unitatem; conformabiliter intellectui, & appetibiliter voluntati, ut veritatem, & bonitatem; Quæ rationes in conceptu essendi, ut sic, non involvuntur; & quamvis aliquid convertatur cum ente formaliter, vel identice, non tamen convertitur cum ente formaliter, sed latius patet sic accepto, ut declarabitur infra num. 80.

QUÆSTIO II.

Quæ, & quot sint passiones entis.

20 Quamvis communis, & passim recepta sententia tres assignet entis proprietates, non plures nec pauciores, scilicet Unum, Verum, & Bonum, non defuerunt tamen, qui alias addiderint, scilicet Rem, & Aliquid, cum enim hæc duo quidpiam ab ente distinctum significare videantur; & non minoris sint ambitus, quam ens in tota sua latitudine sumptum; & cum ipso convertantur; unde inter sex transcendentia numerantur, ens, res, aliquid, unum, verum, bonum, & non nisi loco passionum videntur designari posse, ita significavit Avicen. initio suæ Metaph. pro qua opinione ex Recentioribus citat Aravium lib. 4. Metaph. q. 4. art. 2. Blasius a Concep. disputat. 20. Metaph. q. 2. & ipsemet §. 2. probabilem putat saltem, quod Aliquid faciat proprietatem distinctam ab aliis. Scotistæ vero passim præter passiones simplices, & incomplexas, scilicet, Unum, Verum, & Bonum, quæ tales denominantur, quia unico, & incomplexo termino significantur, alias addunt, quas disjunctas appellant, & complexas, quarum multæ enumerantur, sed præcipuæ, & insigniores sunt actus, vel potentia, idem, vel diversum, contingens vel necessarium, talesq; dicuntur, quia termino complexo significantur, & sub disjunctione quadam enti conveniunt; Aversa tandem q. 4. suæ Physosoph. sect. 4. ex alio capite entis passiones multiplicat, quamvis enim dicat illas tres specialiter recipi debere, ut præcipuas entis passiones, nimirum Unitatem, Veritatem, & Bonitatem, inquit tamen plurificari posse, si passiones, sive attributa entis ita ample sumantur, ut etiam compleri possint quædam prædicata, quæ non nisi per majorem quandam explicationem distinguantur ab ente, sive etiam sumantur pro præ-

prædicatis superadditis, quæ vel importent denominationem extrinsecam, vel negationem, vel habitudinem rationis, si enim primo modo accipiantur, ait præter illas tres designari posse pro passionibus entis, appetere suum esse, & ejusdem conservationem appetere perfectionem sui esse; ac in ea quiescere, aliquod munus exercere ad evitandum otium in rerum natura, & tamdem ex hoc capite addi potest existentia, prout ratione distinguitur ab essentia. Quod si passiones entis posteriori modo sumantur, designando nimirum illas per modum denominationis, negationis, & relationis, adhuc plures tribus constitui possunt entis affectiones, quia per modum denominationis extrinsecæ dantur esse intelligibile, esse appetibile, esse significabile per voces, esse conveniens alteri, addi etiam possunt assimilari, adæquari, subire rationem mensuræ, & tandem adhuc multo plures cogitari possunt illas designando per modum negationis, & relationis rationis.

21 Dicendum est, præter unum, verum, & bonum, quæ sunt passiones simplices entis, alias addendas non esse præter disiunctas. Hæc conclusio est communis apud omnes excepta ultima particula de passionibus disiunctis, quas aliqui non agnoscunt, ut veras, & legitimas entis passiones, bene tamen Doctor 1. d. 19. quæst. 1. §. *de secundo*, & §. *ad argumenta principalia*, & 1. d. 39. in principio solutionis illarum quæstionum, & 4. Metaph. tom. 3. Aut. Andr. 1. Metaph. qu. 1. Faber 4. Metaph. disp. 12. Meuriss lib. 2. suæ Metaphysicæ cap. 2. quæst. 2. Tatar. 1. Metaph. quæst. unic. Zerbius ibidem quæst. 3. Trombet. 4. Metaphys. quæst. 4. & omnes Scoti Interpretes in locis supracit. Probatur vero, ac declaratur conclusio quoad omnes, & singulas partes. Et quidem in primis unum, verum, & bonum esse passiones entis, scilicet communis omnium sensus, & probatur evidenter; quia tria hæc attributa vere possident omnes, & singulas conditiones propriæ passionis assignatas quæst. præc. ab initio; addunt enim aliquid supra ens, quod non est ei essentiale, consequuntur ipsum, & ex vi conceptus essentialis ejus suo modo promanant, & denique adæquate omni enti conveniunt, & cum illo convertuntur, ergo vere & proprie sunt passiones ejus; Consequentia patet, assumptum vero aliunde constabit ex infra dicendis de singulis passionibus.

22 Secundo has tantum tres esse passiones entis, & alias præsertim simplices non esse addendas præter istas, probari solet varias assignando sufficientias ternarii illius numeri, probat Suarez disp. 3. Metaph. sect. 2. per quamdam sufficientiam traditam a D. Th. quæst. 2. de verit. art. 1. & qu. 21. art. 1. quia passiones entis debent aliquid addere supra ens, & non possunt addere aliquid positivum reale, ergo vel negativum, vel positivum rationis, seu per denominationem, aut convenientiam ad aliquod extrinsecam, priori modo constituitur passio unius, quia negatio illa divisionis in se, & divisionis a quolibet alio consequitur omne ens in se, & absolute consideratum, & nulla alia est quæ conveniat omni enti, ut sic, posteriori modo constituuntur aliæ duæ passiones, una per respectum, seu convenientiam ad intellectum, alia per habitudinem, & convenientiam ad appetitum, & voluntatem, nam hæ duæ facultates, & nullæ aliæ sunt universales, & respiciunt omne ens sub diversa ratione; Sed hæc ratio sufficienter non probat, quia ut constat ex dictis quæst. præced. passio vera & realis importare debet aliquid positivum, ac reale naturæ subjecti superadditum, non quidem realiter ab eo distinctum, sed ex natura rei formaliter, aut saltem virtualiter, ergo male assignatur sufficientia passionum entis, ac earum numerus deducitur per negationes, vel relationes rationis aut extrinsecas denominationes. Deinde minus quoque bene designantur passiones entis per ordinem ad animam, loquendo de illis secundum id, quod important a parte rei, esto quoad captum nostrum sic designari possint, cum enim ratio entis sit transcendens debet cum suis passionibus præcedere saltem natura quodcumque ens prædicamentale, cum hoc non constituatur nisi per contractionem entis transcendentis, at anima est ens prædicamentale, ac determinatæ naturæ, ergo posterior est ente, & quacumque ejus passione transcendenti. Denique videtur irrationabile prorsus assignare posteriores passiones nempe Veritatem, & Bonitatem per aliquid positivum saltem rationis, & primam passionem, qualis est unitas, a qua secundum aliquos aliæ originem trahunt, designare per solam, & simplicem negationem cur enim ipsa deterioris est conditionis, quam aliæ?

23 Alensis 1. p. quæst. 13. membro 2. numerum passionum entis deducit ex numero potentiarum animæ, ut debita proportio servaretur inter ens, & animam, nam esse rerum simpliciter (ait Alensis) comparatur ad animam; videlicet, ut res ordinentur in memoria, percipiantur intelligentia, diligantur voluntate, est igitur in ente quolibet unitas, per quam ordinetur in memoria, & servetur, memoria enim ea, quæ retinet secundum aliquam coordinationem relationis ad unum, & discretionem componit, item in quolibet est veritas, per quam percipiatur ab intelligentia, & tandem bonitas, per quam diligatur, & approbetur a voluntate. Sed hæc quoque sufficientia facile reiicitur, nam plane non apparet necessitas correspondentiæ inter passiones entis, & potentias animæ, ut quot sunt istæ, tot & illæ esse debeant, ac etiam contra hanc sufficientiam potest adduci ratio facta contra præcedentem, nam ens præcedit animam, & quodcumque ens determinatum ea priori-

tate, a qua non convertitur subsistendi consequentia, hoc enim pacto superiora omnia solent inferiora præcedere; adeo ut si anima impossibilis esset, non ob id impossibilis esset conceptus entis realis; ergo passiones entis, quæ ipsum, ut sic), consequuntur, male designantur in ordine ad animam, & numerum potentiarum ejus. Idem Alensis ibidem alio adhuc modo deducit hunc numerum ternarium passionum entis per relationem earum ad divinam causam, unitas enim esse creaturæ monstrat unitatem efficientis, veritas veritatem exemplaris; & bonitas bonitatem finis. Sed & hæc quoque sufficientia non bene procedit, quia ut satis de se constat, hac ratione non colligitur numerus passionum entis in se, ac in tota sua latitudine, sed entis creati dumtaxat. Rursus assignat ibidem Alensis passiones entis ex diversa consideratione rerum in proprio genere, aut enim consideratur absolute, & ut divisum ab aliis, & in se indivisum, & sic determinatur per unum; secundum vero, quod consideratur aliquod ens comparatum ad aliud secundum distinctionem, determinatur per verum, verum enim est, quo res habet discerni; secundum vero quod consideratur comparatum ad aliud secundum convenientiam, sive ordinem, determinatur per bonum, bonum enim est ex quo res habet ordinari. Sed & hæc quoque ratio deficit quia solum colligit unum, verum, & bonum esse passiones entis juxta diversas illas comparationes, sed non probat alias comparationes fieri non posse, ex quibus adhuc aliæ colligantur passiones. Tum quia nec illas tres bene assignare, ac inter se distinguere videtur; assignat enim veritatem per distinctionem unius entis ab alio; cum tamen per distinctionem unius entis ab alio soleat assignari unitas, non veritas; quia eo ipso quod aliquid unum est, est eo ipso in se indivisum, & a quocumque alio divisum, & distinctum.

24 Tertio his de causis Pasqualig. tom. 2. Metaph. disput. 3. sect. 1. num. 10. existimat nullam rationem a priori, & ex parte ipsius entis assignari posse, cur passiones entis sint tres, non plures nec pauciores; sed numerum passionum entis auspicari debere ab intellectu, unde tot erunt, quot intellectus distinguere poterit concipiendo ens secundum diversos conceptus inadæquatos explicitos, qui se habeant tamquam consequentes ad aliquem priorem, qui loco radicis respectu cæterorum se habeat; Et quamvis intellectus in distinguendis hujusmodi passionibus procedat cum fundamento in re, non tamen hoc fundamentum est ratio sufficiens constituendi tot numero passiones, & non plures, aut pauciores; nam tale fundamentum non provenit ab intrinseco entis, quasi in se contineat diversos gradus essentiæ, aut formalitates, cum sit una tantum simplex, & omnium prima formalitas; sed totum hoc fundamentum provenit ab extrinseco entis, & ex modo concipiendi nostri intellectus; quare concludit passiones entis esse tres dumtaxat, & non plures, quia de facto tot intellectus distinguit, & non plures conceptus inadæquatos entis; nam si alios præter illos intellectus efformaret, plures passiones essent constituendæ. Sed quamvis concederetur, ut forte concedi debet, nullam rationem a priori assignari posse, cur ens alias passiones simplices non habeat præter tres assignatas, nequaquam tamen dicendum est numerum passionum entis a solo intellectu pendere tot vel tot illas cogitante, ac distinguente in ente, quia ut diximus quæst. præced. affectiones enti sunt attributa vera, & realia, non vero entia rationis ab intellectu conficta, & per ejus fictionem enti convenientia, & hoc totum ipse conceserat disputatione prima, sectione secunda, ubi num. 4. asserit passiones entis esse reales, illique convenire nemine cogitante, & num. 8. inquit præseferre aliquam perfectionem realem, ac positivam, quod & concedit in eadem disputatione num. quarto; ergo etiam de ejusdem principiis falsum est passiones entis tot esse, quot intellectus distinguit in ente, quia sicut non habent esse præcise per opus intellectus, ita neque ab intellectu habent, quod sint tot, & non plures, vel pauciores, ergo ex intrinseca potius entis natura, & conditione pendet, quod tot, vel tot sint ejus passiones, non autem ex intellectus operatione sic vel sic eas cogitante, & distinguente.

25 Quarto igitur, quia in promptu non habemus rationem a priori, cur sint tres entis passiones simplices, & non plures, expedit id probare a posteriori excludendo singula, quæ ab aliis addebantur ad augendum numerum illarum, neque enim Res, neque Aliquid passiones ab aliis condistinctas constituere possunt, ut asserebat una ex opinionibus citatis. Quod quidem satis ex eo constare posset, quod res numquam de ente prædicatur per modum attributi, vel affectionis, sicut prædicantur unum, verum, bonum, quæ quidem illi adjunguntur ut adjectivum substantivo, at non ita conjunguntur ens, & res, quia ambo substantiva sunt, unde si conjungantur dicendo, ens est res, censetur negatio, vel identica prædicatio. Deinde quia juxta consuetum loquendi modum ens, & Res velut sinonyma usurpantur, unde nulla potest assignari entis acceptio, quam etiam subire æque bene non possit nomen Rei, & e contra, ut notat Aureol. 1. distinct. 2. quæstion. 1. articul. 1. Primo quidem accipi solet nomen entis regulariter pro ente reali, quod ab ente rationis contradistinguitur, & a nihilo, in quo sensu etiam hic sumitur, & de illo loquitur Metaphysic. & hoc quidem pacto satis constat nomen rei coincidere prorsus cum ente, nam per rem intelligitur id, quod non est prorsus nihil, & non est ens rationis, quia nec nihil, nec ens rationis gau-

gaudere potest nomine rei, unde ad determinandum significatum entis, & excludendum ens rationis, & nihil, utimur nomine rei, & dicimus ens reale a re; Alio modo accipi solet nomen entis amplissime, prout extenditur ad ens quoque rationis; & nomen rei licet regulariter loquendo sumatur pro ente reali, nec enim dicimus rem rationis; adhuc tamen etiam accipi solet, & potest pro ente rationis, ut notat Scot. quol. 3. §. *de primo* (ubi eadem acceptiones tribuit enti, & rei) quo pacto Res ex nominis ætymologia dicitur, a reor, reris, quod est arbitror, vel considero; non autem a ratus, rata, ratum, ut nostri Formalistæ notant art. 1. trac. formalit. & Doctor innuit 1. d. 36. interdum e contra nomen rei sumitur ad distinctionem modi, nam ille dicitur modus, qui ita rei addictus existit, ut nullo pacto etiam, per Dei potentiam a suo subjecto separari queat, res autem, quæ de se, vel saltem per Dei potentiam separari potest, ac per se conservari; Sed & in hac quoque acceptione solet ens sumi, in hoc enim sensu, dicunt, modos non habere propriam entitatem, quia non est entitas aliqua, sed potius entitatis modus; patet ergo ex variis acceptionibus entis, & rei esse synonima, & unum ab alio in significatione non differre.

26 Dices forte cum D. Thom. quæst. 1. de verit. art. 1. in corpore & 4. metaph. sec. 2. in hoc distingui rem, & ens, ut etiam Avicen. docebat loc. cit. quod ens sumitur ab actu essendi, & significat ens actualiter existens, sed nomen rei exprimit quidditatem, & essentiam, prout ab existentia præscindit; Sed in primis falsa est, vel saltem voluntaria acceptio hæc rei, ac entis; nam & ens accipi potest nominaliter, ut significat puram rei essentiam ab actuali existentia præscindentem, ut dictum est disp. 2. ab initio, unde distinctio illa, vel potius duplex entis acceptio nominaliter, vel verbaliter sumpti communi calculo in omni schola recipitur uno, vel altero Auctore dumtaxat contradicente; & e contra Res sumi potest pro ente actu existente, ut notat Doctor 1. d. 36. & Formalistæ trac. formal. artic. 1. præcipue Ant. Trombet. ergo re vera nulla potest assignari entis acceptio, quæ non possit applicari Rei, neque e contra. Tum quia quando etiam acceptio illa entis, & rei a D. Thoma assignata esset vera, & propria, adhuc non sequitur, rem significare passionem entis, sed potius prædicatum maxime quidditativum, immo ipsammet rei quidditatem, & essentiam, ergo nulla rei acceptio assignari potest, in qua res ita sumatur, ut sit entis passio, & affectio.

27 Quinto probatur neque Aliquid constituere passionem entis distinctam, quia etiam Aliquid dupliciter sumi potest, & solet, & in nulla acceptione fungi potest munere passionis distinctæ ab aliis; solet enim uno modo sumi prout est signum particulare afficiens terminum communem, ut cum dicitur aliquis homo, aliquod animal, aliquod ens; & in hoc sensu constat non esse entis passionem, quia non est transcendens, sed denotat individuum vagum alicujus naturæ. Alio modo sumi solet simpliciter, & absolute pro omni eo, quod non est nihil, & in hoc sensu patet esse synonimum entis, sic enim importat ipsum extremum positivum a nihilo contradistinctum, quod est ipsum ens reale. Dices ex D. Th. qu. 1. de verit. art. 1. secundam nominis etymologiam *Aliquid*, dici quasi aliud quid, & sic importare distinctionem, & divisionem ab alio, & in hoc sensu esse passionem a cæteris distinctam. Sed contra, quia etiam admissa hac significatione nominis, *Aliquid*, non potest in ea dicere quid transcendens, & cum ipso ente convertibile, sed ens aliquod determinatum, quod est aliud quid ab hoc, vel illo ente. Vel si in hoc sensu dicit attributum cum ente convertibile, sane hoc non erit ab uno diversum, vel in eo includetur, tamquam consequens illud, ut Suarez adnotavit, quia Unum dicitur quod est indivisum a se, & divisum a quolibet alio, ergo in ratione Unius includitur illa negatio, quæ importatur in voce, Aliquid, vel ad illam revocatur. Hinc concludendum est, cum Masio lib. 1. de Transcend. cap. 2. Aversa qu. 3. Phyl. sec. 2. & aliis, quatuor re vera duntaxat esse Transcendentia scilicet Ens, Unum, Verum, Bonum, licet vulgariter sex numerari soleant, ut enim inquit Aversa, senarius iste numerus neque in ratione fundatur, neque in aliqua gravi auctoritate, ita non est multum de eo curandum.

28 Sexto probatur neque passiones entis ex eo capite plurificari posse, quod ponebat Aversa, quia ut optime adnotavit Pasqualig. cit. omnia illa prædicata, quæ recenset; ut diversas entis passiones, sunt attributa, quæ non nisi enti actu existenti, ac verbaliter sumpto conveniunt, appetere enim esse suamque conservationem utique rem supponit jam esse productam, sicut conservatio supponit productionem, sic etiam resistere contrariis oppugnantibus; quiescere in perfectione recepta, habere aliquod munus exercendum, ut satis de se constat, supponunt rem existentem, & rebus duntaxat existentibus conveniunt; ergo nequeunt constituere passiones ab aliis diversas, quæ enti, ut sic, conveniant, in qua abstractione ab existentia præscindit, existentiam autem ipsam non esse entis passionem, sed potius modum ejus intrinsecum infra disp. 8. ex professo docebimus. At neque etiam plurificari possunt entis passiones per negationes variasque denominationes extrinsecas aut habitudines rationis; quia ut sæpe dictum est nulla passio entis realis potest, importare negationem, vel denominationem extrinsecam; aut solam rationis habitudinem, sed ut sit realis passio ejus sive proprie, sive improprie dicta, opus est, ut importet aliquam subjecti perfectionem. Tum quia supposito etiam, quod passiones entis importare possunt aliquam negationem, aut extrinsecam denominationem, tunc non ad libitum formandæ sunt, & fingendæ negationes, & denominationes, sed fundamentum habere debent in subjecto, cui tribuuntur, ita ut significent aliquam ejus perfectionem, in qua fundentur, ita etiam arguit Pasqualig. cit. contra Aversam disput. 3. sect. 1. numer. 4. cum tamen & ipse paulo infra numer. 10. dicat numerum passionum entis plurificari posse ad libitum ab intellectu juxta pluralitatem conceptuum inadæquatorum, quos placet efformare de ente. Denique quamplura, immo omnia prædicata, quæ ipse in ente multiplicat per denominationes extrinsecas, vel habitudines rationis, ad illas tres passiones simplices facile revocantur, vel in ipsis fundantur, ut postea immediate ipsemet Aversa fatetur, nam ad Unitatem, ait, reducitur identitas cum seipso, & disjunctio ab omni alio, ad Veritatem esse intelligibile, & significabile, Et tandem ad Bonitatem esse appetibile, & conveniens, frustra ergo ex isto capite plurificantur passiones entis ultra illas tres.

29 Postremo, ultra passiones simplices addendas quoque esse disjunctas, quæ erat ultima conclusionis particula, probatur, & declaratur ex Scoto 1. disp. 39. §. *circa solutionem istarum quæstionum*, & Ant. And. 1. Met. quæst. 1. art. 3. in fine passiones enim hujusmodi non ideo dicuntur disjunctæ, quia disjunctive omni enti conveniant, sed solum, quia disjunctiva quadam sufficienti significat aliquam unam passionem communem omni enti convenientem, quæ quia innominata est, non potest uno nomine appellari, sed eam circumloquimur per alia duo nomina disjuncta, eo modo, quo loquitur Arist. 10. Metaph. de medio contrariorum innominato, quod circumloquimur per abnegationem utriusque, ut quod nec malum, nec bonum est, & ideo cum realiter, & quantum ad id, quod significant, dicant unam passionem communem, non minus disjunctæ conveniunt enti, ut sic, tamquam primo, & adæquato subjecto, quam passiones simplices. Sed dices cum Suarez, passiones disjunctas entis non esse vere, & proprie entis passiones, sed potius ejus divisiones; quia vel essentialiter contrahunt ipsum ens, quatenus ens est, vel certe neutrum membrum dividens illi convenit, nisi ut contracto, seu determinato ad aliquam specialem rationem entis. Contra, quia hoc non obstante par, & impar dicitur passio adæquata numeri 4. Met. tex. 5. rectum, & curvum lineæ, & tamen alterum disjunctum non convenit numero, ut sic, vel lineæ, ergo idem erit in proposito dicendum de istis passionibus disjunctis entis, quod sicut par, & impar est passio adæquata numeri; quia totum disjunctum simul sumptum competit numero, ut sic, & cum eo convertitur, ita necessarium, vel contingens, idem vel diversum &c. quod totum disjunctum ens complectuntur secundum totam suam latitudinem, & cum ente, ut sic, convertuntur, quia nimirum totum illud disjunctum unicam passionem nobis ignotam significat cum ente, ut sic, convertibilem.

30 Dices adhuc passiones disjunctas non esse proprie passiones illius communis, cujus assignantur, sed inferiorum, & ita esse de pari, & impari in numero, quod non sunt proprie passiones numeri in communi, quia nullus numerus est, qui simul sit par, & impar, sed sunt passiones disjunctæ, & seorsum inferiorum numerorum. Contra verum est utique alterum disjunctum seorsim sumptum esse passionem alicujus inferioris, ut par binarii, & impar ternarii, sed totum disjunctum simul sumptum est adæquate passio numeri, ut sic, & ratio est, ut ait Ant. Andr. quia omnis talis propria passio habet aliquod subjectum, cui ineſt per se primo sic, quod non ineſt illi secundum rationem alterius, sed passio disjuncta non habet aliquod tale primum subjectum, nisi ipsum commune, quia nulli alteri convertibiliter ineſt, ergo illud commune est ejus primum subjectum, atque ita concludendum est, quod si passiones disjunctæ sumantur, ut circumscribunt unam, & adæquatam entis passionem, conveniunt enti, ut subjecto per se primo, & adæquato, suntque de ente demonstrabiles non minus, quam passiones simplices, & incomplexæ, hinc ajebat Doctor 4. Met. tex. 3. passiones hujusmodi non esse simpliciter convertibiles cum ente; sed sub disjunctione, per quam disjunctionem circumloquimur unam passionem entis innominatam nomine proprio.

31 In oppositum objicitur, Primo unum, verum, & bonum non esse veras entis realis proprietates, quia & entibus rationis & negationibus convenire videntur, nam ens rationis est unum & in se indivisum, est objectum intelligibile, & cognoscibile, & intellectui conforme, cum intelligitur, & consequenter verum, est tandem etiam suo modo appetibile, quia impossibilia etiam affectu saltem simplicis complacentiæ possunt appeti, atque ideo bonum, & hæc omnia possunt quoque negationibus applicari. Confirmatur, quia Arist. 4. Metaph. cap. 2. inquit easdem esse passiones entis, & unius, ergo saltem Unum passio entis non erit, quia subjectum, & passio easdem affectiones non habent.

Resp. ens rationis sicut nec vere, nec proprie dicitur ens, sed tantum per similitudinem ad ens reale, ut constat ex dictis disp. 3. Logita nec vere, nec proprie dicitur unum, verum, & bonum, sed tantum per similitudinem ad unitatem, veritatem, ac bonitatem entis realis, quare sicut ens rationis re vera non est ens, ita neque ejus indivisio est unitas talis, qualis est unitas entis realis, & sic de veritate, ac bonitate dicendum, quare unitas, veritas, & bonitas entis rationis erunt passiones, & proprietates fictæ, sicuti ficta est entitas super quam fundantur. Ad Conf. ait Doctor ibidem tex. 5. quod licet unum sit re vera passio entis, tamen Arist. inquit easdem esse passiones entis, & unius, eo quia unum est prima passio, & immediatius adhærens ipsi enti, qua mediante insunt omnes aliæ passiones, & ideo habet quodammodo rationem subjecti respectu omnium aliarum, ut sic dicantur æqualiter esse eædem passiones utriusque.

32 Secundo obiicitur probando neque passiones disjunctas esse veras entis passiones, sed potius divisiones tamquam per modos intrinsecos, nam ens dividitur per finitum, & infinitum, necessarium, & contingens, actum, & potentiam. Tum quia hæ proprietates disjunctæ ad simpliciter reducuntur, ut idem & diversum ad Unum, quod est in se indivisum, & a quocumque alio divisum. Tum quia passiones superiores saltem secundario competunt inferioribus, sed nullum est ens simul necessarium vel contingens, actus vel potentia, sed determinate alterum istorum, ergo non sunt passiones entis, ut sic; Tum tandem quia unum, & multa ad numerum pertinent, & prædicamentum quantitatis, sicut etiam æquale, & inæquale, idem vel diversum ad prædicamentum substantiæ, simile vel dissimile ad prædicamentum qualitatis, ergo non sunt passiones transcendentes, & cum ente convertibiles.

Resp. ad 1. ex Bargio 1. d. 39. §. *ad solutionem istarum quæstionum*, finitum, & infinitum, necessarium, & contingens sumi posse dupliciter, primo materialiter, & pro substracto, & sic ens in ista dividitur quidditative, & sic sunt partes subjectivæ ipsius entis, alio modo formaliter, & sic unum, & alterum disjunctum, disjunctim important diversos modos intrinsecos, quibus ens contrahitur, & dividitur, sed simul sumpta circumscribunt unicam entis passionem, & cum ipso adæquate convertibilem. Ad 2. negatur assumptum, ut enim constabit ex explicatione conceptus veritatis disput. seq. tradenda non satis commode idem, & diversum reducitur ad unum, & quando id etiam de eodem, & diverso concederetur, non ita est de aliis passionibus disjunctis. Ad 3. ait Ant. Andr. loco citato, quod si per necessarium, vel contingens intelligatur illa unica passio, quam simul sumpta sub distinctione nobis circumscribunt, concedendum est; omne ens esse necessarium, vel contingens simul, & hinc nullum sequitur absurdum, quare negatur minor in hoc sensu. Accedit majorem non esse veram de omnibus passionibus; sed tantum illis, quæ competunt naturæ communi, ut supponit absolute, ideſt tam pro se, quam pro mediatis significatis, non autem de passionibus ei præcise competentibus, ut supponit simpliciter, ideſt pro se, suoque immediato significato, nam tales passiones soli naturæ communi conveniunt, non autem inferioribus, ut verbi gratia passiones humanitatis sunt risibilitas, & communicabilitas; prima passio ei convenit; ut absolute supponit, & ideo convenit etiam suis inferioribus per se secundo, unde Petrus, & Paulus sunt risibiles, quia homo, ut sic, est risibilis, at non dicuntur communicabiles pluribus, quia communicabilitas convenit naturæ humanæ, ut supponit simpliciter. Unde sic in proposito dici posset; quod passiones disjunctæ enti conveniant, ut sic, & ut supponit simpliciter, non autem ut supponit absolute. Ad ultim. ait Doctor 1. d. 19. quæst. 6. passiones illas in presa, & stricta significatione sumptas ad certa utique prædicamenta coarctari, ut idem, & diversum ad substantiam, æquale, vel inæquale ad quantitatem, &c. sed in ampliori significatione per omnia prædicamenta vagantur, & sunt passiones entis transcendentes, quia omne ens inquantum est quid, fundare potest relationem identitatis, ac diversitatis, & quatenus est quantum quantitate virtutis, & perfectionis est alteri æquale, vel inæquale, & tandem quatenus quale aliqua qualitate essentiali, & substantiali, sicut est differentia 5. Metaph. cap. de quali potest dici alteri simile, vel dissimile.

33 Tertio e contra arguitur ad multiplicandas passiones entis ultra prædictas, sex enim solent transcendentia numerari, ens, res, aliquid, unum, verum, bonum, ex quibus præter ens cætera passiones esse videntur, quod præsertim de Re, & Aliquid probari potest, nam illud est proprium, quod soli ineſt, & conversim prædicatur, ergo cum Res, & Aliquid soli enti insint, & conversim de ente prædicentur, erunt ejus proprietates, tum quia conceptus Rei, & Aliquid resolvitur in conceptum entis, ergo dimanant a conceptu entis, & ideo ejus proprietates erunt. Deinde pulchrum, & perfectum videntur esse proprietates entis in genere, cum unumquodque ens in suo ordine sit pulchrum, & perfectum, non secus ac bonum. Tandem durare, & esse alicubi sunt attributa cuilibet enti convenientia, nec ad prædicta reduci possunt, ergo sunt aliæ passiones entis. Neque dicas hæc convenire dumtaxat enti existenti, non autem enti ab actuali existentia abstrahendi de quo hic est sermo. Nam contra hoc est, quod etiam proprietates istæ scilicet duratio, & localis præsentia possunt secundum se considerari abstrahendo ab actuali existentia, atque enti sic abstracto applicari, & copulari absolvendo copulam a tempore.

Resp. ex dictis negando assumptum, quatuor namque re vera sunt transcendentia, non sex, cum Res, & Aliquid, ut transcendentia sunt, cum ente prorsus coincidant, ad primam probationem, verum est assumptum, dummodo quod ita prædicatur non indicet quid rei, ut ait Arist. 1. Top. cap. 4. nec sit de essentia rei, sed eam consequatur; Res autem, & Aliquid, ut transcendentia sunt, non consequuntur ens, sed formalissime sunt ipsum ens, seu ipsa entis essentia, & sic etiam dicitur ad aliam probationem conceptum Dei, & Aliquid non tam resolvi in conceptum entis, quam in ipsum coincidere. Ad 2. negatur pulchrum, & perfectum importare novam entis proprietatem ultra assignatas; perfectum enim quatenus significat id, cui nihil deest, quod naturæ suæ congruat, aut coincidat cum bono transcendenti, quæ est entis passio, aut certe cum perfectione entitativa, quæ a Doctore dicitur bonitas primaria entis quol. 18. art. 1. ab initio, & est veluti modus quidam intrinsecus entis, ut ipse declarat ibidem, & nos disp. seq. pulchrum etiam vel cum bono convertitur, ut fert vulgatum proloquium, *pulchrum, & bonum convertuntur*, vel si ultra rationem boni aliquid aliud postulat, ut quidam contendunt, nempe omnium partium integritatem, ac earum debitam proportionem cum nitore quodam, non erit passio entis, quia aliquid dicit, quod omni enti competere non potest. Ad ultimum re vera duratio localisque præsentia solis entitatibus physicis convenire solent, quæ præsertim se solis in retum natura consistere possunt, non solum prout sumuntur in actu secundo, sed etiam prout sumuntur in actu primo, nimirum pro potentia ad durandum, & existendum in loco, non autem directe conveniunt realitatibus, & formalitatibus Metaphysicis; sed indirecte tantum, quatenus scilicet immersæ sunt in entitatibus physicis, ac eis realiter identificatæ, & ideo non bene assignarentur pro passionibus entis, ut sic, quia vel solam realitatem important omnium primam, vel solum conceptum objectivum Deo, & creaturis communem. Accedit durationem rerum quantum ad id, quod realiter importat, non esse quid ab earum existentia diversum, atque ideo idem de utraque judicium ferendum erit, ut constat ex dictis in Physicis, ubi etiam diximus præsentiam localem spectare ad prædicamentum Ubi, unde cum sit speciale quoddam ens, nequit assignari pro adæquata passione entis transcendentis.

QUÆSTIO III.

An passiones entis habeant inter se aliquam distinctionem, & ordinem.

34 De distinctione passionum entis ab invicem communis fert sententia esse rationis dumtaxat, quam alii volunt esse rationis dumtaxat ratiocinantis, alii vero rationis etiam ratiocinatæ juxta variam explicationem formalitatis passionum entis, ita passim loquuntur Thomistæ citati quæst. præced. Aversa vero quæst. 4. cit. sec. 5. inquit juxta varios modos, quibus assignari possunt passiones entis, variis etiam modis distingui, primo enim si sumantur illa attributa, quæ dicunt ipsum ens secundum in certam quandam explicationem conceptuum, sic tam inter se, quam ab ipso ente distinguuntur solum ratione ratiocinante, at si sumantur attributa, & passiones, quæ consistunt in denominationibus extrinsecis realibus, sic dici possunt ex parte formæ denominantis vere distingui positive, & realiter, nam talis, & tanta est distinctio inter denominationes hoc modo sumptas, quanta est inter formas denominantes; ergo ita distinguuntur ex hac parte esse intelligibile, & apperibile, sicut distinguuntur intellectus, & appetitus, quæ potentiæ apud Thomistas realiter distinguuntur. Demum si magis proprie, ac rigorose sumantur passiones prout formaliter in negatione, aut rationis relatione consistunt; sic si comparetur una negatio cum alia denominatione, aut entitate positiva, dici debent distingui plusquam realiter, & essentialiter; nam distinctio realis intelligitur esse inter ea, quæ sunt vere entia realia, & conveniunt in hoc conceptu entis realis, ac multo magis distat negatio ab entitate positiva. Similiter si comparetur una relatio rationis cum denominatione, & entitate reali, maxime distat, & plusquam realiter; sic etiam si comparetur una negatio cum alia relatione rationis. Si demum comparetur una negatio cum alia negatione, una relatio cum alia relatione rationis, dici debent inter se distingui eo pacto, quo aliæ negationes, & relationes ratione distingui solent juxta distinctionem formæ negatæ, aut termini respecti.

35 Quoad aliam quæsiti partem negant aliqui præsertim ex Scotistis ullum ordinem prioris, & posterioris inter passiones entis reperiri, & volunt omnes, tam simplices, quam disjunctas æque primo, & immediate ab ente fluere, ad quod asserendum moventur ex Doctore 1. dist. 39. loco citato, ubi ait esse valde difficile, ac perplexum talem ordinem assignare inter passiones entis, ita Tatar. 1. Metaph. quæst. un. art. 1. Faber 4. Metaphys. disp. 12. Alii vero communiter asserunt necessarium omnino esse aliquem ordinem inter passiones entis, atque ita de facto illas ordinant, ut Unitas præcedat Veritatem, & Veritas bonitatem, ita Suarez, Pasqualig. Blasius a Concep. supra cit. qui alios citant, & consentiunt cæteri Scotistæ Doctorem adducentes d. 17. q. 2. & 5. Metaph. q. 9. quibus locis aperte ordinem admittit inter plures passiones ejusdem subjecti; Aversa vero loc. citato licet & ipse cum aliis fateatur passiones entis esse inter se ordinatas, subdit tamen; quod cum hæ passiones pluribus modis sumi, & explicari possint, consequenter posse juxta varias acceptiones, & explicationes variis modis ordinari, & aliquo modo, vel unam, vel aliam esse priorem, vel non habere certum ordinem prioris, &

posteriorís; quod ita explicat, nam si unitas sumatur prout dicit indivisionem entis in se, veritas autem, & bonitas, ut dicunt relationem rationis ad intellectum, & voluntatem, sic quadam ratione prior est unitas, quia importat conceptum absolutum, & realem, illæ vero conceptum rationis, & respectivum; at si sumatur unitas, prout addit distinctionem unius entis ab alio, quo pacto concipitur comparative, ita non est necessario prior aliis, quia adhuc prius cogitari possunt in ente relationes conformitatis, & convenientiæ, per quas explicantur veritas, & bonitas, antequam cogitetur distinctio ab omnibus aliis entibus. Deinde vero, si alio modo sumantur, & explicentur veritas, & bonitas nimirum ita, quod verum idem sit, quod ens non fictum, & apparens; & bonum pro eo, quod est in se absolute integrum, & perfectum, in hoc equidem sensu veritas, & bonitas unitatem præcedunt, nam proxime ad conceptum entis realis intelligitur negatio entis ficti, & prius valet dicere in hoc censu, hoc est verum aurum, quam hoc est unum aurum, ac pariter prius rem esse in suo esse constitutam, & perfectam, quam esse indivisam in plura. Tandem comparando etiam veritatem, & bonitatem ad invicem, si veritas sumatur pro denominatione cognoscibilitatis, & bonitas pro denominatione appetibilitatis, sive veritas pro relatione ad intellectum, bonitas pro relatione ad voluntatem, sic manifeste prior est veritas bonitate, sicut intellectus voluntate; at si sumatur bonitas absolute pro perfectione rei in se, sic est potius veritate prior, attamen quia manifestius significatum unitatis est pro indivisione rei in se, & veritas, & bonitas pro relationibus conformitatis ad intellectum, & convenientiæ ad voluntatem, absolute unitas præfertur aliis, & veritas bonitati.

36 Cæterum, quia ordo inter aliqua plura est duplex, ut sæpius Scotus docet quol. 2. 1. d. 27. & 2. d. 1. quæst. 1. & d. 7. 13. & 25. & 4. d. 1. qu. 6. scilicet essentialis, seu causalitatis, & ordo effectuum, vel quasi effectuum ab eadem causa, Auctores ordinem inter passiones entis statuentes adhuc inter se disputant de qualitate ordinis, num scilicet inter se talem servent ordinem, quo una ab alia pendere dicatur, an vero omnes immediate fluant ab eodem ente, & invicem solum ordinentur in ratione effectuum prioris, & posterioris ab eadem causa promanantium, Anton. And. 1, Met. qu. 1. concl. 5. in solutione ad 1. Tromb. 4. Met. quæst. 4. art. 1. in ratione tertia pro conclusione, Zerbius 1. Metaph. quæst. 3. significant talem ordinem esse essentialem, & causalitatis, quia secunda fluit mediante prima, tertia mediante secunda, adeour prior semper est causa inhærendi posteriori, & definitionem ejus ingreditur causalem, cui modo dicendi favet Doctor in Report. quæst. 1. prol. docens, quod cum subjectum non est definibile, sicut est ens, oportet passiones esse ordinatas, itaquod una demonstretur per aliam, aliter enim plures essent in duplo propositiones immediatæ, quam conclusiones; Alii vero Scotistæ nullum talem ordinem admittunt, quo una passio entis ab alia pendere dicatur; quos sequitur Aversa loco citat. sed solum ordinem effectuum, vel quasi effectuum ab eadem causa, & in hunc modum salvant apparentem in Doctore contradictionem, cum aliquando talem ordinem admittit inter passiones entis, & aliquando negat, ita præsertim docuit Bargius 1. d. 39. in solutione illarum plurium quæst. & in ea quæst. quæ impressa habetur ad finem Ethic. Tatar. in quibusdam voluminibus, ubi etiam pro hoc eodem dicendi modo Gadium citat præceptorem suum.

37 Pro resolutione quæsiti notandum est, passiones entis dupliciter considerari posse, vel secundum id, quod in re significant, quatenus est quædam realis perfectio entis spectans ad ejus esse secundarium, vel secundum id, per quod a nobis explicari solent; cum enim sint simpliciter simplices, esto a parte rei quidpiam reale, ac positivum importent, non nisi tamen per negationes, aut per habitudinem ad aliqua extrinseca solent explicari, ut ex disp. seq. patebit, atque ideo secundum hanc duplicem passionum entis considerationem aliter, ac aliter resolvenda est præsens difficultas, si enim considerantur secundum id, quod a nobis solent explicari, ita verum est plusquam ratione, & plusquam formaliter ex natura rei distingui, & varium inter se servare ordinem, secundum quod varie a nobis explicantur, ut discurrebat Aversa, cæterum si considerentur secundum id, quod a parte rei important, non plusquam ex natura rei formaliter, vel potius virtualiter distinguuntur, & nullus inter eas ordo datur, sed omnes æque primo ab ente fluunt, vel si datur valde difficile est eum assignare; Conclusio hæc quoad omnes suas partes sequitur ex dictis, & postea dicendis, & per eam conciliari possunt, nedum varia, ac apparenter dissentanea Scoti dicta in hac materia, sed etiam dissentientes Scotistarum opiniones, quod ut magis patet probanda est, ac declaranda quoad singulas particulas; Et quidem quoad primam nimirum, quod si passiones entis considerentur secundum id, per quod a nobis explicari solent, distinguantur plusquam ratione, immo & plusquam ex natura rei formaliter, satis constat ex relato discursu facto ab Aversa, cum enim a nobis explicari solent per negationes relationes rationis, variasque extrinsecas denominationes, quæ inter se, & a subjectis suis distinctionem admittunt suo modo realem, & essentialem, consequenter inter passiones entis sic a nobis explicatas tanta, & non minor distinctio ponenda erit, hocque, & non amplius probat supradictus Averšæ discursus; At vero si considerentur secundum id, quod a parte rei important, ac significant, certum est non tantam ferre distinctionem, quia non superaddunt enti aliquid ab ipso realiter, vel essentialiter distinctum, sed tantum ex natura rei formaliter, vel potius virtualiter modo jam explicato quæst. 1. nu. 9. & 17. atque ideo non nisi similem distinctionem inter se fundare possunt, quæ ex natura rei dicatur, licet non in tanto rigore, quo statui solet inter passiones, quæ in eodem subjecto diversas important realitates ab eo pullulantes, neque ad suum complementum indigent abstractione aliqua intellectus inadæquate concipientis, sicut indigere solent passiones transcendentes.

38 Secundo probatur vario modo ordinari posse hujusmodi passiones, juxta quod varie a nobis explicantur eodem prorsus discursu, quo utebatur Aversa, qui certe nihil aliud probat, quam hanc conclusionis particulam; juxta enim variam earum explicationem Unitas præcedit Veritatem, ac Bonitatem, & e contra, ut constat ex præfato discursu. Verum tamen est, hunc ordinem competentem passionibus entis secundum, quod explicantur a nobis, non esse essentialem, sed causalem; si enim explicetur unitas per indivisionem entis in se; veritas autem, & bonitas ut dicunt relationem rationis conformitatis, & convenientiæ ad intellectum, & voluntatem, satis de se constat hanc prioritatem unitatis ad bonitatem, & veritatem non esse talem, ut relatio veritatis, vel bonitatis per se pendeat ab ipsa unitate, idest a negatione divisionis, ac in ea fundetur, quia sufficienter pendent immediate ab ipso ente, ac in ejus essentia fundantur, & etiam in rigore loquendo concipi possunt relationes bonitatis, & veritatis in ente, antequam concipiatur negatio illa divisionis, qua solemus unitatem explicare. Et eodem modo idipsum probari potest de relationibus veritatis, & bonitatis invicem comparatis, tum quia sicut considerando potentias in ordine ad quas explicantur, voluntas non fluit ab intellectu, nec mediante intellectu, ita nullo modo dicendum videtur, quod bonitas fluat a veritate, aut illa mediante, unde remanet; quod si aliquis ordo inter passiones entis, ut a nobis concipiuntur, sit statuendus, hic sane alius esse non possit, quam ordo plurium effectuum immediate ab eadem causa promanantium sine ulla prorsus causalitate unius in alium.

39 Tertio probatur inter passiones entis nullum servari ordinem prioris, & posterioris, sed omnes, & singulas immediate ab ente fluere æque primo, si considerentur secundum id, quod a parte rei important; Et ratio est, quia falsum est, quod quandocumque aliquod subjectum plures habet passiones, debeat inter eas indispensabiliter esse aliquis ordo ex natura rei causalis, itaquod una promanet a subjecto mediante alia, aut saltem quasi plurium effectuum ab eadem causa, nec enim quoad hoc ratio cogens adduci potest, aut regula generalis assignari, sed vere speculandum est, & discurrendum juxta variam diversorum subjectorum naturam, & conditionem, aliquando enim eordinem inter se essentialem, seu causalem servare possunt, ut Doctor docet de passionibus quantitatis 5. Metaph. quæstion. 9. nam ex impenetrabilitate oritur divisibilitas quantitativa, & per instrumenta corporea, ex divisibilitate mensurabilitas, & Aristot. docet 1. Phys. de passionibus materiæ, ubi proptera vult materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem, quia est omnibus formis subiicibilis, aliquando servant tantummodo ordinem quasi effectuum ab eadem causa, ut patet de potentia cognitiva, & appetitiva in animali, licet enim hæc illam ex natura rei supponat, quia appetitus in animali non fertur in incognitum, nihilominus appetitiva non oritur a cognitiva, neque ab illa causatur, aliquando demum nullum prorsus ordinem inter se servant, sed omnes, & singulæ æque primo a communi subjecto fluunt, ac illi conveniunt, ut constat in multis aliis passionibus, nam infinito v. g. quamplures tribui solent affectiones, ut esse ignotum, esse immensurabile, non suscipere majus, vel minus, & aliæ, quæ illi æque primo convenire videntur, nec una prius, quam alia; Quamvis ergo in proposito nostro ens plures habeat passiones, non idcirco asserendum est statim has esse invicem ordinatas, vel ordine causali, vel quasi effectuum ab eadem causa, nisi ad hoc aliqua ratio cogens afferatur, quia multitudo causarum, vel præsuppositio multorum vitanda est, quantum fieri potest, nisi urgenti ratione ad eam asserendam compellamur, cum igitur in proposito talis urgens ratio non appareat, si considerentur secundum id, quod a parte rei important; probabilius est omnem talem ordinem inter passiones entis negare, quod autem nulla sit talis urgens ratio constabit, tum solvendo rationes in oppositum; tum quia talis ratio, & ordo utique ex natura ipsarum passionum spectari deberet, sed natura ipsarum pro statu isto nobis non innotescit conceptu proprio, sed vel disjunctione circumscribetur, vel negatione, vel per habitudinem traditionis, ac denominationem extrinsecam, ut seq. disput. constabit, quæ utique non exprimunt nobis adamussim naturam, & conditionem earum passionum, ut sunt in ente, quia unitas est quid positivum, & veritas, ac bonitas enti conveniunt, ut natura præcedit quodcumque ens prædicamentale, ac determinatum, unde solum pro captu nostro explicantur per habitudinem ad intellectum, & voluntatem, cæterum a parte rei quemadmodum ens est prius natura ipsa anima, ita suas habet passiones independenter ab existentia, sive actuali, sive possibili ipsius animæ, ac potentiarum ejus.

40 Quarto tandem additum est in conclusione, si talis ordo datur, esse cognitu difficilem, ut ostendamus non esse prorsus improbabile,

bablile, dari talem ordinem inter passiones entis apud Scotum; falsum enim est, quod ait Tataret. 1. Met. qu. un. talem ordinem in ejus sententia esse fictitium, ac improbabilem; quamvis enim Doctor 1. d. 39. dicat esse difficilem, non tamen inquit esse infinitum, vel impossibilem, fictitium, vel improbabilem; quod autem sit difficilis, constat ex probatione præcedentis particulæ, cum enim assignari nequeat regula generalis pro ordine plurium passionum ab eodem subjecto manantium, neque hic ordo constare possit, nisi agnitis singulis illis passionibus sub conceptu proprio, ac intime penetrata communis subjecti natura; consequens est, ut sit valde difficile in proposito talem ordinem assignare inter passiones entis tam simplices, quam disjunctas, quia illas sub proprio conceptu non attingimus, sed per notiones extraneas, & circumlocutiones; unde etiam Ant. And. 1. Met. qu. 1. postquam ordinem assignavit inter passiones simplices Unum, Verum, Bonum, curam relinquit subtiliori Doctori ordinem assignandi, ac vestigandi inter alias; ob quam difficultatem Doctor cit. 1. d. 39. ex suo modo loquendi, ut ibi Bargius adnotavit, ad partem negativam declinare videtur, quod nempe non detur talis ordo inter passiones entis, atque ideo in nostra conclusione hanc statuimus, ut probabiliorem affirmativa, licet istam non prorsus improbabilem censeamus, ut Tatar. ajebat. Hic vero reticere non possum ineptiam quandam Blasii a Concep. qui disput. 24. Met. quæst. 7. quæreus ordinem inter Bonum, & Verum, citat unam sententiam afferentem bonum antecedere verum, & ait haud dubie Scotum cum suis sequacibus in hanc inclinare, quia sicut voluntatem intellectui præferunt, ita quoque objectum voluntatis objecto intellectus præferent, ut eundem ordinem inter objecta potentiarum constituant, quem constituunt inter potentias. Insulsa equidem argumentatio, Scotus, & Scotistæ intellectui voluntatem præferunt, ergo tenentur asserere verum, quod est objectum intellectus, præcedere bonum, quod est objectum voluntatis; nam vel in antecedente est sermo de prælatione, & præcedentia ordine dignitatis, & perfectionis, vel ordine naturalis præsuppositionis, si primum, quo sensu re vera Scotus, & Scotistæ voluntatem præferunt intellectui, ut dictum est disp. 7. de Anim. quæst. 8. qua quæso consequentia ex prioritate dignitatis, & perfectionis infert prioritatem naturalis præsuppositionis, de qua est quæstio, cum potius priora generatione sint posteriora perfectione ex 9. Metaph. si secundum, edisserat uoi Scotus, vel aliquis ejus assecla ita voluntatem præferat intellectui; falsam ergo sententiam Scoto, & Scotistis impingit, & ex falsiori fundamento.

41 In contrarium primo objicit Pasqualig. probans necessarium esse aliquem ordinem inter passiones entis, quia si nullam inter se haberent connexionem, sed omnino disparate; sane constituere non possent eandem omnino indivisibilem quidditatem, quæ enim disparate se habent, non possunt in unum per se uniri; & sicut entia physica disparata non possunt facere unum per se physicum, ita nec etiam rationes Metaphysicæ unum per se Metaphysicum; cum ergo passiones entis sint veluti plures conceptus inadæquati simul concurrentes ad constituendam entis formalitatem; necessario debent esse invicem connexæ, & subordinatæ ordine prioris, & posterioris. Resp. hoc argumentum multa assumere, & subsumere falsa, fallum quidem assumit, dum supponit passiones constituere rerum quidditates; non enim eas constituunt, cum rei conveniant in secundo modo dicendi per se, sed constitutas supponunt per prædicata quidditativa, eo autem modo quo passiones concurrunt ad complementum, & integritatem sui subjecti, veluti perfectiones ejus secundariæ, plane hoc non præstant se invicem adunando unitate untonis per modum actus, & potentiæ, sed potius seipsas in eodem subjecto adunando unitate identitatis, ut notat Doctor 2. d. 12. q. 2. ad 1. princ. quod utique fieri potest immediate pullulando omnes ab eadem radice essentiæ subjecti æque primo, & non una post aliam, subsumit deinde etiam falsum, dum ait passiones entis se habere velut conceptus inadæquatos ejus formalitatem adæquate constituentes; hoc enim supra refutatum est, tum quia formalitas, seu conceptus entis, ut sic, est simpliciter simplex, tum quia falsum est loquendo in universum passionem constituere quidditatem subjecti.

42 Secundo objicitur ordinem re vera reperiri inter unum, verum, & bonum, quia unitas importat formalitatem absolutam, quæ explicatur per indivisionem in se sine respectu ad aliud, bonum autem, & verum explicantur per respectum ad aliud scilicet ad intellectum, vel voluntatem, vel per habitudinem ad aliquod aliud, extrinsecum; certum autem est absolutum præcedere respectivum. Deinde si verum & bonum inter se conferantur, satis de se constat verum præcedere bonum, quia bonitas quodammodo fundatur in veritate, ut enim sanitas bona sit, supponitur esse veram sanitatem, nam si sit ficta, non erit bona, & sic de aliis; tum quia verum dicit ordinem ad intellectum, bonum ad voluntatem ut earum objecta, cum igitur intellectus sit potentia prior voluntate, idem quoque dicendum erit de vero respectu boni.

Resp. hæc, & similia argumenta re vera nil aliud probare, nisi quod dictum est n. 38. eum ordinem inter unum, verum, & bonum statui posse suppositis illa explicatione Unitatis, veritatis, & bonitatis; quod si alio modo explicentur, alio modo quoque poterunt ordinari, nam si verum explicetur, per negationem entis ficti, & apparentis, sic videtur præcedere unum, prius enim dicere valet, hoc est verum aurum, quam unum aurum, si enim non esset verum aurum in hoc sensu, sed apparens, & fictum, nec aurum nec unum esset; & si bonum sumatur pro eo quod est in se absolute integrum, & perfectum, sic bonum videtur præcedere verum, & unum, nam prius est rem esse in suo esse constitutam, & perfectam, quam esse indivisam in plura, & quam esse veram, ideo enim vera censetur, quia nihil entitatis ei deest in proprio genere, si enim aliquid tale auro deesset, aurum verum non esset; & si sanitati aliquid deesset in eo genere requisitum, non erit vera sanitas; juxta ergo variam acceptionem, & explicationem illarum passionum variatur ordo inter illas, atque ideo quo pacto debeant passiones entis secundum quod explicantur a nobis ordinari, plane constare non poterit, nisi completo tractatu singularum, & ideo de hoc ordine in præsenti nihil certi, ac determinati tradere possumus. Dices cum Blasio a Concep. qualis est ordo inter potentias, talis etiam est inter earum objecta; cum igitur intellectus præcedat voluntatem, consequenter bonum quod est voluntatis objectum, debet verum præsupponere, ut objectum intellectus, quia quocunque modo explicentur verum, & bonum, semper hoc habent, quod sunt objecta intellectus, & voluntatis, unde semper retinent ordinem illarum potentiarum. Resp. in primis majorem, & minorem esse dubitabiles, illa enim major propositio, quamvis dicat esse S. Thomæ, vel est falsa, vel indiget declaratione, si enim sic absolute sumatur, potius sua opposita videtur vera, nimirum talem ordinem inter potentias reperiri, qualis est inter earum objecta, quia ex 2. de Anim. potentiæ, & actus specificantur per objecta, non e contra, si ergo potentiarum specificatio sumitur ab objectis, etiam & illarum ordo, non autem e contra, minor deinde non est absolute vera, nimirum verum, & bonum, ut sic, esse objecta intellectus, ac voluntatis, nam oppositum probabilius est, ens nimirum ut sic, & in tota sua latitudine esse intellectus, ac voluntatis objectum ex dictis in lib. de Anima. Tandem etiamsi totum concedatur, non concludit verum præcedere bonum, ut sunt passiones entis, sed tantum ut sunt objecta illarum potentiarum, vel ut explicantur in ordine ad illas potentias.

43 Denique adduci possent in oppositum auctoritates Scoti supra relatæ pro alia sententia ex 5. Metaph. quæst. 9. & 1. d. 17. quæst. 2. ubi talem ordinem admittit inter plures passiones ejusdem subjecti, & quamvis in 1. loco videatur de passionibus quantitatis specialiter loqui, tamen in 2. loco universaliter loquitur de quocunque subjecto plures passiones habente, & præsertim loc. cit. in Reportatis quæst. 1. prolog. expresse loquitur de passionibus entis, & inquit, passionem posteriorem posse demonstrari per priorem, & pro quo Bargius cit. plura alia loca adducit ex Doct. ut in 3. d. 14. quæst. 2. & 4. d. 2. quæst. 3. & quol. 14. art. 3. Hæc tamen omnia loca facilis sunt explicationis, nam 5. Met. quæst. 9. loquitur solum de passionibus quantitatis, & non in universali; in 1. autem d. 17. quæst. 2. non loquitur auctoritative, quia affert eam propositionem arguendo ad partem negativam, ut notavit Bargius loc. cit. vel illa propositio accommodate intelligenda est, & non omnino universaliter, quia ut diximus ubi plures sunt passiones nec opus est immediate omnes, ac æque primo a subjecto fluere nec ordine essentiali, seu causali, nec ordine quasi effectuum ab eadem causa: sed pro natura, & conditione tum subjectorum tum ipsarum passionum discurrendum est. Ad alias auctoritates, & præsertim ad eam ex Report. inquit Bargius Doctorem ibi loqui conditionaliter, nimirum si passiones entis sunt invicem ordinatæ essentialiter, & causaliter; vel magis expedite dicendum, quod loquitur de passionibus entis, non secundum id, quod a parte rei important, sed secundum id, quo explicantur a nobis, nam per hoc, ut dixi, nedum explicari, & conciliari possunt diversa Scoti loca non satis inter se consona; sed etiam dissentientes Scotistarum opiniones, qui omnes, dum inter passiones entis ordinem posuerunt, plane de illis locuti sunt secundum eam formalitatem, per quam modo a nobis explicantur.

QUÆSTIO IV.

An passiones entis possint de ipso demonstrari, & quomodo.

44 PRo titulo quæsiti notandum, quod cum duplex sit genus demonstrationis, ut habetur 1. Post. unum ostensivum, & a priori, aliud vero per deductionem ad impossibile, non quærit titulus de demonstratione secundi generis, sic enim apud omnes exploratum est, passiones de ente demonstrari posse, hac siquidem via non solum mediatæ propositiones, sed etiam immediatæ deduci possunt, sed quæstio est de primo demonstrationis genere, adeo ut sensus sit, num affectiones entis possint demonstratione ostensiva, & a priori de ente demonstrari. Negant quamplures Scotistæ, & Thomistæ passiones entis esse hoc pacto de ipso demonstrabiles, quibus videtur favere Doctor 1. d. 39. & 2. d. 12. quæst. 1. verbis expressis postea referendis, ita Tatar. 1. Metaph. quæst. un. art. 1. ubi consequenter negat Metaph. esse scientiam, prout 1. Post. definitur, sed ait esse scientiam, ut nomen scientiæ extenditur ad notitiam, quæ habetur de propositionibus immediatis; cui opinioni subscribunt Vigerius 1. d. 39. & Bargius ibidem & quæst. illa an Metaphysica sit scientia, qui tamen ne viderentur aperte ne-

te negare Met, esse vere, & proprie scientiam, dixerunt non esse scientiam ratione subjecti universalis, idest, ex ea parte, qua agit de ente, suisque passionibus, & aliis transcendentibus, quia ens inquantum ens, cum non sit definibile, consequenter caret modo ad eas demonstrandas, addunt tamen esse scientiam ratione objecti principalis, qui est Deus, & ratione partium subjectivarum ipsius entis, quia talium passiones sunt de ipsis demonstrabiles per suas definitiones; hanc etiam tenet Saxius tom. 1. suæ Catast. quæst. 2. art. 3.

Alii vero communiter concedunt passiones entis esse de ipso demonstrabiles; sed quo pacto id fieri possit, non eodem modo declarant; qui enim præcedenti quæst. asserebant passiones entis esse *inter se essentialiter ordinatas, dicunt passiones posteriores* esse de ente demonstrabiles per priores, ut bonitatem per veritatem, & hanc per unitatem, ita Ant. And. Tromb. & Zerbius ibi citati, & sequitur Soncin. 4. Metaph. qu. 17. Quod si quæras ab istis de prima passione, num sit demonstrabilis de ente. Affirmant aliqui demonstrari posse, non quidem per aliquam priorem, cum ipsa supponatur esse omnium prima, sed per conceptum quidditativum entis. Negant alii, propterea quod nec ens, nec talis prima passio definiri possunt, sed omnino simpliciter simplices conceptus habent, unde fit, ut prima passio remaneat indemonstrabilis, ita tenet Ant. And. quem sequitur Soncin. loc. cit. Alii vero negantes talem ordinem inter passiones entis absolute asserunt esse demonstrabiles per rationem ipsam entis; ita tenent Lichet. & Paulus Scriptor q. 3. prolog. & 1. d. 39. quos licet in hoc Bargius appellet frivolos Scotizantes, postea tamen constabit scotizare melius ipso; & hæc est communis *Recentiorum sententia*, quam sequitur Suarez disput. 3. Metaph. sect. 3. Pasqualig. disp. 3. sec. 2. num. 8. & alii passim.

45 Dicendum primo, passiones entis esse de ipso demonstrabiles. Hæc Conclusio expresse traditur a Doctore in prolog. Met. ubi ait proprium esse hujus scientiæ demonstrare per causas universales passiones universalissimas, & per essentialia cujuslibet, non inquantum hoc, sed inquantum entia sunt; & qu. 3. prol. ad 3. 1. quæst. ubi ait, opus non esse, principia scibilis esse principia in se ipsius subjecti, quia entis, inquantum ens, quod ponitur subjectum Metaph. nulla sunt principia; quia tunc essent cujuslibet entis; sed oportet cujuslibet subjecti *esse* principia, per quæ demonstrentur ejus passiones de eo, ex quibus principiis, tamquam ex mediis demonstrationis, formantur principia complexa, sicut propositiones per *se notæ*; hoc modo cujuslibet subjecti possunt esse principia quantumcumque imprincipiati respectu suarum passionum; hæc Doctor, quibus aperte docet, *ens habere passiones* de ipso demonstrabiles. Et rursus ibidem in solutione ad 2. 2. quæst. collat. habet, quod Metaph. non est de Deo, tamquam de primo subjecto, quia præter rationem scientiæ pertinens, sed solum addit, quod sit talis scientia, quæ ad suas conclusiones procedat ex primis principiis, ac altissimis causis; Tum quia, ut bene notavit Trombet. cit. 4. Metaphysic. qu. 4. cum de ratione formali scientiæ, ut sic, sit esse habitum, quo cognoscuntur conclusiones per principia demonstrativa; sive demonstratio procedat ex causis inferioribus, sicut est in scientia, quæ distinguitur contra sapientiam, sive ex causis altissimis, sicut est sapientia, constat quod principia demonstrativa reperiuntur tam in causis altissimis, quam in inferioribus, & ex consequenti, quod habitus, qui est sapientia, est etiam scientia prout scientia est ille habitus, quo assentitur conclusioni deductæ ex principiis necessariis, & per se.

Ultimum absurdum, quod ex opposita sequitur opinione, est, quod Metaphysica, nedum non esset omnium scientiarum præstantissima, ut ait Arist. sed potius esset omnibus vilior, & deterior; Probatur consequentia, quia perfectionis est in quacumque scientia, quod in ipsa demonstrentur affectiones de suo proprio, & adæquato subjecto dicente Arist. 1. Post. una scientia est unius generis, subjecti partes, & passiones ejus considerans, ergo si id non potest facere Metaph. ut inquiunt Adversarii, fatendum est esse facultatem omnibus aliis deteriorem, atque viliorem, ac proinde jure merito carpit eos Ant. And. loco cit. quod Metaphysicam vilificent, dum ea negant demonstrare posse affectiones de suo adæquato subjecto, maxime cum ipsa consideret prima principia demonstrationis, quibus utuntur aliæ *scientiæ* demonstrantes, ut patet ex 4. & 6. Met.

47 Dicendum secundo passiones entis posse de ipso variis modis demonstrari. Et quidem primo demonstrari possunt per rationem, & conceptum quidditativum ipsius entis, ut manifeste Doctor innuit q. 3. prol. cit. nam est præcipua subjecti scientiæ conditio, quod per ejus, quod quid est, affectiones de ipso demonstrentur, cum igitur ens sit subjectum Metaph. adæquatum, consequens est, ut de ipso demonstrentur propriæ affectiones in Met. per ejus quod quid est. Tum quia illud quod est prius altero naturaliter, quod quidem alterum ab ipso essentialiter dependet; potest esse medium sciendi posterius naturaliter, sed ratio entis, & affectiones entis ita se habent, quod ratio entis naturaliter est prior affectionibus, & istæ essentialiter ab illa dependent, ergo ratio entis vere poterit esse *medium* ferendi, & demonstrandi affectiones de ipso. Conf. & est a ratione deducta ex Doctore loc. cit. quia in qualibet scientia dantur principia, ex quibus demonstrative procedit ad suas conclusiones, ergo hoc idem concedendum est Metaph. dum scientifico modo ens considerat, ut suum proprium, ac adæquatum objectum, ne igitur detur processus in infinitum, sistendum est in aliquo primo principio indemonstrabili, & universali, intra seriem demonstrationis ostensivæ; de qua hic loquimur, sed plane hoc principium primum in tali demonstrandi genere desumi non potest, nisi ex definitione, aut explicatione ipsius entis, quia ipsum est omnium primum intra abstractionem Metaphysicam, & est radix & causa saltem virtualis harum passionum; ergo sicut in aliis scientiis ex quidditate objecti demonstrantur passiones, ita etiam dum Metaph. circa ens versatur, debet ex quidditate ejus demonstrare ipsius passiones, tamquam ex radice, ex qua proveniunt, & per quam ipsi conveniunt, unde unitas v.g. ita poterit de ente demonstrari per ejusdem essentiam, quod habet essentiam, habet quoque indivisionem ejusdem essentiæ, atque *ideo unitatem*, alioquin essentiam non haberet, sed ens essentiam habet, ergo & indivisionem ejus, & sic de aliis passionibus.

48 Dices in his, & similibus demonstrationibus majorem propositionem non esse conclusione notiorem, & minorem esse prorsus identicam, & ideo non esse bonas demonstrationes, & ostensivas, quia ex tribus terminis non constarent, neque ex notioribus essent. Contra, quia licet transcendentia proprie definitionem non habeant, tamen eorum quidditas potest a nobis terminis clarioribus notificari, ac declarari, cum nulla ratio sit adeo abstracta, quin per aliorum terminorum declarationem adhuc magis nobis innotescere possit; ergo hoc sufficit, ut major propositio sit notior conclusione, & minor non sit omnino identica, atque ideo constituere possint *demonstrationem ostensivam*, quæ aliquam scientiam a priori de passionibus entis parere sit apta. Confirmatur, quia ut dixi disput. 1. Logic. quæst. 4. art. 2. *loquendo de distinctione definitionis a definito*, ne propositio sit identica, sufficit, ut idem confuse, & inadæquate conceptum dicatur de seipso adæquate concepto, vel e contra idem clarius conceptum dicatur de seipso confuse concepto; & ne petatur principium; sufficit ut per rem distincte cognitam probetur eidem confuse cognitæ aliquid convenire; sed hoc totum contingit in proposito, cum enim passiones de ente demonstrantur, assumitur namque pro medio conceptus ejus quidditativus constans clarioribus terminis; ergo satis est ad conficiendam demonstrationem, qua ostensive passiones entis de ipso probentur, licet non interveniat definitio proprie dicta, qua carent transcendentia. Tum quia ex ibi dictis etiam quando in demonstratione assumitur pro medio definitio proprie dicta, hæc utique non differt a definito penes rem significatam, sed tantum penes modum significandi, quia quod definitum significat confuse, hoc ipsum significat definitio distincte 1. Physic. text. 5. ergo si hæc differentia sufficit, ut definitio, & definitum sint diversi termini in demonstratione, & ut major sit notior conclusione, neque in conclusione petatur principium, etiam suo modo valebit *in proposito*, quia quidditas entis distinctius declaratur per ejus conceptum quidditativum, quo dicimus esse illud, cui non

non repugnat esse quam per purum nomen entis. Tum quia in communi sententia etiam prima rerum genera proprie non definiuntur per genus, & differentiam, & tamen adhuc passiones de illis demonstrantur per suos conceptus essentiales, ergo ad demonstrationem conficiendam satis est, quod medius terminus *clarioribus terminis eundem conceptum* explicet, quem minor extremitas importat confuse, hoc enim tantum sufficit, ut connexio majoris extremitatis cum medio termino nobis notior sit, quam connexio ejusdem majoris extremitatis cum minori in conclusione, ideoque vere causa esse possit nobis inferendi, & cognoscendi conclusionem.

Denique supposito ex prima conclusione passiones entis esse demonstrabiles, necessario fateri debemus, posse ipso demonstrari per ejus quodquid est; Probatur consequentia, quia si dicas unam passionem per aliam demonstrari, & posteriorem per priorem; quæro de prima omnino passione, an sit *demonstrabilis*, nec ne; non secundum, hoc enim directe impugnant rationes allatæ pro prima conclusione; Si dicas esse demonstrabilem; *cum hoc esse non possit* per adhuc aliam priorem passionem, quia conceditur hæc esse prima omnium; non aliud remanet dicendum, quam demonstrari posse per ipsam rationem entis; quod si semel hoc admittitur de prima passione, pari ratione idipsum de cæteris asseri poterit, ac debebit.

49 Deinde concedi etiam potest, si detur ordo prioris, & posterioris inter passiones entis, ut probabile esse diximus nu. 40. passionem posteriorem posse per priorem demonstrari; quandocunque enim datur talis ordo inter plures ejusdem subjecti passiones, tamquam probabile docet Doctor passionem posteriorem posse demonstrari per priorem quæst. 1. prolog. & 3. d. 14. qu. 2. & 4. d. 11. quæst. 3. & quol. 14. art. 3. Verum tamen est nullam ex his demonstrationibus esse propter quid; & a *priori simpliciter*, & absolute loquendo, ut dictum est dispur. 13. Log. q. 2. art. 2. & ratio est, quam ibi attulimus, quia vel ordo prioris, & posterioris inter plures passiones ab eodem subjecto fluentes est tantummodo quasi effectuum ab eadem causa, ut regulariter contingere solet, & tunc certum est, cum passio prior assumitur ut medium ad demonstrandam posteriorem, non conficere veram demonstrationem propter quid, & a priori, quia omnis talis demonstratio esse debet per veram & propriam causam, nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo, aut formalem, aut saltem virtualem, itaquod medium assumptum pro aliqua passione demonstranda sit illius causa physica, vel Metaphysica, aut saltem taliter se habeat in ordine ad illam, quod si ea causaretur, non nisi ab illa causa proveniret, quæ pro medio assumitur, ut explicatum est part. 2. instit. Logic. tract. 1. cap. 4. si ergo prior passio non est causa posterioris in essendo, sed tantum in cognoscendo, non efficit demonstrationem propter quid, & a priori, sed potius quia, & a posteriori, quia est per causam tantum in inferendo, & in cognoscendo. At si passiones inter se servant ordinem prioris, & posterioris etiam in ratione causæ, & effectus, itaut posterior dimanet a subjecto mediante priori, neque adhuc posterior potest per priorem demonstrari propter quid, & per demonstrationem potissimam, quia licet una passio sit causa alterius nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo, adhuc tamen talis demonstratio non foret ex immediatis, ut loc. cit. in Logica diximus disp. 14. q. 2. art. 2. quia prima passio non faceret cum subjecto propositionem immediatam, cum & ipsa de subjecto demonstrari possit per rationem ejus quidditativam; Cum igitur in proposito nostro, si inter passiones entis reperitur aliquis ordo, non sit proprie causalis, sed potius quasi effectuum ab eadem causa, ut dictum est num. 38. vel si est causalis, prima tamen passio adhuc demonstrabilis sit per rationem quidditativam ipsius entis; sequitur, sic demonstrando de ente unam passionem per aliam, confici non posse demonstrationem in rigore propter quid, & a priori; quia vel demonstratio non erit per causam, vel saltem non erit ex immediatis; unde ut tales demonstrationes essent propter quid, & a priori, defendi deberet cum Ant. And. passiones entis esse invicem ordinatas in ratione causæ, & effectus, & primam passionem esse de ente indemonstrabilem, & cum subjecto efficere valde difficile tueri; cum unaquæque passio universaliter loquendo de suo *proprio subjecto demonstrari* possit per ejus definitionem, aut conceptum quidditativum.

50 Postremo probari, & demonstrari possunt passiones de ente etiam per illud primum principium Metaphysicum, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, illud enim tantæ virtutis est, ut energia sua valeat nedum conclusiones, & alia principia confirmare per deductionem ad impossibile, ut dictum est dispur. præced. quæst. 4. sed etiam propter quid, & a priori; potest autem præsertim deservire ad demonstrandam primam passionem de ente, quæ est Unitas, & de qua est major difficultas; aliæ enim passiones demonstrari possunt una per aliam, posterior nempe per priorem, unitas autem cum sit omnium prima, nequit hoc pacto demonstrari de ente, unde si negetur posse demonstrari per conceptum entis quidditativum, nulla alia restat via ipsam demonstrandi, nisi per præfatum primum principium in ipsam ratione entis fundatum; ex eo namque quod in ratione entis fundatur, assumi potest ad demonstrandam primam passionem, ut pote quia per ipsum causam habemus hujus primæ passionis; potest autem sic erigi demonstratio, quocumque quod non est ens divisum, & sic consequenter unum; talis enim divisio, ac indivisio importatur, & datur intelligi per unitatem entis, sed ratio entis per se primo rem a non ente dividit, eamque in *seipsa indivisam reddit*, quia idem nequit simul esse, & non esse, ergo facit unum, & indivisum in se. Ex eo igitur, quod illud primum principium in ratione ipsa entis immediate fundatur, & radicatur, constat, quo pacto deservire potest ad demonstrandam a priori primam passionem de ente, casu, quo negaretur, quod possit demonstrari per ejus conceptum quidditativum, ut de facto quamplures negant. Hoc autem negant, non quia omnis prima passio sit demonstrabilis de suo primo subjecto, sed solum quia ens habet conceptum simpliciter simplicem, ubi enim subjectum habet conceptum sui expressiyum resolubilem in priores conceptus, qui distincte exprimunt, quod subjectum confuse exprimit, tunc per rationem subjecti, tamquam per medium notius, & distinctius bene concedunt *posse primam affectionem* demonstrari de suo subjecto primo sine petitione principii, aut assumptione propositionum identicarum.

51 In oppositum arguitur passiones entis non esse *de ipso* demonstrabiles, quia duplici tantum via potest aliqua passio demonstrari a priori de suo subjecto, vel scilicet per ejus definitionem, quæ solet esse medium in demonstratione potissima, vel si sunt plures passiones ab eo ordinate fluentes, poterit una demonstrari per aliam; at neutro modo possunt passiones entis de ipso demonstrari, ergo &c. Major patet a sufficienti divisione, uno enim, vel altero ex illis modis utuntur, qui tuentur passiones entis esse demonstrabiles; Probatur minor quoad utramque partem, nam ut constat ex præcedenti quæstione, passiones entis omnes, & singulæ æque primo ab ente dimanant; & si datur inter eas ordo prioris, & posterioris, nequit esse causalis, sed tantum plurium effectuum ab eadem causa, atque *ideo prior* nequit esse causa inhærentiæ *posterioris*, neque consequenter erit demonstratio propter quid, & a priori, ubi præmissæ debent esse causa conclusionis, non solum quoad illationem, sed etiam quoad inhæsionem prædicati cum subjecto; vel tandem si talis ordo causalis inter illas reperitur, saltem omnino prima remanet indemonstrabilis; Quod autem neque valeant demonstrari per conceptum entis quidditativum probatur, quia demonstratio debet esse ex notioribus, unde rite passio demonstratur de suo subjecto, quando tale subjectum veram, & propriam habet definitionem, quia definitio per genus, & differentiam exprimit distincte, quod definitum importat confuse; at quando subjectum non est definibile, sed habet conceptum simpliciter simplicem, ut est in proposito de ente, non potest ex hoc capite passio demonstrari de subjecto, qua de causa Doctor 1. d. 39. lit. C. & 2. d. 12. q. 1. D. inquit, affectiones entis esse de ente indemonstrabiles; quia ens non habet definitionem, sed conceptum simpliciter simplicem. Tum quia si omnes, & singulæ passiones entis de ipso demonstrantur per ejus conceptum quidditativum, tunc demonstratio non erit ex propriis; si enim assumatur ut medium ad probandum, quod ens est unum, est verum, est bonum, & sic de aliis disjunctis, tunc non erit unaquæque passio ex causa propria, quæ sibi soli competat, demonstrata, & sic non erit ex propriis, sed ex communibus.

52 Resp. negando minorem quoad utramque partem, utraque enim via possunt de ente demonstrari, ut diximus; & præsertim prima via satis erit idonea, si passiones entis ab ipso ordinate fluunt a parte rei, quod non esse prorsus improbabile diximus; vel saltem ita explicentur a nobis, ut una conveniat enti *mediante alia*, quamvis re vera fateamur tales demonstrationes non esse propter quid, & potissimas, quia saltem una propositio semper erit mediata, nempe illa in qua prima passio enuntiatur de subjecto; illa namque non omnino indemonstrabilis remanebit, sed ostendi poterit a priori de ipso ente vel per ejus rationem quidditativam, vel per primum principium Metaphysicum in entis ratione fundatum ex dictis nu. 30. Possunt alia via demonstrari, quæ est magis utique propter quid, & a priori, nempe per conceptum entis quidditativum, quamvis enim propria careat definitione, adhuc tamen conceptus ipse quidditativus entis traditur, & significatur per clariores terminos, quam ipsa entis quidditas incomplexe significetur, quod sufficit, ut connexio majoris extremitatis cum medio termino notior sit nobis quam connexio ejusdem majoris extremitatis cum minori in conclusione, ideoque vere causa esse possit inferendi, & cognoscendi conclusionem, ut dicebamus num. 48. absque eo quod petatur principium vel assumantur identicæ propositiones. Doctor autem loc. cit. cum ait passiones entis esse indemonstrabiles, quia non habet ens definitionem, quæ solet esse medium in demonstratione, satis constat, ipsum loqui de demonstratione potissima in omni rigore, quæ scientiam simpliciter parit in intellectu res adæquate concipiente, qualem *concedimus non generari* per demonstrationem, in qua assumitur, ut medium ad demonstrandum, conceptus ipse quidditativus entis, qui licet clare, & distincte explicet quidditatem entis, non tamen ita clare, & distincte per partes; sicut definitio solet explicare definitum. Ad illud tandem, quod addebatur, negatur consequentia, quod tales demonstrationes non erunt ex propriis, cum enim dicitur demonstratio esse ex propriis, ita intelligi debet, ut principia sint causæ per se immediatæ, proximæ, & necessariæ passionis, & conclusionis, non autem remota, & mediata, quia tunc non essent propria; quare si contingat ab eodem subjecto immediate plures pendere passiones, nullum est inconveniens, quod

quod omnes, & singulæ demonstrentur per illam causam, cum sit omnium causa proxima, & immediata; & sic in proposito dicitur, nullum esse inconveniens, quod unum, verum, & bonum & si aliæ sunt entis passiones, de ipso demonstrentur per conceptum ejus quidditativum, neque hinc sequitur, tale medium esse commune, & non proprium.

53 Hanc etiam eandem tenet sententiam Sminsing. tr. 3. de Deo uno disp. 1. qu. 1. n. 23. ubi ait, quod cum Doctor cit. 2. d. 12. q. 1. negare videtur passiones entis posse de ipso demonstrari per conceptum ejus quidditativum, loquitur de demonstratione a priori prestissime sumpta, quæ pro medio assumit definitionem subjecti; non tamen negat Scotus, quin latius loquendo de demonstratione a priori, quæ pro medio assumit quidditativum conceptum subjecti, sive ille sit definitivus, sive simpliciter simplex, possit passio entis in communi de ente in communi a priori demonstrari idest cognosci inesse enti immediate per suam quidditatem simpliciter simplicem tanquam subjecto passionem. Hic tamen notandum est, quod Saxius advertit disp. 11. q. 5. art. 5. n. 112. quod aliud est dicere passiones entis esse demonstrabiles, idest aptas natas, quantum est ex se, de ente demonstrari, & aliud ipsas actu, & de facto demonstrari, sicut de facto mobilitas demonstratur de corpore naturali, quamvis igitur propter difficultates allatas ambigeret quis passiones entis posse de ipso modo de facto demonstrari, hoc tamen non tollit, quin sint demonstrabiles simpliciter, & absolute loquendo, saltem ab intellectu separato, per quod sufficienter salvatur dignitas Metaph. quia habet passiones de suo subjecto demonstrabiles, licet a nobis pro statu isto nequeant demonstrari.

54 Quæri solet, quo pacto de ente demonstrentur passiones disjunctæ. Ad hoc ait Doctor 1. d. 39. §. *quantum ad* 1. aliud esse loqui de toto disjuncto, & aliud de altera parte disjuncti, nam si de toto disjuncto sit sermo, idem prorsus dicendum est, quod de simplicibus, quod nempe sit demonstrabile, vel indemonstrabile a priori; at si loquimur de altera parte disjuncti, tunc rursus distinguendum est de membro perfectiori, vel imperfectiori, & si de primo sit sermo, utique potest per aliud membrum imperfectius concludi, & demonstrari; si enim datur ens finitum, dependens, contingens, atque participatum, dari quoque oportet necessario ens infinitum, independens, necessarium, ac imparticipatum, quia in talibus non posset enti particulariter inesse imperfectius extremum, nisi alicui enti ineffet perfectius extremum, a quo dependeret; at si locutio fiat de membro imperfectiori, & ignobiliori, sane nequit hoc extremum imperfectius, & ignobilius concludi, & demonstrari per extremum perfectius; non enim si perfectius est in aliquo ente, opus est imperfectius esse in alio ente, ut quod si datur ens infinitum, independens, & necessarium, detur itidem ens finitum, contingens, & dependens, nisi forte illa disjuncta extrema essent correlativa, quemadmodum se habent producens, & productum, causa, & causatum, ita Doctor loc. cit. 1. d. 34.

55 Quæri tandem solet de omnibus passionibus entis in universum sumptis, an enti accidere dicantur; Et breviter respondendum est, accidens dupliciter sumi posse ex Doctore 1. d. 2. qu. 7. & alibi frequenter, vel physice pro accidente de novem prædicamentis, unde dici solet accidens prædicamentale; vel Metaphysice pro extraneo, & dici solet accidens prædicabile, quo pacto accidens dicitur omne id, quod est extra quidditatem illius, cui accidit, dicitque rationem aliquam extra rationem formalem subjecti, & hoc modo passiones dici solent accidentia sui subjecti. Itaque si accidens primo modo sumatur, scilicet physice, negandum est passiones accidere enti, siquidem sunt ei realiter identificatæ, ac unam, & eandem realiter naturam dicunt cum ipso ente ex 4. Metaph. tex. 3. immo in hoc sensu nulla passio universaliter loquendo accidit proprio subjecto, quia omnis talis in schola nostra identificatur cum eo; at loquendo de ente Metaphysice, sic passiones entis enti dicuntur accidere, & universaliter quælibet passio accidit proprio subjecto, quia non intrant definitionem, aut conceptum quidditativum ejus, & universaliter loquendo posterius semper dicitur accidere priori, passio autem semper est posterior suo subjecto, cum ab ejus intrinsecis principiis fluat, & dimanet; ita docet Doct. 2. d. 3. q. 4. in fine.

DISPUTATIO QUINTA.

De passionibus simplicibus entis, scilicet Unitate, Veritate, & Bonitate.

Hactenus circa passiones entis in communi versati sumus, contemplando nimirum earum qualitatem, ordinem, distinctionem, & numerum, ac demonstrabilitatem; nunc ad considerationem earum in specie, & in particulari descendere opus est. Quoniam vero proprietates entis simplices, seu incomplexæ; ut sunt Unitas, Veritas, & Bonitas, complexis, & disjunctis præferri solent, prius de illis sermonem instituemus in hac disp. postmodum de aliis in sequenti. Et tandem quia passiones ipsæ simplices saltim secundum id, per quod a nobis explicari solent, ita invicem ordinantur, ut Unitas Veritatem, & Veritas Bonitatem præcedat; omnes & singulas simul in hac eadem Disput. complectendo, prius de Unitate erit sermo, deinde de Veritate, postremo de Bonitate.

QUÆSTIO I.

An Unitas sit vera, & adæquata passio entis.

Irandulanus lib. de ente, & uno, & Scaliger. lib. de subtilit. exercit. 65. referunt, Platonem negasse unum esse veram, & propriam entis passionem, dicebat namque quod licet omne ens sit unum, non tamen omne, quod est unum, est ens, nam Deus apud ipsum erat unus, nec tamen erat ens, pariter materia prima erat una, nec erat ens, unde concludebant unum latius patere, quam ens. Sed quicquid sit de Platonis sententia, ac Sectatorum ejus in hac re, certum est neque ex Peripateticis deesse, qui absolute negent Unitatem esse passionem entis adæquatam, si seorsim, & absolute sumatur; ajuntque unum, & multa simul sumpta esse passionem entis adæquatam, & neutrum ipsorum seorsim cum ente adæquari; ita Vasq. 1. p. d. 128. cap. 3. Fonsec. 4. Met. cap. 2. q. 5. sect. 7. & quidam Recentior suppresso nomine relatus a Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 4.

Dicendum tamen est, Unitatem esse passionem entis adæquatam, & cum ipso adæquate converti, adeo ut omne, quod est ens, sit unum, & omne quod est unum, sit ens. Conclusio est communis omnium Physosophorum, & præsertim Peripateticorum, quam ex professo docuit Arist. 4. Metaph. text. 3. ubi ait: *ens & unum idem, ac una natura sunt, propterea quod seinvicem sequuntur*, & lib. 10. Metaph. tex. 7. inquit, *dicuntur autem æqualiter ens, & unum*, & tex. 8. sequitur in eandem rem, *quod autem idem quommodo significat unum, & ens, patet etiam ex eo, quod æqualiter sequitur prædicamenta, & in nullo est, nec in ipso quid, nec in ipso quale, sed similiter se habet sicut ens*; & hoc ipsum docuit D. Dionys. de divinis nominibus cap. ult.

Probatur etiam ratione, quia sicut cujuscunque entis in specie unica essentia est, ac unica ratio, sic etiam entis in genere; alioquin non jam ens esset, sed entia; ergo unum est proprietas ab ente inseparabilis, ac illi prorsus adæquata, itaut impossibile sit concipere aliquid ens, aut per modum entis, nisi illud idem unum, aut per modum unius concipias, alioquin non ens, sed entia conciperentur; constat ergo vel ex ipso nomine entis, quod quicquid est ens, est unum, quia si non unum est, sed plura, vel multa, jam non est ens, sed entia. Sic etiam e diverso unum ex parte sua adæquatur cum ente, unum namque illud dicitur, quod est in se indivisum; ut inferius constabit ex ipsa Unitatis definitione, sed ideo aliquid dicitur indivisum, quia suum esse habet indivisum, ergo omne indivisum, & unum est ens. Unde unitas sumitur in præsenti pro indivisione ejus, quod est, in plura quæ sunt, nempe entis in plura entia, in quo quidem significato ens, & unum reciprocantur, sicut e contra reciprocantur multa, & entia.

2 Secundo illa est propria passio alicujus subjecti cum omni rigore, quæ convenit omni, soli, & semper, sed ita est de unitate respectu entis, convenit enim omni enti, soli enti, & semper, ergo &c. Major patet ex cap. de Proprio, probatur minor, & primo quod competat omni enti, nam omne ens reale vel est simplex, vel compositum; si est simplex, jam habet unitatem simplicitatis, merito cujus non solum est actu indivisum, sed etiam est indivisibile in plura, quia non constat ex diversis partibus, in quas dividi possit; si vero est compositum, jam habet unitatem compositionis; per compositionem enim, cum fit ex per se actu, & per se potentia, fit vere per se unum, ut Doctor ostendit 3. d. 2. q. 2. ut magis postea declarabitur; tum quia esto compositum possit in suas partes dividi, ex quibus componitur, per sui dissolutionem tamen quamdiu manet

manet compositum, semper manet actu indivisum, atque ideo unum. Item omne ens, aut omnis natura, vel est singularis, & individua, vel communis (nam præter singularia concedendas esse naturas communes in singularibus existentes inferius suo loco disp. 8. demonstrabitur) si est singularis, habet suam unitatem singularem, quæ inter omnes unitates est maxima; si est communis, habet suam unitatem formalem, quæ est quædam unitas, utique minor unitate individuali, sed major unitate universali, quam non habet natura communis a parte rei, sed tantum per intellectum præcisa a suis singularibus; cum ergo unicuique enti propria conveniat unitas suæ naturæ, ac conditioni proportionata, ut peculiaris ejus passio, sic de unitate in communi hinc inferendum erit, quod sit passio entis, ut sic, & in genere; si namque unitas particularis, & determinata est passio determinati entis, consequens est, ut unitas illimitata, & transcendens sit passio entis transcendenter sumpti. Quod etiam conveniat unitas soli enti reali, de quo hic est sermo, satis de se constat; nam non ens, seu ens rationis non dicitur proprie unum, sed tantum secundum quid, & beneficio entis realis, a quo sicut entitatem mutuatur, cum concipitur ad modum ejus ab intellectu, ita & unitatem, quæ tamen non est vera unitas, sicut nec entitas entis rationis, in qua proxime fundatur; unde sicut fictam habet entitatem, ita unitatem quoque fictam; Denique unitas competit enti semper, quia quamdiu retinet rationem entis, retinet etiam rationem unius consequenter; ergo re vera nil ei deficit, quin sit vera, ac adæquata proprietas entis.

Tertio prædicatum per se conveniens alicui, necessario ac indispensabiliter, vel ei convenit in primo modo, ut prædicatum ejus quidditativum, vel in secundo modo, ut ejus propria passio, sed unitas convenit enti per se, & necessario; nam hæc propositio, *ens est unum*, est propositio necessaria, quæ falsificari non potest, quia quamdiu res est ens, est una; non convenit autem enti, ut prædicatum ejus quidditativum, & constitutivum, ergo ut propria passio. Major constat ex 1. Post. cap. 4. Probatur minor, quoad 2. partem, quod nempe unitas non sit prædicatum quidditativum entis, quia primus omnino conceptus entis, quo essentialiter constituitur in esse, est ille, qui explicat ens, prout habet esse in seipso, vel prout ipsi non repugnat habere esse in rerum natura, unde sola ratio essendi præcise est intrinsecum ejus constitutivum; unitas vero non intrinsece, & essentialiter constituit ens in esse entis, sed potius modificat ipsum esse intra rationem formalem essendi, quatenus reddit illud esse in se indivisum, & a quocumque alio divisum; Tum quia conceptus quidditativus entis, ut sic, cogitatur, velut absolutus, nam facit rem absolute in se esse præscindendo ab omni ordine ad aliud; at conceptus unitatis est relativus saltem concomitanter, quatenus ad esse indivisum in se consequitur esse a quocumque alio divisum, quod nequit intelligi sine ordine ad aliud, ut postea constabit explicando definitionem unitatis. Tum quia cætera omnia entia, ut dictum est, habent singula unitatem sibi proportionatam, nec tamen eis convenit, ut prædicatum quidditativum, & essentialiter constitutivum, ergo dicendum est idem de unitate transcendentali respectu entis, ut sic; Probatur assumptum, quia norunt omnes naturam humanam propriam habere unitatem formalem, quia unam speciem constituit in rerum natura ab aliis distinctam, & tamen dum humanitas definitur, non utique definitur per suam unitatem, sed hæc ad ejus essentiam consequitur, ergo idem dicendum de unitate transcendentali respectu entis, ut sic, quod ejus conceptum quidditativum non ingreditur, sed potius ex illo consequitur, ut propria ejus passio; unde ajebat Doctor 2. d. 3. qu. 4. in fine, quod omne ens consequitur propria unitas, non tamen ista unitas est intra formalem rationem quidditatis, ut quidditas est, sed est quasi passio consequens quidditatem.

4 Postremo, si enim considerentur secundum suum conceptum quidditativum ab inferioribus præcisum, licet ex vi ipsius formaliter non intelligatur esse in se indivisum, vel ab alio divisum, quod est esse unum; intelligitur tamen esse tale concomitanter, itaut esse indivisum sit necessario connexum cum ejus quidditate: ergo unitas convenit enti in secundo modo dicendi per se, ut propria ejus passio. Consequentia patet, quod enim convenit alicui ex vi sui conceptus quidditativi non quidem formaliter, sed concomitanter, hoc ad illud se habet velut ejus propria passio, quæ ad suum subjectum se habet, ut quid consequens ab intrinsecis ejus principiis; Probatur assumptum, nam ens importat tantum in sua quidditate unam simplicissimam rationem formalem, ergo ex vi istius rationis formalis consequenter ens a semetipso excludit omnem divisionem, quia in rerum quidditatibus divisio persistere nequit sine pluralitate rationum formalium, per quas hujusmodi quidditates constituuntur; Si ergo ens ex vi propriæ quidditatis est in se indivisum, adeo ut talis indivisio ad ejus rationem formalem consequitur, sequitur, unitatem esse propriam ejus passionem, cum ipsa per talem indivisionem explicetur, ut infra dicemus.

5 Contra positam conclusionem obiicitur. Primo fundamentum oppositæ opinionis, quod unum, & multa dividunt ens 10. Met. c. 1. cum ergo membrum divisionis non convertatur, & adæquetur cum membro diviso, sequitur necessario unum non converti cum ente; Conf. quia unum, & multa sunt opposita, teste Arist. loc. cit. ergo nequeunt eidem convenire, ergo ens, quod est multa, non est unum, atque ita unum non convertitur cum ente.

Ad hanc difficultatem variæ sunt responsiones; Tatar. 4. Metaph. q. un. dub. 1. ait unum, quod contra multa condividit ens, non esse unum transcendenter sumptum, ut hic sumitur, sed unum prædicamentale, quod est principium numeri, quod utique unum non convertitur cum ente, & sic etiam respondet Faber 4. Metaph. disp. 7. in fine, ubi valde laudat hanc distinctionem de uno transcendenti, & quod est principium numeri, ut utilem ad tollendas varias difficultates circa divisionem entis. Hæc tamen doctrina falsa est, quia unum, & multa in hoc sensu non dividunt ens in tota sua latitudine, sed potius genus quantitatis, ad quod pertinent. Ant. Andr. 4. Metaph. quæst. 3. §. *quantum ad 3. art.* quem sequitur idem Faber 10. Metaph. disp. 2. ait unum, quod convertitur cum ente, posse accipi dupliciter, uno modo communiter, large, & simpliciter, & sic unum est passio unica entis convertibilis cum ente simpliciter; alio modo potest accipi stricte determinate, & secundum quid, & hoc modo opponitur multitudini, & est passio entis non unica, sed disjuncta, & est passio convertibilis cum ente non simpliciter, sed cum disjunctione. Sed quamvis hæc sit communis Scotistarum responsio, tamen apud nullum eorum invenire potui terminorum distinctionis declarationem, quid nempe significet ens communiter, large, & simpliciter sumptum, & quid significet ens sumptum stricte, determinate, & secundum quid; præter quam quod termini distinctionis inter se pugnare videntur; dum enim aliquid sumitur stricte, non sumitur secundum quid, hæc enim particula adhiberi solet ad remittendam, ac dilatandam terminorum significationem, ut cum ens rationis dicitur ens secundum quid, non autem ad restringendam, quia ergo ista distinctio videtur terminis abuti, neque rem declarat, aut est relinquenda, aut melius explicanda, ut postea faciemus. Alii ad evitandam totaliter difficultatem dicunt, quod accipiendo unitatem, prout est adæquata entis passio, non bene dividitur ens in unum, & multa, neque in hoc sensu fuisse ab Aristot. traditam, sed ex una parte accipi debere ens cum unitate, ex alia parte accipere oportet entia cum multitudine, ita quod invicem opponantur unum, & multa, sicut ens, & entia, unde illa non est vera, & propria divisio, sed solum habet quandam similitudinem divisionis, ita Aversa q. 5. sect. 1. & Pasqualig. tom. 1. Metaph. disp. 31. sect. 1. & rursus tom. 2. disp. 4. sect. 3. num. 5. & alii quamplures ex Recentioribus; Aliter adhuc hanc divisionem explicat D. Thomas 1. part. qu. 11. art. 1. ad 2. quam explicationem recipit Suarez disp. 4. Met. sect. 4.

6 Hæc difficultas non potest plene resolvi, nisi ex dicendis disp. 6. de variis divisionibus entis, ubi inter alias hanc quoque divisionem expendemus, & videbimus, an sit vera, ac propria divisio; quantum ad præsens spectat ad solvendam difficultatem distinguendæ sunt variæ unitatis, & multitudinis acceptiones; uno enim modo solent regulariter accipi multitudo quidem pro numero de prædicamento quantitatis, & unitas pro principio talis numeri, & hoc modo non sufficienter dividunt ens in communi, ut diximus; imo loquendo de unitate transcendentali, de qua hic est sermo, fert communis opinio, numerum quoque quemlibet propriam habere unitatem. Secundo modo sumitur pro unitate entis stricta, quo pacto unum dicitur id, quod non solum divisione actuali in se caret, sed etiam aptitudinali; & multitudo e contra accipitur secundum quid, quo pacto convenit illi, quod licet non sit actu divisum, potest tamen in plura dividi, qua ratione dicitur multa secundum quid, & hoc modo unum, & multa dividunt ens per se communissime sumptum, sed unum in hoc sensu non est id de quo hic loquimur, scilicet transcendentale, quod cum ente convertitur, immo multitudo hoc modo sumpta, sicut vere ens est, ita & vere una entitas entis. Tertio modo unum sumitur communiter, & large prout dicit omne id, quod actuali divisione in se caret, & multitudo opposita accipitur stricte, & simpliciter, scilicet pro divisis actu, & hoc modo solum unum cum ente convertitur, & solum unum est passio transcendentalis entis; multitudo vero, quia non est simpliciter ens, sed entia, ideo nec cum uno dividit ens per se, nec entis per se, & simpliciter participat rationem, atque ideo nec una est unitate, quæ est passio entis adæquata. Quarto tandem modo unum sumitur communissime, prout extenditur ad omnem unitatem, sive per se, sive per accidens, & hoc modo non habet multitudinem oppositam, nisi aliqua sint adeo inter se improportionata, ut ex ipsis unum per accidens fieri nequeat; & hoc modo sicut multitudo est ens per accidens, ita est unum per accidens, sed talis unitas non est passio transcendentalis entis, de qua hic est sermo; nec talis multitudo cum tali uno dividit ens per se, quod est objectum Metaph.

7 Ex his itaque facile est ad argumentum cum sua conf. occurrere, nam si in argumento unum significet unitatem entis strictam, quo pacto solum dicit id, quod non solum actuali divisione in se caret, verum etiam & potentiali; multa vero membrum illi oppositum significat multitudinem secundum quid ejus, quod cum in se divisione actu careat, non caret tamen potentia, unde secundum quid plura est; & tunc esto unum, & multa ens reale per se sufficienter dividant, & disparate saltem opponantur, tamen nihil contra positam conclusionem infertur, ubi sermo est de unitate, & uno transcendenter sumpto, quommodo significat omne id, quod divisione actuali in se caret. Si vero unum accipiatur large, & communiter, prout dicit omne id, quod divisione actuali in se caret, & multa significet multitudinem simpliciter eorum, quæ actu divisa

sunt, quo pacto positive, & contrarie opponuntur, tunc etiam nihil contra conclusionem infertur, quia multitudo, ut sic, non est ens simpliciter, sed entia, & est ens tantum secundum quid, & ideo cum uno transcendenter sumpto non dividit ens reale, per se, simpliciter, cum quo unitatem transcendentalem dicimus converti, sed dividunt solum ens communissime acceptum ad ens per se, & ad ens per accidens; quare ad summum argumentum illud cum sua conf. probat, quod unum transcendentale non convertitur cum ente sic communissime sumpto, quod gratis conceditur; sed numquam inferri potest, quod non convertatur cum ente reali simpliciter, quod ponitur objectum Met.

8 Secundo arguitur, quia passio est posterior natura suo subjecto, cum ad ejus essentiam consequatur, & ex principiis ejus intrinsecis fluat, at unitas neutiquam est posterior ente; ergo non est ejus passio; major patet, probatur minor, quia passio omnis universaliter loquendo supponit suum subjectum constitutum in proprio esse, ac consequenter unum, quia unitas imbibitur in esse cujuscumque. Deinde quia si ens præcedit unitatem, ut principium ejus, vel in illo priori naturæ ens est unum, vel multiplex; si primum, habetur intentum; si secundum, ergo per passionem unitatis supervenientem non posse fieri unum, quia supponitur ex natura sua multiplex; tum quia in illo priori est in se indivisum ex vi proprii conceptus, ergo non erit multiplex, sed unum.

Resp. negando minorem, ad primam probationem verum est, cæteras passiones suum subjectum supponere unum, quia supponunt illud esse ens, cujus unitas est propria passio, quemadmodum etiam diceremus risibile supponere hominem esse sensibilem, vel corporeum, quia supponit illum esse animal, & corpus; at non ita dici potest de passionibus entis, quia cum sint omnium primæ, nequeunt ens supponere, nisi in suo esse essentiali constituto per suum conceptum quidditativum; & hoc quidem verum est universaliter de quacumque passione, quod suum subjectum supponit in suo esse constitutum, idest in suo esse essentiali, ac quidditativo. Ad aliam probationem dicendum idem argumentum fieri posse in cæteris passionibus, si enim homo risibilitatem natura præcedit, vel in illo priori est risibilis, vel non risibilis; & sicut ad hoc dici solet hominem in eo priori esse risibilem, non quidem formaliter, quia talis solum denominatur per ipsam aptitudinem formalem ad ridendum, sed fundamentaliter, radicaliter, & exigitive, quatenus tunc intelligitur cum essentia, quæ est principium radicale risibilitatis, & principium exigitivum ejus; ita pariter in proposito dicendum est ens in eo priori esse unum, non formaliter, sed fundamentaliter tantum, & radicaliter, quo etiam modo, & non aliter habet esse indivisum ex vi proprii conceptus.

9 Tertio passio convertitur cum suo adæquato subjecto, sed unitas non convertitur cum ente, ergo, &c. Major patet, probatur minor, tum quia competit his, quæ non sunt essentialiter entia, nempe ultimis differentiis, modis intrinsecis, aliisque passionibus entis, hæc enim omnia suo modo una sunt, nec tamen essentialiter includunt rationem entis ex disp. 2. q. 7. Tum quia si unum convertetur cum ente, ista propositio vera esset, unum tantum est ens, quam tamen Arist. 1. Phys. reprobat contra Parmenidem, consequ. probatur, quia quando aliquid prædicatur de alio convertibiliter, potest de illo prædicari cum dictione exclusiva *tantum*; nam verum est dicere, quod homo tantum est risibilis, & e contra.

Resp. negando minorem, ad 1. probationem dicimus, quod omnia illa in argumento enumerata, sicut realiter tantum, & identice sunt ens, non vero formaliter, & essentialiter, sic eodem prorsus modo, & non aliter, participant unitatem, cæteraque entis passiones, ut loc. cit. dictum est. Ad aliam probationem, conceditur consequentia cum Ant. Andr. 4. Metaph. qu. 3. ad 1. princ. puta, quod ens tantum sit unum, & unum sit tantum ens accipiendo unum proportionaliter cum ente scilicet, si communiter communiter, si particulariter particulariter, nam cum unum sit passio entis, uniformiter accipitur, sicut ipsum ens; cum vero dicebatur id contra Parmenid. reprobari ab Aristot. 1. Physic. ait Ant. And. id bene reprobari, quia Parmenides posuit omnia entia esse unum ens signatum, & particulare secundum rem, & ideo illa improbatio bene valet ad hominem.

Quarto arguit Recentior ille apud Pasqualig. cit. quia fieri potest, quod remaneat eadem entitas, & varietur unitas, itaut talis entitas modo sit una, modo non sit una; ut si accipiatur quantitas bipalmaris, & separetur aliqua pars illius, ut quantitas palmaris; hæc pars, dum est conjuncta, non est unum ens, sed pars unius entis; dum vero est separata, est unum ens, & tamen sive separata consideretur, sive conjuncta, habet semper eandem entitatem, cum ergo varietur unitas manente ente, non potest esse passio illius, quia invariato subjecto remanet invariata passio. Confirmatur, quoniam si quantitas in plures partes dividatur, nulla fit acquisitio, vel deperditio entitatis, & tamen fit variatio unitatis, cum ex una re fiant plures, ergo unitas nequit esse passio entis.

10 Respondet Pasqual. concedendo in separatione partis quantitatis a suo toto fieri mutationem, & variationem in unitate, quæ est passio entis, sed hæc etiam variatio fit in ipsa entitate illius quantitatis, quia sicut illa pars, dum est unita, non est unum ens, sed pars unius entis, ita etiam neque est ens, sed pars entis, quare concludit nunquam variari unitatem, nisi eadem quoque variatio in entitate contingat. Ad Conf. pariter inquit in tali divisione nullam quidem fieri acquisitionem vel deperditionem entitatis, sed neque etiam fit aliqua acquisitio, aut deperditio unitatis; sed tota variatio unitatis est penes separationem, qua una pars unitatis separatur ab alia (ait enim unitatem esse divisibilem in plures, si sit in subjecto divisibili) itaut ex vi hujus separationis consurgant tot una, quot sunt partes; verum eadem variatio fit quoque in entitate, nam per divisionem separantur partes entitatis, & unaquæque pars fit aliquod totum entitativum. Opinor sane hunc virum argumenti solutionem penetrasse, quia est facillima, ipsam tamen apte explicare vel nescivit, vel non curavit, nam in ea multa falsa involvit, & paucis verbis sibi contradictorius apparet; in primis falso concedit in separatione quantitatis palmaris a bipalmari contingere varietatem in unitate, quæ est passio illius palmaris quantitatis, tam enim erat unum ens illa palmaris quantitas, cum alteri conjuncta bipalmare constituebat, quam postea ab ea separata loquendo de unitate entitativa; licet non loquendo de unitate quantitativa; ut aliqua enim moles dicatur sic, una deberet habere præcisionem, & terminationem in seipsa per indivisibilia quantitatis, adeout non sit alteri quantitati conjuncta, cum qua aliam molem singulis majorem constituat, quod totum expresse significavit Doct. 4. d. 11. qu. 4. I. Sed adhuc falsius, & absurdius est, quod subjungit, quod sicut illa pars dum est conjuncta, non est unum ens, sed pars unius entis, ita etiam neque est ens, sed pars entis; quis enim dicat quantitatem palmarem, dum alteri conjuncta bipalmare constituit, non esse ens, quia est pars entis? forte esse partem entis tollit ab ea rationem entis? immo contrarium sequitur, quia ens nequit ex non ente constitui; ergo si quantitas palmaris est pars entis palmaris, debet esse ens, & consequenter unitatem entitativam, quæ est entis passio, participare, & licet quamdiu alteri conjuncta dici nequeat una quantitas, quia unitas quantitativa dicit unitatem præcisionis, itaut non sit cum alia comparte conjuncta, ut ait Doctor loc. cit. dici tamen debet, ac potest unum individuum entis.

11 Dices, quod est ens, debere esse indivisum in se, & divisum a quocumque alio, quo pacto non se habet quantitas illa palmaris; quando cum alia comparte constituit bipalmare. Contra, quia per eam divisionem non intelligitur separatio quantitativa, seu discontinuatio, sed entitativa distinctio, quam adhuc illa palmaris quantitas retinet, cum est alteri conjuncta, & copulata, quia unitas, & distinctio, quæ sunt passiones entis, ex eo sumi debet, ex quo res constituitur in ratione entis, cujusmodi non est terminus extrinsecus, & accidentalis, quale est indivisibile quantitatis, sed intrinsecus, &; ideo sicut a termino intrinseco habet illa palmaris quantitas, quod sit talis, ita habet ejus merito unitatem in seipsa, & distinctionem entitativam a quocumque, quod non est ipsa; unde in quacumque quantitate continua quælibet ejus pars est sic una per propriam hæceitatem. Neque etiam magis solida est solutio, quam affert hic Auctor ad Confir. nam primo concedit in divisione quantitatis nullam fieri variationem in unitate, quod tamen prius concesserat, ac etiam postea in ejusdem Conf. solutione concedit.

Quare ex doctrina Scoti loc. cit. & 2. d. 3. quæst. 4. G. & H. distinguendum est de unitate entitativa, quæ est passio entis, & unitate quantitativa, quæ consistit in terminatione unius quantitatis per propria indivisibilia, vel in præcisione ab alia comparte, cui sit continuata; qua præmissa distinctione negandum est assumptum, si in eo fiat fermo de unitate entitativa, ac ejus probatio, quamvis enim verum sit, quod quantitas palmaris, dum est conjuncta, non est unum quantum, sed pars unius quanti, attamen est unum ens, & simul pars alterius entis, quod est unum totum quantitativum; Et dum separatur, non acquirit novam unitatem entitativam, sed novam quantitativam, quia amittit indivisibilia continuativa; & acquirit terminativa; & ubi per illa dicebatur unita alteri comparti, per ista deinceps dicitur una, & non unita. Ad Conf. pariter dicitur, quod in divisione quantitatis fit variatio quoad unitatem quantitativam, quia ex uno quanto fiunt plura quanta, quorum quodlibet habet rationem totius, quatenus habet propria indivisibilia terminativa, vel præcisionem ab altera comparte, in qua consistit unitas, seu totalitas quantitativa.

12 Postremo, si unitas esset passio entis, quo magis aliquid esset ens, esset etiam magis unum, quemadmodum quod plus entitatis possidet, etiam plus bonitatis habet, quia bonitas est passio entis, oppositum tamen contingere videmus, nam dum quantitas dividitur, aliquid entitatis amittit, illam nempe partem, quæ ab ipsa separatur, non tamen fit minus una, sed potius magis una, quia retinet minorem potentiam ad divisionem.

Ad hoc etiam argumentum satis perplexe occurrit Pasqual. loc. cit. sed breviter dicendum, hoc argumentum quoque in eadem æquivocatione laborare, qua præcedens, de unitate, ac indivisione; cum enim unum dicitur esse indivisum in se, non intelligitur de indivisione tantum in partes, quæ convenit quantitati, quia unitas transcendentalis non in sola tali indivisione consistit, sed ulterius addit in communiori sententia indivisionem negativam, quæ dicit indivisionem plurium talium rerum secundum eam rationem, secundum quam dicitur unum; quomodo quantitas palmaris dicitur unus palmus, quia non continet in se plures palmos, licet contineat plura se-

ra secundum aliam rationem; loquendo autem de ista indivisione, vel unitate falsum est, cum quantitas bipalmaris dividitur in duos palmos; quantitatem palmarem fieri magis unam, quam esset bipalmaris, quia tam indivisibile est bipalmare in plura bipalmaria, quam palmare in plura palmaria; Et quando etiam indivisio, quam importat unitas, explicaretur per negationem divisionis in se, velut in partes, ut forte probabilius est, neque urget argumentum, quia ut dictum est, aliud est loqui de unitate entitativa, quæ est passio entis, aliud de quantitativa, & continuativa, quæ quodammodo illi accidit; cum igitur dividitur quantum, non minoratur, vel augetur unitas entitativa, quia unaquæque pars eam retinet, sicut antea, cum erat conjuncta; sed tantum unitas quantitativa integræ quantitatis præexistentis destruitur, & fiunt aliæ duæ quantitates minores, quarum quælibet potest dici magis una, quam prior, cujus erant partes, quatenus in minores partes ejusdem quantitatis est divisibilis, quam illa; præter quam quod unitas continuitatis non consistit in esse magis, vel minus indivisibile, sed in esse indiviso; eo igitur ipso quod aliquod continuum omnes suas partes habet, unitas dicitur unum perinde, ac quodlibet aliud, sive plures habeat eo partes, sive pauciores.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit in rebus Unitas, & quænam sit passio entis.

13 VArios Unitatis modos assignavit Arist. 5. Metaph. cap. 6. ubi præsertim unum divisit in unum per se, & unum per accidens, quorum rationes non explicavit ibi propriis definitionibus, sed variis exemplis proponendo varios modos unitatis per se, & per accidens. Unum per accidens ait esse subjectum accidente affectum, seu aggregatum ex accidente, & subjecto, ut Coriscus Musicus, ac etiam aggregatum ex pluribus accidentibus in eodem subjecto, ut album dulce in lacte. Deinde pariter unum per se assignat, & declarat per varia genera, unum continuatione, unum subjecto, seu forma; unum genere, unum specie, seu ratione, & definitione, & unum analogia. Et rursus 10. Metaph. cap. 1. quatuor distinguit genera unitatis per se, unum continuatione, unum totalitate; unum universale, unum singulare. Scotus etiam noster 1. d. 2. q. 7. Hh. varios assignat unitatis gradus, quos memorat, & declarat Magister Formalit. 3. part. illius tract. art. 2. in primo gradu minima unitas est aggregationis, ut in acervo lapidum; in secundo est unitas ordinis, quæ aliquid addit supra unitatem aggregationis; in tertio est unitas per accidens, ubi ultra ordinem est informatio licet accidentalis unius ab alio eorum, quæ sunt sic unum; in quarto est unitas per se compositi ex principiis essentialibus per se actu, & per se potentia; in quinto est per se unitas simplicitatis, quæ est vere identitas, quicquid enim est ibi, est realiter idem cuilibet, & non tantum est unum illi unitate unionis, sicut in aliis modis. Sed neque Doctor, ut patet, in hac assignatione graduum unitatis explicare curavit, quæ sit ratio unius per se, & per accidens, neque divisionem reducere ad certa quædam capita; atque ideo nobis modo curandum est hanc unitatis multiplicitatem ordinare; & exacte explicare quid sit unum per se, & quid unum per accidens; hinc enim postea deducemus, quænam unitas sit passio entis.

14 Quoad primum, dividendum in primis est unum in unum per se, & unum per accidens ex Aristot. loc. cit. unum per se ea dicuntur, quæ ex natura sua unum sunt, per accidens autem sunt unum, quæ accidentali modo uniuntur. Et hoc habet varios gradus, ut notat Doctor loc. cit. quoddam enim est unum omnino per aggregationem, cum nimirum multa entia per se integra, & perfecta sine ulla unione, & sine ullo ordine congeruntur, & conservantur, ut contingit in acervo lapidum, & hoc ait Doctor esse unum maxime per accidens, & minimam importare unitatem; aliud vero est unum per accidens, constans quidem ex pluribus entibus integris, & completis, nullam inter se physicam unionem habentibus, sed solum aliquem ordinem, ut domus, exercitus, civitas, & similia; tertium denique est illud, quod constat partibus non solum ordinem inter se habentibus, sed etiam physicam unionem, quo pacto subjectum, & accidens inter se uniri dicuntur, quia re vera unum est in potentia ad aliud, quamvis accidentali, & alterum natura sua est ordinatum ad aliud informandum, & ideo inquit Doctor unum per accidens hoc modo addere supra alios duos jam relatos unionis modos informationem.

Deinde unum per se contingere potest dupliciter; ut ait Doctor cit. ac etiam Arist. ipse insinuavit, aut compositione, aut simplicitate; si enim res est ita una, ut careat partibus, quibus secundum suam essentiam componatur, ut contingit in substantiis spiritualibus, tale ens dicitur unum per se unitate simplicitatis, si vero in sua essentia constat partibus componentibus, quæ ita se habeant, ut una sit per se actus, & altera per se potentia, tunc dicitur unum per se unitate compositionis, quam divisionem rursus tradidit Doctor 4. dist. 1. quæst. 2. §. *Hic primo*, cum ait, intelligo autem per se unum scilicet quod est simplex, vel compositum quod est ex per se actu, & per se potentia. Sed Unum per se hoc pacto, quod nimirum dicitur de uno per se simplici, & de uno per se composito, rursus subdividitur juxta diversos gradus essentiæ, quibus unitas convenit, nam aliud est unum per se essentiale, & aliud unum per se individuale, & sub his duobus modis omnis per se unitas continetur, quæcumque illa sit, quia in unaquaque re extra rei essentiam, ejusque individuationem nulla alia ratio entis reperitur. Unitas autem essentialis vel importat unitatem secundum adæquatam rei essentiam, & sic consurgit unitas specifica, seu in specie, quæ dicit totam rei essentiam; vel secundum inadæquatam, quod etiam potest contingere multipliciter, quia vel hæc ratio inadæquata est prædicamentalis, vel transcendens; si prædicamentalis, dicitur unitas generica generis proximi, vel remoti; si transcendens, dicitur unitas analogiæ, vel analogica, ob analogiam, quam important transcendentia.

15 Denique unitas compositionis plures habet modos, & gradus juxta varios modos compositionis, & totalitatis; alia enim est compositio, & unitas essentialis, qua constituitur totum essentiale, ex partibus se habentibus per modum per se actus, & potentiæ Physice, vel Metaphysice, atque ideo solet dici compositum ex his, quia resultat & constituitur ex congressu suarum partium per veram, & propriam causalitatem physico, vel saltem Metaphysico modo; Et hoc pacto unum per se dicitur compositum physicum ex materia, & forma, & compositum Metaphysicum ex genere, ac differentia. Alia est compositio, & unitas integralis, qua scilicet constituitur totum quoddam integrale ex partibus integralibus, & hæc proprie dicitur unitas continuitatis, quæ habetur per indivisibilia, & convenit quantitati, ac suo modo substantiis, & qualitatibus materialibus; & tale totum dici solet compositum cum his, quia non constituitur ex suis partibus per veram causalitatem intrinsecam materialem, & formalem, ut contingit in toto essentiali, quia in continuo neutra pars habet rationem actus, vel potentiæ, sed totum constituunt, quatenus sunt invicem conjunctæ, & connexæ mediis indivisibilibus, quemadmodum explicatum est in Physica disputatione de Continuo; unde patet, unitatem per se totius integralis longe alterius rationis esse ab unitate totius essentialis, quod resultat ex per se actu, & per se potentia.

Quoad secundum discrepant Auctores in explicanda unitate per se, & per accidens, sive in explicando quid sit unum per se, quidve unum per accidens; & quidem in primis Ovvied. recentissimus Societatis Auctor controvers. 3. Metaphys. punct. 1. §. 6. opinatur conceptum unius per se communem esse substantiæ, & accidenti, composito substantiali, & accidentali, quia sicut univoce conveniunt accidens, & substantia in ratione entis, sic in ratione unius debet convenire, & tam accidenti, quam substantiæ unitas per se propria, & stricta competere debet, sicuti eisdem convenit ratio entis per se propria, & stricta; unde unum per se dividit in unum per se substantiale, ac unum per se accidentale, & sic album constituitur per formam accidentalem unitam physice subjecto unum per se vocat num. 51. quia constitutum est per unionem propriissimam, quæ essentialiter est unio, & intrinsece includit omnia prædicata essentialia constitutiva unionis propriissimæ; deinde num. 52. unum per accidens ait esse illud, quod physice est divisum; & indivisum, seu unitum dicitur unione quadam morali, seu aliqua ordinatione, quæ improprie unitas dicitur; sic unus dicitur exercitus, una dicitur domus, una dicitur musica, quorum partibus nulla competit physica unio, sed quædam ordinatio, seu localis approximatio, & successio secundum tantam intensionem, vel extensionem, ratione cujus aliquo modo partes dicuntur unitæ, & unus exercitus, una domus, vel unus vocum conceptus resultat.

16 Hæc opinio est contra communem loquendi modum omnium Philosophorum, qui cum Aristot. loc. cit. 5. Metaphysic. cap. 6. & alibi frequenter docent ex materia, & forma substantiali fieri unum per se, quia hoc est per se actus, illud per se potentia; non sic autem ex subjecto, & accidente, quia hoc non est per se actus, nec illud per se potentia; quare omnes in hoc conveniunt, quod compositum accidentale, ut paries albus, sit ens per accidens, sitque unum per accidens; nec hactenus in ullo reperi Auctore, quod compositum accidentale sit unum per se; & licet Ovvied. ibi expresse non dicat compositum accidentale esse ens per se, tamen hoc necessario sequitur ex ejus asserto, si enim est unum per se, sequitur etiam esse ens per se, quia unitas per se consequitur, velut passio ad entitatem per se. Quod autem homo albus sit ens per se, unum per se, est inauditum hactenus in Philosoph. portentum, ad quod mille inconvenientia sequuntur, ut quisque deducere potest. Neque ex hoc, quod accidens, & substantia conveniunt in ratione entis, & unius univoce, sequitur, *sic etiam convenire debere compositum* substantiale, & compositum accidentale; aliud enim est loqui de substantia, & accidente per se sumptis, aliud de aggregato ex accidente, & substantia, sicut enim hoc non est vere, & proprie ens; sed entia, ita nec est vere unum, sed plura; Deinde etiam falsum assumit fundamentum, quod illud sit unum per se, quod constituitur per unionem physicam, quam tam proprie intervenire ait in compositione accidentali, sicut in substantiali, id, inquam, falsum est, tum quia proprie loquendo facere unum non est effectus formalis unionis, sed unitatis, nam unio

facit

facit extrema, quæ copulat, unita, non unum. Tum quia dato etiam quod unum sit effectus formalis unionis, unio ad summum facere poterit unum dumtaxat, non vero per se unum; sed ad hoc ulterius requiritur, quod sit per se unio, ad quam exigitur, quod extrema unita sint per se actus, & per se potentia; cum ergo accidens, & substantia non ita se habent, licet dum copulantur, hoc fiat per physicam unionem, & non moralem tantum; hoc tamen non sufficit, ut inde resultare dicatur unum per se, quia præter unionem physicam aliquid aliud exigitur, ut postea declarabitur. Denique hic dicendi modus in eo etiam deficit, quod non explicat unitatem per se in tota sua latitudine, quia non solum datur unum unitate compositionis, sed etiam unitate simplicitatis, quæ in rebus spiritualibus habetur sine interventu unionis; ergo falsum est universaliter loquendo illud esse per se unum, quod unione physica, & proprie dicta constituitur.

17 Dices, concretum accidentale, ut album, posse definiri, in prædicamento reponi, de ipso scientiam institui, ac passiones demonstrari, ut quod sit disgregativum visus; ergo est unum per se, nam illa attributa enti per accidens nequeunt convenire, ut ex logicis constat. Resp. gratis concedendo album in ratione concreti accidentalis non esse unum per accidens, nam aggregatum per accidens illud proprie dicitur, quod plura diversæ rationis, sive naturas diversorum prædicamentorum importat ex æquo, & æque principaliter, ut notat Doctor quol. 13. §. *de tertio principali*, & 4. dist. 1. qu. 2. §. *hic primo*, & quæst. 8. universal. & prædicamen. cum igitur concretum accidentale ex modo significandi formam principaliter importet, & subjectum connotet; ideo licet quoad rem significatam sit unum per accidens, tamen quoad modum significandi est unum per se; seu, ut alii dicunt, est unum per se, non quidem absolutum (qualia sunt illa, quæ unam proprie important naturam, & essentiam) sed connotativum; qua de causa disput. 6. Log. quæst. 3. artic. 1. dum explicarem secundam conditionem entis reponibilis in prædicamento, scilicet, quod sit ens per se, & non per accidens; dixi concreta accidentalia quoque esse entia per accidens, si accipiantur, ut æqualiter important formam, & subjectum, quia licet faciant unum, non tamen faciunt unum essentialiter, quod dicitur simpliciter unum, sed accidentaliter ex duabus essentiis simul conjunctis, quarum una non est per se potentia ad aliam; unde Aristot. 5. Metaph. cap. 6. ut significaret unum per accidens proprie esse illud, quod plura ex æquo, & æque principaliter importat, attulit exemplum Corisci Musici, ut ambas partes compositi accidentalis æque principaliter indicaret. Et quidem si Ovvid. in sensu præfato compositum accidentale vocasset ens per se in ratione nimirum concreti accidentalis, quod unum principaliter significat, & aliud connotat, tolerabilis esset; sed re vera compositum accidentale, ut sic, ac ut æque principaliter ambas partes importat, vocat ens per se, quia partes illæ vere, & proprie sunt inter se connexæ nexu, & vinculo unionis physicæ, quæ sola apud ipsum sufficiens est ad constituendum unum per se, quod tamen falsum esse jam dictum est.

18 Secundus proinde modus dicendi aliorum fatetur utique non sufficere solam physicam unionem duarum naturarum ad constitendum per se unum, ut dicebat Ovvied. sed ulterius requiri, ut partes unitæ sint ejusdem prædicamenti, atque ita unum per accidens illud dicunt, quod constat ex rebus diversorum prædicamentorum; unum per se, quod constat ex partibus, quæ sunt ejusdem prædicamenti. Hic tamen modus etiam passim reiicitur, tum quia nec ipse explicat conceptum unitatis per se in tota sua latitudine; ut comprehendit unum per se ratione simplicitatis, & ratione compositionis, nam simplex caret pluralitate partium. Tum quia nec etiam sufficienter explicat unitatem per se ratione compositionis, quia neduni ex rebus diversorum prædicamentorum, sed etiam ex rebus ejusdem prædicamenti fit unum per accidens, si in eis non intervenit ratio actus, & potentiæ, ut constat de exercitu, qui pluribus constat hominibus, & acervo, qui constat ex pluribus lapidibus. At Ovvied. loc. cit. ait hanc rationem non urgere contra allatam sententiam, quia exercitus non tantum constat hominibus secundum se, ad prædicamentum substantiæ spectantibus, sed hominibus hoc ordine, seu hac positione locali dispositis cum certa, & proportionata distantia, quæ includit illorum præsentias spectantes ad prædicamentum Ubi; dicit etiam exercitus plures homines inter se coexistentes, qui ut coexistentes dicunt simultaneas ipsorum durationes pertinentes ad prædicamentum Quando. Cæterum hæc responsio vim argumenti propositi minime labefactat; alioquin eodem modo urgeret contra unitatem per se compositi substantialis ex materia, & forma; siquidem & ipsæ hujusmodi partes habent proprias præsentias spectantes ad prædicamentum Ubi, ut ostensum est in Physicis, & proprias durationes spectantes ad prædicamentum Quando, præsertim si duratio a re durante realiter distinguitur; & tamen id non impedit unitatem per se compositi substantialis, quod constituunt; ergo in præfato casu exercitus non ideo est per accidens unum, quia homines includat simul cum suis præsentiis & durationibus ad diversa prædicamenta spectantibus, sed ex alio capite.

19 Tertius itaque modus dicendi ultro fatetur ad unum per se, nec sufficere unionem physicam naturarum quarumcumque, nec sufficere unionem rerum ejusdem prædicamenti quomodocumque, sed debere constitui ex pluribus entibus ejusdem prædicamenti incompletis, quorum unum sit per se actus, & aliud pura potentia, ut pluries innuit Arist. atque ita vult unum per se esse illud, quod constat ex pluribus entibus incompletis ejusdem prædicamenti se habentibus per modum actus, & potentiæ; & unum per accidens esse illud, quod vel constat ex pluribus entibus completis, vel non se habentibus per modum actus, & potentiæ; ita passim solent docere Thomistæ. Cæterum licet ista doctrina sit Aristot. pluribus in locis; tamen falsa est, ut intelligitur a Thomistis, dum dicunt partem illam, quæ concurrit per modum potentiæ, ita debere esse puram potentiam, ut fiat ens actu actualitate existentiæ per aliam partem; falsum, inquam, id est, quia materia, quæ est pars concurrens per modum potentiæ, habet proprium actum entitativum, suaque gaudet existentia partiali, ut dictum est in Physicis, immo neque ita intelligi debet, ut pars concurrens per modum potentiæ omnem prorsus excludat actum formalem, quandoquidem in sententia nostra in viventibus pars concurrens cum anima per modum potentiæ ad eorum constitutionem, non est ita pura potentia, sed est materia prima informata forma mixti, quæ cum sit animæ subordinata, constituit corpus pro altera parte compositi essentialiter ordinatum ad animæ receptionem, tamquam perfectibile ad suam perfectionem, & sic ex eis fit unum per se. Tum quia licet Aristot. pluribus in locis ita explicuerit unum per se, hoc utique non docuit de uno per se in tota sua latitudine, ut etiam comprehendit unum per simplicitatem; sed id specialiter dixit de uno per se ratione compositionis, quatenus contradistinguitur a composito per accidens; ac certum est præter unum per se unitate compositionis, dari alios gradus unitatis per se, ut constat ex prima parte quæstionis hujus; ergo talis explicatio assignari debet unitatis per se, ut comprehendat omnes gradus unitatis per se jam assignatos, tam scilicet ratione compositionis, quam ratione simplicitatis; & de uno unitate compositionis sufficienter egimus disputatione quinta Physic. quæstione undecima, articulo primo.

20 Quartus dicendi modus est Suarez disput. 4. cit. sect. 3. n. 6. qui cum præcedentem dicendi modum confutasset, concludit rationem entis, & unius per se in hoc consistere, quod præcise habeat ea, quæ ad essentiam, integritatem, vel complementum talis entis in suo genere per se, & intrinsece requiruntur; cum enim ens dicatur illud, quod entitatem, seu essentiam habet, illud erit ens per se proprie, & in rigore, quod unam essentiam, vel entitatem habet; illa autem essentia, seu entitas una propriissime erit, quæ in suo genere habet quicquid ad ejus intrinsecam rationem seu consummationem spectat; ergo illud ens, quod hujusmodi est, sub ea ratione erit proprie, ac per se ens; omne autem illud, quod ab hac unitate defecerit, dicetur ens per accidens. Merito tamen hoc etiam reiicitur ab aliis quia ut bene urget Aversa, tota ilia explicatio applicari potest uni per accidens, nam Coriscus Musicus, quod vocat Aristot. unum per accidens, si est perfectus musicus, habebit omnia, quæ spectant ad integritatem, & complementum hominis in tali genere; quod etiam in entibus artificialibus adhuc magis evidens est, nam navis, exercitus, & domus habet, quæ ad integritatem, & complementum eorum sunt necessaria in tali genere artificiatorum, unde sine his, vel illis partibus, aut ipsarum partium inter se proportione, incompleta, & imperfecta dicuntur; ergo tota illa explicatio æque bene accommodatur uni per accidens, sicut uni per se. At forte dicet Suarez, quantumvis hæc entia habeant omnia requisita ad suum complementum, non tamen dici posse, quod sint integra, & completa in certo quodam genere entis. Contra, ergo habere omnia, quæ spectant ad complementum & integritatem rei, utcumque non bene explicat unitatem rei per se, cum etiam conveniat uni per accidens, sed potius habere talem integritatem in certo quodam genere entis, quod non convenit uni per accidens, sed sic dicendo explicatur idem per idem, idem enim prorsus sunt ens per se unum, & ens unius generis, neque unum est notius alio.

21 Rursus id etiam impugnat Pasqualig. quia entia quoque per accidens sunt certi, & determinati generis, & unum est unius generis, alterum vero alterius generis. Verum hæc impugnatio non valet, quia falsum est ens per accidens ad unum certum, ac determinatum genus pertinere, immo ideo est unum per accidens, quia diversas essentias importat diversorum prædicamentorum. Impugnat insuper, quia salvari potest unitas per se in entibus per se absque eo, quod habeat ea omnia, quæ requiruntur ad ipsorum essentiam, & complementum, nam materia se sola considerata est unum per se genere substantiæ, & tamen non habet quicquid requiritur ad constituendum esse integrum in genere substantiæ; similiter natura substantialis absque subsistentia non habet totum complementum in genere substantiæ, & tamen est una per se in eo genere: si homo manu caret, vel brachio, adhuc est unum per se, & sic etiam de calore dicendum, quamvis aliquis caloris gradus ei deficiat, nec habeat quicquid requiritur ad consummatam suam perfectionem; Cæterum nec ista impugnatio valet, quia Suarez per illa requisita ad esse rei intelligit prædicata spectantia ad integritatem essentiæ, & quidditatis ejus, non autem ad complementum quoddam in esse secundario, de quo loquitur impugnatio allata ex Pasqualig. & sic dicet materiam sine forma, naturam substantialem sine subsistentia, hominem præcisa manu, & calorem remissum adhuc esse entia per se una, quia nil eis deficiat spectans ad integritatem prædicatorum essentialium.

Itaque

Itaque melius, ac brevius impugnabitur Suarez ex hoc capite, quod sic dicendo manifestam incurrit petitionem principii supponendo id, quod probare deberet, & vertitur in quæstione; nam quæstio est, qua de causa homo v. gr. dicatur ens per se unum, idest, unam habere determinatam essentiam, & naturam, non autem homo albus: non ergo supponere debet ens per se habere unam essentiam, & ens per accidens diversa, sed hoc debet probare, seu rationem reddere, cur homo unam dumtaxat dicat essentiam; non autem homo albus; petitio autem principii fit, cum quod non est per se notum, pro per se noto sumitur, ut docet Arist. 2. Priorum c. 21.

22 Quintus dicendi modus est Aversæ quæst. 5. cit. sect. 5. qui ita rem explicat; unum per se esse illud, quod vel est in se simplex sine compositione partium, vel si est compositum, constat ex talibus partibus, quæ habeant inter se certam quamdam, & aptam proportionem, quæ proportio diversis modis contingere potest, unum autem per accidens esse illud, quod constat ex partibus non habentibus talem proportionem. Hæc tamen explicatio; si bene expendatur, in solo consistit verborum cortice, quia non explicat Aversa, quid dicat hæc proportio requisita inter partes unum per se componentes; non enim hæc alia esse posse videtur, nisi illa, quæ intercedit inter actum, & potentiam, inter perfectivum, ac perfectibile; verum tota ista proportio reperitur etiam inter subjectum, & formam accidentalem, & tamen unum per se non componunt. Tum quia, ut bene urget Pasqualig. cit. etiam in compositis artificiatis inter partes componentes certa quædam, & apta proportio intercedit adinvicem, ligna enim, & tabulæ habent quamdam inter se proportionem, ut ex ipsis fiat navis, quam proportionem non habent lapides, quod etiam confiderari potest in partibus omnium artefactorum, & tamen ex eis non fit per se unum. At forte dicet Aversa subjectum, & accidens esse quidem inter se proportionata in ratione perfectivi, & perfectibilis, non tamen esse talem, qualis requiritur ad conficiendum per se unum. Verum ex hoc constat, quod ab initio urgebam, hunc Auctorem explicare ignotum per æque ignotum, ac etiam petere principium, quod ipse obiiciebat Suarez; dum enim quærimus, quare ex anima, & corpore fiat unum per se, non sic ex subjecto, & accidente, sensus quæsiti est, quare anima, & corpus in ratione perfectivi, & perfectibilis tantam inter se habeant proportionem, ut ex eis fiat per se unum, non autem ex subjecto, & accidente, respondere igitur; fieri ex eis unum per se, quia habent certam quamdam proportionem adinvicem, quam non habent subjectum, & accidens, est respondere ad idem per idem, & explicare ignotum per æque ignotum. Dices forte pro Aversa animam, & corpus eam inter se habere proportionem, qua ordinentur ad efficiendum unum per se, qualis non reperitur inter accidens, & subjectum. Verum, & hæc quoque ut satis de se constat, est aperta petitio principii, est enim ac si dicas hominem esse unum per se, quia componitur ex partibus ordinatis ad efficiendum unum per se. Demum in hoc Aversa deficit, quod nec ipse assignat rationem formalem unitatis per se, in tota sua latitudine, ut complectitur unum per se per simplicitatem, ac per compositionem, sed solum explicat diversas species unitatis per se dicendo, unum per se esse illud, quod est vel in se simplex, vel compositum, sicut si quis explicare volens quid sit animal, diceret esse illud, quod aut est rationale, aut irrationale, quæ utique non est bona explicatio quidditatis animalis.

23 Restat itaque, ut rejectis aliis dicendi modis, proferam, quomodo juxta mentem Doctoris explicari debeat unum per se, & unum per accidens, hoc autem exequar prius inquirendo, unde dicatur unum per se ratione simplicitatis, & unde dicatur unum per se ratione compositionis, sic enim ex explicatione specierum in notitiam deveniemus unitatis per se in communi ad hanc, & illam; Et quidem in rebus simplicibus, ut in accidentibus, substantiisque spiritualibus, quæ partibus physicis non constant, manifestius est quid sit esse per se unum, quam explicatione indigeat; ut enim explicat Doct. 1. d. 2. qu. 7. Hh. hæc est unitas per identitatem, quatenus quicquid est ibi, est realiter idem cuilibet, & ideo est prorsus indivisibile in partes, cum ergo non habeat pluralitatem partium, & naturarum, ex quibus constituatur, palam est esse unius certæ, ac determinatæ essentiæ, unamque præseferre essentiam, & quidditatem, non plures. Hoc vero difficilius explicatur in per se compositis, quo pacto homo v. g. dici possit unum per se essentiale, dum constat ex anima, & corpore, quæ sunt plures essentiæ, & certe id sufficienter explicari nequit, nisi cum Doctore teneatur 3. d. 2. q. 2. §. *quantum ad primum*, totum per se, & essentiale dicere tertiam entitatem aliam realiter ab entitatibus partium; hoc enim supposito optime constat, quo pacto compositum essentiale v. g. homo sit unum per se, non autem homo albus, aut lapidum acervus; & ratio est, quia homo dicit quamdam tertiam entitatem ab anima, & corpore distinctam, & sic dicit unicam essentiam ex pluribus partialibus compositam, at homo albus, & lapidum acervus plures immediate dicunt entitates, non autem unam ex illis pluribus constitutam, hoc totum aperte infinuat loc. cit. Doctor, cum ex eo probat totum essentiale esse aliud a suis partibus etiam simul sumptis, quia alias non esset differentia totius essentialis, quod est per se unum, ad totum, quod est unum aggregatione, ut cumulus, vel acervus, quia istud totum secundum est suas partes 8. Met. 15. jam ergo vides, quomodo Doct. explicet unitatem per se totius essentialis, ut distinguitur a toto per accidens, & per aggregationem, quia nimirum dicit propriam entitatem aliam ab entitatibus partium, & unamquamque entitatem sequitur propria unitas, unde si propriam entitatem non haberet, nec etiam esset magis unum, quam unum per accidens, vel per aggregationem. Et hunc dicendi modum sequitur Pasqualig. loc. cit. ubi intantum ait partes essentiales per se unum efficere, quod non facit accidens cum subjecto, quia ex eis consurgit aliquod tertium, in quod partes componentes ex vi unitatis per se coadunantur secundum novum gradum essendi, atque ita etiam significat Mairon. 1. distinct. 8. quæstion. 7. articul. 3.

24 Itaque bene explicatur unitas entis per se per hoc, quod importat unicam essentiam, ac in indivisibili consistentem, non vero plures, & talis conceptus unitatis per se communis est, & applicabilis tam unitati per se ratione simplicitatis, quam unitati per se ratione compositionis, nam sive sunt simplicia absque partibus, eo ipso quod habent unitatem simplicitatis important etiam unum gradum essentiæ in indivisibili consistentem, & indivisibili modo mensurabilem; quæ vero constant ex partibus, licet plures habeant essentias partiales, quia tamen istæ uniuntur per modum per se actus, & per se potentiæ, consurgit ex eis tertia entitas, quæ dicitur totius, quæ sicut est unica entitas totalis, ita quoque propriam habet unitatem; quod de ente per accidens dici non potest. Sola videtur superesse difficultas de toto integrali, quod quidem dicitur propriam, & per se unitatem habere in suo genere, unitatem scilicet integritatis, ac continuitatis, & tamen non importat entitatem ex natura rei distinctam a partibus componentibus etiam simul sumptis, ut probabilior refert opinio, quam tradidi in physicis disp. 5. quæst. 13. art. 2. ergo non videtur unitas compositionis per se bene explicari per hoc, quod per eam componitur, & resultat quædam tertia natura alia a partibus propriam habens unitatem. Attamen & hæc quoque difficultas facile superari potest, nam si cum multis Scotistis defendatur distinctio realis totius a suis partibus etiam in toto integrali, nulla est difficultas; si autem hoc non teneatur, dici potest totum integrale, præsertim si fuerit homogeneum, adhuc propriam habere unitatem, quatenus omnes ejus partes invicem unitæ ejusdem sunt rationis, tam enim aqua est hæc, & illa portio aquæ in vase, quam tota ipsa aqua illius vasis; hac igitur ratione dicetur totum integrale homogeneum per se unum unitate integritatis, & omnes ejus partes in unam coadunari essentiam, qua ratione etiam simul cum suis partibus in eodem collocatur prædicamento, vel substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis; quod tamen non adeo facile de uno eterogeneo dicetur, quia habet partes, quæ sunt diversæ rationis, & ideo nequeunt in unam essentiam coadunari; adhuc tamen, licet ita coadunari non possint, possunt alio modo coadunari, nimirum secundum rationem ipsius continui, ac integralis totius, si vere totum illud eterogeneum erit continuum, quia non bene continuantur, quæ sunt diversæ rationis ex 6. Phys. unde ex hoc capite potius dici debebit unum per accidens. Vel cum Alensi 10. Met. tex. 1. qu. 1. dicendum, quod cum unitas sit quædam indivisio, quodlibet continuum, sive homogeneum, sive eterogeneum dici potest unum, quatenus est actu indivisum, quocunque modo contingat hæc indivisio; & hæc est communior, & expeditior solutio.

25 Quoad tertium tandem resolvenda est ex dictis altera pars quæstionis, quænam scilicet unitas ex prædictis sit ponenda passio entis, & breviter dicendum est solam unitatem per se in tota sua latitudine, prout nimirum complectitur tam unitatem simplicitatis, quam compositionis, esse adæquatam entis passionem, non autem unitatem per accidens, aut aliam unitatem utrique communem. Hæc conclusio fere communis est. Probatur, & declaratur quoad omnes, & singulas partes. Et quidem unitatem per accidens esse non posse entis passionem, neque aliquam aliam unitatem unitatibus per se, & per accidens communem, facillime probatur ex dictis disp. 1. q. 2. num. 25. ut enim ibi diximus, ens proprie sumitur pro ente per se, nam ens per accidens proprie non est ens, sed entia; ergo etiam unitas, quæ cum ente proprie dicto converti debet, erit unitas per se, non autem unitas per accidens. Tum quia si unitas per accidens posset habere rationem passionis, esset passio entis per accidens, non vero entis per se. Dictum etiam est ibi, non dari conceptum abstractum ab ente per se, & ab ente per accidens; ergo neque dari poterit conceptus unitatis abstrahens ab unitate per se, & unitate per accidens; Consequentia patet, quia sicut ab ente per se, & per accidens nequit abstrahi conceptus communis entis, ut sic, quia ens per accidens non est vere, & simplicitet ens, sed entia, ita pariter ab uno per se, & per accidens conceptus unitatis, ut sic, præscindi potest; quia unitas per accidens non est vera, & propria unitas, sed similitudinaria, & proportionalis, simpliciter autem, & absolute loquendo potius est pluralitas, quam unitas; unde concludendum est, solam unitatem per se esse passionem entis transcendentis, non autem unitatem per accidens, quæ proportionem non habet, nisi cum ente per accidens.

26 Quod vero unitas per se statui debeat passio entis sumpta in tota latitudine, non vero ad aliquam ejus speciem coarctata; Probatur non minus evidenter, quia unitas, quæ est passio entis, debet habere æqualem latitudinem cum ente, quælibet enim passio cum suo proprio subjecto coæquari debet, ut cum eo convertatur; sed ens quod est subjectum adæquatum in Met. & cujus passiones modo inquirimus, est ens transcendens, & uni-

versalissime sumptum, ut commune omni enti reali, tam finito, quam infinito, tam simplici, quam composito, ergo & unitas, quæ est ejus passio, sumi debet in tota sua latitudine, prout communis est omnibus suis speciebus, tam scilicet unitati simplicitatis, quam unitati compositionis. Hinc autem duo deducuntur consectaria, primum est Bacconium 1. d. 33. q. 1. art. 2. male statuere unitatem simplicitatis esse adæquatam entis passionem, quia cum unitas simplicitatis sit species unitatis, ut sic, non potest coæquari cum ente; tum quia cum unum, & ens convertantur, si est adæquata entis passio unitas simplicitatis, tunc omne ens esset simplex, nec ullum dari posset ens compositum. Neque satisfacit dicendo ens omne esse simplex, non quidem quatenus ens, sed quatenus unum. Nam ut dicebam, ens, & unum eandem dicunt naturam, suntque realiter identificata, adeout conditio unitatis sequatur omnino naturam entitatis, cujus est unitas; ergo impossibile est, ens, aliquod esse simplex, quatenus unum, sed non quatenus ens, quia res est una eo prorsus modo, quo est ens; si est ens simplex est una unitate simplicitatis, si est ens compositum, est una unitate compositionis. Quod si alio modo velit Bacconius accipere unitatem simplicitatis, quam communiter accipiatur, ut suum tueatur loquendi modum, ut ibi significare videtur; abutitur vocabulis, & voluntarie loquitur, & quæstionem de nomine facit, unde non est cum eo disputandum.

27 Alterum consectarium est male negare Averßam loc. cit. unitatem simplicitatis, & compositionis esse species unitatis per se, quæ ponitur adæquata passio entis, quam per proprias differentias, vel potius modos contrahatur; nam sicut ens simplex, & ens compositum sunt veluti species directe contentæ sub ente in communi, ut sic, quia sunt vere entia, & vere participant rationem entitatis in communi, ita quoque dicendum de modis unitatis, quæ talia entia consequuntur, quod re vera sint unitates determinatæ per particulares rationes, simplicitatis, & compositionis, velut species contentæ directe sub unitate in communi, quæ est adæquata entis passio. Tum quia rem adeo patentem ideo negavit Averßa, quia ut vidimus, assignare nequivit rationem unitatis per se in communi ad unitatem simplicitatis, & compositionis; sed illam immediate explicat assignando duo membra illius dicens unum per se esse illud, quod vel est simplex, vel compositum ex partibus proportionatis; at non assignavimus rationem unitatis per se in communi ad unitatem simplicitatis, & compositionis, quæ optime in illis salvatur; quod rursus ita declarari potest ex dicendis, unitas namque ut sic dicit indivisionem, qua ens in seipso redditur indivisum; hæc autem ratio optime reperitur in illis unitatibus, reddunt namque entia, quæ afficiunt, in seipsis indivisa, & insuper addunt peculiarem indivisionis modum; nam altera illarum reddit suum subjectum indivisum per modum simplicitatis, unde est indivisum, & indivisibile; altera vero per modum compositionis, quæ reddit ens actu indivisum, licet sit aptitudine divisibile, ergo vere utraque est species unitatis per se, quæ ponitur adæquata passio entis.

QUÆSTIO III.

A quibus unitatis sumatur conceptus unitatis transcendentalis.

28 SAtis constat tum ex dictis disputatione 2. de conceptu entis, tum disputatione præcedenti de passionibus ejus in communi, unitatem transcendentalem, quæ cum ente convertitur, velut ejus adæquata passio, sicut & alias ejus passiones in re, desumi ab aliqua realitate, quæ vere fluit a realitate, a qua ratio entis sumitur. Verum quia ex dictis quæstione præcedenti variæ dantur unitates per se in rebus, & quidem reales, ut inferius suo loco probabitur, scilicet unitas individualis, unitas essentialis, quæ est propria naturæ genericæ, vel specificæ, quæ etiam dici solet unitas formalis, & unitas quantitativa, quæ & numerica dici solet, quatenus est principium numeri de genere quantitatis; hic examinandum venit, num unitas transcendentalis desumenda sit a realitate unitatis singularis, seu individualis, quasi unitas, quæ est passio entis, sit ipsamet unitas singularis; an potius a realitate unitatis formalis, specificæ, vel genericæ; an vero ab unitate quantitativa, quæ numerum de genere quantitatis constituit, an potius ab his omnibus inadæquate sumptis, an tandem ab aliqua realitate communi his omnibus unitatibus, quam ipsamet unitas transcendentalis adæquate importet. His præacceptis pro titulo quæsiti. Prima opinio, quam refert Suarez sine Auctorum nomine disputatione quarta, sectione nona afferit unitatem transcendentalem, quæ est adæquata passio entis, aliud non esse, quam unitatem individualem cujuscumque singularis entis, non tamen singulariter consideratam, sed in communi ut abstrahit ab hac, & illa unitate singulari; quam sequitur Averßa quæstione quinta suæ Philosophiæ, sectione sexta, Serna in Logica disputatione prima, sectione quarta, quæstione sexta, articulo tertio, & alii nonnulli. Alia opinio, quæ Avicennæ tribui solet lib. 3. Metaphysic. capite secundo, & lib. 7. cap. 1. affirmat unitatem, quæ est passio entis, reponi in prædicamento quantitatis, atque ideo conceptum unitatis transcendentalis ab unitate quantitativa desumi. Demum Scotistæ conceptui entis propriam deferentes realitatem, sicut aliis naturis communibus prædicamentalibus, consequenter de affectionibus entis loquuntur, sicut de aliis passionibus rerum prædicamentalium; quare in præsenti opinantur unitatem transcendentalem importare propriam realitatem a realitate entis fluentem, quæ sit communis aliis omnibus unitatibus, & ex natura rei præcisa ab illis; unde consequenter asserunt conceptum unitatis transcendentalis in tali communi realitate fundari, quam adæquate exprimit.

29 Dicendum tamen est, unitatem transcendentalem non posse in rebus desumi neque a sola realitate unitatis singularis, quasi hæc sit communis, & adæquata passio entis, ut dicebat Averßa; neque a sola realitate unitatis quantitativæ, ut Avicen. neque ab aliqua una realitate communi transcendentali, quæ eadem in omnibus inveniatur ex natura rei præcisa a determinatis entium unitatibus, sed potius ab his omnibus & singulis esse abstrahibilem inadæquate consideratis. Conclusio hæc sequitur ex principiis, quæ jam dedimus disputatione secunda de natura entis, & probatur quoad omnes, & singulas partes. Et quidem in primis unitatem transcendentalem esse unitatem quandam universalem, pluribusque communicabilem, non autem singularem, expresse docuit Arist. 10. Metaphysic. text. 6. ubi loquens de entis unitate tribuit ei eandem latitudinem, & communitatem dicens, *ens enim, & unum universaliter maxime de omnibus prædicantur*, sic etiam loquitur Scotus dist. 1. quæstione sexta, §. *potest etiam addi*, & dist. 16. quæst. un. §. *ideo dico aliter*, ubi vult entis passiones ita universaliter de omnibus prædicari, sicut ipsum ens; quod etiam ratione firmatur, quia propria passio alicujus subjecti ipsum comitatur, & consequitur in tota sua latitudine, & abstractione spectatum, alioquin cum ipso convertibilis non esset, cum ergo unum sit proprietas entis, ipsum consequi debet in tota sua latitudine, & amplitudine acceptum; quemadmodum igitur ens, ut sic, non immediate dicit individua rerum, sed sumitur pro ipsa ratione, seu conceptu entis præciso per intellectum, ita quoque unitas transcendentalis non immediate supponit pro hac, aut illa unitate, hujus, vel illius entis, sed pro ipsa unitate, ut sic, quæ rationi entis, ut sic correspondeat. Confirmatur, quia si unitas transcendens entis latitudinem adæquare debet, opus est, quod sicut ipsum ens importat rationem communem essendi omnibus entibus, ita etiam sua unitas importet rationem unitatis communem omnibus unitatibus, ut hoc pacto servet debitam cum ente proportionem. Confirm. ulterius; quia determinativa unitas fluere, & originari nequit, nisi a determinato ente, nam unitas commensuratur cum principio, a quo originatur; cum igitur ens, ut sic, abstrahat ab omni determinatione entitatis, quia in tali statu solam inchoationem importat omnis essentiæ, & cujusvis entitatis initium absque ulla prorsus determinatione, orietur unitas ab eo cum eadem omnimoda indeterminatione, sicut enim ens, a quo fluit, non habet determinationem ullam entitatis, ita nec ullum unitatis determinatum modum in tali statu possidere potest, ex quo tandem deducitur, unitatem transcendentalem non adæquate importare unitatem singularem, qui est quidam determinatus unitatis gradus.

30 Respondebis forte pro Averßa hanc rationem probare tantum unitatem transcendentem non esse individualem individualiter acceptam, idest pro determinata unitate individuali, aut in confuso, & vage pro hac, & illa individuali unitate, quod utique verum est, quia ens cum sit communicabile pluribus, utique nequit habere pro passione unitatem incommunicabilem, qualis est unitas individualis, & individualiter sumpta; non tamen probat unitatem individualem in communi sumptam, & ab hac, & illa individuali unitate abstractam esse non posse passionem entis adæquatam. Contra, quia etiam hoc convincit allata ratio, ipsa enim demonstrat unitatem transcendentalem tantæ amplitudinis esse, ut nequeat importare aliquem determinatum unitatis gradum, sicut neque ens, cujus est adæquata passio, importat determinatum entitatis gradum; cum ergo unitas singularis etiam in communi sumpta, sit quidam determinatus gradus unitatis, quia est resolubilis in conceptum superiorem unitatis, ut sic, & præterea ipsum datur quoque gradus unitatis essentialis, seu formalis genericus, vel specificus, item unitas quantitativa; Consequens est unitatem singularem etiam sic sumptam esse non posse unitatem, quæ est adæquata entis passio, quia entis, ut sic, nequit poni passio, nisi unitas, ut sic, non vero aliqua determinata unitas. Confirm. quia omnes præfatæ unitates, si advincem comparentur, omnes, & singulæ conveniunt in ratione unitatis, ut sic, quia unaquæque nedum dicit rationem unitatis, sed etiam rationem talis unitatis, secundum quam inter se distinguuntur, ergo debet dari ratio unitatis, ut sic, quæ sit communis omnibus illis unitatibus, & consequenter aliqua, quæ sit universalior individuali, & hæc erit unitas transcendentalis, quæ est ipsa passio entis. Confir. insuper, quia unitas singularis etiam in communi accepta est magis enti improportionata, quam aliæ omnes unitates, ergo est aliis ineptior, ut sit adæquata entis passio, consequentia patet, probatur assumptum, quia ens importat primam rationem realitatis omnibus communicabilem, veluti initium omnis essentiæ, unitas vero individualis non solum importat determinatum gradum unitatis, sed etiam ultimum, adeout per ulteriores gradus amplius determinari nequeat; tum quia ens est ita pluribus communicabile, ut in tali communicatione essentialiter dividatur nedum in specie diversa, sed etiam genete, ut in substantiam, & accidens; sed unitas individualis etiam in communi accepta communicari

nicari nequit; nisi pluribus solo numero diversis, & sic solum individualiter ad summum dividi potest, non autem essentialiter, ergo est omnino improportionata cum ente.

31 Denique Unitas transcendens vere dicitur de his etiam, in quibus nulla ratio unitatis numericæ, seu singularis invenitur, ergo non est sola unitas singularis etiamsi in communi sumatur; nec a sola unitate singulari ejus conceptus sumi debet, sequela patet; probatur assumptum, quia unum re vera dicitur de aliqua natura communi præcise sumpta, ut de homine, sicut enim homo, ut sic, vere dicitur ens, ita & unum ens, & tamen satis exploratum est, hominem sic præcise sumptum, ut abstrahit a differentiis individualibus, nullam habere unitatem individualem. Conf. quia non omnis unitas realis est numeralis, seu singularis, ut inferius ostendam cum Scoto 2. d. 3. q. 1. D. quia præter hanc datur etiam unitas formalis specifica, vel generica, quæ sunt reales si pro prima intentione sumantur, ergo unum transcendentale nequit in re solam unitatem significare singularem, quia ab omni determinata unitate reali ratio unius, ut sic, abstrahibilis est. Et ex hoc tandem solidatur principale argumentum jam contra Averßam ab initio factum, quia unitas, quæ est passio entis, debet cum ipso converti, itaut ubicumque est ens, sit etiam unitas, & e contra, sed hoc non convenit unitati individuali etiam in communi acceptæ, nam dantur gradus quidam essentiales entis, ut genericus, & specificus, qui sunt essentialiter entia, & consequenter habent proportionatam unitatem, quæ sequitur ad talem gradum entis, & tamen in ipsis non reperitur unitas individualis etiam in communi sumpta, alioquin determinabiles non essent per differentias essentiales, cum ergo talis unitas non omni enti conveniat, consequenter neque est passio cum ente convertibilis.

32 Secundo altera pars conclusionis, quod scilicet unitas transcendens non possit in rebus omnibus desumi a realitate unitatis quantitativæ; quasi in re sit sola unitas quantitativa, probari potest rationibus allatis pro præcedenti conclusionis particula, nam cum entitas quantitativa non sit unitas universalissime sumpta, ut sic, sed determinatus quidam unitatis gradus, qui est proprius quantitatis sua indivisibilia terminativa habentis, consequenter poni nequit adæquata entis passio, sicut enim ens, ut sic, nullum entitatis determinatum gradum dicit, ita nec unitas, quæ est ejus passio, aliquem unitatis determinatum gradum, qualiscumque iste ponatur. Deinde probatur specialiter, quia conceptus entis, ut sic, non desumitur a sola quantitate in rebus, nam alia dantur entia præter quantitatem, ergo neque conceptus unitatis transcendentis a sola unitate quantitativa sumetur, & hæc consequentia patet ex adæquatione, & proportione, quæ inter ens, & unitatem; quæ ejus passio ponitur, intercedere debet. Conf. quia separata substantia ab omni quantitate, quod divinæ omnipotentiæ minime repugnat, ut dictum est in Physicis, adhuc ipsa esset vere una, sicut vere esset ens, ergo non omnis unitas in re est unitas quantitativa, nec unitas transcendentalis a sola unitate quantitativa sumetur. Denique si unum transcenderter sumptum non diceret in rebus, nisi unitatem quantitatis, sequeretur in immaterialibus, & quantitate carentibus nullam vere unitatem reperiri, neque cum veritate dici posset, Deum esse unum, quia quantitate caret. Immo neque in ipsis entibus materialibus, & quantitas ista propositio esset per se in secundo modo, ens materiale est unum, quia quantitas est accidens substantia materialis, & sic de ipsa ita per accidens prædicaretur transcendentalis unitas, sicut ipsa quantitas, quam hic supponimus ex Physicis a substantia materiali realiter distingui.

33 At inquit Averßa cit. sect. 6. hæc, & similia argumenta supponere falsum, nimirum unitatem numeralem solis rebus materialibus convenire, quod non dicebat Avicen. sed potius putavit unitatem numeralem omnibus rebus communem esse, atque ideo numerum non ex solis rebus extensis, earumque unitatibus, sed ex quibuscumque rebus, & unitatibus adæquate consurgere; quamvis numerum hoc pacto sumptum, & unitates numerales sic sumptas in prædicamento quantitatis sub genere quantitatis discretæ concluserit. Hæc tamen instantia parum officit, quia argumenta procedunt ex suppositione; quod Avicen. per unitatem numeralem intelligeret illam unitatem quantitativam, quæ est principium illius numeri, quod Arist. ait 3. Phys. resultare ex divisione continui ut ei communiter tribuitur. Tum quia quocumque modo explicetur hæc unitas numeralis, petendum est, an importet aliquem determinatum gradum unitatis, vel potius unitatem, ut sic, ab omni determinatione præcisam, si primum, ergo numquam poterit esse adæquata entis passio, quod præscindit ab omni determinato gradu essendi, atque ideo ab ipso in tali statu determinata unitas originari nequit, si vero importat unitatem, ut sic, tunc ultro concedendum est esse adæquatam entis passionem, sed satis inconsulto tunc appellaretur unitas numeralis, vel quantitativa, quia hæc dicunt determinatum gradum unitatis.

34 Tertio, quod unitas transcendentalis in rebus sumi nequeat ab aliqua una realitate communi transcendentali, quæ eadem in omnibus reperiatur, ut dicebant illi Scotistæ, probatur ex dictis disput. 2. de conceptu entis, ut enim constat ex dictis ibidem, ens, ut sic, non dicit in re realitatem aliquam communem Deo, & creaturæ, sed solum conceptum inadæquatum, ergo neque unitas ejus affectio talem unam realitatem importare potest, quæ fluat a realitate communi entis, quoniam nequit passio majorem entitatem, ac unitatem habere, quam habeat suum subjectum. Tum quia ex hac positione omnia prorsus sequerentur absurda; quæ disput. cit. inferebantur contra fundantes conceptum entis in unica realitate per ipsum adæquate importata, nimirum compositio in Deo, quod aliquod prædicatum daretur prius natura ipso Deo, quod non essent Deus, & creatura primo diversa in realitate, & alia hujusmodi. Quamvis ergo isti Scotistæ non incidant in communem errorem præcedentium opinionum, qui conceptum universaliſſimum unitatis transcendentis sumebant adæquate ab aliqua unitate in certo, ac determinato gradu, nimirum vel singulari, vel quantitativa, sed a realitate communi, talique conceptui adæquata, adhuc tamen falsum supponunt, quod nimirum detur talis realitas communis de ente prædicabilis in quale convertibiliter; nam sicut ens talem communem realitatem non importat, ita neque aliqua ejus passio.

35 Quarto tandem, quod unitas transcendentalis abstrahi possit ab omni realitate determinatæ unitatis inadæquate sumpta, quæ erat ultima conclusionis particula, facile deducitur ex præcedentibus, cum enim ab hac realitate determinatæ unitatis, vel illa dumtaxat sumi nequeat, neque ab aliqua unica communi realitate quam importet, restat, ut sumatur ab omnibus, & singulis unitatibus determinatis inadæquate sumptis, & ratio est, quia quæcumque unitas realis determinata fundare potest conceptum unitatis in communi sibi inadæquatum, ergo ratio unitatis transcendentis est vere abstrahibilis ab omni realitate unitatis realis; Consequentia est de se nota, probatur assumptum, nam quælibet unitas determinata resolvi potest in conceptum unitatis, ut sic, cum quælibet prædicationem recipiat unitatis in communi. Conf. quia in qualibet determinata unitate five singulari, five quantitativa, includitur quidditative ipsa unitas in communi, ut sic, sicut initium, & radix cujuscumque unitatis in particulari, ergo quælibet determinata unitas statim ac inadæquate concipitur, fundat conceptum unitatis transcendentalis. Confirmatur insuper exemplo abstractionis conceptus ipsius entis, nam in determinato ente v. g. substantia, vel quantitate conceptus entis sumitur a determinatis illis entitatibus, tamen indeterminate, ac inadæquate sumptis, ergo pariter dicendum quod unitas, quæ est passio entis, sumitur in quolibet ente a determinata illius unitate, indeterminate tamen, ac inadæquate sumpta, unde sicut dicendo, Petrus est ens, ly ens sumitur a determinata Petri entitate, ita cum dicitur Petrus est unus, ly unus a determinata Petri unitate sumetur, & sicut dicendo, homo est ens, sumitur ly ens a determinata hominis entitate, sic dicendo, homo est unus, seu una natura, ly unus dicit in re unitatem formalem propriam humanitatis in conceptu confuso, & inadæquato repræsentatam.

36 Concluditur itaque unitatem transcendentalem, quæ est passio entis, solum primam rationem unitatis, ut sic, importare ab omni prorsus determinatione denudatam, qua ad talem, vel talem unitatis gradum determinetur, quia ut ab initio dixi, unitas quæ est passio entis, debet esse unitas pluribus communicabilis, immo talis, quæ sit initium cujuscumque alterius unitatis, ac eandem prorsus latitudinem, & amplitudinem habere cum ente, alioquin adæquata ejus passio non foret, nequit autem esse hujusmodi, nec unitas essentialis sive generis, sive speciei, neque unitas singularis, neque unitas quantitativa, neque alius determinatæ unitatis gradus, sed sola, & præcisa unitas, ut sic, hæc enim sola adæquatur enti in tota sua latitudine, aliæ vero unitates enumeratæ insequuntur gradus determinatos essentiæ, scilicet, vel naturas prædicamentales, vel eorum individua, non vero conceptum entis, ut sic, hanc opinionem quoque defendit Pasqualig. late disp. 10. sect. 2. ac etiam Suarez disp. 4. sect. 9. licet Pasqualig. faciat eum in modo loquendi aliqualiter dissentientem a nobis, sed si bene expendatur, equidem non aliam a nostra sententiam ibi profitetur; item Meurifs. lib. 2. suæ Metaph. q. 7. de uno, & alii passim eam supponere videntur.

In contrarium. Primo obiicit Averßa probando unitatem universalem passionem entis constitui non posse, nam unitas transcendentalis est illa, quæ primo, & per se convenit enti realiter, non vero per rationem, sic autem enti in communi non convenit unitas universalis, idest unitas præcisionis, quæ est unitas per intellectum, sed potius unitas singularis; tamen universaliter, & in communi sumpta. Conf. quia passio alicujus prædicati communis dici debet de omnibus inferioribus ejus, & maxime de individuis, sed unitas universalis non descendit cum natura ad ipsa individua, sed convenit præcise ipsi naturæ in statu abstractionis, & rationis.

37 Resp. per unitatem universalem varios unitatis modos posse intelligi, vel enim intelligitur unitas, quam natura communis recipit ab intellectu, cum eam actu universalem facit, de qua unitate dictum est in Logica disp. 4. de Universal. in prædicando, & cum unitas universalis in hoc sensu sit unitas rationis, & non realis, unitatem transcendentalem in hoc sensu non appellamus universalem, interdum vero per unitatem universalem solet intelligi unitas essentialis seu formalis generis, & speciei; & quamvis ista unitas sit realis, ut inferius dicetur disp. 9. cum enim talis unitas conveniat naturæ communi ab intrinseco suæ quidditatis, quia ex se habet quod non sit multiplex quidditative, ideo erit talis unitas suo modo realis, sicut realis est ipsamet essentia communis, attamen neque in hoc sensu unitas entis debet dici universalis, quia talis universalitas est limitata, non transcendens, unde unitas universalis in hoc sensu

non est ipsa unitas, ut sic, ab omni determinatione præscindens sed potius est quidam gradus unitatis conveniens gradibus essentiæ prædicamentalibus genericis, & specificis. Demum per unitatem universalem intelligi potest ipsa unitas in communi, ut sic, ab omni determinatione præscindens, & in hoc sensu unitas universalis est passio entis, & in hoc sensu neg. minor scilicet unitatem universalem non convenire enti, ut sic, ut ejus adæquatam passionem, sed potius unitatem singularem in communi sumptam; cum enim intellectus concipit ens transcendens, non solum non concipit individuum aliquod determinatum, sed neque etiam individuum in communi; concipit enim solam universalissimam rationem essendi, prout ab omni determinatione præscindit, & ideo enti in tali statu unitas individualis nequaquam convenire potest etiam in communi sumpta, cum potius hæc sit ultima entis determinatio, sed solum ei convenit unitas, ut sic, abstractissime sumpta, quæ importat primam realem inchoationem cujuscumque unitatis ab hac, & illa præcisam, & sicut natura entis præcisa est realis, ita pariter ejus unitas. Ad Conf. verum est passionem prædicati, seu naturæ communis absolute supponentis debere etiam inferioribus ejus convenire (si enim esset passio illi conveniens ut supponit simpliciter, opus non esset, quod inferioribus quoque competeret) id tamen ita intelligendum est, ut ea passio per se primo naturæ communi conveniat, & per se secundo inferioribus ejus, idest non quatenus talia, sed præcise quatenus participant rationem illam communem, unde risibilitas, quæ est adæquata hominis passio, dicitur illi convenire, non per se primo quatenus Petrus est; sed per se secundo, scilicet quatenus homo; hoc autem totum nequaquam unitati singulari, etiamsi in communi sumatur, applicari potest, quia nec convenit enti, ut sic, in tali enim præcisione ab omni unitate individuali præscindit, neque omnibus inferioribus ejus, cum non conveniat gradibus genericis, & specificis naturarum communium, sed hoc solum munus est unitatis, ut sic, quæ est prima inchoatio omnis unitatis; unitas enim sic communissime sumpta convenit primo, & per se enti, ut sic. Deinde convenit etiam inferioribus, non quidem per se primo, sed solum per se secundo, ut de resibilitate dicebam respectu Petri, & Pauli, & ad ipsa individua usque cum ipso ente descendit, quia sicut ipsis communicatur ens, ut prima radix, in qua fundatur entitas individualis, ita etiam communicatur ipsa unitas, ut sic, in qua fundatur unitas individualis.

38 Secundo specialiter probat Aversa solam unitatem singularem esse adæquatam entis passionem, omne ens a parte rei, & realiter est singulare, estque singulariter indivisum, nullumque datur universale realiter existens, aut existere potens, ergo hæc unitas est passio entis realis adæquata. Tum 2. quia unitas singularis ad nullum prædicamentum restringitur, sed per omnia divagatur; ergo hæc est unitas transcendentalis, quæ est passio entis. Tum 3. unitas, quæ est passio entis, debet cum ipso proportionari, ergo sicut ens abstrahitur ab hoc, & illo ente, ita etiam unitas ejus passio ab hac, & illa unitate singulari, ergo unitas singularis vere est passio entis. Tum tandem in quolibet gradu universali duplex unitas considerari potest, altera præcisionis, quæ sit per rationem, & ista nequit esse passio entis, quia est secunda quædam intentio, altera singularitatis, quæ realiter convenit ipsis rebus, & consideratur in communi, sicut ipsa natura realis, & sicut omnis alia proprietas conveniens eidem naturæ, hujusmodi ergo unitas est adæquata passio entis conveniens tum singulis individuis in particulari, tum singulis gradibus universalibus, etiam ipsi enti, qui est gradus universalissimus, quatenus consideratur in communi.

Resp. omne ens a parte rei esse singulare, vel singulariter existens vel immediate, ut ipsa singularia, vel saltim mediate, ut naturas communes, quæ in ipsis existere dicuntur, quæ non nisi extrinsece, & per accidens singulares dicuntur; intrinsece vero habent unitatem suam propriam minorem unitate numerali, & ideo negatur consequentia; item verum est, unitatem singularem omni enti existenti convenire, non quidem quatenus est ens, sed quatenus individuum, unde solum sequitur esse passionem entis individualis, non vero entis, ut sic, itaque unitas, quæ omnibus rebus existentibus convenit, ut etiam sunt, est unitas præcisissime sumpta, quia si eis convenit talis unitas a parte rei, consequenter etiam convenit unitas, ut sic, Dices unitatem, ut sic, non convenire illis, nisi per præcisionem intellectus, atque ideo non esse unitatem realem, sed rationis. Resp. negando consequentiam; quia hoc fit cum fundamento præcisionis in re, & unitas ipsa singularis in communi, quam facit Aversa passionem entis adæquatam, non fit ita communis, nisi per præcisionem intellectus, & tamen ait esse unitatem realem. Ad 2. posset eodem pacto probari unitatem essentialem esse transcendentalem, quia in omnibus prædicamentis reperiuntur genera, & species, sicut individua; illa ergo unitas vere, & proprie dicitur transcendens, quæ ens immediate sequitur, & convenit ei per se primo, & aliis omnibus inferioribus per se, licet non primo, qualis solum est unitas, ut sic, non autem unitas singularis, quia nec convenit enti immediate, nec gradibus inferioribus genericis, & specificis. Ad 3. sicut ens non tantum in individuis includitur, sed etiam in aliis gradibus essentiæ genericis, & specificis, ita & unitas, quæ est ejus passio, non tantum ab unitatibus singularibus debet abstrahi, sed a quolibet alio unitatis gradu, & talis solum est unitas, ut sic; quæ etiam magis enti proportionatur, quam unitas singularis in communi; quia ens ut sic abstrahit ab omni determinativo, non autem unitas singularis in communi, quia adhuc in tali communitate retinet determinativum talis unitatis, & solum unitas, ut sic, ab omni tali determinativo præscindit; atque ideo magis cum ente ut sic proportionatur. Ad ultim. negatur unitatem singularem etiam in communi sumptam convenire enti, ut sic, & gradibus universalibus entis, nam hujusmodi gradus habent propriam unitatem intrinsecam, quæ non est singularis, nec fiunt singulares, nisi extrinsece, & per accidens ex adventu differentiæ individualis contrahentis, sed unitas, quæ omnibus gradibus entis convenit, ut entia sunt, est unitas, ut sic, talis autem unitas scilicet essentialis, vel individualis convenit eis, ut talia entia sunt.

39 Tertio ad idem unitas transcendens, quæ ponitur passio entis, debet esse realis; sed in rebus nulla est unitas realis præter unitatem numeralem, & singularem, ergo &c. Conf. quia hæc sola unitas convertitur cum ente, ergo hæc sola est ejus adæquata passio; Probatur assumptum, nam omne id, quod hoc modo unum est, ens reale est, & ex adverso omne quod reale est, hoc modo unum est; quia ut ait Boet. omne quod est, ideo est, quia unum numero est. Respond. negando minorem, quia ut infra ostendetur disput. 9. datur unitas formalis, & essentialis præter unitatem numeralem, quæ ex natura rei convenit naturis communibus, quæ unitas esto minor sit unitate singularitatis, tamen est major unitate universalitatis, & ideo est aliquo pacto realis. Ad Conf. negatur assumptum, ad cujus probationem occurritur ex Doctore 2. d. 1. q. 1. omne quod est, unum numero esse, ac singulare, vel per se, vel saltim denominative, & per accidens, quo pacto singulares dicuntur, ac unum numero, naturæ communes in singularibus existentes, ut loc. cit. dicemus, intrinsece tamen sunt entia, & propriam habent unitatem formalem, quæ est unitas realis, licet minor unitate numerali.

Quarto tandem arguunt illi Scotistæ probantes unitatem transcendentalem importare realitatem adæquatam ab entis realitate fluentem, ac ejus conceptum in tali realitate fundari, ideoque esse conceptum adæquatum, id vero probant in primis auctoritate Doctoris loc. supra cit. nam 2. d. 1. q. 6. §. *potest etiam addi*, ait unitatem transcendentalem non differre in his, quibus inest, sicut illa differunt, ideoque entitatem communem præseferre, unde inquit, quod unitas lapidis, quæ non est realiter aliud a lapide, & unitas hominis, quæ est realiter eadem homini, non ita distinguuntur formaliter specie, sicut homo, & lapis, immo hæc unitas, & illa tantum videntur differre numero, & rursus in eodem 2. d. 16. quæst. un. §. *ideo dico aliter*, docet passiones entis vere contineri unitive in ratione entis, ergo sicut ratio entis unam communem realitatem dicit, ita & ejus affectiones, Ratione probatur id ipsum, tum quia regulariter loquendo passio importat realitatem a natura subjecti fluentem, ergo sic etiam erit in proposito, tum quia si unitas entis talem non importat communem realitatem, sed ab omni realitate unitatis determinatæ abstrahi debet, sequitur, quod cum in quolibet individuo sint plures entitates, ac consequenter unitatis gradus, idem individuum toties diceretur unum, quot sunt illæ unitates formales, atque ita cum in Petro sit realitas humanitatis, quam sua consequitur unitas, item & realitas animalis, quæ propriam formalem habet unitatem, item, & realitas corporis, Petrus ter vel quater, aut quinquies diceretur unus, quia tot reperiuntur unitates determinatæ in Petro, a quibus singulis abstrahi potest conceptus unitatis, ut sic, quod non sequitur, si dicatur unam dumtaxat importate realitatem a qua sola abstrahi possit, & non ab aliis.

40 Resp. ad primam auctoritatem, quod cum ibi per continentiam unitivam intelligat Doctor virtualem continentiam eorum, quæ identificantur, plane dum ait passiones entis contineri in determinatis entium rationibus quantumcumque distinctis, significat eas non ab una communi realitate fluere, sed a determinatis entium rationibus, quæ solum in re enti correspondent tamquam conceptui eorum inadæquato, & confuso, neque ex eo, quod ait non tantam esse differentiam passionum entis, quanta est eorum, in quibus continentur unitive, & quasi virtualiter, oppositum deducitur, nempe quod unam realitatem communem præseferant, sed per hoc solum significare voluit, quod realitates illis correspondentes non differunt semper sicut realitates illæ, a quibus ratio entis abstrahitur, quod declarat exemplum ab ipso adductum, nam unitas propria formalis hominis, ut sic, & lapidis, ut sic, non differunt specie, sicut homo, & lapis, sed solum numero, unitas formalis specifica hominis, & unitas specifica albedinis non differunt genere, sed solo numero, licet homo, & albedo genere differant. Neque etiam officit auctoritas adducta ex 1. d. 16. cum enim ait passiones entis unitive in ente contineri, cum fermo sit in transcendentibus, per talem loquendi modum nil aliud innuere voluit, nisi quod realitates correspondentes passionibus entis vere continentur unitive in realitatibus, quæ correspondent enti, non autem quod in re ens, & ejus passiones dicant realitates communes præcisas ex natura rei. Ad rationem pro prima parte sæpius dictum est non esse consimilem rationem de passionibus naturarum prædicamentalium, & transcendentium; illæ namque utique realitates, proprias, & adæquatas important, sed istæ nullas tales dicunt realitates, sed solum sunt rationes abstrahibiles a pluribus realitatibus per intellectum inadæquate concipientem. Ad eandem pro

pro alia parte negatur consequentia, quia ab omnibus, & singulis unitatibus in Petro repertis, si ita inadæquate sumantur, ut abstrahant a propria determinatione, non nisi conceptus unitatis, ut sic, abstrahi potest, qui est conceptus unitatis transcendentis, & sic semel dicetur unum, & non plures, quia plures illæ unitates inadæquate conceptæ solum conceptum unitatis transcendentalis fundare possunt; & conceptus unitatis a singulis abstractus est ejusdem rationis.

QUÆSTIO IV.

An unitas supervaddat enti solam negationem divisionis, vel potius quid positivum aliquo pacto ab ipso distinctum.

41 QUia Unitas formaliter opponitur divisioni, ideo per indivisionem solet regulariter explicari unitatis conceptus, ut Arist. docebat 5. Met. tex. 11. *Universaliter namque quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur, ut puta si prout homo non habet divisionem, unus est homo; quod si prout animal, unum animal, quod si prout magnitudo, una magnitudo.* At quia non statim ac aliquid per negationem explicatur, putandum est nihil positivum importare, multa namque a nobis per negationem explicari solent, quæ tamen in re quid positivum important, hoc constat de incorporeo, & immortali, quæ explicare solemus per negationes corporeitatis, & mortalitatis, quæ consequuntur per perfectiones positivas, quas in re important, hinc orta est proposita controversia, num unitas transcendentalis entis præcise dicat negationem præfatam divisionis, vel potius rationem, & perfectionem aliquam positivam, ad quam talis negatio consequatur, & per talem negationem, ut nobis notiorem, a posteriori explicetur. Pro prima problematis parte stat Aversa qu. 5. sect. 2 citans pro ea D. Thom. 1. p. qu. 11. art. 1. & qu. 30. art. 3. & 1. d. 24. qu. 1. art. 3. & 4. Metaph. Albert. 1. p. tract. 6. qu. 24. memb. 2. Henric. quol. 1. quæst. 1. Durand. Greg. Gabriel. Capreol. 1. d. 24. Cajet. Bann. & alios Thomistas circa loc. cit. S. Thomæ Soncin. 4. Metaph. quæst. 23. Ægid. ibid. quæst. 8. Javel. qu. 8. Bland. quæst. 3. Aquar. quæst. 3. Iandun. quæst. 4. Fonsec. cap. 2. quæst. 5. Averr. com. 3. Suarez disput. 4. sect. 1. Masum lib. 3. transcend. cap. 9. citantur præterea pro eadem sententia Hervæus quol. 4. quæst. 1. Ocham 1. d. 25. quæst. 1. Riccard. artic. 1. quæst. 2. Aureol. quæst. unic. artic. 3. & quol. 3. Niphus 4. Metaph. disp. 3. Valent. tom. 1. disp. 1. quæst. 11. punct. 1. Fasol. 1. p. q. 11. art. 1. dub. 3. Gillius lib. 2. de essent. Dei tract. 3. c. 2. Gonzal. 1. p. q. 11. disp. 23. Arriag. disp. 1. Met. sect. 3. subsec. 3. & ex nostris Mairon. 1. disp. 24. q. 2. & Bassol. ibid. & alii quamplures.

42 Opposita sententia docet Unitatem de suo formali importare aliquid positivum, & solum de connotato dicere negationem divisionis, per quam explicari solet a nobis; & hæc est communior, quam prima, quia re vera multi Auctores, qui pro ea citantur, tenent hanc secundam, licet non omnes eadem via procedant; Aliqui namque asserunt utique unitatem de formali quid positivum importare, sed nolunt hoc positivum esse aliquid ipsi enti superadditum, & aliquo pacto re, vel ratione ab ipso distinctum, immo dicunt hoc positivum per unitatem importatum esse ipsum ens, non quidem sub conceptu entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti negationis divisionis, ita Aravius 4. Metaphysic. quæst. 4. artic. 3. & Blasius a Concep. disp. 21. Metaphysic. quæst. 1. & alii recentiores Thomistæ, qui in hunc sensum interprerantur vetustiores pro prima opinione relatos; & hujus sententiæ videtur etiam Suarez loc. cit. dum inquit Unitatem formaliter importare entitatem in se indivisam, idest quatenus stat sub negatione divisionis in se. Alii vero asserunt hoc positivum per Unitatem formaliter importatum esse quidpiam enti superadditum, & aliquo pacto ab ipso distinctum, quonam vero distinctionis genere, an scilicet realiter, vel solum ex natura rei formaliter, aut ratione dumtaxat, discurrunt omnes juxta sua principia, Avicen. lib. 3. suæ Metaphysic. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. significavit hoc, quod unitas enti superaddit, ab ipso ente realiter distingui; Scotus vero 4. Metaphysic. quæst. 2. & 2. d. 1. quæstion. 6. §. *potest etiam addi*, & d. 3. quæst. 1. & d. 16. quæstion. unic. §. *ideo dico aliter*, Ant. And. 4. Metaphysic. quæst. 2. Faber ibid. disput. 7. Tatar. ibid. quæst. unic. Meurisse lib. 2. suæ Metaphysic. cap. 3. 1. p. qu. 1. & alii Scotistæ mitius procedentes nolunt hoc positivum esse rem proprie enti superadditam, & ab ipso realiter distinctam, sed aliquam formalitatem enti ipsi superadditam, & solum ex natura rei formaliter distinctam; immo Scotistæ illi, qui negant conceptibus transcendentibus proprias correspondere realitates adæquatas, nolunt hanc distinctionem esse in omni rigore formalem actualem, qualis inter realitates plures ejusdem rei versari solet, sed solum virtualem, & fundamentalem, in quo sensu etiam sustinetur a quibusdam Thomistis, unde Bannes p. 1. quæst. 1. art. 1. concl. 1. ait unum addere aliquid positivum vera, & propria additione. Alii explicant sola ratione distingui declarantes hanc distinctionem esse rationis ratiocinatæ, vel solius rationis ratiocinantis, vel absolute ponentes talem distinctionem sine ulteriori declaratione, ut D. Bon. 1. d. 23. artic. 1. quæst. 1. Baccon. d. 33. quæst. unic. art. 2. Alens. 1. p. qu. 13. membr. 1. & 2. Soto in Logic. cap. de proprio q. 2. Venet. in Met. c. 15. Vasquez 1. p. disp. 128. cap. 2. Hurtad. disp. 4. Met. sec. 1. subsec. 2. Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 6. sec. 2. ubi nu. 7. ait illud positivum, quod de

ARTICULUS I.

Unitas importat formaliter positivum enti superadditum, & solum consequenter negationem.

43 CONclusio hujus articuli est Scoti expresse 2. d. 3. q. 2. §. *concedo igitur*, & 4. Met. q. 2. & eodem lib. 4. super tex. 3. & 1. d. 31. qu. un. lit. E. & quol 6. art. 1. lit. A. & est communis apud Scotistas 4. Met. Ant. And. Zerb. Faber. Tatar. Meuriss. loc. cit. Vulp. 1. tom. 1. disp. 9. art. 3. Tromb. 19. Met. q. 1. Smisinch. de Deo uno tr. 3. disp. 1. q. 1. Ponc. tom. 3. sui Cursus disp. 19. q. 2. Sax. tom. 1. suæ Catastr. disp. 10. q. 3. & sequuntur Auctores omnes citari pro secunda sententia, licet aliqui nolint tale positivum esse quidpiam enti superadditum, sed rationem ipsam entis sub indivisione conceptam; at tale positivum esse aliquam formalitatem enti superadditam, nedum probabitur art. sequenti, sed etiam in præsenti, quia rationes fere omnes ostendentes Unitatem dicere quid positivum, ostendunt etiam id debere esse aliquam formalitatem enti ipsi superadditam; probant Scotistæ hanc conclusionem una, vel altera ratione ex Doctore deducta; ego vero omnes, & singulas adducam, tum quia omnes validas opinor, tum ut ostendam solutiones Adversariorum ipsis adhibitas sufficientes non esse.

44 Prima ratio innuitur a Scoto loc. cit. 2. d. 3. q. 2. ubi dicit, quod illa negatio, per quam solemus unitatem entis explicare, habet causam positivam, per quam insit ei, & ratio est, quam ipse ibi insinuat in corpore quæsiti, & 1. d. 28. q. 2. ad 1. & 3. d. 1. q. 1. §. *contra secundam viam*, nulla negatio inest per se, & primo alicui, sed semper ratione alicujus positivi, præsertim si talis negatio convenit subjecto necessario, ac inseparabiliter; cum igitur negatio divisionis necessario insit enti, plane immediate ad ipsum consequi non potest, sed ad aliquam formalitatem positivam, quæ sit veluti proxima radix talis negationis, & hæc erit ipsa formalitas positiva Unitatis. Quod autem non immediate consequatur ad rationem ipsam entis, ut Adversarii dicere solent, Probatur, quia præcisa ratio entis est tantum ratio essendi absolute, non autem essendi unum, vel plura, quia abstrahit ab his rationibus, ergo talis negatio convenit enti per aliam rationem proximiorem, quæ erit unitas; probatur assumptum, quia prius est aliquid esse in se non repugnans, quam esse unum, alioquin unitas non esset entis proprietas. Tum quia negatio illa divisionis oritur immediate ex tali positivo, quod sit formaliter exclusivum divisionis, talis autem non est ratio entis, quia ratio essendi reperitur tam in uno, quam in multidine, cum æque multa existant ac unum, ergo ratio entis præcise sumpta non potest esse proximum fundamentum negationis divisionis, sed hæc erit formalitas positiva, quam importat unitas, hæc enim est formale exclusivum divisionis. Tum quia illa est ratio positiva, ad quam proxime, & immediate sequitur negatio divisionis, quæ immediate opponitur multitudini, talis autem non est ratio præcisa entis, sed alia ratio positiva ad ipsam consecuta, ergo ista præcise est proximum fundamentum illius negationis; Major patet, quia per negationem divisionis tollitur multitudo, ergo fundamentum proximum, & immediatum talis negationis est illud, quod immediate opponitur multitudini. Probatur minor, quia ens non habet immediatam oppositionem cum multitudine, vel divisione, sed cum non ente.

45 Respondet Aversa loc. cit. falsum esse, quod ens secundum se abstrahat ab uno, & pluribus, quinimmo omne ens ex vi suæ entitatis est unum, nullaque alia ratio positiva potest intelligi superaddi, quæ determinet ens ad esse unum, & quæ ipsius indivisionis fundamentum esse fingatur. Contra, quia argumentum factum directe hanc solutionem infringit; tum quia ut arguit Doctor 2. d. 3. q. 4. in fine, ex Avicen. 5. Met. equinitas est tantum equinitas, & nec una, nec plures, quantumcumque unitas ejus non sit alia res addita, ergo si quælibet natura præcise considerata, ut natura, non est una, nec plures, idem quoque de ente dicendum, quod secundum se, & præcisam ejus rationem abstrahit ab uno, & pluribus. Tum quia cum dicunt Adversarii, ens ex vi suæ entitatis, & rationis formalis esse unum, vel intelligunt formaliter, vel causaliter eo pacto, quo hominem ex vi rationalitatis dicimus esse discursivum; si primum, ergo unitas non erit passio entis, quia non consequitur ad suam rationem formalem, sed potius in ea includitur, & ad intelligendum ens esse formaliter unum, nedum necessaria non erit alia formalitas superaddita, sed nec etiam negatio aliqua consequens, quia ex vi suæ entitatis, & rationis formalis præcise ens ponitur unum; si vero illud dictum faciat dumtaxat sensum causalem, ut vere intelligi debet; cum ratio entis nequeat immediate causare negationem divisionis, ut probarum est, dicendum est causare aliquam formalitatem positivam, ad quam immediate talis negatio consequatur. Conf. hæc instantia, quia etiam in communi modo loquendi proprietates subjectis

tribuimus ex vi rationis, & quidditatis eorum, sic albedinem dicimus ex sua ratione esse visus disgregativam, quantitatem ex sua ratione impenetrabilem, hominem ex sua ratione discursivum, at utique per hunc loquendi modum minime significare intendimus hominem per rationalitatem formaliter esse discursivum, quasi rationalitas sit ipsa discursivitas, nec quantitatem per suam rationem esse impenetrabilem, quasi ejus ratio sit ipsa impenetrabilitas, nec albedinem ex sua ratione esse disgregativam, quasi ejus ratio sit ipsa disgregativitas, sed solum intendimus has proprietates a ratione formali, ac essentia subjectorum illorum dimanare, ergo etiam cum dicitur ens ex vi suæ entitatis, & rationis formalis esse unum, id causaliter tantum debebit intelligi, non formaliter. Denique ens, ut ens, formaliter loquendo non dicit ordinem, nisi ad existentiam possibilem, seu ad non repugnantiam, non autem ad indivisionem, seu divisionis negationem, ergo ratio entitatis non est formaliter loquendo illa ratio positiva, ad quam immediate sequitur negatio divisionis. Quod etiam declarari potest in aliis similibus, quamvis enim corpus naturale ex sua ratione formali sit mobile, quia ex sua quidditate habet, quod sit mobile, & per suam rationem formalem talis passio illi competit; tamen negatio immobilitatis non sequitur immediate ad naturalitatem, quæ est ratio corporis naturalis, sed immediate sequitur ad mobilitatem, hæc enim est formale exclusivum immobilitatis; sic igitur in proposito, esto ens ex sua ratione formali sit unum, & indivisum modo explicato, tamen negatio divisionis non sequitur immediate ad ipsam formalem rationem entis, sed ad formalitatem ipsam positivam, quæ est passio entis formaliter exclusiva divisionis; unde ratio entis solum radicaliter, & virtualiter est exclusiva divisionis, quo pacto etiam naturalitas dicitur exclusiva immobilitatis, virtualiter nempe, & radicaliter; & ratio hujus universalis est, quia fundamentum, ad quod immediate sequitur aliqua negatio, oppositio modo se habere debet respectu illius, quod per negationem tollitur, naturalitas autem non se habet opposito modo formaliter ad immobilitatem, sed tantum ipsamet mobilitas, & sic etiam in proposito nostro entitas non se habet opposito modo formaliter ad divisionem, & multitudinem, sed tantum ipsa unitas, ut sic, per divisionem a nobis explicata.

46 Secunda ratio est Scoti 4. Met. q. 2. §. *quantum ad primum*; qua utitur Ant. And. ibid. q. 3. & Zerb. q. 4. Quod secundum suam rationem formalem importat perfectionem simplicem, & suscipit magis, & minus, illud de formali dicit aliquid positivum, sed unitas est hujusmodi, ergo &c. Major patet, quia omnis perfectio, ut sic, in aliquo positivo fundatur, privatio namque & negatio, ut sic, nullam dicit perfectionem, nec magis & minus suscipit nisi ratione formæ negatæ; Probatur minor, quia unum in quolibet ente melius est ipsum, quam non ipsum, quæ est descriptio perfectionis simpliciter tradita ab Ansel. tertio Monol. & propter hoc summa unitas tribuitur supremo enti; suscipit etiam magis, & minus, quia datur minor unitas, major, & summa, major enim est unitas per simplicitatem, quam quæ per compositionem, & inter una per simplicitatem adhuc major est unitas Dei, quam Angeli. Tum quia quo magis ens aliquod est unum, est quoque magis perfectum, unde perfectius ens censetur, quod est unum per unitatem simplicitatis, quam quod est unum per unitatem compositionis, ergo unitas secundum suam rationem formalem suscipit magis, & minus, & dicit perfectionem.

Respondet Suarez unitatem dicere perfectionem simpliciter dumtaxat ratione fundamenti, scilicet ipsius entis, in quo fundatur & ita unum ens est perfectius alio, vel magis unum alio ratione fundamenti, quatenus est magis, vel minus compositum, non autem secundum rationem formalem unitatis, ut sic. Sed hanc solutionem jamdudum rejecit Ant. And. loc. cit. ubi hanc responsionem adducit, quia vel unum est passio entis ratione fundamenti, vel ratione alicujus addit supra ens; non primum, quia idem foret passio sui ipsius omnino; si secundum, vel illud additum est positivum, & sic habetur propositum; vel est negativum, & tunc rursus arguit, quia nulla negatio, vel privatio est idem realiter cum positivo, quia tunc idem esset realiter positivum, & negativum, sed unitas realiter cum ente identificatur, quia ex 4. Met. eandem realiter dicunt naturam. Tum quia negatio est realiter, & formaliter nihil, ergo nihil erit passio entis. Sed certe hic Ant. And. discursus potius conclusionem principalem probare videtur, quod nempe unitas non importet formaliter negationem, quam præcedentem solutionem impugnare; unde magis directe illam impugno, quoniam aliud est dicere hoc esse magis ens illo, & hoc esse magis unum illo; & aliud est dicere Deum esse summum ens, & aliud esse summe unum, nam prima prædicatio est essentialis primi modi, alia vero quasi accidentalis, & secundi modi dicendi per se. Tum quia alia perfectio est summa unitas, alia summa entitas, hæc enim essentialiter includitur in conceptu Dei, illa vero est extra essentiam, sicut summa simplicitas, summa sapientia, aliaque attributa, ergo absolute dicendum est, quod dicere perfectionem simpliciter, & suscipere magis, & minus, nedum conveniunt unitati ratione fundamenti, sed etiam ratione propriæ formalitatis. Tum quia major, aut minor unitas non habetur ratione fundamenti, sed ratione formalitatis ipsius unitatis, ergo si major unitas reddit rem magis perfectam in suo gradu essendi, sequitur evidenter unitatem de sua ratione formali importare perfectionem, & magis ac minus suscipere, quia seipsam exhibendo secundum esse primum formale rem facit perfectam, & quo major est, facit magis perfectam. Immo hoc ipsum ostenditur ex ipsa solutione Suarez, ait enim unum ens esse perfectius alio, vel magis unum alio ratione fundamenti, quatenus est magis, vel minus compositum, non autem secundum rationem formalem unitatis; at sane hæc solutio seipsam destruit, quia esse compositum, formaliter loquendo, pertinet ad unitatem per compositionem, immo est effectus formalis talis unitatis, ergo si unum ens est perfectius, vel imperfectius alio, quia est magis, vel minus compositum, hoc est fateri esse magis vel minus perfectum secundum rationem formalem unitatis, ut sic. Denique unitas, & simplicitas in Deo important perfectiones simpliciter, non quidem ratione fundamenti, scilicet divini esse, in quo reperiuntur immersæ, sed secundum propriam rationem formalem, ergo unitas, ut sic, importat perfectionem simpliciter, si enim unitas, ut sic, diceret imperfectionem, quam ex suo genere dicit negatio, & privatio, utique unitas simplicitatis in Deo, quæ continetur sub ente, ut sic, non posset perfectionem simpliciter importare, quia aliquid includeret, quod non diceret perfectionem simpliciter.

47 Ad hoc idem argum. multa dicit Arriag. disp. 1. Met. n. 40. primo retorquet argum. quia sicut unitas per nos consistit in positivo, ita pluralitas in negativo, & tamen utrumque in Deo reperitur, ut dicens perfectionem, sicut enim est unus in essentia, ita est plures in personis. Deinde inquit unitatem, quæ in Deo dicit perfectionem, non esse unitatem transcendentalem, sed illam, quæ consistit in carentia alterius individui similis, est enim perfectionis in Deo, quod alius Deus non detur præter ipsum, & tamen hæc unitas, quæ dici solet solitudinis in omni sententia, consistit in negativo, scilicet in carentia alterius consimilis. Demum negat Deum esse summe unum loquendo de unitate transcendentali, quia quoad hoc tam est una quælibet creatura, quam Deus, tam enim Michael non est plures Angeli, quam Deus non est plures Dii. Hæc solutio tria continet dicta, quorum singula ostendo esse falsa, primum quidem falsum est, quod pluralitas personarum dicat formaliter perfectionem in divinis, nam ut docet Scot. quol. 5. cum personæ pluralificentur per relationes originis, quæ nec perfectionem, nec imperfectionem dicunt, quia non sunt entia quanta, consequenter Trinitas personarum non addit Deo novam perfectionem, sed ejusdem perfectionis exuberantiam, plenitudinem, & fæcunditatem; & tam Deus modo trinus in personis est perfectus, ac si esset unus, non magis vel minus intensive. Secundum quoque dictum falsum est, quia unitas simplicitatis, quæ sub transcendentali continetur, tribuitur Deo, ut quid ipsi intrinsecum, atque per hanc unitatem, & simplicitatem significatur maxima perfectio Dei, itaut ex eo formaliter perfectus sit, quod simplex est, & omnino unus hac unitate. Immo unitas solitudinis non dicit perfectionem in Deo, nisi per accidens, ut enim notavit Suarez disp. 4. sect. 1. num. 24. talis unitas per se non dicit perfectionem, immo nec semper requirit illam, aut provenit ex illa, nam in Deo esse unum tantum in essentia provenit ex perfectione, ramen quod in eo sit una tantum persona, non pertinet ad perfectionem, quia ut dicebam, non esset perfectior Deus, si esset unus in persona, quam modo cum est trinus. Tertium tandem dictum est falsum, quia ad unitatem Dei transcendentalem pertinet non solum, quod non sit divisibilis in plures Deos, sed etiam quod non sit divisibilis in plures partes, ex quibus consset, hoc enim habet unitas simplicitatis, in quo superat unitatem compositionis, & in hoc divina unitas dicitur superare cujuslibet creaturæ unitatem; immo & ipse Arriag. inferius num. 50. gradus admittit in unitate transcendentali, vultque entia simplicia majorem habere unitatem, quam composita, & inter entia simplicia Deum præstare omnibus creaturis.

Mairon. tandem 1. d. 24. q. 2. ait non esse inconveniens dicere, quod aliquæ privationes, quæ privant imperfectiones, sint meliores in quolibet ipsæ, quam non ipsæ; & in hoc sensu inquit etiam Aversa unitatem dici posse perfectionem simpliciter negativam, & meliorem esse ipsam, quam non ipsam, quia melius est imperfectionem non habere, quam habere. Contra, quia privatio ex suo genere mala est, ergo nequit esse perfectio simpliciter. Tum quia negatio negationis universaliter quid positivum est, quia duæ negationes affirmant, sed imperfectio, ut sic, est privatio, ergo privatio hujus privationis debet esse quid positivum.

48 Tertia ratio est Doctoris 1. d. 31. quæst. unic. & quol. 6. artic. 1. nam unitas est proxima ratio fundandi relationes reales identitatis, æqualitatis, & similitudinis, sive sint prædicamentales, sive transcendentales, ex 5. Metaph. 15. ergo aliquam positivam formalitatem importare debet; Consequentia patet, quia nequit relatio, quæ est fundata, majus esse habere, quam suum fundamentum, seu ratio fundandi, a quo accipit suum esse; assumptum autem, quod nempe relationes illæ sint reales, & unitas sit ratio proxima fundandi illas, probat Doctor ex professo loc. cit. & jam a nobis fuse probatum est in Logica disp. 8. quæst. 3. art. 1. & qu. 10. art. 2. ubi ostenditur, unitatem esse veram, & proximam rationem fundandi relationes primi modi, & non tantum conditionem sine qua non, ut aliqui dicebant, præterquamquod hoc etiam dato, adhuc urget argumentum, quia si est conditio necessario requisita ad fundandas relationes reales, & positivas, ergo & ipsa quid positivum præseferre debet, & non meram negationem, nihil enim non videtur conditio requisita ad fundandas relationes reales,

Re-

Respondere solent similiter, ut ad præcedens argumentum, posse unitatem præfatas relationes reales fundare ratione subjecti, in quo reperitur, quod est ens reale, & positivum, non vero ratione suæ formalitatis; sed etiam eodem modo impugnari potest; quia unitas ponitur proxima ratio fundandi præfatas relationes secundum suam rationem formalem, non autem præcise secundum entitatem naturæ, cujus est unitas, ergo secundum suam rationem formalem quid positivum importat; Probatur assumptum, quia si consideretur præcise ratio ipsa positiva entis, sane hæc minime est proximum fundamentum relationum primi modi, scilicet identitatis, similitudinis, ac æqualitatis sed quatenus una ratio entis in pluribus est, & sic in aliis relationibus prædicamentalibus istius generis, ergo absolute dicendum est, rationem unius formalem esse realem, & positivam, & non in pura negatione consistere. Forte dices rationem positivam entis esse proximum fundamentum illarum relationum, non sic simpliciter sumptam, sed quatenus indivisam, seu sub illa negatione sumptam. Sed Contra, quia tunc argumentum principale recurrit, quod relatio fundata esset magis rata, quam suum proximum fundamentum, ad quod formaliter, & proxime constituendum in esse fundamenti concurreret negatio. Tum quia si aliquo pacto ens constituitur fundamentum illarum relationum per illam negationem, sequitur, quod per purum nihil constitueretur in esse proximi fundamenti relationis realis, quod est fictitium. Quod adhuc magis declaratur, quia si ratio entis præcisa ab omni eo, quod unitas addit, non est proxima ratio fundandi relationes primi modi, est autem proxima ratio, quatenus illi additur negatio divisionis in se; ergo fundat proxime, quod prius non fundabat, per nihil positum in altero vel utroque extremorum, & per nihil munus reale exercet, quale est munus fundandi relationes reales, quod prius non exercebat, quod est absurdum evidens.

49 Quarta ratio est, quam supra innuimus ex Ant. And. nulla negatio est idem realiter alicui positivo, sed unitas est idem realiter cum ente, cum sit ejus passio, & ideo 4. Met. 3. habetur ens, & unum eandem dicere naturam, ergo nequit pro formali dicere puram negationem, sed aliquam formalitatem positivam enti identificatam, major. est evidens, quia tunc idem esset realiter positivum, & realiter negativum. Conf. quia ens prædicatur de unitate, nedum in concreto dicendo, *unum est ens*, sed etiam in abstracto, *unitas est ens*, ergo unitas pro formali nequit esse mera negatio, quia tunc vera non esset talis prædicatio, cum ens non prædicetur de nihilo. Dices eam prædicationem esse veram identice, non formaliter. Contra, hoc utique verum est, sed si unitas esset formaliter pura negatio, nec etiam identice vera esset illa prædicatio, ut probat principale argumentum, tum quia ens de nihilo nullo modo prædicari potest nec formaliter, nec identice.

Respondet Cajet. 1. p. qu. 11. art. 1. & Aversa cum ipso loc. cit. unum esse idem cum ente dupliciter intelligi posse, uno modo positive, alio modo negative, & ait utique unum non esse idem positive cum ente, sed negative, scilicet quia non dicit aliam naturam ab ente, sed eandem alio modo. Contra nam si unitas diceret negationem, ex vi suæ formalitatis esset aliquid contradistinctum ab ente, atque ipsi contradictorie oppositum, ergo nullo pacto posset esse idem cum ipso, nec eandem importare naturam. Consequentia patet, quia unum contradictorium est alterius destructivum; Probatur assumptum, quia ens importat aliquid a nihilo contradistinctum, & a negationibus, & privationibus, cum dicat quid positivum, negatio vero tollit positivum, & est non ens. Occurres unitatem dicere talem negationem nempe divisionis, non autem negationem, ut sic, atque ideo non esse contradictorium entis. Contra, quia talis negatio adhuc includit rationem negationis, ut sic, cum sub ea contineatur, ut inferius sub superiori, ergo quamvis sit determinata negatio, adhuc tamen involvit ipsum nihil, & contradictorium entis, & consequenter nequit eandem cum ipso importare naturam, & esse passio entis, quia passio non est destructiva sui subjecti, quemadmodum unum contradictorium est alterius destructivum, sed est illius perfectiva. Forte dices hoc argumentum nimis probare, quia si concluderet, probaret unitatem, nedum pro formali præfatam negationem importare non posse, sed neque etiam pro connotato, quia nulla talis negatio videtur consequi posse ad passionem entis, quæ enti ipsi aliquo modo contradictorie opponatur ea ratione, qua nihil in se est. Hoc tamen nihil obstat, aliud enim est eam negationem ad passionem entis consequi, aliud vero esse formaliter ipsam entis passionem, hoc enim manifeste implicat, ut argumentum probat; illud vero nullum infert inconveniens, quia hoc est commune omnibus positivis oppositis, cum enim ex vi proprii esse excludant alterum oppositum, sive positivum, sive negativum, habent consequenter annexam negationem illius. Dices rursus, argumentum probare, utique unitatem dicere formalitatem positivam, non tamen enti superadditam. Contra, quia vel unum est passio entis secundum præcisam rationem, & formalitatem entis, vel secundum aliam formalitatem enti superadditam; non primum, quia tunc idem esset passio suimet, & esset omnimoda negatio dicere, ens est unum, ac si diceretur est ens; si secundum, aut hæc formalitas superaddita est positiva, & habetur intentum, aut pura negatio, & tunc sequitur argumentum, ut prius.

Ad hoc idem argumentum respondet Arriag. disp. 1. Met. n. 41. quod cum ait unum dicere negationem, non intendit ipsam negationem identificare cum positiva entitate unius, sed illam negationem fundari in entitate positiva, & ex hac entitate, ut ex subjecto, & ex negatione, ut ex forma resultare hoc concretum *unum*, quin positivum identificetur cum negativo, sicut ex subjecto, & albedine resultat album, quin albedo identificetur cum subjecto; unde recte potest prædicari *ens est unum*, nam licet ens non identificetur cum negatione, est tamen subjectum ipsis negationis. Hæc solutio concedit totum id, quod argumentum intendit, nullam nempe negationem cum ente positivo identificari realiter; at argumentum ex alia parte ostendit quod unitas debet cum ente identificari, cum sit ejus passio, & dicat eandem realiter naturam cum ipso 4. Met. 3. deinde per eam solutionem salvatur solum prædicatio unius de ente in concreto *ens est unum*, sed præter hanc datur etiam alia vera in abstracto, *unitas est ens*, quia ens non prædicatur de nihilo nec formaliter, nec identice.

50 Quinta ratio, & quidem adhuc cæteris evidentior, quæ proinde passim utuntur Recentiores, secundam sententiam sequentes, deducitur ex oppositione, quæ versatur inter unum, & multa, de qua oppositione loquitur Arist. 10. Met. tex. 9. ubi manifeste docet unum, & multa contrarie opponi, contraria autem sunt utique ambo extrema positiva; nam ibi Philosophus quatuor recenset oppositionis modos, & excludens modos oppositionis privativæ, relativæ, & contradictoriæ, concludit opponi contrarie; sic autem loquitur: *cum autem oppositionis quatuor sint modi, & horum alius secundum privationem dicatur, contraria erunt profecto, & neque ut contradictio, neque ut ea quæ ad aliquid dicuntur*, & sic eum locum passim interpretantur Alensis, D. Th. & Scotus, atque ideo valde eum exaggerat Vasquez pro nostra sententia. Sed quia eisdem verbis significat etiam inter unum, & multa intervenire oppositionem privativam, quia modum oppositionis privativæ non recenset illum excludendo sicut modos oppositionis relativæ & contradictoriæ, sed potius includendo, ut constat ex ipso contextu; ideo respondent Adversarii potius ex eo loco colligi, quod privative opponantur, & extremum privativum esse unitatem, quia hæc opponitur multitudini, tanquam negatio, seu privatio rei negatæ, ita præsertim Aversa loc. cit. ex Aureol. quolib. 3. ubi pluribus rationibus nititur id probare, quas infra num. 79. solvemus.

Verum quicquid modo sit de illius textus intelligentia, quam dabo postea, nunc admittendo Adversariorum expositionem, nempe inter unitatem, & multitudinem oppositionem versari privativam, & probo extremum privativum non esse unitatem, ut ipsi dicunt, nisi secundum quod sonat indivisionis nomen, sed esse multitudinem, & ipsam divisionem; divisio, & multitudo formaliter consistit in negatione, ergo si unitas illi privative opponitur, sane nequit opponi, nisi ut extremum positivum; Probatur assumptum, quia ut docet Doctor 1. d. 24. qu. un. ad ultimum, divisio non est, nisi unionis, seu unitatis negatio, seu privatio, & idem docet 4. d. 12. q. 4. versus finem; cum inquit divisionem esse carentiam habitudinis, seu nexus unitorum, vel continuationis eorum loquendo de quantis, & ideo subdit, quod universaliter loquendo transmutatio facta per divisionem est privativa, in continuatione vero positiva; & multitudinem, ac divisionem formaliter sumptas consistere in negatione admittit quoque D. Th. 1. p. q. 11. art. 2. ad 4. &q. 30. & q. 9. de potentia art. 7. ad 15. & in 1. d. 24. qu. 1. art. 3. ad 1. Probatur etiam ratione, quia ut ajebat Doct. loc. cit. aliquod compositum, vel continuum dividi aliud formaliter non est, quam destrui unionem, quæ erat inter illius extrema, eo enim ipso, quod desinat esse unio inter partes alicujus compositi sive essentialis, sive integralis, statim intelligitur divisio, ergo divisio formaliter aliud non est quam unionis negatio, & destructio. Et quia aliqui id ultro fatentur de divisione, sed non de multitudine, quæ involvit entitates positivas, ex quibus coalescit; præter quam quod inepte isti distinguunt inter divisionem, & multitudinem, nam sicut unitas, & indivisio idem significant, sic etiam multitudo, & divisio, & ut ait Arist. unum opponitur multo, tanquam indivisum diviso; Probatur multitudinem pro formali negatione constitui, esto pro materiali entitates positivas includat, nam posita aliqua quantitate continua v. g. palmari nulla habetur multitudo, sed unitas, dicitur enim unus palmus, sed si auferatur unio continuitatis, & dividatur in duas medietates, statim habetur multitudo, ergo multitudo formaliter habetur per illam divisionem, & negationem Unionis, non autem per illas entitates, nisi materialiter, nam ante divisionem illæ entitates extabant in continuo (neque enim per divisionem de novo sunt productæ) sed quia non erant divisæ, non constituebant multitudinem, & ideo dicebat Arist. numerum constitui formaliter per divisionem continui; quamvis ergo multitudo illas entitates materialiter involvat, quia tamen non illam constituunt, ut tales entitates, sed ut plures, dicuntur autem plures quatenus sunt abinvicem solutæ, & non unitæ; ideo multitudo formaliter per negationem unionis in esse multitudinis constituitur, & non per aliquod positivum. Ex hoc autem assumpto, quod scilicet multitudo, & divisio negationem importent, ita probato, deducitur evidenter illa consequentia, quod unitas secundum suam rationem formalem, qua opponitur multitudini, positivum præseferat, quod per divisionem tollitur, & multitudinem; tum quia oppositum negationis est positivum, negatio namque per positivum excluditur, si ergo divisio, & multitudo negatio-

nem dicunt, & illis opponitur unitas, plane opponi nequit, nisi in ratione positivi.

51 Ad hoc argumentum, quod re vera urget, negarunt aliqui consequentiam, quia dari potest negatio negationis, quæ non sit positivum quid; ita negamus cæcitatem de lapide dicendo, quod nec cæcus est, nec videns, & tamen cæcitas est negatio, vel privatio, & privationem lucis dicimus non esse privationem coloris, vel saporis. Sed hæc responsio communiter reiicitur, quia licet in subjecto non apto possit, ut in exemplo allato de lapide non cæco, assignari negatio negationis, quia videns, & cæcum non immediate se habent circa illam, tamen quando oppositio est immediata, ut in subjecto apto, non potest dari negatio negationis, unde negatio cæcitatis in animali est ipse visus, in proposito autem unum, & multa immediate opponuntur, & ideo dari nequit negatio negationis; similiter licet in negationibus disparatis possit una de altera negari, ut in exemplo allato de privatione lucis; & coloris, non tamen quando sunt oppositæ, ut est in proposito nostro; sic enim universaliter loquendo semper negatio per aliquod positivum excluditur. Tum quia stante hac responsione non amplius salvatur oppositio inter unum, & multa, quia in omnibus oppositionum modis vel utrumque extremum, vel saltim alterum est positivum, sed quando negatur una negatio de alia, neutrum extremorum concipitur, ut positivum, atque ideo unum de altero negari nequit, ut de opposito, sed tantum ut de disparato,

Respondent proinde alii concedendo consequentiam, sed negando antecedens, multitudinem nempe, & divisionem in negatione consistere; unde inquit Suarez cit. disp. 4. sect. 1. n. 21, in multitudine duo posse considerari, primum entitates positivas, ex quibus coalesceret alterum quod una non est alia, quod quidem dicit negationem identitatis, seu continuitatis inter illas; quamvis ergo hoc posterius negationem dicat, ut satis de se constat, primum tamen dicit positivum, nimirum illas entitates ipsas; quod exemplo declarat, nam lineas esse plures dicit unamquamque propriis terminis esse terminatam, unde sequitur negatio, scilicet quod non habeant terminum communem, & sic divisio illa, & multitudo linearum principaliter dicit quid positivum, scilicet terminationem cujusque per propria indivisibilia terminativa, per hæc enim terminativa una linea dicitur divisa ab alia, & multæ lineæ dicuntur, non autem amplius una. Quare in sententia Suarez oppositio, quam habet unitas cum multitudine, attendenda est ex parte entitatum positivarum, quæ sunt multiplices, non autem ex parte negationis, quæ concomitatur; & indivisio, quam dicit unum, negat divisionem ratione positivi, quod in rebus divisis invenitur.

52 Hæc tamen solutio fuse, & solide impugnatur ab Hurtad. disp. 4. Met. a §. 31. & inde; sed facile impugnatur ex dictis in probatione illius assumpti, ubi ostensum est multitudinem formaliter constitui per negationem unionis inter partes, quæ prius erant unitæ, non autem per entitates illarum partium, nisi materialiter, quod eodem exemplo a Suarez allato in toto integrali potest convinci, nam linea bipalmaris quamdiu medietates ejus sunt termino communi copulatæ, una dicitur linea, & continua; & eo ipso quod tollitur per divisionem indivisibile continuativum, fiunt duæ lineæ palmares, & una dicitur divisa ab alia, etiamsi per impossibile in illis medietatibus divisis non resultarent indivisibilia terminativa; ergo hæc indivisibilia terminantia non faciunt illas lineas esse divisas, ac esse formaliter multas, ut ajebat Suarez; Probatur assumptum, quia ablatis realiter a Deo, vel saltim mente præcisis indivisibilibus illis terminativis, medietas illius lineæ quæ divisa supponitur, non est unita alteri medietati, sed adhuc ab ea divisa permanet, & adhuc sunt duæ lineæ palmares, ergo esse divisas non erat effectus formalis illorum terminorum, sed negationis unionis continuativæ. Tum quia in causis præcisis si affirmatio est causa affirmationis, negatio quoque est causa negationis, sed causa præcisa, cur illæ duæ medietates palmares unam constituebant lineam palmarem continuam, erat indivisibile continuativum, ergo causa quoque præcisa, cur postea dicantur plures lineæ, ac divisæ, est negatio ejusdem indivisibilis continuativi, non vero positio indivisibilis terminativi. Tum quia secundum rei veritatem, ac etiam ex doctrina ipsius Suarez disp. illa 4. sect. 9. n. 9. indivisibile terminativum facit unitatem quantitativam, illa enim dicitur una quantitas, quæ propriis indivisibilibus terminatur, & non cum alia continuatur, si ergo ex his terminis attenditur unitas, jam ab ipsis non potest pendere pluralitas, seu multitudo, nisi inquantum hæc multas exigit unitates. Tum quia data probabili sententia, indivisibilia negante in continuo, tota ruit responsio, nam illa agnoscit & linearum divisionem, & earundem multitudinem sine illis indivisibilibus terminantibus per hoc præcise, quod hæc linea non est continuata cum illa. Tum quia non bene ait Suarez lineas esse plures per hoc præcise, quod unaquæque proprios habet terminos, & hinc deinde sequi negationem, quod scilicet non habeant terminum communem; nam res e contra se habet, quod prius duæ illæ medietates amittunt terminum communem per divisionem, & deinde resultant in extremitatibus indivisibilia terminativa, & ideo præcise per carentiam illius termini dicuntur divisæ, & plures lineæ.

53 Deinde ulterius impugno, quod subdit Suarez, unitatem esse præcipue negationem plurium entitatum, quas continet multitudo, & opponi multitudini ratione istarum; vel unitas opponitur illis pluribus entitatibus, illaque negat, quatenus tales entitates sunt, vel quatenus plures, & multiplices, ita ut ratio oppositionis fundetur in multiplicitate entitatum; non autem præcise in entitatibus ipsis, sed primum asseri nequit, cum enim unitas sit passio entis, nequit entitates illas negare, quatenus entitates sunt; nec cum illis opponi, ut sic, quia tunc proprium subjectum negaret, eique opponeretur; restat ergo, quod opponatur illis entitatibus, easque neget, quatenus multiplices, ita ut ratio oppositionis sit ipsa multiplicitas, sed multiplicitas formaliter constituitur per negationem identitatis; & unitatis plurium, licet materialiter exigat quoque entitates ipsas, ergo unitas re vera est negatio negationis, non autem alicujus positivi, & opponitur multitudini ratione ipsius multiplicitatis, quæ est negatio, non autem ratione ipsarum rerum multarum.

Ad hoc occurrit Fasolus 1. p. quæst. 12. art. dub. 9. num. 3. unitatem negare multitudinem quoad utrumque, unde ait unitatem non negare divisionem, ut præcise est negatio; sed etiam præcipue negare entia positiva, quæ in divisione, ac multitudine continentur, esse enim unum significat non habere in se plura positiva entia, quorum hoc non sit illud. Circa impugnationem hujus solutionis plurimum fatigatur Ovvied. cit. controv. 3. Met. a n. 25. Sed cum ista solutio coincidat omnino cum responsione Suarez potest sine novo labore, sicut illa, impugnari, & solum ulterius addendum, ex ea non magis sequi unitatem in negativo consistere, ut contendit Fasol, quam in positivo, ut nos dicimus; Probatur sequela, quia ipse dicit unitatem nedum negare divisionem, pro ut negatio est unitatis, & identitatis plurium, sed etiam illa positiva, quæ in divisione, & multitudine continentur; sicut ergo ex hoc quod unitas est negatio alicujus positivi, concludit esse quid negativum, ita ex hoc quod est negatio alicujus negationis, nos deducimus esse quid positivum, unde illa solutio nec nobis, nec illi favet, & conceptum unitatis constituit ex positivo, & negativo, ex quibus conceptus per se unus integrari non potest.

54 Arriag. disp. 1. Met. a nu. 26. duo dicit pro hujus argumenti solutione, primum est, hanc esse quæstionem de solo nomine; alterum est nos hic non bene usurpare vocem unius; primum sic ostendit, quia nomen *unum*, seu *unus homo*, potest dupliciter accipi, primo prout non est multi homines, quo pacto nemo negare potest unum constitui per negationem plurium; alio modo usurpatur unum prout dicit idem, quod unitum, sive includens unionem, quo sensu proculdubio includit quid positivum scilicet unionem, & hoc solum probat argumentum factum, jam autem qua significatione ex his duabus accipendum sit unum in præsenti, videtur esse sola quæstio de nomine, Alterum vero scilicet vocem unius non bene a nobis usurpari ostendit, quia dicimus unum importare carentiam divisionis, divisionem vero carentiam unionis, unde sequitur illud esse indivisum, & unum quod unionem includit; at hoc est falsum, quia Deus est unus, Michael unus, nec tamen includunt unionem, cum sint entia simplicia, & non composita, & Deus habet carentiam unionis, quia non est compositus, & tamen non dicitur divisus, non ergo bene sumitur a nobis vox unitatis, cum potius primo modo sumi debeat, quia non dicitur Deus indivisus, & unus, quia unionem habeat, sed quia non est multi Dii,

55 Sed in primis falsum est hanc esse quæstionem de solo nomine, cum enim quæritur hic, quid dicat unitas de formali, non est quæstio, quid nomine unitatis intelligendum sit; ut enim ibidem ait Arriag. ipse, nemo tam stolidus est, qui non sciat quid sit esse unum quoad quid nominis, nam apud omnes vulgo illud unum censetur, quod non est plura, & ab omnibus unitas explicatur per negationem pluralitatis; sed quæstio est de ratione formali constitutiva unitatis, qua ens vere constituitur in seipso unum, & quæritur, quinam sit conceptus objectivus voci unitatis correspondens, & an illa negatio, per quam vulgo explicari solet, sit ipsamet formalitas unitatis, an potius circumferibar quid positivum, in quo formaliter consistat unitas, & ad quod ipsa consequatur; non ergo hæc est quæstio de solo nomine, Deinde falsum est, quod subdit quæstionem in præsenti esse, in qua significatione ex duabus assignatis ab ipso unum sumi debeat, & nos male in hac quæstione usurpare nomen unius, cum ipsum sumamus in secundo sensu, quo pacto non est passio generalis, & communis omnibus entibus, sed solum his, quæ veram unionem includunt, nos enim non ita sumere nomen unius satis constat ex dictis qu. 2. ubi præter unitatem compositionis, quæ est una species unitatis transcendentalis, dictum est dari quoque unitatem simplicitatis, quæ est altera species, & nomen unitatis ita ample explicari debere, ut speciem utramque illam unitatis sub se comprehendat. Insuper insufficiens est duplex illa significatio unitatis ab Arriag. adducta ad hujus quæstionis decisionem, nam secundus sensus, ut etiam ipse fatetur, non in ea amplitudine unitatem explicat, quæ est passio entis omnibus communis; sed nec etiam primus, nam si ipsum ita intelligit, ut unus homo dicatur, quando non sunt multi homines, verum est utique talem unitatem constitui præcise per negationem, sed neque ista est unitas passio generalis entis, sed alia quædam unitas, quæ dicitur solitudinis, qua dicere solemus unum esse Deum, unum esse Solem, quia præter Deum, & Solem existentem non dantur alii Dii, alii Soles. Quod si dicat illum primum unitatis modum ab ipso intelligi per negationem explicari eo pacto, quo explicari solet unitas, quæ est passio generalis entis, ut unus homo dicatur, non quando non sunt multi homines, idest alii homines cum ipso, sed quia non est multi homines; tunc nimis libere dicit neminem negare posse unum hoc pacto explicatum constitui præcise per negationem plurium; immo hoc est quod vertitur in quæstionem, & a nobis negatur, donec sufficienter ab ipso probetur. At ipse inquit hoc negare non posse, quia unum in hoc sensu minus est realiter, quam plura, nam pluralitas ita dicitur, quia plus dicit, quam unum. Quod utique falsum esset, si unum consisteret in positivo, quia tunc pluralitas consisteret in carentia illius positivi, & consequenter pluralitas minus diceret, quam unitas. Sed hæc instantia frivola est, nam certum est pluralitatem solum pro materiali consideratam plus dicere, quam unum, quia dicit plures unitates inter se divisas, quod si de pluralitate, & multitudine sit sermo pro formali, ultro concedendum est minus importare, quam unitatem, quia sic importat divisionem, quæ est sola carentia,

56 Ex hactenus dictis circa deductionem hujus quintæ rationis de oppositione inter unitatem, & multitudinem deduci quoque potest intelligentia illius tex. 9. ex. 10. lib. Met. ubi Arist. inter unum, & multa oppositionem tam contrariam, quam privativam admittere videtur, ut ab initio hujus argumenti dictum est, & Tromb. declarat 10. Met. qu. 1. unum enim, & multa dupliciter considerari possunt, vel formaliter, & veluti in abstracto pro ipsa ratione formali unitatis, & multitudinis, & sic privative dumtaxat opponuntur, quia pluralitas, & multitudo, ut sic, divisionem dicit, quæ est negatio unitatis, & quia est negatio in subjecto, non autem extra subjectum, quia non verificatur de non ente, non ens enim neque unum, neque multa est, ut ait D. Thom. 10. Metaph. lect. 4. & Alensis ibid. tex. 9. ideo dicitur habere modos privationis, & sic privative unitati opponi; vel considerari possunt materialiter, & fundamentaliter, nempe pro concreto unitatis, & multitudinis; & quia hoc pacto multitudo positivum dicit a positivo unitatis distans, immo quodammodo illi repugnans, ideo contrarie in hoc sensu dicuntur opponi, quatenus contrarietas inter positiva versatur, ita ut idem intelligatur per unum, & multa ac per ens, & entia, & hæc vocantur contraria, non quidem ea contrarietate rigorose sumpta, qua duæ formæ se invicem expellunt ab eodem subjecto, sed sumendo contrarietatem magis ample pro repugnantia inter extrema positiva, quorum unum excludit aliud, saltem quia hoc non est illud, qua ratione Alensis 1. p. qu 13. membr. 4. potius voluit inter unum, & multa in hoc secundo sensu esse repugnantiam disparationis, quam oppositionis, ex quo etiam patet resolutio illius quæstionis, quomodo unum, & multa opponantur, quam tractat Ant. And. 10. Met. quæst. 2. Faber ibidem disp. 2. & alii Scotistæ passim; pro qua etiam oppositione intelligenda, & majori hujus quintæ rationis confirmatione videndus est Alensis 10. Met. tex. 9. quæstiuncula prima, ubi ostendit quare unum, & multa non opponantur contradictorie proprie loquendo, & quæst. ultima, ubi disputat, an ratio unius, vel potius multitudinis in privatione consistat, & resolvit unum, & indivisibile dicere positionem secundum rem, esto negationem significet secundum nomen; multa autem, & divisibilem privationem; primum probat, quia essentia cujuslibet rei vel est simplex, vel composita, si simplex est, statim apparet, quod suum esse in unitate est, quia simplicitas est quædam unitas; si composita est, tunc esse ejus est ex unione principiorum, quando enim principia sunt divisa, res non habet esse, sic ergo & esse rei simplicis, & esse rei compositæ in unitate est. Et hinc probat secundum, ex hoc enim est esse cujusque rei, quia est unum esse, & non esse ejus est ex hoc quod principia ejus divisa sunt, & non unita, quod quidem in compositis physicis de principiis physicis intelligendum est, & in compositis Metaphysicis, de principiis pariter Metaphysicis, in ente tandem omnino simplici, & imprincipiato, per unionem principiorum intelligi debet combinatio prædicatorum quidditativorum ejus essentiam constituentium; juxta quam doctrinam defendi posset acceptionem unitatis in secundo sensu ab Arriag. superius allatam esse legitimam, & bene explicare unitatem in communi, prout est passio entis, cum enim inquit nec Angelum, nec Deum unionem includere, quia non sunt entia composita, dicendum est Angelos esse vere compositos compositione Metaphysica, atque ideo includere unionem, seu identitatem generis, & differentiæ, Deus vero esto non sit compositus, nec physice, nec Metaphysice, adhuc tamen ejus divina essentia habet plura prædicata ipsam constituentia, ut ostendit Doctor quol. 1. atque ideo in hoc sensu unionem suorum constituentium includit etiam Deus, nimirum combinationem, & perfectissimam identitatem suorum prædicatorum, ex quorum divisione per impossibile sequeretur non esse Dei.

57 Sexta ratio deducitur ex variis modis unitatis in specie, qui cum sint positivi, arguunt unitatem, ut sic, transcendentalem solam negationem, aut privationem formaliter præseferre non posse, nam cujus modi vel species, in quas aliquod commune dividitur, sunt positivi, & ipsum commune est positivum, quod autem modi, sive species unitatis sint positivæ, expresse docet Arist. 5. Met. c. de uno, & potest inductione probari, quia in his rebus, quæ sunt unæ per compositionem, unitas consurgit per unionem plurium, & hæc quidem unio, & unitas quid positivum est, quia si solam negationem præseferret, & non aliquid positivum, certe non potest esse terminus mutationis positivæ, puta generationis; in illis vero rebus, quæ non sunt unæ per compositionem, & unionem plurium, sed per simplices entitates, unitas dicit positivam perfectionem consistentem in quadam rei integritate, quæ est altior, & eminentior perfectio, quam unio; quæ etiam explicari positive posset per unionem, combinationem, & identitatem prædicatorum illas res simplices constituentium. Hoc etiam probatur in unitate quantitativa, quæ ex Arist. 5. Metaph. cap. 6. dicitur unitas continuationis, continuitas autem non est negatio, sed positivum quid, cum in eo consistat, quod partes quantitatis habeant terminum communem. Tandem idipsum constat in unitate generica, specifica, & individuali, quandoquidem genus positive ad speciem contrahitur, & species ad individua, & rursus convenientia inferiorum in genere, & in specie realis est, & positiva.

Respondet Suarez cit. hac inductione probari tantum negationem, quam dicit unum, non esse puram negationem, sed fundatam in ente, quod si compositum sit, includit aliquam compositionem, vel positivam unionem, in qua fundetur talis negatio, si autem simplex, in simplici entitate fundatur; sic enim respondet Ayersa addens, quod in rebus compositis unio, & compositio non est earum passio, sed potius intrinseca earum constitutio; & pariter continuatio in quantitate est formaliter de constitutione talis quantitatis, unitas autem quæ sequitur tamquam passio, est negatio divisionis. Arriag. vero quia hoc argumentum ab Hurtad. urgebatur præcipue in unitate compositionis, ubi res est evidentior, compositum namque dicitur unum, quia includit unionem, cum unio sit unitas compositi, constat autem unionem esse modum positivum; ideo ad hoc argumentum respondet, tamquam si fieret de sola unitate compositionis; & ait in hoc argumento fallaciam committi, quia unio quidem verbi gratia animæ, & corporis constituit hominem in ratione hominis, non autem in ratione unius hominis, fit enim unus homo præcise per carentiam multorum hominum, unde concludit disp. 1. Metaph. num. 32. hinc patere etiam in rebus compositis unitatem, de qua in præsenti agimus, non provenire ab unione, sed a carentia multarum partium, & multarum unionum,

58 Hoc tamen non satisfacit, non id quod ait Suarez, quia species, seu modi unius ex Arist. assignati distinguuntur abinvicem, non quatenus sunt entia, sed quatenus talis, & talis unitas, unitas enim physicæ compositionis secundum suam rationem formalem est diversa ab unitate continuationis, & unitas continuationis, ab unitate essentiali generica, & specifica, & hæc rursus ab individuali; ergo illi modi unitatis secundum se sunt positivi, & non tantum ratione fundamenti, quia secundum se fundant distinctionem positivam. Deinde probatur sigillatim de singulis modis assignatis, quod secundum suam rationem formalem dicant quid positivum, & quidem de unitate essentiali, seu formali id probatum est num. 48. de unitate continuationis etiam probatur, quia unio partium continui formalissime est quid indivisibile, & per tales uniones, seu indivisibilia continuum redditur formalissime unum, etiam quacumque negatione præcisa, sed indivisibile continuativum dicit quid positivum, ut constat ex disp. de Continuo in lib. Phys. ergo &c. Probatur etiam id ipsum de unitate Physicæ compositionis, quia præsertim in sententia contrariorum totum physicum a suis partibus unitis non distinguentium, unio est formalissime unitas compositi physici, unde concepta tali unione inter materiam, & formam habetur apud ipsos præcise per eam totum per se unum absque eo quod ex illis partibus unitis sequatur tertia entitas, vel unitas, & hoc pleno ore fatentur omnes Adversarii in ea quæstione de distinctione totius a suis partibus, at constat etiam apud eos unionem physicam inter materiam, & formam esse modum positivum, ergo hic evadere nequeunt, quin unitas compositionis sit formaliter quid positivum. Neque juvat quod addit Aversa in rebus compositis unionem non esse earum passionem, sed potius de earum essentia, vel intrinsecam earum constitutionem; nam si per eam composita physica habent formaliter esse unum, præstabit potius dicere unitatem, seu unionem non esse eorum in rigore passionem, sed adhuc magis intrinsecam, quam negare esse quid positivum, præsertim quia negatio divisionis inde sequens non potest cum ente identificari, velut ejus passio, nec alia munera gerere propriæ passionis; Sed jam disp. 5. Phys. qu. 12. art. 2. ostensum est unionem non esse de essentia compositi, sed solum conditionem simpliciter necessariam, neque confundendam esse cum unitate compositi, quia unio proprie loquendo facit unitum, non unum, & esse unitum est effectus formalis unionis receptus in partibus, illaque afficiens, partes enim sunt, quæ denominantur unitæ; esse autem unum est effectus formalis unitatis receptus in composito, illudque afficiens, compositum namque est illud, quod dicitur unum, unde unio non facit compositum unum formaliter, sed tantum causaliter, quatenus ex unione partium resultat unitas compositi, unde appolite in argumento non diximus unionem esse compositi unitatem, ut arguit Hurt. sed ex unione partium consurgere compositi unitatem.

Sed admittendo etiam argumentum in ea forma, qua conficitur ab Hurtad. adhuc non bene solvitur ab Arriag. nam falsum est unionem animæ, & corporis constituere hominem in ratione hominis, non autem in ratione unius hominis, immo res e contra se habet, quod unio non pertinet intrinsece ad constitutionem hominis in sua quidditate, cum solum sit conditio ad eam necessario prærequisita, ut dictum est in Physic. loc. cit. sed solum ad ejus unitatem pertinet vel formaliter, vel saltem causaliter, quod manifeste convincit argumentum, quod ex unione animæ, & corporis deducit Athanasius in sym-

symbolo ad probandam unitatem personæ Christi Domini, sic arguendo, *nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus, & homo unus est Christus*, ergo unio animæ, & corporis re vera constituit hominem in ratione unius hominis, alioquin argumentum ex ea deductum ab Athan. ad ostendendam Christi Domini unitatem nihil prorsus valeret. Falsum insuper est, quod subdit hominem fieri unum præcise per carentiam multorum hominum, quia nempe unus homo non est multi homines; ita enim destrueretur unitas hominis, si resolveretur in animam, & corpus separata, sicut si per impossibile resolveretur in multos homines, ergo homo unus est, non præcise, quia est indivisus, ac indivisibilis in plures homines, sed etiam quia indivisum est in animam, & corpus. Falsum tandem est, quod concludebat in compositis physicis unitatem non provenire ab unione suarum partium, sed a carentia multarum partium; immo si careret multitudine partium, non amplius esset unum unitate compositionis, sed unitate simplicitatis, quare tandem patet totum discursum ab Arriag. factum in falsis principiis fundari. Denique probari solet, quia sicut ens non dicitur univoce de ente reali, & rationis, ita neque unum, & tamen si præcise consideretur negatio divisionis, vel multitudinis, æque potest convenire enti rationis, ac realis, ergo unum de formali negationem importare non potest. Respond. Arriag. cit. negationem pluralitatis in ente reali non esse eamdem cum negatione pluralitatis in ente rationis, & consequenter neque unitates, quæ in eis negationibus constituunt; non esse autem easdem negationes probat ex eo, quod carentia lucis in aere non est eadem cum carentia lucis, quæ est in chymæra, immo neque cum ea, quæ est in corpore incapaci lucis, nam privationes, & carentia diversificantur juxta diversitates subjectorum, quibus insunt; & ait hoc argumentum etiam nos premere in multitudine, quam pro formali dicimus importare privationem. Sed falsitas hujus solutionis ex eo constat, quod apud omnes negationes, & privationes præcipue distinguuntur per habitus oppositos, ut dictum est in Physic. disp. de privatione ex Scoto 1. d. 37. & quol. 18. non autem per subjecta, hæc enim solum faciunt, ut negatio dicatur in genere, vel extra genus, privatio, vel simplex negatio, si fuerint apta, vel inepta ad recipiendam formam negatam; neque argumentum nos premit in multitudine, quia quando etiam admitteremus privationem, quam dicit pluralitas, convenire enti rationis, nullum est inconveniens, cum non sit passio entis adæquata, sicut est unitas. Hinc aliam subdit solutionem concedendo unitates entis realis, & rationis, seu negationes esse idem, non tamen concreta scilicet unum entis realis, & rationis, licet enim in formis conveniant, differunt tamen in subjectis, quia ens reale dicit subjectum verum, ens rationis fictum, licet negationes sint eædem in utroque. Hæc tamen solutio totum id concedit, quod argumentum contendit, nimirum unitatem, ut sic, esse ejusdem rationis in ente realis, & rationis, atque ideo unum pro formali esse univocum enti reali, & rationis; ex quo statim sequitur unitatem non esse passionem cum ente reali convertibilem, quia etiam secundum se convenit enti rationis.

59 Altera pars conclusionis, quod nempe positivum, quod unitas importat, sit enti superadditum, non autem ipsa ratio formalis entis, statuitur præsertim contra Thomistas, qui dicebant unitatem utique positivum importare de principali significato, sed hoc esse ipsummet ens, non quidem sub conceptu entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti negationis divisionis; & quamvis hæc conclusionis particula sufficienter probata sit per rationes adductas, nam omnes fere probant, nedum unitatem importare quid positivum, sed hoc quoque positivum debere esse formalitatem ipsi enti superadditam, adhuc tamen specialius probatur; cum enim dicunt unum formaliter importare entitatem in se indivisam, seu ens sub negatione divisionis, vel ita intelligunt, ut utrumque ex æquo importet, tam scilicet rationem ipsam entis, quam negationem divisionis, vel ita ut unum de principali importet, & in recto, aliud vero connotet in obliquo. Non primum, ut videtur velle Suarez, quia tunc unitas non haberet conceptum per se unum, siquidem impossibile est, quod unum per se fiat ex aliquo positivo, & ex aliquo negativo, itaut utrumque concurrat intrinsece, & in recto ad intrinsecam ejus constitutionem, unum enim per se fit ex his, quæ sunt ejusdem generis, non autem ex iis, quæ sunt diversi generis, cum ergo negatio sit extra genus totius ordinis positivi atque realis, non poterit in recto, & intrinsece concurrere ad constituendum conceptum per se unum, quo explicatur unitas transcendentalis. Tum quia si unum formaliter, & in recto significat tam rationem entis, quam negationem divisionis, quæritur ratione cujus ponatur affectio entis; si ratione primi, ergo ens vere erit affectio entis, & sub ratione ipsissima entis; si ratione secundi, cum hoc negatio sit, & nihil, affectio entis realis esse nequibit, quia proprietates entis ex præcedenti disput. sunt reales, & positivæ, cum sint alicujus realis, & positivi proprietates, passio autem debet subjecto proportionari. Tum tandem, quia hinc multa sequuntur absurda, nam primo sequitur unum esse formaliter ens, & formaliter non ens, ex quo enim unitas includeret in suo conceptu formali entitatem, unum esset formaliter ens, & ex quo includeret etiam negationem illam divisionis in se, quæ formaliter nihil est, esset formaliter non ens; sequitur etiam quod ens includeretur essentialiter in sua passione, & cum non sit major ratio, cur includatur in unitate, quam veritate, & bonitate, pariter includeretur in omnibus, & sic passiones entis non essent primo diversæ, quæ omnia esse falsa constat ex præcedentibus Disputationibus; sequitur tandem, quod idem de seipso demonstraretur, quia unitas est passio de ente demonstrabilis, si ergo nihil positivum dicit præter rationem entis, utique ens de semetipso demonstrabitur.

60 Si vero dicatur unum in recto, & pro formali importare, aliud vero solum in obliquo, & pro connotato significare, tunc rursus quæritur, quodnam sit connotatum, & quodnam principale significatum, & quidem si concedatur negationem divisionis esse principale significatum, & rationem ipsam entis connotatum, redeunt omnia argumenta superius facta directe probantia oppositum; si vero e contra dicatur rationem entis esse principale significatum, negationem vero connotatum, sequitur quod ens, & unum habebunt formale significatum idem, eritque nugatio dicere, ens est unum, quia idem de seipso enunciabitur, & sub eadem ratione; item idem erit affectio sui ipsius, cum unum sit affectio entis ratione sui formalis significati. At respondet Blasius a Concep. cum aliis Thomistis, unitatem, vel unum importare quidem ens in recto, & pro formali, non tamen sub conceptu entis, sed secundum quod exprimitur per modum fundamenti negationis divisionis, ipsam vero negationem significari in obliquo, & connotative ad instar cujusdam veluti modi complentis rationem specificam unius. Sed in primis hæc solutio seipsam destruere videtur, nam si negatio divisionis pertinet ad conceptum unitatis per modum complentis rationem specificam illius, ergo non connotative tantum, & in obliquo ad ipsam pertinet, sed in recto, & pro formali, quia intrat formaliter, & complet rationem specificam ejus, connotatum namque non est de complemento principalis significati, sed ad tale complementum consequitur per modum annexi, & datur intelligi non ex vi significationis principalis significati, sed potius ex modo significandi ipsius, ut dicitur in Logica. Deinde conceptus entis, secundum quod exprimitur per modum fundamenti talis negationis, aut est conceptus positivus, aut negativus; si negativus, ergo pro formali, & in recto unum non dicit quid positivum; si vero est conceptus positivus, tunc quæro, an sit conceptus diversus a conceptu entis secundum quod ens, nec ne; si est diversus, ergo unum sub ratione unius dicit formalitatem positivam superadditam enti secundum quod ens, quod nos intendimus; si non est diversus, ergo procedit argumentum factum, quod ens sub conceptu entis erit passio sui ipsius, & quod ens, & unum idem habebunt principale significatum, & quod erit nugatio dicere, ens est unum. Insuper cum ajunt unum in recto dicere ipsum ens, secundum quod est fundamentum talis negationis, vel ly *secundum quod* reduplicative accipitur, ut ens significet, prout subsstat negationi divisionis, itaut idem sonet, quod entitas indivisa, vel solum specificative, itaut solum indicet rationem entis, quæ est fundamentum, radix, & origo talis negationis; si primum, ergo utrumque importatur ex æquo tam scilicet negatio, quam positivum entis, supra quod fundatur, quia ex vi reduplicationis utrumque accipitur; si secundum, ergo unum importabit ens sub conceptu entis, & non sub alio conceptu; quia illa negatio immediate fundatur supra conceptum entis, ut sic, & ab ipso immediate oritur, cum nullus alius conceptus inter ipsam, & ens, ut sic, mediate ponatur conceptui entis superadditus. Rursus concedunt Thomistæ passiones entis debere ens exprimere modo aliquo distincto ab eo, secundum quem exprimitur a proprio conceptu, ut sic, atque ideo etiam unitatem debere ens exprimere, non secundum quod exprimitur per conceptum, & nomen entis, sed sub alio conceptu; tunc quæro an iste alius conceptus sit positivus vel negativus, vel ex utroque mixtus, non ex utroque mixtus, ut etiam ipsi concedunt, non negativus, quia tunc de formali non diceret positivum; ergo importat alium conceptum positivum conceptui entis superadditum, & est quod nos intendimus.

61 Præterea principaliter subjectum nequit essentialiter includi in conceptu suæ passionis ex dictis disp. 2. quæst. 7. art. 1. num. 191. & rursus disp. 3. num. 11. ergo unitas, quæ est passio entis, nequit in suo formali conceptu ens includere sub quacumque ratione exprimatur, sed solum illud includet, quod addit supra ens, sive sit positivum, sive negativum. Respondet Blasius a Concep. quod duplex est passio, alia quæ dimanat realiter ab essentia subjecti, alia quæ dimanat ab ea solum virtualiter, quo pacto passiones entis ab eo manare dicuntur, licet ergo passiones entis nequeant includere essentiam, a qua dimanant, sed realiter ab ea distinguantur, tamen passiones secundi generis possunt eam includere implicite, non tamen explicite, & sub conceptu expresso, sub quo exprimitur per modum essentiæ: & sic unum includit ens implicite solum sub conceptu entis, explicite vero, & expresse sub conceptu fundamenti indivisionis. Contra, nam in primis falsum est ullam passionem proprie dictam ita realiter ab essentia causari, ut ab ea realiter distinguatur, cum enim non sit effectus vera, & Physic. causalitate a subjecto derivans, sed tantum causalitate Metaph. quam nostri simplicem dimanationem, ac veluti ebullitionem vocare solent, ut suo loco dictum est in Logica cap. de proprio, & superius disp. 4 num. 14. consequenter fundare nequit realem ab ipso distinctionem. Deinde sola virtualis dimanatio sufficit, ne subjectum includatur in conceptu passionis sive implicite, sive explicite sub conceptu essentiæ, nam ut ait Scot. quol. 1. lit. P. qualis ordo per se realis esset inter aliqua, si essent realiter distincta, talis per se ordo est inter illa etiam

etiam ubi minus distinguuntur, sive hæc distinctio sit formalis ex natura rei, sive virtualis, sive tantum rationis; si ergo ubi realiter distinguuntur subjectum, & passio talem servant tenorem, ut passio in suo formali conceptu subjectum non includat, idem servata proportione dicendum est, ubi est dimanatio tantum virtualis, & virtualis distinctio inter illa, & sic arguit ipse Doct. 2. d. 16. quæst. un. §. *ideo dico aliter*. Tum quia rationes probantes exclusionem subjecti a conceptu passionis loc. cit. adductæ universaliter probant de subjecto, & passione, ut sic, præscindendo ab eo quod sit passio dimanans a subjecto realiter, vel solum virtualiter, ut patebat eas consideranti. Tum quia sive ens exprimatur per modum entis, sive per modum fundamenti illius negationis, semper est subjectum, & unitas est passio, immo præsertim est subjectum unitatis, quatenus est fundamentum illius negationis, ergo quocumque modo dicatur, non evitatur illud absurdum, quod subjectum includatur in per se conceptu passionis. Tum quia vel negatio divisionis sequitur immediate ad conceptum entis, ut sic, vel ad conceptum entis sub ratione fundamenti illius negationis, si primum, ergo ens, ut sic, est fundamentum immediatum illius negationis, & ut sic includeretur in conceptu unitatis; si secundum, peto, an ens sub tali conceptu habeat rationem essentiæ, vel passionis, non secundum, quia sub tali conceptu ponitur fundare passionem; si primum, ergo sub conceptu essentiæ ponitur in definitione passionis. Denique illa distinctio Thomistarum de duplici entis conceptu, quorum alter sit conceptus entis, ut sic, alter vero sit conceptus ejus, ut est fundamentum negationis indivisionis, & hoc posteriori modo sit de formali conceptu passionis, non primo modo, vana est, ac inutilis, vel a nobis non discrepant; quia vel negatio divisionis sequitur immediate ad conceptum entis, ut sic, & hoc modo unitas formaliter diceret conceptum entis, ut sic, quod & ipsi recusant; vel sequitur, & fundatur super illum alium entis conceptum, secundum quem exprimitur per modum fundamenti talis negationis, & cum hic sit positivus, utique explicabit aliam formalitatem superadditam conceptui entis, ut sic, & hæc sane erit illa positiva formalitas, quam nos dicimus unitatem superaddere conceptui entis, ratione unius proxime & immediate enti convenit negatio divisionis.

62 Ultima demum pars conclusionis, quod scilicet unitas in obliquo dicat negationem divisionis, & per modum connotati, ex Scoti locis omnibus citatis ab initio articuli; & probatur faciliter primo ex communi conditione oppositorum, quæ cum ex vi propria esse habeant, ut excludant alterum oppositum sive positivum sive negativum, consequenter annexam habent negationem illius, ita videmus calorem annexam habere frigoris negationem, albedinem nigredinis, scientiam ignorantiæ, & sic de aliis, idem igitur erit in proposito de unitate, prout opponitur multitudini, ac divisioni. Deinde probatur etiam specialiter ex peculiari ratione unitatis, nam ut probatum est, unitas importat illud positivum formaliter, quod ab ente excludit quamcumque divisionem, quæ afferat entium multitudinem, & reddit ens in se formaliter indivisum; eo igitur ipso quod divisionem ab ente excludit, indivisionem in ipso inducit, seu negationem divisionis, per quam a posteriori solet unitas explicari, quare autem unitas hoc habeat peculiare, quod per negationem sui oppositi apte explicetur, cum tamen id omnibus oppositis non conveniat, quia nec calor explicatur per negationem frigoris, nec albedo per negationem nigredinis, esto negationes istæ necessario formas illas consequantur, expenditur quæstione sequent. Habetur autem hæc ultima pars conclusionis expresse a Scoto 4. Metaph. super tex. 4. ubi ait, notandum est, quod licet superius probatum fuerit, quod unum dicat aliquid positivum, tamen hoc non obstante includit aliquam negationem, non formaliter, sed quasi consequenter, quæ quidem negatio fundatur super illud, quod dicit positivum. Dices, in immediate, & præsertim privative, oppositis non datur negatio negationis ex dictis disp. 4. Phys. quæst. 2. & supra num. 51. unde in oculo privatio cæcitatis est visus ipse formaliter; cum ergo unitas & divisio privative opponantur, & divisio sit ipsa unitatis privatio, excluderetur formalissime divisio per ipsam formalitatem positivam unitatis, non vero per aliquam negationem ipsam consequentem. Resp. rem ita se habere a parte rei; quia tamen unitatem explicare solemus per negationem divisionis, ideo talem negationem concipimus in ente, ut ex natura rei consequentem ipsam unitatem.

ARTICULUS II.

Quod enti addit unum, nec est realiter, nec sola ratione ab ipso distinctum, sed media quædam distinctione.

63 Conclusio hujus articuli quoad omnes, & singulas partes est Scoti, & Scotistarum locis omnibus citatis ab initio articuli præcedentis; Et quidem quoad primam partem, quod unum non superaddat enti rem ab ipso realiter, ac entitative distinctam, est communis omnium sensus cum Arist. 4. Metaph. tex. 3. dicente *itaque ens, & unum idem, ac una natura sunt*, & aliam ad hunc eumdem sensum ibi prosequitur; & quia oppositum tenetur Avicen. sensisse, ideo Commentator com. 3. ejusdem libri contra ipsum arguit hac ratione, quod tunc daretur processus in infinitum, quia illud, quod unitas realiter superadderet enti, ideberet esse unum per aliud superadditum, & hoc rursus per aliud, ac ita in infinitum. Sed Ant. And. 4. Met. quæst. 3. art. 2. inquit hanc rationem peccare per fallaciam figuræ dictionis mutando quo in quod, sicut si argueretur, homo est albus, vel ergo per se, vel per accidens, si per accidens additum, ergo per aliud, & tunc quæram de illo alio, utrum sit album per se, vel per accidens, si per accidens, ergo per aliud, & sic in infinitum, vel concedendum erit, quod homo sit per se albus; iste modus arguendi non valet, mutat enim quo in quod, nam albedo est principium, quo homo est albus; non tamen habet rationem quod, quia albedo non est alba proprie loquendo, ideo dato, quod homo sit albus per aliud, quam per albedinem, non tamen debet ulterius quæri, utrum albedo sit alba per se, vel per accidens, nisi mutetur quo in quod; Similiter in proposito, ait Ant. And. ipsum unum dato, quod sit aliud ab ente, non potest quæri utrum sit unum per se, vel per aliud, sed mutatur quo in quod, nam ipsum unum sic habet rationem, quo ens est unum, quod non potest habere rationem quod, unitas enim non est una proprie loquendo. Cæterum supposito quod Avicen. senserit unitatem esse quid realiter superadditum enti, ac ab ipso entitative distinctum, optime procedit Aver. ratiocinium, nam cum illud reale superadditum sit vera res, esse quoque deberet formaliter ens, & consequenter formaliter unum, cum de quocumque prædicatur aliqua essentia, de eo prædicetur & ejus proprietas; Conf. quia ex hac suppositione sequitur, quod unitas etiam foret una nedum, ut quo, sed etiam ut quod, quia esset ens formaliter, & res rigorose ab ipso ente distincta, unde consequenter participaret proprietatem entis, quod est esse formaliter unum, & ut quod; vide disp. 13. Phys. qu. 1. num. 5. ubi eodem modo arguebamus contra illos, qui durationem realiter distinguebat ab existentia rei durantis, durationemque alia duratione durare negabant, quia est ita quo, ut non possit esse quod. Quare doctrina allata ab Ant. And. pro solutione argumenti Averrois bene nobis deservire poterit, cum idem argumentum a Thomistis contra nostram urgetur sententiam, quia nos non dicimus unum addere enti aliquid realiter ab ipso distinctum, sed aliquam dumtaxat formalitatem ipsi enti realiter identificatam, quæ sicut non in se formaliter includit rationem entis, quia non est res proprie, ita nec formaliter proprietatem entis participabit, nec una dicetur, ut quod, sed tantum ut quo; & in hoc sensu ait Scot. qu. 21. de An. num. 9. rationem Aver. contra Avicen. non concludere, quia cum dixit unum esse accidens entis, accipit accidens pro extraneo, non autem pro accidente realiter distincto, quod etiam repetit 2. d. 2. qu. 4. in fine.

64 Et quidem Faber. 4. Metaph. disp. 7. hac ratione tentavit Ant. And. excusare, quod nimirum dixerit rationem illam Aver. non concludere, eo quia putaverit Avic. tenere unum esse passionem entis, & formaliter tantum ab eo distingui, & se habere, ut quo respectu entis, non autem realiter. Verum subtilis excusatio est ista, quia Ant. And. loc. cit. art. 1. opinionem Avicen. explicat per tria dicta, quorum secundum est quod ens, & unum non sunt idem secundum naturam, quod postea dictum refellit art. 2. probando contra Avicen. unum non distingui realiter ab ente, non ergo ex hoc capite Ant. Andr. excusari potest, cum opinionem Avicen. proponat, tamquam distinguentem unum realiter ab ente; valet igitur illa ratio, ut Faber ipse quoque fatetur, & mirabiliter convincit unum non addere quidpiam enti realiter distinctum, non tamen contra nostram sententiam pari modo concludit, ut arbitrantur Thomistæ, ob disparitatem allatam. Potest etiam hæc ejus conclusionis probari ex illo universali principio in Logica stabilito, quod omnis passio realiter identificatur cum suo subjecto, quod si de ulla passione verificatur, de passionibus entis præsertim verificari debet; unde Thomistæ qui alias inferiorum passiones a suis subjectis realiter distinguere solent, de passionibus tamen entis affirmant, quod sint ei realiter identificatæ; & quidem non sine magna ratione, quia si passiones entis realiter ab ipso distinguerentur, omnis via præcluditur ad probandum quod sint entia, non enim essent entia essentialiter, quia subjectum non includitur in conceptu passionis, neque etiam realiter, quia ex hypothesi ponuntur ab ipso ente realiter distingui, ergo essent prorsus non entia, & nihil; si ergo unum est vera passio entis, ut omnes fatentur, statuendum est, non addere enti quidpiam realiter distinctum. Et quidem hanc solam identitatem realem unius cum ente voluit Arist. astruere, Metaph. tom. 1. cit. & non majorem, ut ibi exponit luculenter Doctor dicens; Notandum, quod dupliciter dicunt aliqua eamdem naturam, uno modo quia habent identitatem realem, & distinctionem rationum realium ex natura rei; alio modo, quia sunt idem secundum rem, & secundum rationem realem; exemplum primi, ut causa, & principium, nam eadem res est causa, & principium, sed secundum aliam, & aliam rationem realem, nam principium dicitur ratione primitatis, idem enim dico primum, & principium ex 1. Post. sed dicitur causa ratione dandi esse, quia causa est, ad cujus esse sequitur aliud, & istæ rationes non sunt eædem ex natura rei, & una est prior altera[2]; exemplum secundi, ut tunica, & vestis, & quæcumque synonima; primo modo sunt idem ens, & unum, & non secundo modo; ita Doctor in expositione illius textus, ac etiam Alensis; & quod hæc etiam sit intentio Philosophi con-

constat ex ratione, quam ibi adducit ad probandam identitatem unius cum ente, quia non separantur neque in generatione, neque in corruptione; hæc autem via generationis, & corruptionis, ut constat ex disp. de identitatibus, & distinctionibus, adhibetur ad indagandam identitatem, ac distinctionem realem, non autem formalem, ergo Arist. ibi intendit astruere ſolam Identitatem realem inter ens, & unum, non vero majorem.

65 Altera vero conclusionis pars, quod scilicet positivum unitatis enti superadditum non sit sola ratione ab ipso distinctum, ita quod distinctio solum se teneat ex parte modi concipiendi idem objectum, non autem ex parte conceptuum objectivorum, seu plurium formalitatum, quæ concipiuntur, primo probari potest ex eo, quod dictum est de passionibus entis in communi disp. 4. qu. 1. inter ens, & illas solam distinctionem rationis non sufficere, alioquin nec essent passiones reales, & positivæ; & a parte rei enti convenientes, sed solum passiones rationis, & fictæ per opus intellectus; tum quia alioqui non possent da ente demonstrari, quia idem de seipso prorsus ostenderetur; & fierent propositiones omnino identicæ, ut ibi sufficienter deductum est, ac etiam quæst. ultima ejusdem Disput. Rursus probari potest ex eo, quod generaliter dictum est de omnibus entis passionibus eadem disp. 4. quæst. 1. num. 10. & 11. ac etiam disp. 2. qu. 7. art. 1. num. 191. nec ens illas involvere in suo essentiali, & quidditativo conceptu nec implicite, nec explicite, neque e contra, nam hæc mutua exclusio in propriis conceptibus majorem certe distinctionem arguit, quam solius rationis præsertim ratiocinantis, quæ enim ita ratione distinguuntur non se invicem excludunt in propriis conceptibus. Insuper probari potest ex dictis art. præc. nam illæ rationes nedum ostendunt unitatem dicere pro formali quid positivum, sed hoc positivum esse quidpiam enti superadditum additione plusquam rationis, si earum robur bene perpendatur, præsertim quia ibidem a num. 59. ostensum est, hoc positivum rationem ipsam entis importare non posse, sed formalitatem ab ipsa diversam.

66 Deinde potest etiam specialiter probari de ipsa unitate, quia unitas est aliqua ratio positiva, quæ cum ab ente dimanare intelligatur, ut ejus passio, consequenter extra ejus rationem intelligi debet, quia omnis passio supponit essentiam constitutam a qua dimanat, ergo conceptus unitatis expressivus est alius conceptus ab eo, quo ens exprimitur, ut sic, & aliud concipimus, quando intelligimus ens, & aliud quando intelligimus unitatem; ergo hæc distinctio non est solius rationis ratiocinantis procedens solum ex diversitate modi concipiendi, sed etiam attenditur pœnes diversitatem conceptuum objectivorum, seu formalitatum, quæ concipiuntur. Conf. quia non idem objectum, vel eadem formalitas exprimitur in Deo, cum dicimus Deum esse ens, & cum dicimus Deum esse unum, quia prima est prædicatio quidditativa, & in primo modo dicendi per se, altera vero qualitativa spectans ad secundum modum, sicut etiam cum dicimus, Deum esse bonum, & verum, ergo inter ens, & unum versatur major distinctio, quam simplicis rationis ratiocinantis, & nedum est distinctio ex parte intellectus concipientis, sed etiam rei conceptæ. Præterea ens, & unum diversos habent terminos suæ oppositionis, & hæc diversitas non est per intellectum præcise, sed aliquo pacto ex natura rei, ergo nec ipsa sunt idem inter se omnino ex natura rei, & præcise per intellectum diversa, Consequentia patet, quia oppositorum est eadem ratio intra suam lineam; Probatur assumptum, quia contradictorium entis est ipsum nihil, contradictorium unius est divisio, vel multitudo, at multitudo non est nihil omnino, quia pro materiali plura includit entia, ergo e contrario neque unum est omnino idem, quod ens. Conf. quia cum oppositorum sit eadem ratio intra propriam lineam, ut dicebam, non videtur cur nihil, & multa sint diversa a parte rei, non autem ens, & unum; nam si ens, & unum a parte rei sunt omnino idem, itaut sola ratione distinguantur, idem quoque judicium de suis oppositis fieri debet, quod tamen est evidenter falsum, quia nihil quod opponitur enti dicitur de Chimæra, non autem multo, quod opponitur uni, nam chimæra nec est unum, nec multa.

67 Respondent Adversarii totam diversitatem, quæ est inter unitatem, & ens, esse solum secundum conceptus inadæquatos, & secundum esse explicitum, ita ut & ens implicite dicat unitatem, & unitas implicite dicat rationem entis, adeo ut inter ea nedum distinctio formalis ex natura rei intervenire non potest, sed neque secundum conceptus adæquatos, quia unitas est de conceptu adæquato entis, & tota distinctio est solum secundum conceptus inadæquatos, & esse explicitum, unde diversitatem esse ex parte modi concipiendi, non ex parte rei conceptæ. Sed plane argumenta jam facta directe hanc solutionem impugnant, quia directe ostendunt ens, & unum diversas dicere formalitates, & prædicata, quia aliud est prædicatum quidditativum, & essentialissimum rerum, aliud qualitativum; unum opponitur multo, aliud opponitur nihilo; per ens receditur a non esse, per unum a multitudine; hæc, inquam, diversitas non est in solo modo concipiendi pœnes conceptus inadæquatos, seu magis vel minus explicitum, sed pœnes diversas formalitates conceptas. Tum quia homo v. gr. per formalitatem entis dicitur esse præcise præscindendo a quocumque modo essendi, unitas vero quodammodo modificat illam, nam facit hominem sic esse, scilicet in se indivisum, & a quocumque alio divisum; cum ergo eumdem effectum formalem non præstent, nec consequenter erunt eadem formalitas. Tum quia ut arguit Doct. 4. Met. qu. 2. ab initio, cum dicunt ens, & unum significare idem prorsus objectum, sed non eodem modo, quæro de isto modo, quo explicatur ens sub ratione unius, vel enim iste modus intra conceptum entis, vel extra; si secundum, habetur intentum, nam conceptus unius erit extraneus ab essentia entis, quo pacto passio dicitur extranea essentiæ subjecti, & aliam formalitatem importabit distinctam a ratione entis; si vero est intra conceptum entis, vel est totus ejus conceptus, vel pars; si primum, ergo non est conceptus ullo modo diversus ab ente, si secundum, ergo conceptus entis non erit simpliciter simplex, sed resolubilis in alios priores partiales, & simpliciores. Tum quia secundus modus dicendi per se nedum continet diversum modum prædicandi a primo, sed etiam diversa prædicata, seu diversas formalitates prædicatas; at unum de entibus prædicatum spectat ad secundum modum dicendi per se, ens autem ad primum, ergo ens, & unum magis differunt, quam per implicitum & explicitum. Tum quia divinus intellectus vere cognoscit ens esse unum, verum, & bonum, & rursus unum distinguit a multis, ens verum a ficto, & bonum a malo, & tamen non procedit per conceptus inadæquatos, neque per magis, vel minus implicitum, aut explicitum, ergo passiones entis, important diversas formalitates aliquo pacto ex natura rei tum inter se, tum ab ente distinctas, ut arguebatur disp. 4. qu. 1. n. 8.

68 Denique nec implicite, nec explicite ens includeret in suo conceptu quidditativo aliquam suarum passionum, ut e contra loco supracitato ex professo probarum est; ac etiam adhuc probat Ant. And. 4. Met. quæst. 3. concl. 2. tum quia esset nugatio dicendo ens unum, sicut quando dicimus homo animal. Tum quia de se invicem prædicarentur in abstracto, & sic esset vera, entitas est unitas, quia ex hypothesi se invicem includerent quidditative, quæ tamen est falsa, quia ratio formalis unius non est ratio formalis alterius. Tum quia cum unum sit passio entis, prædicatur de ente tantum in secundo modo, & ens cum sit ejus subjectum ponitur in ejus definitione tantum, ut additum 7. Metaph. cap. 5. & 6. Tum tandem, quia si ens includeretur in uno quidditative, vel unum dicit ens præcise, vel addit aliquid aliud, non primum quia tunc idem esset passio sui ipsius, & sub eadem ratione; si secundum, vel rursus illud additum includit ens, vel non; si primum, abitur in infinitum, quia rursus de illo addito fiet postulatio, an ens includat, si vero dicatur, quod *illud additum* ens non includit formaliter, sed est ens identice solum, & realiter, potiori ratione hoc poterat ab initio dici, quod unum aliquid superaddit enti, non tamen realiter, sed solum formaliter, vel virtualiter ex natura rei ab ipso distinctum, & ideo est realiter, & identice ens. Hæ duæ ultimæ rationes cum alia, quam brevitatis gratia omisi, bene procedunt, quia sunt ratione ipsius Doctoris 1. d. 3. qu. 3. §. *ad quæstionem igitur respondeo*, & quæst. 21. de Anim. sed primæ duæ sunt facilis solutionis, diceretur enim nugationem non committi dicendo, ens unum, quia licet idem significent, non tamen eodem modo, quod sufficit ad evitandam nugationem, nam ens accipitur substantive, unum vero adjective, & per modum concreti denominantis, qua de causa dicendo, homo animal, nugatio committitur; & idem bis dicitur, & eodem modo, quia utrumque sumitur substantive, non autem unum substantive, & aliud denominative, quæ solutio est Doctoris quæst. cit. 21. de Anim. & 1 d. 3. quæst. 3. lit. P. Nec etiam alia concludit, quia illa est vera in abstracto, entitas est unitas, & e contra rationem transcendentiæ utriusque, qua de causa in Logica dicebamus, hanc esse veram, humanitas est entitas; male etiam deducitur consequentia illa, quod si unum includit quidditative aliud, possint de se invicem in abstracto prædicari, quia animalitas quidditative includitur in homine, & tamen hæc non est vera, humanitas est animalitas, ut etiam in Logica dictum est disp. 10. qu. 3. art. 2. qua de causa Ant. And. hoc exemplum adducens in illius consequentiæ probationem, & videns ejus falsitatem, inquit, non multum curare de illo exemplo, quia videbat calumniam pati.

69 Potest etiam hæc veritas comprobari ex illo 3. tex. lib. 4. Metaph. ubi Arist. loquitur de identitate entis, ac unius, quem adversus nos contrarii urgere solent, postquam enim identitatem realem, ac entitativam inter ipsa stabilivit illis verbis, *ens & unum idem, ac una natura sunt, propterea quod in se invicem sequuntur*, ne videretur astruere quoque identitatem formalem, & omnimodam ex natura rei, statim subdit, *non quod una ratione significantur*, per hoc innuens, quod quamvis ens, & unum sint idem re, differunt tamen ratione, idest definitione, ac ratione conceptibili, hoc enim significat ratio apud Arist. & differre ratione, ut sæpius notat Doctor. Neque dicas per id solum innuere voluisse, quod ens, & unum idem prorsus significant; sed non eadem ratione, idest non eodem modo, atque ideo differre solum pœnes modum significandi, non pœnes objecta significata. Nam Arist. immediate post explicans, quomodo idem significent ens, & unum, & quo pacto diversa ratione, utitur exemplo principii, & causæ, constat autem quod licet principium, & causa coincidant materialiter, quatenus eadem res est principium, & causa, numquam tamen coincidunt formaliter, quia alia est ex natura rei ratio causæ, & alia est ratio principii, ut ibi explicant Alensis, & Scotus supra relati; eodem etiam modo eumdem textum explicat Doctor 2. d. 16. qu. un. §. *ideo dico aliter*, ubi

ubi etiam validam ad hoc adducit rationem sic arguens, quæcumque habent aliquam distinctionem realem, si essent separata realiter, illam distinctionem habent secundum rationem, ubi non sunt distincta realiter, sed ens, & unum, si essent separata, essent distincta distinctione quidditativa reali, igitur & nunc habent illam formalem distinctionem, & quidditativam secundum rationem; per quam distinctionem ibi intelligit non quidem illam, quæ fit præcise per intellectum, sed distinctionem formalem ex natura rei, aut saltem, quæ fit per intellectum, sed cum fundamento in re, quæ proinde dici solet distinctio formalis virtualis, vel rationis ratiocinatæ. Conf. quia inter subjectum, & passionem non sufficit distinctio penes explicitum, vel implicitum, nam talis distinctio versatur inter definitionem, & definitum, ut animal rationale, & hominem, & tamen definitio non est passio definiti.

70 Restat igitur, quod unum ab ente distinguatur plusquam ratione, atque ita media quadam distinctione inter distinctionem realem, & rationis rigorose sumptam. Quia vero inter has duas distinctiones rigorose sumptas nedum mediat distinctio formalis actualis, quam soli admittunt Scotistæ, sed etiam distinctio virtualis, seu rationis ratiocinatæ, quam etiam admittunt Thomistæ, dubitari potest, qualis distinctio media inter realem, & rationis sit ea, quæ versatur inter ens, & unum. Et quidem Scotistæ eodem modo loquentes de conceptibus transcendentibus, & prædicamentalibus, eisque proprias realitates tribuentes, inter ens, & unum admittunt distinctionem ex natura rei formalem eodem prorsus modo, quo cæteras passiones solent dicere a suis subjectis distinctas; verum quia nec ens, nec consequenter passiones ejus proprias præseferunt realitates adæquatas, sed tantum conceptus inadæquatos, non est inter ens, & illas admittenda distinctio formalis ex natura cum tanto rigore, sed in eo sensu dumtaxat, quo explicatum est supra disput. 4. quæst. 1. num. 9. Unde cum in proposito quæritur, an unitas transcendentalis addat enti aliquam rationem positivam, seu realitatem ex natura rei distinctam a realitate entis, sensus quæsiti non est, an unitas transcendentalis præseferat suam unam realitatem communem transcendentalem ex natura rei a realitate entis communi distinctam, quia ut constat ex progressu disp. 2. & 4. nec ens, nec passiones entis unam realitatem communem ex natura rei præcisam a rationibus particularibus præseferunt; sed sicut ens sumitur a realitatibus pluribus particularium entium, quatenus in uno conceptu confuso, & inadæquato possunt exprimi, sic pariter & ejusdem passiones, unde sensus genuinus nostri quæsiti erit, an unitas transcendentalis sumatur in re ab aliqua vera realitate positiva ex natura rei distincta ab ea, a qua ratio entis abstrahitur, & in hoc tantum sensu verum erit dicere, unitatem dicere realitatem positivam superadditam enti, & ab ipso ex natura rei distinctam; nam si loqui velimus de ipsis conceptibus inadæquatis unius, & entis a suis inferioribus præcisis, sane non tantam patiuntur distinctionem, sed solam virtualem, vel rationis ratiocinatæ.

71 Quæres, quid sit positivum illud enti superadditum, in quo formaliter consistit ratio unius, & immediate fundatur negatio divisionis? Respondet ad hoc quæsitum Blasius a Concep. pro Thomistis disp. 21. Metaph. quæst. 4. num. 17. illud non esse aliquid aliud ab ipso ente ex natura rei distinctum, sed esse solum ens novo modo expressum; hoc est declaratum per modum fundamenti duplicis illius negationis, secundum quam rationem non exprimitur per conceptum, & nomen entis. Hoc tamen confutatum est supra num. 60. quia si unum non addit formalitatem positivam supra conceptum entis, sed simplicem negationem, sane nequit fundare illam negationem, nisi secundum propriam rationem entis, ut sic, & sic unum non importabit, nisi conceptum entis, ut sic, quod & ipsi recusant, quare fatendum est unum utique importare ens per modum fundamenti illius negationis, sed cum ens non constituatur in esse proximi, & immediati fundamenti illius negationis, nisi per aliam formalitatem illi superadditam, dicendum est consequenter positivum unitatis esse quidpiam enti superadditum. Deinde negatio illa fundatur in aliqua entitate positiva, vel ergo hæc est ipsa formalitas entis, vel alia superaddita, si secundum, habetur intentum, si primum ergo unum importat ipsum ens, ut sic, & sub conceptu entis præcise. Nec juvat dicere importare ens, ut exprimitur per modum fundamenti, unde oritur illa negatio; sicut enim considerare corpus naturale, ut sic, est ipsum considerare per modum fundamenti, & radicis ipsius mobilitatis, quia ipsa naturalitas, ut sic, est radix, & principium exigitivum mobilitatis, sic in proposito si inter ens, & illam negationem nulla ponitur mediare formalitas, quæ sit immediatum ejus negationis fundamentum, utique immediata radix illius erit ratio positiva entis, ut sic, unde considerare ens per modum fundamenti illius negationis, erit contemplari ipsum sub conceptu entis, ut sic.

72 Meurisse lib. 2. suæ Metaph. cap. 3. quæst. 1. volens explicare positivum, quod addit unum supra ens, ait concl. 4. quod si quod assignari possit positivum aliud ab ipsa entitate, ut indivisa, in quo consistat ratio unius, nil aliud esse posse, nisi identitatem rei ad seipsam, secundum quam est sibi ipsi ita cohærens, ita quasi completa, & propriis gradibus terminata, ut sit una natura, & non plures, quæ fuit opinio Soncin. 4. Metaph. quæst. 20. & 23. Et nullo pacto sustineri potest, quia identitas rei ad seipsam est relatio rationis, per quam aliquid intelligitur a seipso indivisum, ut etiam Soncin. ipse fatetur, at unitas de formali quid reale debet importare, quia est passio entis realis, non autem rationis, tum quia ens non esset unum, nisi per intellectus fictionem, quod tamen est falsum, quia nulla intercedente intellectus fictione verum est dicere, Deus est unus, Petrus est unus, ergo unitas pro formali nequit dicere relationem rationis. Deinde conceptus unitatis, ut sic, potius est absolutus, quam relativus, ut constabit quæstione sequenti, ergo nequit relationem pro formali importare, & tanto minus rationis. Tandem prius est aliquid esse unum, quam habere relationem identitatis ad seipsum, ergo nequit unitas talem relationem identitatis formaliter importare; Probatur assumptum, quia talis relatio identitatis fundatur super unitatem ex 5. Metaph. cap. 15. ac etiam ratione constat, quia ideo Petrus cum seipso idem concipitur, & a Paulo diversus, quia Petrus apprehenditur esse quid unum a se, vel in se indistinctum, Petrus vero, & Paulus apprehenduntur, ut plura, unde licut relatio diversitatis fundatur in pluralitate, ita relatio identitatis in unitate. At dicet Meurisse se non accipere identitatem per modum relationis, sed per modum absoluti, ut est quædam consistentia rei in se, seu cohæsio quædam sibi ipsi. Sed plane identitas in hoc sensu est ipsa entitas, quæ eadem dicitur, a qua formaliter non distinguitur, nec constituit specialem formalitatem, aut est ipsa unitas, & sic explicatur idem per idem.

73 Faber vero 4. Metaph. disp. septima, cap. 3. opinatur positivum, quod addit unum supra ens, nihil aliud esse, quam certam, & determinatam naturam entis cujusque, ita quod unum supra ens nil aliud addat, nisi determinationem certam naturæ talis entis; quod declarat, quia cum dicimus ens unum, est, ac si diceremus ens certæ, ac determinatæ naturæ, qua differt a quolibet alio, unde videmus proprium esse cuicumque enti habere determinatam, & certam naturam, qua differt, & est divisum a quocumque alio, & indivisum a se, & super hanc proprietatem, quæ est quid positivum, & fluit a principiis essentialibus entis, fundatur illa negatio divisionis. Hujus autem declarationis licet se faciat Auctorem, & dicat in nullo alio inveniſse, subdit tamen fuisse a Scoto insinuatam 4. dist. 11. quæst. 3. §. *ad rationes ergo*, in principio, ubi inquit quod compositum, est verius unum, quam quælibet pars, licet pars sit minus divisibilis, quam compositum; ex quo colligitur in sententia Doctoris non illud esse verius, & magis unum, quod est indivisibilius, & tamen si ratio unius esset indivisio, proculdubio quod magis participaret de indivisione, partioiparet magis de ratione formali unius, & sic esset perfectius unum; quod autem compositum sit magis unum, & perfectius unum quam partes, licet sit magis divisibile, ex alio capite esse non potest, nisi quia compositum est magis determinatum, & magis determinatæ naturæ, quam sint partes, quæ sunt magis potentiales, & indeterminatæ, cum ordinentur ad compositum. Hoc etiam colligit Arist. dum modus unius assignat 10. Met. tex. 1. nam ibi inter alios recenset unum unitate continuitatis, & ait tunc aliquid esse unum tali unionis modo, cum est unum continuitate sua per aliquam formam, qua sit tale.

74 Poncius disp. 19. de ente, ut sic, quæst. 2. reiicit hunc dicendi modum, quia omne ens habet determinatam naturam ex suis principiis essentialibus, ut homo suam determinatam naturam habet ex animalitate, & rationalitate, & per hæc differt a quocumque quod non est ipsum, ergo id non habet ab unitate, quæ est proprietas entis. Verum illa ratio absolute non probat, licet enim verum sit unumquodque ens determinatam habere naturam ex suis principiis essentialibus, & merito ipsorum habere suam indistinctionem in se, & distinctionem a quolibet alio radicaliter, & originative, falsum tamen est, quod talem habeat indistinctionem in se, & distinctionem ab alio formaliter ratione illorum, & per propriam entitatem secluſa unitate, nam in unoquoque ente talis distinctio, ac indistinctio habetur formaliter per attributum unitatis, in quo proxime, & immediate duplex illa negatio fundatur, ut dictum est num. 45. contra Recentiores contendentes omne ens ex vi propriæ entitatis præcise esse unum, & immediate fundare duplicem illam negationem absque ulla formalitate superaddita, quibus plane consentire videtur Poncius sic arguendo; & hoc expresse habetur a Doctore 1. dist. 11. qu. 2. §. *contra istam opinionem*, ubi licet dicat eadem esse principia constitutiva, & distinctiva rei, subdit tamen indistinctionem in seipso, & distinctionem a quolibet alio, quod non est ipsum, in quocumque haberi formaliter merito unitatis, ait enim, *quocumque formaliter aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur, quia eodem est aliquid ens, & unum unitate convenienti tali entitati, & si unum igitur est in se indistinctum, & ab aliis distinctum*, itaque distinctio illa, & indistinctio, licet in quocumque ente habeatur radicaliter, & originative merito suorum principiorum constituentium, formaliter tamen non habetur nisi per attributum unitatis, cujus formalis effectus est reddere rem in seipsa indistinctam, & a quocumque alio formaliter distinctam.

75 Melius itaque, ac firmius reiicitur iste dicendi modus Fabri ex dictis quæstione tertia de unitate transcendente, de cujus ratione diximus esse, quod sicut est inchoatio cujuscumque determinati gradus unitatis, ita in se nullam includit determinationem unitatis, sed est præcise unitas, ut sic, repugnat ergo quod unitas transcendentalis faciat rem ita unam, ut sit determinatæ naturæ. Confirmatur, quia unitas transcendens

dens debet cum ente, ut sic, proportionari atque converti, sed ens præscindit a quocumque gradu determinato entis; ergo pariter, & ejus unitas, atque ideo implicat unitatem transcendentem esse determinatæ, ac certæ naturæ unitatem. Rursus si unum supra ens nil aliud addit, nisi de terminationem certam, qua redditur ens tale, ac determinatæ naturæ, ut ait Faber, ergo unitas non erit passio transcendens, ac ejusdem latitudinis cum ente, sed potius gradus contractivus, ac determinativus entis. Insuper sicut prius est esse ens quam esse unum, ita quoque prius est aliquid esse determinatæ naturæ, quam esse sic unum; ergo tantum abest, quod unitas quæ est passio entis, faciat rem esse certæ, ac determinatæ naturæ, quod potius unitas determinata petit originari a determinato ente; nam sicut ad originandam unitatem, ut sic, necessarium est ens, ita quoque ad originandam determinatam unitatem erit necessaria determinata ratio entis; unde quoad hoc bene dicebat Poncius determinationem naturæ non pendere ab unitate rei, sed a principiis ejus essentialibus, & unitatem sequi talem determinatam naturam in certo gradu unitatis, quia sicut ens determinatur dum ad inferiora descendit, pariter etiam, & ejus unitas, quæ in genere fit generica, ad speciem contracta fit specifica, & in singularibus individualis; unde illa declaratio Fabri, sive prorsus inepta est, vel inservire nequit, nisi ad explicandos a posteriori varios gradus unitatis, qui hanc vel illam determinatam insequuntur naturam in particulari, non autem unitatem ipsam transcendentem, quæ præscindit ab omni determinatione naturæ. Immo paucis verbis videtur sibi Faber loc. cit. contradicere, prius enim dicit unum supra ens nil aliud addere, nisi determinationem certam naturæ talis entis, statuit unitas quæ est passio entis significat determinationem naturæ cujuscumque entis; & paulo post in quadam parentesi inquit, ideo enim hoc ens est talis determinatæ naturæ, ut homo, planta &c. quia est ex tali essentia vel ex talibus principiis determinatum ad talem determinatam naturam, quibus verbis quod prius dixerat revocare videtur, nam prius dicit unumquodque ens ab unitate, quæ est passio entis habere, quod sit certæ, ac determinatæ naturæ; postea vero inquit hoc habere ex sua tali essentia, & principiis constitutivis ejus, unde cum hoc fateatur Faber, licet non satis consequenter ad sua dicta, male ex hoc capite arguit contra ipsum Poncius loc. cit.

Nec Arist. aut Scot. ab ipso citati ullo pacto ejus imaginationi suffragantur, nam Arist. ibi solum significare voluit unum non ab ente distingui, sed quodlibet unum esse per eamdem prorsus formam, qua est ens, quod parum vel nihil prodest ad suam opinionem tuendam; sic etiam Doctor loc. cit. nil minus cogitavit, quam ejus dicendi modum indicare, solum enim dicit compositum esse verius unum, quam sint ejus partes, non quidem in hoc sensu, quod sit indivisibilius ipsis, sed solum quia est perfectius, seu perfectioris entitatis, quatenus est actualius ipsis, & magis determinatæ naturæ, & utique verum est quod est magis determinatæ naturæ, esse magis unum, unde major est unitas individualis, quam specifica; & specifica major est generica; sed hinc minime sequitur unitatem transcendentem, quæ est passio entis, esse determinationem certæ naturæ absolute, immo sequitur oppositum, quia ens, cujus est passio, non est certa, ac determinata natura, & cum sit unitas transcendens, ab omni prorsus unitatis gradu præscindere debet. Fatendum igitur est unitatem, quæ est passio entis, melius, & aptius explicari non posse, quam per indivisionem, ut fecit Arist. 5. Met. cap. 6. & lib. 10. cap. 1. & 5. dicens unum idem esse, ac indivisum, unitatemque idem ac indivisionem; unde qui aliter illud positivum, quod importat, explicare voluerunt, hallucinati sunt; quo autem pacto per indivisionem debeat explicari, & per quam indivisionem, declarandum est quæst. seq.

ARTICULUS III.

Argumenta in oppositum solvuntur.

76 COntra conclusiones positas in duobus præcedentibus articulis arguitur, & primo probando quod unitas pro formali non dicat quid positivum, sed puram negationem divisionis, vel multitudinis, nam Arist. passim rationem unius explicat per esse indivisum, esse indivisibile 5. Met. cap. 6. lib. 10. cap. 4. & 5. & alibi, esse autem indivisum dicit formaliter negationem divisionis. Deinde probatur ratione, quia hic est conceptus, quem omnes de unitate habent, unum formaliter esse, quod non est divisum in plura, quod non est multa, & unitatem esse scarentiam divisionis; & quia hæc negatio habet omnes conditiones, ut sit passio entis, adæquatur enim, & convertitur cum ipso ente, consequitur seu fundatur in ipsa quidditativa ratione entis, & de omni ente necessario prædicatur. Demum impossibile est assignare conceptum hujusmodi positivum, quem unum importet distinctum a conceptu entis, non enim assignari potest per relationem identitatis ejusdem ad seipsum, neque per determinationem certam naturæ talis entitatis, ut contra Meuriſſe & Fabrum dictum est in præced. art. nec aliis modis ab Auctoribus nostræ opinionis excogitatis, ut probat Aversa quæst. 5. sect. 2. itaque restat, ut solum importet conceptum negativum.

Resp. modum loquendi Arist. de uno nos movere non debere, quia sæpius aliud est id, in quo res consistit, aliud vero per quod a nobis explicatur; frequenter enim positiva per negationem explicamus, ut per non esse in alio positivam differentiam substantiæ, per incorruptibile, & irrationale positivam differentiam substantiarum incorruptibilium, ac irrationalium, quia negationes interdum nobis notiores sunt suis habitibus; sic igitur in proposito, quamvis indivisibile dicat positionem secundum rem, divisibile autem privationem, tamen quia unum est ignotius nobis, quam multitudo, & indivisibile, quam divisibile, ideo ipsum nominamus, & definimus per negationem, & privationem; sic videmus, quod incorporeum magis dicit rem positivam, quam corporeum, sed tamen quia corporalia sunt nobis magis nota, quam incorporalia, ideo nominamus ista per nomen positivum, illa autem per negationem, ita Alensis 10. Met. tex. 9. quæstiunc. ultima, hinc etiam dicebat D. Bon. 1. dist. 24. art. 1. quæst. 1. quod de uno loqui possumus, vel quantum ad rationem intelligendi, vel quantum ad rem intellectam, si quantum ad rem intellectam, unum positive dicitur, si quantum ad rationem intelligendi, dicitur privative, & ratio ejus assignatur per privationem divisionis, & multitudinis, & hoc est quia unum est primum, & prima non habent intelligi a nobis, & notificari, nisi per posteriora, & hinc tandem disp. 4. dixi de passionibus entis in universum aliud esse loqui de ipsis secundum id quod in re important, & aliud secundum id, per quod a nobis explicantur; nam solent a nobis explicari per negationes, & relationes rationis, cum tamen in re important positivum, & reale, sicut sunt passiones positivæ, & reales. Per idem patet ad rationem, cui negandum est negationem divisionis habere conditiones omnes ad veram, & positivam passionem requisitas, quam enim proportionem cum ente reali potest habere non ens, sicut est illa negatio, ut ponatur ejus propria, & adæquata passio? immo negatio illa secundum se, & præcise considerata non convertitur cum ente reali, quia ex vi negationis æque convenire potest enti reali, & rationis, ut dictum est num. 58. & solum enti reali appropriatur ratione positivæ formalitatis, quam importat unitas, & immediate consequitur illa negatio, & ratione cujus necessario prædicatur de omni ente. Ad ult. conceditur pro statu isto satis difficulter explicari posse unitatem entium per conceptum positivum, hoc tamen minime nos movere debet ad asserendum oppositum, quia ut dictum est, multa sunt positiva in re, quæ tamen a nobis non nisi negatione explicari valent.

77 Secundo ad idem objicit Arriag. cit. numer. 29. semper plura plus dicunt, quam unum, quod lumine naturæ notum est, at hoc falsum esset, si unitas in positivo consisteret, nam tunc pluralitas consisteret in carentia illius positivi, & consequenter pluralitas minus diceret, quam unitas, quod omnium sensui repugnat. Deinde divisum, & non divisum contradicunt, ita tamen ut divisum sit extremum positivum, ergo non divisum erit negativum, probat assumptum, quia ex duobus contradictoriis unum necessario convenire debet independenter ab intellectu etiam chimeræ, & enti negativo, quia si hæc propositio est falsa, *Chimæra legit*, hæc est necessario vera, *Chimæra non legit*, ergo etiam erit verum dicere, *Chimæra realiter est divisa*, *vel realiter non est divisa*, unum ex illis debet de illa necessario affirmari, atqui non potest de illa dici, *realiter est divisa*, ergo debet dici *realiter non est divisa*, ergo non divisio realis non est prædicatum positivum, alias de chimæra prædicaretur aliquid positivum, quod est falsum; ita arguit num. 36. Tandem arguit num. 39. pluralitas, & multitudo realis non est carentia, immo potius est repetitio entitatum, unitas autem est carentia earum, unde ad constituendam multitudinem non debent auferri, sed potius poni entitates, ad constituendam autem unitatem debent auferri, & quo plus additur, eo major redditur pluralitas, & quo plus aufertur, eo redditur minor, ergo pluralitas est quid positivum, & consequenter carentia illius, quæ in uno reperitur, erit vera carentia.

Ad 1. jam dixi num. 55. pluralitatem solum pro materiali plus dicere, quam unum, quia continet plures entitates ac unitates inter se divisas, at pro formali verum esse, quod minus important, quam unitas, quia sic dicit divisionem solam, quæ est simplex carentia. Ad 2. ait Ovied. chimæram eo modo, quo est ens, esse non divisam, idest per rationem, non autem realiter, & arguentem objurgat, quod in scholis introducat futiles nugas tyronibus ipsis indignas. Sed interim non satisfacit replicæ, quam facit Arriag. prædictæ solutioni, qui ait solutionem illam non sufficere, quia ad eam præcludendam data opera inquit posuisse in argumento particulam illam *realiter*, sicut enim de chimæra est verum non solum ratione, sed *realiter*, legit vel non legit, ita etiam non solum in intellectu, sed realiter verum est dicere de illa, *est divisa*, *vel non divisa*, & ut clarius intelligatur replica, sic conficit illam; Chimæra realiter vel habet realem divisionem, vel non habet illam, ubi locum non habet allata distinctio, atqui non est verum, realiter habet realem divisionem, ergo realis divisio non consistit in carentia, sed in positivo, nam chimæra a parte rei caret omni positivo. Sed integro argumento cum sua replica facile quisque occurret, si advotabit quæ in materia de contradictoriis dicta sunt 1. p. inst. Log. tract. 2. cap. 7. & disp. 9. qu. 1. art. 2. nimirum, quod licet inter contradictoria absolute sumpta dari medium nequeat, tamen inter contradictoria præsertim incomplexe sumpta in propositionibus cum aliquo syncategoremate posse dari medium, ut docet Doctor

ctor 1. d. 2. qu. 7. Kk. & d. 4. qu. 1. E. & d. 5. qu. 1. L. & 2. dist. 2. qu. 9. Z. & alii frequenter, unde istæ propositiones sunt ambæ falsæ, *animal per se est album*, *animal per se est non album*, nam si alterum illorum per se conveniret, numquam oppositum ei competere posset, sicut quia homo per se est rationalis, numquam erit non rationalis; sic igitur in proposito, cum dicitur *Chimæra realiter vel est divisa*, *vel non divisa*, neutra est concedenda, quia contradictoria non sumuntur absolute, sed cum illo syncategoremate *realiter*, unde sicut in ista propositione *homo per se in primo modo vel est albus*, *vel non albus*, neutra pars est concedenda, cum tam albedo, quam ejus negatio sint prædicata, prorsus accidentalia male sumuntur cum illo syncategoremate *per se*, quod non appellat, nisi prædicata essentialia, sic in proposito dicendo: *Chimæra realiter est divisa*, *vel non divisa*; neutra pars concedi debet, quia unum, & multa, divisum, & non divisum sunt prædicata realia, nedum enim unitas entis, sed etiam ejus negatio est suo modo realis (eo pacto quo negationes, & privationes diximus posse dici reales disput. de privatione in Phys.) & dicitur negatio in genere, ut constat num. 56. nec applicari possunt entibus rationis nisi sumantur secundum quid, & per quamdam proportionem, unde si sumantur cum illo syncategoremate *realiter*, neutrum cum veritate dici potest, si enim ens rationis dicitur non divisum, vel indivisum, hoc nequit intelligi de indivisione reali, & simpliciter, sed tantum rationis, & secundum quid

78 Ad 3. occurrit idem Ovied. illud sic retorquendo, pluralitas non est quid negativum apud Arriag sed pluralitas tantum est repetitio unitatum; ergo unitates in se non sunt quid negativum, quia ex repetitione negationum præcise non potest fieri quid positivum. At hujus instantiæ innuit solutionem Arriag. quam Ovied. non impugnat, dicens numerum dualem constare quidem unitatibus, si seorsim sumantur, at ut faciunt numerum binarium non seorsim, sed simul debent sumi, & ut sic non jam sunt unitas, & consequenter nec negatio, sed multiplicitas, quæ ex hac & illa unitate provenit, nam negatio, quam una entitas dicebat, auferetur per secundam, & sic non manet jam una, sed multiplex. Facile tamen illo eodem argumento potest hæc solutio impugnari, quamvis enim hæc, & illa unitas non faciant numerum binarium seorsim, seu figillatim sumptæ, sed simul & conjunctim, adhuc tamen retinent rationem unitatis transcendentalis, unde numerus dicitur multitudo ex unitatibus aggregata, & Petrus licet sumptus simul cum Paulo non dicatur amplius unus unitate solitudinis, qualis erat absque consortio Pauli, adhuc tamen cum ipso sumptus dicitur unus homo transcendentaliter non minus, quam antea: non ergo evanescunt in compositione numeri unitates transcendentales; sed potius ex ipsis integratur; si ergo ipsæ sunt formaliter negationes, plane sequitur, numerum non esse, nisi aggregatum ex multis negationibus, sed ex negationibus positivum aliquid resultare non potest, si ergo pluralitas quid positivum est, apud Arriag. etiam unitas, ex cujus repetitione consurgit, quid positivum erit. Ad argumentum autem in se dicendum est nihil prorsus concludere, eo quia est æquivocatione plenum tam ex parte unitatis, quam multitudinis, seu pluralitatis, quia non sumit unitatem pro unitate transcendentali, de qua hic est sermo, sed pro unitate solitudinis, qua aliquid dicitur unum, quia solitarium, & sine alterius consortio, nam hæc est unitas, quæ omnem excludit pluralitatem, & multitudinem; unitas autem transcendentalis non sic, licet enim excludat multitudinem, quæ resultaret ex sui divisione, non tamen excludit illam, quæ resultat ex ipsa, & aliis unitatibus extrinsece advenientibus, immo ipsam componit cum aliis advenientibus, ut aliqua ejus pars; nec etiam sumitur in argumento pluralitas, ut opponitur unitati transcendentali, sed ut opponitur unitati solitudinis, nam quidem in hoc sensu verum est, ut in argumento dicitur, unitatem esse præcise carentiam aliarum unitatum, quia unitas solitudinis non patitur consortium aliarum, ac in eodem sensu verum est ad constituendam multitudinem non debere auferri; sed potius poni entitates, & e contra ad constituendam unitatem debere auferri, unde tandem in eodem sensu concludi potest, multitudinem dicere quid positivum, & unitatem quid privativum, unitatem nempe solitudinis, & multitudinem ei oppositam. Quod si urgeas in argumento de unitate transcendentali, & multitudine illi opposita sermonem fieri; illa, quæ in argumento de multitudine sumuntur, non nisi de ipsa pro materiali possunt verificari, sic enim verum est, quod non est carentia, sed repetitio entitatum, & quod ad eam constituendam non debent auferri, sed poni entitates, & quo plus additur, eo major redditur pluralitas, & quo plus aufertur, eo redditur minor, & alia hujusmodi, unde tantum inferre licet pluralitatem, & multitudinem esse quid positivum pro materiali, non vero pro formali.

Tertio ad idem arguit Aureol. quol. 3. oppositio privativa non aliter probari potest, nisi ex terminis, neganti enim quod lux sit habitus, & tenebra sola privatio, & potius oppositum affirmanti, id probari nequit, nisi ex terminis, quia lux est forma sensibilis, comprehensibilis, ut aliquid in se, tenebra vero concipi nequit ut aliquid in se, sed potius, ut carentia, vel negatio lucis in subjecto apto nato, sed unitas, & multitudo privative opponuntur; nec dici potest, quod multitudo sit carentia, & privatio, sed potius unitas, quia multitudo est de sensibilibus communibus, & a nobis sensu comprehenditur multitudo stellarum, v. gr. multitudo hominum in exercitu, unitas autem non concipitur a nobis, ut aliquid in se, sed potius ut negatio multitudinis; ergo unitas erit privatio, & multitudo habitus. Nec valet, si dicatur, quod ideo unitas non concipitur, ut aliquid in se, sed ut negatio multitudinis propter sui perfectionem, excedentem intellectum nostrum, quia æteræ perfectiones simpliciter, ut sunt sapientia, & justitia non sunt inferiores unitate, & tamen intelliguntur positive, & non privative. Deinde ulterius arguit, quia illa est ratio formalis alicujus, qua posita illud ponitur omni alio circumscripto, & qua remota omni alio posito removetur, sed intelligens rationem quamdam positivam, si ab ea removeat indivisionem, sive privationem multitudinis, statim ponit habitum positivum scilicet multitudinem, & aufert unitatem, e converso autem cuicumque attribuit hanc privationem, quæ est indivisio, omni alia ratione positiva amota, statim illud intelligitur, ut unum, quia indivisum; nec oportet quod aliqua ratio positiva intelligatur addi rationi illi quæ intelligitur una, sed sufficit, quod illi rationi attribuatur indivisio, ergo unitas solam privationem, vel indivisionem importat. Denique urget, quia reducere multa in unum est reducere ea de esse in actu ad esse in potentia, & de esse ens in actu ad non esse ens in actu, e converso autem dividere unum in multa est reducere illa multa de potentia ad actum, & de non esse in actu ad esse in actu, sicut patet in divisione continui, partes enim in toto sunt, in potentia divisæ sunt in actu, sed non ens in actu habet se privative respectu actus, ergo unitas consistit in privatione, & multitudo in positione, nam multitudo est positio, & reductio ad actum.

79 Resp. negando minorem quoad secundam partem, ad probationem dico nedum multitudinem, sed etiam unitatem esse de sensibilibus communibus ex 2. de Anim. tex. com. 64. & 133. quia perinde apprehendimus hic esse unum hominem, ac viginti, vel mille, unde ex hoc capite non minus de unitate, quam de multitudine probaretur esse quid positivum, immo multitudo est sensibilis, quia unitates, ex quibus constituitur, sunt sensibiles; nam si unaquæque unitas insensibilis foret, etiam multitudo inde coagmentata insensibilis esset, unde quia unus Angelus est insensibilis, multitudo quoque Angelorum insensibilis est, adhuc tamen multitudo nobis sensibilior appareret, quia quicquid sensibilitatis est in uno, est etiam in multitudine cum additione, ut quæst. seq. dicemus num. 93. ubi etiam explicabimus tex. 9. lib. 10. Metaph. ex quo loco ait Aureol. hoc argumentum desumi; præterea cum dicimus multitudinem esse sensibilem, hoc sane intelligendum est de ipsa materialiter considerata, quatenus dicit plures unitates inter se divisas, non autem formaliter, quatenus dicit ipsam divisionem, quia hæc est pura, ac simplex carentia unitatis, vel unionis, ut ostensum est num. 50. quæ in tantum percipitur inter partes continui, quatenus non videmus ibi partes unitas adinvicem, & conjunctas, neque oppositum Aureolus ipse sustinere potest, cum teneat 1. d. 24. qu. 1. art. 2. numerum pro formali non esse ens reale, & per se unum, si ergo numerus pro formali non est quid reale positivum, hoc ipsum etiam de multitudine affirmare tenetur, cum numerus non sit nisi multitudo ex unitatibus aggregata, nam omnes rationes probantes numerum pro formali non esse aliquod unum per se positivum, idem prorsus concludunt de multitudine. Ratio autem, cur unitas difficilior sit nobis explicata per suum conceptum proprium positivum, quam sapientia, justitia, & aliæ quædam perfectiones simpliciter, non est, quia sit excellentior illis, forte enim neque infinitas, nec immortalitas, vel immutabilitas præstantiores sunt illis, & nihilominus per negationem explicantur, & non per suum proprium conceptum positivum, sed id evenit ex propriis earum rationibus, quarum una est facilior captu, quam altera; & in proposito præsertim dici potest unitatem esse nobis cognitu difficiliorem, quam sapientiam, & justitiam, quia non sunt rationes adeo transcendentes, sicut unitas, quæ est prima passio entis, sunt enim affectiones, vel attributa quædam naturæ intellectualis, quo autem prædicata sunt magis transcendentia, sunt etiam explicatu difficiliora, utpote a sensibus remotiora, & propriis definitionibus carentia.

Ad 2. eodem argumento æque probari potest immaterialitatem, infinitatem, irrationalitatem, & alia ejusmodi puram importare negationem, nam remota tali negatione materialitatis, aut finitatis ab aliquo ente, statim illud intelligitur esse materiale, & finitum, & opposita tali negatione quocumque alio positivo amoto, statim intelligitur immateriale, ac infinitum, quia cuicumque attribuitur esse privatum materialitate, ei attribuitur esse immateriale, sicut ergo hoc argumentum non concludit de immaterialitate, aut infinitate, ita nec in proposito de unitate; utique ad argumentum dicimus ad minorem, quod intelligendo rationem aliquam positivam, & removendo ab ea indivisionem, statim ponitur multitudo, non formaliter ex sola remotione indivisionis, sed concomitanter, quatenus removendo indivisionem, vel privationem multitudinis, removetur antecedenter formalitas positiva exclusiva immediate multitudinis, quam indispensabiliter concomitatur indivisio, unde etiam ex remotione indivisionis valet per locum a concomitantibus inferre positionem multitudinis, sicut ex negatione frigoris in aqua valet inferre positionem caloris, non quidem formaliter, quia frigus sit sola negatio caloris, sed concomitanter, quia enim cum frigore connexa

est

est necessario negatio caloris, valet inferre, quod remota ab aqua negatione caloris statim ponitur ibi calor, quia si removetur ab aqua negatio caloris, hoc ideo, quia prius removetur frigus, cum quo connectitur negatio caloris; illa autem major in argumento assumpta *intelligitur* de positione, & remotione formali, non autem concomitanti, & ideo cum solum concomitanter ponatur multitudo ex remotione indivisionis, *non autem formaliter modo jam explicato*, argumentum non concludit. Ad ultim. potest reduci ad oppositum, ut enim dictum est num. 50. continuum dividi aliud non est formaliter, quam destrui unionem quæ erat inter ejus partes, & cum ait Aureol. quod quando unum continuum dividitur in multa, tunc reducuntur ad actum partes continui, quæ in ipso erant in potentia; hoc sane intelligendum non est de actualitate existentiæ, nam in hoc sensu partes in continuo dicuntur esse in actu, ut dictum est in Phys. disp. de Continuo, sed de actualitate totalitatis, & subsistentiæ, quam partes continui non habent, nisi quando sunt ab invicem divisæ, & solutæ, ac terminos habent proprios, quare cum subinfert, quod non ens in actu privative se habet respectu actus, atque ideo *unitatem consistere in privatione*, & multitudinem in positione, neganda est consequentia quoad utramque partem, quoad primam quidem quia partes continui, ut unum totum constituunt, non carent quacumque actualitate, ut dictum est, quoad secundam quoque, quia multitudo pro formali dicit divisionem, & solutionem unius partis ab alia, & illa totalitas, & subsistentia attinet ad unitatem integritatis, & continuitatis cujusque partis jam propriis terminis circumscriptæ, non autem ad multitudinem ipsam, nisi materialiter.

80 Quarto obiicitur ad probandum positivum; quod dicit unum non esse quidpiam enti superadditum, & præsertim ab ipso ex natura rei distinctum, quia hoc additum vel esset ens, vel non ens; non secundum, quia tunc illud additum non esset quid positivum, nam positivum id censetur esse, quod est vere, & essentialiter ens, & implicat, esse formalitatem aliquam positivam, quæ non sit formaliter, & essentialiter ens, quia ut sæpe dictum est, ens, ut sic, est fundamentum omnis realitatis, & inchoatio cujuscumque formalitatis positivæ. Tum quia si est aliquid positivum, ergo habet aptitudinem ad esse, & non repugnantiam; ergo est essentialiter ens reale, quia hic est quidditativus conceptus entis. Tum quia si addit aliquid, jam hoc additum erit ens, quia ens, & aliquid convertuntur; si vero conceditur illud additum esse ens, jam constat hanc esse non posse propriam additionem, adeo ut intercedat distinctio ex natura rei inter formalitatem additam, & id cui fit additio, quia vel idem sibi ipsi penitus adderetur, cum extra latitudinem entis transcendentis, de quo loquimur, alia acceptio entis realis non detur, vel saltem daretur processus in infinitum in additionibus, nec poterit dari status, nisi in aliquo addito, quod non includit ens, quod quidem esse non potest, nisi negatio illa divisionis, quæ dicitur per unitatem importari.

Resp. ex dictis disp. 2. quæst. 7. art. 2. illud additum esse ens non quidem formaliter, & essentialiter, per inclusionem *nimirum entis* in suo conceptu quidditativo, sed realiter, & identice, quatenus cum eo realiter identificatur, ut passio suo subjecto, & in hoc sensu dicitur illud additum esse quid positivum, quia licet non sit formaliter, est tamen realiter ens, & in hoc sensu dicitur habere aptitudinem ad esse, non formaliter in se, sed per identitatem cum alio, & in hoc sensu dicitur ens fundamentum, & inchoatio realitatis ejus, nempe per identitatem realem, quidquid enim reale est, sane talem realitatem participat, vel quia includit essentialiter conceptum entis, vel quia est idem cum ipso, unde quod non participat ens aliquo ex his modis est prorsus nihil; & tandem in hoc sensu quod superadditi unum enti, dicitur aliquid nempe per identitatem; vel dicas aliquid interdum latius patere ipso ente, quia dicitur de omni, quod est vel ens, ut sic, vel cum ente, ut sic, identificatum; ex quo deducitur, hanc non esse propriam additionem, qualis esse solet rei ad *rem*, a qua realiter distinguitur, sed tantum formalitatis ad rem, in qua immersa, & imbibita invenitur per identitatem realem, & ideo neque datur processus in infinitum in additionibus, neque idem omnino additur sibi ipsi, quia hæc non est additio realis, sed formalis, ac inrer additum, & id cui fit additio, distinctio intervenit aliquo pacto ex natura rei. Dices si passio entis est aliquid extra nihil, ergo est formaliter ens, quia hic est conceptus entis quidditativus, nec ullo pacto aliquid posse latius patere ipso ente, quia nihil potest esse communius ente ex Doctore 1. d. 3. qu. 3. §. *quantum ad* 2. art. & lib. theor. propos. 6. & 13. Respond. negando consequentiam; ut enim aliquid sit formaliter ens, debet esse formaliter, & per se extra nihil, non autem identice solum, & ratione alterius, cui identificatur, ut contingit de modis, & passionibus entis, quod satis declaravimus disp. 2. num. 211. & in hoc sensu *aliquid*, latius patere potest ipso ente, si per ens intelligatur id, quod directe, formaliter, & ex se est extra nihil, per aliquid vero id, quod est extra nihil vel directe, & per se, vel indirecte; & per aliud, cui identificatur.

81 Et quia in hoc sensu etiam durum videtur contrariis aliquid posse latius patere ipso ente, & posse aliquid sibi addi, quod non sit formalissime ipsum ens, hoc declarare intendo etiam in opposita sententia, nam & ipsi quoque contrarii, unum, ac cæteræ passiones saltem ratione ab ente distinguentes, fatentur hanc additionem esse rationis, seu per intellectum; tunc igitur peto quid intellectus concipiat enti superaddi, vel aliquid, vel nihil; non secundum, quia nihil, ut sic, *concipi nequit*, ut passio entis, sed potius, ut oppositum entis; si vero concipit aliquid, vel præcise concipit ipsum ens, & sic non conciperet passionem additam enti, sed ens addi sibi ipsi, vel concipit aliquid ultra præcisam rationem entis, quod sit veluti ejus effectio, & modificatio, ut loquitur Alensis, & sic concipit aliquid latius patere ipso ente, unde tandem & ipsi fateri tenentur in propria sententia, quod nos dicimus, ut bene notavit Smisinch. loc. cit. Dices, aliud esse, quod contingit in re, aliud quod per intellectum; cum enim intellectus plura sæpe distinguat, quæ a parte rei non sunt distincta, non bene arguitur a conceptu ad rem, seu ab eo quod fingitur per intellectum, ad id quod contingit in re. Resp. ex hoc capite consequentiam tenere, quia distinctio quam ponit intellectus inter ens, ejusque passiones, non est omnino ratiocinantis, & ficta, sed cum fundamento in re, & ideo a conceptu ad rem valet aliquo pacto argumentari; tum quia ens rationis non fingitur, nisi ad modum entis realis, & nihil concipi potest per simplicem apprehensionem, nisi per modum entis, ita igitur proportione servata implicabit per intellectum concipere aliquid, quod non habeat modum entis, sicut in re aliquid esse, quod non sit ens, & utrobique suo modo eadem recurret repugnantia, sed constat in contrariorum sententia concipi posse aliquid, quod expresse non dicit formalem rationem entis, sed aliquam tantum ejus modificationem, & circumstantiam, ergo id etiam suo modo dici poterit a parte rei, quatenus conceptus ille non est omnino fictus, sed habet in re fundamentum, quamvis igitur aliquid convertatur cum ente formaliter, vel identice, tamen non convertitur cum ente formaliter, sed latius patet ipso sic accepto.

Hac de causa Hurtad. Pasqualig. Blasius a Concept. & alii Thomistæ tenentes unum de formali quid positivum importare ratione sola distinctum ab ente, & sola additione rationis ipsi superadditum, ne cogerentur ob hanc rationis distinctionem, & additionem his difficultatibus subjacere, quibus nostra premitur sententia, dixerunt distinctionem unius ab ente non esse adæquatam, seu per conceptus adæquatos, ac inter se adæquate distinctos, quia tunc proposita difficultas ita militat contra talem distinctionem, & additionem rationis, sicut contra distinctionem, & additionem ex natura rei, ut discurrebamus, sed esse inadæquatam, & per conceptus inadæquatos inter se solum differentes per modum expliciti, & impliciti, itaut diversitas tota se teneat ex parte *modi concipiendi* non ex parte rei, seu formalitatis conceptæ, nam idem omnino concipitur per conceptum entis, & unius, sed non eodem modo, seu sub eadem ratione. Hæc tamen evasio supra præclusa est art. præc. & rursus retunditur, nam utique non potest idem omnino exprimi per conceptum entis, & unius, quia tunc idem sub eadem omnino ratione esset passio sui ipsius, si ergo idem saltem sub diversa ratione exprimitur, jam ista ratio, quæ exprimitur per conceptum unius, & non exprimebatur per conceptum entis, est distincta illa formalitas subjectiva, vel saltem objectiva, quam addit conceptus unius supra conceptum entis, ut supra urgebamus numer. 60. 61. 67. & 71. Dices cum Pasqualig. ens, & unum differre tantum per conceptus inadæquatos. Sed jam hoc impugnatum est supra disp. 4. nu. 10. ubi ostendimus rationem essendi, ut sic, extra nihil abstrahendo a quocumque modo essendi, esse adæquatissimum entis conceptum, atque ideo ad ipsum non spectare conceptus suarum passionum, quæ pertinent ad rationem essendi secundariam, sed adhuc concesso hanc esse rationem entis inadæquatam, fateri tenetur *aliquid* latius patere ipso ente, ut dicit præcisam rationem essendi, quia ratio essendi indivisæ, in quo consistit conceptus unius, vel addit aliquid supra præcisam rationem essendi, ut sic, vel nihil; si nihil, ergo nullo modo prorsus differunt conceptus entis, & unius, nec etiam per modum impliciti, & expliciti, quia nihil explicat conceptus unius, quod non explicat conceptus entis; si addit aliquid, ergo *aliquid*, latius patet aliquo pacto ipsa ratione essendi, ut sic; Dices nihil prorsus addi, quia nil continetur in conceptu unius, quod non contineatur in conceptu entis, sed hoc solum amplius habet conceptus unius, quod magis explicat, quod continetur in conceptu entis.

82 Sed hæc doctrina Thomistica de Continentia implicita, & explicita, & de conceptu implicito, & explicito fuse supra impugnata est, ut fallax, & commentitia in sensu, quo docetur ab ipsis disp. 2. num. 20. 55. 57. & 58. & nunc rursus impugnatur, quia conceptus explicitus, & implicitus non sunt idem formaliter conceptus, sed tantum materialiter, quatenus eamdem rem exprimunt, sed non eodem modo, hic autem diversus modus attingendi rem ex parte conceptus objectivi, explicari non potest, nisi penes plures, vel pauciores formalitates in objecto perceptas, itaut magis clare percipiatur objectum, & explicite, cum plures ejus attinguntur formalitates, & minus clare, cum pauciores, ergo differentia conceptus per explicitum, & implicitum infert quoque distinctionem penes formalitates conceptas, & non tantum penes conceptus formales clariorem, vel minus clarum; Major patet, probatur minor, quia licet ista major vel minor claritas posset in conceptibus formalibus, qui sunt actus intellectus, explicari per plures, vel pauciores gradus intensionis

sionis actus, & attentionis potentiæ, tamen ex parte conceptus objectivi explicari non potest, nisi per plures, vel pauciores formalitates perceptas, quod tali exemplo declarari potest ex potentia visiva deducto, quo etiam solent uti Adversarii ad hoc ipsum declarandum; quando montem, vel urbem de longe videmus, & postea propius, istæ visiones differunt per modum expliciti, & impliciti, quia quod de longe implicite, & confuse videbatur, postea videtur de prope distincte, & explicite; at in tali casu non alia ratione mons, vel civitas clarius cernitur, & percipitur, nisi quia plura de prope attinguntur, quæ non attingebantur a longe, nam in monte tot arbores videntur, in urbe tot domus, & palatia, quæ prius non videbantur, & ubi de longe accidentia communia movebant potentiam, propius movent etiam accidentia specialia, & particularia, ergo *sic etiam evenit in visione intellectiva*, quod tunc est cognitio rei implicita, cum res attingitur secundum gradus universales, tunc implicita, cum ulterius attingit particulares. Et eodem modo reiicitur etiam opinio aliorum, qui negant unitatem ab ente distingui aliqua ratione præscindente ex parte objecti, sed tantum per rationem præcisam ex parte actus, ut tenent Arriag. & Ovvied. Nominales secuti, qui negant præcisiones objectivas. Hæc inquam, opinio, præterquam quod negat præcisiones objectivas, quæ in omni schola contenduntur præter Nominalium, eodem modo reiici potest; cum enim declarant isti Auctores eam distinctionem inter ens, & unum esse per solam præcisionem ex parte actus, dicunt hoc ideo esse, quia eadem formalitas objectiva hac ratione apprehensa, essentia dicitur, & *illa ratione apprehensa*, passio, seu essentiæ attributum appellatur. Sed quis non videt ex hoc ipso loquendi modo istos fateri distinctionem inter ens, & unum etiam ex parte conceptuum objectivorum? nam res eadem, seu idem materiale objectum sub una ratione formali perceptum generat unum conceptum objectivum, & sub alia ratione perceptum generat de seipso alium conceptum objectivum a priori distinctum, nam licet versetur semper intellectus circa idem objectum, non tamen sub eadem ratione, vel formalitate; unde diversæ illæ rationes, sub quibus percipitur objectum, sunt illæ diversæ formalitates objectivæ, quas nos importare contendimus ens, & unum, realiter quidem identificatas, sed ex natura rei formaliter, vel saltim virtualiter distinctas. Demum num. 69. dixi inter subjectum, & passionem *non* sufficere distinctionem penes explicitum, & implicitum, quia hæc etiam reperitur inter definitionem, & definitum.

83 Quinto si ens fieret unum per aliquid superadditum, illud superadditum rursus esset unum, ergo tale constitueretur per aliquid superadditum, ergo in infinitum procederetur. Dices illud superadditum esse seipso unum, quia esset ratio constitutiva unius, sicut præsentia est per seipsam præsens, quia est ratio constitutiva rei præsentis. Contra urget Ovvied. si ratio illa superaddita est per seipsam una, & est unitas sui ipsius, ergo jam non repugnat entitas, quæ per seipsam sit una, & sit unitas sui ipsius, ergo hujusmodi est ens, quod ego contendo esse seipso unum absque ulla ratione superaddita, & esse formalissimam sui unitatem. Conf. ideo superadditur præsentia subjecto (idem dico de aliis formis superadditis) quia subjectum est indifferens, ut habeat, & non habeat hanc præsentiam, sed in proposito subjectum, quod est *ens*, non est indifferens, ut habeat, & non habeat hanc unitatem, ergo absque fundamento datur illi unitas realiter superaddita.

Ad hoc argumentum occurrit Ant. And. loc. cit. nedum solvendo, sed etiam illud retorquendo, nam cum dicunt Adversarii unum addere saltim supra ens negationem divisionis, vel quidpiam etiam positivum, sed sola ratione distinctum, quærit Ant. Andr. an illud quomodocumque superadditum sit unum seipso, vel alio etiam per rationem superaddito positivo, vel negativo, & sic idem argumentum reducitur contra ipsos; unde respondet in eo committi fallaciam figuræ dictionis murando quo in quod, cum enim unum sit principium, quo formaliter ens est unum, nec potest, nec debet dici proprie unum, quia sic haberet rationem quod, sicut albedo non est alba, licet sit illud, quo aliquid est album; & cum inferebatur de ente idem dici posse, negatur paritas, ens enim est id, quod est unum, unum autem est id, quo ens est unum. Hæc doctrina est quidem bona, tamen non videtur satis adaptata pro solutione argumenti, quia æque procedit, sive unitas ponatur realiter, sive formaliter tantum ab ente distincta, unde hac solutione data argumentum propositum non convinceret distinguentem unum realiter ab ente, cujus oppositum statuimus art. præc. nu. 63. & quidem Ant. And. ibi citatus hac ratione dicebat argumentum illud non valere. Sed & contra hanc solutionem instat etiam Suarez, quia negari non potest, quin ille modus realis, vel quicquid illud sit, quod unum addit enti, sit unum quid eo modo quo est, nam unumquodque ens habet hujusmodi modum unum tantum, & non plures, & habet illum distinctum a modo seu unitate alterius entis, in se autem indivisum, recte ergo interrogari potest an ille *modus* sit unus, & quomodo, an seipso, vel aliquo superaddito. Et ideo alii Scotistæ respondent unum, quod est entis passio, posse aliquo pacto dici unum, non tamen aliquo addito, sed seipso formalissime, quia est ipsa ratio constitutiva unius, quemadmodum differentia individualis est seipsa formaliter individua, & relatio est seipsa formaliter relata, & sic in aliis ultimis, & formalibus constitutivis contingit illa esse talia seipsis, quod de ente dici nequit, quia ejus ratio non est formaliter constitutiva unius, quæ quidem est responsio allata in argumento. Sed, & hæc etiam solutio paritur eamdem exceptionem, quam præcedens, æque enim procedit, sive unitas formaliter, sive realiter etiam distinguatur ab ente, & rursus patitur instantiam ab Ovvied. factam, cui satisfieri nequit sine petitione principii, quia hoc est, quod Adversarii contendunt rationem entis, ut sic, esse formalissime constitutivam unius, & ideo ens esse unum præcise seipso, & non per aliquid ex natura rei superadditum, præsertim quia ens non est indifferens ad hoc, ut sit unum, vel non unum, quæ sola indifferentia solet esse causa præcisa superadditionis formarum distinctarum subjectis varie denominatis, ut bene urgebat Ovvied.

84 Resp. itaque ex dictis num. 63. argumentum *illud* urgere tantum distinctionem realem unius ab ente, non autem formalem, vel virtualem, ob rationem ibi assignatam, quia si unitas realiter distingueretur ab ente, ut res a re, & esset proprie accidens ejus, ut multi tribuunt Avicen. sane deberet esse formaliter ens, & consequenter formaliter unum, quod enim formaliter participat subjectum, eodem quoque modo participat ejus passionem, & ad hunc sensum impugnandum procedunt etiam replicæ Ovvied. quia in prima supponit, quod illud additum sit aliqua realis entitas, quæ seipsa sit formaliter una, quod nos asserimus, negamus namque illam formalitatem esse realem entitatem per essentialem inclusionem entis, ut assumitur in argumento; deinde in secunda replica infert unum non posse addere aliquid reale enti, quia non est indifferens ad esse unum, & non esse unum, cum tamen talis indifferentia sit præcisa causa realis superadditionis formarum; quod ut constat, *procedit solum de additione*, & *distinctione reali*, non vero formali; itaque ad argumentum dicimus ens esse seipso unum realiter, quatenus non est unum per aliquid rei realiter superadditum, & eodem modo ab ipso distinctum; nec unitatem posse importare formam ab ente realiter distinctam, quia non est ens indifferens de se ad unum, & non unum realiter; attamen quia est formaliter sic indifferens, quatenus ex sua ratione formali de se nec est unum, nec plura, sed ab utroque abstrahit, ut mox dicemus, ideo non est seipso formaliter unum, sed per aliam formalitatem seu rationem formalem superadditam, sicut homo quia in primo modo dicendi per se nec est risibilis, nec non risibilis, sed in tali statu quidditativo ab utroque præscindit, ideo postea in secundo modo risibilis dicitur per formalitatem humanitati superadditam, & ex naturæ rei ab ipso distinctam.

85 Et quia urgebat Suarez modum unitatis superadditum posse rite dici unum, quia non est plures, *respondeo hinc tantum* sequi esse unum negative, non positive, quatenus scilicet dicit negationem plurium, unde in tali modo unitas non dicit perfectionem positivam, sicut cum dicitur ens est unum; ad cujus rei pleniorem intelligentiam sciendum, quod quando sunt duo contraria positiva immediata, quæ etiam negative dici possunt, si ad proprium subjectum comparentur, non nisi positive dici posse; at si de alio efferantur, cui ambo sint incompossibilia, negative tantum interpretari debent, nec consimilem loquendi modum utrobique observari posse, propterea quod unum est subjectum conveniens, & aptum, aliud vero omnino disconveniens, & inaptum. Quod declarari potest exemplo justitiæ, & injustitiæ, quæ positive, & negative dici possunt, & si homini judici applicentur nonnisi positive interpretari possunt, si vero applicentur lapidi, cui sunt incompossibiles, dicendo *lapis est injustus*, non potest, nec debet injustitia accipi nisi negative, scilicet pro negatione justitiæ; *idem constat de rationali*, & irrationali; nam in ordine ad species dicitur de illis positive, in ordine vero ad genus scilicet animal, irrationale v. gr. non potest intelligi, nisi negative, quia scilicet ipsum, ut sic, non includit rationalitatem, in proposito unum, & multa ex dictis n. 56. aliquo modo positive, & contrarie opponuntur 10. Met. 9. & unum accipi potest positive prout dicit realitatem illam additam enti, quæ est ipsius affectio, & negative prout dicit negationem plurium; cum ergo de ente, aut includentibus illud essentialiter dicitur unum, & unum ens, unus homo, non potest accipi nisi positive, ut dicit realitatem additam enti, quæ est ipsius affectio, quia formaliter dicitur unum positive; si vero de his dicatur, quæ non includunt essentialiter ens, ut sunt modi intrinseci, passiones entis, & ultimæ differentiæ, non potest accipi, nisi negative, & ideo non est quærendum quid unum addat his, & realitati unitatis, cum dicimus hanc esse unam in qualibet re, quare vero unum nihil his addat, bene tamen illis, ratio præcisa est, quia de his tantum negative dicitur, at de illis nedum negative, sed etiam positive.

Sexto obiicitur, ens ut dictum ab illa ratione superaddita, habet non esse illam rationem superadditam, neque aliquid aliud ab ipso distinctum, ergo habet esse indistinctum a quolibet alio, seu esse ipsum, & non esse aliud, ergo habet totam rationem formalem unius, quæ in hoc ipso consistit. Quod ut magis intelligatur, accipiamus, ait Suar. aliquod ens in particulari, nempe essentiam ipsius Dei præcise absque alio superaddito, ea ut sic est distincta ab omni alia entitate, & indistincta in se, vel a se, ergo ut sic est una; Prob. assumptum, quia ut sic non est essentia creata, nec plures essentiæ divinæ, ergo ut sic est distincta ab omni alia entitate, & indistincta in se, vel a se, & idem argumentum pari modo fieri potest in Angelo, homine, & *cæteris entibus*. Dices Deum, Angelum, & hominem per suas essentias esse indivisos radicaliter, non tamen formaliter. Contra instat Hurt. d. 4. §. 5. quia esse indivisum radicaliter est formaliter esse indivisum, nam esse indivisum formaliter est habere formam, cum qua repugnat divisio, quæ forma in Deo est ejus actualitas, ac essentialis conceptus.

86 Resp. hoc quoque argumentum in primis posse in Adversarios retorqueri docentes conceptum unius aliquo pacto secerni a conceptu entis, ut sic, per modum saltim expliciti, vel impliciti, nam conceptus entis, ut sic, se ipso præcise est unus, quia ex vi ipsius ens est in se indistinctum, & a quocumque alio distinctum, etiam ab illo, in quo possit formaliter constitere unitatem, & sic argumentum æque bene deducitur contra Adversarios quocumque modo distinguant conceptum unius a conceptu entis, ac contra nos; quare dicendum est cum Anr. Andr. præcisa ab ente formalitate illa, in qua consistere dicimus rationem ipsam unius, ens non esse unum formaliter, nec non unum, sed abstrahere ab utroque, si tamen non unum accipiatur positive, vel contrarie, nam si privative solum acciperetur, vel negative, utique in tali statu abstractionis dici posset non unum, quatenus in eo statu nondum intelligitur habere illam formalitatem, qua positive dicitur unum, & ratio hujus est, quam assignat Doctor ex Avic. 2. dist. 3. quæst. 4. in fine, quia in tali statu præcisissime consideratur quidditas, inquantum nihil includit, quod non pertineat ad per se rationem quidditatis ejus, & hoc modo equinitas tantum est equinitas, & nec una, nec plures, quantumcumque unitas ejus non sit alia res addita, sed necessario consequatur istam entitatem, sicut & omne ens secundum quamcumque entitatem consequitur propria unitas, non tamen ista unitas est intra rationem formalem quidditatis, ut quidditas est, sed est quasi passio consequens quidditatem, ita Doctor eruditissime loc. cit. Per quod etiam respondetur ad alium discursum factum a Suarez circa entia particularia; divinitas enim, ut sic, est tantum divinitas, ut sic enim involvit tantum prædicata quidditativa, non autem quod sit una, vel plures; potest tamen in tali statu dici una fundamentaliter, & radicaliter, quatenus ipsa rei quidditas est fundamentum, unde in secundo signo pullulat unitas formalis, & est principium essentialiter exigitivum ejus, eo pacto quo homo in primo modo dicendi per se dicitur risibilis tantum fundamentaliter, & radicaliter, quatenus tunc consideratur secundum prædicata exigitiva risibilitatis. Neque est cur Hurtadus cit. hanc responsionem inficietur, quia & ipse quoque, ut præfato argumento respondeat §. 15. cogitur eam recipere, ubi vult ens concipi in ratione unius per connotationem ad divisionem, unde inquit, quod ens non conceptum per ordinem ad divisionem neque est formaliter unum, nec plura, sed abstrahit ab utroque sicut animal non conceptum per ordinem ad rugitum, & discursum non est formaliter rationale, aut irrationale, sed ratione abstrahit ab utroque, & ad probationem, qua probatur Deum ex vi sui conceptus essentialis, & primarie esse unum, ait quia in isto conceptu non explicatur per ordinem ad divisionem in se, ideo Deum ex vi talis conceptus esse tantum materialiter unum, non vero formaliter, esse formalissimam distinctionem, quam §. 5. inficiebatur. In eamdem quoque muscipulam incidit Pasqualigus, nam postquam prolixe probasset disp. 6. sect. 2. unum non posse ab ente distingui per conceptus objectivos adæquatos, sed tantum inadæquatos, dum sibi obiicitur quomodo se habeat ens secundum illum conceptum inadæquatum entis, ut sic, in ordine ad unitatem, respondet semper, quod ens secundum talem conceptum non est unum explicite, sed tantum implicite, quia non concipitur explicite ratio unitatis, sed sicut licet ei dicere ens in tali præcisionis statu esse unum implicite, non explicite; cur non licebit nobis dicere, quod est unum fundamentaliter, & radicaliter, non vero formaliter? sane Recentiores isti factis profitentur nostram sententiam, & solum verbis negant.

87 Sed adhuc contra instabis ens in statu suæ puræ quidditatis esse formaliter, & positive unum, & non tantum fundamentaliter, & negative, ut dicebatur, tum quia quodlibet ens ex vi suæ entitatis præcisissime sumptæ est in se indistinctum formaliter, & a quocunque alio distinctum, cum eadem formaliter sint principia constitutiva, ac distinctiva, tum quia dictum est nu. 85. quod quando unum dicitur de ente, aut includentibus ens, non nisi positive accipi potest, ergo si adhuc in tali statu dici potest unum, hoc utique positive, & non negative tantum erit intelligendum. Respondetur assumptum esse verum radicaliter tantum, & originative, quatenus quodlibet ens ex suis principiis trahit indistinctionem illam in se, & distinctionem a quocumque alio, quam formaliter habet dumtaxat per attributum unitatis, ut declaratum est num. 45. & 74. conceptus vero entis, ut sic, dicit tantum rationem essendi abstrahentem ab eo, quod illa sit una, vel non una; hoc enim spectat ad rationem essendi secundariam, non autem primariam; potest etiam in tali statu abstractionis ens dici unum negative, quia licet in se, & absolute consideratum sit subjectum idoneum ad recipiendam unius denominationem, & prædicationem; tamen in tali statu consideratum habetur velut subjectum ineptum, quia in eo statu non respicit, nisi prædicata mere quidditativa, & primi modi; sic homo in primo modo dicendi per se censetur subjectum ineptum risibilitatis, quia passio non est nata illi convenire, nisi in secundo modo, in hoc igitur sensu conceptus entis, ut sic intelligitur in se indivisus, & ab omni alia ratione divisus negative, non autem positive, quia hoc habetur tantum a modo positivo per unitatem importato, in secundo signo, non autem in illo omnino primo in quo præcise consideratur ejus quidditas.

88 Septimo obiiciunt unum non addere supra ens rationem aliquam positivam ex parte objecti præcisam a ratione entis, & sic arguit Ovied. cit. ratio illa præcisa, in qua formaliter constitueretur unitas, esset formalissime ens secundum conceptum objectivum præcisum, quem diceret, ergo non esset ratio superaddita enti, sed ratio formalissima entis. Probatur assumptum, nam illa ratio habet prædicata sua essentialia propria ipsius, ex vi quorum constitueretur, ergo ratione sui haberet essentiam condistinctam ab essentia entis rationis, ergo ratione sui haberet aptitudinem ad existendum in qua consistit ratio entis, ergo ratione sui, & non ratione entis formaliter distincti esset ens, & sic objective non præscindit ab ente. Confirmat id Pasqualig. cit. quia unitas secundum suum præcisum, & formalissimum conceptum participat formaliter passiones entis, est enim quid intelligibile, & verum, cum ab intellectu intelligatur, & est quid bonum, quia bonitas semper annexa est cum veritate; ergo etiam formaliter participat rationem entis. Deinde etiam ex parte entis probat Ovvied. quod objective non præscindat ab uno, hoc quod est esse hominem ver. gr. est quid positivum, ut omnes admittunt, sed positivo, per quem constituitur homo, quantumvis re, & ratione præscindantur omnes alii positivi conceptus, permanebit homo, qui sit verus homo, & qui non sit equus, nec leo, ergo permanebit homo idem secum, & non idem cum alio, quod est formaliter esse unum. Confirmat hoc ipsum Arriag. disput. 1. Metaph. num. 54. ratione, ut ipse ait a priori; hoc non esse illud, seu ab eo distingui non est conceptus compositus, ut esse album, vel calidum, sed simplex, sicut esse calorem, albedinem; ergo nequit subjectum aliquod reddi distinctum a quocumque alio, quod non est ipsum, per formam a se aliquo pacto distinctam, scilicet realiter, vel saltim formaliter, & objective, quantumvis illi unitam, sed præcise per suammet entitatem, & proprium conceptum quidditativum, ergo unumquodque ens a seipso formaliter habet, quod sit unum, non vero per aliquam rationem a seipso ex natura rei, aut etiam objective distinctam.

89 Respondetur hæc, & similia argumenta novam non ingerere difficultatem, quæ antea non sit soluta, sed solum ostendere eisdem difficultatibus premi distinguentes objective dumtaxat ens, & unum, perinde, ac si illa nobis cum distinguerent ex natura rei formaliter, vel virtualiter, sive talis distinctio ponatur per conceptus objectivos adæquatos, sive inadæquatos, quod gratis concedendum est; ut constat ex dictis a num. 80. Adhuc tamen verum est, quod innuimus num. 82. etiam præscindentes tantum penes conceptus formales inter ens, & unum non omnino has difficultates evadere, quod eorum declaratione ostenditur, nam Arriag. num. 51. declarans quo pacto ens, & unum præscindat ex parte modi concipiendi præcise, id probat quia ens, ut ens solum concipitur per ordinem ad propriam existentiam, unum vero per negationem multiplicitatis, possum autem optime illud ens comparare in ordine ad possibilitatem, non comparando illud cum aliis extremis, nec cogitando de distinctione ab illis, quod formalissime est illud præscindere ex parte modi concipiendi a ratione unius; eodem fere modo rem declarat Ovvied. num. 45. nam eadem formalitas objectiva (inquit) hac ratione apprehensa essentia dicitur, & illa ratione apprehensa passio, seu essentiæ attributum appellatur, non enim ex alio capite dicimus unitatem esse passionem entis, nisi quia ipsissimam rationem objectivam prius concipimus sub ratione, & conceptu formali entis, & posterius sub conceptu formali unius, ita Ovvied. ibidem. Sed sane ex hac ipsa declaratione convincitur ens, & unum nedum ex parte modi concipiendi, sed etiam formalitatis conceptæ distingui, & abinvicem præscindere, ut ostendi num. 82. & nunc rursus demonstro, cum enim modo concipio hominem in ordine ad propriam existentiam, vel possibilitatem, & postea in ordine ad multiplicitatem, certe ista diversitas, non tantum redundat ex parte conceptuum formalium, & modi cognoscendi, sed etiam ex ratione ipsis conceptis, nam alia ratio, & formalitas est existentia, & possibilitas rei, alia negatio multiplicitatis ejus; quod si negetur hæc duo in intellectu objective existentia constituere duas diversas formalitates objectivas; præterquam quod hoc gratis omnino negari videtur, potest ita probari, quia potest homo sub una formalitate attingi, & non sub alia, imo ex natura rei petit prius sub una formalitate cognosci, quam sub alia, ergo re vera sunt duæ formalitates nedum inter se abinvicem formaliter, sed etiam objective præcisæ; assumptum ab ipsis Adversariis conceditur; Probatur consequentia, quia diversitas formalitatum objectivarum ex hoc præcipue spectatur, quod una attingi potest sine alia, & una petit intelligi prius alia, & independenter ab illa. Et certe si istæ differentiæ inferunt tantum diversitatem in modo concipiendi, & non penes formalitates conceptas, numquam inter aliqua duo objecta probari poterit intercedere diversitatem penes conceptus objectivos, nam semper diceretur argumentum ex illis differentiis deductum inferre dumtaxat distinctionem penes modum cognoscendi præcise, & non penes conceptus objectivos, quod est omnino irrationabile. Sed disputatione sequenti, ac etiam disputatione 8. ostendam gradus rerum sive prædicamentales, sive transcendentes objective abinvicem præscindere, & non tantum penes formales conceptus.

90 Argumenta vero illa, quia coincidunt cum jam solutis, nova non indigerent solutione, sed ad uberiorem doctrinam libet ad singula respondere. Ad 1. negatur assumptum, ad probationem concesso antecedente cum prima consequentia, negantur aliæ, imo quia haberet talia prædicata Unitas in suo conceptu, & non

non illa, quibus explicatur formalitas entis, ideo ex vi sui conceptus proprii non esset formaliter ens, sed potius quædam entis affectio, & modificatio; ita de differentia ultima dicebat Doctor quæst. 21. de Anim. ad simile argumentum, quia ex vi proprii conceptus non præcise, quod faciat differre, ideo ex vi ejus non est formaliter ens, quia tunc in ratione differentiæ faceret convenire, sed habet quod sit ens a ratione entis, quam coarctat, & cui identificatur, sic pariter in proposito de passionibus entis, passiones namque ex vi proprii conceptus non explicant rationem entis primariam, quæ omnino præscindit ab hoc quod sit una, vel plures &c. & præcise consistit in ratione essendi, ut sic; sed solum circumstantias quasdam accidentales ejus, & ideo ut passiones entis nequeunt objective importare rationem ejus, quia tunc importarent rationem primariam essendi, & non secundariam tantum, dicuntur autem passiones, & modi entis, ut sæpe dictum est, ab ente rationis differre, & apta existere non quidem in se, & directe, sed quatenus identificata rei existenti, vel existere valenti, ut de illis in universum dictum est disp. 2. nu. 208. & inde, & ideo secundum se, & formaliter considerata objective præscindit ab ente. Ad Conf. pro hac parte pariter ibid. negatum est assumptum, quia modi entis, passiones ejus, ac ultimæ differentiæ eodem pacto passiones entis participant, sicut ipsum ens, & ideo sicut ens non participant, nisi realiter, & identice, ita & ejus passiones, unde sunt, veræ, bonæ, ac intelligibiles merito realis identitatis, quam habent cum ente, ratione cujus, & ipsæ comprehenduntur sub adæquato objecto intellectus, quod est ens, ut monet Doctor 1. dist. 3. quæst. 3. §. *quantum ad 2. articulum*, & quidem si argumentum illud valet, concludit etiam contra ejus Auctorem admittentem unum, & ens objective distingui saltim per conceptus inadæquates, sane unum, ut sic inadæquate ab ente distinctum, secundum præcisum conceptum inadæquatum, quem sic importat, intelligibilis est, & talis conceptus inadæquatus est verus, ergo nec inadæquate ab ente præscindere potest, quia etiam, ut sic ens includit; cum ejus passiones includat.

91 Ad aliud argumentum ex parte entis factum satis constat ex dictis num. 86. nam humanitas, ut sic, est tantum humanitas, nec cogitatur tunc esse formaliter unam, vel plures, veram, vel fictam, sed fundamentaliter tantum, & virtualiter, seu radicaliter, quatenus in rei quidditate radicaliter continentur illæ passiones. Aliud argumentum Arriag. quod vocat rationem a priori, & ibi prolixe prosequitur, vel nihil concludit, vel solum concludit unitatem non esse formam ab ente realiter distinctam, quia esse unum non est concretum accidentale ex ente, & uno factum, sicut esse album in lacte, vel pariete, quia non fit per simplicem unionem inhærentiæ formæ ad subjectum, ut fit concretum albi, sed per veram, ac realem identitatem unitatis cum ente, quod nos gratis concedimus; per id tamen sufficienter non probatur quodlibet ens esse unum formaliter per suam entitatem, & conceptum quidditativum, sed bene per aliquid sibi realiter identificatum.

Postremo e contra arguitur unum, & ens realiter distingui, quia si unam, & eamdem dicerent rem, & naturam, nugatio committeretur dicendo, ens est unum. Tum 2. quia prædicaretur in quid, & essentialiter de ente, quod est falsum. Tum tertio quia diversis realiter opponuntur, ergo & inter se realiter distinguuntur, patet assumptum, quia ens non enti opponitur, & unum multis. Tum quarto quia ens dicit aliquid positivum, unum vero simplicem negationem, ut constabit art. seq. Tum tandem, quia unum est in genere quantitatis, sicut numerus, qui ex unitatibus constituitur, at ens per omnia prædicamenta vagatur, ergo &c. Respond. ad 1. negando conseq. quia licet ens, & unum sint idem realiter, formaliter tamen distinguuntur, quod satis est ad tollendam nugationem, & ne idem bis repetatur, immo interdum distinctio sola ratione, & diversitas modi significandi sufficiens est ad nugationem tollendam, ut supra dictum est, & ne nomina sint synonima. Ad secundum negatur consequentia rursus, non enim sufficit identitas realis inter aliqua, ut unum de alio prædicetur essentialiter, & in quid, sed ulterius exigitur identitas essentialis, & formalis, adeout unum sit de conceptu quidditativo alterius; unitas vero licet realiter cum ente identificetur, non tamen est de ejus essentiali conceptu, quia est passio, non prædicatum quidditativum. Ad 3. oppositio illa infert tantum distinctionem aliquam ex natura rei inter ens, & unum, non autem omnino realem, ut deductum est num. 66. Ad 4. unum quoque dicit quid positivum pro formali, ut visum est, & solum de connotato negationem; ad ultimum negatur assumptum, duplex enim solet distingui numerus, unus quantitativus, qui fit ex divisione continui, & poni solet in prædicamento quantitatis, cujus principium est unitas quoque quantitativa; alter transcendens, cujus principium est unitas, quæ convertitur cum ente, & sicut hic numerus in nullo est prædicamento, cum sit transcendens, ita, & unitas, quæ est illius principium.

QUÆSTIO V.

An Unitas bene explicetur per negationem, & qualis sit ista negatio.

92 Quamvis unitas aliquid positivum importet rationi entis, ut sic, superadditum, attamen per negationem divisionis, vel multitudinis consuevit explicari, & ita de facto explicatur ab Arist. 10. Met. tex. 9. illis verbis, *quod enim, aut divisum, aut divisibile est, multitudo quædam dicitur; quod vero indivisibile, aut divisum, unum*, & rursus lib. 5. Met. tex. 11. sic loquitur *Universaliter namque quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur, ut puta si prout homo non habet divisionem, unus est homo &c.* verum circa hanc explicationem variæ occurrunt dubitationes, quæ singulæ sunt in hac quæstione resolvendæ.

Prima dubitatio est, ut patet in titulo quæstionis, an unitas bene explicetur per negationem; & ratio dubitandi est, quia cum unitas quid positivum importet, male, & satis inepte per negationem videtur exprimi. Quod si dicas explicari per negationem a posteriori, ac veluti per connotatum, non vero a priori, ac veluti per formale significatum. Hoc minime satisfacit, quamvis enim hoc sit commune omnibus oppositis positivis, quod cum ex vi proprii esse excludant alterum oppositum, sive positivum, sive negativum, habent consequenter annexam negationem illius; tamen falsum est universaliter loquendo, debere explicari per talem negationem, non enim calor explicatur per negationem frigoris, aut albedo per negationem nigredinis, & sic de aliis, ergo quamvis unitas importet in obliquo negationem divisionis, vel multitudinis, non videtur bene explicari per negationem illorum. Hinc Faber, Meurisse, & alii relati num. 72. & 73. conati sunt rationem unius explicare per terminos positivos potius quam per negationem, quod magis consentaneum videtur naturæ ejus positivæ.

93 Dicendum tamen est consulto unitatem, quamvis positivum importet, per negationem sui oppositi explicari; & ratio est quam affert Alensis 10 Metaph. tex. 9. quæst. ultim. quia frequenter opposita ita se habent, ut unum sit notius alio, & sensibilius illo, & tunc ignotius, & magis occultum explicatur per negationem oppositi notioris, unde incorporeum licet magis dicat rem positivam, quam corporeum, quia tamen corporalia sunt nobis magis nota, & obvia, quam incorporalia, ideo nominamus ista per nomen positivum, illa autem per negationem, ita igitur in proposito, quamvis indivisibile, & unum dicat secundum rem quid positivum, & divisibile privationem, tamen quia unum est ignotius nobis, quam multitudo, & indivisibile, quam divisibile, ideo ipsum nominamus, & explicamus per negationem, & privationem. Et hæc est ratio, quam dedit Arist. 10. Met. tex. 9. cur unum per negationem definiatur divisionis, & multitudinis, quia licet prioritate naturæ, seu ex natura rei unitas sit prior multitudine, nam multitudo supponit unitates, ex quibus coalescit, non e contra; tamen quoad nos res e contra se habet, quod multitudo est prior quoad nos, quia sensibilior, & sensibus magis obvia, unde concludit, *quare multitudo ratione prior, quam indivisibile propter sensum est*, unde sequendo modum definiendi per ea, quæ notiora sunt, non quidem natura, sed quoad nos, & in ordine ad sensum, optime definitur, & explicatur unitas per negationem divisionis, & multitudinis, ut etiam adnotarunt Ant. Andr. 10. Met. quæst. 3. Tromb. ibid. qu. 1. Faber ibidem disp. 3. & alii passim.

Hinc patet ad rationem dubitandi, quia tunc unum oppositum bene definitur per negationem alterius oppositi, quando illud est notius, unde immortalitas per negationem mortalitatis explicatur, quia hæc nobis ante oculos est posita; at oppositum evenit in exemplis adductis in argumento, quia frigus non est notius, & sensibilius calore, neque nigredo albedine, & ideo unum non definitur per negationem alterius; at non sic est de unitate, & multitudine, nam nobis notior est divisio, seu multitudo, quam propria ratio unitatis, cum vix ipsa per proprium conceptum explicari possit. Dices ex 2. de Anima tex. comment. 64. & 133. unitatem non esse minus per se sensibilem, quam sit multitudo, quia non minus sensu percipitur hic esse unum hominem quam triginta, vel centum. Respondeo ex Tromb. loc. cit. quod licet unitas sit per se sensibilis, sicut multitudo, ista tamen non sentiuntur sine sensibilibus propriis, & si ista duo sint applicata ad sensibilia propria, multitudo est magis sensibilis, quam unitas, quia quicquid sensibilitatis est in uno, est in multitudine cum additione, nam fit A unitas, A non facit multitudinem, nisi A addatur alia unitas, quæ sit B. & ista duo aggregata faciunt aliquid sensibilius, quam A solum; ita Tromb. ibi ad 2. tam ergo multitudo, quam indivisibile sensibilia sunt, sed quia sensu magis est nota multitudo, quam indivisibile, seu unum, ideo definitur unum per multitudinem, tamquam per aliquid magis notum, & prius quoad nostram cognitionem.

Dubitatio Secunda.

94 SEcunda dubitatio est, an negatio, per quam explicatur unitas, sit negatio solius divisionis, an etiam multitudinis; affirmant nonnulli esse negationem solius divisionis, non autem multitudinis, pro quo placito citatur Fonseca 4. Met. cap. 2. qu. 5. sect. 5. cujus ratio est, quia forma negata, debet esse prior negatione, at multitudo est posterior unitate, ut dictum est, quia ex unitatibus constat, & sola divisio est prior illa; ergo unitas importabit negationem solius divisionis, non autem multitudinis. Confirmatur, quia pluralitas, & multitudo definitur per unitatem dicendo, multitudo est aggregatio unitatum, ergo unitas, & indivisibile definiri nequit, aut explicari per multitudinem, quia aliter daretur circulus in prioritate, & posterioritate essentiali, & hoc etiam expresse docet Scotus 4. Metaph. tex. 4. & sequitur Meurisse lib. 2. Metaph. cap. 3. qu. 1. in fine.

Dicendum tamen est cum communi, negationem, per quam unitas explicatur, esse indifferenter negationem tam divisionis, quam multitudinis; ita expresse docuit Arist. loc. cit. ubi non semel repetit unum opponi multo, velut indivisum diviso, ac etiam 4. Met. tex. 4. & probatur ex dictis supra nu. 50. ubi ostendimus multitudinem pro formali negatione constitui, esto pro materiali entitates positivas includat, negatione scilicet unionis, vel unitatis inter illas, in qua negatione formaliter consistit divisio; ergo idem est dicere unitatem esse negationem divisionis, ac multitudinis, & e contra, nam divisio non nisi inter plura, & multa reperitur, nec plura esse possunt, nisi fuerint inter se divisa, eo quia per divisionem formaliter constituitur multitudo in esse multitudinis, ut loc. cit. probatum est; Immo Aversa qu. 5. cit. sect. 4. significat unitatem directe magis explicari per negationem multitudinis, quam divisionis, quia est magis directa oppositio inter unum, & multa, sive unum, & plura, quam inter unum, & divisum. Verum quamvis ex vi vocabulorum magis directa oppositio appareat inter unum, & multa, quam inter unum, & divisum, tamen a parte rei res e contra se habet, quia ut notavit D. Thom. qu. 9. de potentia art. 7. ad 15. & opusc. 42. cap. 2. unum re vera non opponitur multitudini materialiter sumptæ, ut nimirum est aggregatum ex pluribus unitatibus, sed opponitur illis, quatenus divisis, atque ideo opponitur multitudine ratione divisionis; unde concludendum est unitatem per se primo dicere negationem divisionis, & ratione divisionis, & negationem multitudinis; quod plane sequitur ex jam dictis; quia unitas per negationem, quam habet annexam, illud per se primo tollit, cui immediatius opponitur, solet namque negatio sequi naturam sui fundamenti, cui per se convenit; cum igitur unitas ratione positivi, quod importat, cum ipsa divisione opponatur, ut habitus privatione; consequenter negatio, quam habet annexam, erit per se primo negatio divisionis, & secundario negatio multitudinis relatione divisionis, unde cum dicimus unitatem esse negationem multitudinis, intelligi debet de multitudine, prout involvit divisionem in seipsa, itaut negetur multitudo tamquam aliquod concretum ex pluralitate illa entium, atque divisione.

95 Pro solutione argumentorum in oppositum solent Auctores hic disputare, an pluralitas, & divisibile sit prius uno, & indivisibili, de quo Arist. Interpretes agunt lib. 10. Met. qui distinguunt inter divisionem, & multitudinem, dicunt multitudinem esse quidem unitate posteriorem, quia ex ea componitur, at divisionem esse priorem, ita Soncin. 10. Metaph. qu. 4. & lib. 4. qu. 24. Javell. 10. Met. qu. 6. Fasol. 1. p. qu. 11. art. 1. dub. 11. Gillius l. 2. tr. 2. c. 3. at qui divisionem, multitudinem, & pluralitatem in eodem significato accipiunt, distinguunt de prioritate quoad nos, & quoad naturam; loquendo de prioritate naturæ, seu ex natura rei dicunt unitatem præcedere tam divisionem, quam multitudinem, quia multitudo supponit unitates, ex quibus materialiter coalescit, & formalizatur in esse multitudinis per ipsam divisionem, tum quia unum est mensura divisibilis, & multitudinis, per quam cognoscitur ex 10. Met. tex. com. 2. & 21. & est principium illius, mensura autem, & principium est prius natura principiato, & mensurato; loquendo autem de prioritate quoad nos dicunt unitatem esse posteriorem divisione, & multitudine, quia multitudo sensibilior est, quam unitas, ut declaratum est num. 93. & docet Arist. 10. Met. tex. 9. ita præsertim docuerunt Ant. And. 10. Met. qu. 3. & Tromb. ibidem quæst. 1. quos Recentiores passim sequuntur etiam ex eis, qui volunt unitatem formaliter in negatione consistere, licet parum consequenter; cum enim negatio sit simpliciter, & ex natura sua posterior eo, quod negat, non videtur quomodo solum secundum nos, & quoad nostram apprehensionem negatio divisionis, & multitudinis, in qua ponunt unitatem formaliter consistere, sit posterior divisione, & multitudine, nam secundum se debet esse posterior, atque ex natura sua, unde parum consequenter loquitur Aversa loc. cit. qui cum unitatem statuisset formaliter consistere in negatione divisionis, & multitudinis, inquit postea unitatem esse ex natura rei priorem divisione, at secundum nostram apprehensionem divisionem præcedere unitatem. Sed sane si verum est, quod forma negata est prior ex natura rei ipsa negatione, & negatio posterior, utique divisio præcedet unitatem, quæ secundum ipsum formaliter est negatio divisionis, nedum secundum apprehensionem nostram, sed etiam ex natura rei.

96 Sed negant aliqui formam negatam esse ex natura rei suæ negatione, vel privatione priorem, interdum enim, imo regulariter subjectum prius habet privationem, quam formam, atque ideo Doctor 2. dist. 1. quæst. 2. A & 3. dist. 3. quæst. 1. F. ait privationem præcedere formam in materia ordine naturæ negativo. Cæterum illa propositio, quod forma negata sit sua negatione prior, verissima est, & non nisi a protervo negari potest, quia negatio ex suo genere habet, quod sit posterior eo, quod negat, negatio siquidem est alicujus negatio, atque ideo necessario supponit id, quod negat, quod adhuc clarius probari potest ex regula prioritatis tradita ab Arist. in postprædic. cap. de priori, quod illa sunt priora, a quibus non valet convertentia secundum subsistendi consequentia, ita autem se habet res in proposito, quod inter formam, & negationem non valet hæc convertentia, valet enim dicere est negatio, ergo est id quod negat, non autem e contra, est forma, ergo est negatio illius. Tum quia ut docet Doctor 2. dist. 37. quodlib. 18. §. *ex isto*, aliique communiter negationes, & privationes distinguunt, sicut habitus, quibus opponuntur, ergo ex natura rei forma negata est prior negatione, & privatione. Quod vero in subjecto privatio de se præcedat formam, quatenus illa semper inesset, nisi agens extrinsecum impediret, non probat privationem esse priorem forma, facta comparatione adinvicem, sed tantum per comparationem ad tertium, & sic etiam loquitur Scot. loc. cit. præsertim 3. dist. 3. quæst. 1. ubi ait hanc prioritatem privationis ad formam attendi tantum in ordine ad tertium scilicet subjectum, cui prius ineesset, quam illa, si agens extrinsecum non impediret.

97 Ita ad argumentum conceditur illa major, quod forma negata est prior negatione, & pariter negationem divisionis, per quam unitas explicatur, esse ipsa divisione posteriorem, hinc tamen non sequitur etiam unitatem esse divisione posteriorem, quia unitas non consistit formaliter in ea negatione, sed in formalitate aliqua positiva, quæ est prior divisione, negatio autem divisionis consequitur unitatem, ut fuse in præcedentibus explicatum est. Ad Conf. dicitur cum Tromb. non esse inconveniens idem respectu ejusdem in diverso genere notitiæ, & prioritatis esse prius, & posterius, & similiter notius, & ignotius, & sic unum definiri per alterum diverso definitionis genere, nam ordine naturæ prius est unum, quam multitudo, & sic unum ingreditur definitionem multitudinis, & talis definitio est per priora simpliciter, & notiora quoad naturam; ordine vero quoad nos multitudo est prior uno, & sic multitudo ingreditur definitionem unius, & talis definitio erit per notiora, & priora quoad nos; & sic non committitur circulus, quia definitiones sunt in diversis ordinibus, non in uno, & eodem ut ad circulum requiritur ex dictis in Logica. Neque multum curandum est de auctoritate Scoti loc. cit. 4. Met. c. 2. quia licet sit dubium apud aliquos, an expositio textus sit Doctoris genuina, tamen apud omnes exploratum est annotationes illas ad textus expositionem esse Ant. And. auctoritas autem Scoti citata pro opposita sententia non habetur in ipsa expositione textus, sed in quadam annotatione, quæ adhuc minus æstimari debet quia ubi in aliis annotationibus solet, ut plurimum, Ant. Andr. inserere doctrinam Scoto consonam in lib. sentent. doctrina, quam in ea ponit annotatione, est expresse D. Thomæ 1. p. quæst. 11. art. 2. ad 4. ubi eisdem verbis docet illum ordinem, quem ibi ponit Ant. And. inter ens, & unum, & divisionem, ac multitudinem. Ratio vero, quam adducit ad probandam unitatem esse privationem divisionis, & non multitudinis, quia cum privatio sit posterior habitu, sequeretur, quod multitudo esset prior ipso uno, quod est falsum, cum unum sit principium multitudinis & ipsa multitudo definiatur per unum, si autem multitudo esset prior, quam unum, posset ipsum definire, & sic esset circulus in definitionibus. Hæc inquam ratio ex dictis soluta manet, quamvis enim privatio sit posterior habitu, ac proinde hinc sequatur negationem multitudinis esse ipsa multitudine posteriorem, non tamen sequitur etiam ipsam unitatem fore multitudine posteriorem, quia unitas non consistit formaliter in ea negatione, sed in aliquo positivo, quod est prius multitudine, & ex hoc quod etiam multitudo possit ingredi definitionem unitatis, non sequitur committi circulum; quia non observatur eadem definiendi methodus, cum sese invicem definiunt, sed diversa ut diximus.

98 Instabis adhuc, quod nequeat unitas importare negationem multitudinis, quia tunc nec de ipsa multitudine prædicaretur, nec ipsam constitueret, quorum utrumque falsum est, quia multitudo hominum dicitur una multitudo distincta a multitudine lapidum, & multitudo constatur ex pluribus unitatibus; Consequentia probatur, quia negatio prædicari non potest de forma negata, nec potest res constitui ex negatione sui ipsius. Respond, negando unitatem, in proprio, & rigoroso significato dici de multitudine, immo in hoc sensu ex diametro opponuntur, ut ait Aristotel. 4. Metaph. text. 4. *uni vero opponitur pluralitas*, sed analogice tantum, & secundum quid dicitur de illa eo sepsu, quo dicimus hunc esse unum acervum lapidum, illum tritici, &c. in quo sensu unitas non negat multitudinem, de qua dicitur, sed negat aliam a qua distinguit illam, de qua dicitur, & negat divisionem illius ipsius multitudinis in plura seipsa, idest in alias consimiles multitudines, & quando dicitur unitas negatio multitudinis, plane hoc non est intelligendum de multitudine, & pluralitate, quæ resultat ex ipsa, & aliis unitatibus distinctis,

aliis, hanc enim pluralitatem non negat, sed potius componit, & ideo multitudo dicitur esse ex unitatibus aggregata, sed intelligi debet de multitudine, quæ resultaret ex ipsius unitatis, seu entis unius divisione in seipso, dicitur enim unum, quod est indivisum in seipsum modo mox explicando, unde unitas transcendentalis non opponitur pluralitati, quæ resultat ex ipsa, & aliis unitatibus extrinsece advenientibus, sed illi, quæ resultaret ex divisione sui ipsius, quam nunc explicare aggredior.

Dubitatio Tertia.

99 TErtia Dubitatio est, qualis sit ista negatio divisionis, per quam explicatur unitas, an scilicet sit negatio divisionis entis in seipso, vel a seipso, pro quo supponendum est contra nonnullos non esse eamdem negationem divisionis entis a se, vel in se, quamvis a quibusdam perperam confundantur; negatio namque divisionis in se dicit rem non esse ita divisam, ut resolvatur in membra aliqua dividentia, itaut ipsa non permaneat, sed membra illa dividentia, in quæ fuit divisa; negatio autem divisionis a se est illa, ex vi cujus idem indivisibiliter sumptum a seipso divisum non est, sed idem prorsus cum seipso concipitur; ex quo patet esse diversas omnino negationes, nam prima negatio est alicujus divisionis possibilis, qua possibile est Petrum dividi in animam, & corpus, at secunda negatio est alicujus divisionis omnino impossibilis, quandoquidem implicat omnino idem dividi a seipso. Hoc præsupposito fert communis sententia unitatem per negationem divisionis in se explicari debere, pro qua innumeros Auctores refert Pasqual. tom. 2. Met. disp. 7. sect. 1. Non desunt tamen, qui oppositum tueantur, nimirum explicari potius debere per negationem divisionis a se, & non in se, ita Cajet. 1. p. qu. 11. art. 2. §. *ad hoc dicitur*, Nazar. ibid. dub. ult. & controv. unic. §. *sed quantum*, pro quo cit. Ægid. Heru. Bassol. Ocham, Gabriel. & Marsil. Alii tandem volunt rationem unius adæquate ex utroque constitui, ita nuper defendit Ovvied. controv. 3. Met. punct. 1. §. 2.

100 Dicendum tamen est cum communi unitatem explicari debere per indivisionem entis in se, non autem a se. Ita omnes loquuntur, & præcipue Arist. loc. sæpe cit. ubi unum illud appellat, quod est in se indivisum, ac etiam ita loquitur Scotus 1. d. 11. qu. 2. §. *contra istam opinionem*, & 2. d. 3. qu. 2. sed quamvis conclusio sit communis, tamen difficulter probatur. Suarez, & alii passim cum ipso ita probant, quia non dividi a se æque convenit enti per se, ac enti per accidens, seu multitudini, acervus enim lapidum tam non est divisus a se, quam homo, vel Angelus, tamen quia in se non est indivisus, non est proprie unum ens, ergo negatio divisionis in se est, quæ constituit ens, non negatio divisionis a se, ita etiam arguunt Aversa cit. qu. 5. sect. 4. & Fasol. 1. p. qu. 11. art. 2. dub. 7. Solet impugnari hæc ratio, quia etiam indivisio in se convenire potest enti per accidens, & aggregato, nam acervus quoque lapidum est indivisus in multos acervos, & centenarius hominum est indivisus in plures centenarios. Hæc tamen instantia evitari potest ex assignata explicatione indivisionis in se, nam indivisio entis unius talis esse debet, ut non solum excludat pluralitatem talium entium, quale est ipsum, sed etiam divisionem plurium, quæ se habeant ut partes constitutivæ ipsius; talem autem indivisionem cumulus lapidum non participat. Melius itaque solvit rationem præfatam Ovvied. dicens ea solum probari indivisionem a se non esse rationem adæquate constitutivam unius, siquidem ipsa sine alia sufficiens non est ad unum constituendum, non autem probari non esse rationem inadæquate constituentem, non enim valet hæc consequentia, posita hac ratione non resultat unum, ergo hæc negatio non est ratio constitutiva, neque adæquata, neque inadæquata unius; ratio enim constitutiva inadæquata cujusvis concreti potest existere absque eo, quod resultet concretum, imo ita necessario esse debet, quia est ratio inadæquate illius constitutiva.

Ut ergo melius probetur Conclusio, adhibenda est ratio, quæ probet negationem divisionis entis a se nec adæquate, nec inadæquate conceptum unitatis ingredi, prout a nobis negative solet explicari, potest autem hoc ita probari, quia unitas entis explicari debet per negationem talis divisionis, quæ ipsam destruat, & cum ipsa sit prorsus incompossibilis, sed talis non est divisio entis a se, ergo &c. Major patet probatur minor, quia unumquodque ens unum talem divisionem habere potest, & talis divisio stare potest cum reali ejus unitate, quia est divisio rationis ratiocinantis absque ullo fundamento in re per intellectum formata, ut cum concipitur idem distingui a se ipso, ergo negatio talis divisionis ad constitutivum unitatis pertinere nequit, quia licet conveniat cuilibet enti in se indiviso, non tamen illi directe convenit, sed per reflexionem intellectus, & divisio quam negat, stare potest cum reali ejus unitate. Confirmatur, quia divisio ejusdem a seipso est omnino impossibilis, ergo non bene adhibetur negatio ejus ad explicandam unitatem entis, probatur conseq. quia inquit Arist. 10. Met. 9. unum explicari per negationem sui oppositi scilicet divisionis, & multitudinis, quia hæc sunt nobis notiora, quam ratio ipsa unius, ergo divisio quam negat, debet esse possibilis, non impossibilis, alioquin impossibile adhiberetur ad cognitionem possibilis. Tum quia negatio, quæ consequitur ad rationem positivam unitatis, & per quam ipsa explicari debet, est negatio realis, & quæ ex natura rei ad ipsum ens consequitur, sed negatio divisionis a seipso est negatio rationis, quæ fit per reflexionem intellectus, ficut, & divisio, cujus est negatio, ergo talis negatio non pertinet ad conceptum explicativum unitatis.

101 Ad hanc conf. respondet Ovvied. cit. concesso antecedente negando consequentiam, quia indivisio entis in se in ente simplici est negatio divisionis impossibilis, & nihilominus pertinet ad rationem constitutivam unius. Verum illa consequentia jam est probata, quia unitas explicatur per negationem sui oppositi, tamquam per notius, at impossibile non est cognoscibile, vel non cognoscitur, nisi per possibile, ergo non bene explicatur unitas per negationem divisionis impossibilis. Neque urget instantia, quam affert de indivisione in se in ente simplici, quæ est negatio divisionis impossibilis, quia licet illa divisio sit impossibilis in tali ente, non tamen est absolute impossibilis, quia reduci potest ad actum in ente composito, imo enti simplici licet repugnet talis divisio, qua tale ens, non tamen qua ens est, alioquin repugnaret etiam enti composito, at divisio ejusdem a seipso in quocumque ente repugnat, atque ideo est absolute impossibilis, unde nec ulla cognitio de ipsa haberi potest, cum in nullo ente possit ad actum reduci, atque ideo omnino inepta est, ut ejus negatio assumatur pro explicanda unitate; atque eodem pacto hæc solutio impugnari debet, si adhiberetur ad solvendum principale argumentum, cui adaptari posset perinde, ac ad confirmationem.

Deinde principaliter adhuc probatur, quia ista negatio divisionis a se supponit jam ens in se unum, & in unitate fundatur; ergo ad constitutivum unitatis pertinere non potest, consequentia patet, probatur assumptum, quia relatio identitatis cum seipso fundatur in unitate, ut dictum est nu. 72. at talis relatio aliud formaliter non significat, quam negationem divisionis ejusdem a seipso, ergo si talis relatio super unitatem fundatur, talis quoque negatio divisionis a se unitatem consequitur, non autem formaliter constituit. Rursus quando etiam admitteretur unitatem explicari etiam posse per negationem divisionis a se, adhuc tamen afferendum esset melius explicari per negationem divisionis in se, quia illa negatio magis congrua est ad explicandam unitatem, quæ est proximior subjecto, & minorem intellectus reflexionem requirit, cum per ipsam innotescat propria ratio unitatis, at si adhibeatur præfata negatio, plures requiruntur reflexiones intellectus, ergo &c. Major patet, probatur minor, quia Petrum esse a se indivisum idem negative sonat, quod Petrum non esse non Petrum, ut explicant Gillius, & Ovvied. supracit. ubi, ut constat, plures interveniunt reflexiones intellectus, prius enim debet concipere non Petrum, deinde negationem non Petri attribuere Petro, dicendo Petrus non est non Petrus. Præterea, ut non semel fatetur Ovvied. idem significat Petrum esse a se indivisum, quod non esse aliud a se non habere identitatem cum alio, & esse indivisum ab alio, sed hoc quod est esse divisum ab alio, non explicat formale constitutivum unitatis, sed potius illud consequitur, ut constabit dubitatione sequenti, ergo &c. Denique conceptus unitatis fere apud omnes est formaliter absolutus, at conceptus indivisionis a seipso est quodammodo respectivus, quia dicit ens non esse aliud a se, non habere identitatem cum alio, quæ sine relatione ad aliud concipi nequeunt; argumentum vero, quo Ovvied. loc. cit. oppositum probare contendit, scilicet *indivisionem* a se pertinere ad conceptum unitatis, dissolvam postea dubseq. quia probat pariter divisionem ab alio esse de ratione constitutiva unitatis, quod mox examinandum est. Instabis, quia sicut est de ratione unius, ut in se non sit divisum, ita etiam, ut non sit aliud a se, cum enim hæc contradicant, scilicet esse aliud a se, & non esse aliud a se, necesse est alterum in ratione unius includi, cum igitur non sit de ratione ejus esse aliud a se, utique erit non esse aliud a se, seu esse indivisum a se. Respondet Suarez disp. 4. sect. 1. nu. 17. argumentum non probare eam negationem primario, & formaliter intrare rationem unius, sed convenire illi necessario, sive primario, sive consequenter, & hoc posterius verum esse. At adhuc urgeri potest ex via contradictionis, quia esse aliud a se, & non esse aliud a se contradicunt, vel ergo ens, ut unum, est aliud a se, vel non aliud a se formaliter, & primario. Itaque dicendum ex dictis n. 77. inter contradictoria cum aliquo syncathegoremate sumpta posse dari medium, & ideo sicut de ratione hominis non est quod sit albus, nec quod non sit albus in primo modo dicendi per se, ita nec de ratione unius, ut sic, est quod sit aliud a se, vel non sit aliud a se, sed ab utroque præscindit, & solum consequenter dicitur non aliud a se, imo si argumentum valeret, concluderet eam negationem præcedere ipsam unitatem, & intrare conceptum quidditativum entis, nam ens, ut sic, vel est aliud a se, vel non est aliud a se, cum ista contradicant.

Dubitatio quarta.

102 QUarta dubitatio est, an præter negationem divisionis in se, unitas importet, etiam secundum quod explicatur a nobis, negationem identitatis cum alio, seu divisionem ab alio; affirmant quamplures, eo quia unum definiri solet, quod est in se indivisum, & a quocumque alio divisum, ita Gabriel. 1. d. 24. qu. 1. dub. 3. Capreol. ibid. qu. 1. art. 1. Bassol. qu. un. art. 1. & 3. Argent. qu. un. art. 1. Aureol. d. 8. qu. 3. art. 2. Niph. 3. Met. disp. 3. cap. 3. Negant alii dicentes solam negationem divisionis in se sufficere ad exprimendum conceptum unitatis, negationem vero identitatis cum alio consequi indivisionem in se per modum passionis, & connotati, ita fert communis sententia apud Suar. disp. 4 Met. sect. 1. Pasqual. disp. cit. 7. sect. 2. Aversa qu. 5. sect. 4. qui alios innumeros citant, immo Hurt. disp. 4 Met. sec. 3. contendit unitatem, nec includere, nec

connotare divisionem unius rei ab alia. Alii distinguunt de divisione ab alio actuali, vel potentiali, & quidem divisionem actualem fatentur ad conceptum unitatis minime pertinere, quia sic accipitur pro relatione actuali alietatis, ut connotat terminum existentem, sed hæc supponit unum, & aliud, ergo supponit duplex unum jam constitutum, at loquendo de divisione potentiali, & accipiendo divisionem ab alio præcise, ut dicit non habere identitatem cum alio, seu non esse aliud, sive detur aliud, sive non detur, ajunt in hoc sensu divisionem ab alio esse de ratione constitutiva unitatis, ita significavit Meurisse lib. 2. Met. cap. 3. qu. 1. concl. ultim. Ovvied. loc. citat. & alii nonnulli. Denique dicunt alii, quod si per divisionem ab alio intelligatur alietas ab alio ente, sive actualis, sive potentialis, utique non spectare ad conceptum unitatis, sed esse quid consequens; at si per divisionem ab alio intelligatur distinctio a non ente, seu a nihilo, & termino contradictorio entis, sic ajunt esse primam, & formalissimam rationem unitatis, imo divisionem entis ab alio in hoc sensu inquiunt præcedere ipsam indivisionem entis in se; ita nonnulli Recentiores, præsertim Blasius a Concept. disp. 21. Met. quæst. 2.

103 Dicendum tamen est cum communi solam negationem divisionis in seipso esse de conceptu unitatis, itaut hæc sola sufficiat, ut substituatur pro adæquato conceptu unitatis, quando illud positivum, quod dicit, per negationem explicatur, negationem autem identitatis cum alio, seu divisionem ab alio consequi unitatem ad modum passionis. Colligitur ex Scoto 2. dist. 3. quæst. 2. ubi cum unitatem numeralem per solam negationem divisionis in partes subjectivas explicet, & unitatem specificam per solam negationem divisionis in specie, innuit unitatem formalissime a nobis exprimi per solam negationem divisionis in se, & lib. 4. Met. tex. 4. expresse inquit negationem primam, quam ait esse indivisionis in se, vel a se, consequi alteram negationem, quæ est non identitas, vel divisio ab omni alio; Probatur autem quoad omnes, & singulas partes, & quidem primo probatur solam negationem divisionis in seipso explicare formaliter unitatem ex oppositione formali, quæ est inter unitatem, & multitudinem, per solam divisionem in se formalissime exprimitur multitudo, ergo per solam indivisionem in se formalissime exprimitur unitas, consequentia patet, quia oppositorum eadem est ratio in sua linea, & ratio adæquata oppositionis cum multitudine importat adæquate rationem unitatis; Probatur assumptum, quia per hoc precise, quod plura divisa intelligantur, & non invicem unita, statim intelligitur multitudo. Conf. quia cum unitas, & multitudo secundum proprias rationes opponantur, quod essentialiter includitur in uno, ejus oppositum includetur in alio ratione oppositionis, sed identitas cum alio non pertinet ad conceptum intrinsecum multitudinis, & absque tali identitate sufficienter intelligitur per solam divisionem in se, ergo pariter neque negatio talis identitatis cum alio spectabit ad conceptum intrinsecum unitatis, sed sola indivisio in se.

Deinde probatur divisionem ab alio, seu negationem identitatis cum alio quocumque modo accipiatur, non intrare conceptum unitatis, si enim sumatur per modum relationis realis, seu ad terminum realem, & existentem, sic apud omnes exploratum est non esse de ratione unius, tum quia est quid posterius illo, ideo enim hoc est divisum ab illo, quia in se tale quid unum est; tum quia sic esse divisum ab alio requirit multitudinem, nam alietas supponit multitudinem, unitas vero cum sit principium multitudinis, est prior multitudine, ac independens ab ea; si vero divisio ab alio sumatur per modum simplicis negationis, ut præcise dicat negationem identitatis cum alio, vel rursus hæc negatio comparari potest ad terminum negativum, sive contradictorium, itaut unitas entis exprimatur per hoc, quod ens non est non ens, seu est aliud a non ente, & hoc dici non potest, quia quod ens non sit non ens non dicit formalissime unum esse, sed ens vel entia esse, unde acervus lapidum a non ente distinguitur, & tamen unus a nobis non dicitur. Tum quia cum non ens sit negatio entis, ipsamet entitas, quæ est forma positiva per se formaliter negat hanc negationem sui, at entitas non est passio, sed est quidditas entis. Tum quia nequit proprie dici ens a non ente dividi, sed potius cum ipso contradictorie opponi, & ratio est, quia quando unum dividitur ab alio, hoc quoque debet dividi ab ipso, quia divisio debet esse mutua ex parte utriusque extremi, at non ens, cum nihil sit, non habet secundum quod proprie dividatur ab ente, vel non idem dicatur cum ente, sed solum concipitur dividi, quatenus concipitur tamquam quid positivum oppositum enti, ergo divisio ab alio, sive negatio identitatis cum alio in hoc sensu non est constitutivum, vel explicativum unitatis, quæ est passio entis, sed potius est constitutivum ipsius entitatis, ut sic, quia negatio negationis entis a parte rei formalissime est ipsa quidditas entis.

104 Si vero negatio identitatis cum alio comparetur ad aliud, ut ad terminum positivum, vel comparatur ad talem terminum, ut existentem, & hoc modo est eadem ratio de illa, ac si sumeretur pro actuali relatione alietatis; tum quia Deus antequam mundus esset, vere unum ens erat, & tamen non poterat concipi cum negatione identitatis ad aliud ens actu existens, ergo negatio identitatis cum alio in hoc sensu non est de conceptu unitatis. Vel tandem comparatur ad terminum positivum absolute sumptum, sive existentem, sive possibilem, & neque adhuc in hoc sensu pertinet hæc negatio ad conceptum formalem unius formaliter, sed tantum concomitanter, quod sic ostenditur; nam si per impossibile solus Deus extaret in rerum natura, & alia entia creata penitus implicarent, adhuc Deus esset unus in se absque divisione ulla excogitabili ab aliis entibus; esset, inquam, unus, quia non esset multiplex, & esset in seipso indivisus, ergo non est de conceptu unitatis divisio etiam ab aliis entibus possibilibus; & cum hoc argumento alioquin evidentissimo utantur omnes ad hoc ostendendum, miror cur non adducatur, & solvatur ab Ovvied. oppositum tuente. Verum tamen est, quod hic adnotavit Suarez, quod quia de facto, & quodammodo ex intrinseca entis ratione secundum totam suam latitudinem cum quolibet ente possibilis est existentia alterius, ideo ad omne ens consequitur, ut possit esse distinctum ab alio, velut propria ejus passio, unde hoc convenit omni enti, quatenus unum est, aptitudinaliter, & fundamentaliter.

Rursus probatur adhuc in universum divisionem ab alio, quocumque modo explicetur, non intrare formaliter rationem unius. Tum quia unitas concipi potest concepto solo ente, ut sic universalissime sumpto, posito enim subjecto ponitur ejus propria passio; at divisio ab alio, seu negatio identitatis cum alio non sequitur ens, ut sic, in sua universitate sumptum, sed sequitur entia, nam supponit unum, & aliud saltim possibile. Tum quia unitas est prior divisione ab alio, seu non identitate cum alio, nam hæc requirit extrema, in quibus fundetur, quorum unum dicatur non idem cum alio, vel ab alio divisum, & hæc est ratio, qua probant Ovvied. & alii divisionem ab alio, ut est relatio alietatis ad terminum existentem, non spectare ad rationem unius, sed certe hæc ratio, si bene expendatur, pariter probat, si sumatur divisio ab alio, ut comparatur cum termino positivo absolute sumpto, sive existat, sive non existat, nam impossibile est concipere divisionem, ac non identitatem cum alio, sive actualem, sive possibilem, nisi concipiantur prius extrema, quæ sunt divisa, vel saltim possunt esse divisa, in his autem extremis singulis reperitur unitas, quæ fundat, vel fundare potest divisionem unius ab altero, ergo unitas præcedit divisionem ab alio quocumque modo sumatur. Tum etiam quia hæc divisio ab alio convenit quoque multitudini, & aggregato per accidens, nam acervus lapidum est divisus ab omnibus aliis a se, & hic acervus non est ille. Neque valet, quod ad hoc respondet Ovvied. loc. cit. acervo lapidum, & cuicumque enti per accidens non per se competere indivisionem in se, vel divisionem ab alio, sed ratione singularium lapidum, quos in se continet, quia enim omnis lapis in acervo contentus est a se indivisus, & divisus ab omni lapide ad alium acervum pertinente, fit hunc acervum lapidum ratione singularium lapidum, quos continet, habere indivisionem a se, & divisionem ab alio, non illi per se, & primario convenientem, sed lapidibus quos in se continet, quorum quilibet suam habet unitatem. Non, inquam, valet hæc responsio, quia non solum de toto acervo sincathegorematice sumpto, idest ratione singulorum lapidum valet dicere, quod hic acervus non est ille, sed etiam cathegorematice sumpto, idest de omnibus collective sumptis; quatenus collectio horum lapidum non est collectio illorum. Tum quia si dicatur secundario tantum hanc divisionem ab alio convenire acervo ratione singulorum lapidum, ex quibus constituitur: idem etiam dici poterit de per se uno præsertim in sententia non distinguente totum a partibus, quod hic homo est ab alio homine divisus, qui non habet eandem animam, corpus, & unionem, quæ habet alter homo, alias ad hoc idem probationis vide apud Mairon. 1. dist. 8. qu. 7. art. 3. ubi hanc opinionem tuetur.

105 Postremo probatur, quod negatio identitatis cum alio sequatur unitatem ad modum passionis, quia unitas colligit esse illius rei, cujus est unitas, & in certam quamdam propriam mensuram coadunat, itaut reddat illud in se indivisum; reddendo autem rem sic indivisam, & intra propriam mensuram claudendo, facit consequenter, ut non communicet cum esse alterius rei, eo autem ipso quod una res cum alia non communicat in esse, intelligitur statim ab ea distincta, atque divisa. Quia vero ut nuper dictum est, haberi nequit divisio ab alio, nisi adsint plura extrema, in quibus fundetur, hinc optime notat Pasqualig. assertum hoc ita intelligi debere, ut divisio non sequatur unitatem universalissime acceptam, quia posita hac sola unitate non adest alia unitas, nec consequenter aliud ens unum, a quo dividatur, sed ita debet accipi, ut consequatur primam determinationem unitatis, a qua habeatur divisio, & pluralitas respectu alterius. Et sic quando dicimus, *unum esse id, quod est indivisum in se, & divisum a quocumque alio*, non ponitur divisio a quocumque alio, ut quid explicativum quidditatis unitatis, sed ut quid consequens ipsam unitatem, & non intelligitur de uno, ut sic, sed de uno distributive sumpto pro hoc, & illo,

Contra positam conclusionem objicitur, quia Aristot. 10. Metaph. 9. explicat unum per oppositionem ad multa, at quod multis opponitur, ab illis dividitur, ergo nequit unitas concipi, & explicari sine divisione ab alio. Tum quia eo ipso, quod aliquid concipitur in se indivisum, concipitur non aliud a se, & consequenter divisum a quocumque quod non est ipsum. Tum tandem, quia esto divisio ab aliis entibus realibus non sit prior indivisione in se, tamen divisio entis realis ab ente ficto, & a nihilo præcedit indivisionem in se, ens enim seipso statim est a non ente divisum, nec quicquam magis intimum est termino suo contradictorio, quam divisio

a suo

a suo opposito, ergo saltim divisio ab alio in hoc sensu pertinet ad conceptum unitatis quidditativum, ut explicatur a nobis.

Resp. imo ex hoc, quod unitas explicatur per oppositionem ad multa sequitur negationem identitatis cum alio non pertinere ad conceptum intrinsecum unitatis, ut deductum est supra num. 163. in probatione conclusionis, quare breviter dicendum est, Arist. explicare unitatem per oppositionem ad multa, in quæ dividatur ens unum, non autem a quibus dividatur, nisi consequenter, ideo enim concipitur divisum ab illis multis, quia prius concipitur indivisum in illa multa. Ad 2. verum est unitatem modo de facto utrumque præstare, quia nunc multa extant entia, inter quæ potest exerceri divisio, tamen absolute loquendo posset primum præstare sine secundo, reddere nempe ens in se indivisum, & non ab alio divisum nec actualiter, nec aptitudinaliter ex hypothesi, quod Deus solus extaret in rerum natura, & alia entia extra Deum implicarent, atque ideo cum utrumque de facto præstet, dicendum est non eodem modo utrumque præstare, sed primum nempe indivisionem in se, formaliter, & primario, alterum vero scilicet divisionem ab alio consequenter solum, & secundario, ex hypothesi nimirum, quod sit, vel saltim esse possit aliud ens a quo dividatur. Ad 3. negat Pasqualig. cit. divisionem entis a suo contradictorio scilicet a non ente prius ei convenire, quam indivisionem in se; sed male, quia cum talis divisio (eo modo quo appellari potest divisio) enti conveniat ex eo præcise, quod est ens, ut dictum est num. 103. & ipse Pasqual. ibid. non semel fatetur, & indivisio in se ex eo præcise, quod est unum, sane sicut ratio quidditativa entis præcedit rationem unitatis, ita pariter divisio entis a non ente prius enti convenit, quam indivisio in se; concedendum itaque gratis est divisionem illam entis a non ente præcedere indivisionem entis in se, sed negandum est per hanc explicari conceptum unitatis, quia talis divisio a non ente non habetur ex conceptu unitatis, sed ex conceptu ipsissimo entis.

106 Secundo ad idem arguit Ovvied. non magis opponitur cum unitate Petri Petrum esse non Petrum, quam Petrum divisi in suas partes, ergo sicut de ratione unitatis est Petrum non esse in suas partes divisum, sic erit de ratione unitatis Petrum non esse non Petrum, hoc est non esse Joannem, aut quodvis aliud ens, quod non sit Petrus; Consequentia patet, probatur assumptum, si per impossibile Petrus esset Petrus, & esset non Petrus, hoc est, esset Petrus, & Joannes, seu Petrus, & lignum; Petrus non esset unus, sed plures, ergo de ratione formali constitutiva Petri in ratione unius est non esse Joannem, seu non esse aliquod ens non Petrum.

Resp. hoc argumentum æque bene probare divisionem Petri a Paulo actu existente esse de ratione Petri, qua unus est, quia non magis opponitur cum unitate Petri esse Paulum actu existentem, quam Petrum esse actu divisum in suas partes, quod tamen nec Ovvied. ipse concedit; posset etiam hoc arguendi modo probari risibilitatem esse de essentia Petri sic arguendo, non magis opponitur cum essentia Petri Petrum esse non risibilem, quam non esse rationalem, quia si non esset risibilis, non esset homo, ergo sicut de ratione Petri, qua homo est, est esse rationalem, ita quoque est esse risibilem; constat autem hoc argumentum non concludere, quia utique, tam non esse rationale, quam non esse risibile, destruit essentiam Petri, quatenus homo, non tamen eodem modo; nam non esse rationale destruit a priori, & per locum, ut ajunt, intrinsecum, sed non esse risibile destruit a posteriori, & per locum ab extrinseco, ita sane in proposito, utique tam destruit Petri unitatem esse non Petrum, vel esse Joannem, ac esse in suas partes divisum, sed hoc destruit unitatem Petri a priori, & ab intrinseco, illud vero a posteriori, & ab extrinseco.

107 Tertio probat Hurtad. disp. 4. sect. 2. e contra unitatem nedum formaliter, sed nec etiam connotative, seu consecutive dicere divisionem ab alio, quia animus rationalis etiam unitus corpori est unus, item corpus unitum est unum. Conf. in virga duorum palmorum, cujus quivis palmus est unus, & alter alteri est unitus, & non divisus ab illo, ergo unitas palmi, nec formaliter, nec connotative dicit divisionem illius ab alio, sed tantum indivisionem ejusdem in se. Respondet Aversa loc. cit. quod dum dicit unum esse divisum a quocumque alio, non intelligitur de reali disjunctione, & separatione, sed de distinctione, quæ etiam inter ea, quæ sunt unita, intercedit, & in hoc sensu ait omnes docere quodlibet ens esse divisum idest distinctum a quocumque alio. Verum licet bene dicat Aversa, quod cum unum ens dicitur ab alio esse divisum, id debere intelligi de distinctione, male tamen negat, non etiam intelligi debere de reali disjunctione, & separatione, quæ enim sunt ita divisa, sunt vera plura, & multa, & non unum; imo populariter non nisi sic divisa censentur plura, & multa, quæ autem sunt unita, etiamsi sint distincta, censentur unum quoddam; atque ideo dicendum est ad argumentum, quod cum unum dicitur esse ab alio divisum, id indifferenter intelligi debere de separatione perinde, ac distinctione, & licet separatio, ac disjunctio requiratur ad constituendam multitudinem prædicamentalem, & quantitativam, tamen sola realis distinctio sufficit ad constituendam multitudinem, & pluralitatem transcendentalem, qua ratione diximus disp. 6. Phys. qu. 2. art. 2. & 6. plures actu esse partes in continuo, etiamsi non sint abinvicem abjunctæ, & separatæ, & hoc ipsum existimo voluisse Aversam indicare, licet non ita candide loquatur, & in modo loquendi possit suspicionem inducere.

Dubitatio quinta.

108 Quinta Dubitatio est, quo pacto explicanda sit hæc indivisio in se, per quam unice indicatur unitatis essentia, nimirum in quænam membra dividentia intelligatur esse hæc divisio, quam unitas negat, seu quo pacto intelligenda sint hæc multa, & plura, quæ unitas excludit. In hac re valde morosa, & implicata varii sunt modi dicendi, quorum singuli proprias patiuntur difficultates. Primo ita explicari solet, ut unitas excludat divisionem in plures partes componentes, sic videtur loqui Hurtad. loc. cit. Hæc tamen explicatio non videtur sufficiens, quia licet hæc indivisio optime explicet unitatem entium simplicium, quia carent partibus, in quas possint esse divisa, non tamen bene explicare videtur unitatem entium compositorum, quæ partes ineludunt, si non inter se divisas, & separatas, adhuc tamen realiter distinctas, quo sensu compositum nequit dici in se indivisum idest indistinctum, quia includit partes abinvicem realiter distinctas. Nec valet, quod ad hoc evitandum subdit Hurtad. §. 52. unitatem, ut sic, non esse indistinctionem rei in se, sed indivisionem. Nam indifferenter dicitur ens unum, quod est in se indivisum, vel indistinctum, & ita loquitur Doctor 1. d. 11. qu. 2. §. *Contra istam*, ut per hoc indicaretur indivisionem nedum excludere divisionem, & realem separationem, sed etiam distinctionem entis in se. Confirm. quia ut nuper dictum est sola distinctio sine divisione sufficit ad constituendam multitudinem transcendentalem, cum ergo unitas directe multitudinem excludat transcendentalem, indivisio per ipsam significata nedum excludet divisionem pro reali separatione sumptam, sed etiam pro reali distinctione. Deinde unitas numeralis explicatur per indivisionem in partes subjectivas, unitas specifica per negationem divisionis naturæ specificæ in plures species, ergo non adæquate explicatur unitas transcendentalis; per negationem divisionis in partes componentes, quia partes subjectivæ respectu totius universalis non sunt partes componentes, cum illud non sit totum actuale, sed potentiale.

109 Secundo explicat Aversa loc. cit. hanc indivisionem per negationem divisionis entis in plura entia totalia, & completa, nam per hanc indivisionem differt ens per se ab aggregato per accidens, & multitudine simpliciter dicta, nam acervus lapidum est divisus in multos lapides, sive est multi lapides, qui sunt entia totalia, & completa non constituentia quid per se unum; centenarius hominum est divisus in tot homines, est tot homines; ens autem per se unum, & in se indivisum dicetur, quod non continet in se hujusmodi distincta entia totalia, atque completa. Sed neque hic dicendi modus satisfacit, nam si homo dissolvatur in animam, & corpus, non amplius dicitur ens per se unum, sed entia plura, & multa, & tamen talis divisio non est in entia totalia, atque completa, ergo falsum est unitatem dicere solam indivisionem in entia totalia, & completa, quia per solam divisionem in entia partialia, & incompleta tollitur. Tum quia unitas ex eo quia est passio entis, in quocumque ente reperitur, sive completo, sive incompleto, ergo divisio quæ per unitatem tollitur, perinde est entis completi, & incompleti. Tum quia cum unum, & multa directe opponantur, etiam per rationes oppositas constituuntur, si ergo unitas præcise constituitur per indivisionem in plura entia totalia, & completa; multitudo e contra constituetur ex sola pluralitate entium completorum, at hoc est falsum, quia perinde multa sunt, & plura centum corpora, vel centum animæ, quæ sunt entia incompleta, ac centum homines, vel centum Angeli, qui sunt entia completa, ex quo etiam patet debilitas rationis Aversæ.

110 Tertio explicat Poncius disp. 19. tom. 3. qu. 2. concl. 1. unum esse illud, quod est indivisum in se, idest quod non includit plura, seu separata a se invicem, quod probat, quia quicquid habet hanc rationem est unum, & nihil est unum, quod non habeat hanc rationem. Confirmat quia unum formaliter opponitur multis, sed quod habet hanc rationem, opponitur directe multis, nam multa includunt plura realiter separata a se invicem. At neque hæc est legitima explicatio, & in eo peccat, quod cum Hurtad. vult indivisionem importatam per unitatem entis excludere solam realem separationem entium, non autem distinctionem; quod tamen falsum est, quia ut diximus, sola distinctio realis inducere potest absque divisione multitudinem transcendentalem, quam excludit unitas. Tum quia juxta hunc dicendi modum unum per accidens, ut homo albus, vere participaret unitatem, quæ est passio entis, perinde ac si foret ens per se, nam ejus partes non sunt realiter separatæ, & disjunctæ. Neque ejus rationes admodum urgent, nam ad 1. negatur assumptum quoad primam partem; quia corpus, & anima conjuncta non dicuntur unum, sed unita, & partes in continuo sunt plures, & multæ transcendentaliter, licet sint unitæ, & continuæ; ratione cujus continuitatis omnes illæ partes dicuntur unum, non quidem unitate entitativa, & transcendentali, sed solum integrali, & quantitativa, sic pariter ad 2. negatur minor, quamvis enim quæcumque includunt plura realiter separata a seinvicem sint vere multa, non tamen e contra, nam aliqua possunt esse plura, & multa, etiam si non sint realiter separata, per solam realem distinctionem, ut constat de anima, & corpore in homine, quæ revera sunt plura, licet inter se unita, ac etiam de partibus continui, quæ re vera sunt multæ; & plures in continuo, quamvis sint simul unitæ, & conjunctæ, cujus ratio est quia sola distinctio realis inter aliqua sine reali divisione, & separatione sufficit ad constituendam multitudinem transcendentem.

Quarto explicat Mairon. 1. d. 24. & 25. qu. 2. quod ratio formalis unius unitate simplicitatis non tantum consistit in indivisione, sed etiam in indistinctione, quia ens simplex non habet partes, nec divisas, nec distinctas; at ratio unius unitate compositionis consistit tantum in negatione divisionis, non autem distinctionis, quia materia, & forma, quæ faciunt unum unitate compositionis, quamvis sint indivisa, non autem sunt indistincta. Contra hoc militat etiam, quod supra diximus, solam distinctionem partium sufficere ad inducendam multitudinem transcendentalem, quam negat unitas, ergo unitas, ut sic negare debet nedum plurium divisionem, sed etiam distinctionem. Conf. quia ob id diximus disp. 5. Phys. nu. 147. unionem, & unitatem non esse idem, quia unio est distinctorum, licet indivisorum, unitas autem est alicujus in se nedum indivisi, sed etiam indistincti, & talis etiam est unitas ipsa compositi, ut dicit tertiam entitatem a partibus distinctam ex eodem Mairon. 1. d. 8. qu. 7. art. 3. ut dicam nu. 114.

111 Quinto explicari solet ab aliis hæc indivisio per negationem divisionis alicujus in plura seipsa, v. gr. Petrus non est divisus in plures Petros, & sic dicitur unus homo, & sic præsertim explicat Arriag. suprac. Sed etiam hic dicendi modus reiici solet, quia talis indivisio non solum enti convenit per se uno, sed etiam multitudini, & aggregato per accidens, nam acervuus lapidum non est divisus in tales plures acervos, qualis est ipse, centenarius hominum non est multi centenarii. Ad tuendum præfatum dicendi modum, & evitandam allatam objectionem Smisinch. tract. 3. de Deo uno disp. 1. num. 6. ait sic explicari debere, ut unum sit esse indivisum, non quomodocumque in plura talia, quale ipsum est, quia sic locum habet objectio de acervo lapidum, sed in plura entia per se, quale ipsum est, itaut Petrus sit unus, quia nec in se continet plures Petros, nec alii ab illo sunt tales Petri, qualis est ipse. Sed hæc vel est manifesta petitio principii, vel per hoc nihil prorsus explicatur, nam ens per se idem est quod per se unum; si ergo Petrum esse unum ita explicatur, quia est indivisibile in plura entia per se una, quale est ipsum, jam committitur petitio principii, & ante hanc indivisionem prænominatur alia unitas, in qua ens unum differt a multitudine; hæc ergo alia unitas principaliter, & primario assignanda est pro passione entis, & explicanda. Deinde contra hunc dicendi modum, quocumque pacto explicetur, urgeri potest difficultas tacta superius nu. 100. quia unitas, quæ est passio entis non debet explicari per negationem divisionis, quæ sit prorsus implicatoria, & chimærica, nam impossibile non ducit in cognitionem possibilis, & talis negatio non esset realis, seu consequens ex natura rei unitatem entis, sed potius per fictionem nostram, sed divisio ejusdem in plura seipsa est omnino impossibilis, imo id omnino repugnat naturæ divisionis, quia divisum semper magis patet, quam singula membra dividentia, at si idem dividatur, vel dividi intelligatur in plura seipsa, singula membra dividentiæ æque patebunt, ac totum divisum, ergo non recte explicatur unitas per negationem talis divisionis.

112 Itaque existimo indivisionem entis in se, per quam ejus unitatem explicare solemus, esse negationem divisionis in partes, sive essentiales, sive subjectivas, quod addo propter unitatem totius universalis, sive potentialis; ita præsertim unitatem entis explicat Alensis 4. Met. cap. 2. tex. 4. his verbis; notandum inquit, quod unum est ens non divisum, debemus enim imaginari, quod omne ens, vel est ens simplex, vel compositum, si est ens simplex, sic sua unitas est sua simplicitas, & ideo dicitur unum, quia nec est divisibile in potentia, nec divisum in actu, si autem est ens compositum, ideo est unum, quia non est divisum in actu; sic ergo unum semper privat divisionem; & sic bene dictum est, quod unum est non divisum, & per consequens ratio sua consistit in privatione, & negatione divisionis, & per consequens multitudinis; ita Alexander, quibus verbis, ut patet, unitatem entis explicat per negationem divisionis in partes, quæ quidem erunt essentiales, si explicetur unitas entis in ratione totius actualis, vel potentialis, & subjectivæ, si explicetur ejus unitas in ratione totius potentialis. Confirmatur quia negatio divisionis in se dicit rem non ita esse divisam, ut resolvatur in membra aliqua dividentia, itaut ipsa non permaneat, sed membra illa dividentia, in quæ fuit divisa, at membra dividentia aliquod totum se habent veluti partes totius divisi, ergo indivisio entis in se vere, & proprie explicari debet per negationem divisionis in partes, non autem in plura tota, quale est ipsum, vel in plura seipsa. Conf. adhuc, quia talis divisio entis in plura seipsa non tam esset divisio entis in seipsum, quam sui ipsius multiplicatio ex integro absque ulla sui met divisione; si ergo vere importat unum negationem divisionis in se, hæc explicari deber in se ideft in partes, quia divisio alicujus totius nequit intelligi fieri, nisi in plures partes, non autem in plura tota. Conf. tertio, quia si homo divideretur in animam, & corpus, tunc vere diceretur non amplius unus, sed in se divisus, non autem diceretur in se divisus, quia esset in plures homines multiplicatus, sed quia in plura entia partialia resolutus foret, scilicet in corpus, & animam; sic etiam Petrus dicitur individualiter unus, non quia est indivisibilis, & immultiplicabilis in plures Petros, sed quia est indivisibilis in plura individua, qualia sub specie continentur.

113 Solum in hoc explicandi modo indivisionem in se difficultatem facere videtur, quod in ente simplici difficulter hæc negatio divisionis in se, veluti in partes, percipi potest eo, quia partibus caret; sed plane æque facile percipi potest talis negatio in ente simplici, ac in ente composito, nam indivisum, ut sic, dicit id, quod non habet partes divisas, potest autem aliquid dici non habere partes divisas, vel quia illis omnino caret, ut ens simplex, vel quia illas habet unitas, ut ens compositum. Dices, negationem hujus divisionis in se non posse concipi, quin concipiatur prius divisio, cujus est negatio, hæc autem divisio concipi nequit, quid diceret in ente simplici. Contra, quia æque difficulter, imo magis percipitur in ente simplici divisio in plura seipsa, per cujus negationem ejus unitas ab aliis explicari solet, non enim magis Michaeli repugnat dividi in plures partes, quam in plures Michaeles. Deinde ex his quæ diximus supra nu. 56. optime declarari potest ex analogia ad ens compositum quid diceret divisio in se in ente simplici, sicut enim ibi ex unitate entis compositi per unionem suarum partium explicabamus unitatem entis simplicis per combinationem, & identitatem suorum prædicatorum essentialium, ita in proposito sicut hominem esse in seipso divisum aliud non est, quam esse in corpus, & animam resolutum, & carere unione suarum partium, sic Angelum esse divisum dicit carentiam identitatis prædicatorum, quæ continet, seu extremorum, in quæ divisus diceretur, ut etiam declarat Ovvied. contr. 3. cit. nu. 22. optime ergo tam in ente simplici, quam composito declarari potest indivisio in se per negationem divisionis, veluti in partes, etiamsi ens simplex omnino partibus careat.

Contra hunc nostrum explicandi modum indivisionem entis in se argui potest, quia redire videntur præcipue difficultates contra alios dicendi modos objectæ, nam primo in ente simplici talis divisio in partes omnino repugnat, ergo etiam juxta nostrum dicendi modum explicatur unitas per negationem divisionis impossibilis. Tum 2. quia ens compositum licet non habeat partes suas separatas, & divisas, habet tamen realiter distinctas, & realis distinctio sufficit ex dictis ad constituendam multitudinem transcendentalem. Tum 3. si sola indivisio in partes sufficit ad explicandam entis unitatem, etiam ens per accidens homo v. gr. albus participabit hanc unitatem, quia habet suas partes unitas, & non divisas scilicet hominem, & albedinem. Tum 4. quia juxta hunc explicandi modum unitas individualis explicatur per indivisionem in plura individua, unitas specifica per indivisionem in plures species, ergo jam incidimus in illum explicandi modum indivisionis in se per negationem divisionis in plura seipsa. Tum demum quia hic explicandi modus indivisionem entis per negationem divisionis in plura seipsa per modum totius non videtur ullo pacto inficiari posse, nam Petrus eo ipso est unus; quo intelligitur in plures Petros indivisus, ac immultiplicatus, & sic de homine, & animali, ergo &c.

114 Resp. ad primum negando consequentiam, aliud enim est dicere illam divisionem in se per partes enti simplici repugnare, & aliud esse divisionem absolute impossibilem, quia licet sit illa divisio in tali ente impossibilis, adhuc tamen possibilis est in aliis entibus scilicet compositis, quæ sunt nobis notiora, & ideo optime per negationem talis divisionis nobis notissimæ explicatur unitas entis, immo licet enti simplici repugnet talis divisio, ea ratione, qua simplex est, non tamen ea ratione, qua ens, hic autem loquimur de negatione divisionis in se, quæ convenit enti, ut sic, præscindendo a simplici, vel composito. Ad 2. verum est ens unum illud dici, quod nedum in se indivisum est, sed etiam indistinctum, & etiam verum est compositum, licet in se contineat partes realiter distinctas, adhuc tamen esse in se nedum indivisum, sed etiam indistinctum, & ratio est, quam adduximus supra in hac disp. nu. 23. & tangit Mairon. 1. d. 8. qu. 7. art. 3. quia compositum per se in nostra sententia ultra partes unitas dicit tertiam entitatem per se unam, quæ ut præscindit ab eis nedum in se est indivisa, sed etiam indistincta, nam distinctio realis non nisi inter ejus partes versatur, ipsa autem in se una est, ac indistincta. Ad 3. negatur sequela assumpti, quia sicut ens per accidens non est vere totum, ita nec partes habet essentiales, ex quibus constituatur, & in quæ dividi possit, ut in partes essentialiter constituentes, quod ex Arist. desumitur in antepræd. cap. 2. ubi dicere videtur accidens in subjecto non habere rationem partis, neque respectu subjecti, cui inhæret, neque respectu alicujus compositi, quod constituat. Ad 4. negatur pariter sequela, non enim dicimus Petrum esse unum individualiter, quia est indivisibilis in plures Petros, sed quia est indivisibilis in plura individua, qualia sunt contenta sub specie; nec homo dicitur una species, quia sit indivisibilis in plures homines, sed quia est indivisibilis in plures species, quales sunt, quæ continentur sub genere. Ad ultim. negatur omnino indivisionem entis in se bene explicari per negationem divisionis in plura seipsa, veluti in plura tota talia, quale est ipsum divisum, quia talis re vera non est proprie divisio, cum hæc nequeat intelligi fieri, nisi per partes divisi, sed potius multiplicatio ejusdem in plura seipsa, quæ quidem quia omnino impossibilis est, & implicativa, male adhibetur ad explicandam unitatem entis, quæ potius explicari debet per negationem divisionis, nedum possibilis, sed etiam nobis notissimæ, & talis est divisio totius in se per partes modo explicato.

Dubitatio Sexta.

115 SExta, ac ultima dubitatio est, an hæc negatio divisionis in se, per quam explicatur unitas entis, habeat rationem privationis, vel potius simplicis negationis, qua etiam in re varii sunt modi

modi dicendi. Hurtad. enim disp. 4. cit. sect. 2. inquit negationem ejusmodi in rebus compositis esse privationem, quia sunt capaces divisionis, & resolvi possunt, ac dividi in suas partes, in rebus autem simplicibus habere rationem puræ negationis. Fonseca vero 4. Metaph. cap. 2. quæst. 5. sect. 2. vult etiam aliquo pacto habere rationem privationis in ente simplici, quia licet hoc ens, ut tale non possit dividi, tamen quatenus ens simpliciter, est capax divisionis, sicut Talpæ solet tribui cæcitas, quia licet quatenus Talpa non sit capax visus, est tamen capax quatenus animal, & secundum rationem genericam, sic etiam explicat Masius cum aliis Thomistis libr. 2. de Transcend. cap. 10. qui plures assignant modos privationis, ut ostendant quo pacto hæc negatio in omnibus entibus rationem habeat privationis. Pasqualig. e contra disp. 8. sect. 1. contendit in nullo ente etiam composito præfatam negationem divisionis in se esse privationem, aut se habere ad modum privationis, & ejus ratio est, quia indivisio entis dicit negationem talis divisionis, quæ si enti uni adveniret, destrueret ejus unitatem, & per consequens essentiam, ergo nullo modo præfata negatio, in quocumque ente assignetur, potest habere rationem privationis, patet assumptum, probatur consequentia, quia privatio dicit negationem formæ in subjecto apto nato ad eam recipiendam, at nullum ens aptum est, & inclinatum ad suscipiendam divisionem in se, quia tunc suam appeteret destructionem, quæ ex tali divisione sequitur immediate, ergo talis negatio in nullo ente potest habere rationem privationis. Aversa tandem quæstion. 5. section. 3. ait privationem uno modo sumi posse pro negatione denominante aliquod subjectum, sive capax sit, sive incapax formæ negatæ, ad differentiam puræ negationis, quæ nullum subjectum afficit; alio modo pro negatione formæ in subjecto capaci; primo modo illa negatio habet rationem privationis, quia denominat ipsum ens, tanquam subjectum; in alio autem sensu adhuc distinguendum est de rebus in singulari, ac in universali; in rebus singularibus est pura negatio, sive sint simplices, sive compositæ, quia singularia non possunt multiplicari, & ens simplex est omnino indivisibile; compositum etiam, si dividatur per separationem suarum partium destruitur, & amplius non est ens compositum, ergo omnes res singulares sunt incapaces divisionis, & sic unitas, quatenus realis, est omnino pura negatio. In rebus autem in universali consideratis potest talis negatio dici privatio, quæ est in subjecto secundum se capaci divisionis, & multiplicationis, nam universale est unum aptum inesse multis, ideft aptum dividi in multa, aptum esse multa, & per divisionem non destruitur ipsa natura universalis, ejus enim essentia integra salvatur in quolibet singulari.

116 Hanc dubitationem ex instituto dirimit Arist. 4. Metaphysic. text. 4. a cujus modo loquendi non discedendum opinor; inquit enim ibi, quod inter multas differentias, quæ intercedunt inter puram negationem, & privationem, hæc præcipue quoque intervenit, quod pura negatio non determinat sibi subjectum, quod afficiat, aut denominet, atque ideo tam verificari potest de ente, quam de non ente, ut non videns, non lapis, quæ de chimæra, sicut de planta verificari possunt, qua de causa pura negatio dici solet negatio extra genus, quia nullum genus entis sibi determinat, quod afficiat. Privatio vero est negatio, quæ sibi subjectum determinat, unde cap. de oppositis in postprædic. privatio dicitur negatio in subjecto, ut cæcum v. gr. quod dici nequit, nisi de ente, & animali, atque ideo privatio dici solet negatio in genere, quia per eam non negatur aliquid absolute, sed tantum intra metas alicujus generis, & propterea statim ac carentia formæ determinat sibi aliquod subjectum, statim definit talis carentia habere rationem negationis puræ, & simpliciter dictæ, & induit rationem privationis; ex quo infert Arist. quod cum negatio, per quam explicatur ratio unius, sit negatio in subjecto, quia dicitur de ente, alias unum dici posset de non ente, consequenter magis declinat ad naturam, & conditionem privationis, quam simplicis negationis, ita significat Aristot. illis verbis *ibi siquidem uni differentia est, præter illud, quod in negatione, negatio namque absentia illius est; in privatione vero, & subjecta quædam natura sit, de qua privatio dicitur*, quæ verba in sensum allatum exponuntur ab Alensi, & Scot. in eum textum; intantum ergo Aristot. ait negationem importatam per unitatem posse dici privationem, quatenus determinat sibi subjectum, de quo dicatur, & non est pura, & absoluta negatio extra genus, & eodem modo rem hanc explicuerunt cæteri omnes Philosophi, & Scholastici, quos sequitur Suar. disputat. 4. Met. sect. 1. numer. 19.

117 Hinc patet hallucinari relatos Auctores, qui privationem in sensu magis rigoroso accipiunt, ut ostendant negationem importatam per unum vel in nullo ente esse privationem, vel saltim non in omnibus; nam Aristot. expresse manifestavit sensum, in quo legitime dici possit privatio, quatenus est negatio in subjecto præcise, non aliter, nec alio modo, nam si in sensu magis rigoroso accipiatur, nimirum pro negatione in subjecto apto ad suscipiendam formam negatam, certum est in nullo ente posse dici privationem, quia nullum ens aptum est, ac inclinatum ad recipiendam eam divisionem, ex qua sequitur ejus destructio, talis autem est divisio, quam unitas negat. Neque ullus modus ab illis Auctoribus excogitatus sufficiens est ad defendendum negationem illam posse dici privationem in hoc sensu, nec in omnibus, nec in aliquo ente. Quod enim dicebat Hurtad. in ente composito dici posse privationem, quia est divisionis capax, non sufficienter probat, quia capacitas, & potentia ad aliquid non semper infert aptitudinem, unde dicebat Doctor quæst. 18. univers. §. *ad quæstionem*, quod differt aptitudo a potentia, nam aptitudo est inclinatio alicujus secundum se in aliquid, vel magis non repugnantia, potentia autem est ordo ad actum, & potest esse potentia sine aptitudine, ut possibile est grave esse sursum, non tamen est aptum ibi esse, unde potentia, & capacitas dividi solet in naturalem, violentam, & neutram; non ergo quia res compositæ sunt divisionis capaces, dicuntur habere aptitudinem ad dividi, sed intantum dicuntur habere potentiam ad divisionem inquantum habent partes, quæ sunt ab invicem separabiles, non vero quia inclinationem habeant ad separationem, cum potius unionem appetant. Et eadem ratione reiicitur, quod Thomistæ illi dicebant posse illa negationem dici privationem in omnibus entibus etiam simplicibus, quia in ratione entis, & ipsa sunt divisionis capacia, nam etiam hoc admisso, simplex, & pura capacitas, ut dixi, non sufficit ad hoc, ut negatio in subjecto capaci dicatur proprie privatio, sed ultra capacitatem requiritur aptitudo. Nec etiam sufficit, quod dicebat Aversa illam negationem esse privationem in natura universali, quia secundum se est capax divisionis, & multiplicationis, nam divisio rationis communis, quæ fit per multiplicationem in inferioribus, non est illa, quæ tollitur per negationem, quam dicit unitas formalis talis naturæ, per talem enim divisionem non tollitur unitas intrinseca, & propria illius naturæ communis, sed adhuc illam retinet, nam unitas specifica stat cum multiplicitate numerali, & unitas generica cum multiplicitate specifica, ut fusius infra suo loco dicetur, frustra ergo ex hoc capite inquit Aversa negationem per unitatem importatam in rebus universalibus dicere privationem.

118 Sed neque ex alio capite bene negarunt alii Auctores præfatam negationem posse ullo pacto dici privationem, ut fecit Pasqualig. nam in primis dici potest privatio non solum in entibus compositis, sed etiam simplicibus, in sensu, quem docuit Arist. loc. citat. ea ratione, qua sibi aliquod determinat subjectum, eo enim ipso, quod negatio aliquod respicit subjectum, cessat esse pura negatio, & induit modum privationis. Deinde negari nequit, quin in ente composito adhuc non magis redoleat naturam privationis, quia licet divisio destruat naturam entis compositi, ideoque non habeat inclinationem, & aptitudinem ad illam; negari tamen nequit, quin sit magis capax divisionis, quam ens simplex, ea ratione, quia hoc caret omnino partibus; illud vero partes habet, quæ abinvicem separari possunt, licet inde sequatur destructio compositi, & hinc est quod ens simplex dicitur indivisum, & indivisibile, ens vero compositum, licet dicatur indivisum, non tamen indivisibile. Qua ratione male etiam Aversa loc. citat. composita singularia dicit esse indivisibilia, & indivisionis incapacia, ut hinc ostenderet præfatam negationem in rebus omnibus singularibus esse puram negationem non enim ex hoc, quod nequit in composito exerceri divisio in partes, nisi cum ejus destructione; sequitur illud esse indivisibile, & divisionis incapax, sed solum non habere aptitudinem, vel inclinationem ad illam; aptitudo enim stare debet, & conservari cum eo, ad quod est aptitudo, at hoc non est de capacitate mera necessarium, nam aqua est capax coloris, qui tamen ad ejus tendit interitum, & destructionem; sic igitur in proposito, quamvis divisio tendat ad interitum compositi, potest tamen ac debet compositum dici capax illius, inquantum habet partes, quæ sunt inter se separabiles. Tum quia certum, est quod subjectum non habens aliquem actum, potens tamen illum habere, magis dicitur isto actu privari, quam aliud subjectum eodem actu carens cum omnimoda impotentia ad illum habendum, at ita se habent ens compositum, & simplex in ordine ad negationem divisionis, quia simplex nec est divisum, nec divisibile, compositum vero licet non sit divisum, tamen est divisibile, ergo negatio divisionis magis habet rationem privationis ente composito, quam simplici, quare concludo hanc potius esse de nomine quæstionem, quam de re, quia eo negatio dicitur, vel non dicitur privatio juxta varias privationis acceptiones.

119 Hic tamen rursus advertendum est, quod supra adnotatum est num. 62. quod cum divisio opponatur unitati, ut privatio habitui, nam divisio a parte rei aliud proprie non est, quam unitatis destructio vel negatio; divisio immediate excluditur ab ente non per aliquam negationem divisionis, quæ sequatur formalitatem positivam unitatis, sed immediate, & formaliter per ipsam formalitatem unitatis, & ratio est, quam ibi innuimus, & disp. 4. Phys. q. 2. quia in immediate & præsertim privative oppositis, ut in proposito opponuntur unum, & multa, non datur negatio negationis vel privationis, sed negatio, & privatio immediate, & formaliter excluditur per positivum oppositum, & universaliter loquendo negatio negationis est a parte rei affirmatio positionis, ut negatio negationis entitatis est ipsa entitas, negatio negationis humanitatis est ipsa humanitas; ita igitur in proposito, cum divisio sit negatio unitatis, non datur negatio divisionis unitatis immediate excludens privationem ejusdem unitatis; ut vult Pasqualig. cit. disputat. 7. numer. 6. sed ipsa unitas immediate excludit privationem sui, quia privatio universaliter loquendo immediate opponitur formæ, non autem suæ privationi, ut cæcitas immediate opponitur visui, non autem privationi

tioni cæcitatis ex dictis loc. citat. in Physic. unde tota hæc quæstio hactenus controversa de natura, & qualitate negationis, per quam solet unitas explicari, præcipue locum habet in sententia negante unitatem dicere quid positivum, in nostra enim sententia, quæ unitatem dicere quid positivum, & divisionem in sola negatione, & privatione unitatis, nulla talis negatio sequitur unitatem, quæ immediate excludat divisionem, sed potius divisio immediate excluditur per ipsam positivam formalitatem unitatis. Quia tamen etiam in sententia statuente unitatem in aliquo positivo, nequit unitas explicari, nisi per negationem divisionis, ideo de ipsa nos quoque loquimur, & disputamus, perinde ac si foret aliqua negatio, quæ vere ex natura rei ipsam formalitatem positivam unitatis consequeretur, sicut calorem in subjecto consequitur negatio frigoris, albedinem nigredinis, &c. ut explicatum est supra numer. 62.

120 Quæres, an conceptus, per quem explicatur unitas transcendentalis, sit absolutus, vel respectivus. Respondet ex Mairon. 2. dist. 24. quæst. 2. conclus. 4. quod si sermo sit de unitate secundum id, quod a parte rei importat, nec esse absolutam, nec respectivam formaliter loquendo, utrumque tamen permissive, nimirum absolutam esse in ente absoluto, & respectivam in respectivo, & ratio est, quia unitas cum sit adæquata entis passio, debet esse ejusdem latitudinis, & præcisionis cum ipso; cum igitur ens in sua communitate ita ab inferioribus suis præscindat, ut formaliter nec absolutum sit, nec respectivum, idem pariter de unitate dicendum, aliisque ejus passionibus; unde cum quæritur an conceptus unitatis, veritatis, vel bonitatis importet quid absolutum, vel respectivum, quæstio non procedit de illo, quod a parte rei important hujusmodi passiones, quia ab utraque ratione præscindunt formaliter, sicut & ipsum ens, sed procedit de illo secundum quod explicantur a nobis, & in proposito de unitate dicendum, quod si unitas explicetur per negationem divisionis in se modo jam declarato, tunc ejus conceptus magis est absolutus, quam respectivus; at si explicatur per indivisionem a se, & divisionem ab alio, potius est respectivus, quia hujusmodi conceptus haberi nequit sine expresso ordine ad aliud.

QUÆSTIO VI. De Veritate.

An detur Veritas in rebus distincta a veritate cognitionis, quæ sit passio entis, & quid sit.

121 HActenus de unitate egimus, nunc de veritate agendum quæ erat altera entis passio, quæ dici solet veritas rei seu in essendo, ut contradistinguatur a veritate cognitionis, ac in repræsentando, de qua sufficienter tractatum est in Logica disput. 10. qu. 2. & seq. & sicut in præcedentibus, quamvis nemo sit, qui discernere nequeat inter unum, & multa, inter unum hominem, & plures, attamen valde insudatum est in indaganda entis unitate, ejusque formalitate, & explicatione; sic pariter in proposito quamvis nullus sit adeo bardus, & vecors, qui inter hominem verum, & pictum discernere non valeat, inter aurum verum, & auricalcum, tamen valde difficile est indagare veritatis existentiam in rebus, ejusque explicare formalitatem. Proponitur ergo quæstio quoad an sit: & quoad quid sit. Et quidem ultra veritatem cognitionis, & in repræsentando, dari quoque veritatem in rebus, quæ dicitur in essendo, est omnium sententia concors; sed difficultas est, an hæc veritas rerum, & in essendo distincta a veritate repræsentativa, an potius sola denominatio extrinseca ab illa in res ipsas derivata. Prima, & communis sententia asserit veritatem in essendo, quæ est passio entis, in rebus intrinsece, & formaliter reperiri, itaut per formam intrinsecam veræ dicantur, & non per solam extrinsecam denominationem desumptam a cognitione vera, quam causare possunt, ita Suarez disp. 8. sect. 7 nu. 4. Bannes 1. p. qu. 16. art. 1. Fonsec. 4. Met. cap. 2. q. 6. sect. 7. Soncin. 6. Met. q. 17. Javell. de Transcend. cap. 5. Aversa q. 6. sect. 1. & 6. Meurisse 2. lib. Met. cap. 3. q. 3. Pasqual. disp. 65. sect. 4. Smisinch. tract. 3. de Deo uno disp. 1. nu. 42. Ovied. cit. punc. 3. & alii passim. Opposita sententia docet res non esse veras formaliter, & intrinsece veritate se tenente ex parte ipsarum rerum, sed veritatem hoc modo solum intellectui convenire, res autem ipsas dici veras denominatione quadam extrinseca ab eadem veritate intellectus eo quod causant veram sui cognitionem in intellectu, sicut medicina non est formaliter, & intrinsece sana, sed forma sanitatis solum est in animali a qua ipsa medicina denominatur sana, tanquam causa sanitatis; ita Vasquez 1. p. disp. 77. art. 4. pro qua refert Hervæum quol. 3. art. 2. Durand. 1. dist. 19. q. 5. & 6. & Henricum in summa q. 3. art. 3. & 4. Cajet. 1. p. q. 16. art. 6. Valentia quoque in eam inclinat tom. 1. disp. 1. qu. 16. punc. 1. Hurtad. dist. 7. Metap. sect. 1. §. 16. Arriaga vero disp. 1. Metaph. sect. 5. subsect. 2. fatetur quidem hanc veritatem esse rebus intrinsecam, sed addit habere necessariam connexionem cum possibilitate cognitionis, itaut si impossibilis esset veritas cognitionis, impossibilis quoque foret veritas transcendentalis in rebus.

122 Circa autem quæst. quid est, longe major adhuc est opinionum varietas. Aliqui enim negant veritatem transcendentalem dicere quid positivum reale enti superadditum, & præsertim ab ipso ex natura rei distinctum, & volunt quod importet vel solam denominationem extrinsecam a veritate cognitionis in ipsas res derivatam, & sic consequenter discurrunt Auctores citati pro secunda sententia in primo puncto quæst. proposito. Alii volunt quod formaliter quid negativum dicat, & præsertim consistat in negatione entis ficti, & apparentis, ita quod ens verum formaliter sit illud, quod non est fictum, nec apparens, unde dici solet verum aurum ad differentiam auricalchi, quod apparet aurum, & non est, dicitur verus homo ad differentiam hominis picti, qui apparet homo, & non est; pro qua opinione citatur Aureol. 1. dist. 13. q. 3. & aliqui eundem dicendi modum sectantes volunt potius importare negationem cujuscumque extranei a natura rei, & esse segregationem, & depurationem cujuslibet entis, a quocumque sibi extraneo positivo, vel negativo, quo sensu dicitur verum aurum, quod est ab omni scoria purgatum, & defæcatum, & in hoc sensu videtur idem Aureolus explicasse veritatem entis 1. dist. 19. par. 3. art. 2. propos. 2. Alii volunt esse relationem aliquam rationis, illam nimirum relationem conformitatis, quam res omnes concipimus habere ad intellectum, quatenus sunt intelligibiles, quæ opinio tribuitur Durand. dist. 19. q. 1. Molinæ 1. par. q. 16. disp. 2 Fonsecæ 4. Met. cap. 2. q. 6. sect. 2. a quo non multum distat Aversa q. 6. suæ Phil. sect. 3. 4. & 5. Qui vero concedunt veritatem pro formali dicere quid reale, & positivum, adhuc divisi sunt, nam Thomistæ tam antiqui, quam Recentiores apud Blasium a Concep. disp. 22. Met. q. 1. communiter asserunt veritatem transcendentalem consistere formaliter, & primario in quadam reali, & absoluta proprietate distincta ratione ratiocinata a conceptu entis, per quam ens concipitur formaliter conforme intellectui divino, seu ideæ, & exemplari in intellectu divino existenti, ita Capreol. 1. dist. 19. q. 3. art. 1. Soncin. 6. Met. q. 17. Javell. tract. de transcend. cap. 5. Ferrar. 1. contra gentes cap. 59. & 60. Bannes, & Zumel. 1. par. q. 16. art. 3. ubi passim alii Thom. & Navaret. controv. 72. §. 3. ac Pasq. tom. 2. Met. disp. 66. sect. 3. nu. 6. Alii, ut Suar. disp. 8. Met. sect. 7. n. 25. quem sequuntur Hurt. supracit. nu. 17. & Ovvied. nu. 4. & Recentiores quamplures, ajunt veritatem dicere ipsum esse rei reale, atque nihil superaddere, connotare tamen conceptum intellectus, cui conformetur ex eo, quod per ipsum repræsentatur, hanc autem conformationem non esse necessario actualem, quamvis possit esse, sed sufficere aptitudinalem, unde formaliter veritas dicit illam aptitudinalem conformitatem, quam res habent respectu cognitionis, a qua intellectui repræsentari possunt, quam etiam sententiam omnes fere Scotistæ solent passim docere; cum hoc tamen quod volunt illum conformitatis respectum esse realem, & ex natura rei ab ente formaliter distinctum, illique superadditum ita Smisinch. tract. 3. cit. q. 2. nu. 40. Vulpes tom. 1. par. 1. disp. 10. art. 1. & 2. Faber de Pœnit. disp. 9. nu. 49. Poncius tom. 3. disp. 19. sui Cursus q. 3. Alii vero licet gratis concedant veritatem in conformitate consistere, non tamen in conformitate ad intellectum, sed potius in conformitate ejusdem rei ad sua principia, itaut eo solo titulo aliquid verum sit, quia habet vera, & solida principia ejus, quod debet esse, sic dicimus verum aurum, quod habet principia legitima auri, ita ex nostris Meurisse lib. 2. suæ Met. cap. 3. q. 3. Alii tandem varias assignant Veritatis acceptiones, juxta quarum varietatem varias assignant veritatis formalitates, atque ideo dicunt hanc esse quæst. de solo nomine, ita discurrit Arriag. disp. 1. Met. sect. 5. sub sect. 1. & Bonetus noster lib. 5. suæ Met. cap. 2.

123 Antequam ad articulos quæstionis resolutivos accedamus, advertendum est falsum esse quæstionem cognitio de Veritate esse de solo nomine, quamvis enim variæ, ac multæ sint veritatis acceptiones, ut videre est apud Meurisse lib. 2. suæ Met. c. 3. part. 2. q. 1. & Pasqualig. disp. 65. sect. 1. Fatentur tamen omnes hic esse sermonem de veritate communissime accepta, quæ in universum omnibus, & singulis convenit rebus, ut entis propria, & adequata passio. Neque sunt distinctæ, aut diversæ Veri acceptiones, quas refert Arriag. dum in una acceptione inquit illud dici verum, quod non est fictum, vel apparens, & in alia verum accipi, quatenus significat id, quod est conformabile cum conceptu ipsius, idest quod ita est, ut concipitur, vel potest concipi, imo potius sunt ejusdem Veri trancendentis variæ notiones, ac definitiones, juxta varias opiniones de ejus quidditate, ac formalitate. Et certe Auctores relati, quorum aliqui volunt veritatem in sola negatione consistere nimirum fictionis, & apparentiæ, alii vero in illa conformabilitate ad intellectum, dum ita loquuntur, sane omnes veritatem in eadem acceptione sumunt, nimirum prout est veritas rerum, & adæquata entis passio, ergo non est de sola voce contentio, quæ conciliari possit juxta diversas Veri acceptiones, ut ajebant Bonet. & Arriag. sed est contentio de re, quid nimirum significetur per id, quod dicitur ens esse verum, hoc esse verum aurum, & non falsum, hunc verum hominem, & non fictum, & quomodo explicari debeat, an scilicet per negationem apparentiæ, & fictionis, an per conformabilitatem ad intellectum, vel alio modo.

ARTICULUS I.

Datur veritas in rebus distincta a veritate repræsentativa, quæ est passio adæquata entis.

124 COnclusio hujus articuli est communiter recepta in omni schola, & probatur quoad omnes, & singulas partes, & quidem primo, quod veritas nedum in intellectu detur, sed etiam in rebus docet Scot. 6. Met. q. 3. & 4. distin. 49. q. 4. prope finem quæst. & noster Alensis 6. Met. prope finem libri, ubi hanc examinat quæst. & Arist. ipse pluribus in locis, nam 2. Metaph. 4. inquit, *ut secundum esse unumquodque*

que se habet, ita secundum veritatem, quibus verbis indicat veritatem se tenere ex parte rerum, quam inquirere, & speculari debemus; idem habet 4. Met. tex. 21. & 22. & lib. 5. tex. 34. inquit *res itaque falsæ sunt, eo quod non sunt*, per hoc indicans res esse veras eo ipso, quod sunt, quæ est veritas entis, & 6. lib. tex. 8. air ens esse, quod verum est, & non ens falsum; idem etiam docuerunt SS. Patres, nam Aug. lib. 2. soliloq. cap. 5 definit verum esse id, quod est, & D. Ansel. Dialog. de verit. cap. 7. hæc habet verba: *est igitur veritas in omnibus, quæ sunt essentia*; neque dicas per has auctoritates probari solum veritatem esse in rebus fundamentaliter, & causaliter, quatenus formalem veritatem de se ipsis causare possunt in intellectu, non autem subjective, & formaliter. Non inquam, id dicas, nam auctoritates istæ exprimunt res ita se habere secundum veritatem, sicut secundum esse, adeo ut in rebus entitas, & veritas omnino inter se proportionetur, cum igitur in rebus reperiatur entitas subjective, & formaliter, non autem tantum causaliter, & fundamentaliter, sic pariter de veritate dicendum. Tum quia ex hoc ipso, quod res seipsas manifestare possunt intellectui cuicumque, sicuti sunt, dici debent formaliter veræ, nam in tali virtute manifestativa consistit formaliter veritas in essendo, quæ dicitur passio entis, ut constabit postea explicando rationem veritatis, unde illa veritas, quam contrarii appellant causalem, & fundamentalem, re vera formalis appellari debet, quia subjective reperitur in rebus, & non tantum causaliter.

125 Deinde probatur ratione, nam nomen veritatis talem habere potest significationem, secundum quam non de sola cognitione dicatur, sed etiam de rebus ipsis; immo de facto in tali significato usurpari solet, ut denominationem veri etiam rebus ipsis formaliter tribuamus, nam quem colimus verum Deum appellamus, ut a falsis separémus, & verum dicimus hominem, ut distinguamus a picto, & verum, ut secernatur a falso, & apparenti. Nec rursus dicas hanc denominationem rebus tribui tantum causaliter sicut denominatio sanitatis causaliter tantum convenit medicinæ, non autem formaliter, & subjective. Nam, ut dixi, in tali significato potest veritas usurpari, in quo rebus etiam ipsis formaliter conveniat, ut postea patebit explicando rationem veritatis, quod de sanitate dici non potest, quæ cum formaliter in quatuor humorum debita temperie, & adæquatione consistat, non habet unde formaliter, & subjective in ipsa medicina reperiri possit, at veritas in tali adæquatione consistit, quæ nedum cognitioni, sed etiam rebus ipsis adaptari potest formaliter, & subjective; si enim cognitio ideo dicitur formaliter vera in repræsentando, quia adæquate exprimit rem, sicut est, & in tali adæquatione, & conformitate veritas ejus formaliter consistit, sic res e contra formaliter, & subjective veræ dicentur in essendo, quia sunt conformes cognitioni, & suimet expressivæ, & manifestativæ sicuti sunt a parte rei; cumque adæquatio, & conformitas sit denominatio mutua ex parte utriusque extremi, sicut similitudo inter duo similia, nulla est ratio cur unum extremum denominet formaliter, & subjective, aliud vero non nisi causaliter, & fundamentaliter, & si valet dicere, cognitio est conformis rei, quam exprimit, ergo est formaliter vera; sic e contra arguere valebit, res est conformis cognitioni in essendo, seu ita se habet a parte rei, sicut per cognitionem exprimitur, ergo est formaliter vera, Conf. quia cognitio dicitur formaliter vera, quia est commensurata objecto, at commensuratio ex sua intrinseca ratione est mutua, ut constat ex quantitatibus, ergo sicut commensuratio se tenens ex parte cognitionis denominat eam formaliter veram in repræsentando, ita e contra commensuratio se tenens ex parte objecti denominabit illud formaliter verum in essendo.

126 Quod si veritatem per talem conformitatem inter rem, & cognitionem explicare non placeat, sed potius per conformitatem ejusdem rei ad sua principia constitutiva, itaut mensura veritatis & falsitatis non aliunde sumatur, quam ex ipso esse, quod res participant, vere vel apparenter, absque ullo respectu ad cognitionem, quam de ipsis res causare valent, si, inquam, veritas ita sumatur, adhuc evidenter ostenditur res esse veras formaliter, & subjective, non autem solam cognitionem; sicut enim cognitio secundum hanc viam dicitur vera, quia omnia habet principia requisita ad hoc, ut sit imago expressiva talis objecti, sic etiam objectum habet sua principia intrinseca, quibus constituitur, & hæc sunt recte inter se ordinata secundum debitam mensuram, itaut constituant illud ipsum esse, quod debent constituere; si ergo principia cognitionis intrinseca debite commensurata veritatem fundant ipsius quoad esse cognitionis, sic pariter e contra principia objecti, cum sint debito modo commensurata, fundabunt veritatem objecti quoad tale esse formalem, & subjectivam; unde quocumque modo ratio veritatis assignetur, constabit semper denominationem veri formaliter quoque, & subjective rebus ipsis convenire.

Denique probatur ab opposito, quia entia rationis, ut chimæra, & hircocervus, dicuntur entia ficta, & falsa, non præcise quia eorum falsitas ex ipso actu cognitionis attendatur, sed itaut falsitas se quoque teneat formaliter ex parte talium entium rationis, ergo ex opposito entia realia quoque dicentur vera veritate se formaliter tenente ex parte ipsorum, & non tantum ex parte cognitionis. Consequentia patet, quia oppositorum est eadem ratio in sua linea, unde si in uno negatio est causa negationis, in alio erit affirmatio causa affirmationis; Probatur assumptum, quia entia rationis ideo censentur falsa formaliter, & intrinsece, quia ex seipsis implicant, & sunt impossibilia, nec participant essentialia vera constitutiva alicujus entis; ergo e contra quia entia realia sunt seipsis formaliter possibilia, & participant essentialia constitutiva entis realis, erunt seipsis formaliter vera, & veritas formaliter reperitur in rebus.

127 Secundo principaliter, quia concedi posset res quoque ipsas denominari utique formaliter veras, sed veluti per denominationem extrinsecam a veritate intellectus, & cognitionis; Probatur adhuc per se, & directe ex parte sua tales denominari per denominationem intrinsecam; Probat autem conclusionem quoad hanc partem Poncius loc cit. scilicet quod veritas non sit denominatio tantum extrinseca in rebus, quia posse concipere rem hoc modo non est denominatio extrinseca intellectui, sed intrinseca secundum omnes, ergo nec posse concipi est denominatio extrinseca rei conceptibili. Hæc tamen ratio non valet, nam qui negant veritatem formaliter consistere in ipsa rei conceptibilitate, etiamsi consequentiam concedant, non convincuntur, & concedentes consistere veritatem in rei conceptibilitate negabunt consequentiam, quia ens rationis potest concipi, & tamen posse concipi in ipso non dicit intrinsecam denominationem, sed extrinsecam tantum, cum non prius habeat esse intelligibile, quam intellectum, & intantum dicatur posse concipi, quatenus potentia intellectiva valet illud effingere, ut dictum est in Log. disp. de ente rationis. Deinde idem probat Aversa cit. qu. 6. sect. 7. quia cum veritas sit conformatio intellectus, & rei, inde sequitur veritatem formalem assignari posse tam ex parte rerum, quam ex parte intellectus, quia conformitas est denominatio mutua ex parte extremorum, quæ fuit ratio D. Th. 1. par. q. 16. art. 1. Sed hanc rationem solvit Vasquez cit. disp. 77. in fine, nam cum definitur veritas, quod sit conformatio, seu convenientia intellectus cum re, non est ita accipienda definitio, ut hæc conformatio sit ex utraque parte nempe intellectus cum re, & rei cum intellectu, sed hoc intelligendum est dumtaxat ex parte intellectus, ex parte vero objecti intelligenda est illa conformatio per denominationem tantum extrinsecam, quod & Hurtad. confirmat ex Arist. cap. ad aliquid, ubi ait potentiam dicere relationem ad objectum, non e contra; quare hæc ratio ad summum probat veritatem in hac significatione res ipsas quoque formaliter denominare posse, & ad hoc præcise probandum etiam a nobis nu. 125. adducebatur, non tamen probat id contingere per denominationem intrinsecam. Rursus id probat Arriag. disp. 1. Met. n 107. nam objecta ex sua intrinseca natura petunt cognosci posse, ergo intrinsece sunt cognoscibilia, & intelligibilia, & non tantum per denominationem extrinsecam a potentia, consequentia patet, & probatur assumptum, nam si ex intrinseca natura non peterent posse cognosci, non illis fuisset data a natura virtus productiva specierum, vel ipsarum cognitionum, quibus cognoscantur, ejusmodi enim virtus in objectis reperta denotat objecta de se inclinari, & ordinari, ut cognoscantur, neque id illis esse omnino extrinsecum, & accidentale. At neque ista ratio convincit, ultro enim concedi potest virtutem illam causandi species, & cognitionem esse perfectionem objectis intrinsecam, hinc tamen non sequitur quod vera intrinsece dicatur per illam, nam etiam in medicina datur virtus intrinseca causandi sanitatem, & tamen ratio sanitatis in illa est extrinseca, ita hanc rationem impugnare videtur Suarez disp. 8. Met. sect. 7. nu. 20. Hæc tamen impugnatio revinci potest ex eo, quod dicebamus supra nu. 125. non eandem prorsus currere paritatem de veritate, & sanitate, quia sanitas formalis, & intrinseca in tali conformitate, & adæquatione consistit, quæ in medicina reperiri non potest, sed tantum in animali, nimirum in adæquatione humorum, at veritas in tali adæquatione consistit, quæ nedum in cognitione, & intellectu, sed etiam in rebus ipsis formaliter, & subjective reperiri potest, ut infra constabit explicando rationem veritatis. Melius itaque ex eo impugnari potest ratio Arriag. quod omne ens reale est intrinsece intelligibile, & tamen non omne est productivum specierum, & cognitionis, nam ex dictis disp. 6. de Anim. q. 6. art. 1. datur quædam entia realia, quæ sunt objecta tantum terminativa cognitionis, & non motiva potentiæ, quemadmodum relationes, ergo per hoc non bene explicatur, & assignatur intrinseca intelligibilitas in quocumque ente.

128 Aliter proinde id etiam probat Ovvied. contr. 3. punc. 3. n. 15. quia ens formaliter, ut ens, terminat cognitionem ipso tantum terminative se tenente ex parte objecti, ergo secundum propriam formalitatem entis attingitur cognitione, quam terminat eademmet formalitas entis in seipsa, ergo in seipsa, & per seipsam est capax terminandi hanc cognitionem, seu passive cognoscendi, sicut color est capax terminandi visionem, & videndi passive, quam capacitatem habet per seipsum, quam non habet Angelus, vel alia substantia spiritualis, ideo dicimus primas qualitates, & substantiam spiritualem, & reliqua objecta, quæ non sunt lux, aut color videri non posse, quia sunt objecta improportionata potentiæ visivæ. Neque hæc ratio est concludentior aliis, nam quando etiam tota concederetur, negabunt adhuc contrarii illam capacitatem dicere quid intrinsecum in objecto, & dicent in hoc præcise consistere, quod tale objectum possit terminare actum talis potentiæ circa ipsum, & in hoc præcise fundari proportionem, vel improportionem objecti ad potentiam, quod contineatur intra sphæram activitatis potentiæ, vel non contineatur, & activitas potentiæ ad illud non extendatur, & sic Angelum, & primas qualitates videri non posse, non quia habeant quid intrinsecum visioni repugnans, sed quia activitas potentiæ visivæ ultra objecta sensibilia, & colorata non extenditur, immo si argumentum teneret, nedum

pre-

probaret denominationem cognoscibilis, & intelligibilis esse enti intrinsecam, sed etiam denominationem actualem cogniti, & intellecti, nam de tali denominatione totum argumentum formari potest, sicut de illa, ut discurrenti constabit. Tum quia, hæc ratio Ovvied. præsertim in hoc fundatur, quod intelligibilitas entis non distinguitur formaliter ex parte objecti ab ipsa ratione entis, ac proinde est ei intrinseca, quod fundamentum esse falsum constabit art. seq. Alias rationes ad hoc idem probandum congerit Pasqual disp. 65. sect. 4. quas neque convincentes reperio, & ne tempus in cassum impendatur amplius, refellere non curo.

129 Quare melius probatur cum Suarez loc. cit. veritatem esse denominationem intrinsecam in rebus, quia sola extrinseca denominatio nequit proprie inter rei proprietates numerari, veritas autem ponitur ab omnibus proprietas entis, ergo non est tantum extrinseca denominatio, major patet, quia proprietas debet ab intrinseco convenire, non autem ab extrinseco, sicut provenit denominatio extrinseca, & intrinsece recipi debet in essentia, a qua dimanat. Negat majorem hanc Hurtad. cit. §. 15. quia objectum esse aptum tali denominationi est ens, explicatum per connotationem talis denominationis. At sic respondens Hurt. in nostram descendit sententiam, quia veritatem, quæ est proprietas entis, non amplius in ea denominatione extrinseca reponit, sed in aptitudine ad talem denominationem, quæ re vera est intrinseca enti. Vasquez autem disp 77. citat. cap. 5. ingenue fatetur in sua sententia defendi non posse veritatem esse proprie passionem entis. At non desunt aliæ rationes, quibus adhuc convinci possit, nam si veritas in rebus esset sola extrinseca denominatio, tam convenire posset entibus rationis, quam realibus, quod apud omnes exploratum est falsum esse; Probatur consequentia, quia denominatio cogniti, vel cognoscibilis ex cognitione desumpta tam cadere potest super ens rationis, quam reale. Dices, ita esse formaliter, sed fundamenta harum denominationum aliter convenire entibus realibus, ac entibus rationis. Contra quæro in ente reali quid dicat fundamentum proximum talis denominationis; vel præcise dicit ipsam rationem entis, & sic verum, ut est in rebus, non esset proprietas entis, sed ratio ipsa entis; vel dicit aliquam formalitatem ei superadditam, & tunc de ista quæro an sit aliquid enti intrinsecum, vel extrinsecum, & si dicas esse aliquid extrinsecum, redit denuo argumentum. Denique falsitas oppositæ sententiæ ex eo convincitur, quod ex ea sequitur perfectius ens non esse perfectius verum, & omnia prorsus entia æqualis esse intelligibilitatis, quod esse falsum neminem dubitare existimo sanæ mentis; Consequentia deducitur, quia entia realia in ea denominatione, quæ sumitur ex veritate, & intellectivitate intellectus non possunt habere inæqualitatem, nam æque potens est intellectus intelligere substantiam, ac accidens, relationem, ac absolutum, & tam vera est cognitio, quam habet de substantia, sicut illa quam habet de accidente, & nihilominus certo certius est perfectioris esse intelligibilitatis substantiam, quam sit accidens, & absolutum, quam sit relatio. Dices id evenire ratione fundamenti talis deminationis, quod est perfectius in substantia, quam in accidente. Contra hoc arguitur, ut paulo antea, percontando quid dicat proximum fundamentum talis denominationis, vel enim præcise dicit ipsam rationem entis, & sic intelligibilitas non esset passio entis, sed ratio ejus formalis, vel dicit aliquam formalitatem ipsi superadditam, de qua rursus quæritur, an sit intrinseca, vel extrinseca; recta tamen rationis hujus intelligentia pendet ex dicendis infra num. 185. ubi etiam numer. 184. in ejusdem asserti comprobationem adducitur ratio adhuc allatis efficacior.

130 Tertio principaliter veritatem transcendentalem in rebus distingui a veritate repræsentativa cognitionis deducitur ex præcedenti; in tantum enim Vasquez, & alii veritatem transcendentem in rebus non distinguebant a repræsentativa, quæ est propria cognitioni, quia putabant eandem ipsam veritatem denominare intrinsece, & formaliter cognitionem, extrinsece vero, & causaliter ipsas res, sicut una sanitas est, quæ intrinsece animal denominat sanum, & extrinsece medicinam sanam, quæ est causa sanitatis; cum ergo probatum sit veritatem etiam formaliter, & subjective in rebus ipsis reperiri, & non per denominationem duntaxat extrinsecam, plane ex hoc sequitur aliam esse veritatem transcendentalem in rebus ipsis repertam a veritate repræsentativa, quæ est propria cognitionis. Deinde hoc ipsum in ipsamet cognitione evidenter ostenditur, nam datur cognitio vera, & cognitio falsa, sed non dicitur cognitio falsa, quia quantum ad esse cognitionis sit falsa, nam est essentialiter cognitio, & habet omnia principia ad cognitionem requisita, & est conformabilis cognitioni, quæ de ipsa haberi potest, atque ideo habet verum esse cognitionis, quo in seipsa vera sit in essendo, sed ideo est falsa, quia non bene repræsentat objectum, nec ipsi in repræsentando adæquatur, ergo in cognitione alia est veritas in essendo, alia in repræsentando, quia cognitio falsa in repræsentando, vera est in essendo. Tum quia veritas transcendens etiam in ipsa cognitione consistit in conformitate vel ad sua principia, vel ad aliam cognitionem, quæ de ipsa haberi potest, veritas vero repræsentativa convenit cognitioni in ordine ab objectum repræsentatum, cum nimirum illud repræsentat, sicut est, ergo veritas transcendens diversa est a veritate repræsentativa, unde cognitio falsa vera est transcendentaliter, falsa repræsentative.

131 Quarto tandem quod hæc veritas in essendo omnibus, & singulis rebus conveniat, ut passio entis adæquata, quæ erat extrema conclusionis particula, sumitur ex Aristot. cit. 2. Metaph. text. 4. ubi veritatem tribuit omnibus rebus eo modo quo tribuit esse dicens: *quare ut secundum esse unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem*, per quod innuit necessariam connexionem, & adæquationem inter ens, & veritatem, qualis intervenit inter subjectum, & passionem, & probatur ratione, quia omne ens reale eo ipso quod est ens, est verum ens, & non fictum, aut apparens, ut sunt entia rationis; est etiam suimet manifestativum, sicut est cuilibet intellectui, ac denique suis principiis conforme, ergo quocumque pacto explicetur veritas transcendens, semper invenietur ipsam reciprocari cum ente reali, adeout quodlibet ens reale sit verum, & quodlibet verum sit ens reale. Conf. veritas exprimit aliquem conceptum ex ipso conceptu entis consequentem cum eo convertibilem, & ab eo formaliter, vel saltim virtualiter distinctum, ergo est propria entis passio, consequentia patet ex conditionibus assignatis ad veram proprietatem disp. 4. de passionibus entis in communi qu. 1. Probatur assumptum quoad singulas partes. Quod enim veritas importet conceptum aliquo pacto citra intellectum ab ente distinctum, ex eo probatur, quia conceptus entis non exprimit, nisi comparationem ad esse, at conceptus veritatis exprimit ens vel in ordine ad suamet principia, vel in ordine ad divinas ideas, vel in ordine ad intellectum cognoscentem illud, sicut est, juxta varios modos explicandi rationem formalem ipsius Veri, ut ab ente distinguitur. Quod etiam iste conceptus naturali sequela ab illo dimanet, deducitur, quia eo ipso quod aliquid est, est in se verum ens, & non fictum, assimilationem habet cum sua idæa, & est suimet manifestativum, & cognoscibile, sicut est, apud quemcumque intellectum. Et denique est iste conceptus cum ente convertibilis, quia quicquid non est ens fictum, & apparens, est ens reale, & unumquodque intantum est cognoscibile, inquantum habet de esse, & nihil habet esse, quod non sit cognoscibile, sicut est, & suis principiis conforme; quod adhuc magis infra constabit declarando rationem formalem veritatis, hic enim promiscue loquimur, & in confuso, ut ostendamus veritatem in omnibus, & singulis rebus reperiri, & esse propriam, & adæquatam entis passionem, quocumque modo formalis ejus ratio assignetur, & explicetur, excepto modo explicandi veritatem per conformationem ad divinas ideas; licet enim per talem conformitatem explicari possit veritas entis creati, ut sic, non tamen veritas entis in tota sua latitudine, ut comprehendit ens creatum, & increatum, quia Deus non est ens ideabile, seu habens idæam, ut magis infra declarabitur.

Hinc deprehenditur manifeste inconsequentia Blasii a Concep. qui disput. 22. Metaphysic. quæstion. 3. probare volens unitatem transcendentalem esse passionen entis adæquatam, probat quod habeat omnes conditiones enumeratas ad propriam passionem requisitas, & in probando primas duas supponit veritatem entis formaliter consistere in conformitate, adæquatione, & assimilatione cum divinis idæis, ut statuerat quæst. prima ejusdem Disp. ex communi Thomistarum; deinde volens ostendere tertiam quoque conditionem veræ passionis veritati competere respectu entis, nempe convertibilitatem, hoc probat, quia unumquodque intantum est cognoscibile, inquantum habet de esse, & omne cognoscibile est verum, & e contra; ubi, ut vides, non amplius rationem formalem veritatis ponit in conformatione cum divinis idæis, sed in ipsa rei cognoscibilitate, quod studiose fecit, licet inconsequenter, ut ostenderet convertibilitatem veritatis cum ente, ut sic, communi ad creatum, & increatum; videbat enim quod reponendo rationem formalem veritatis in conformatione cum divinis idæis, non erat veritas cum ente convertibilis in tota sua latitudine sumpto, quia non habet Deus conformationem cum aliqua Idæa, ad cujus instar sit factus, vel effectibilis.

In oppositum arguitur contra singulas partes conclusionis, & Primo, quod non detur veritas in rebus, quæ sit passio entis realis, nam Arist. 6. Metaphysic. in fine per hoc discernit bonum, & malum a vero, & falso, quod bonum, & malum est in rebus, verum autem, & falsum in mente tantum. Tum quia aptam hujus rei rationem affert S. Thomas 1. part. quæstion. 16. artic. 1. cum enim bonum pertineat ad appetitum, verum ad intellectum, diverso modo se habent, quia cognitio exercetur circa objectum, prout est in cognoscente, appetitus autem circa rem, prout est in se, unde infert bonum esse in re, verum in intellectu. Conf. falsitas non reperitur in rebus, quia tunc veritas non esset passio convertibilis cum ente, ergo neque veritas, cum oppositorum eadem sit ratio. Deinde si res diceretur vera ex eo præcise, quod habet suum esse, tunc ipsæ quoque negationes deberent dici veræ, cum & ipsæ suum esse habeant, nam & ipsum non ens esse non ens dicimus 4. Met. 2. imo ipsa cognitio falsa esset vera, quia & ipsa est ens, & actus vitalis intellectus. Tandem veritas est adæquatio rei, & intellectus, ubi ergo est adæquatio subjective, ibi est veritas, sed adæquatio est subjective in intellectu, ergo & veritas. Major constat ex communi definitione veritatis ab omnibus assignata, probatur minor, res mensurant intellectum, ita quod mensura est in re, mensuratum autem in intellectu, & sic intellectus imitatur rem, non autem res intellectum, ita quod imitatio est subjective in intellectu, non in rebus, hæc autem imitatio, & mensuratio passiva idem est, quod adæquatio, quia intellectus rebus adæquatur, ergo &c.

132 Ad 1. ex auctoritate deductum satis constat Arist. ibi loqui de veritate complexa, quæ est in compositione mentis, & hanc negat esse in rebus, imo & in simplici apprehensione, & ait esse tantum in compositione, & divisione mentali, ita exponit ibi Doctor, & satis liquet ex ipso contextu, unde etiam Alensis in eum locum ait sermonem esse de veritate conceptus, non autem de veritate essentiæ, quæ proprie reperitur in rebus; nam occasione illius dicti Arist. movet quæstum, utrum verum sit in intellectu, vel in rebus, ad cujus solutionem notat duplicem esse veritatem, nempe veritatem essentiæ, & veritatem conceptus, & hanc inquit in intellectu tantum residere, & de ea Philosophum esse locutum, illam vero in rebus asserit reperiri. Ad rationem D. Thom. ait Doct. 4. dist. 49. qu. 4. prope finem quod tam cognitio intuitiva, quam dilectio sequens tendit in objectum, ut est existens in se; cognitio autem abstractiva, & dilectio sequens tendunt in objectum habens esse cognitum, ideo in hoc non est differentia inter intellectum, & voluntatem, quia utraque potentia potest tendere in objectum suum, ut in se, & in objectum, ut habet esse diminutum in intellectu. Alio adhuc modo, & satis erudite ad illam Arist. auctoritatem, & rationem inde deductam respondet Alensis quæst. cit. 6. Metaph. prope finem, inquit enim, quod non est intentio Phil. quod verum, & falsum omnino sint in anima, sed quod non ita opponuntur, sicut bonum, & malum, quia bonum, & malum tantum sunt in rebus, verum autem, & falsum possunt esse in rebus, & in anima; pro quo notat, quod aliter est de voluntate, aliter de intellectu, quia intellectus est aptus natus facere apud semetipsum rem sub entitate diminuta, quæ res apud seipsam est sub entitate completa, & ideo propter vim intellectivam res est apta nata habere duplex esse, scilicet in se, & in intellectu, & ideo propter hoc habet veritatem in se, & veritatem in intellectu; appetitus autem non est aptus natus facere, quod res aliud esse habeat, quam in seipsa, unde intellectus est motus rerum ad animam ex 1. de Anim. text. 62. hoc est, ex hoc quod intellectus est, res habet aliquod esse in anima, quia intellectus quodammodo omnia est secundum entitatem diminutam, appetitus autem est motus animæ ad res, ut sunt in seipsis; ergo hæc sunt vera, Ipsum verum, quod est rerum intellectus; ita est in seipso, & in re, quod aliquo modo est in intellectu secundum aliquem modum essendi; bonum autem, & malum sunt in rebus tantum, quia per vim appetitivam non fiunt in anima, magis enim anima per appetitum fit in rebus, quam res in anima, quia per intellectum aliquo modo res fiunt in anima, per appetitum autem anima fit in rebus; hæc noster Alensis, & valde docte loc. cit. Quia vero hæc solutio Alensis videtur aliquantum a Scoti solutione allegata recedere, qui vult Doctori omnino adhærere, videat ipsum in fonte loc. citat. ubi & illum textum ex 1. de Anim. adducit, & explicat, quod nimirum appetitus est motus animæ ad rem in se, intellectus non sic, sed est rei ad animam, vel rei, ut est in anima; de hoc etiam vide Zerb. 6. Met. qu. ult. in fine, & Bargium 1. dist. 3. qu. 3. prope finem.

133 Ad Conf. infra constabit, quo pacto concedi possit falsitas in rebus oppositæ veritati transcendentali; sed quando etiam nullo modo daretur falsitas in rebus, non hinc bene deducitur, neque dari veritatem, sicut ex eo quod non datur vacuum, vel infinitum in rerum natura, non bene deducitur, neque dari plenum vel finitum; nec recte quis argueret dicendo in rebus non datur non ens, ergo neque ens, cum autem dicitur oppositorum eandem esse rationem, plane in alio sensu intelligendum est, neque Arist. unquam dixit oppositorum eandem esse rationem, cum potius e regione oppositas habeant rationes, sed dixit oppositorum eandem esse disciplinam, quatenus ex notitia unius oppositi facile devenitur in notitiam alterius. Ad aliam negatur consequentia quoad primam partem, sicut enim negationes non nisi abusive dicuntur esse in rerum natura, ut late explicatum est disp. 4. Phys. qu. 1. art. 1. quatenus non dantur oppositæ affirmationes, ita non nisi abusive dici possunt veræ: unde aliqua negatio ideo vere dicetur in rerum natura reperiri, ut tenebræ in aere, cæcitas in oculo, quatenus vere in aere non est lumen, in oculo non est visus, & sic beneficio duntaxat formæ negatæ potest veritas aliquo pacto tribui negationibus; quoad aliam partem de cognitione falsa patet ex dictis num. 130. duplicem veritatem in cognitione considerari posse scilicet veritatem essentiæ, quia in seipsa vera est juxta sua essentialia, & veritatem conceptus, quæ illi convenit in ratione repræsentationis in ordine ad objectum, cui dicitur conformis; prima est veritas realis ab ea prorsus inseparabilis, altera vero veluti intentionalis, quia prima convenit rei in essendo, altera in repræsentando, & quia contingere potest, quod cognitio aliqua non sit conformis objecto, & adhuc in se veram habeat essentiam cognitionis, ideo hæ veritates in cognitione interdum separari possunt adeout remaneat prima sine secunda scilicet veritas realis & in essendo sine veritate intentionali, & in repræsentando, & ita contingit in cognitione falsa, quod cum habeat essentialia cognitionis est vera in essendo, sed cum sit difformis objecto, quod repræsentat, non est vera in repræsentando, & sic eadem cognitio est simul vera, & falsa, vera quoad veritatem essentiæ, & falsa falsitate repræsentationis. Ad ult. respond. Alensis loc. cit. quod dupliciter peccat argumentum, primo quia non loquitur de omni veritate, sed de veritate conceptus solum, quæ quidem est adæquatio conceptus ad rem extra; secundo peccat, quia non omnis adæquatio est in intellectu subjective, & per consequens nec omnis veritas, possumus enim duplicem adæquationem ponere, unam essentiæ

ad intellectum, alteram intellectus ad essentiam, & licet secunda sit formaliter, & subjective in intellectu tantum, causaliter vero in rebus, prima tamen est in rebus formaliter, & subjective.

Secundo obiicitur ad probandum veritatem rebus convenire per denominationem extrinsecam duntaxat, quod ita probat Hurtad. loc. cit. esse cognoscibile objecto dicit in ipso determinationem extrinsecam, sed esse verum dicit rem esse cognoscibilem, sicut est, ergo &c. Probat majorem, forma cognoscibile denominans est extrinseca rei denominatæ, quia a cognitione est cognoscibilis, tanquam a forma. Dices objectum duas habere cognoscibilitates, alteram extrinsecam, quæ consistit in cognitione possibili, alteram intrinsecam, & essentialem, quæ est intrinseca aptitudo, quam habet ens, ut possit terminare cognitionem, veritatem autem transcendentalem consistere in hac secunda cognoscibilitate. Contra hanc solutionem instat Hurtad. hæc secunda aptitudo est etiam extrinseca denominatio, quia eo præcise, quod cognitio sit apta, ut terminetur ad objectum, objectum est aptum, ut terminet cognitionem, quod ut constat in eo solam ponit extrinsecam denominationem. Conf. objectum actu terminare cognitionem est in eo extrinseca denominatio desumpta ab actuali cognitione, ergo & posset terminare est extrinseca denominatio sumpta a cognitione possibili, assumptum conceditur ab omnibus. Consequentia patet, nam effectus formales, actuales, & potentiales tribuuntur ab eadem forma actuali, & potentiali, sicut ab eadem unione, a qua extrema uniuntur actu sunt unibilia in potentia, & ab eadem calefactione, a qua lignum calesit, est calefactibile. Conf. 2. quia aliam aptitudinem intrinsecam objectis non esse patet, nam objectum secundum suam entitatem non dicit relationem ad potentiam quamvis potentia eam dicat ad objectum, ut ait Arist. in prædic. ad aliquid, & 5. Met. Conf. tandem, quia objectum, ut præcise terminativum cognitionis, non pendet a potentia cognitiva, sumet enim colorem, quid illius interest eum esse visibilem, & non esse audibilem? nam si visus non versaretur circa colorem, aut si versaretur auditus, nihil immutaretur color; loquitur autem Hurtad. de objecto præcise, ut terminativo, non autem ut motivo, & productivo specierum, & cognitionis in potentia cognoscente, quia sub hac consideratione concedit objectum dicere intrinsecum, & essentialem ordinem ad potentiam, & actum cum ea producibilem,

134 Resp. solutionem ab ipsomet Hurtad. adductam sufficientem esse pro argumenti solutione, ad ejus impugnationem negatur assumptum cum probatione, nempe etiam aptitudinem, quam intrinsece habet objectum, ut cognoscatur, esse in eo puram denominationem extrinsecam, aptitudo namque in re aliquid amplius dicit, quam pura non repugnantia, ut patet in lapide, qui habet aptitudinem, & inclinationem ad esse deorsum, non autem ad esse sursum, sed sola non repugnantia, quæ non repugnantia in ipso præcise attenditur penes agens intrinsecum potens lapidem producere sursum, at aptitudo attenditur pœnes intrinsecam ejus naturam, quæ est principium talis inclinationis deorsum; ita in proposito dicendum, quod cum intelligibilitas in ente non sit pura non repugnantia ad intelligi, & cognosci, immo potius intrinseca entis aptitudo, & inclinatio, ut intelligatur, & cognoscatur, consequenter non ponit in eo solam extrinsecam denominationem ab intellectu desumptam potente illud cognoscere, sed formalitatem aliquam intrinsecam ab ejus essentia dimanantem, ut de cæteris passionibus dicitur, & licet in hoc sensu intelligibilitas entis pendeat etiam ab intellectu, quatenus dicit ordinem transcendentalem ad illum, non tamen hinc sequitur, quod ponat in objecto intelligibili solam extrinsecam denominationem ab intellectu desumptam, vel a cognitione possibili, ut constat de potentia materiæ in ordine ad formam, quæ dicit ordinem transcendentalem ad illam ut receptivi ad receptibile, & tamen in materia capacitas formæ non est sola extrinseca denominatio desumpta a forma ex hoc, quod possit recipi in materia. Ad Conf. negatur consequentia, nam etiam actu causare est extrinseca denominatio in causa prima, ac etiam in secundis in sententia actionem reponente in passo, velut in subjecto, & tamen posse causare est quid intrinsecum causæ; sic igitur in proposito, quamvis actu terminare cognitionem sit denominatio extrinseca in objecto a potentia actu cognoscente, non rite hinc infertur ita etiam se habere posse terminare. Tum quia suppetit ratio idonea, cur actu terminare cognitionem in objecto sit sola extrinseca denominatio, non autem posse terminare; probatio illa consequentiæ, quod affectus actualis, & potentialis tribuitur ab eadem forma actuali, & possibili, valet uniformiter loquendo, & sic in proposito verum est cognoscibilitatem extrinsecam in objecto desumi totaliter, & adæquate a cognitione actuali; & actu terminata ad objectum, at non valet de cognoscibilitate intrinseca, quæ ab intrinseca objecti essentia dimanat, ut ejus passio, cum ordine transcendentali ad potentiam cognoscentem.

Ad alteram Conf. negatur assumptum cum ejus probatione, nam objectum quoque in suo ordine fundat relationem ad potentiam cognoscentem, neque hoc negare voluit Aristot. loc. cit. absolute loquendo, sed tantum significare voluit, quod relativa tertii modi, quando non uniformiter assignantur, sed differimjer, unum nempe in actu, & alterum in potentia, non habent mutuam inter se dependentiam, nec mutuo adinvicem referuntur; quod enim assignatur in actu, vere, & rea-

realiter refertur ad id, quod assignatur in potentia, ut scientia ad scibile, non e contra, quia scientia dependet a scibili, non scibile a scientia in actu, quia potest esse scibile sine scientia in actu; at si uniformiter assignantur nempe, vel ambo in actu, vel ambo in potentia, mutuo referuntur, & sic nedum scientia refertur ad scibile, sed etiam e contra scibile refertur ad scientiam in potentia, nec accidit scibili, quod sciatur in potentia, nam scibile non est scibile, nisi quia ejus potest esse scientia, quia si esset scibile, & ejus non esset scientia in potentia, esset scibile, & non scibile; ita dicebamus in Loic. disp. 8. qu. 10. art. 2. explicando tertium modum relativorum. Ad ult. conf. distinguendum est ex dictis disp. 6. de Anim qu. 6. art. 1. nu. 146. de duplici intelligibilitate terminativa entis una primaria, altera secundaria, quæ tribui solet entibus rationis, & creaturis in divina essentia terminantibus actum divini intellectus, quamvis igitur assumptum concedi possit de intelligibilitate secundi generis terminativa, negatur tamen de intelligibilitate primi generis, qualis est intelligibilitas terminativa entis realis, atque ideo negatur etiam ejus probatio, color enim nedum est objectum hoc modo terminativum visus, sed etiam motivum, quia est productivus specierum in oculo, & visionis cum oculo mediantibus speciebus, unde cum & Hurtad. ipse concedat tale objectum dicere intrinsecum, & essentialem ordinem ad potentiam, & actum cum ea producibilem, male dicit, si visus non versaretur circa colorem, aut si circa eum versaretur etiam auditus, in nullo colorem immutatum iri, quo enim pacto id fieri potest, si color in ratione objecti motivi, & primario terminativi dicit relationem transcendentalem ad visum? falsum igitur est nihil interesse coloris esse visibilem, & non audibilem, aut e contra, quia hoc importat ordinem transcendentalem ad potentiam.

136 Tertio obiicitur ad probandum veritatem transcendentalem non esse distinctam a repræsentativa, quia veritas consequitur entitatem, sed entitas repræsentativa in cognitione non est alia ab entitate transcendenti ejusdem, sed potius est quædam species illius, ergo nec veritas repræsentativa erit distincta a veritate transcendenti. Conf. quia tali distinctione admissa dubitabitur, an una veritas conveniat cum alia univoce, vel æquivoce, & si dicantur univoce convenire in relatione v. g. conformitatis, ut sic, ut fert probabilior opinio, tunc dabitur conceptus veritatis communior ipsa veritate transcendenti, quod videtur absurdum, cum conceptus transcendentes sint omnium supremi, & communiores.

Respon. majorem verificari de veritate tantum transcendenti; hæc enim consequitur entitatem, ut sic, non autem de veritate repræsentativa & ideo quamvis entitas repræsentativa in cognitione non sit distincta ab entitate transcendenti ejusdem, sed potius species ejus, id tamen de veritate repræsentativa minime est asserendum, quia in cognitione falsa experimur reperiri veritatem in essendo, non autem in repræsentando, & in cognitione vera aliam esse rationem veritatis transcendentalis, & aliam esse rationem veritatis repræsentativæ, hæc enim attenditur penes comparationem cognitionis ad objectum cognitum, itaut illud exprimat, sicuti est, illa vero e contra per comparationem objecti cogniti, vel cognoscibilis ad intellectum cognoscentem, aut alio modo juxta varias opiniones de conceptu veritatis transcendentis; atque ideo veritas repræsentativa non est quædam species veritatis transcendentis, sed alia quædam veritas disparata, quæ proprie convenit cognitioni, quo autem modo una veritas cum alia conveniat, an scilicet univoce, vel tantum æquivoce paulo infra quæst. sequent. discutiemus.

137 Quarto obiicitur probando verum non esse entis passionem, vel saltem non ei adæquatam, nam Aug. in Soliloquio cap. 5. definit verum esse id quod est, at hæc est ipsissima entis definitio, quæ datur per ordinem ad esse præcise, ergo non est passio entis, sed potius quidditas ejus. Deinde quando etiam concederetur esse ejus passionem, tamen non videtur posse defendi esse passionem adæquatam, quia denominatio Veri, tam extenditur ad ens, quam ad non ens, perinde enim verum est illud, quod est esse, & illud quod non est non esse, & sic negatio tam suam habet veritatem, quam affirmatio, unde tam dantur propositiones negativæ veræ, quam affirmativæ. Rursus tam convenit hæc denominatio veri entibus rationis, sicut entibus realibus, sicut enim aurum dicitur verum aurum, ita relatio rationis dici potest verum ens rationis, quia habet legitima principia entis rationis dici potest verum ens rationis, quia habet legitima principia entis rationis, & propriam fundare potest conformitatem ad intellectum cognoscentem.

Resp. definitionem illam ab Aug. traditam non esse formalem, sed causalem, quia non traditur per rationem formalem veritatis, sed per causam virtualem, & fundamentum ejus, vel potius est definitio materialis, quia explicat id, quod realiter importat veritas, unde eatenus verum ita ab Aug. definitur, ne quis suspicaretur verum esse quid ab ente realiter distinctum, verum enim realiter non dicit aliam naturam ab ente, ut supra de uno dicebatur. Ad aliud respondent aliqui ex D. Tho. 1. p. q. 19. art. 3. ad 2. & art. 5. ad 3. & q. 1. de verit. art. 1. ad 7. quod intantum non ens habet de veritate, inquantum ex vi apprehensionis ad modum entis concipitur, & consequenter veritas non se extendit in plus, quam ens, & hanc quoque solutionem assignat Blasius a Concep. loc. cit. ex D. Tho. cit. Sed quamvis hæc solutio aliquid contineat veritatis, non tamen omnino satisfacit argumento, quod potissime in hoc vim facit, ab eo, quod non ens concipiatur ad modum entis, imo loquendo de non ente præcise, ut est non ens, de ipso puro non ente, ut sic concepto, adhuc cum veritate dicitur, quod sit non ens, itaut eodem modo sit verum ens esse ens, ac non ens esse non ens. Hinc Blasius a Concep. aliam assignat solutionem dicens, veritatem, quæ est proprietas entis, esse aliquid reale, & positivum, & ideo hanc veritatem nullo modo posse prædicari de non ente. Sed oppositum directe probat argumentum veritatem etiam convenire non enti, atque ideo ex sua formali ratione quid reale, & positivum importare non posse, cum possit indifferenter enti, ac non enti applicari. Quaproter dicendum est cum Scoto 1. d. 30 q. 2. in fine, quod cum non ens dicitur esse vere, & realiter non ens, ly vere, & realiter non determinat inhærens, seu prædicatum, quasi non ens propriam possideat veritatem, sicut ens, sed determinat compositionem, & inhærentiam, idest ipsam propositionem, unde veritas non prædicatur de non ente, sed potius de ipsa oratione enunciativa, adeout cum dicitur, verum est non ens non esse, sensus hujus propositionis est, quod illa oratio, vel actus intellectus talem orationem efformans habet veritatem formalem, quatenus intellectus concipit non ens non esse, sicut de facto non est; quam solutionem tandem coactus est Blasius a Conc. adducere pro exacta argumenti solutione.

138 Ad illud tandem de entibus rationis, quibus etiam veritas convenire videtur, inquit Aversa quæst. 6. sect. 1. quod cum veritas dicitur passio entis adæquata, sumi debet, prout est conformitas entis realis ad intellectum, hæc enim est propria ipsi enti reali ad differentiam ejus conformitatis, quæ etiam potest suo modo attribui negationibus, & entibus rationis. Hoc tamen non satisfacit, quia pariter dicetur veritatem entium rationis esse conformitatem entis rationis ad intellectum, atque ideo veritatem, ut sic, non esse passionem adæquatam entis realis, sed quatenus est conformitas entis realis ad intellectum, esse passionem entis realis, & quatenus est conformitas entis rationis, esse passionem entis rationis. Potius ergo dicendum, quod licet entia rationis, eo modo, quo cognoscuntur, dici possint habere conformitatem cum intellectu, tamen quia ex se non habent intelligibilitatem, neque entitatem, in qua fundetur illa conformitas, ideo neque veritatem habent, quæ est passio entis nisi analogice, & proportionaliter, quatenus concipiuntur ad modum illius. Et cum dicitur relationem rationis esse verum ens rationis, jam ly *verum* non absolute dicitur, sed coarctatur ab ipso ente rationis ad significandum, quod ens rationis non participat aliquam veram rationem entis, unde & veritas proportionaliter dicitur de ipso, sicut enim ens reale dicimus verum ens, quia excludit quamcumque fictionem, & apparentiam, ita proportionaliter ens rationis dicitur, non quidem verum ens absolute, sed verum ens rationis, quatenus omnem realitatem excludit.

ARTICULUS II.

Veritas dicit quid reale positivum ab ipso ente formaliter distinctum.

139 Conclusio hæc est communis in schola Scotistarum, colligitur ex Doctore 1. dist. 3. quæst. 3. & 4. dist. 49. quæstion. 4. sub lit. I. & 6. Metaphys. quæst. 3. & sequuntur Scotistæ omnes citati ab initio quæst. immo & quam plures Thomistæ, qui per distinctionem formalem veritatis ab ente intelligunt distinctionem virtualem, vel rationis ratiocinatæ, quod nos non abnuimus, quia ut diximus d. 4. de passionibus entis in communi n. 37. distinctio affectionum entis ab ipso non est dicenda rigorose ex natura rei, quia transcendentalia non præseferunt realitatem distinctam a prædicamentalibus, sed appellatur ex natura rei; quatenus instar illius a nobis concipitur, & prout contradistinguitur a distinctione rationis ratiocinantis, quæ præcise formatur ab intellectu absque fundamento a parte rei. Et est contra omnes illos Auctores ab initio citatos, qui veritatem formaliter statuebant, vel in aliqua negatione, vel in quadam relatione rationis, aut in ipsa entis quidditate cum connotatione alicujus extrinseci. Et probari potest ratione generali quoad omnes partes deducta ex disputat. quart. citation. de passionibus entis; Attributum enim, quod importat veram, & realem alicujus rei proprietatem, non potest formaliter consistere in aliqua negatione, vel relatione rationis, aut in ipsamet rei quidditate cum sola alicujus extrinseci connotatione, ut ibi probatum est; cum ergo veritas sit vera, & realis proprietas entis, ut dictum est artic. præced. plane sequitur in aliquo ex prædictis formaliter consistere non posse; sed ad uberiorem doctrinam placet conclusionem etiam sigillatim probare quoad singulas partes.

140 Primo igitur, quod veritas quid reale dicat formaliter, & non solam relationem entis, ut ajebant Durand. Molin. Fonsec. & Aversa ab initio quæstionis citati, probatur, quia nullum ens rationis potest esse proprietas entis realis, cum hæc consequatur ex principiis ejus intrinsecis ex natura rei, illud vero fiat per opus intellectus. Tum quia rem esse veram non est aliquid fictum, immo fictio, cum non sit nisi quædam falsitas, cum veritate formalem habet repugnantiam. Tum quia res omnes ex se sunt veræ, & non ex intellectus consideratione, & datur veritas in rebus ex præced. art. citra cogitationem intellectus, ergo veritas, quæ est passio entis, nequit formaliter importare ens rationis, sed necessario dicit quid reale, & sane antequam nullus daretur intellectus creatus, qui talem relationem rationis fingeret in Deo, erat Deus verus formaliter.

Respond. præallegati Auctores, & præsertim Avers. quæst. 6. sect. 3. ad 4. veritatem formaliter sumptam esse quid fictum, tamen cum fundamento in re; esse autem verum, & fictum opponuntur, ita quod illud ens, quod est verum, non est fictum, sed tamen ipsa veritas sumpta pro relatione conformitatis est relatio ficta. Hæc tamen solutio facile impugnatur, quia tunc fundamentum illud proximum, quod occasionem præbet fingendi rationem illam rationis, esset formaliter veritas, quæ est passio entis, non autem ipsa relatio ficta, quia illud ex natura rei consequeretur ipsum ens ex principiis intrinsecis ejus ad modum passionis. Dices tale fundamentum esse ipsam rationem entis, ut sic. Contra, nam cum hæc sit una, & eadem, non potest esse motivum proximum ad fingendos diversos respectus rationis, qui importent diversas passiones entis, ergo tale fundamentum erit aliqua ratio secundaria consequens ex natura rei quidditatem entis, & hæc formalissime erit veritas, quæ ponitur passio entis; Probatur assumptum, quia idem motivum simplex, & secundum eandem rationem explicitam semper eodem modo movet, atque ideo semper moveret ad idem fingendum; si ergo ens diversas habet passiones per divisos rationis respectus importatas, debent in ente assignari diversa motiva, quæ occasionem præbeant fingendi diversos illos respectus rationis, & illæ rationes proximæ fingendi potius passiones entis formaliter constitui debebunt, quam relationes rationis. Super illas fundatæ. Et per hoc idem impugnatur solutio ejusdem Avers. quam loc. cit. assignat ad aliud argumentum, quod afferri solet, quod nempe veritas in omnibus rebus est perfectio simpliciter, in omnibus enim melior est ipsa, quam non ipsa, quæ nequeunt convenire relationi rationis, inquit enim, & hæc quoque de relatione rationis verificari posse ratione fundamenti, quod est ipsa realis entitas rei. Hoc, inquam, eodem modo confutatur, quia Unitas, Veritas, & Bonitas distinctas perfectiones simpliciter important, ergo & fundamenta aliquo pacto inter se diversa supponunt, in quibus relationes illæ rationis fundentur, & hæc dicimus formaliter esse passiones ipsas entis non autem relationes rationis in illis fundatas.

141 Deinde idipsum ostenditur ad hominem ex his, quæ docet præfatus Auctor quæst. cit. sect. 5. ait enim ibi relationem conformitatis, in qua consistit veritas, poni debere aptitudinalem potius, quam actualem, dupliciter enim, inquit ibi concluf. 2. potest intelligi conformitas rerum ad intellectum, vel actualis dum res actu cognoscitur, & intellectui conformatur, vel aptitudinalis, dum cogitamus rem posse cognosci, & ita posse conformari, & hanc secundam præcipue ait importare veritatem, quæ est passio entis, sed relatio rationis a toto genere importat respectum actualem, & non aptitudinalem, quia intantum habet esse, inquantum actu fingitur ab intellectu, & intantum dicitur dari relatio rationis aptitudinalis, inquantum fingi potest per modum cujusdam aptitudinis, licet re vera sit actualis, & versetur inter extrema actualia, & actu conficta ab intellectus, ergo non bene constituitur veritas in relatione rationis, quæ sit aptitudinalis. Tum quia rem posse cognosci sicut est, & posse ita conformari cum intellectu, non est in rebus sola relatio rationis, quia eis competit a parte rei citra omnem intellectus cogitationem, neque est sola denominatio extrinseca, quæ sumatur ex actu cognitionis possibili, sed est quid intrinsecum rebus ipsis, ut artic. præcedent. probatum est, ergo &c. Rursus res omnes suam habent veritatem, nedum in ordine ad intellectum creatum, sed etiam in ordine ad divinum, ut docet Aversa in eadem section. nam & intellectus divinus cognoscit res, quatenus vere sunt formaliter, sed sane eas cognoscendo sub tali ratione non fingit illam relationem rationis, ergo nequit veritas in tali ratione rationis formaliter consistere.

Dices, quod sæpius inculcatum est supra, aliud esse id, quod importatur per passiones entis a parte rei, & aliud esse id, per quod explicari solent a nobis, nos enim interdum ob conceptuum penuriam pro modulo nostro intelligendi positiva explicamus per negationes, & realia per relationes rationis; sic igitur in proposito, quamvis veritas quoad id, quod importat a parte rei quid sit reale, tamen secundum id, per quod explicatur a nobis, dicit solam relationem rationis. Contra hoc est, quod in hoc articulo disputamus de eo, quod proprie veritas importat a parte rei, nam de modo, quo debeat a nobis explicari, disquiremus artic. sequent. & sane Auctores præcitati, dum veritatem ajunt formaliter consistere in relatione rationis, non præcise inspexerunt modum, quo debeat explicari a nobis, sed formalitatem ipsam veritatis, dixeruntque formaliter consistere in relatione rationis conformitatis rerum ad intellectum. Sed jam probo nec bene explicari per relationem rationis ex jam dictis in universum disp. 4. de passionibus entis n. 5. & 7. nam passiones, quæ enti tribuuntur, habent esse in seipsis, atque in seipsis sunt cognoscibiles, nec indigent ope intellectus, qua esse accipiant, aut cognoscantur, nam habent esse independenter ab intellectu, & intellectus absque eo quod aliquid fingat, cognoscit quid sit unitas, quid veritas, & bonitas, atque format proprios conceptus ipsarum. Tum quia hæc relatio rationis per, quam explicaretur veritas, non fieret nisi per reflexionem, & comparationem intellectus, sed ante talem reflexionem, & comparationem bene intelligimus id esse verum aurum, hunc esse verum hominem, prout secernitur a picto, ergo ad exprimendum veritatis conceptum relatio rationis necessaria non est. Tum quia hæc relatio rationis conformitatis rerum ad intellectum, per quam explicaretur veritas, deberet concipi ad modum conformitatis realis; siquidem omne ens rationis est non ens conceptum ad modum illius entis realis, ad cujus instar fingitur, ergo jam antecedenter ad omnem relationem rationis habetur conceptus veritatis rerum per illam conformitatem realem ad intellectum, atque ideo superflua est omnis relatio rationis ad ejus instar concepta. Demum ens rationis est formaliter quid fictum, ergo male per ipsum explicaretur ratio formalis veritatis, quæ directe opponitur fictioni, & excludit fictum esse, sicut unitas male explicaretur per divisionem, quia directe illi opponitur, ac eam immediate excludit.

142 Secundo principaliter probatur altera pars conclusionis, quod veritas non dicat formaliter puram negationem, sed aliquid positivum, omnibus illis rationibus quibus id ipsum de unitate probatum est quæst. 4. artic. 1. ens aliqualiter pertractando, & ad propositum applicando. At rursus dices, quod quamvis a parte rei quid positivum importet, adhuc tamen per negationem entis falsi bene explicari. Sed instat Poncius disp. 19. citat. qu. 3. concl. 1. nec adhuc per talem negationem bene explicari, quia non potest talis negatio intelligi, quin antecedenter intelligatur ens falsum, sed ens falsum vel nequit intelligi, quin intelligatur ens verum, vel si potest sic intelligi sine ordine, aut negatione entis veri, etiam ens verum poterit intelligi, & explicari sine negatione entis falsi, aut ordine ad illud. Conf. non magis bene explicaretur ens verum per negationem entis falsi, quam ens falsum per negationem entis veri, sed si alterum ex ipsis explicaretur per negationem alterius, committeretur vitiosus circulus, & ignorum declararetur per ordinem ad ignotius, ergo neutrum sic bene describitur. Confirm. 2. quia non potest cognosci, quod aliquid dicat negationem rationis formalis alterius, quin cognoscatur habere rationem formalem oppositam, ergo non potest cognosci, quod aliquid habeat negationem entis falsi, seu falsitatis, quin cognoscatur habere rationem veritatis oppositam, ergo male explicaret quis rationem veritatis per talem negationem, quandoquidem prius deberet cognoscere ipsam rationem veritatis, quam cognosceret esse talem negationem.

Cæterum quamvis hujusmodi rationes concludere videantur contra explicantes Veritatem per negationem entis falsi, si tamen accuratius expendatur, palam fiet minime valere, vel æque bene probare nec unitatem explicari posse per negationem divisionis, vel multitudinis, quia non potest talis negatio divisionis, vel multitudinis intelligi, quin antecedenter intelligatur unitas, cum divisio sit privatio unitatis, & privatio in ordine ad habitum oppositum intelligatur; vides ergo quomodo præfatæ rationes æque bene concludant de unitate, quod nequeat per negationem divisionis explicari, ac de veritate per negationem entis falsi. Immo argumentum illud, quod si ens verum explicetur per negationem entis falsi, & ens falsum per negationem veri committeretur vitiosus circulus, adducitur ab ipso Poncio loc. cit. quæst. 2. concluf. 1. contra explicationem unitatis per negationem divisionis, & solvitur; pari ergo modo hic solvi debet ab ipso, aut ostendere tenetur, cur magis vitiosus circulus committatur in proposito explicando veritatem per negationem falsitatis, quam explicando unitatem per negationem divisionis, & multitudinis; eadem enim ratio utrobique militare videtur.

143 Aversa quoque qu. 6. sect. 2. probat non bene explicari veritatem per negationem entis apparentis, nam in ente, quod apparet id, quod non est, duo consideranda sunt, unum est positivum, aliud est negativum, primum est similitudo, seu convenientia cum re, quæ vere est talis, ut homo pictus convenit in figura, & coloribus cum homine vero; secundum est carentia entitatis illius rei, quæ vere est talis, ut in homine picto carentia animæ, & veri corporis, dum ergo vero enti attribuitur negatio entis apparentis, non utique attribuitur negatio ejus partis, in qua consistit similitudo, & convenientia, sed potius attribuitur negatio illius carentiæ, unde idem est dicere, hoc est verum ens in hoc sensu, ac dicere non est non ens, est verus homo, non est non homo; veritas ergo sic explicata in rigore non est aliud, quam negatio negationis sui ipsius, atque ideo minus bene sic explicatur. Sed quamvis tota hæc doctrina sit vera, quam in terminis tradidit Doct. 6. Metaph. qu. 3. §. *respondeo, quod superius inchoando*, non tamen Aversa per eam satisfacit difficultati, nam etiam unitas cum explicatur per negationem divisionis, explicatur per negationem negationis, cum divisio formaliter loquendo non sit, nisi privatio unitatis, & tamen adhuc recte explicatur, ergo pariter in proposito, quamvis explicando veritatem per negationem entis apparentis, explicetur per negationem negationis sui ipsius, hinc tamen non sequitur malam esse explicationem, aut pariter talis explicatio condemnanda est in unitate. Itaque per hoc argumentum Averſæ solum probari potest veritatem a parte rei importare quid positivum, quia negatio negationis quid positivum est, ac duæ negationes affirmant, quemadmodum de unitate arguebamus quæst. 4. art. 1. nu. 43. at minime probatur tale positivum per illam negationem negationis non bene explicari, sicut explicatur unitas.

Potius ergo dicendum est veritatem non bene explicari per negationem entis ficti, vel apparentis, quia dum vero entis tribuitur negatio entis apparentis, non ei tribuitur negatio apparentiæ,

tiæ, & similitudinis, sed negatio carentiæ illius entitatis, quam vere possidet, unde sensus est, hoc est verum aurum, idest non est non aurum, hoc est verum ens, ideſt non est non ens; at negatio entitatis immediate excluditur per ipsam entitatem, & non per aliquid ipsam consequens, & negatio auri per ipsam entitatem auri, ergo verum in hoc sensu explicatum per negationem entis ficti, & apparentis non est proprie attributum entis, sed ipsa entis essentia; qua ratione dicebamus supra n. 103 & 105. ens immediate seipso, & per propriam quidditatem distingui a non ente, & ab ente rationis, quod est ens fictum. Cæterum Arriag. cui arridet explicatio veri per negationem entis apparentis, negat propositionem illam, *hoc est verum aurum*, in hac veri significatione sacere illum sensum, *non est non aurum*, aurum enim non dicitur verum per negationem chimæræ, aut non auri absolute loquendo, sed per negationem auri apparentis, aut imitantis verum aurum, quale est oricalchum, quod non est ens, & non aurum præcise, sed non aurum cum imitatione quadam; ens autem inquantum est ens, secundum essentiam formaliter præcise opponitur non enti, at ut verum, opponitur enti apparenti. Sed Contra, quia licet aurum dicatur verum non per negationem auri præcisam, sed per negationem auri apparentis, ac imitantis verum aurum, quale est oricalchum, illa tamen apparentia, & imitatio pertinet ad materiale falsitatis, formaliter autem falsitas consistit in negatione illius talitatis, qualis apparet, ut docet Scot. cit. 6. Met. qu. 3. cum ergo dicimus, hoc est verum aurum ad differentiam oricalchi, si propositio explicetur negative, dicere intendimus hoc non habere solam apparentiam auri, & per hoc non negamus habere apparentiam, ideſt colorem, & imaginem auri, nam apparentia necessaria est tam vero auro, quam falso, sed negamus solitudinem apparentiæ, ideſt carentiam subſtantiæ auri sub tali apparentia, non ergo bene explicatur veritas negative, seu per negationem entis apparentis, quia sic explicatur per negationem negationis, quæ immediate tollitur per ipsam rei entitatem, & non per aliquid ipsam consequens, qualis est veritas, quo autem pacto ens, ut verum, non autem sub ratione ipsa entis, opponatur falso, & apparenti postea explicabitur.

144 Dices, posse veritatem saltim in alio sensu, quem significavit Aureolus citatus nu. 122. per negationem scilicet cujuscumque extranei a natura rei explicari; sic enim dicere solemus hoc esse verum aurum, vel argentum, quando est separatum a metallo extraneo, & a quocumque alio, quod non est aurum, vel argentum, quo pacto verum, purum, & sincerum coincidere videntur. Sed quamvis hanc veri acceptionem non omnino improbabilem judicent Suarez, Hurtad. & alii Recentiores, nihilominus Bonetus noster 5. Metaphysic. capit. 2. notavit veritatem in hac acceptione poni non posse passionem entis, quia nulla entitas creata est in hoc sensu in re extra vera, cum non sit ab omni quidditate extranea, & a multis accidentibus actu præcisa, & abstracta, sed tantum ut posita est in esse cognito, tunc enim ibi sola quidditas ab omni alia quidditate, & accidente subsistit, & apparet intellectui separata v. g. equinitas in intellectu objective est tantum equinitas pura, & vera, & actu præcisa ab omni alia quidditate, & accidente, nam in re extra equinitas non est tantum equinitas, sed copulata multis aliis quidditatibus, & accidentibus conjuncta, mixta, & involuta, unde tandem deducit solam divinam naturam posse in hoc sensu dici veram, quia nullum prorsus extraneum illi potest commisceri, quod totum Aureol loc. cit. gratis concedere videtur. Hæc tamen ratio non admodum efficax videtur, quamvis enim Petrus sit homo albus, ejusque humanitas sit cum aliis accidentibus commixta, hæc tamen commixtio in re extra veritati humanitatis ejus, ac sinceritati nullum præjudicium inferre videtur, quia illæ naturæ etiamsi conjunctæ, adhuc tamen essentialiter, & quidditative remanent impermixtæ, nec quidditas unius commiscetur, vel confunditur cum quidditate alterius, sed una manet cum omnibus prædicatis suis essentialibus integra, & illæsa, sicut altera, ergo veritas etiam in hoc sensu potest rebus creatis convenire, quælibet enim entitas in hoc sensu dicitur vera, quando propriam naturam talis entis, & non aliam extraneam includit.

Hanc eandem veri acceptionem reiicit Ovvied. controv. 3. Metaphysic. punct. 3. quia talis divisio, & segregatio a quocumque alio, quod non est ipsum, pertinet potius ad attributum unitatis, quam veritatis, & sic in auro non esse oricalchum, aut aliud a se distinctum, si tantum in ordine ad se, & non ad intellectum sumatur, pertinet ad rationem unius, quia de unius ratione est esse indistinctum a se, & distinctum ab alio, quod dicit esse ipsum, & non aliud. Cæterum nec impugnatio ista facit ad rem, cum enim negatio, & exclusio cujuscumque extranei appellatur nomine veritatis, non intelligitur de extraneo utcumque, sed de tali extraneo, quod cum aliqua re permixtum apparet esse de eadem re, cum tamen re vera non sit; alioquin si id quod admiscetur rei, non apparet esse de subſtantia ejusdem rei, non impedit veritatem rei, nec veritas consistit in tali impermixtione; male ergo dicitur, quod segregatio a quocumque extraneo in sensu, quo hic est sermo, pertineat ad rationem unitatis, quia si divisio ab alio pertineat ad rationem unitatis (quod neque absolute verum esse ostensum est quæst. præced.) hoc aliud extraneum non petit apparere esse de subſtantia illius rei, cui ponitur extraneum, quod ad veritatem explicatam per segregationem a quocumque extraneo requiritur. Melius ergo acceptio veritatis in hoc sensu ex hoc capite est reiicienda, quia vel per talem admixtionem, in cujus negatione ponitur veritas consistere, intelligitur admixtio per juxtapositionem unius entitatis cum alia, vel per confusionem, itaut entitas unius confundatur cum entitate alterius; hæc secunda permixtio omnino impossibilis est, quia quantumcumque ſtamnum cum argento commisceatur, nunquam tamen natura unius transit in entitatem alterius, aut cum eo confunditur per identitatem, atque ideo male explicaretur veritas per negationem permixtionis impossibilis, sicut quæstion. præced. dicebamus male unitatem explicari per negationem divisionis impossibilis; illa vero prima permixtio, quæ fit per juxtapositionem; non impedit rerum veritatem, sicut enim non tollit esse rerum, quæ invicem permisceri dicuntur, ita neque tollit, aut minuit earum veritatrm, quamdiu enim subjectum perseverat, perseverant etiam passiones ejus. Deinde Aureolus ipse cit. propos. 3. ait veritatem in hoc sensu esse puram rei quidditatem cum suis prædicatis essentialibus, ergo in hoc sensu non passio entis, de qua hic est sermo, sed ipsa rei entitas, & essentia; ait etiam competere entibus rationis.

145 Tertio tandem probatur ultima pars conclusionis, quod positivum per Veritatem importatum sit quidpiam enti superadditum, & ab ipso formaliter distinctum, illis eisdem rationibus, quibus id ipsum probatum est de Unitate quæstion. 4. artic. 2. & de passionibus entis generatim disputat. 4. quæstion. 1. Et per hoc etiam reiicitur sententia Suarez, & aliorum Recentiorum, quos citavi ab initio quæstion. numer. 122 asserentium veritatem transcendentalem dicere formaliter, & in recto ipsum esse rei reale, atque nihil enti superaddere, sed connotare solum conceptum intellectus, cui conformetur, vel saltim conformari possit. Hoc, inquam, illis eisdem rationibus improbatur ad propositum applicaris, quia verum non est quid cum ente synonimum, non enim dicit id, quod habet esse, ut sic, sed quod habet taliter esse, & habet definitionem ab ea diversam, quæ traditur de ente, quod adhuc magis constabit, si definiatur veritas alicujus entis particularis, ergo veritas debet ab ente distingui saltim formaliter modo jam explicato. Conf. quia licet esse rei sit verum, & in ejus natura imbibatur, est tamen veritas quid formaliter diversum ab ipsa rei natura, & essentia, & cum sit passio entis, debet originari a natura, & proinde quando ens consideratur, ut verum, debet explicari per quemdam peculiarem conceptum diversum ab eo, quo explicatur sub ratione entis, pertinentem ad esse rei secundarium; ac veluti extraneum. Responsiones autem Recentiorum, quod hæ, & consimiles rationes concludunt solam rationis ratiocinantis distinctionem veritatis, ac aliarum passionum ab ente, aut ad summum rationis ratiocinatæ per conceptus inadæquatos implicitum, & explicitum, fuse impugnavimus qu. 4. cit. art. 2 num. 65. & inde, unde hic opus non est aliquid amplius addere pro earum confutatione. Et quantum attinet ad opinionem Suarez concedendum est veritatem habere plures significationes, & acceptiones, & posse etiam importare aliquod positivum quod est entitas rei, quo pacto dicebat Aug. lib. 2. soliloq. cap. 5. *verum esse id, quod est*, non tamen hoc modo accepta assignari potest pro passione entis, quia sic accepta non distinguitur a subjecto, quod est contra rationem passionis.

Quæres, an formalitas positiva, quam importat ratio formalis veritatis, sit quid absolutum, vel respectivum? Thomistæ quamplures apud Suarez disput. 8. Metaph. section. 7. numer. 5. sentiunt esse perfectionem quamdam realem absolutam, pro qua refert Capreol. 1. distinct. 19. quæst. 3. conclus. 3. Soncin. 7. Metaphysic. quæstion. 17. Javel. tract. de transcendent. capit. 5. quam colligunt ex D. Thom. quæstion. 1. de Verit. artic. 5. & ita explicat Bannes prima part. quæstion. 16. articul. 3. ubi addit hanc perfectionem distingui ratione ratiocinata ab ipso ente, & quod quamvis per respectum ad intellectum explicari soleat, esse tamen in se perfectionem absoluram; Alii Thomistæ volunt importare perfectionem relativam, quam aliqui contendunt esse realem, ut Masius lib. 3. de transcendent. cap. 5. Zumel 1. parte quæst. 16. artic. 3. Blasius a Concep. disputat. 22. Metaphysic. quæstion. 1. Quidam vero dicunt esse relationem rationis, ut ab initio quæstionis dicebamus; Scotistæ quoque communiter docent veritatem esse formalitatem respectivam ex Scoto 6. Metaph. quæst. 3. & 4. dist. 49. quæst. 4. lit. I. & 1. dist. 3. quæst. 3. lit. E. quibus in locis veritatem explicat per respectum, ita Vulp. Smisinch. Poncius, Faber, & alii ex nostra Schola citati ab initio quæstionis. Poncius tamen, ac etiam Pasqual. disput. 66. section. 3. numer. 3. addunt relationem conformitatis, in qua consistit veritas, non prædicamentalem, quia talis passio enti convenit, priusquam in decem prædicamenta descendat, sed esse transcendentalem.

146 Hoc dubium resolvendum est juxta dicta de unitate numer. 120. ex Mairon. 1. dist. 24. & 25. quæst. 2. concl. 4. quod si sermo est de veritate juxta id, per quod solet a nobis explicari, utique dicit formalitatem relativam, commodius enim explicatur a nobis per rationem relativam, quam per absolutam, ut constabit artic. sequent. cæterum si sermo est de veritate secundum id, quod a parte rei importat, nec absoluta, nec relativa est formaliter loquendo, licet sit utrumque permissive, cum enim sit passio entis adæquata, debet esse ejusdem latitudinis, & abstractionis cum ipso, cum ergo ens in sua communitate tantæ sit abstractionis, ut nec formaliter relativum sit, nec absolutum, sed ab utroque præscindat, idem pariter asseri debet de veritate, cæterisque ejus passionibus. Et quidem hæc ratio, nedum probat veritatem non importare relationem prædicamentalem, ut dicunt Poncius, & Pasqualig. sed probat, nec importare transcendentalem, quia formalitas entis, ut sic nedum abstrahit ab absoluto, & respectivo prædicamentali, sed etiam transcendentali, quia formalitas entis in tota sua latitudine nec etiam transcendentaliter est relativa; tum quia absolutum, ut sic, distinguitur a relativo, ut sub se comprehendit nedum relationem prædicamentalem, sed etiam transcendentalem, ut constat ex dictis in Logica disput. de Relatione, nam absolutum dicitur illud, quod a sua ratione formali excludit omnem ordinem ad aliud, sive prædicamentalem, sive transcendentalem, cum ergo ens in sua communitate æque abstrahat ab absoluto, ac respectivo, præseindet quoque a relativo transcendentaliter, & consequenter sub eadem præcisione, & abstractione ejus passiones constitui debebunt. Conf. quia ens commune est cuicunque enti tam absoluto, quam respectivo, tam prædicamentaliter, quam transcendenter, ergo ratione talis communitatis ab omni tali inferiori præscindere debet, tam ab absoluto, quam a relativo, quocumque modo sumatur, & utramque rationem admittere solum permissive; & sic etiam sentire videtur Smisinch. loc. cit. esto formalitatem veritatis explicet per respectum, inquit enim expresse sub n. 40. veritatem ex sua ratione formali nec esse formalitatem absolutam, nec relativam, sed in ente absoluto esse absolutam, & in relativo relativam. Immo potest id etiam confirmari ex ipso nomine veri, verum enim ex vi vocabuli non dicitur ad aliud, non enim dicitur verum alicujus verum, sicut dicimus alicujus simile, vel alicujus æquale, ergo quamvis veritas soleat per respectum aliquem explicari, falsum tamen est ex sua ratione formali, quam importat a parte rei, respectum præseferre.

Objectiones solutæ.

147 In oppositum objicitur primo probando veritatem consistere in sola formalitate rationis, ex Averſa, nam possunt, & præcipue debent passiones entis designari per negationes, aut relationes rationis, quoniam, ut sic, magis proprie adduntur ipsi toti enti, ad ejusque rationem in tota ipsius amplitudine consequuntur. Conf. ex Molin. 1. p. quæst. 16. disput. 2. nulla affectio entis, ut a suo subjecto distinguitur, est reale quodpiam a parte rei, quia tota rerum realitas, & ratitudo ab ente provenit, ergo veritas, ut distinguitur ab ente per modum passionis ejus, nequit importare aliquid reale, sed solam formalitatem rationis. Resp. quod cum passiones entis sint reales, & positivæ, necessario debent a parte rei importare aliquam formalitatem realem, & positivam rationi quidditativæ entis superadditam, & saltem ratione ratiocinata ab ipsa distinctam; quæ etiam, si commode fieri potest, per conceptum realem, & positivum explicari debet; quod si commode fieri nequit ob difficultatem, qua premimur in intellectione transcendentalium, possumus utique uti negationibus, ac etiam relationibus rationis, ut de unitate contingit, quam explicamus per negationem, esto positivum importet; hinc tamen inferre non licet, passiones entis a parte rei importare illas negationes, aut relationes rationis, quibus utimur ad eas explicandas; immo in propoſito de veritate jam dictum est nedum ex se non importare relationem rationis, sed nec etiam commode per talem relationem rationis a nobis explicari; Nec refert, quod passiones entis designari debent per modum cujusdam superadditi rationi quidditativæ entis, talem autem additionem melius cogitari non posse, quam per intellectum. Nam utique verum est passiones entis ita designari debere per modum formalitatis superadditæ, sed ad hoc non sufficit additio rationis, ac per intellectum, quia ens reale reales habet affectiones, & non rationis; debet ergo esse additio aliquo pacto ex natura rei; quod eo magis libenter asserendum est, quia quidquid ab Adversariis objici solet contra hanc additionem ex natura rei, militat æque bene contra additionem formalitatis factam per intellectum, ut ostendi superius num. 80. & inde de unitate loquens. Ad Conf. negatur antecedens, nam affectiones entis, ut formaliter ab ipso distinctæ, adhuc sunt cum ipso realiter identificatæ, unde esto non sint quid reale formaliter, & in recto, sunt tamen reales identice, & in obliquo, quia sunt aliquitates, & modificationes ipsius entis; & cum dicitur omnem realitatem ab ente provenire, hoc utique verum est, sed non eodem modo, quibusdam enim participatur realitas entis per formalem inclusionem ejus in ipsis, & sic realitatem suam communicat inferioribus suis, de quibus quidditative prædicatur; quibusdam vero participatur per solam realem identitatem cum ipsis, & sic suam realitatem communicat suis passionibus, modis, ac ultimis differentiis, de quibus identice tantum, ac denominative prædicatur.

148 Secundo arguitur ex Aureol. probando veritatem importare solam negationem entis apparentis, vel admixtionis rei extraneæ, quia veritas, puritas, & sinceritas, ac similia sunt synonima, sed puritas, & sinceritas significant negationem admixtionis rei extraneæ, hoc enim modo dicimus esse verum aurum, quod est ab omni metallo defœcatum. Conf. quia verus lapis pretiosus non dicitur, qui habet conformitatem cum intellectu, vel cum sui idea, sed quia in se est depuratus ab omni re extranea, & lapide non vero; & unus lapis dicitur verior alio, non propter conformitatem cum intellectu, vel cum Idea, sed quia vicinior est lapidi vero. Demum cum argentarius examinat aurum, argentum, vel lapidem pretiosum num sint vera, vel falsa, & adulterina, non recurrit ad divinas ideas, nec ad conformitatem auri, vel argenti cum cognitione, sed tantum illud examinat ad lydium lapidem inspiciendo, num re vera fulgorem habeat auri, & argenti.

Resp. quod licet in vulgari modo loquendi soleat veritas accipi pro puritate, & sinceritate alicujus rei, ut excludit permixtionem cujuscumque extranei, tamen apud sapientes, ac philosophico more loquentes assignari nequit talis permixtio unius rei cum alia, quæ rei veritatem destruat, ut ponitur passio entis, ac in ejus negatione veritas consistat, ut supra diximus n. 144. Ad Conf. negatur assumptum ob eandem rationem, & verior lapis dicitur ille, qui natus est fundare verisimiliorem cognitionem de vero lapide. Ad experientiam concedit Averſa argentarium, dum aurum examinat ad lydium lapidem, nil cogitare de conformitate auri cum cognitione, sed tantum considerare, an hoc sit verum, vel falsum argentum, vel aurum, ideſt an habeat naturam, vel tantum apparentiam argenti, aut auri, & ideo ait hoc argumentum probare tantum in consueto, & familiari modo loquendi sumi solere veritatem pro entitate ipsa, & natura rei, sive pro negatione entis apparentis; at philosophico more, prout assignatur veritas pro peculiari entis attributo, maxime cogitatur de conformitate ad intellectum. Cæterum arbitror argentarium quoque cum aurum examinat, de tali conformitate cogitare, ut enim inquit Hurtad. quid quærit artifex tam diligenti examine, nisi cognoscere, utrum color auri, quod examinat, sit conformis cognitioni, quam ipse haber de colore veri auri? & ideo quando aurum ab ipso examinatum non eam causat coloris cognitionem, quam causare novit verum aurum, concludit illud non esse verum aurum sed falsum; unde hæc experientia, quam adeo exaggerat oppoſita sententia, potius nobis favet, si bene expendatur. Immo acceptio veri ab Aureolo excogitata si rem intimius vestigemus, reducitur ad hanc nostram acceptionem pro conformitate, & cognoscibilitate rei, sicut est; dicere namque hoc est verum aurum, quia non est apparens, perinde est, ac si diceretur, est verum aurum, quia participat conceptum veri auri, & talem de se aurifici inquisitori causat cognitionem, qualis causari solet a vero auro; & talem in aurifice causat cognitionem, cum expers noscitur ab eo, & defœcatum a quacumque extranea materia, & viliori metallo; jam ergo constat, quo pacto acceptio veri ipsius Aureoli, ut bona sit, ad nostram communem in omni schola acceptionem reduci debet, ac per eam explicari, pro conformitate nimirum, & cognoscibilitate rei, sicut est.

149 Tertio objicitur pro Suarez probando veritatem esse ipsam rei entitatem, nam veritas ita accipi, ac definiri solet, ut dicat ipsam rei entitatem, sic enim definivit D. Aug. supracit. lib. 2. soliloq. cap. 5. *Verum esse id, quod est*, & in hunc modum quoque loquitur D. Hilar. 5. de Trin. dicens, *perime aquæ, quod aqua est, & per id poteris abolere, ne vera sit, cæterum si aqua maneat, etiam in ea necesse est persistat, ut vera sit*. Confirm. quia entia fictitia ideo non sunt vera entia, quia non dicunt realem entitatem, & entia realia eo magis habent de veritate, quo magis de entitate, ergo veritas includit intrinsecam rerum entitatem. Resp. concedendo veritatem plures acceptiones, & significationes habere posse, ac etiam ita sumi posse, ut etiam significet ipsam realem rei entitatem; nihilominus tali modo accepta nequit assignari pro passione entis, quia non distinguitur a subjecto; ut ergo pro passione assignetur, ita sumi debet, ut non includat, sed supponat subjectum, & aliquid formaliter addat supra quidditatem entis, velut ejus modificationem; auctoritates igitur allegatæ, aut ita sunt exponendæ, ut Aug. & Hilar. acceperint veritatem in priori significatione, vel potius per illum loquendi modum solum innuere voluerunt, verum non esse aliquid ab ipsa rei entitate realiter distinctum, quasi veritas ab entitate separari possit, & hunc esse sensum illorum Patrum, & præsertim Hilarii constat ex ipsis ejus verbis, quod gratis concedimus ex dictis numer. 145. hinc tamen deducere non licet veritatem etiam formaliter, & quidditative esse ipsammet rei entitatem, ut Suarez contendit cum suis sectatoribus. Ad Confirm. entia fictitia non sunt vera entia realiter, quia non habent realem entitatem, formaliter autem dicuntur entia ficta, & non vera, quia non sunt intelligibilia, sicuti sunt, sed ad modum alterius, & non sunt conceptibilia, per conceptum entis realis, & veritas convenit solum entibus realibus, & non fictitiis, quia fundatur in sola reali entitate, ac etiam dicitur major, vel minor secundum quod fundatur in entitate magis, vel minus perfecta, ex quo non sequitur veritatem intrinsece dicere ipsam rei entitatem, sed potius eam supponere, ut proprium ejus subjectum, ac fundamentum.

Quarto objicitur, Recentiores probando veritatem non aliquid superaddere enti præsertim ex natura rei, aut saltem ratione ratiocinata ab ipso distinctum. Hurtad. sic arguit, conceptus entis præcisus a quocunque alio conceptu est verus, ergo veritas nihil addit supra ens; probatur assumptum, quia ille conceptus se solo est cognoscibilis, immo in nostra sententia prius ratione cognoscitur,

scitur, quam veritas, 2. Sic arguit Arriag. nam si veritas accipitur pro cognoscibilitate rei, sicuti est, ens quantumcumque præcisum est cognoscibile, nec potest ita præscindi, ut nequeat cognosci, ergo nequit præscindi a vero, quod si veritas accipiatur pro negatione entis apparentis, & ficti, pariter ens quantumcumque præcisum est ens nec fictum, nec apparens, ergo verum absque ullo addito, 3. Arguit Suarez nulla res intelligitur esse vera per modum superadditum, sed per suam entitatem, quia si omnis modus ab ea separetur, adhuc est vera per suam quidditatem, & entitatem, quia sua entitate contradistinguitur immediate ab ente apparente, & ficto, quæ ratio probat etiam ens, & verum, nec ratione ratiocinata distingui, quia si ens concipiatur ab omni modo distinctum, remanet ens vere intelligibile, ac proinde verum ens, & non fictum. Quarto urget Aversa, si veritas est perfectio superaddita enti, esset utique essentialiter ens, nec posset præscindi ab essentiali ratione entis, alioquin ubi præscinditur, non esset positivum quid, & reale, igitur non est passio adæquata entis, sed potius genus quoddam entis. Demum urget Pasqualig. quia si veritas ponitur præfato modo ab ente distincta; poterit ens præcise considerari absque hac perfectione, & ut sic potest esse objectum intellectus, & cum ipso commensurari, non est autem objectum intellectus, nisi sub ratione veri, ergo esset verum absque veritate; potest etiam e contra veritas considerari, ut ab ente præcisa, & adhuc tali pacto esset quid reale, alioquin non esset passio realis entis, si autem est quid reale, jam involvit rationem entis, a quo habetur omnis realitas, quod est contra suppositum, supponebatur enim ab ente præcisa.

150 Resp. hæc argumenta, quæ in idem fere recidunt, posse in Adversarios retorqueri præscindentes inter ens, & verum, aut ex parte objecti per conceptus inadæquatos per modum impliciti, & expliciti, aut ex parte actus, sicut de unitate fecimus supra n. 86. si enim ens, & verum differunt solum per modum expliciti, & impliciti, postulo, quomodo ens sub præcisa ratione entis consideratum secundum suum conceptum inadæquatum implicitum se habeat in ordine ad verum, nam si secundum talem conceptum est intelligibile, jam citra conceptum explicitum veritatis erit verum; quod si dicatur esse verum implicite, non explicite, sic nos quoque dicemus ens antecedenter ad suam passionem, quæ est veritas, esse dumtaxat materialiter, & fundamentaliter verum, non formaliter, nec nos cum majori licentia loquemur, quam faciant ipsi. Quod si rursus dicatur inter ens, & verum præscindi tantum posse ex parte actus, quatenus idem objectum prius apprehenditur in ordine ad se, sub qua consideratione dicitur ens, & posterius in ordine ad cognitionem veram, sub qua consideratione dicitur verum. Non adhuc subterfugitur difficultas; quia cum priori modo apprehenditur objectum, jam dicam in eo statu sufficientem habere veritatem, quia est eo modo apprehensibile, & intelligibile, & est sufficiens objectum intellectus; constat ergo adducta argumenta aliquo modo urgere in omni sententia, atque ideo solvi debent, ut alia similia soluta fuerunt, tum disp. 3. de passionibus entis in communi num. 17. tum in hac disput. num. 86. loquendo de Unitate. Unde ad 1. ex Hurtad. negatur assumptum, nam conceptus quidditativus entis antecedenter ad qualitativum veritatis est tantum materialiter, & fundamentaliter verus, non formaliter, & quamvis ens secundum talem conceptum sit se solo cognoscibile, non hinc sequitur esse verum; vel cognosci sub ratione veri, quia in eo instanti est cognoscibile dumtaxat secundum prædicata quidditativa, & essentialia, cum sit status purissimæ quidditatis; & sic etiam ipsemet Hurtad. ad hoc idem argumentum respondere tenetur, cum enim ipse cum Suarez defendat ens constitui in ratione veri per suam equidem entitatem, sed addita connotatione ad cognitionem veram, peto cum ens concipitur sub præcisa ratione entis, absque connotatione ad cognitionem veram, an talis conceptus sit verus, nec ne; sane ipsemet Hurtad. in materia de unitate, cum statuisset ens concipi in ratione unius per connotationem ad divisionem, inquit postea, quod ens non conceptum per ordinem ad divisionem neque est formaliter unum, nec plura, sed abstrahit ab utroque, sicut animal non conceptum per ordinem ad rugitum, & discursum non est formaliter rationale, aut irrationale, ita discurrebat ipse disp. 4. Metaphysic. §. 15. sic igitur in proposito, cum dicat ens constitui in ratione veri formaliter per connotationem, & ordinem ad cognitionem veram; ut consequenter loquatur, fateri tenetur ens non conceptum sub tali connotatione, sed præcise sub ratione entis, non esse formaliter verum, vel falsum, sed tantum materialiter, & fundamentaliter, formaliter vero ab utroque abstrahere.

151 Ad 2. ex Arriag. pariter dicitur, quod etiamsi veritas ponatur formaliter consistere in cognoscibilitate rei, sicut est, adhuc ens secundum præcisum conceptum entis consideratum non posse dici formaliter verum, vel cognosci sub ratione veri, quamvis enim tunc cognoscatur, sicuti est, in statu suæ puræ quidditatis, tamen non cognoscitur sub ratione cognoscibilis, sicuti est, quod est cognosci sub ratione veri, quia hic est conceptus qualitativus entis, unde quando ens cognoscitur secundum suum conceptum quidditativum, utique tunc vere cognoscitur, nam tamen sub ratione veri, quod est valde notandum, ne fallacia committatur in arguendo, hoc vere cognoscitur, ergo sub ratione veri, quæ est fallacia manifesta, potest enim Deus v. gr. sub pluribus rationibus, & prædicatis vere cognosci, & non sub ratione veri. Si autem veritas explicetur per negationem entis apparentis, & ficti, tunc vel per ens apparens, & fictum intelligitur idem, quod non ens, & in hoc sensu cum hæc negatio immediate tollatur per ipsam entitatem, concedendum est ens præcise acceptum secundum suam entitatem non esse formaliter ens fictum, nec apparens, & in eodem sensu esse formaliter verum, sed veritas hoc modo accepta non est passio entis, sed potius ipsa rei entitas juxta dicta num. 143. Sed si per ens apparens, & fictum proprie intelligatur id, quod directe opponitur vero, quod est entis passio, tunc negandum est ens præcise secundum suam entitatem acceptum formaliter ab ente ficto contradistingui, sic enim consideratum distinguitur ab eo tantum fundamentaliter, quatenus entitas realis est necessarium fundamentum illius conformitatis, per quam distinguitur formaliter ab ente ficto, & apparenti juxta dicta num. 149. Ad 3. ex Suarez tenetur & ipse ad solutionem, quia nec ipse res statuit esse veras præcise per suam entitatem, sed etiam cum connotatione ad cognitionem, seu conceptum intellectus, cui talis entitas conformatur, unde præcisa tali connotatione si res intelligatur præcise secundum suam entitatem, non percipitur, ut vera, vel sub ratione veri formaliter, alioquin talis connotatio necessaria non esset, sed tantum materialiter, & fundamentaliter; sic inquam ipse respondere tenetur, & sic etiam nos respondemus rem quamcumque per suam præcise entitatem esse veram fundamentaliter, & radicaliter, non formaliter, cum autem dicebat rem immediate per suam entitatem ab ente ficto & apparente distingui, constat quid dicendum ex proxime dictis ad argumentum Arriag. Ad 4. ex Aversa. negatur assumptum, quod veritas includat essentialiter ens, includit enim tantum identice, & realiter, & hoc pacto est quid positivum, & reale, ut frequenter dictum est. Ad ultim. ex Pasqualig. falsum est ens esse objectum intellectus sub ratione veri, cum potius sit objectum ejus sub ratione ipsa entis, ut dictum est disput. 6. de Anim. quæstion. 6. a rt. 1. n. 145. & supra disput. 4. num. 17. & veritas, quamvis præscindat formaliter a ratione entis, non tamen realiter, ac identice, unde licet non participet realitatem entis per inclusionem formalem, eam tamen participat per realem identitatem ex dictis num. 147.

152 Postremo obiicitur probando veritatem esse formaliter relativam saltem transcendentaliter ex Aversa. cit. conformitas rerum non potest dici ratio simpliciter absoluta, nam per se, & intrinsece conforme est alicui conforme, & se habet sicut simile, æquale, & aliæ ejusmodi denominationes; nec dici potest esse ratio absoluta, quæ explicetur per respectum, sicut similitudo non dicitur ratio absoluta, & perfectio superaddita subjecto, quæ explicetur per respectum, sed est formaliter, ac essentialiter ipsa denominatio relativa. Eodem fere modo arguit Poncius cit, quia quicquid probat aliquem respectum transcendentalem dari, probat etiam illum respectum esse transcendentalem; etsi non obstante, quod illa formalitas non posset intelligi, nisi per modum respectus talis, adhuc tamen non esset respectus, eodem modo dici posset de quocunque respectu tali, quod non esset respectus, quamvis non posset intelligi, nisi per modum respectus. Tandem id probant Vulp. & alii Scotistæ auctoritate Scoti, qui 6. Metaphylic. q. 3. & 1. d. 3. q. 3. E. & 4. d. 49. q. 4. I. & quol. 18. lit. T. & alibi frequenter veritatem entis explicat semper per relationem.

Resp. argumentum supponere falsum, nempe veritatem a parte rei in conformitate consistere, quod si admitteretur, plane argumentum procederet, quia re vera conformitas est relatio; at falsum est veritatem secundum id, quod a parte rei importat, in conformitate consistere, etiamsi a nobis per conformitatem aliquam explicari soleat, sic enim abstrahit a quacumque ratione tam absoluta, quam relativa. Neque sequitur eo ipso, quod aliquid explicatur per modum respectus, esse re vera respectum, nam multas perfectiones in Deo explicamus per respectum, ut scientiam, omnipotentiam, &c. quæ tamen a parte rei non sunt respectus, sed perfectiones absolutæ, ut docet Scot. 1. d. 35. & 39. & multa explicare solemus per absoluta, quæ a parte rei sunt respectus, ut de bono, & malo, sano, & pulchro docet idem Doctor quol. 18. lit. I. & ita procedimus in indaganda notitia rerum occultarum; quando autem res est manifesta, & sensui subjecta, ut est similitudo, æqualitas, & aliæ relationes, quæ aliquo pacto sub sensu cadunt, tunc valet dicere, quod si definiuntur per respectum, hoc est, quia re vera respectum important a parte rei; Scotus vero cum veritatem explicat per respectum, sane non loquitur de veritate secundum id, quod importat a parte rei, sed secundum id, per quod solet a nobis explicari; facilior autem via, ac magis obvia ad explicandum veritatis conceptum est, ipsam explicare per respectum conformitatis, ut jam monstrabimus art. seq.

ARTICULUS III.

Quomodo explicari debeat positivum, quod dicit veritas, per conformitatem,

153 COmmunior, atque commodior modus explicandi formalitatem veritatis, ut dictum est ab initio quæstionis, est per relationem conformitatis; & quidem in hoc omnes fere Philosophi, ac Metaphysici convenire videntur, quod veritas, qua ens, ut sic, & quælibet alia res, quæ est intrinsece vera, per aliquam relationem conformitatis designari debeat; & ratio deducitur ex ipsa veritate cognitionis, seu representativa, quæ nobis manifestior est, ac magis obvia; hæc enim veritas, ut omnes concedunt, consistit in conformitate, & adæquatione cum objecto, quod representat, adeout si illud exprimit, ut est a parte rei, est vera cognitio, si non ita exprimit, sed aliter, est falsa; cum ergo veritas in representando in tali conformitate consistat, hinc deducere licet, veritatem, ut sic in communi, dicere conformitatem, & adæquationem, ut sic; hæc est enim correspondentia, quæ servari debet inter rationem superiorem, & inferiorem; ut quod dicit inferior in certo, ac determinato gradu, dicat superior in gradu indeterminato, & abstrahente; cum igitur veritas in essendo, & in representando univoce conveniant in ratione veritatis, ut sic, ut postea ostendemus, consequens est, ut sicut veritas in communi per respectum conformitatis, ut sic, explicatur, ita etiam veritas in essendo, ut quædam ejus species, per aliquam conformitatem explicari debeat, quemadmodum etiam explicatur veritas in representando, quæ est altera species.

Quamvis, inquam, hic sit frequentior modus explicandi veritatem, quæ est passio entis; variant tamen Doctores in hac conformitate assignanda; aliqui enim volunt, veritatem consistere in conformitate rei ad ideam, quam habet in mente divina, & sic loquuntur Thomistæ passim, qui proinde volunt etiam consequenter veritatem in rebus, vel attendi præcise per ordinem ad intellectum divinum, in quo omnium rerum ideæ resident, vel si in ordine ad intellectum quoque creatum, non nisi secundario, & per accidens; ita videre licet apud Thomistas citatos ab initio quæstionis num. 122. Alii dicunt veritatem consistere potius in conformitate ad sua principia intrinseca constitutiva, itaut e solo titulo aliquid verum sit, quia habet vera, & solida principia ejus, quod debet esse, sic verbi gratia dicimus verum aurum, quod habet legitima auri principia, & aurum falsum, quod habet quidem auri similitudinem, non tamen vera auri principia; ita Meurisse ibid. cit. qui subdit none principiorum non hic semper intelligi debere principia vera constitutiva, tamquam partes, sed uniuscujusque rei veram, ac solidam naturam, quæ fuit opinio Acerbi lib. 1. quæst. peripat. quæst. 11. pro qua etiam citat Niphum 6. Metaphys. disp. 6. Alii, frequentius ajunt consistere veritatem in conformitate, quam ens quodlibet natum est ingerere in quemcumque intellectum de seipso, sive creatum, sive increatum, quia ens reale est intelligibile a quocumque intellectu, & ideo aptum est conformari cuicumque seu apud omnem se manifestare, vel motive, vel saltem terminative, quale est a parte rei, quæ quidem relatio non sit necessario actualis, sed aptitudinalis, adeout rem esse veram formaliter aliud non sit, quam esse intelligibilem, sicut est, a quocumque intellectu, ut notavit Mairon. ex D. Th. 1. d. 3. qu. 2. prope finem, & hic est frequentior modus explicandi veritatem per conformitatem, quem passim sequuntur Recentiores omnes, Suarez Aversa. Arriag. Hurtadus, Ovvied. Smisinch. & Scotus expresse docuit 6. Metaph. qu. 3. in corpore quæsiti, & 1. d. 3. q. 3. pro solutione.

154 Dico primo veritatem, quæ est passio entis, non bene explicari per conformitatem ad divinas Ideas. Conclusio hæc est contra Thomistas, & est Scoti 1. d. 3. qu. 4. §. *circa 4. art.* ubi veritatem, quæ est passio entis, distinguit a veritate accepta pro conformitate ad divinum exemplar, & probatur primo, quia veritas transcendens, quæ ponitur passio entis, debet omnibus, & singulis entibus convenire, cum in latitudine ipsum ens adæquet, sed conformitas ad divinas Ideas non convenit omnibus entibus, ergo &c. Major patet, probatur minor, Deus enim non est verus, quia sit conformis illis ideis, cum non habeat sui ipsius Ideam, siquidem ex communi Theologorum non alia de causa ponuntur Ideæ in divina mente, nisi propter scientiam, & productionem aliarum rerum ad extra, unde Doctor 1. d. 35. quæst. unic. §. *ad ista*, Ideam describit ex D. August. lib. 83. quæst. 46. quod sit ratio æterna in mente divina, secundum quam aliquid est formabile ad extra, ut secundum propriam rationem ejus; cum ergo Deus non sit factibilis, & productibilis, consequenter nullam sui ipsius habet Ideam. Fonsec. oppositum defendens 4. Metaphysic. cap. 2. quæst. 7. sec. 10. & duabus sequent. inquit etiam ipsum primum ens dici verum per conformitatem ad rationem formalem primi entis existentis in mente divina. Contra, quia etiamsi hoc totum concedatur, non sequitur, veritatem consistere generatim in conformitate ad divinas Ideas, sed in conformitate rei, ut est in se, ad conceptum objectivum, sed ad seipsam quatenus cognitam, aut ad conceptum formalem, seu ad actum cognitionis, quod cum nostra coincidit opinione, ut postea explicabimus; Tum quia etiamsi in nostra sententia Idea pertineat ad conceptum rei objectivum, immo formaliter in tali conceptu objectivo consistat, ut constat ex dictis disput. 8. Physic. qu. 7. attamen non quilibet conceptus objectivus rei dicit potest Idea, sed tantum illus rei, quæ est factibilis, & producibilis ad extra, unde esto Deus in mente habeat conceptum sui ipsius objectivum, hic tamen conceptus nequit dici Idea Dei, atque ideo esto divina veritas attenderetur penes conformitatem ad talem conceptum, non hinc sequitur etiam ipsam consistere in conformitate ad Ideam, qui est punctus, quem hic impugnare contendimus.

Pasqualig. autem eandem sectatus opinionem disp. 66. sect. 3.

ut ostendat per conformitatem ad divinas Ideas bene explicari veritatem, quæ est passio entis, in universum, præmittit quamdam doctrinam, quam in priori tomo tradiderat, nimrum Deum non esse proprie ens, sed supra ens, & quid supereminentius, cum sit ipsummet esse per essentiam, nec ad esse inter Deum, & creaturam aliquam convenientiam in conceptu communi, sive univocam, sive analogam, & proinde primam, & universalissimam ratione entis, quod est proprie ens, & illud, quod habet ejus essentiam, reperiri in solis creaturis; ex quo tandem deducit, quod cum bene explicetur veritas entis creati per conformitatem, quam habet sui ipsius in divina mente, consequenter bene explicatur veritas, ut est passio entis adæquata in tota sua latitudine, quia proprie loquendo sola creatura est ens, Deus autem est super ens, & sic etiam supereminentem habet veritatem. Sed illam Pasqualig. Phantasiam potius, quam opinionem, ex professo impugnavit disput. 2. qu. 2. & per totam illam disp. satis probatum est inter Deum, & creaturam, nedum analogiam intercedere quoad conceptum entis, sed etiam univocationem; & Deum propriissime ens dici posse, & debere. Deinde quando etiam hoc totum gratis concederetur, nempe solam creaturam dici ens, & in ipsa sola imbibi, & consummari universalissimam rationem entis, non adhuc responsio Pasqualig. consistere potest, quia mox ostendam, nec etiam veritatem propriam entis creati, ut sic, in conformitate ad divinas Ideas recte reponi.

155 Hac de causa Blasius a Concep. disput. 22. Metaph. qu. 1. concl. 2. fatetur hoc Thomistarum assertum, nempe explicationem veritatis per conformitatem ad divinas Ideas, intelligi tantum debere de veritate transcendentali creata; si enim sermo sit de veritate abstrahente a creata, & increata, certum est, eam non posse consistere in aliqua habitudine reali ad intellectum divinum, cum veritas increata non possit referri realiter ad intellectum divinum, quippe quæ ab eo realiter non distinguatur; unde si consideretur veritas sub illa generali abstractione, ratio, & natura ipsius erit constituenda formaliter atque primario in ente, non quocumque modo considerato, sed in ente, quatenus ens est aptum facere veram sui æstimationem in intellectu divino, & cum eo habere convenientiam, & conformationem, abstrahendo ab hoc, quod talis conformitas inducat respectum realem, vel rationis, in ente enim creato dicit respectum realem, rationis vero in ente increato. Hæc etiam solutio ex multis deficit capitibus, nam in primis est repugnantia in ipsis verbis, quia in ea conclusione secunda profitetur hic Auctor explicare rationem veritatis transcendentalis, quæ quidem, ut constat ex vi ipsius nominis transcendentiæ, convenit omnibus entibus, sive creato, sive increato; dum ergo explicat eam conclusionem intelligi debere de veritate creata, jam non debet intelligi de transcendentali, quia hæc dicit conceptum veritatis, ut sic abstrahendo a quocunq; gradu determinato veritatis, sive creatæ, sive increatæ; Deinde loquendo de veritate in ea generali abstractione falso constituitur ejus ratio in ente, quatenus est aptum facere veram sui æstimationem in intellectu divino, & cum eo habere conformationem abstrahendo ab hoc, quod talis conformitas sit respectus realis, vel rationis; tum quia jam generatim ostendimus nu. 145. ens formaliter importari non posse per veritatem, quia subjectum non cadit in definitionem passionis, nisi ut additum ex 7. Metaph. Tum quia ostendam postea conformitatem, in qua consistit veritas, adæquate sumi debere in ordine ad quemcumq; intellectum, sive creatum, sive divinum. Tum quia facere veram æstimationem sui in intellectu pertinet ab objectum motivum illius, quatenus causat veram notitiam in eo sui ipsius, sed talem respectum factionis, & causalitatis non habent res creatæ in ordine ad intellectum divinum, cum non sint objecta motiva divini intellectus, ut Theologi docent tract. de divina scientia, ergo &c. Tum quia hic ipse auctor ibid. concl. 1. ait, veritatem transcendentalem non posse formaliter consistere in aliquo respectu rationis, quia cum sit proprietas entis realis, debet esse realis; valde ergo inconsequenter loquitur, immo est sibi contradictorius, dum in 2. concl. inquit veritatem increatam importare respectum rationis, & veritatem transcendentalem statuit in conformitate præscindente a respectu reali, & rationis; tum quia disp. 2. q. 9. art. 2. n. 266. ostensum est, dari non posse conceptum præscindentem a respectu reali, & rationis.

156 Secundo principaliter probatur nec etiam veritatem entis creati, ut sic, bene constitui in prædicta conformitate ad divinas Ideas, per quod adhuc magis impugnantur allatæ responsiones, nam si veritas entis creati in tali conformitate consistit, non posset quicquam cognosci, ut verum, nisi cognosceretur conforme divinis Ideis, sed hoc est falsum, ergo &c. Major probatur, a Scot. 1. d. 3. q. 4. O. si enim unaquæque res constituatur in esse vero per ordinem ad ipsas, tamquam per mensuram suæmet veritatis, non videtur aliquid cognosci posse, nisi cum ordine ad ipsas, non enim relativum dignosci potest sine ordine ad suum terminum; probatur minor, quia divinæ ideæ sunt nobis ignotæ, ut pote quæ latent in divina mente, & tamen hoc non obstante optime dignoscimus res esse veras, unde aurifices distincte & luculenter veritatem auri dignoscunt, & argenti, etiam quoad certum gradum veritatis, puta si sunt in supremo gradu, vel in vigesimoquarto gradu, aut vigesimoprimo, & tamen ignorant, an hæc conformia sint divinis ideis, quarum etiam nomen ignorant; & sane aurum examinando ad lydium lapidem aurifices nil minus cogitant, quam de divinis ideis.

Respondet Pasqualig. disp. cit. sect. 4. num. 10. quod si loquamur de cognitione a priori, & per causam, non potest aliquod ens creatum cognosci esse verum, nisi cum ordine ad divinas idæas ex eo quod divinæ idææ ostendant talem essentiam debere participare, ut in suo esse verum sit; adest nihilominus, inquit, alius etiam modus, quo veluti a posteriori cognosci potest ens aliquod esse verum, & in hoc consistit, quod intellectus noster cognoscens rem aliquam esse veram ex usu, atque experientia, per doctrinam ab aliis acceptam formet sibi certam idæam cujuscumque rei, quam tamquam veram cognoscit, & hac utitur, ut mensura ad cognoscenda alia individua ejusdem speciei; sic aurifex cognoscit aurum esse verum aurum, quia jam sibi formavit certam idæam mensurativam veri auri. *Hæc solutio* non sufficit, nam in primis ex ea sequitur, a priori nec etiam Angelum suis viribus assequi posse veritatem alicujus entis creati, quia non valet proprio Marte divinæ exemplaria intueri in divina mente. Deinde cum inquit intellectum nostrum ex usu, & experientia cognoscendo rem aliquam esse veram, efformare sibi certam ejus idæam, ad cujus postea trutinam examinat veritatem illius rei; jam concedit ante formationem idææ rem posse cognosci ut veram; atque ideo idæam non esse simpliciter necessariam ad notitiam veritatis rerum simpliciter, & absolute loquendo, sed solum ad majorem, & exactiorem notitiam habendam. Tum quia idæa etiam, quam sibi efformat aurifex mensurativam auri ex frequenti notitia de illo habita, est idæa creata, unde quando etiam concederetur, hanc esse necessariam pro habenda notitia veritatis auri, non sequitur necessarium esse recursum ad divinam idæam, quod hic præsertim impugnare contendimus. Tum tandem quia, cum aurifex ad lydium lapidem vestigat auri veritatem, nil cogitat de idæa auri creata, vel increata, sed solum cognoscere intendit, utrum color auri, quod examinat, sit conformis cognitioni, quam ipse habet de colore veri auri, & ideo quando aurum ab ipso examinatum non causat eam coloris cognitionem, quam causare novit verum aurum, concludit illud non esse verum aurum, unde deducitur veritatem rerum consistere in conformitate earum ad cognitionem, quam aptæ sunt causare, vel terminare apud quemcumque intellectum, ut postea explicabimus.

157 Tertio probari potest ad hominem contra quosdam Scotistas, qui in tractatu de divinis idæis, freti auctoritate Doctoris 2. d. 12. qu. 2. lit. G. ac etiam ratione non contemnenda; tantum respectu individuorum prædicamenti substantiæ tam perfectorum, quam imperfectorum, ac etiam accidentium, quæ per absolutam Dei potentiam saltem solitarie existere possunt, proprias in mente divina assignant idæas, adeo ut naturarum communium generum, & specierum non sint propriæ idææ distinctæ ab idæis suorum singularium; valde ergo inconsequenter loquuntur, dum veritatem cujuscumque entis creati ut sic, volunt consistere in conformitate, quam habet ad propriam idæam in divina mente, cum secundum ipsos naturæ communes prædicamentales genericæ, & specificæ entia sint realia, nec talem possideant conformitatem ad propriam idæam in Deo, cum ipsa careant, & tamen propriam habent veritatem distinctam a veritate suorum individuorum; ergo in hac sententia solis individuis assignante proprias idæas, utpote quæ solitarie produci possunt, ac esse termini immediati creationis, nequit veritas declarari per conformitatem ad divinas idæas, quia non quodcumque ens reale propriam habet idæam in Deo; quare *minus* consequenter loquitur Vulpes tom. 1. par. 1. qui disp. 10. art. 1. approbat modum explicandi veritatem entis per conformitatem ad divina exemplaria, & inferius disputat. 29. art. 9. non assignat proprias idæas, nisi singularibus, & individuis, quæ possunt esse immediati termini creationis, & solitarie existere. Potest etiam eadem ratio urgeri contra Thomistas, qui cum D. Th. 1. p. quæst. 15. art. 3. ad 4. asserunt materiam primam non habere propriam in Deo idæam, ut etiam refert Doctor 2. d. 12. quæst. 2. cit. si ergo aliquod ens in rerum natura reperitur, quod propriam in Deo idæam non habet, sequitur evidenter veritatem entis creati, ut sic, in tali conformitate consistere non posse, quia talis veritas convenit omnibus, & singulis entibus, non vero talis conformitas, cum aliquod ens reale secundum Thomistas propriam in Deo non habeat idæam; concludit itaque hæc ratio ad hominem tam contra Thomistas negantes materiæ primæ propriam in Deo idæam, quam contra Scotistas eandem negantes naturis communibus, ac aliis entibus realibus, quæ solitarie nec produci, nec existere valent.

Sed dices, Scotum expresse approbasse hunc modum declarandi veritatem entis creati, ut sic, per conformitatem ad divinas idæas; nam 6. Met. qu. 3. in corpore quæsiti dicit veritatem in rebus dici posse tribus modis, scilicet per respectum ad producens simpliciter, secundo per respectum ad producens secundum imitationem, tertio per respectum ad producens secundum adæquationem, & quidem hoc tertio modo veritatem reperiri in solo filio Dei, in quo est summa identitas, similitudo, & conformitas cum adæquatione ad suum producens; & veritatem sumptam secundo modo reperiri in creatura, quæ eatenus dicitur vera, quatenus imitatur exemplar divinum, secundum quod formata est ad extra. Idem etiam docere videtur 1. d. 3. qu. 4. de sinceris veritatibus, ubi concedit Henrico sinceram veritatem rei esse secundum conformitatem ejus ad exemplar increatum. Et tandem expresse hoc ipsum innuit quol. 18. §. *contra ista*, lit. T. ubi faciens hanc objectionem, si dicas quod veritas non convenit alicui extra intellectum, sed tantum actui intellectus, vel objecto, ut est in intellectu, respondet his verbis. Posset negari antecedens, quia si intellectus aliquis sit regula intellecti, sicut est de intellectu divino exemplante, & regulante creaturam, illud potest dici verum, non tantum ut est actu cognitum, sed etiam ut est in se, quia secundum esse suum in se est exemplatum, & conforme exemplari; ita Doctor, quo nihil clarius in favorem oppositæ sententiæ.

158 Respondetur re vera negari non posse, Scotum agnovisse, & approbasse hunc modum veritatis in rebus creatis per conformitatem ad divinas idæas, quem etiam docet Alensis 6. Metaphys. prope finem, ubi ait nos imaginari debere, quod intellectus ipsius primi continet intellectualiter omnem essentiam creatam, ita quod essentiæ creatæ se habent ad intellectum primi, sicut artificiatum ad artificem, sicut ergo illa dicitur vera arca, quæ imitatur idæam arcæ, quæ est in mente artificis, ita in essentiis illa est vera essentia, quæ imitatur debite idæam, quæ est in mente primi, ita Alensis; & quidem etiam in communi modo loquendi juxta hanc acceptionem veritatis, illum appellare solemus verum amicum, qui est secundum leges præstitutas amicitiæ, & illum verum Pontificem, qui factus est juxta regulas, & canones talis electionis; non ergo hic damnare intendimus talem veritatis acceptionem, sed quod negamus, est, veritatem in hac acceptione esse passionem communissimam entis, ut comprehendit creatum, & increatum, hoc enim negat Scot. expresse loc. cit. 1. d. 3. quæst. 4. O. quia talis modus veritatis enti increato convenire non potest, sed tantum creato; & rursus quamvis conveniat enti creato, non tamen convenit illi, ut species quædam veritatis transcendentis, sed potius ut species quædam disparata entis creati propria, & ratio est, quia ut probe monet Doctor loc. cit. 6. Metaphysic. quæst. 3. si nomen veri imponatur ad significandum veritatem in rebus per comparationem ad producentem, & per comparationem ad cognoscentem, sive intelligentem, est æquivocum ad utrumque, veritas enim dicta per comparationem ad cognoscentem, sive intelligentem indifferenter competit tam Deo, quam creaturæ, at veritas per comparationem ad producentem secundum imitationem exemplaris competit soli creaturæ, atque ideo dici nequit species veritatis transcendentalis, quia hæc non convenit illi ea ratione, qua ens est, sed præcise ea ratione, qua creatura est; & hinc est, minime opus esse recursu ad divinas idæas, ut cognoscatur veritas alicujus entis creati, quatenus tale ens, verbi gratia aurum, vel argentum, sed sufficit ut sit manifestativum sui, quantum est de se, cuicunque intellectui potenti manifestationem cognoscere, ut ait Doctor loc. citat. Itaque non negamus hunc modum veritatis per conformitatem ad divinas idæas in rebus creatis, *sed negamus hanc* esse veritatem, quæ est passio communissima entis, ac etiam in rebus ipsis creatis negamus hanc esse speciem veritatis transcendentalis, quia illa *sumenda est* per comparationem ad cognoscentem, vel intelligentem, non autem ad producentem.

Dices cum Vulpes loc. cit. veritatem transcendentalem, ut est passio communissima entis, dicere conformitatem præcise ad aliud indifferenter, vel in ratione producentis, vel in ratione cognoscentis; ac proinde conformitatem ad aliud in ratione producentis in rebus creatis esse speciem veritatis transcendentalis. Contra, quia conformitas ad aliud in ratione producentis secundum imitationem præcise convenit creaturæ, conformitas vero ad aliud in ratione cognoscentis tam Deo, quam creaturæ convenire potest, ergo veritas transcendentalis hanc conformitatem præcise importat, ut est passio communissima entis, non illam; tum quia Doctor expresse inquit loc. cit. nomen veri, ut imponitur ad *significandam utramque conformitatem*, esse æquivocum, quem frustra Vulpes explicare contendit; quod enim Doctor loquatur de æquivocatione proprie dicta, colligitur ex eo, quod docet ibidem, utrumque modum illum veritatis per comparationem scilicet ad producentem, ac intelligentem esse adeo inter se dissitos, ac diversos, ut uno implicante alter adhuc permaneret, nam si Deus esset productivus similis per imitationem, & non esset intelligens, adhuc esset primus modus veritatis sine secundo, & e converso, si esset alius Deus intelligens creaturas, sed non producens, permaneret secundus modus veritatis sine primo, quæ sane diversitas valde probabiliter indicat nomen veritatis ad utrumque ex præfatis modis potius esse æquivocum, quam univocum.

159 Dico secundo veritatem nec rite explicari per conformitatem rei ad sua principia intrinseca. Conclusio est passim recepta, & est contra Meuriss. Acerb. & Niph. supra cit. quam probat Poncius; tum quia conceptus entis, ut sic, cum sit simplicissimus, non habet principia intrinseca, ex quibus componatur, aut constituatur; tum quia ens falsum etiam habet principia intrinseca sua tam bene, quam ens verum, nam certe homo pictus, & auricalcum habent principia intrinseca, ad quæ dicunt ordinem, non minus quam homo verus, aut aurum verum, ergo non potest bene describi ens verum, aut aurum per ordinem, aut conformitatem ad principia intrinseca. Hæc tamen ratio facile solveretur a Meur. qui loc. cit. protestatur nomine principiorum non debere semper intelligi principia vere constitutiva, tanquam partes, sed uniuscujusque rei veram, & solidam naturam, negaret proinde ens in hoc sensu non habere principia sua intrinseca, idest intrinsecam suam naturam, & essentiam; negaret etiam ens falsum, ut sic, habere conformitatem ad sua principia intrinseca perinde ac ens verum, nam licet auricalcum v. gr. non sit verum aurum, est tamen verum auricalcum, & homo pictus verus homo pictus, seu vera pictura hominis, unde hæc entia habent principia intrinseca constitutiva, non quatenus entia *falsa*, sed vera. Rectius ergo probari potest ex his, quæ dicit ipse Meurisse ibidem, inquit enim per hæc principia constitutiva non *semper intelligi debere principia vere constitutiva*, tanquam partes, sed uniuscujusque rei veram, & solidam naturam, dicimus enim verum Deum, qui habet naturam illam veram, & legitimam, per quam constituitur in esse talis entis. Sed certe hujusmodi explicatio vel non tangit veritatem, quæ est passio entis, vel petit principium, si enim habere conformitatem ad sua principia intrinseca est habere veram, & solidam rei naturam, jam per hoc non explicatur aliqua rei proprietas, sed ipsa rei natura, & quidditas; si dicas explicari per hoc naturam rei utique non tamen, ut quidditas, sed quatenus vera est, ac solida, quæ est quædam naturæ proprietas. Contra hoc est, quia sic dicendo committitur petitio principii, & explicatur idem per idem, dicitur enim rem esse veram, quia conformitatem habet ad *sua principia intrinseca*; & *cum quæritur* quid sit rem esse conformem suis principiis, respondet Meuriss. aliud non esse, quam habere naturam illam veram, & legitimam, per quam constituitur in esse talis entis, esse principii petitionem, vel potius circulum, quia veritas explicatur prius per conformitatem rei ad sua principia, deinde conformitas ad sua principia explicatur per veritatem naturæ illius. Præterea fatetur Meuriss. ibidem, illam conformitatem rei ad suamet principia non esse respectum realem, sed rationis, quia unius, & ejusdem rei ad seipsam non potest esse respectus realis; at supra probatum est art. præced. veritatem in aliquo ente rationis consistere non posse, alioquin non esset vera, & realis proprietas entis, ergo Meuriss. opinio ruit ex ipsa ejus explicatione; & plane defendi nequit, nisi vel committendo circulum, vel petendo principium, ad quod facile Adversarius reducatur, si explicare cogatur quid intelligat per hujusmodi rei conformitatem ad sua principia.

160 Confirmatur id etiam ex explicatione, quam affert Acerbus de hac re; inquit enim conformitatem, in qua consistit veritas transcendentalis, per hoc bene explicari, quod res ita sit, sicuti est, ob talem enim conformitatem cuncta dicuntur vera, nam auricalchum non est verum, quia non est, sicut est aurum, sed est verum auricalchum, quia est auricalchum, & iste est verus Deus, quia est sicut Deus est, puta optimum, æternumque vivens, ac summum, & primum ens, ille vero est falsus, quia non est, sicut est Deus, unde veritas abstracte accepta est quædam conformitas rerum secundum earum esse naturale; sed quis est adeo bardus, qui non videat in hac etiam explicatione, vel manifestum committi circulum, vel petitionem principii, aut certe per hoc nihil prorsus explicari de re, quam *quærimus*, dum quæritur, cur auricalchum non est verum aurum sed falsum, & respondetur, quia non se habet, sicut aurum, hoc utique intelligitur de vero auro, unde sensus est, auricalchum esse falsum aurum, quia non est, sicut verum aurum, & loquens esse falsum Deum quia non est, sicut verus Deus; scilicet æternus, vivens &c. quem autem nos Christiani adoramus esse verum Deum, quia est, sicut Deus verus est, constat autem in hac explicatione idem explicari per idem, nempe verum aurum per aurum, & verus Deus per verum Deum. Rursus, si dicas Jovem non esse verum Deum, quia non est vivens, æternus, primum ens &c. & quem colimus esse verum Deum, quia est vivens, primum ens &c. jam veritatem Dei explicas per essentiam, & naturam ipsius Dei, non vero per aliquam *proprietatem*.

Poncius loc. cit. postquam & ipse hunc dicendi modum rejecit, licet non satis solida ratione, ut visum est, affert postea concl. 3. suam quoque explicationem veri transcendentalis, dicens ens verum bene describi esse illud, quod est conceptibile per conceptum entis realis, itaut ille conceptus conveniat ipsi, quod probat, quia nihil est ens verum, quod non sit sic conceptibile, & nihil est sic conceptibile, quod non est verum ens, & homo dicitur esse verus homo per hoc, quod conceptus realis hominis ei convenit; & pictus homo dicitur falsus, quia talis conceptus ei non convenit. Quamvis hæc opinio forte a nostra non distet, quam aperiemus concl. sequenti, unde & ipse fatetur non distare ab illis, qui ponunt veritatem *in conformitate* ad intellectum; modus tamen loquendi non placet, quia & ipse veritatem entis explicare videtur per ejus essentiam, & quidditatem, ut faciebat præcedens opinio; dum enim dicitur, hunc esse verum hominem, quia ei convenit conceptus realis hominis, aliud non est dicere, quam esse verum hominem, eo quia est animal rationale; & pictum non esse verum hominem, quia non est animal rationale, at esse animal rationale non est veritas hominis, proutest passio entis, sed ipsa hominis quidditas, & essentia; ergo per hunc dicendi modum veritas entis explicatur per ipsam quidditatem entis, non vero per aliquid eam consequens, & ad modum passionis se habens, ut fieri deberet, ergo non est bona explicatio. Dices, Petrum esse verum hominem, quia est animal rationale, & hoc aurum esse verum aurum, quia convenit illi conceptus veri auri; ergo per talem convenientiam conceptus hujus, vel illius rei bene exprimitur veritas cujuscunque rei. Respondetur, consequentiam non bene deduci, quia assumptum illud causaliter tantum verificatur, non autem formaliter, non enim Petrus dicitur verus homo formaliter per hoc, quod est, vel ei convenit esse animal rationale, per hoc enim præcise est homo, non autem verus homo, nisi fundamentaliter, dicitur autem verus homo formaliter per illam conformitatem ad intellectum, quam mox explicabimus. Conf. hæc solutio, quia homo non dicitur formaliter verus homo, quia illi conveniat conceptus humanitatis, scilicet esse animal rationale, sed quia convenit ei conceptus veritatis quæ humanitatem concomitatur in ratione entitatis.

161 Dico 3. Veritatem entis bene explicari per conformitatem ad intellectum, non necessario actualem, sed aptitudinalem, quatenus res quælibet est sui manifestativa, quantum est de se, sive motive, sive solum terminative cuicunque intellectui potenti manifestationem cognoscere; quod alii sub aliis verbis dicunt ens esse verum aliud formaliter non esse, quam esse intelligibile, sicut est, adeout veritas entis aliud non sit, quam ejusdem intelligibilitas, sicuti est. Conclusio ponitur in terminis a Doctore loc. cit. 6. Metaph. q. 3. in corpore quæsiti, ac etiam ab Alensi 6. Metaph. prope finem his verbis, debemus enim imaginari suo modo quod veritas ad essentiam eodem modo se habet, quo visibilitas ad colorem; visibilitas supra colorem non addit aliam rationem, nisi rationem declarativi, & apprehensibilis a visu; similiter veritas addit super rationem entis rationem apprehensibilis ab intellectu, ita quod sic imaginemur, quod ens movet intellectum, & æquat sibi eum, & assimilat, ita quod in eo est ratio æquativi, motivi, & declarativi, & ab ista ratione imponitur nomen veritatis; quare concludit, quod entitas, ut entitas de se nec est declarabilis, nec non declarabilis, sed declarabilis est inquantum veritas, ita quod ratio veritatis supra ens addit rationem declarativi; potius autem per relationem conformitatis aptitudinalem, quam actualem explicatur veritas, quia ut notat Scot. loc. cit. 6. Met. q. 3. si nullus esset intellectus intelligens, adhuc quælibet res esset vera, & secundum gradum suæ entitatis esset nata se manifestare, & hæc notitia est, qua res dicitur nota naturæ, non quia natura cognoscat illam, sed quia propter manifestationem majorem, vel minorem nata esset, quantum est de se, perfectius, vel minus perfecte *cognosci*. Deducitur etiam conclusio ex variis SS. definitionibus, quam de Veritate tradiderunt, nam Aug. lib. soliloq. verum definit esse, quod ita est, & sic se habet, ut cognitori videtur. Hilarius, verum est manifestativum, & declarativum esse, & Aug. lib. de vera relig. verum est, quo ostenditur id, quod est.

Hæc conclusio sic declarata probatur, quia ex communi omnium sensu veritas cognitionis, quæ est in repræsentando, explicatur per conformitatem cognitionis ad rem, ergo bene e converso veritas rei, quæ dicitur in essendo, explicatur per conformitatem rei ad cognitionem, antecedens patet ex dictis in Logica, consequentia probatur, quia veritas, ut sic, univoce dicitur de veritate rei, & cognitionis, atque ideo per eundem conceptum, & utrique communem explicari debet, ut postea videbitur; tum quia nomen veritatis forte prius impositum est ad significandam veritatem cognitionis, & inde extensum fuit ad significandam *etiam veritatem* rerum ex infra dicendis, ergo veritas rerum explicari debet per proportionem ad veritatem cognitionis. Conf. quia intellectus dicitur verus formaliter in repræsentando, quando rem intelligit, sicut est a parte rei, ergo e converso res quoque vera dicetur in essendo formaliter eo præcise, quia intelligitur, sicut est, vel saltem sic apta nata est intelligi, consequentia patet, quia apud sapientes veritas ex vi nominis significat adæquationem inter rem, & intellectum. Rursus ens rationis ideo non dicitur verum ens, seu propriam habere veritatem, quia per cognitionem directam, qua fit, non intelligitur sicut est, nec est sic intelligibile, sed solum ad modum alterius, ergo e contra ens reale ideo est formaliter verum; quia est intelligibile, sicut est, & sic se manifestare aptum est apud quemcumque intellectum. Præterea ex ipsa notione falsi deduci potest probatio, ut facit Doctor loc. cit. cum enim verum, & falsum opposita habeant rationes; bene poterit ex ratione unius oppositi modo deduci ratio alterius; cum ergo falsum definiatur esse objectum apparens id quod non est, ut infra constabit, consequenter verum erit id, quod ita apparet, sicut est, & sane hoc modo definit Doctor loc. cit. ens verum, quod quidem aliud non est quam objectum intelligi, vel esse intelligibile, sicut est. Tandem accedit auctoritas D. Aug. lib. 2. soliloq. cap. 5. ubi definit verum esse id, quod ita se habet, ut cognitori videtur, si velit, & possit cognoscere; ac idem innuit Anselm. dialog. de verit. cap. 12. dum ait, quod veritas est rectitudo sola mente perceptibilis.

162 Respondet Meurisse verum utique posse ita describi, & explicari per conformitatem ad intellectum, neque ipsum talem explicationem inficiari, sed inquit hanc non esse primam rationem veritatis, sed secundariam, & desumptam vel ex effectu, vel ex proprietate ipsius entis, primam vero rationem veritatis inquit consistere in conformitate rei ad sua principia; & sic etiam pariter concedit concl. 4. *verum describi posse* per conformitatem rei ad divinas idæas, sed ait consimiliter hanc esse rationem veritatis secundariam, & ad illam primam reduci posse, nam res quæliber dicitur vera veritate rei, quia est conformis suis principiis, principia autem ejus vera dicuntur, quia sunt conformia suis ideis, ergo veritas, quæ dicit conformitatem ad ideas, revocari potest ad primariam veritatem rei. Sed optabam sane, quod primum probasset, sicut probat secundum, debebat, inquam, probare Meur. verum descriptum per conformitatem ad intellectum non esse primam rationem veritatis, & ad aliam reduci explicatam per conformitatem rei ad sua principia, nam in tertia conclusione, ubi id asserit, hanc partem conclusionis nunquam probat, atq; ideo alia confutatio-

futatione non indiget allata doctrina, nisi quod dicitur, sed non probatur. Quamvis autem concl. 4. probet veritatem descriptam per conformitatem ad divinas idæas reduci ad conformitatem rei ad sua principia; atque ideo illam esse rationem secundariam, hanc vero primariam; illa tamen probatio, si recte expendatur, potius probat oppositum, nam si res quælibet dicitur vera, quia est conformis suis principiis, & principia ejus vera dicuntur, quia sunt conformia suis idæis, ut ipse inquit, sane ex hoc sequitur potius veritatem conformitatis ad sua principia intrinseca revocari ad veritatem conformitatis ad idæas, quia hæc est prior illa, ac veluti causa illius, non autem hanc ad illam, ut ipse male deducit,

Respondet deinde Pasqualig. cit. disp. 66. sect. 2. numer. 5. quod quamvis verum sit, quod res secundum suam veritatem conformentur cum cognitione, & quatenus veræ sunt, intelligantur, non per hoc tamen formaliter constituuntur in esse vero, itaut conformitas cum cognitione sit ratio formalis veritatis, sed supponit ipsam veritatem & res jam constituras in esse vero; quod probat, quia cognitio supponit objectum constitutum in ratione subjecti formalis, tanquam causam simul concurrentem cum potentia ad ipsam cognitionem, unde sicut cognitio actualis est posterior objecto simul concurrente actualiter cum potentia, ita cognitio in actu primo est posterior objecto potente concurrere ad ipsam cognitionem, ex quo fit, ut etiam aptitudinalis conformitas objecti cum cognitione posterior sit objecto potente concurrere ad cognitionem, quia talis conformitas vel est simul natura cum ipsa cognitione possibili, & in actu primo, vel potius posterior ea, utpote quæ ex ipsa consurgit; cum ergo objectum concurrat ad cognitionem sub ratione veri, jam ratio veri præsupponitur ad cognitionem, ipsamque conformitatem aptitudinalem. Conf. quia hæc aptitudinalis conformitas objecti ad cognitionem non solum est posterior cognitione, sed etiam potentia, & objecto, ut specificativo talis potentiæ, nam cognitio intantum est possibilis, inquantum est possibilis talis potentia specificata per tale objectum; cum ergo objectum specificet potentiam, quatenus verum est, certe in ipso ratio veri præsupponitur tum ad cognitionem, tum ad conformitatem illam. Tandem cognitio suam sumit veritatem ab objecto, ut a propria mensura, non e contra, ergo non bene veritas explicatur per conformitatem etiam aptitudinalem ad cognitionem, sed objectum debet dici verum omnino antecedenter tam ad cognitionem, quam ad conformitatem etiam aptitudinalem ad illam, & sic concludit Pasqualig. veritatem præcedere in objecto & cognitione, & quamlibet conformitatem ad illam.

163 Hæc responsio non alio modo refelli debet, nisi ostendendo falsum esse, quod inquit res esse formaliter veras antecedenter ad illam conformabilitatem, cum intellectu, nam veræ per hoc præcise constituuntur, quod sunt intelligibiles, sicuti sunt, & hæc est formalis earum veritas in essendo, ut probatum est; & cum probatur oppositum, quia cognitio præsupponit objectum, & scientia scibile, occurrendum est ex dictis disp. 4. Log. quæst. 10. art. 2. declarando tertium modum relativorum, quod licet cognitio in actu præsupponat objectum, ut cognoscibile, tamen si utrumque sumatur uniformiter, nempe cognitio, & objectum ut ambo in actu, vel ambo in potentia, sic invicem ambo referuntur per mutuas relationes actuales, vel aptitudinales, & sunt simul natura, & sic objectum in ratione cognoscibilis, sicut est, non præcedit cognitionem, ut possibilem, immo constituitur in tali esse per relationem transcendentalem ad illam, & sane implicat concipere objectum, ut potens formaliter in actu primo concurrere ad actum cognitionis, nisi simul concipiatur ipsa cognitio, ut possibilis. Falsum est insuper objectum concurrere ad cognitionem sub ratione veri, ut enim dictum est in lib. de An. d. 6. quæst. 6. art. 1. num. 145. ens est objectum intellectus sub ratione ipsa entis adæquate, non vero sub ratione veri, cujus aptam rationem adducit Mairon. 1. d. 3. qu. 2. prope finem, quia subjectum semper prius cognoscitur suis passionibus, verum autem & bonum sunt passiones entis, ergo ens prius cognoscitur, & constituitur objectum intellectus, quam concipiatur, ut verum; qua autem ratione dicatur terminare actum cognitionis sub ratione veri declaratum est loc. cit. & supra disput. 4. num. 17. hoc enim intelligi debet tantum concomitanter, ut enim notat Suarez disp. 10. Met. sec. 1. n. 19. ratio veri non supponitur proprie in objecto, ut formaliter attingatur ab intellectu, sed est denominatio sumpta ex proportione, vel conformitate, inter objectum, & potentiam, & ideo est conditio potius consequens, vel concomitans objectum intellectus, quam illud formaliter constituens. Ad Conf. patet per idem, falsum enim est objectum specificare potentiam sub ratione veri, potius enim illam specificat sub ratione quidditativa ejus, ut color visum specificat sub ratione coloris, sonus auditum sub ratione soni, & sic de aliis objectis, & constituitur sub ratione veri, quatenus attingibile est a tali potentia, sicut est. Ad ult. cognitio actualis est illa, quæ suam formalem veritatem sumere dicitur ab objecto, velut a sui mensura, non autem cognitio possibilis, nam veritas repræsentativa fundatur in cognitione actuali, non autem in cognitione possibili, & ideo non male explicatur veritas objecti in essendo per ordinem ad cognitionem possibilem, non quidem tanquam ad mensuram ipsius objecti, sed potius tanquam ad mensuratam, vel mensurabilem per ipsum.

164 Scio Ovvied. displicere hanc communem doctrinam, quod veritas objecti necessariam habeat connexionem cum possibilitate cognitionis, itaut si impossibilis esset cognitio, etiam impossibilis esset ratio veritatis ex parte objecti; quia cognitio nil tribuit objecto, neque aliquid intrinsecum imprimit illi, quomodo ergo objectum, inquit, dependere potest ab illo, quod nil influit in existentiam illius, neque in aliquod accidens, quod intrinsece ipsum objectum afficiat? Conf. hoc, quia tunc ex repugnantia cujusvis intellectus creati repugnaret omne ens creatum, & increatum, si objectum cognoscibile connexionem habet cum possibilitate cognitionum, quibus potest attingi, quia cum nullum sit objectum creatum, vel increatum, quod non possit cognosci a quocumque intellectu, hoc repugnante repugnarent cognitiones, quibus possent attingi omnia objecta, & consequenter ad hanc doctrinam objecta cum his cognitionibus connexa eandem haberent repugnantiam. Sed causa in actu primo loquendo de causa creata dicere relationem transcendentalem ad effectum, & objectum & potentiam relationem ad actum ab ipsis possibilem jam dictum est disp. 5. Phys. q. 2. n. 8. & disp. 2. de Anim. n. 54. ubi etiam ostensum est, quo pacto ex implicantia effectus deduci possit implicantia causæ, & ex repugnantia cognitionis repugnantia potentiæ, & objecti, cum ratione relationis transcendentalis, quæ ambobus extremis supponitur intrinseca, & identificata, sive invicem essentialiter connexa, quod fusius infra suo loco contra Ovvied. ostendam, & hac ratione ex impossibilitate cognitionis, absolute loquendo deduci potest impossibilitas objecti cognoscibilis, licet enim possit esse scibile in potentia sine scientia in actu, non tamen sine scientia in potentia; neque inconveniens est objectum in ratione objecti cognoscibilis dependere a cognitione, ut possibili, quia tunc objectum non consideratur sub ratione absoluta, sed relativa, sub qua denominatione unum extremum relativum dicitur ab alio dependere in esse relativo, vel potius illud coexigere. Neque hinc recte infertur ex repugnantia intellectus creati repugnatum iri omne ens tam creatum, quam increatum; quia licet admitti possit, quod repugnaret consequenter ens creatum, ut pote quod dicit ordinem intrinsecum intelligibilitatis ad illum, non tenet eadem paritas de ente increato, cujus perfectiones ad extra, ut omnipotentia, omniscientia, intelligibilitas a quocunque intellectu &c. explicari non debent per relationes transcendentales, quas fundent a parte rei ad creaturas, sed per formalitates omnino absolutas, ut evitetur qualiscunque dependentia Dei a creatura, quæ necessitas non militat de una creatura in ordine ad aliam, ut declaratum est disp. 8. Log. qu. 5. art. 1. prope finem.

Dices, Scotus 6. Met. q. 3. in corpore quæsiti inquit, quod si nullus datur intellectus, adhuc quælibet res secundum gradum suæ entitatis esset nata se manifestare, non quia natura cognoscat illam, sed quia propter manifestationem majorem, vel minorem, nata esset, quantum est de se, perfectius, vel minus perfecte cognosci, ergo sentit Doctor veritatem rerum objectivam non pendere a possibilitate cognitionis; itaut hac implicante, illa quoque rueret. Resp. negando consequentiam, ea enim præcise de causa loquitur ita Doctor loc. cit. ut ostenderet conformitatem ad intellectum, in qua consistit veritas, potius esse aptitudinalem, quam actualem, quatenus si per impossibile omnis intellectus tam divinus, quam creatus a cujuscunque entis intellectione cessaret, perinde quodlibet esset verum ens, ac modo, eo præcise quod esset alicui intellectui conformabile, & hic est sensus ibi a Doctore prætensus, non vero qui tangitur in argumento.

165 Dico quarto, conformitatem, in qua consistit veritas, sumi debere in ordine ad quemcunq; intellectum sive creatum, sive divinum, non tamen necessario practicum, sed potius speculativum. Conclusio est contra D. Th. ac Thomistas p. qu. 16. art. 1. & q. 1. de verit. ubi docere videntur res esse per se veras comparatione solius intellectus divini, & quidem circa res creatas practice se habentis, in ordine autem ad intellectum creatum solum per accidens, & secundario; hanc tamen tenent communiter Recentiores Hurtad. Avers. Meuriss. Smisinch. aliique supra cit. & manifeste colligitur ex Scot. cit. 6. Met. ubi indifferenter veritatem constituit tam in ordine ad intellectum creatum, quam increatum; & probatur evidenter, quia veritas transcendentalis consistit in intelligibilitate rei, sicuti est, ex concluf. præced. sed res dicuntur intelligibiles per se, & adæquate in ordine ad quemcunque intellectum, ut enim inquit Scotus cit. res est manifestativa sui, sicuti est cuicunque intellectui potenti talem manifestationem cognoscere, cum ergo nedum intellectus divinus, sed creatus quoque talem manifestationem, & conformationem attingere valeat, consequenter in ordine ad utrumque indifferenter constituenda est conformitas explicativa veritatis. Dices cum Thomistis solum divinum intellectum res cognoscere sicuti sunt, intellectum vero creatum sæpius falli circa rerum cognitionem, atque ideo tantum per ordinem ad illum attendi debere conformitatem, in qua consistit veritas, non autem in ordine ad istum. Contra, quia licet creatus intellectus interdum fallatur in rerum cognitione, frequentius tamen vere cognoscit, aut saltem potest sic vere cognoscere, & hæc potestas est illi necessaria, ac realiter identificata, non autem accidentalis; cum ergo conformitas, in qua consistit veritas, non sit necessario actualis, sed aptitudinalis, optime etiam in ordine ad intellectum creatum constitui poterit, & res poterunt dici veræ etiam respectu illius, quamvis enim non sint illi conformes, cum decipitur, adhuc tamen sunt ei conformabiles, ex hoc ergo quod intellectus creatus circa rerum intellectionem falli possit, non autem divinus,

vinus, solum inferri potest ad summum, verum esse principalius conformabile intellectui divino, non tamen solum in ordine ad illum, aut ita ut solum per accidens possit dici conformabile respectu intellectus creati. Conf. quia intellectus quoque creatus suo modo est totius entis ex 3. de An. & e contra quælibet res perinde illi fundamentum præbet, ut vere cognoscatur, ac intellectui divino, ergo res omnes sunt etiam cognoscibiles, sicuti sunt, ab intellectu creato, ergo sunt etiam veræ respectu illius.

166 Hurtad. probat præterea loc. cit. quia opposita nata sunt fieri circa idem, opponuntur enim in ordine ad unum, ergo circa eum intellectum versatur veritas, circa quem versatur falsitas, sed res sunt falsæ comparatione intellectus creati, ergo comparatione illius sunt veræ; unde instantia Thomistarum allata ex hac probatione videtur potius ad oppositum quod quia intellectus creatus est falsitatis capax, ideoque sit etiam capax veritatis. Sed plane hoc argumentum nimis probare videtur, & pluſquam velit Hurtad. ipse, probat enim veritatem constitui non posse in conformitate ad intellectum divinum, quia ipse non est falsitatis capax, sed solius veritatis; quo autem pacto intelligi debeat, quod contraria nata sunt fieri circa idem, declaratum est disp. 7. Log. qu. 1. ar. 3. in fine, & disp. 9. qu. 1. art. 1. explicando naturam oppositorum ex Scoto 4. d. 49. qu. 13. §. *respondeo*. Accedit, quod ut ait Doctor cit. res omnes, quantum est ex se, sunt veræ respectu cujuscunque intellectus, quia cuicumque facultatem habent se manifestandi, sicuti sunt, ergo nec respectu intellectus creati sunt falsæ, ut Hurtad. assumit, atque ideo ejus argumentum potius de veritate repræsentanda concludere videtur; falsitas enim huic oppositæ re vera in intellectu creato reperitur, non autem de veritate in essendo.

Meuriſſe vero loc. cit. probat eandem conclusionem, quia omne ens tum creatum, tum increatum eatenus verum dici potest, quatenus ita est in se, sicut cognoscitur, vel ab intellectu increato, vel ab intellectu creato; cum hoc tamen, ait, discrimine, quod habitudo illa conformitatis ad intellectum, in qua consistit veritas, est semper actualis respectu intellectus divini, quia necessario omnia intelligit, respectu autem intellectus creati non est semper actualis, sed plerunque aptitudinalis, quia intellectus creatus non omnem veritatem percipit actu. Cæterum hanc cautionem, vel limitationem non arbitror admodum necessariam, quamvis enim ea ratione, quia conformitas actualis ad intellectum divinum est necessaria, contingens autem ad intellectum creatum se habeat magis per accidens respectu istius, quam illius, adhuc tamen absolute loquendo melius, & rectius veritas reponitur in conformitate solum aptitudinali in ordine ad utrumque intellectum, & hoc manifeste colligitur ex Doctore loc. cit. 6. Met. quæst. 3. dum ait, quod si nullus esset intellectus intelligens, hoc est si omnis intellectus tam creatus, quam divinus per impossibile cessaret ab omni intellectione cujuscunque entis, adhuc quælibet res secundum gradum suæ entitatis esset nata se manifestare, per quod significat hanc conformitatem potius esse aptitudinalem, quam actualem. Et quamvis intellectus divinus ratione suæ infinitatis, & summæ actualitatis sit semper in actu respectu intellectionis omnium rerum, adhuc tamen respectu ejus considerari potest conformitas aptitudinalis ipsarum, immo hæc antecedenter se habet ad illam secundum nostrum intelligendi modum, neque destruitur per illam, actus enim nunquam destruit aptitudinem, sed potius illam perficit, & exercet; ergo bene explicari potest veritas per conformitatem etiam aptitudinalem in ordine ad divinum intellectum; & sic faciendo poterit optime veritas, ut sic, explicari per conformitatem in communi ad omnem intellectum tam divinum, quam creatum, intelligendo adæquate aptitudinalem conformitatem; atque, ita cum Doctore sentiunt Aversa quæst. 6. cit. sec. 5. concl. 3. & Ovvied. controv. 3. Metaph. punc. 3. n. 17.

167 Denique veritatem attendendam esse potius per ordinem ad intellectum speculativum, quam practicum, probatur cum Smisinch. cit. quia si per impossibile res aliæ non penderent a Dei intellectu, sed casu, & fortuito existerent, æque essent veræ, ac modo, idque per solam conformitatem cum divino intellectu, & cognoscente speculative; & idem est de artifice creato, in ordine ad cujus intellectum res artificialis esset vera, etiam si ad illam non se haberet intellectus artificis alicujus practice, sed speculative solum, unde tandem concludit Smisinch. veritatem rei potius per se consistere in conformitate cum intellectu speculativo, & per accidens in conformitate cum intellectu practico. Et hæc est ipsissima Scoti doctrina loc. cit. 6. Metaph. q. 3. ubi vult veritatem in rebus desumptam per comparationem ad cognoscentem, & intelligentem esse omnino distinctam ab alio veritatis modo, qui attenditur per comparationem ad producentem, quia si per impossibile Deus esset intelligens creaturas, & non producens, adhuc res dicerentur veræ respectu divini intellectus mere speculative illas intelligentis; Confirmatur, quia etiamsi de facto Deus, nedum sit intelligens, verum etiam creaturas producens, tamen ideæ creaturarum in intellectu divino practicæ non sunt, sed speculativæ, ut monet Doctor 1. d. 38. in fine, quia non sunt regulæ agendorum ad extra a voluntate divina, quæ indefectibilis est; nam potius ipsa est omnino prima regula contingentium, & quamvis ipsi omnia repræsententent operabilia, non includunt tamen aliquam notitiam dictativam de operando, vel non operando, quod adeo exploratum est in schola nostra, ut mirum sit, quod id negatur a Meuriss. loc. cit. Denique ut ait Hurtad. effectus non est ve-

rus eo quia sit conformis actui practico, per quem producitur, sed ex eo quod fundet cognitionem veram, falso igitur constituitur veritas præcise per ordinem, & conformitatem, ad intellectum practicum; & non potius speculativum.

Respondet Pasqualig. disp. cit. 66. sect. 4. n. 3. quod si res creatæ non penderent ab intellectu divino, non essent veræ, quia nullo modo essent, nam sicut implicat, quod sint, & non dependeant a Deo, ita etiam quod sint veræ, & non conformentur divinis idæis; unde conditionalis non recte procedit, quia in antecedenti involvitur implicantia, quod res sint, & non dependeant ab intellectu divino; unde etiam illatio infert consequens, quod se implicat, quia quale est antecedens, tale est etiam consequens proportionaliter. Contra hoc est, quod res a voluntate divina, ut a propria virtute activa Dei ad extra recipiunt suum esse proprium, & formale in rerum natura juxta illud Psal. *omnia quæcumque voluit fecit*, nec intellectus intervenit, nisi ut ostensivus simpliciter agendorum, quatenus voluntas non fertur in incognitum, atque ideo solum per locum, ut ajunt, ab extrinseco, sequitur, quod si res non dependerent ab intellectu divino, non essent in rerum natura, at quando repugnantia solum procedit ab extrinseco, conditionalis bene procedit, & recte consequentia tenet, ut notat Doctor 1. d. 11. q. 1. cum igitur in proposito implicantia, quæ in antecedenti involvitur, sit per locum ab extrinseco solum, non ab intrinseco, recte deducitur illa consequentia. Accedit, quod hæc consequentia non valet, res non dependent ab intellectu divino, ergo non dependent a Deo, quia non est intellectus divinus causa rerum ad extra quoad esse essentiæ, & existentiæ, sed divina voluntas, hæc enim est divina omnipotentia, qua producuntur res ad extra, ergo consequentia illa non tenet formaliter & per locum ab intrinseco, sed tantum materialiter, & ab extrinseco.

168 Quæres, num hic respectus conformitatis ad intellectum, quo explicatur veritas transcendentalis, sit realis, vel rationis. Nonnulli Thomistæ defendunt esse respectum rationis, quod supra impugnatum est. Alii volunt esse respectum realem, & ita defendit, ex nostris Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 10. art. 2. quod nec etiam sustineri potest, quia Deus est realiter verus, & tamen talis dici non potest per respectum conformitatis realem, quem dicat ad intellectum proprium, nam hic nequit esse realis ad intra, cum sit ejusdem ad seipsum, neque talis dici potest per respectum conformitatis realem ad intellectum creatum, quia Deus fundare nequit respectum realem ad creaturas, etiamsi ponatur esse transcendentalis ex dictis disp. 8. Log. qu. 5. art. 1. prope finem, ergo veritas transcendentalis nequit in tota sua latitudine importare respectum realem. Hoc quæsitum resolvi debet juxta sæpius dicta, quod aliud est loqui de veritate quantum ad id quod dicit a parte rei circa ens, vel supra ens, aliud quantum ad id, per quod explicari solet a nobis, si enim in primo sensu de veritate sit sermo, satis constat ex dictis n. 146. veritatem in sola relatione consistere non posse, sed ut sic abstrahere a relativo, & absoluto, sicut ipsum ens, quod consequitur, & cui in abstractione adæquatur.

Si autem sermo sit de veritate quantum ad id per quod solet a nobis explicari, parum refert, sive per absolutum, sive per respectum explicetur, sive realem, sive rationis, quia tamen intellectus est potentia quædam universalis, quæ circuit omne ens, & per omnia, & singula entia operatione sua vagatur, atq; ideo affingnatur ei pro adæquato objecto ens reale in tota sua latitudine, unde dicebat Arist. 3. de Anim. intellectum fieri quodammodo omnia; hac, inquam, ratione optime ob ejus universalitatem, & valde commode explicatur veritas, quæ est entis attributum per conformitatem ad intellectum etiam si intellectus sit inferius ad ens, nam etsi secundum entitatem sit ei inferius, tamen quoad operationem & cognitionem ei adæquatur, & rursus parum refert, an hæc conformitas ad intellectum, per quam explicatur veritas, sit relatio realis, vel rationis, nam ut talis conformitas convenit creatis rebus in ordine ad quemcumque intellectum dici potest respectus realis transcendentalis, cum realitas talis respectus in creatura nullam inducat repugnantiam, ut vero convenit Deo, cui repugnat fundare respectum realem ad extra, potest explicari per respectum rationis, velut explicari solent omniscientia, omnipotentia, aliæque perfectiones ad extra. Sed quia adhuc perfectiones hujusmodi in Deo ad extra cum majori realitate, & veritate explicari solent per realem terminationem relationum, quas creaturæ fundant ad ipsum Deum, ut omniscientem, omnipotentem &c. ut Doctor monet 1. d. 30. q. 2. ideo etiam in proposito de veritate poterit adhuc melius explicari divina veritas per hoc, quod Deus natus est terminare conformitatem intellectus creati ad ipsum, & sic fortasse melius explicabitur divina veritas in ordine ad intellectum creatum per simplicem terminationem, quam per respectum rationis, quia ut sæpius inculcatum est, passiones entis cum sint reales, & positivæ, non solum in aliquo reali, & positivo constituti debent secundum id, quod important a parte rei, sed etiam per aliquid reale quoque debent explicari quantum fieri potest, ut explicatio ipsa correspondeat conceptui reali, quem dicunt a parte rei; satis itaque constat ex dictis quomodo explicanda sit veritas entis per conformitatem ad intellectum, & an hic respectus sit realis, vel rationis.

Solvuntur objectiones.

169 IN oppositum arguitur; Primo contra 1. concl. probando veritatem consistere in respectu conformitatis ad divinas idæas; illud censetur verum, quod respondet suæ mensuræ, & arti, v. g. illa censetur vera Cæsaris imago, quæ vel imitatur Cæsarem, qui est ejus mensura, vel quæ respondet exemplari in mente pictoris existenti; sed idææ divinæ sunt ars, & mensura rerum omnium creatarum, ergo res creatæ eatenus *dici* possunt veræ, quatenus imitantur divinas idæas. Conf. quia veritas dicit relationem mensurati ad mensuram, sed mensura cujuscunque rei quoad propriam essentiam est propria idæa, quam habet in mente divina, ergo veritas rerum proprie consistit in conformitate ad eas. Confirm. 2. quia ideo cognitio est vera in repræsentando, quia conformatur cum objecto repræsentato, quod est mensura repræsentationis ejus, ergo pariter veritas rei constituitur per conformitatem ad illam mensuram, a qua regulatur, secundum suam veritatem, at esse omnium rerum regulatur, tanquam a mensura ab idæa divina, ergo &c. Conf. tandem, quia Deus est agens per intellectum, atque adeo ex idæa, & ideo quando rebus communicat veritatem, & entitatem, simul regulat illud esse, atque illam veritatem, ut sit conformæ idææ, secundum quam operatur, ex qua conformitate res habent, quod sint formaliter veræ, quia tunc in aliquo non deficiunt a propria mensura; ita urgent Pasqualig. & alii Thomistæ loc. cit.

Resp. ex dictis n. 158. nos non negare illam acceptionem veritatis per conformitatem rerum creatarum ad divinas idæas, sed negamus veritatem in hac acceptione esse passionem communissimam entis, ut comprehendit creatum, & increatum, quia talis modus veritatis enti increato convenire non potest, & quamvis enti creato conveniat, non tamen ei convenit, ut species quædam veritatis transcendentalis, sed potius ut species quædam disparata enti creato propria, ut ibi declaratum est; itaque argumentum allatum cum singulis suis confirmationibus ex parte concedi potest, quia verum est creaturas ita dici veras per conformitatem ad divinas ideas; non tamen in omnibus admitti potest, quia assumit veritatem universaliter sumptam, ut est passio entis, constitui per relationem mensurati, & mensuræ, quod est falsum, quia in hac præcisione, & communitate potius constituitur, vel explicatur per conformitatem, & adæquationem inter rem, & cognitionem. Bene tamen verum est, ut adnotavit Hurtad. loc. cit. §. 20. ex hoc, quod res sit facta juxta propriam idæam in divina mente, optime deduci posse, quod sit vera in essendo, non quidem formaliter per tale respectum ad idæam divinam, quasi ad propriam mensuram sed arguitive, nam si est juxta idæam, habet veram naturam, quam repræsentat idæa, & fundat, vel fundare potest veram cognitionem sui, in quo formaliter consistit veritas transcendentalis; & hoc ipsum fateri quoque coactus est ipse Pasqualig. disp. 66. sect. 3. n. 6. dum ait veritatem formaliter consistere in esse rei, quatenus dicit illam explicationem, vel manifestationem, qua se ipsum manifestat, tanquam conforme, & mensuratum cum idæis, quæ sunt in mente divina, ubi ut vides, veritas formaliter in entibus creatis est virtus rei manifestativa sui ipsius, conformitas vero, quam dicunt ad divinas idæas, est id, quod manifestatur per illam; quod etiam satis idonea ratione ex veritate cognitionis deducta probat nu. 8. nam veritas cognitionis, ideo dicitur talis in repræsentando, quia est manifestativa esse alterius, ergo & veritas, ut sic, debet esse aliquo pacto manifestativa alicujus esse ex proportione, quam debet inter se servare rationes superiores, & inferiores, ex eo quod cum superior sit inchoatio illius naturæ, quæ completur per inferiorem, debet idem proportionaliter dicere, si enim talis veritas est manifestativa talis esse, & tali modo nempe per modum imaginis, veritas ut sic erit repræsentativa, & manifestativa esse, ut sic, & veritas rei erit manifestativa sui ipsius per modum objecti, & imaginati.

170 Secundo arguit Meurisse contra 2. concluf. probando veritatem consistere in conformitate ejusdem rei ad sua principia, nam *communis* usus obtinuit; ut id verum dicatur, quod est tale, quale debet esse conformiter suis principiis, sic verum Christi corpus dicitur in Eucharistiæ Sacramento, quia habet principia veri corporis, nempe veram materiam, & veram formam corporis, similiter dicimus verum Deum, qui habet naturam illam veram, & legitimam, per quam constituitur in esse talis entis. Subdit deinde paulo post, quod quamvis veritas exprimi soleat per respectum ad facultatem cognoscentem, quia illa ratio est familiarior, & notior, nihilominus tamen exprimi potest aliter, auricalcum enim verb. gr. non solum ea ratione dici debet aurum falsum, quia nobis apparet aurum, cum tamen non sit, sed etiam quia antequam nobis appareat, non habet vera principia, sed tantum similitudinem veri auri, ex quo sequitur ipsum nobis apparere posse aurum, cum tamen non sit.

Resp. hoc argumentum probare dumtaxat in consueto, & familiari modo loquendi solere veritatem interdum sumi pro ipsa entitate, & natura rei, sic enim aurifex illud appellare solet verum aurum, quod habet vera principia auri, & veram ejus naturam, & aurum falsum dicit, quod talia principia non habet, sed tantum auri apparentiam, & verum quoque Deum dicimus in vulgari modo loquendi quod veram habet Dei naturam, at veritas philosophico more considerata, & prout est quoddam entis attributum, per conformitatem, & adæquationem rei ad cognitionem explicari debet præsertim aptitudinalem. Et cum dicitur hanc acceptionem veritatis posteriorem ex illa priori ortum ducere, ideo enim potest aurum conceptum auri proprium ingerere cuicumque intellectui, quia habet vera, & legitima auri principia, hoc totum concedi potest; cum enim veritas in priori acceptione significet ipsam v. g. auri naturam, & in posteriori ipsam entis proprietatem, certum est, veritatem in posteriori acceptione ortum ducere ab illa in priori, negatur tamen eam esse veritatem, de qua hic est sermo, quia hic loquimur de veritate, quæ est attributum entis, ac secunda ejus proprietas.

171 Tertio arguitur contra 3. concluf. probando veritatem non consistere in aliqua conformitate ad intellectum, quia si nullus esset intellectus possibilis, adhuc hoc aurum esset verum aurum, & auricalchum esset falsum aurum, quod enim existat, vel repugnet intellectus essentiæ illorum cognitivus nihil immutat de eorum natura. Tum 2. quia ens ratione suæ superioritatis, & communitatis præcedit intellectum, in illo autem priori propriam habet essentiam, & passionem ipsam consequenter, & per consequens veritatem, & tamen nil adhuc cogitatur de intellectu, in ordine ad quem constituatur verum, alioquin non esset prius natura ipso, sed simul natura, quando enim aliquid est tale per ordinem ad aliud, in eo signo, in quo ipsum ponitur, debet etiam poni terminus illius ordinis, sic arguit Pasqual. disc. cit. sect. 3. num. 16. Tum 3. quia ut ipse late probat ibid. sect. 2. nu. 5. & 6. veritas præcedit in objecto talem ejus conformitatem, vel conformabilitatem cum intellectu, ergo non in ea consistit. Tum tandem, quia adhuc male dicitur talem conformitatem ad intellectum, in qua consistit veritas, esse præsertim aptitudinalem, quia veritas rerum, qua intrinsece veræ sunt est veritas actualis, non aptitudinalis, non enim possunt dici veræ, sed actu veræ sunt.

Respondet Suarez disp. 8. Met. sect. 7. n. 27. data illa hypothesi tunc aurum futurum verum aurum fundamentaliter tantum, & materialiter, non autem positive, & formaliter, quam etiam solutionem recipit Poncius loc. cit. ubi ait, quod data illa hypothesi haberet quidem illud aurum, quod modo dicitur verum aurum, illud ipsum esse physicum, quod modo habet, nec illi aliquid deesset præter illam conceptibilitatem, sicut est, cujus solius carentia sufficeret, ut non diceretur verum aurum formaliter, & hæc quidem solutio vera, ac sufficiens est; sed miror a Poncio adhiberi; cum alibi a me datam passim refutat, dum ipsa utor ad salvandam formam, a quibus fumi solent formales denominationes, a posteriori tamen, & per locum ab extrinseco, aut ajunt deduci posse data illa hypothesi hoc aurum non futurum verum aurum, ut modo est, quia nec esset idem aurum, quod modo, cum talis conceptibilitas sit ei realiter identificata, unde destructa tali conceptibilitate auferetur etiam consequenter ipsamet auri entitas, cui identificatur, quo passio si supponatur risibilitas ab homine auferri, per locum ab extrinseco inferri posset non remansurum eundem hominem, qui modo, licet non per locum ab intrinseco, unde nec absolute verum est, quod inquit Poncius, data illa hypothesi, aurum, quod modo dicitur verum, habiturum illud idem ipsum esse physicum, quod modo habet, sed tantum in sensu explicato. Ad 2. concludit tantum illa ratio id, quod nos dicebamus paulo supra ob eam entis prioritatem ad intellectum non posse a parte rei veritatem importare conformitatem hanc ad intellectum, hoc tamen non obstat, quin per ordinem ad ipsum, sicut ad potentiam universalem, ac veluti totius entis comprehensivam, bene explicetur a nobis, ut ibi declaratum est, licet neque id etiam in rigore concludat, quia superiori bene potest competere passio designata per ordinem ad inferiora, ut animali, & cuicumque superiori communicabilitas ad illa, & aliæ hujusmodi. Ad tertium negatur assumptum, ad cujus probationes a Pasqualig. adductas jam satis dictum est n. 163. Ad ult. negatur etiam assumptum, cujus probatio non urget, quamvis enim veritas, quæ est passio entis, sit actualis, non aptitudinalis, non hinc sequitur consistere pariter debere in conformitate solum actuali; nam ipsamet aptitudinalis conformitas reddit ens actu verum, & præbet actualem veritatis denominationem, & non potentialem tantum, in cujus rei confirmationem varia possunt adduci exempla, nam aptitudo v. g. in natura ad essendum in multis proxime facit naturam non potentia tantum, sed actu universalem, impenetrabilitas facit rem actu quantam, sicut ergo appetibilitas denominat rem actu bonam in ordine ad voluntatem, ita intelligibilitas rei, sicut est, ipsam denominat actu veram.

172 Quarto urgetur contra 4. concluf. probando veritatem, in rebus tantum attendi debere per conformitatem ad divinum intellectum, non vero creatum; nam veritas est conformitas rerum ad propriam, & primam earum mensuram, sed sola cognitio divina est prima, & propria rerum mensura, non autem creata, ergo &c. Tum secundo res sunt infallibilis veritatis, quia semper idem esse patricipant cum eisdem essentialibus prædicatis, ergo talis veritas attendi nequit in ordine ad intellectum creatum, qui falli potest, sed tantum per ordinem ad divinum. Tum tertio quia si Deus destrueret omnem intellectualem creaturam, aliis adhuc conservatis, adhuc illæ creaturæ essent veræ sine ordine ad intellectum creatum, nec recurrere juvat ad aptitudinalem conformitatem, quia etiamsi possibilis non esset ullus creatus intellectus,

ctus, adhuc cætera entia eodem pacto forent vera, ac modo sunt, & tamen non haberent talem aptitudinalem commensurationem. Tum 4. quia res ab æterno, sicut fuerunt possibiles, ita etiam veræ, sed non per respectum ad intellectum creatum, cum tunc non esset, ergo ad divinum tantum. Tum 5. quia intellectus creatus non est prima causa, ut res sint, ergo neque ut veræ sint, sed tantum divinus. Tum denique quia si per aliquam habitudinem ad intellectum creatum res dicuntur veræ, hæc ipsa habitudo fundatur in habitudine, quam dicunt ad intellectum divinum, in tantum enim ens creatum aptum est formare veram sui æstimationem in intellectu creato, inquantum assequitur assimilationem cum intellectu divino, & exemplaribus ipsius; ita arguunt Fonsec. Pasqualig. & Blasius a Concep. loc. cit.

Resp. negando majorem, si in ea sit sermo de veritate prout est passio entis, verificatur enim solum de peculiari quodam genere veritatis, quæ rerum artificialium est propria, cum enim artificiata per se dependeant ab idæa artificis, & ab ipsa regulentur, tamquam a mensura, consequenter veritas rei artificialis, ut sic, sumitur ex conformitate, quam habet ad suam idæam in mente artificis, & hæc etiam veritas applicari solet entibus naturalibus, prout opera dicuntur supremi Artificis increati. Ad 2. jam dictum est num. 165. ex hoc, quod intellectus creatus interdum falli possit in rerum cognitione, non bene deduci, quod nequeat veritas explicari per conformitatem aptitudinalem ad illum, sed solum quod nequeat explicari per actualem, quod & verum sit primo, & principalius conformabile intellectui divino, non autem quod nullo modo sit conformabile intellectui creato, at solum per accidens, ut inquiunt Thomistæ. Ad 3. ex impossibilitate intellectus, ut sic, in tota sua amplitudine destrui quoque veritatem, quæ est passio entis secundum quod explicatur a nobis jam dicti nu. 164. (quicquid sit, num destrueretur quantum ad id, quod importat a parte rei) sed an destrueretur etiam ex sola repugnantia intellectus creati remanente divino, pendet ex ea difficultate, quam proposui disp. 3. Physic. numer. 8. num respectus transcendentalis causæ sit ad effectum dumtaxat in communi vel potius ad omnes, & singulos in particulari a causa producibiles, itaut si unus ex his esset impossibilis, causa quoque impossibilis esset, & juxta resolutionem illius difficultatis ibidem argumento huic occurrendum est; sed pro nunc breviter data illa hypothesi negandum est entia tunc eodem pacto futura vera, ut modo sunt, quia nunc vera dicuntur per conformabilitatem ad quemcumque intellectum, sicut ab omni intellectu indifferenter intelligibilia sunt. Ad 4. sicut res ab æterno non sunt simpliciter, & in rigore entia, ita nec etiam veræ, ut dicetur inferius disput. 8. eo tamen pacto, quo eis in tali statu entitas, & veritas applicari potest, dici poterunt veræ per respectum quidem conformitatis actualem ad intellectum divinum, & per aptitudinalem dumtaxat ad creatum. Ad 5. præscindendo modo a quæstione, an divinus intellectus, vel potius divina voluntas sit causa rerum ad extra, & concesso intellectum quoque divinum quo quomodo esse causam rerum, entia creata sumerent esse verum, ab intellectu divino effective, quatenus per illum producerentur in suo esse; hoc tamen non obstat quin formaliter sumere possint esse verum etiam per ordinem ad intellectum creatum modo explicato, ad hoc enim necessaria non est dependentia, sicut enim Deus dicitur verus per respectum ad intellectum suum, a quo non dependet, ita etiam cætera entia dici possunt vera etiam per ordinem ad intellectum, a quo non dependent in esse, sed tantum in cognosci, sicuti sunt, cujus ratio superius tacta est, quia effectus non est verus, eo quod sit conformis actui practico, per quem producitur, sed ex eo quod funder cognitionem veram. Ad ult. probat. non quidem formaliter, sed arguitive dumtaxat posse veritatem transcendentem entis creati deduci ex affectione divinæ idææ, nam si eam assequitur, habet veram naturam, quam repræsentat idæa, & fundat veram cognitionem sui, ut dictum est in solutione ad 1. arg. num. 169.

173 Postremo arguitur ad probandum veritatem attendi debere per ordinem præcise ad intellectum practicum, non autem speculativum; nam illa veritas est intrinseca rebus, velut passio entis, quæ convenit rebus tamquam mensuratis in ordine ad mensuram, sed tantum per ordinem ad intellectum practicum res se habent, tamquam mensuratæ ad mensuram, & tamquam effectus ad causam, non autem per ordinem ad intellectum speculativum, respectu namque illius potius se habent oppositio modo, tamquam scilicet mensura ad mensuratum, & tamquam causa ad effectum, ergo &c.

Resp. in hoc argumento, cui nonnulli maxime fidunt, tam majorem, quam minorem calumniam pati; majorem quidem, quia, ut dicebam, non verificatur de veritate, ut est passio communissima entis, Deus enim est verus in ordine ad propriam cognitionem, & tamen proprie loquendo non se habent adinvicem, ut mensura, & mensuratum, sed verificatur tantum de genere veritatis, quæ reperitur in ordine artificiorum, sic enim dicimus veram domum, quæ conformatur idææ, quam habet artifex in mente; patitur quoque calumniam minor, quia etiam respectu cognitionis practicæ objectum, quatenus cognitum, se habet per modum causæ, & mensuræ respectu illius; quamvis enim opus artificiosum, ut domus, quatenus actu efficitur, sit effectus notitiæ practicæ, & ab ea regulatum, quatenus tamen cognoscitur, prout ex natura sua petit, & debet fieri, eodem modo se habet ad ipsam cognitionem practicam, sicut ad speculativam se habet objectum speculabile.

QUÆSTIO VII.

An veritas univoce dicatur de veritate rei, & cognitionis, vel potius æquivoce, aut saltem cum aliqua analogia.

174 QUi in præcedenti quæstione dicebant veritatem in sola cognitione intrinsece, & formaliter reperiri, in rebus autem causaliter tantum, & objective, & per solam denominationem extrinsecam a veritate, quam possunt in intellectu causare, hic consequenter asserunt inter veritatem essendi, & veritatem cognitionis intervenire solam habitudinem analogiæ attributionis illius, quæ æquivocationem inducit, itaut veritas secundum suam propriam rationem, & formali modo reperiatur in cognitione, & per posterius dicatur de re vera desumpta denominatione a veritate cognitionis; unde sicut sanum est analogum attributionis, quod de uno tantum analogato dicitur intrinsece, ac formaliter, de aliis vero per solum denominationem ab illo, ita verum in hac sententia est analogum attributionis ejusdem omnino rationis, quod de cognitione dicitur formaliter, & proprie, quia vera est intrinsece, de rebus vero solum per denominationem extrinsecam sumptam a veritate cognitionis, quatenus causa illius sunt. Hurtad. tamen quamvis & ipse teneat veritatem in rebus reperiri per solam extrinsecam denominationem a veritate cognitionis desumptam adhuc tamen asseverat unitatem non prius uni, quam alteri convenire, actui nempe, vel objecto, sed utrique ex æquo, quia est omnino eadem veritas formaliter in utroque; nec enim est in objecto una, & alia in actu, sed est una, & eadem intrinseca actui, & extrinseca objecto; quod non videtur satis consequenter dictum, nam & eadem ratione diceretur sanitatem ex æquo medicinæ, & animali convenire, quia est omnino eadem sanitas in utroque formaliter, nec enim una est in animali, & in medicina altera, & tamen hoc non obstante dicitur sanitas prius animali convenire, & medicinæ posterius, sic ergo pari modo dicendum erit de veritate in præfata sententia ad consequenter loquendum.

Alii vero, quia ultra veritatem, quæ est in rebus per extrinsecam denominationem modo prædeclarato in superiori opinione, aliam adhuc veritatem intrinsecam, & formalem in rebus agnoscunt, quæ sit conformitas rei vel ad sua principia, vel ad intellectum actu, vel potentia concipientem, rem, sicut est, negant veritatem analogice dici de veritate rei, & cognitionis analogia attributionis prædeclarata, cum veritas sit quid intrinsecum in utroque, neque tamen adhuc dici univoce, quia longe diversa est veritas cognitionis a veritate rei, sed æquivoce, & ad summum secundum analogiam quamdam proportionis, quæ in eo consistit, quod sicut verum in cognitione requirit conformitatem cum objecto, ita verum in objecto requirit conformitatem cum cognitione, ita docet Suarez disputatione octava, sect. 8. num. 12. quem sequitur Meurisse lib. 2. suæ Metaphysic. cap. 3. part. 2. quæstione sexta, ubi ab initio supponit veritatem non esse univocam ad veritatem rei, & cognitionis, quia nulla est ratio communis una, & nullus conceptus huic utrique veritati ex æquo conveniens (quasi ad univocationem conceptus requiratur, quod omnino uniformiter, & ex æquo convenit suis significatis, quam doctrinam ipsemet damnavit supra lib. 1. quæst. de entis univocatione, ubi cum aliis Scotistis plures affignat univocationis gradus) unde concludit in solo nomine convenire servata solum analogia proportionalitatis a Suarez declarata, ac etiam inæqualitatis per prius, & posterius; nam si sermo est de veritate, ut rebus convenit per solam extrinsecam denominationem a veritate cognitionis desumptam, prius dicitur de veritate cognitionis, posterius de veritate rerum, quia his convenit dependenter ab illa; si vero de veritate sit sermo, quæ rebus etiam convenit per denominationem intrinsecam, sic inquit veritatem prius dici de veritate rei, quam de veritate cognitionis; immo in hoc sensu ait tantum abesse, quod veritas rei dicatur a veritate cognitionis, quod potius veritas cognitionis dicitur a veritate rei, cum enim veritas rei consistat in eo, quod res ita sit, sicut debet esse juxta sua principia, veritas cognitionis consistet in eo, quod intellectus rem ita apprehendit, sicut est in se, & sic ex veritate rei sequitur veritas cognitionis, & non e contra.

175 Aversa quæst. 6. suæ Philosoph. sec. 6. docet veritatem rei, & cognitionis posse aliquo modo convenire univoce, sive secundum quemdam communem conceptum eo veritatis nomine significatum, sumendo scilicet utramque veritatem eodem modo, nempe pro relatione rationis, nam utraque est conformitas, est relatio conformitatis, una est conformitas rei ad cognitionem, alia cognitionis ad rem, igitur sub conceptu conformitatis, ut sic conveniunt; ut autem ulterius ostendat, quem ordinem habeat una veritas cum alia, & quæ sit prior, aut posterior, notat aliud esse quærere ad quidnam significandum fuerit prius impositum nomen veritatis, & aliud quærere de ipsa re significata, cui prius conveniat, nam in primo sensu facile constat, nomen veritatis prius fuisse impositum ad significandam veritatem cognitionis, & inde extensum fuisse ad significandam etiam veritatem rerum; sed quantum ad rem signifi-

gnificatam, nimirum quantum ad illam relationem conformitatis una veritas non est prior, aut posterior alia, non est prior veritas rei veritate cognitionis, aut e contra, sed sunt potius simul natura, nam hæ duæ conformitates se habent tamquam duæ relationes mutuæ, sicut se habet similitudo, & convenientia in aliis rebus, propria autem regula relativorum est esse simul natura, quia una relatio mutua non est causa alterius, ergo ex hac parte una non est prior, aut posterior alia; advertit tamen, quod juxta aliam acceptionem veritatis transcendentalis, nimirum pro entitate ipsa rerum, & negatione entis ficti, & non entis, tunc veritas rei est prior, repræsentativa, quia de hac dicere valet res intantum posse intelligi, inquantum veræ sunt, sic etiam discurrit Smisinc. tract. de Deo uno disput. 1. quæst. 2. num. 42.

Pasqualig. tandem disput. 69. sec. 3. quatuor statuit conclusiones, in prima asserit veritatem rei, & cognitionis univoce convenire in ratione veritatis, ut sic, in secunda ostendit nullam inter eas veritates, quatenus tales sunt, intervenire analogiam nec attributionis, nec proportionis, non primam, quia tunc alterum illorum diceretur tale per denominationem tantum extrinsecam ab alio, hoc enim importat ille analogiæ modus; quod tamen est falsum, quia tam cognitio, quam res ipsæ dicuntur veræ veritate propria, & eis intrinseca; nec etiam alteram, analogiam intervenire eadem ratione probatur, quoniam in his analogis aliqua ratio est proprie in uno, in altero autem solum secundum quamdam proportionem, quod hic dici non potest, quia tam proprie, & absque ulla metaphora sunt res ipsæ veræ in essendo, quam cognitio in repræsentando, & e contra; sed postea in 3. conclusione demonstrat inter cognitionem, & res posse ex alio capite salvari utramque analogiam, proportionis scilicet, & attributionis in ratione veritatis; in quarta tandem conclusione asserit, quod præscindendo ab analogia, & considerando utramque veritatem secundum propriam rationem, prout est quædam species veritatis determinata, atque ab alia diversa, veritas in essendo est prior veritate cognitionis ex natura sua. Et ex his omnibus concludit veritatem cognitionis, sive repræsentarivam non esse proprie speciem veritatis contradistinctam a veritate in essendo, sed esse gradum, sive rationem diversam veritatis, quæ advenire potest tali veritati in essendo, nempe veritati cognitionis, & in ipsa fundari.

176 Pro resolutione quæsiti, in primis statuendum est, veritatem cognitionis, & rei univoce convenire in ratione veritatis, ut sic. Hæc conclusio debet recipi præsertim ab illis Auctoribus, qui veritatem tam cognitionis, quam rei explicabant per relationem conformitatis; quamvis enim qui veritatem rei explicabant per negationem entis ficti, vel non entis, aut per segregationem, & depurationem rei a quocumque sibi extraneo, possent cum aliquo fundamento ab ista conclusione recedere, quia sic explicando veritatem rei, non nisi in solo nomine cum veritate cognitionis convenire videtur, attamen qui veritatem quoque rei per relationem conformitatis explicant; sicut etiam veritas cognitionis explicari solet, nullo pacto ab ista conclusione recedere possunt, nam utraque veritas est conformitas, & utraque per talem relationem explicatur, una est conformitas rei ad cognitionem, alia cognitionis ad rem, ergo saltem in communi conceptu conformitatis conveniunt; atque ideo sicut valde consequenter in hac re Aversa, & Pasqualig. locuti sunt, quia cum ab initio veritatem rei explicuissent per conformitatem vel ad divinas ideas ut hic, vel ad intellectum, ut ille, docent deinde veritatem rei cum veritate cognitionis univoce convenire; ita non admodum consequenter in eadem re discurrunt Suarez, & Meurisse ob eandem rationem, quia ab initio veritatem in essendo utrique per conformitatem explicarunt, unus quidem ad intellectum, alter vero ad propria rei principia; & tamen postea negant convenientiam univocam veritatis rei cum veritate cognitionis.

Potest autem conclusio nostra probari omnibus illis rationibus, quibus in nostra schola passim probari solet univocatio aliorum conceptuum etiam transcendentium ad sua inferiora; quia veritas in essendo, quæ est passio entis, dicit talem rationem veritatis, & conformitatis, sic etiam veritas in repræsentando, quæ est propria cognitionis; cum igitur ambæ includant rationem veritatis, & conformitatis, ut sic, poterit utique intellectus per virtutem suam præcisivam talem rationem communem abstrahere, in qua conveniunt, illam præscindendo a rationibus differentialibus, & tunc talis ratio præcisa erit una, & univoca, una quidem, quia ut sic est præcise ratio conveniendi, univoca vero quia illis a quibus abstrahitur, convenit secundum idem nomen, ac eandem rationem, assumptum de se patet, quia veritas in essendo est conformitas rei ad cognitionem. & veritas in repræsentando est conformitas cognitionis ad rem. Consequentia probatur, quia in tali abstractione conformitatis, ut sic, nulla cernitur repugnantia, nec ex parte intellectus, nec ex parte inferiorum, a quibus fieri debet abstractio, non quidem ex parte intellectus, quia hic exercere potest virtutem suam præcisivam ubicumque reperit rationes aliquo modo distinctas convenientiæ, & disconvenientiæ, sicut contingit in proposito; nam ratio fundans convenientiam in ratione veritatis est diversa ab ea, quæ ponit diversitatem, cum exhibeant effectum formalem diversum; nec est repugnantia ex parte illorum inferiorum, quando enim veritas cognitionis ad veritatem rei comparatur, non adeo inter se diversæ inveniuntur, quin aliquo communi conceptu convenire possint veritatis, & conformitatis, ut sic; & sane non alia ratione dicitur intellectus ab homine, & equo rationem animalis abstrahere posse, aliisque animalibus, nisi quia intellectus puram concipit rationem convenientiæ inter illa, præscindendo prorsus a rationibus particularibus differentialibus, & propriis; & hæc ratio est adeo evidens, ut aliam addere pro hujus conclusionis probatione non sit necesse. Confirmari tamen adhuc potest, & amplius declarari hæc ratio, quia licet istæ veritates rei, & cognitionis secundum proprias rationes differentiales consideratæ sint inter se diversæ, adeo ut diversas veritatis species constituant, quarum una est realis, & in essendo, alia intentionalis, ac in repræsentando; adhuc tamen in singulis invenitur communis ratio veritatis, & conformitatis, ut sic, ratione cujus una communicat cum alia, & in hoc conceptu communi conformitatis, ut sic, fundari poterit univocatio veritatis, ut sic, ad utramque.

177 Secundo asserendum est contra Pasqualig. veritatem cognitionis, sive repræsentativam esse quamdam speciem veritatis contradistinctam a veritate in essendo, & quidem hoc assertum sequitur ex præcedenti; si enim veritas in communi univoce dicitur de veritate in essendo, & in repræsentando, & tam res, quam cognitio per proprias rationes differentiales sibi contrahunt, & appropriant rationem illam communem, & generalem, sequitur evidenter ex tali contractione constitui diversas veritatis species abinvicem condistinctas; & quidem hæc consequentia est evidens, quia non aliter, nec alia ratione animal per rationalitatem, & irrationalitatem contractum dicitur hominem, & brutum constituere, veluti species abinvicem contradistinctas, species enim constituitur ex ratione differentiali superaddita generi. Immo hoc est adeo evidens, ut apertis verbis id fateatur Pasqualigus in eadem sectione tertia, numero quarto, ubi ait quod si veritas cognitionis, & veritas in essendo considerentur secundum proprias rationes differentiales, tunc hæ veritates sunt diversæ inter se, itaut constituant diversas species, quarum alia est veritas realis in essendo, alia veritas intentionalis in repræsentando; male ergo id negat postea numero octavo, & satis inconsequenter ad conclusionem primam, ubi asserit conceptum veritatis in communi, ut sic, univoce descendere in veritatem rei, & cognitionis, cum hic descensus poni nequeat, nisi veluti generis in proprias species, quoniam diversitas specierum constituitur per divisionem generis, aut saltem quasi generis in species, quod addo ad excludendam tacitam responsionem, quod non omne univocum per contractiva diversæ rationis coarctabile est genus, nec enim ego in tanto rigore de genere loquor, neque ob hanc rationem negat Pasqualigus hanc esse divisionem generis in species, sed ea præcise de causa, quia veritas cognitionis non est species propria contradistincta a veritate in essendo, cum in ea fundetur, quod est contra rationem speciei ab alia contradistinctæ, quam rationem postea dissolvam.

178 Tertio ad ostendendum quem ordinem inter se servent prioris, & posterioris veritas rei, & cognitionis, recolendum est, quod diximus supra num. 134. in rebus duas considerari posse cognoscibilitates, unam extrinsecam, quæ habetur per meram denominationem extrinsece desumptam a cognitione possibili, alteram intrinsecam, quæ consistit in intrinseca aptitudine, quam res habent in seipsis, ut causare possint, vel saltem terminare cognitionem de seipsis; nam juxta hanc distinctionem duplex quoque veritas potest rebus convenire, una per denominationem mere extrinsecam a veritate, quæ est in intellectu, qua res denominatur conformis intellectui apprehendenti, altera per denominationem intrinsecam, qua unaquæque res ex intrinseca, & propria natura conformabilis est intellectui actu, vel potentia concipienti rem sub tali ratione entis realis. Itaque si sermo sit de veritate primi generis, satis exploratum est veritatem prius convenire cognitioni, quam rebus, quia rebus convenit dependenter a cognitione, & universaliter loquendo, quæ sunt talia per solam extrinsecam denominationem ab aliis, posterius sunt talia, quam ea, quæ sunt talia intrinsece, & quæ sunt causa, & ratio cur alia denominentur extrinsece talia, quod explicari, & practicari potest in consueto exemplo de sano, quod intrinsece, & prius convenit animali, extrinsece autem, & posterius medicinæ, ac deambulationi, in hoc igitur sensu veritas prius dicitur de veritate cognitionis, quam de veritate rei; cæterum non secundum hanc rationem, vel denominationem sumitur verum, cum dicitur passio entis, quia ut sæpe dictum est, nequit passio realis, & positiva entis in sola denominatione extrinseca constitui; neque in hoc sensu dicimus verum de veritate cognitionis, & rei univoce prædicari, immo sic æquivoce prædicatur, & inter ens solum assignari potest aliqua analogia attributionis per extrinsecam denominationem, ut dicimus de sano respectu dietæ, & animalis.

179 At si loquimur de posteriori genere veritatis, quæ intrinsece reperitur in rebus, tunc e contra asserendum est, veritatem prius rebus convenire, quam cognitioni, ob eamdem rationem, quia nimirum in hoc sensu veritas convenit cognitioni dependenter a rebus, quod probatur tum auctoritate, nam hac de causa dicebat Aristot. cap. de substantia ab eo quod res est, vel non est, orationem dici veram, & falsam, ut nimirum indicaret veritatem cognitionis in repræsentando dependere a veritate rei in essendo, & 2. Metaph. tex. 4. sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, ut ibi Doctor explicat in

in expositione textus notab. secundo. Tum etiam ratione, quia veritas rei in essendo concurrit in genere objecti ad causandum veritatem repræsentativam in cognitione; & hæc est veluti effectus illius, atque ideo posterior ea, qua de causa dici solet cognitionem supponere objectum, quod repræsentare debet; tum quia veritas cognitionis ordinatur ex natura sua ad repræsentandum objectum secundum suam veritatem, veluti quoddam exemplar illius, & imago, sed veritas imaginis, & exemplaris dependet a veritate imaginati, & exemplati, ergo &c. Rursus idipsum in ipsamet cognitionis entitate ostendi potest, nam in ipsamet cognitione vera duplex veritas reperitur ex dictis nu. 130. nempe veritas transcendentalis, quæ ejus consequitur entitatem, & veritas repræsentativa, quæ illi convenit in ordine ab objectum, quod repræsentat, quæ veritates ita inter se ordinantur, ut repræsentativa fundetur in transcendentali, nam veritas repræsentativa fundatur in entitate cognitionis, & consequenter in veritate entitatis ejus, nisi enim cognitio suam propriam, ac veram entitatem haberet, utique veritatem repræsentativam fundare non posset. Denique veritas transcendens præcedit repræsentativam ea prioritate, a qua non convertitur subsistendi consequentia, nam in ipsamet cognitione, ut loc. cit. diximus, potest illa esse sine ista, ut constat in cognitione falsa, quæ habet veritatem suæ essentiæ absque veritate reptæsentationis, non e contra, & in ordine ad cætera objecta certum est, cognitionem esse non posse absque illis, bene tamen e contra, unde dicebat Arist. cap. de ad aliquid, si datur scientia datur & scibile, non tamen e contra, quia dari potest scibile sine scientia, ergo veritas in essendo a toto genere veritatem in repræsentando præcedit, & hæc ab illa oritur, ut docet Scotus loc. cit. 2. Met. in expositionem tex. 4. notab. 2.

180 Hinc sequitur inter veritatem rei, & cognitionis assignari posse analogiam inæqualitatis, quæ explicari solet per prius, & posterius, vel secundum ordinem, vel secundum perfectionem, ut declaratum est disp. 2. Log. q. 5. art. 1. nam prius descendit veritas in veritatem rei, quam cognitionis, cum huic conveniat dependenter ab illa; potest etiam assignari analogia attributionis, non quidem dictæ per denominationem extrinsecam tantum a primo analogato, sed per denominationem intrinsecam in omnibus, licet adhuc cum subordinatione, & dependentia unius ad aliud, qualem ibid. loc. cit. explicuimus, & intercedere diximus inter Deum, & creaturam substantiam, & accidens in ratione entis disp. 2. potest, inquam, talis analogia attributionis inter veritatem rei, & cognitionis intercedere, quatenus veritas convenit cognitioni dependenter a veritate rei, ut probatum est. Unde non satis consequenter in hac re videtur loqui Pasqualig. loc. cit. ubi cum nobiscum teneat veritatem rei, & cognitionis inter se univoce convenire, & veritatem, ut sic, prius competere veritati rei, quam cognitionis, quia huic convenit dependenter ab illa, inquit postea veritatem, ut sic, æqualiter descendere in utramque veritatem; sane hæc non videntur satis cohærere, si namque veritas prius descendit, & contrahitur ad veritatem rei, quam cognitionis, quomodo æqualiter descendit in illa, & cum omnimoda, ac perfecta æqualitate, ut ipse loquitur? forte dicet per hanc perfectam æqualitatem ipse intelligere perfectam unitatem, & indivisibilitatem ejusdem rationis formalis, secundum quam descendit in utramque, quia si secundum hanc inæqualiter descenderet, jam non salvaretur unitas conceptus communis, & univocatio ejus ad sua inferiora. Hoc sensu concedimus, & nos æqualiter descendere, sed modus loquendi non est bonus, quia tunc aliqua natura communis dicitur inæqualiter descendere in inferiora, cum prius in unam speciem descendit, & postea in aliam, ut constat de speciebus numerorum, prius enim descendit numerus in binarium, quam in ternarium, vel perfectiori differentia ad unam contrahitur speciem, quam ad aliam, qua ratione inquit Arist. 7. Physic. 31. & 3. Metaph. 11. solam speciem athomam in individua descendere cum omnimoda æqualitate, quia cum omnimoda uniformitate ab illis participatur quoad per se ordinem, & perfectionem essentialem; tum quia juxta modum loquendi Pasqualig. omnes conceptus communes univoce pari, & æque perfecta æqualitate in sua inferiora descenderent, quod est contra communem loquendi modum, & præsertim Arist. loc. cit. ac etiam contra rationem, quia conceptus univoci, quo sunt communiores, cum minori æqualitate descendunt in sua inferiora, & quo minus communes, cum majori, unde tandem infima species descendit cum omnimoda æqualitate.

181 Petes, cuinam veritati ex dictis primo impositum sit nomen veritatis ex primæva sui significatione, num veritati rei, vel potius cognitionis, Pasqualig. & Meuriss. loc. cit. inquiunt neutrum posse firmiter, & cum veritate asseri, quia de facto usus obtinuit, ut æque dicatur hoc nomen de vero rei, ac de vero cognitionis, atque ideo quæsitum relinquunt insolutum. Suarez autem, & Averta volunt nomen veritatis prius fuisse impositum ad significandam veritatem cognitionis, & inde fuisse extensum ad significandam etiam veritatem rerum, & ratio est, quia veritas cognitionis nobis notior videtur, & magis obvia; & hoc etiam ego magis probabile arbitror, & falsum est quod ait Meurisse, usum de facto obtinuisse, ut æque dicatur veritas de vero rei, & cognitionis, nam in consueto modo loquendi etiam apud vulgares frequentius nomen veritatis tribuitur actui intellectus, quam objecto, dicimus enim opinionem veram, existimationem veram, non sic de aliis rebus; sed quicquid sit de hoc, parum refert, quia hic veritatis naturam, & significatum perscrutari intendimus, non autem nominis impositionem.

Argumentorum solutio.

IN oppositum arguitur; Primo contra primam conclusionem probando veritatem non dici univoce de veritate rei, & cognitionis, nam veritas reperitur in rebus dumtaxat, sicut sanitas in medicina, nimirum causaliter solum, non formaliter, quatenus sicut medicina sanitatem in animali causare potest, ita res verum judicium in intellectu de seipsa, sicut ergo sanitas æquivoce dicitur de animali, & medicina, ita veritas de re, & cognitione, probatur assumptum Vasq. 1. p. disp. 77. cap. 4. quia in rebus non datur falsitas nisi causaliter, non enim alia ratione res aliqua dicitur falsa, ut aurum falsum, nisi quia est causa falsæ exstimationis, & præbet occasionem erroris, dum apparet aliter, quam est, ergo similiter non datur alius modus veritatis in rebus; tum quia aliud est rem esse conformem, & veram, aliud causare cognitionem conformem, & veram, hoc secundum convenit rebus, non primum. Deinde arguit Suar. quia hic intercedere non videtur unus conceptus objectivus secundum aliquam rationem communem, nam longe est alia ratio veritatis in cognitione, quam sit in aliis rebus, unde solum concedi potest quædam proportionalis analogia, quæ in hoc consistit, quod sicut veritas compositionis requirit illam conformitatem inter esse rei, & judicium, ita veritas transcendentalis requirit talem entitatem rei, quæ adæquari possit proprio conceptui, vel ideæ. Tandem occurrit hic illa difficultas tacta n. 136. quod si datur hic conceptus veritatis communis, & univocus ad transcendentalem, & repræsentativam, tunc dabitur conceptus veritatis communior ipsa veritate transcendenti, quod videtur absurdum, cum conceptus transcendentes sint cæteris communiores.

182 Resp. negando assumptum, cujus oppositum probatum est qu. præced. num. 24. nimirum dari in rebus veritatem, & intelligibilitatem intrinsece, & formaliter, non autem causaliter tantum, ejus vero prima probatio a Vasquez adducta ostendit quidem dari talem modum falsitatis, ac veritatis, sed non probat non dari alium modum veritatis, quæ rebus ineat formaliter, & intrinsece, cui veritati an detur falsitas opposita, quæ juxta talem modum res omnis est vera qu. seq. discutiemus; sed neque altera probatio urget, quia res non ideo præcise dicitur vera in essendo, quia causat, vel causare potest cognitionem sibi conformem, sed præsertim quia conformabilis est cognitioni, quam causare potest, vel saltem terminare, quinimmo si res præcise diceretur vera per talem respectum causalitatis, quia nimirum veram de seipsa potest in intellectu causare notitiam, tunc non omnis res esset vera transcendentaliter, quia non omnia entia realia sunt objecta motiva, & causativa cognitionis, vel speciei in intellectu, sed quædam sunt mere terminativa, ut constat de relationibus ex dictis disp. 6. de Anim. q. 5. art. 1. itaque potest utique res extrinsece denominari vera a veritate cognitionis, quam causare potest, ut bene probat Vasquez, sed adhuc ulterius denominari potest vera intrinsece, & formaliter. Ad 2. ex Suarez negatur assumptum, ad cujus probationem dicendum est longe quidem diversam esse rationem veritatis transcendentis a ratione veritatis repræsentativæ loquendo de rationibus specialibus, & determinatis, convenire tamen in ratione communi veritatis, & conformitatis, ut sic; & certe inter illas majorem assignari posse analogiam, quam solius proportionalitatis, etiam in principiis ipsius Suarez; cum enim ipse in rebus agnoscat veritatem, & conformitatem etiam per intrinsecam denominationem, bene poterat inter utramque veritatem interponere analogiam attributionis per formam intrinsece participatam ab utroque analogato, cum talis analogia apud ipsum detur, immo ut consequenter loqueretur, ita afferere tenebatur, cum enim secundum ipsum omnis analogia proportionalitatis includat semper aliquid metaphoræ, ac improprietatis, nequaquam inter utramque veritatem solam proportionalitatis analogiam interponere poterat, quia etiam secundum ipsum tam res, quam cognitio in suo proprio ordine veræ dicuntur absque ulla metaphora, vel improprietate. Ad 3. negatur falsitas consequentis, non enim ideo conceptus aliquis dicitur transcendens, quia dari nequeat conceptus communior ipso, sed quia communis est enti creato, & increato, & in quolibet ente includitur quidditative, vel identice; unde disp. 2. qu. ult. art. 2. non ideo negatus est conceptus communis univocus enti reali, & rationis, quia ens reale, & transcendens, sed quia repugnat conceptus præscindens ab ente reali, & rationis, quæ repugnantia hic non intervenit, cum utraque veritas tam transcendentalis, quam repræsentativa sit quid reale.

Secundo arguit Pasqualig. contra 2. concl. probando veritatem repræsentativam non esse proprie speciem veritatis contradistinctam a veritate in essendo; nam species contradistincta ab alia non potest fundari in ipsa, quia constituitur per oppositam differentiam, & habet incompossibilitatem ad essendum simul cum differentia speciei contradistinctæ, ex vi enim incompossibilitatis differentiæ dividunt rationem communem; sed veritas repræsentativa non est incompossibilis cum veritate in essendo, sed in ip-

in ipsa fundatur, ergo &c. Deinde species contradistinctæ cum immediate ponantur sub eodem genere, una non est prior natura altera, sed æque primo constituuntur, quippe earum differentiæ æque primo adveniunt generi, sed veritas cognitionis est posterior natura veritate in essendo, cum in ipsa fundetur, ergo &c. Demum una species non est de constitutivo alterius, neque in ea includitur, sed veritas transcendentalis includitur formaliter in veritate repræsentativa, alioquin hæc non esset veritas realis, ergo &c.

183 Resp. utique unam speciem non posse cum alia formaliter coincidere, cum per oppositas constituantur differentias, bene tamen materialiter, quo pacto non opponuntur, & una concurrere potest ad constitutionem alterius, explicat hoc eleganter Ant. And. 10. Metaphys. qu. 2. dicens nullum esse inconveniens aliqua esse opposita uno modo, puta si considerentur secundum se, ut habent formas suas proprias; & alio modo non esse opposita, si considerentur nimirum ut alterum includitur in altero, & est pars alterius, hoc declarat exemplo corporis pro altera parte compositi, quod quidem secundum se, & absque anima consideratum, ut habens aliquam formam propriam, opponitur animali, sicut inanimatum animato, secundum vero quod consideratur, ut pars animalis, & informatum anima, sic non opponitur animali, sed est ejus materialis pars; similiter est de duabus speciebus numeri, puta quaternario, vel ternario, nam quaternarius consideratus secundum se, & formam suam propriam, est diversa species a quinario, si vero consideratur, ut includitur in quinario, & est pars ejus, sic non distinguitur specie ab ipso; quam etiam doctrinam in terminis tradidit, & eisdem exemplis firmavit D. Thom. 10. Metaphys. lec. 4. & ante ipsum noster Alensis eodem lib. 10. Metaphys. qu. illa in tex. 17. utrum unum, & multa sint contraria; quod adhuc etiam declarari potest aliis exemplis in speciebus quantitatis tam continua, quam discreta, numerus namque qui est quantitas discreta fundatur in quantitate continua, & ex ea constituitur, tamquam ex suis partibus; sic etiam in quantitate continua, linea concurrit ad constitutionem superficiei, & superficies ad constitutionem corporis, & tamen istæ singulæ sunt species quantitatis continuæ inter se diversæ, ut fuse declaratum est disput. 7. Logic. qu. 2. artic. 2. in solutione ad primum; sic igitur in proposito dicendum erit, quod esto veritas repræsentativa fundetur in veritate entitativa, ex hoc non bene infertur non esse species abinvicem contradistinctas. Ad 2. major non est universaliter vera, sed tantum quando genus eodem ordine descendit in suas species, contingere tamen potest quod non eundem ordinem servet, & hoc fit præcipue, quando in unam speciem descendit dependenter ab alia, sic prius descendit numerus in quinarium, quam in ternarium, vitalitas prius ad potentiam vitalem contrahitur, quam ad actum vitalem, quia hic est vitalis dependenter ab illa, ens prius in Deum, quam in creaturam; & in substantiam, quam in accidens, quia hæc sunt entia dependenter ab illis, sic pariter in proposito est suo modo dicendum. Ad ultim. occurrendum est, ut ad primum, neque minor ex integro concedi debet, quia veritas entitativa non concurrit ad repræsentativam, ut formale constitutivum ejus, ut assumitur in minori, sed ut constitutivum materiale, ac ut ejus fundamentum, quia hæc fundatur, & radicatur in illa, & hac de causa ipsa quoque veritas repræsentativa dicitur realis, & aliquid reale importare.

Tertio arguitur ad probandum veritatem cognitionis non esse posteriorem veritate rei, *sed* potius priorem, aut saltem simul natura; nam nomen ipsum veritatis ex primæva sui significatione impositum est ad significandam veritatem cognitionis, & inde translatum ad significandam veritatem rei. Deinde, quia ultra veritatem, quæ est in rebus per denominationem extrinsecam, non debet alia admitti per denominationem intrinsecam, immo hæc in nullo differt ab illa, rem namque esse cognoscibilem, sicut est, quod est esse veram, aliud formaliter non est, quam intellectum posse illam cognoscere, sicut est, unde ex tali aptitudine, & possibilitate intellectus præcise oritur in re per extrinsecam denominationem aptitudo, ut sic, ita cognoscibilis. Tandem concedendo etiam, quod talis aptitudo in rebus ponat intrinsecam relationem veritatis, & cognoscibilitatis, correspondentem aptitudini intellectus id illas ita cognoscendas, non adhuc sequitur veritatem prius convenire rebus, quam intellectui, vel cognitioni, sed potius esse simul natura, quia hæ duæ conformitates se habent, tamquam duæ relationes mutuæ, quæ sunt simul natura. nec una præcedit aliam, ut arguebat Aversa cit. supra num 175. cum Smisinch.

184 Resp. assumptum esse dubium, ut diximus, *sed* quando etiam concedatur, non bene inde deducitur consequentia, quia hic non est quæstio ipsius nominis impositione, sed de re significata per nomen veritatis, & dicimus ex natura rei prius convenire rebus, quam cognitioni, etiamsi quoad nos, & ex hominum instituto nomen veritatis prius fuerit impositum cognitioni. Ad 2. negatur assumptum cum ejus probatione, cui abunde satisfactum est supra nu. 134. solvendo argumenta Hurtad. nam illa denominatio, de qua fit mentio in argumento præcise sumitur ex veritate extrinseca, *ut denominante objectum* vel causam suam, at veritas rerum, quæ est proprietas entis, non sumitur ex illa denominatione, sed ex ipsa rei entitate, ut habente conformitatem ad intellectum, atque ideo est denominatio intrinseca, quæ natura præcedit veritatem cognitionis, quod ex eo evidenter deducitur, quia objectum est natura prius potentia, & in tali prioritate supponitur in objecto aptitudo aliqua ratione, cujus aptum sit terminare actum potentiæ, ut constat de colore, & sono respectu visus, & auditus; sic igitur pariter in ente, ut intelligibile, & verum dicatur, quantum opus est, dicatur objectum intellectus, non sufficit facultas extrinseca, quæ vim habeat, & aptitudinem illud intelligendi, sed etiam ex parte ipsius entis supponi debet aptitudo intrinseca, ratione cujus potest actum hujusmodi terminare. Ad 3. aliud est comparare adinvicem veritatem transcendentalem, & repræsentativam, ut sunt duæ species veritatis, ut sic, & aliud est comparare rem ipsam, & intellectui conformem, vel conformabilem, & e contra intellectum, vel cognitionem, ut conformabilem illi; in hac enim secunda comparatione conferuntur simul objectum, & potentia, vel cognitio, & in hoc sensu utique verum est relationes inter ipsa versantes esse simul natura, si uniformiter sumantur, ut arguebat Aversa, conformitas enim actualis cognitionis ad rem correspondet conformitati actuali rerum ad cognitionem, & conformitas aptitudinalis cognitionis, quatenus possibilis, correspondet conformitati rerum ad cognitionem, quatenus possibilem; at in prioriri comparatione non conferuntur invicem in ratione objecti, & potentiæ, sed velut duæ species sub eodem genere contentæ; unde illa prior comparatio fieri potest in ipsamet cognitione conferendo veritatem repræsentativam cum ejusdem veritate entitativa, quam utique non respicit in ratione objecti, quia aliud quid distinctum repræsentat, nec ejus conformitas in repræsentando terminatur ad illam veritatem entitativam, adeoque debeat esse simul natura cum ipsa; unde constat, Aversam cum Smisinch. in hac re vehementer hallucinatum esse, dum primam comparationem confundit cum secunda.

185 Hic quæri solet, an veritas transcendentalis sit æqualis in omnibus rebus; cui dubitationi occasionem dedit Arist. 2. Met. tex. 4. ubi expressis verbis docuit veritatem esse in rebus inæqualem, juxtaque ipsarum rerum veritatem diversos habere gradus, itaut illæ sint aliis veriores, quæ vel sunt perfectiores in essendo, vel sunt aliis causæ, ut veræ sint; inquit enim, *quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est*; & tandem concludit in fine textus, *sicut secundum esse unumquodque se habet, ita secundum veritatem*, & licet possit esse dubium, de qua veritate ibi loquatur Arist. num de veritate incomplexa, quæ est passio entis, vel de complexa, quæ est veritas propositionis, & juxta hoc utrum intendat de primis principiis, & causis incomplexis, cujusmodi sunt substantiæ immateriales, vel de principiis complexis; ut sunt primæ dignitates, & communia axiomata, frequentior tamen, ac magis Interpretum expositio recepta est, quod de utrisq; loquatur, immo principalius de incomplexis, ut ibidem exponunt Scotus, & Alensis, quia eo loci probare intendit, quod substantiæ immateriales sunt verissimæ, de quibus est sapientia, quæ Metaphysica nominatur; At ex alia parte hoc apparet valde difficile, quia, sive veritas transcendentalis explicetur per conformitatem ad divinas ideas, sive ad intellectum, videtur potius in omnibus æqualis, ac in indivisibili consistere, unaquæq; *enim res conformis est suo conceptui*, & suæ ideæ, & non minus conformis est suæ ideæ infima creatura, quam quælibet quantumvis perfecta, videtur ergo veritas in omnibus rebus æqualis, ac plane in indivisibili consistere; hac de causa varii modi dicendi excogitati sunt ad hoc dubium dissolvendum.

186 Primo Fonseca in eum Arist. locum duplicem inquit posse in unaquaque re conformitatem considerari, unam quidem ad propriam ideam, quam habet in divina mente, & hanc ait esse utique in omnibus æqualem, & nullos admittere gradus; res enim dicuntur veræ, quia adæquantur conceptui, quem Deus de singulis habet, cum ergo omnes æque confirmentur cum divinis ideis, sequitur in hoc sensu omnes esse æqualiter veras. Alia conformitas in rebus considerari potest penes imitationem quandam, & accessum ad conceptum de primo, & perfectissimo ente, & hanc inquit in creatis rebus esse inæqualem, & in una re esse majorem, in alia minorem, *secundum quod magis, vel minus divinam imitatur perfectionem*, & juxta hunc sensum unam rem dici veriorem alia. Hunc dicendi modum reiicit Aversa q. 6. sec. 8. quia res non dicuntur veræ per conformitatem, aut assimilationem ad conceptum illum perfectissimi entis; quamvis ergo res dicantur magis aut minus accedere ad illum conceptum, eumve imitari, non propterea dicentur aliæ aliis veriores. Cæterum res posse etiam in hoc sensu aliquo pacto dici veras testatur Alensis loco cit. imo inquit Avic. 9. suæ Met. cap. 6. in hoc sensu posuisse latitudinem graduum in veritate entium, quia illud, quod plenius assequitur rationem essentiæ, est verius ens, quam illud, quod assequitur sub aliqua limitatione, primus autem motor assequitur plenitudinem entis non sub gradu limitato, ergo in primo verius salvatur ratio entis, quam in aliis; non ergo omnino fictitium, & novum est hoc veritatis significatum, juxta quod Fonsec. assignat gradus in veritate rerum, prout magis, vel minus limitate assequuntur rationem essentiæ, & primum ens imitantur, potius ergo ex eo capite hic dicendi modus est impugnandus; quia veritas in eo sensu accepta non est proprietas entis, de qua hic est sermo, & de qua ibi Arist. loquitur, sed est veritas accepta pro conformitate vel ad intellectum modo supra explicato, vel ad divinas ideas, ut tenet ipse Fonsec. cum ergo juxta hanc acceptionem non habeat gradus, nec suscipiat magis, & minus, ut ipse fatetur; consequenter fateri debet veritatem, quæ est passio entis, esse æqualem in omnibus, & parum refert ad

ad solutionem præsentis dubitationis, quod veritas in alia acceptione, in qua non est passio entis, habeat gradus.

187 Secundo ipse Aversa loc. cit. inquit, quod cum dicitur unum eni esse magis verum, quam aliud, verum sumi simpliciter pro ipso ente, ac si dicatur est magis ens, & ideo Arist. dixisse, sicut res se habent secundum esse, ita secundum veritatem, id est sicut denominantur secundum esse, ita secundum veritatem, quia ens, & verum pro eodem sumuntur, denominatur autem unum magis ens, quam aliud, quia vel est prius, vel magis necessarium in essendo, unde juxta hanc explicationem non veritas formaliter sumpta habet diversos gradus, seu suscipit magis, & minus, sed solum materialiter nimirum ipsum ens verum. Sed hunc dicendi modum optime impugnat Pasqualig. disp. 67. sect. 4. nu. 7. tum quia Arist. loc. cit. dum ponit gradus in veritate, loquitur de ratione veritatis formaliter acceptæ, non materialiter, ut constabit textum consideranti. Tum quia subjectum, & passio ob perfectam eorum identitatem, & affinitatem ita se habent, quod si unum suscipit magis, & minus, etiam & aliud, unde quia albedo suscipit magis, & minus, etiam & disgregare suscipit magis, & minus, si ergo ens magis, & minus suscipit, idem quoque dicendum erit de veritate formaliter accepta, vel si hæc non suscipit, signum erit neque subjectum, quod est ens, suscipere Tum tandem quia falsum quoque est ens in ratione entis suscipere magis, & minus, nam aliud est unum esse perfectius ens alio, aliud est esse magis ens illo, primum utique est verum, at non secundum, neque ex alio potest hoc deduci; quia inæqualitas perfectionis non ponit magis, & minus in ratione entis, nam magis, & minus secundum eandem rationem contingere debent, non secundum diversas, at quando substantia v.gr. dicitur perfectior essentia, vel perfectius ens accidente hoc plane non attenditur penes rationem ipsam entis, quia hæc consistit in indivisibili, & indivisibiliter ab utroque participatur, sed penes perfectiores rationes contrahentes, ratione quarum præcise unum dicitur perfectius ens alio.

His rationibus, & bene ut dixi, Pasqualig. loc. cit. impugnat allatum dicendi modum, sed qua consequentia non video, quia & ipse postea in eadem sect. nu. 11. suam proponens explicationem in eundem prorsus dicendi modum incidit, dum inquit veritatem secundum suam rationem formalem esse æqualem in omnibus rebus, *itaut non habeat gradus, aut inæqualitatem*, quia unaquæque res est perfecto modo commensurata cum idæa divina, in quo secundum ipsum consistit formalis ratio veritatis, & ad summum, inquit, materialiter posse rem unam esse magis veram, quam aliam, adeout inæqualitas omnis se teneat non ex parte veritatis formaliter, sed tantum ex parte entis, quod veritate afficitur; idem etiam proxime antea docuerat disput. 66. sect. 4. num. 7. ubi ait in veritate formaliter accepta omnes res esse æquales; quia non una magis, quam altera, divinæ conformatur idææ, in veritate autem materialiter accepta, nimirum in illo esse, quod verum est, inæqualiter se habere, quia participant esse cum diversa mensura perfectionis; & hoc pacto ait Arist. procedere, dum ait loc. cit. unumquodque ita se habere secundum veritatem, sicut se habet secundum esse. Jam vides hunc Auctorem eundem prorsus dicendi modum amplecti, quem antea rejecerat, atque ideo data opera ejus rationes adduxi, & approbavi, quibus eum impugnat, ut constet nedum sibi contradicere, sed etiam semetipsum in eadem prorsus disp. & sect. impugnare, secumque luctari, unde nec alias rationes præter suas, quas contra Aversam congerit, producere decrevi, satis enim per illas convincitur, & impugnatur.

188 Subdit nihilominus alium modum hic Auctor, quo secundum rationem formalem veritatis potest aliquid dici magis verum, quam alterum, & hoc est si magis, & minus accipiatur, prout importat non quidem inæqualitatem graduum, sed excellentiæ, contingit enim veritatem aliquam esse altera excellentiorem secundum ipsam rationem veritatis, sic veritas per fidem revelata est excellentioris ordinis, quam veritas scientiæ, & præcipua ratio, ob quam aliquid dicitur excellentioris veritatis, est, quia tale verum sit causa veritatis cæterorum, sicut prima principia in genere discursus sunt prima causa veritatis *conclusionum*, & ideo dicuntur in tali genere omnium magis vera, quam conclusiones, hoc est, excellentioris veritatis; & hunc inquit esse sensum Aristot. citat. 2. Meteph. text. 4. ibi enim universaliter loquitur de quocunque quod in aliquo genere sit causa cæterorum, & de hoc dicit, quod in illo genere sit minime tale, & magis tale, quam cætera; hoc autem illi convenit, quia in illo genere exercet rationem primæ causæ respectu cæterorum, quod importat quandam majorem excellentiam supra cætera, quæ debent reduci in ipsum, ut in principium. Sed quamvis hic sit unus ex legitimis modis, quibus unum dici potest magis verum alio, idest excellentioris veritatis, quatenus independentis, ut statim ex Scoti expositione subiiciam, falsum tamen est hunc esse præcisum modum assignandi inæqualitatem in ratione formali veritatis ipsarum rerum, & hanc præcise fuisse ab Aristot. loc. cit. intentam, non autem inæqualitatem secundum gradus; nam ex verbis ipsius textus, & præsertim ex exemplo ignis, quod adducit, evidens est assignare voluisse inæqualitatem in veritate rerum, nedum secundum excellentiam, sed etiam secundum intensionem graduum, inquit enim, *unumquodque vero idipsum maxime aliorum est, secundum quod aliis univocatio inest, ut puta ignis calidissimus, dicimus etenim cæteris hic est caliditatis causa, quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est*, sane cum ex hoc quod ignis est causa caliditatis cæterorum, infert ipsum esse præcæteris calidissimum, non intelligit solum de prælatione excellentiæ, sed etiam intensionis, ut satis de se constat, ergo cum ex hoc infert, verissimum etiam esse id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est, intelligit nedum quoad excellentiam veritatis, sed etiam quod intensionem, alioquin paritas non teneret in omnibus, & tamen Arist. argumentum in tali paritate fundatur, quod quemadmodum ignis ideo est calidissimus, quia est causa caliditatis aliorum, ita verissimum debet esse id, quod est causa veritatis cæterorum, & quando etiam ex hoc intenderet solum Aristot. inæqualitatem quoad excellentiam, adhuc tamen ex alio capite ibi inducit inæqualitatem etiam quoad intensionem, ut mox dicam.

189 Tertio itaque dicendum dari inæqualitatem in veritate rerum, nedum quoad excellentiam, sed etiam quoad intensionem graduum, & secundum ipsam formalem rationem veritatis. Ita colligitur ex Doctore super præfatum Aristot. textum, & alibi, ubi eundem explicat textum, ut quæst. 21. de Anima §. *sed quod sit*, & 1. dist. 8. quæst. 3. §. *Respondetur*; & potest id variis modis suaderi, & explicari, in primis Scotus ipse 2. Metaph. in expositione illius tex. 4. in secundo notabili ita rem explicat; veritas est passio entis, ideo sequitur esse rei proportionabiliter; & idcirco concludit Philosophus ex prædictis; quod quia ea, quæ possunt esse aliis causa essendi, vera sunt maxime vera, sequitur, quod unumquodque *eo modo, quo habet esse, habeat etiam veritatem* ut ea, quorum esse est sempiternum, sit etiam veritas sempiterna, & quorum esse non est semper, nec veritas est semper, & quorum esse habet causam, similiter veritas habet causam, & quorum non, non, quia etiam veritas in intellectus oritur ex veritate in re, idcirco sicut res habet esse, sic etiam est aptæ nata vere cognosci, ut sic semper ab ipso esse rei oriatur conformitas veritatis, sive in re, sive in intellectu, quare bene dicit Philosophus, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad veritatem, ita Scot. loc. cit. eodem fere modo in eum textum loquitur Alensis, dicens, quod super hoc fundatur ratio Arist. in hoc textu, probat enim, quod hæc inferiora non sunt verissima, quia quandoque sunt, & quandoque non sunt, & quæ quandoque non sunt, non habent veritatem, nisi propter naturam possibilitatis, quæ autem separata sunt, verissima sunt, quia semper sunt, semper autem esse oritur ex natura necessitatis; & sic etiam explicat D. Thomas illum textum, duplici ratione quædam esse aliis veriora, uno modo magis vera dici, quæ sunt causa veritatis aliorum, alio modo illa, quæ sunt magis necessaria, & minus variabilia, & illa esse maxime vera, quæ sunt prorsus necessaria. Constat itaque hos Doctor. ex mente Arist. assignare inæqualitatem in ipsa formali ratione veritatis rerum, nedum quoad gradum excellentiæ, sed etiam quoad gradum intensionis; ait enim Aristot. ex duplici capite posse unam rem dici alia veriorem, primo quia una est causa veritatis alterius; unde dicit *quare verissimum etiam est id, quod posterioribus, ut vera sint, causa est*, deinde quia in gradu essendi una est perfectior altera, unde concludit, *sicut secundum esse unumquodque se habet, ita secundum veritatem*, & sic ex ordine causæ, & effectus accipit inæqualitatem veritatis rerum quoad excellentiam, & ex ordine perfectionis inter res ipsas sumit inæqualitatem etiam quoad intensionem, *sicut enim res est perfectior alia in* entitate, ita etiam in veritate quoad rationem formalem veritatis.

190 At respondet Pasqualig. cit. numer. 10. quod necessitas essendi, & immutabilitas non sunt ratio veritatis, & ideo ab ipsis non posse res denominari magis veras, & quod desumere denominationem veri ab immutabilitate, aut necessitate essendi, idem est, ac si denominatio calidi desumeretur a sapore, aut denominatio albi a frigiditate. Sed plane ineptius loqui non poterat, quia veritas fundatur præsertim in necessitate, & immutabilitate rei, ut fuse Doctor ostendit 1. dist. 3. quæst. 4. loquens de finceris veritatibus, & hac potissimum de causa Arist. 1. Post cap. 2. vult scientiam, quæ est verissima, esse de objecto necessario, & immutabili; immo ratione talis necessitatis, & immutabilitatis, vult D. August. solum in divina mente finceras veritates dignosci, unde lib. 12. Confess. cap. 25. ait *ambo videmus verum esse, quod dicis, & ambo videmus verum esse, quod dico, ubi quæso id videmus? nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate*, non ergo impertinens est necessitas, & immutabilitas objecti ad veritatem, sicut sapor ad denominationem calidi, aut frigus ad denominationem albi, ut infert Pasqualig. & ex hoc capite auspicari posse inæqualitatem veritatis rerum etiam quoad intensionem fatetur Aversa loc. cit.

Deinde idipsum explicari potest ex doctrina, quam dedi de cognitione comprehensiva disput. 6. de Anim. qu. 12. ex Scoto 3. dist. 14. qu. 1. itaut inæqualitas veritatis in rebus etiam quoad intensionem accipiatur ex parte cognoscibilitatis rerum; entia namque quo sunt perfectioris entitatis, perfectioris quoque sunt intelligibilitatis, unde Deus cum sit perfectissimum in genere entis, dicitur quoque infinitos habere intelligibilitatis gradus, ex quo ibi deducebamus tunc tantum cognitionem alicujus objecti esse comprehensivam, cum illud exprimit, & attingit secundum omnes gradus cognoscibilitatis ejus, & illum tantum intellectum esse alicujus objecti comprehensivum, cujus tanta est perfectio in intel-

intellectivitate, quanta est perfectio, vel intelligibilitas objecti, ut Doctor declarat *loc. cit.* 3. dist.14. qu.1. ad 2. cum igitur veritas rei aliud non sit, quam ejusdem intelligibitas, sicut est, si dantur gradus in rerum intelligibilitate, sequitur necessario dari quoque debere in earumdem veritate, sed dantur gradus in intelligibilitate, ergo dantur quoque in veritate; quod vero dentur gradus in rerum intelligibilitate, satis est de se evidens, tum quia dantur gradus in entitate, cum una sit alia perfectior in essendo, ergo & in intelligibilitate, tum quia si omnes essent æque intelligibiles, tunc quodlibet objectum posset a quocunque intellectu comprehendi, datur ergo inæqualitas in rerum intelligibilitate, & consequenter in veritate, non tantum quoad excellentiam, sed etiam quoad intensionem.

191 Sed contra hunc explicandi modum *inæqualitatum* veritatis in rebus etiam quoad intensionem instant Pasqual. & Aversa loc. cit. quia cum dicitur rem perfectiorem esse majoris intelligibilitatis, atque ideo suapte natura postulare, ut perfectiori cognitione attingatur, præsertim ad hoc, ut comprehendi dicatur, vel sermo est de perfectione essentiali, ac intrinseca cognitionis, vel de accidentali dumtaxat nimirum intensiva; si dicatur primum, sic certe eo ipso cognitio est essentialiter, & intrinsece perfectior, quod tendit in objectum essentialiter perfectius, nihil ergo aliud esset dicere, objectum esse magis verum, sive magis, & perfectius cognoscibile, nisi esse in se magis perfectum, & omnis cognitio attingens tale objectum jam haberet talem gradum perfectionis consistentem in ipso ordine ad objectum, & quem exigit ipsum objectum, atque adeo esset comprehensio ipsius objecti, quod est falsum. Tum quia, ut arguit Pasqualig. quamvis crescente objecti perfectione crescat perfectio *materialis cognitionis*, non ramen crescit perfectio formalis in ratione cognitionis, immo fieri potest, ut sit imperfectior, sic cognitio intuitiva lapidis perfectior est, quam abstractiva, qua cognoscitur Angelus, licet objectum sit minus perfectum, si vero sit sermo de perfectione intensiva, liquido constat id esse falsum, quia objectum imperfectius, ut creatura, potest intensiori cognitione attingi, quam Deus, & prorsus vanum est dicere tale objectum exigegere cognitionem tam intensam, aliud magis, aut minus intensam. Confirmat hoc Pasqualig. quia etiam hoc admisso, non adhuc ex eo, quod perfectius objectum exigeret attingi perfectiori cognitione, sequeretur magis, & minus in veritate, nam quod cognitio sit magis, vel minus perfecta, non sequitur quod sit magis, vel minus vera, veritas enim cognitionis consistit in commensuratione ipsius cum objecto, hæc autem commensuratio æqualis est tam in cognitione perfectiori, quam in minus perfecta, quæ etiam minus perfecta si vera est, perfecte debet commensurari cum objecto.

192 Resp. hæc, & similia argumenta procedere ex doctrina Scoti de comprehensione non bene ab Adversariis percepta; cum ergo dicitur res perfectior, ut comprehendatur, perfectiori cognitione attingi debere, & adeo perfecta, ut exprimere eam valeat quoad omnes gradus intelligibilitatis ejus, non utique id intelligitur de perfectione accidentali quoad intensionem, ut dictum est disput. 6. de Anima loc. cit. numer. 344. quia cognitio minus adæquans intelligibilitatem objecti potest interdum intensior esse alia magis illam adæquante, ut actus opinionis de aliquo objecto potest esse intensior actu scientiæ, qui absque dubio a toto genere intelligibilitatem objecti magis adæquat, sed intelligi debet de perfectione essentiali, & intrinseca; cum id improbatur, dicendum ex Doctore quolib. 13. art. 3. duplicem perfectionem essentialem in cognitione distingui debere, unam *extrinsecam*, quæ ab objecto desumitur, quatenus actus solent extrinsece, & manifestative ex objectis distingui, & specificari ex Doctore ibidem, & nos late docuimus disp. 2. de Anim. qu.4. alteram intrinsecam, quæ ex propria, & essentiali differentia ipsiusmet actus attenditur, qua data distinctione ad primam improbationem dicimus verum esse, quod cognitio eo est essentialiter perfectior, quo est perfectioris objecti, loquendo de perfectione essentiali extrinseca, ac objectiva, non tamen de intrinseca, & formali in genere cognitionis, & ideo non sequitur, quod eo ipso, quod cognitio attingit aliquod objectum, fit etiam comprehensio *illius*, nam ad hoc ut cognitio sit objecti comprehensiva, non sufficit, quod utcumque illud attingat, sed illud attingere debet secundum omnes gradus *cognoscibilitatis ejus*, & *illud exprimere* perfecte, & distincte, adeout sit perfectissima cognitio etiam in genere cognitionis, quod nimirum sit distincta, & non confusa, intuitiva, & non abstractiva; hæc enim est perfectio essentialis, & intrinseca essentialiter ad cognitionem requisita in genere cognitionis ad hoc, ut sit comprehensio; quod etiam tenentur dicere Adversarii, ut cognitionem comprehensivam distinguant a non comprehensiva, alioquin si omnis perfectio essentialis cognitionis desumitur ex objecto contra ipsos quoque argumentum urgebit, quod eo ipso, quod aliqua cognitio tendit in aliquod objectum, erit ipsius comprehensio. Et per hoc idem patet ad aliam impugnationem Pasqualig. probat enim solum cognitionem intuitivam lapidis in genere cognitionis esse essentialiter perfectiorem notitia abstractiva de Angelo, licet hæc sit perfectior illa perfectione extrinseca, & objectiva, quatenus est de perfectiori objecto, quæ quidem dici potest *essentialis*, quatenus *specificatio actuum* ex objectis est a priori, non autem a posteriori, ac veluti accidentalis. Ad Confirm. ejusdem negatur consequentia cum ejus probatione, quia enim veritas non est solum commensuratio extensiva, sed etiam intensiva cum subjecto, adeout repræsentet illud, & sicuti est, & quantum repræsentabile est, ideo admittit latitudinem quandam, ut possit suscipere magis, & minus, ut late explicatum est disp. 10. Log. qu. 2. art.4. versus finem, unde falsum est, commensurationem illam esse æqualem tam in cognitione perfectiori, quam in minus perfecta, & quod etiam minus perfecta, si vera est, perfecte debeat commensurari cum objecto, potest enim adhuc esse vera, etiamsi non sit omnino eidem commensurata: neque hinc sequitur, esse cognitionem falsam, sed tantum minus veram, aliter idem argumentum fieri quoque posset de actu præcisivo, quia non explicat omnes formalitates, quæ sunt in objecto a parte rei, & consequenter non est ei omnino commensuratus, ut *loc. cit.* in Log. dicebamus.

193 Denique alio adhuc modo, & quidem omnibus evidentiori, explicari potest inæqualis veritas in rebus etiam quoad intensionem, eo quia veritas rerum in hoc consistit, ut unaquæque aliquo pacto nata sit se manifestare cuicumque intellectui, ut loquitur Doctor 6. Metaph. quæst. 3. sed sic est, quod non omnes res natæ sunt se manifestare æqualiter, ergo non omnes sunt in veritate æquales; Probatur minor, quia ut constat ex dictis disp.6. de Anim. qu. 6. quædam res sunt adeo exiguæ entitatis, ut potentiam movere non valeant ad sui cognitionem, idest notitiam suam in ea comproducere, sed solum terminare, qua de causa dicuntur objecta præcise terminativa, non vero motiva, & tales censeri solent esse relationes, aliæ vero sunt adeo perfectæ entitatis, ut non solum terminare valeant sui notitiam, sed etiam physice cum ipsa potentia concurrunt partialiter ad eam pariendam, qua ratione dicuntur ut objecta intellectus, nedum terminativa, sed etiam motiva; cum igitur una res sit magis sui manifestativa, quam altera, & tanto magis manifestativa, quanto est in entitate perfectior, consequens est, ut una sit verior altera, nam veritas in tali manifestativitate consistit. Confirm. quia quemadmodum se habent sensibilia ad sensum, ita intelligibilia ad intellectum, sed non omnia sensibilia sunt æqualis sensibilitatis, quia unum objectum natum est fortius movere sensum sui speciem in illum imprimendo, quam aliud, unus enim color validius sensum movet, quam aliud in eadem approximatione, & unus sonus auditum immutat *vehementius* alio, ergo nec omnia intelligibilia sunt æqualis intelligibilitatis; cum igitur veritas rei aliud non sit, quam ejusdem intelligibilitas, sicut est, sequitur evidenter, quod si res in intelligibilitate suscipiunt magis, & minus, sic etiam in veritate. Et in hunc modum videtur inæqualitatem veritatis in rebus declarasse Alensis 6. Metaph. in expositione tex. 4. dum ait, quod sicut se habet aliquid ad esse, sic se habet ad verum esse, ita quod unumquodque sicut fortiori aspectu aspicit esse, sic verum esse, & quod debiliori aspectu aspicit esse, & verum esse.

QUÆSTIO VIII.

Quid sit falsitas, quo pacto sit in rebus, & veritati opponatur.

194 Post veritatem agere solent de falsitate, ut iftius cognita natura adhuc veritatis status, & conditio magis eniteat, cum opposita juxta se posita magis eluceſcant; tria autem dubia continet propofita quæſtio ex dictis breviter resolvenda, & quidem primum dubium ſpectans ad quid eſt falſitatis omnes reſolvunt juxta ſtatuta de ratione formali veritatis; unde Thomiſtæ reponentes rationem formalem veritatis tranſcendentalis in conformitate rei ad propriam ideam, quam habet in divina mente, conſequenter falſitatem conſiſtere volunt in aliquo defectu conformitatis ad divinas ideas, quod quidem vario modo explicant, ut eſt videre apud Molin. 1. part. quæſt. 17. diſput. unic. Paſqualig. tom. 2. diſp. 70. ſect. 3. aliosque Thomiſtas. Alii vero communiter, qui dicebant veritatem rei conſiſtere in conformitate rei ad intellectum, ſeu in intelligibilitate rei, ſicut eſt, *ideſt* quod talis ſit a parte rei, qualis apparet, & qualem ſe manifeſtat, conſequenter hi dicunt falſitatem conſiſtere in hoc, quod res non ſit talis qualis apparet, ita Recentiores ſupracitati q. 6. & præſertim Hurtad. diſp.7. Met. ſec.2. Ariag. diſp.1. Met. ſec.5. ſubſec.3. Ovvied. contr. 3. Met. punc.3. Meuriſſ. ex noſtris lib. 2. ſuæ Mett. cap. 3. q. 7. & alii paſſim.

195 Et hæc poſterior ſententia conſequenter ad dicta ſuperius de veritate abſque dubio tenenda eſt, quam in terminis tradidit Doctor 6.Met.q.3.§. *reſpondeo*, *quod ſuperius inchoando*, in hæc verba, falſum dicit carentiam talitatis, quale apparet, ita quod principale in ſignificato ejus non eſt non apparere, quale eſt, quia tunc ſi quid eſſet, & ſine omni apparentia eſſet falſum; nec apparere, quale non eſt, quia tunc eſſet falſitas formaliter poſitio, non privatio, ſed falſum dicit materialiter apparere, & formaliter carere talitate, quale videtur, & hæc non intelligendo per realitatem ſimilitudinem, nam nihil eſt ſimile ſibi, & ita nihil eſſet verum; ſimiliter ſi Sortes appareret Plato, Sortes eſſet verus Plato, quia tunc appareret talis, qualis eſt, hoc eſt ſimilis, quia Sortes eſt *ſimilis* Platoni; ſed per tale quale intelligitur identitas, verum enim eſt, quod Sortes eſt talis, qualis eſt, licet & ſimile dicatur tale, quale eſt, igitur falſum eſt, quod caret identitate

titate, ad id, quod apparet eſſe, & falſitas eſt non identitas entis, ut manifeſtati ad ens, ut declarans, ſive apparens; ita Doctor loc. cit. quibus verbis breviter declarat tum materiale, tum formale veritatis, ait enim formaliter conſiſtere in negatione identitatis cum eo, quod apparet eſſe, & materialiter in apparentia, & ſimilitudine annexa, & ſic etiam loquitur Alenſis 5. Metaph. qu. 1. in tex. 34. dicens, quod ſicut veritas eſt in re ex hoc, quod eſt apta videri, ſicut eſt, ita falſitas huic oppoſita eſt ex hoc, quod ipſa res eſt apta videri aliud, quam ſit, unde concludit, quod falſitas duo comprehendit, primum eſt ipſa non entitas, ſecundum eſt ipſa aptitudo ad videri, quod non eſt. Unde conſtat ad integram falſi ſignificationem conſtituendam non ſufficere negationem illius talitatis, ſed ulterius requiri apparentiam ob accidentia rei unius ſimilia accidentibus alterius, ob quam ſimilitudinem una judicatur eſſe altera, qua de cauſa lapis, vel arbor licet in ſe fundet negationem hominis veri, vel auri, ſicut oricalchum, & homo marmoreus, non tamen dicitur falſum aurum, vel falſus homo, ſicut illa, quia non habet apparentiam, vel ſimilitudinem hominis aut auri, velut illa, fundatam in ſimilibus accidentibus hominis, & auri; hancque doctrinam ad declarandam falſitatis naturam communiter adducunt Recentiores ſupracit. & ex noſtris præſertim Poncius, nemo tamen ex eis Doctorem memorat, qui eam in terminis tradidit. Addunt alii, & non inconſulto, hanc apparentiam, & ſimilitudinem rei ad aliam, quam eſſe apparet, debere eſſe probabilem, nam ſi abſque ulla probabilitate fundaret illam falſam cognitionem, error judicii, ſeu falſitas tota tribueretur intellectui cognoſcenti, & non objecto cognito; ut enim notat Ovviedus cum omne ens ex ſe ſit aptum fundare veram ſui cognitionem ſuapte natura, neceſſe eſt aliquid ſpeciale reperiri in eo, quod dicitur falſum, movens intellectum ad judicium illud erroneum, hoc autem erit ſimilitudo cum alio ente, cum quo confunditur, qualem habet oricalchum cum auro, & hac de cauſa oricalchum dicimus eſſe falſum aurum. Et hunc modum etiam falſitatem explicuit D. Thom. 1. p. qu. 17. art. 1.

196 *Quamvis* autem falſum varias habeat acceptiones, falſum enim appellare ſolemus, quod non eſt juxta regulas artis, ut dicam poſtea, ac etiam mendacia falſa; quia important objectum falſæ enunciationis, falſum tamen in prædeclarata acceptione eſt illud proprie, quod opponitur veritati tranſcendentali, quod probatur tum auctoritate, tum ratione; primo quidem auctoritate Ariſt. 5. Metaph. 34. ubi quatuor aſſignat falſitatis modos, quorum primi duo ſe tenent ex parte rei, alii vero ex parte cognitionis, primus modus falſitatis contingit in eo, quod non eſt, ſive actu non ſit, ſive non poſſit eſſe, juxta quem modum falſitatis omne impoſſibile erit falſum, quia nedum non eſt, ſed nec etiam eſſe poteſt; alter modus falſitatis adhuc ſe tenens ex parte rei contingit in eo, quod quidem eſt, ſed aliter apparet, quam ſit, licet autem hic ſecundus falſitatis modus contingat in eo, quod eſt, adhuc tamen ſecundum rationem falſitatis formalem reducitur ad non ens, quatenus intantum importat falſitatem, inquantum non eſt id, quod apparet, ecce Ariſt. verba, *alio vero* (nempe modo falſa dicuntur) *quæcunque ſunt quidem entia, apta tamen natura ſunt apparere aut non qualia ſunt, autquæ non ſunt, ut umbra picturæ, & inſomnia, hæc enim ſunt quidem aliquid, ſed non ſunt ea, quarum faciunt imaginationem*, ergo falſum ex mente Ariſt. ut opponitur vero tranſcendenti dicitur illud, quod apparet aliter, quam ſit in re, Dices potius per primum modum explicari debere falſitatem, ut opponitur veritati tranſcendenti, quoniam ille modus univerſalior eſt, ac veluti tranſcendentaliter ſe habet, importat enim negationem entis, quæ directe, & univerſaliter opponitur enti, at ſecundus modus importat negationem talitatis entis, atque ideo eſt modus magis determinatus falſitatis, non autem tranſcendens, & univerſaliſſimus, qualis eſt, quem nos hic inquirimus. Contra, immo ſecundus modus valde aptior eſt ad explicandam falſitatem oppoſitam vero tranſcendenti, quia ut notat Doctor in eum textum, hic ſecundus modus proprius eſt falſitatis incomplexæ, quæ directe opponitur veritati tranſcendenti, ubi primus modus indifferens eſt ad res complexas, & incomplexas, illum enim explicat Ariſt. per hoc, quod non componitur, aut quod impoſſibile ſit componi, quemadmodum dicitur diametrum eſſe commenſurabilem, aut te ſedere. Tum quia primus ille veritatis modus, ut etiam rebus incomplexis applicatur, non opponitur veritati in ea acceptione, juxta quam ponitur entis paſſio, ſed in alia acceptione, qua accipi ſolet pro ipſa entitate rei, ac etiam pro negatione entis ficti, & non entis; at ſecundus modus proprie opponitur veritati, ut eſt paſſio entis, hæc enim importat aptitudinem, quam res habet, ut ſe manifeſtet, ſicut eſt, & ſic e contra falſitas importat aptitudinem, quam res habet, ut appareat, ac ſe manifeſtet aliter, quam ſit, ob ſimilitudinem accidentium cum alia re. Tum quia eſto *hic ſecundus modus falſitatis* in particulari acceptus explicet determinatam rationem falſitatis, ut in oricalcho falſitatem auri, & in homine picto falſitatem hominis, tamen accipiendo falſum in univerſali pro eo, quod apparet id, quod non eſt, & fundat, vel fundare poteſt veram cognitionem ſui, non explicat rationem determinatam falſitatis, ſed in communi, ut opponitur vero tranſcendenti, quod aptum eſt intelligi, ſicut eſt. Tum tandem, quia juxta primum modum falſitatis ab Ariſt. aſſignatum non diceretur falſum, niſi id, quod non eſt, tamen multa dicuntur falſa falſitate tranſcendenti, quæ ſunt in rerum natura, ut falſus homo, falſum aurum; verum tamen eſt, quod quia hæc, & alia hujus generis falſa dicuntur, non quatenus ſunt aliquid in ſe, ſed quatenus apparent id, quod non eſt, & ratio falſitatis formaliter in tali negatione conſiſtit, ideo ſecundus modus reduci poteſt ad primum, quatenus intantum importat falſitatem formaliter, inquantum non eſt id, quod apparet, unde hac ratione dici poteſt formalitatem falſitatis explicari etiam per primum modum ab Ariſt. aſſignatum, plenius tamen explicari per ſecundum, quia in ſecundo explicatur etiam materiale falſitatis, nimirum apparentia, & veriſimilitudo.

Conf. noſtra ſententia etiam auctoritate D. Auguſt. lib. 2. ſoliloquii, nam cap.9. poſtquam varios modos rejecerat explicandi falſitatem in rebus, proprium tandem proponens placitum inquit, *video tentatis quantum potuimus, omnibus rebus non remanſiſſe, quod falſum ſive dicatur, niſi, quod aut ſe fingit eſſe, quod non eſt, aut omnino eſſe tendit, & non eſt*. Et ſic etiam declarare proſequitur rationem falſitatis cap. 6. his verbis, *dicimus falſam arborem, quam pictam videmus, & falſam faciem, quæ de ſpeculo redditur, & falſum turrium motum navgantibus, falſamque infractionem remi ob nihil aliud, niſi quia veriſimilia ſunt*, & rurſus id ſæpius inculcat inferius cap. 15. ubi frequentius repetit illud eſſe falſum, quod ad ſimilitudinem alicujus accommodatum eſt, & quod habet ad verum nonnullam imitationem.

197 Denique duplici via probat Alenſis loc. cit. falſitatem, quæ eſt in rebus, proprie explicari per ſecundum illum modum ab Ariſtot. aſſignatum, primo probat ex oppoſitione, quæ eſt inter verum, & falſum, oppoſita namque oppoſitis rationibus conſtituuntur, & explicantur, ſicut ergo verum dicitur, quod fundat, vel fundare poteſt cognitionem, qua cognoſcitur, ſicut eſt, ita falſum dicetur illud, quod fundat, vel fundare poteſt cognitionem illius, quod non eſt. Deinde id evidentius probat ex eo, quod non omnis non entitas facit falſitatem proprie dictam, ut hic de ea loquimur, ex hoc enim, quod aſinus non eſt homo, & ex hoc, quod non habet perfectionem hominis, ex hoc, inquit, non eſt falſitas in aſino; ex hoc enim quod res non conſequitur aliquam perfectionem, quam non eſt apta conſequi, ex hoc nulla falſitas eſt in ea, quælibet ergo res in ſe aliqua eſſentia eſt, & per conſequens aliqua veritas, & ſicut eſſentia eſt major, & minor in uno, & in alio, ita & veritas; ex hoc tamen quod una eſſentia non eſt alia, ex hoc falſitas non eſt in eſſentia, ſed ex hoc quod hæc eſſentia non eſt illa, & ex hoc quod apta nata eſt in ſe videri illam eſſe, ſive videatur, ſive non; ita quod falſitas duo comprehendit, primum eſt ipſa non entitas, ſecundum eſt ipſa aptitudo ad videri, quod non eſt, ita Alenſis loc. cit. Quod totum probatur etiam ex communi uſu loquendi, nam aurum falſum dicitur, quod cum non ſit aurum, auri tamen ſimilitudinem refert, adeout diſſimilitudo de facili nequeat diſcerni, & e contra ſtannum non dicimus falſum aurum, ſed falſum argentum, quia non auri, ſed argenti ſimilitudinem refert, ergo falſam ultra non rei entitatem involvit ejuſdem rei apparentiam, & ſimilitudinem, atque ideo melius explicatur falſitas per ſecundum modum ab Ariſt. aſſignatum, quam per primum. Accedit, quod ſicut verum tranſcendentale explicatur per ordinem ad intellectum, ſic etiam conſentaneum eſt falſum ei oppoſitum explicari per ordinem ad eundem intellectum, qui deceptus accidentalibus ſeu conjecturis probabilibus ex parte objecti ſe tenentibus de illo aliter judicat, ac ſit, unde deducitur falſum dari dumtaxat comparatione intellectus creati, quia cognitio falſa formatur ob accidentia rei unius ſimilia accidentibus alterius, ob quam ſimilitudinem altera judicatur eſſe altera, quod contingere nequit in ordine ad intellectum divinum.

Sed dices, falſitatem ſic explicatam non opponi tranſcendentali veritati, immo potius cum ea conſiſtere, nam oricalchum eſt tranſcendentaliter verum, cum ſit ens, & tamen in eo reperitur falſitas auri ſic explicata; ergo hæc non eſt falſitas, quæ opponitur veritati entis, vel idem prorſus ens erit ſimul, & ſemel verum, & falſum tranſcendentaliter, quod eſt impoſſibile. Reſpondeo, quod licet non opponatur veritati tranſcendentali illius rei, in qua reperitur, opponitur tamen veritati tranſcendenti illius rei, cujus ſpeciem refert, & cujus eſſe falſo imitatur, unde falſitas in oricalcho reperta non opponitur veritati oricalchi, ſed veritati ipſius auri, nam licet ſit verum oricalchum, non tamen eſt verum, ſed falſum, & ſimulatum aurum, atque ideo negatur conſequentia.

198 Circa ſecundum dubium, quo pacto falſitas reperiatur in rebus, Suarez diſp. 9. Metaph. ſect. 1. n. 8. & Hurtad. *loc.cit.* docent in rebus nullam ſecundum ſe reperiri *falſitatem*, & ad ſummum in eis aſſignari poſſe per ſolam denominationem extrinſecam a falſa intellectus exiſtimatione de rebus ipſis; quod probat Hurtad. *quia oricalchum v.g. eſt verum* oricalchum, & fundat veram cognitionem ſui; illud autem non eſſe aurum, & eſſe ſimile auro, non facit illud falſum, ſed diſtinctum ab auro, & *illi ſimile* at in diſtinctione unius rei ab alia, & ſimilitudine nulla eſt falſitas. Probat deinde Suarez quia ſi res dicerentur falſæ, aut id eſſet ex actuali difformitate ad intellectum, aut ex aptitudinali, non primum, quia licet etiam illud falſum ſit, quod aliter ſe habet, quam appareat nobis, falſitas tamen illa non eſt formaliter in re, ſed in intellectu noſtro rem apprehendente aliter, quam ſit, quæ quidem res, qua-

quantum est ex se, vera est, & nata talem sui æstimationem facere apud intellectum, qualis est in se. Neque secundum ob hanc eandem rationem, quia hæc aptitudo non est ex parte rerum, sed ex defectu intellectus, unde falsitas objecti semper oritur ex imperfectione cognoscentis, quia & si accidentia aliqua similia fundamentum aliquod præbeant, ut hoc objectum cum illo confundatur, & aliud, ac est, judicetur; nihilominus ex se aptum erat terminare cognitionem veram, & accidentia, quæ similitudinem referebant cum alio ente, sufficientia non essent, si intellectus perfecte cognosceret, ut illum deciperent, ut patet in Deo, qui propter sui perfectionem decipi non potest, ita in favorem Suarez discurrit Ovvied. loc. cit. n. 6. Alii arguunt; falsum non esse in rebus secundum se, quia omne quod est in rebus, ens est, falsum est non ens, ergo &c. Tum etiam quia quod est in rebus, est verum, si ergo falsum est in rebus, falsum erit verum. Tum quia si falsitas esset in rebus intrinsece, & formaliter, ut veritas, jam esset passio transcendentalis entis, sicut illa. Denique arguit Pasqualig. falsitas formaliter accepta consistit in aliquo negativo; ergo nequit reperiri formaliter in rebus; probatur consequentia, nam neque per se potest existere, cum non habeat aliquod esse, quo equidem existat, neque imbibi in positivo, neque in aliquo subjectari, quia quod in aliquo subjectatur, requirit pariter aliquod esse, secundum quod subjectetur; hanc quoque sententiam tenent Vasquez 1. par. disput. 77. cap. 2. & Smising. tract. 3. disp. 1. quæst. 2. num. 43.

199 Sed falsitatem esse formaliter in rebus tenet Alensis loc. cit. & non tantum per denominationem extrinsecam, quod probat tum ex oppositione, quæ est inter verum, & falsum, nam opposita habent fieri circa idem subjectum, unde ubicunque subjective est verum, ibidem subjective residet falsum, cum ergo verum, quod est passio entis, sit in rebus subjective, & non in intellectu, ut in superioribus probatum est, idem quoque asserendum erit de falso; probat hoc rursus, ex hoc, quod falsitas formaliter est negatio, quæ a parte rei reperitur in rebus, nam est negatio in genere habens pro subjecto aliquam rem, quæ in apparentia, & similitudine externa alia res esse videtur, cum tamen non sit, unde falsitas fundatur in ente, non ut sic, sed secundum quod habet aptitudinem ad videri; quod non est, ita quod est ibi aptitudo, & non entitas, & hæc duo complent falsitatem; unde licet homo sit verum ens in se, & sit non ens asinus, ita quod in eo est entitas respectu sui, & non entitas respectu alterius, tamen quia non prætendit se esse asinum ex natura sui, non est falsitas in eo; quando autem aliquid est ens in se, & non ens respectu alterius, & prætendit ex natura sui esse illud, quod non est in illo est falsitas; & hoc sonant exempla Philosophi de umbra, & somno, umbra enim est vera umbra, & non est corpus, & tamen prætendit se esse corpus, & ideo est vera umbra, & falsum corpus, itaquod falsum hic fundatur in subjecto, quia non est inconveniens, quod aliquid sit verum in se, & sit falsum respectu alterius, & similiter de somno; ita Alensis cit. quibus luculenter ostendit falsitatem esse negationem in genere, quæ potest habere pro subjecto ens reale, atque ideo ex natura rei formaliter in rebus reperiri, & non per solam denominationem extrinsecam, quod rursus tenet, ac aliis rationibus probat 1. par. qu. 16. memb. 1. & membr. 4. quam proinde sententiam plerique ex nostris sequuntur, & præsertim Meurisse, & Poncius loc. cit. ac etiam sequi videtur Aversa.

200 Hac in re cum distinctione procedendum opinor, & dicendum, quod in rebus reperiri non potest falsitas, quæ sit simpliciter, & absolute transcendentalis in genere entis; reperitur tamen in quibusdam rebus falsitas transcendentalis, quæ talis solum est in determinato quodam genere entis. Conclusio quoad primam partem primæ sententiæ favet, cujus rationes plane aliud non probant, quam quod in hac parte esseritur, & probatur evidenti ratione, nam ratio entis realis reperitur a parte rei in omnibus entibus realibus, & consequenter veritas etiam, quæ est ejus adæquata passio, ergo in entibus realibus nequit dari falsitas, quæ opponatur veritati entis, ut sic, in rebus ipsis, alioquin contradictoria sequerentur, nempe illas res esse entia, & non entia simul; nam qua ratione sunt vera, sunt entia, & qua ratione, sunt falsa, essent absolute non entia, quia falsitas transcendentalis simpliciter, & absolute in genere entis, omnem prorsus excludit entitatem, nec reperiri potest nisi in entibus rationis, ac puris negationibus. Confirm. quia veritas transcendentalis in omni re reperitur, ergo si falsitas sumatur omnino transcendentaliter, ut opposita veritati entis, ut sic, plane implicat in rebus reperiri, quia in hoc sensu directe, & formaliter cum veritate transcendentali in tota sua latitudine repugnat, & solum quod non est, hoc pacto dici potest falsum, nec falsitas in hoc sensu dicere potest negationem in genere, vel in subjecto, sed solam negationem extra genus. Quoad 2. partem favet secundæ opinioni, & eam manifeste concludunt illius rationes, quia sic est negatio in genere, non extra genus, ut ajebat Alensis, & probatur, quia licet implicet dari falsitatem in rebus oppositam veritati entis, ut sic, in tota sua latitudine, non tamen implicat dari falsitatem transcendentalem, quæ talis sit solum in determinato genere entis, sic namque negatio veri auri reperitur in oricalcho, negatio veri hominis in homine picto, & sic in multis aliis, & ratio est, quia istæ sunt veritates transcendentales quidem, sed in determinato genere entis, & ideo non debent esse in omni ente: atque ideo negatio illarum in aliis rebus reperiri potest; verum tamen est, non omnes res, quibus competit talis negatio, eo ipso fundare falsitatem illarum, quas negant, sed tantum quando apparentiam habent, ac similitudinem illarum. Confirmatur, quia ostensum est disp. 4. Phys. qu. 1. art. 1. dari suo modo a parte rei negationes, & privationes quasdam, quæ hac ratione dici solent negationes, & privationes reales, ut hoc modo distinguantur a negationibus, & privationibus, quæ rebus non competunt, nisi per opus intellectus; non enim minus verum est formaliter a parte rei Petrum esse hominem, quam non esse asinum, & albedinem non esse nigredinem, unde verum est formaliter negationem asinitatis a parte rei humanitatem comitari, ac in ea fundari, & pariter negationem nigredinis in albedine; hoc enim est commune omnibus oppositis positivis, quod cum ex vi proprii esse excludant alterum oppositum, aut disparatum, habent consequenter annexam formaliter, & ex natura rei negationem illius, & non fundamentaliter tantum, ut aliqui dicebant, quos loc. cit. efficaciter revincimus; cum igitur in oricalcho v. g. detur a parte rei formaliter negatio auri ex una parte, ut nunc probatum est, & ex alia dentur consimilia accidentia, ut splendor, sonus &c. plane sequitur in ipso a parte rei reperiri, atque fundari falsitatem auri, hæc enim duo complent integrum falsitatis significatum, & hoc dumtaxat probant rationes Alensis loc. cit. nimirum dari posse in rebus falsitatem oppositam veritati particulari in entibus, non autem veritati entis in tota latitudine, atque ideo rationes illæ nulla indigent solutione, cum potius probent secundum partem conclusionis oppositæ.

201 Quia vero rationes primæ sententiæ, saltem aliquæ, nedum probare contendunt non posse dari falsitatem in rebus veritati oppositam in tota sua latitudine, sed nec etiam quæ opponatur veritati particulari alicujus entis, singulas dissolvere juvabit. Ad argumentum Hurtad. dico 1 quod in oricalcho non esse aurum, & esse simile auro, licet non faciat illud falsum simpliciter, & absolute loquendo, facit tamen illud falsum in ordine ad intellectum possibilem decipi ex similitudine; nam eo ipso talis res apta est manifestari aliter, ac sit, apud talem intellectum, quod est esse formaliter falsam; quare argumentum ad summum probat non dari falsitatem in rebus simpliciter, & absolute loquendo, sed tantum per præfatam comparationem, & ordinem ad intellectum; hinc tamen non sequitur esse in rebus per solam extrinsecam denominationem ab ipso desumptam, nam etiam verum datur in rebus per ordinem ad intellectum, & tamen non sequitur in illis esse per solam extrinsecam denominationem, ut in superioribus probatum est, neque Hurtad. quid plus eo argumento probare voluisse credo. Ad argumentum Suarez dico, quod sicut veritas in rebus præcipue attenditur ex conformitate aptitudinali earum ad intellectum, ita falsitas etiam ex difformitate pariter aptitudinali attendi debet, & negatur talem difformitatem in quibusdam rebus a parte rei non reperiri, nam licet unaquæque res apta sit se manifestare, sicut est, cuicumque intellectui, quantum est de se; cum tamen probabilem inducit alterius similitudinem, apta est se manifestare aliter, quam sit, ratione talis similitudinis, & apparere id, quod non est; & dummodo motivum habitum a parte rei de tali judicio faciendo sit probabile, hoc sufficit, ut falsitas dicatur reperiri in objecto, adeout non tota tribuatur intellectui cognoscenti, nam si absque tali probabilitate fundaret objectum falsam illam cognitionem, error judicii, & tota falsitas tribueretur intellectui, nec ullo pacto diceretur oriri ex parte objecti; cum igitur interdum hoc pacto oriatur falsitas, & error in intellectu creato, nimirum ex probabili similitudine reperta in quibusdam rebus, ratione cujus una non bene discernitur ab alia, dicendum est, in hoc sensu falsitatem in rebus quibusdam præcedere falsitatem in intellectu, & hanc ab illa oriri.

202 Rationes quoque quæ addebantur ex aliis, probant tantum primam conclusionis partem, scilicet in rebus non reperiri falsitatem, quæ sit simpliciter, & absolute transcendentalis; unde ad primam respondet Alensis 5. Metaph. loc. cit. quod cum dicitur, quod quælibet res est ens, & falsum est non ens, dicendum quod non omne, quod est in rebus, est ens, nisi accipiatur ens, quia entis scilicet subjective, privatio enim est in ente, & tamen non est ens in se, sed est defectus entis, sic. ergo dicendum, quod falsitas formaliter est non entitas cum apparentia, subjective autem est ens, vel potius entis, quatenus ista non entitas, & apparentia in ente fundatur. Ad 2. inquit assumptum posse in duplici sensu intelligi, quia hoc quod dico verum, potest determinare vel veritatem rei, vel veritatem propositionis, si determinet veritatem rei, sensus est, quod illud, quod est in rebus, vera res est; secundo modo est sensus, quod est in rebus, verum est ipsum esse in rebus; si propositio assumpta primo modo intelligatur, est falsa, quia privatio est in rebus, & tamen non est ens verum; si secundo modo, vera est, scilicet, quod omne, quod est in rebus est verum, scilicet ipsum esse in rebus, & sic etiam falsum erit verum scilicet esse in rebus, quo etiam sensu Scotus 1. distinct. 30. quæst. 2. in fine inquit de aliqua propositione falsa dici, quod sit realiter falsa idest vere falsa, ut ly *vere*, & *realiter* determinat inhærentiam, & veritatem propositionis, non autem inhærens. Ad 3. negatur sequela, quia ista falsitas non reperitur in omni ente, cum omne ens non appareat probabiliter aliter, ac sit, sunt enim multa ita ab aliis diversa, & dissimilia, ut nulla probabilitate possint cum aliis confundi, nisi temere, & imprudenter omnino, neque ut ens falsum dicatur sufficit in ipso qualecumque motivum, ut aliud esse judicetur, sed debet esse motivum rationabile, & prudens, quod non in omnibus rebus reperitur. Ad ult. Pasqual. negatur consequentia, cujus probatio valet dumtaxat de eo, quod in alio subjectatur, & fundatur per modum entis positivi, ut contingit de accidentibus, non autem per modum negationis, & privationis, ut in proposito est de falsitate; unde falsum est, quod universaliter assumit in probationem illius consequentiæ, nimirum quod in aliquo subjectatur requirere aliquod esse, secundum quod subjectetur, nam *cæcitas in oculo* subjectatur, surditas in aure, & universaliter quælibet privatio subjectatur in subjecto apto nato, & tamen secundum se nullum habent esse, secundum quod subjectentur, cum non sint entia realia, sed entis negationes.

203 Circa tertium dubium, quomodo falsitas veritati opponatur, D. Thomas cum suis 1. p. qu. 17. art. 4. docet verum, & falsum opponi inter se, ut contraria, non autem ut affirmatio, & negatio, cujus ratio esse videtur, quia vult falsum pro formali includere aliquid positivum veritati repugnans. Oppositum docet Doctor 6. Met. qu. 3. cit. §. *Respondeo*, ubi ait falsitatem pro formali non dicere positionem, sed negationem, vel privationem, cum falsum aliud formaliter non dicat, quam careuntiam talitatis, quale apparet; ex quo deducitur verum, & falsum formaliter sumpta opponi privative, vel contradictorie per modum affirmationis, & negationis, non autem contrarie; quæ est communis aliorum opinio, & probatur ex opposito fundamento, quia falsum pro formali non dicit aliquid positivum, & reale, alioquin falsum esset formaliter verum, nam omne ens positivum, & reale veritatem includit. Dices, verum, & falsum saltem in concreto sumpta contrarie opponi, & ita loqui D. Thomam loc. cit. Contra, quia etiam hoc modo sumpta, non nisi negative, vel privative possunt opponi, & ratio est, quia licet falsum in concreto dicat aliquid positivum, nempe id, quod falsum est, tamen non opponitur vero ratione istius positivi, quod ei subiicitur, sed ratione negationis, aut privationis, quam formaliter importat, si enim opponeretur vero ratione illius positivi, jam non opponeretur ei secundum rationem ipsam falsitatis, sed veritatis, quia illud positivum, in quo fundatur, verum est. Tum quia opposita etiam in concreto sumpta sequuntur naturam formarum, quibus formaliter constituuntur in esse oppositorum, cum non nisi per eas opponantur; si ergo semel conceditur veritatem, & falsitatem in abstracto sumptas non ambas esse formas positivas, sed unam positivam, & alteram negativam, sane etiam in concreto sumptæ opponi nequeunt, nisi privative, vel contradictorie.

204 Quæres, an falsitas veritati opponatur per modum simplicis negationis, itaut oppositio sit mere contradictoria, an potius per modum privationis, itaut oppositio sit privativa. Resp. quod si falsum sumatur primo modo ab Arist. assignato pro eo scilicet, quod non est, vel impossibile est esse, falsitas in hoc sensu est pura negatio extra genus, & sic cum nullum sibi determinet subjectum, recedit omnino a natura privationis, atque ideo mere contradictorie opponitur veritati, ut negatio affirmationi; at si secundo modo sumatur, quo pacto magis habet rationem passionis entis; ut explicatum est, quamvis certum sit etiam hoc modo non habere rationem privationis in rigore, quia oricalchum fundans negationem veritatis auri permanens in propria natura non est subjectum capax formæ negatæ, nimirum veritatis auri, adhuc tamen ex duplici capite accedit ad naturam privationis, primo quidem, quia non est negatio omnino extra genus, sed negatio in genere petens determinatum subjectum, in quo privationem imitatur; deinde vero quia reperitur in subjecto, quod valde assimilatur subjecto formæ negatæ, nam oricalchum valde assimilatur auro, in qua assimilatione fundatur motivum probabile judicandi illud aurum; quibus de causis falsitas secundo modo sumpta scilicet pro *negatione talitatis*, qualis apparet, *proprie* non est objectum intellectus, atque ideo ejus oppositio cum veritate hac ratione privativa dici poterit.

205 Postremo, quia quæst. 6. art. 3. admisimus veritatem, quæ est propria artificialium, ut a rebus naturalibus distinguuntur, quam diximus consistere in conformitate ad regulas artis, & debitæ directionis, vel ad ideam artificis, quam habet in mente fixam juxta regulas artis; ita in præsenti admittere debemus falsitatem illi veritati oppositam, quæ tunc contingit, cum opus deficit, & declinat a debita directione intellectus artificis. Et sane adeo de se exploratum est hunc falsitatis modum admitti debere, ut mirum sit, quomodo adeo unanimiter illum negent tot Auctores oppositam veritatem admittentes, scilicet, Suarez, Vasquez, Hurtad. Ovied. Smisinch. & alii loc. citat. si enim admittunt veritatem jam prædeclaratam, quæ est propria artificialium, certe etiam propriam falsitatem admittere tenentur *illi oppositam*; nam sicut veritati, ut sic, opponitur falsitas, ita tali veritati opponitur talis falsitas; tum quia falsitas cum semper in negatione consistat conformitatis, semper etiam distinguitur a veritate, tamquam negatio quædam, unde sit, ut quælibet falsitas semper eodem modo opponatur cum veritate, quia semper dicit negationem, si ergo datur veritas propria rerum artificialium, quæ consistit in conformitate ad regulas artis, vel ideam artificis factam, & conceptam juxta regulas artis, consequenter etiam admitti debet falsitas tali veritati opposita. Confirmatur id ex communi modo loquendi, juxta quem falsum appellare solemus id, quod non est juxta regulas artis, in hoc enim sensu merces vocamus falsas, & pecuniam falsam, & parietes alicujus domus falso fundati dicuntur, cum fundamenta non fuerint alte jacta juxta regulas artis.

Respondent falsitatem in hoc sensu non opponi veritati, sed rectitudini, & integritati seu bonitati rei, ac proinde non esse falsitatem proprie, & stricte, sed *defectum*, seu *malitiam* oppositam bonitati, & integritati rei, ita Ovvied. cit. unde inquit Vasquez ad illud de domo, quod vel domus ita ab idea deficit, ut non habeat omnia, quibus *essentialiter* constare debebat, & sic non est falsa domus, quia non est domus; aut habet omnia quibus essentialiter constituitur, manet tamen minus polita, & perfecta, quam ars consummata postulabat, & sic est vera domus, sed bona, ei namque solum deficit integritas, & consummatio, quæ ut est bonitas domus, ita defectus integritatis erit malitia, non falsitas. Contra, quia juxta communem loquendi modum opus quodlibet artificiale verum dicitur; cum formam, & regulas artis imitatur, & falsum cum deficit ab illis sive modo deficiat in aliqua parte necessaria, & essentiali, sive in aliqua conditione duntaxat accidentali, parum refert; si enim domus quantum ad aliquod essentiale deficit a regulis artis, non dicetur exacte *vera* quoad *essentialia*, sed falsa, quod si deficiat tantum in aliqua conditione accidentali dicetur vera domus quoad essentialia, & falsa dumtaxat quantum ad quasdam accidentales perfectiones. Cum autem obstinate asserunt talem conformitatem in artefactis ad regulas artis proprie loquendo debere vocari bonitatem, non veritatem, & difformitatem ad illas, malitiam, non falsitatem, jam reducunt quæstionem ad litem de nomine, in quo casu ut notat Doctor 4. d. 1. quæst. 2. ex Aristot. 2. Topic. standum est communi loquentium usui; cum ergo in consueto modo loquendi veritas tribuatur operibus artificiosis, cum conformantur regulis artis, & falsitas cum deficiunt ab illis, ut constat in exemplis in argumento adductis, & non solum apud vulgus, sed etiam sapientes, nam & D. Thomas 1. p. quæst. 17. art. 1. & Scotus loc. cit. quol. 18. & 1. d. 3. quæst. 4. talem modum artefactis proprium veritatis, & falsitatis agnoscunt, plane non adeo capitosi esse debent Adversari, ut verum, & falsum, in artefactis prorsus abhorreant, sicut neque nos e contra omnino inficiabimur in eisdem artefactis nomen bonitatis, & malitiæ; unde si in opere artificioso consideretur aliquis defectus, quatenus opus illud deficit, & recedit a regulis artis, tunc ille defectus rationem habebit falsitatis; si vero consideretur, quatenus est defectus alicujus partis, vel conditionis ad ejus integritatem spectantis, tunc habebit rationem malitiæ, cum ratio boni in convenientia consistat.

206 Cæterum Suarez cit. disp. 9. Met. sect. 1. oppositum probare contendit, scilicet opus artificiosum non posse dici falsum, eo quod non sit juxta regulas artis executioni mandatum, quia vel artifex habet artem, & ideam perfectam operis faciendi, vel *non habet*; si non habet, jam opus falsum dici nequibit, eo quod discordet ab arte perfecta, cum ab ipsa non procedat; si autem habet artem, & ideam perfectam, tunc opus deficiet potius ex imbecillitate potentiæ *exequentis*; *alioquin impedimentum*, ejusq; defectus non procedat ab idea artificis, ac proinde non debent dici falsitas. Confirmat id Ovvied. eodem argumento, sed evidentius deducto, quia si contingit defectus in opere artificioso, id contingere potest, eo quia artifex non formavit ideam, quam formare debuisset juxta regulas artis, & licet opus externum sit conforme ideæ, tamen declinat a regulis artis, & tunc illud opus non potest dici falsum, quia est conforme cognitioni, qua cognoscitur, error enim tunc tantum est in artifice, qui non formavit ideam, quam formare debuisset, non vero in praxi, quæ perfecte est imitata propriam ideam, si vero artifex perfectam formavit ideam operis exercendi, & contingit defectus ex imbecillitate potentiæ exequentis, tunc illud opus *executioni mandatum proprie* non est objectum ideæ, quia tale opus est monstruosum respectu directionis, quia est præter intentionem agentis, ac proinde non illud opus dicitur falsum in ordine ad illam cognitionem, nam *in ordine tantum ad eam cognitionem* potest dici falsum objectum, per quam attingitur. Eodem etiam modo arguit Hurtad. demus domum factam contra regulas architecturæ ab artifice, hæc domus nequit dici falsa ab architectura, licet sit absimilis veræ domui per architecturam factibili, quia non est objectum architecturæ, sed alia factibilis juxta regulas artis, ab actu autem, quo non cognoscitur, non potest objectum denominari falso cognitum. Confirmatur adhuc, quia domus illa fit juxta ideam sui, architectus enim domum efficit, quam apprehendit, ergo est *vera* domus, quia fit juxta suum exemplar. Dices, *illud exemplar* esse malum. Contra instat Hurtad. quia id probat tam domum, quam ejus exemplar deficere ab arte, non tamen propterea domus erit falsa, nisi *arguitive*, quia domus *sic facta habet* similitudinem veræ domus, & fundare potest conceptum de se falsum.

207 Resp. hæc argumenta, quæ in idem coincidunt, facile in suos auctores retorqueri, nam defectum operis artificiosi, quem nos appellamus falsitatem, ipsi appellant malitiam, & hanc utique ipsi quoque constituunt in aliqua disconformitate ad regulas artis, vel ideam artificis; sicut ergo per allata argumenta probare ipsi contendunt ex tali disconformitate non posse opus artificiosum dici falsum, ita nos per

eadem concludemus non posse dici malum; & qua ratione ipsi ex tali disconformitate malitiam derivabunt in opus, eadem etiam & nos derivabimus falsitatem; ut ergo argumenta illa solvantur, sive contra nos fiant, sive in Auctores retorqueantur, notandum est, quod in intellectu artificis creati respectu operabilium constitui potest idea singulorum perfecta, & imperfecta, perfecta quidem ex regulis artis, imperfecta vero ex imperitia artificis, aliove impedimento; res autem artificiales non debent per se mensurari per ideam imperfectam, quia hæc non habetur ex regulis artis, & per se in artifice, sed extrinsece, & per accidens subrebit in mente artificis, sed mensurari debent per ideam perfectam, quia hæc sola intenditur ab arte, & semper saltem in habitu supponitur in artifice; quamvis ergo opus artificiosum procedat interdum ex idea imperfecta, itaque adeo ex artificis intentione ipsi commensuretur, adhuc tamen dici debet falsum, vel malum, ut Adversarii loquuntur, quia ex natura sua non petit illi commensurari, sed ideæ perfectæ, quæ præfigitur a regulis artis, quia unumquodque in genere suo sive naturalium, sive artificialium exigit esse perfectum, quantum fieri potest, unde sicut in genere naturæ cum opus prodit monstruosum, hoc est per accidens, & dicitur defectuosum, quia est præter, vel contra naturæ leges, etiamsi esset juxta intentionem particularis agentis; sic in genere artificialium opus dicitur falsum, & defectuosum, quia est præter, vel contra regulas artis, etiamsi esset juxta intentionem, & ideam imperiti artificis; parum ergo refert in proposito, quod pravum opus artificiosum non procedat ab idea perfecta, vel non desumat defectum ab illa, quia modus hic falsitatis proprius artefactorum non attenditur præcise penes notitiam, vel ideam, a qua de facto procedit, vel a qua defectum sumit, sed attenditur penes notitiam, & ideam perfectam, a qua deberet procedere; & sicut contrarii ex disconformitate ad talem ideam malitiam in opere artificioso auspicantur, ita nos quoque falsitatem; atque ita ex hac doctrina patet, quid sit dicendum ad argumenta relata, quæ, ut dixi, in idem coincidunt.

QUÆSTIO IX.

Unde subrepat falsitas, & proveniat difficultas in veritate invenienda, & quæ dicantur nota nobis, & nota natura.

208 VEritatis speculationem, ejusque inventionem esse valde difficilem, & abstrusam ipsa testatur experientia; hinc enim tot quæstiones, totque inter Philosophos controversiæ, hinc tam variæ, ac innumerabiles circa rerum essentias opiniones originem duxerunt; qua de causa dixit Ecclesiastes cap. 1. *cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*. Neque obstat, quod ait Arist. 2. Met. ab initio speculationem de veritate partim esse difficilem, partim facilem; bene enim ibidem explicat, quo ex capite possit dici facilis, ait enim posse dici facilem, quatenus non omnes aberrant ab ea, nec est nobis ex omni parte recondita, sunt enim quædam principia, quæ habent ex ipsis terminis evidentiam, subdit tamen esse difficilem ratione conclusionum, quæ ex illis deduci possunt, & ex hoc capite nullum satis veritatem consequi; stante ergo tanta difficultate in veritatis assecutione, & adeo exigua ejus cognitione, ut plerumque falsa pro veris amplectamur, quæritur unde proveniat hæc fallacia, & difficultas, an scilicet ex parte ipsarum rerum, quæ in se sint reconditæ, & difficilis cognitionis, an potius ex parte intellectus nostri, qui corpori immersus nequeat ita facile, & expedite rerum veritatem inquirere, & assequi.

Veteres quidam Philosophi, & præsertim Heraclitus, & Cratillus, referente Arist. dicebant totam rerum difficultatem circa rerum intelligentiam ex rebus ipsis provenire, quæ suapte natura fluxæ sunt, ac instabiles, & ex hac instabilitate oriri, quod tam sæpe fallamur, & tam raro, atque difficulter veritatem assequamur, cum enim in veritatis inquisitione longa, & diuturna sit necessaria observatio, statim res variantur, & mutantur, & sic omnis observatio nostra evadit frustratoria. Scotus e contra cum omnibus suis discipulis 2. Met. q. 2. totam difficultatem assequendi veritatem refert in imperfectionem nostri intellectus, quia quælibet res satis est de se cognoscibilis, & sui ipsius sufficienter manifestativa apud quemlibet intellectum, sed intellectus noster propter imbecillitatem suam, & alligationem ad organum corporeum nequit eas cognoscere; vel saltem difficulter cognoscit. Alii denique media quadam via procedunt, dicentes difficultatem, quam incurrimus in rebus dignoscendi, partim a rebus ipsis, partim ab intellectu nostro provenire; ab intellectu quidem nostro provenit respectu rerum immaterialium, quæ cum sint maxime intelligibiles, respectu imbecillitatis nostri intellectus facile cognosci nequeant; respectu vero rerum materialium provenit difficultas ab ipsis, quia aliquæ sunt exiguæ intelligibilitatis, quem dicendi modum docet, & eleganter declarat noster Alensis 2. Met. text. 1. & 6. ubi quæstion. 1. inquit, quod debemus imaginari suo modo in intellectu, sicut in visu, quædam enim sunt, quæ parum habent de luciditate, & ista non bene possunt movere potentiam visivam propter defectum sui, & propter defectum motionis activæ, quædam vero sunt, quæ multum habent de luciditate, & ista non deficiunt in motionem activam, sed ipsum passivum non est aptum natum moveri a tam excellenti objecto. Ita suo modo in intellectu, quædam sunt, quæ parum habent de intelligibilitate, ut sunt substantiæ materiales, & ista non sunt apta bene movere intellectum, & in talibus est defectus ex parte objecti, & difficultas; quædam vero sunt, quæ multum habent de intelligibilitate, quia multum habent de entitate, sicut sunt substantiæ separatæ, & ista non deficiunt in motione activa, sed intellectus noster non est aptus natus bene moveri a tam excellenti objecto, & ideo difficultas hic intelligendi est ex parte nostra, & non ex parte objecti; ita Alexand. ibidem, quam etiam sententiam tenent Averroes, & Div. Thomas ibid. Jandun. quæst. 3. Javellus qu. 2. Aquarius ibidem cum cæteris Thomistis, Suessanus disp. 2. cap. 4. Suarez tom. 1. Met. disp. 9. sec. 3. licet cum aliqua ab aliis differentia Fonsec. 2. Met. cap. 1. q. 1. sect. 3. Zanard. q. 2. ubi advertendum, quod licet omnes isti relati Auctores, ac alii quamplures ex Thomistis, & Averroistis difficultatem circa rerum intelligentiam desumant quandoque ex parte rei, quandoque ex parte intellectus nostri, addunt tamen quamplures difficultatem ex parte rerum principaliter provenire, præsertim quando res parum habent de actu, ut sunt res materiales, dicunt enim cognoscibilitatem esse passionem entis, non quomodocunque considerati, sed entis in actu; substantiæ autem immateriales, quamvis sint in actu, sunt difficillimæ cognitu ob maximam perfectionem.

Ex hac vero quæstione alia oritur, num alia sint nota nobis, & alia natura, ut dixit Arist. 1. Phys. tex. 2. quamvis enim sustinendo primam, vel tertiam opinionem, quod scilicet difficultas circa rerum intelligentiam spectanda sit totaliter, vel talem principaliter ex parte rerum, defendi pariter possit non esse eadem nota nobis, & non natura; sustinendo tamen secundam opinionem, quæ cæteris probabilior est, non videtur id posse defendi, si enim tota difficultas circa rerum intelligentiam ex parte intellectus nostri attendi debet, & res omnes alioqui ex parte sua sunt æque facile cognoscibiles, nec una magis, quam alia, ergo fieri non potest, quod secundum naturam aliqua sint nota, aliqua vero non, quod si secundum se aliqua sunt nota, aliqua vero secundum nos, sequitur quædam ex natura sua esse nobis nota, quædam non, & non omnia esse æque facilis cognitionis, hac de causa varii sunt modi dicendi in explicando quænam sint nota nobis, & quæ nota natura, quos art. 2. examinabimus.

ARTICULUS I.

Difficultas in assequenda veritate non ex parte rerum, sed intellectus nostri præcise spectanda.

209 COnclusio hujus articuli ponitur a Doctore cit. 2. Met. qu. 2. ubi Ant. And. & Tromb. ac Faber, Menrisse, 2. Metaph. cap. 3. q. 7. & alii Scotistæ passim contra Thomistas, ac Averroistas, quam ex Recentioribus enixe tuetur Pasqualig. tom. 1. Metaph. disp. 4. sect. 2. & 3. Probatur in primis auctoritate Ecclesiast. 1. ab initio quæst. allegata, *cuncta res difficiles, nec potest eas homo explicare sermone*, quibus verbis, ut patet, totam difficultatem, quam experimur in indaganda rerum veritate, in nostri intellectus exiguitatem, & imbecillitatem refundit; deinde ipsius Arist. qui ut notat Doctor loc. cit. cum ab initio lib. 2. Met. tex. 1. dixisset speculationem de veritate partium facilem esse, & partim difficilem, volens deinde assignare causam istius difficultatis, hanc dicit sumendam esse non ex parte rerum, sed ex parte intellectus nostri his verbis, *cum vero difficultas duobus sit modis, fortassis causa ejus non rebus, sed nobis ipsis inest*, & sensus est, quod cum difficultas circa rerum intelligentiam forte ex duplici capite oriri possit, scilicet aut ex parte rerum, aut ex parte intellectus nostri, non ex rebus ipsis, sed ex nobis oritur; ubi coma post particulam *fortassis* poni debet, non ante, ita ut cadat supra duos modis, vel ex dupliai capite contingere difficultatem circa rerum intelligentiam, nempe vel ex parte ipsarum rerum, vel intellectus nostri; non ex rebus, sed ex parte intellectus nostri contingit; quod autem particula illa fortassis supra duos illos modos difficultatis cadere debeat, ut explicat Doctor in eum textum, colligitur ex textu græco, quo utitur Doctor, & ita jacet, *forsan autem, & difficultate duobus modis existente; non in rebus, sed in nobis est ejus causa*, ubi, ut constat, particula dubitativa ad priora verba pertinet, non ad posteriora, unde male inquit Faber Doctorem ita hunc textum exponere, ut faciat cadere particulam *forsan* supra secundam propositionem resolutivam quæsiti, & non supra primam, nam expresse oppositum docet; Et quidem si ad posteriora verba pertineret, omnino sensum Philosophi corrumperet, & illum faceret sibi contradictorium, quia quod in prioribus verbis absolute affirmasset, nempe difficultatem circa rerum intelligentiam duobus modis contingere, in posterioribus revocasset in dubium dicens, quod fortasse causa ejus non rebus, sed nobis ipsis inest, cum potius dicere debuisset, ne sibi contrariceret, causam difficultatis esse, tum in rebus, tum in nobis, cum duobus modis contingat. Immo in confirmationem ejus, quod dixerat, scilicet causam difficultatis ex parte nostra pendere, non ex rebus, confirmat illo simili de nyctocorace dicens, *sicut enim vespertilionum oculi ad lucem diei se habent, sic & animæ nostræ intellectus ad ea, quæ sunt omnium naturæ manifestissima*, quo quidem simili probat, inquit Doctor, quod dixerat, totam scilicet istam difficultatem se tenere ex parte nostri, constat igitur ex hac Scoti expositione nullam esse solutionem illorum, qui ajunt Arist. loc. cit. non assertive, sed dubitative loqui; verum enim est, quod dubitative loquitur, sed dubitatio non cadit super hoc, quod difficultas intelligendi res sit petenda ex imbecillitate intellectus nostri, hoc namque absolute affirmat; sed cadit super quæsiti propositionem, quatenus dubitari potest duobus modis, vel ex duplici capite hanc difficultatem attendi posse, scilicet vel ex parte intellectus, vel ex parte rerum, & resolvit determinate peti debere ex parte intellectus, non ex parte rerum.

210 Resp. Zerbius 2. Met. q. 2. ubi in hac re a Doctore recedit sequens Averroem, quod in translatione Arabica absque dubitatione legitur textus in hunc modum, *& cum difficultas ejus sit duobus modis, dignum est, ut sit difficilis non propter res, sed propter nos*, absolute ergo asserit, & non dubitative posse difficultatem ex utroque capite contingere. Sed hæc responsio non valet, quia quando etiam non adesset expresse particula dubitativa, tamen subintelligi debet, ut fieri solet in propositione cujuscumque quæsiti, ut sensus sit, cum difficultas in cognoscendo ex duplici capite possit oriri, non ex rebus, sed ex nobis oritur; & ita intelligi debet, ne posterioribus verbis sibi contradicat, nam si prius dixisset, quod de facto ex duplici illo capite contingat difficultas, parum consequenter subdisset non propter res, sed propter nos difficultatem contingere. Dices, non ob id Arist. sibi contradicere, quia ibi quærit, unde contingat difficultas respectu difficilium objectorum, quæ sunt substantiæ separatæ; ad quod respondet, quod cum difficultas, vel causa difficultatis possit esse secundum duos modos scilicet vel ex parte intellectus, vel ex parte rerum, tota ratio difficultatis, quare non bene apprehendimus maxime intelligibilia idest substantias separatas, est propter defectum intellectus nostri, non propter defectum intelligibilium. Sed quamvis hæc expositio illius textus, quam ibi tradunt Averroes, & Alensis, satis evitet efficaciam argumenti inde deductam, ac ulterius fulciri posset per simile de vespertilione, quod Arist. subjungit, ubi manifeste loquitur de substantiis separatis; tamen non videtur ad intentionem Philosophi, quia Arist. initio illius libri, inquirit causam difficultatis circa intelligentiam omnium rerum, & substantiarum separatarum dumtaxat, ut constat ex ipso contextu, qui loquitur universaliter de veritate rerum; subdit autem exemplum in substantiis separatis, ut pote magis manifestum, qui circa earum intelligentiam omnes fere fatentur difficultatem oriri ex parte intellectus nostri præcise, non autem ex parte illarum, quæ suapte natura sunt maxime intelligibiles. Sed adhuc etiam, ut dictum est ab initio quæstionis, non desunt, qui volunt circa quoque intelligentiam substantiarum separatum difficultatem oriri ex parte ipsarum, quia sunt difficilis cognitionis ob maximam earum perfectionem, unde saltem contra istos textus ille inevitabilem habet efficaciam.

211 Secundo probatur ratione, difficultatem hanc ex rebus ipsis totaliter provenire non posse, ut prima asserebat opinio, propter earum fluxibilitatem, & instabilitatem, ut enim inquit Doctor 1. d. 3. q. 4. ubi ex instituto disputat contra errorem Academicorum, & præsertim Heracliti, ac ejus discipuli Cratilli art. 1. & 3. §. *quantum ad tertium*, falsum in primis quod illa assumebat, res omnes esse prorsus variabiles, & mutabiles, quamvis talis variabilitas, ac mutabilitas in rebus sublunaribus, & corruptibilibus cernatur, non tamen in rebus æternis, & incorruptibilibus, ut sunt Deus, intelligentiæ, & corpora cœlestia, unde saltem ista facillimæ deberent esse cognitionis ob earum stabilitatem, & firmitatem, cujus tamen oppositum experimur; tum quia etiam loquendo de rebus ipsis sublunaribus, & corruptibilibus; quamvis secundum esse existentiæ sint variabiles, & mutabiles, tamen secundum esse essentiæ dici solent æternæ, ac necessariæ, unde & secundum talem esse præcise constituuntur objecta scientiæ, & veritatis, non autem secundum esse existentiæ, quia ab hoc esse scientia abstrahit, velut ab esse contingenti, & mutabili. Deinde subdit Doctor ibid. quod quando illud assumptum de variabilitate, & mutabilitate rerum esset verum, adhuc consequentia inde deducta non valet, quia adhuc secundum Arist. posset haberi certa cognitio de hoc, quod omnia continue moventur. Neque sequitur, ait Doctor, si objectum est mutabile, ergo quod gignitur ab eo non est repræsentativum alicujus sub ratione immutabilis; quia mutabilitas in objecto non est ratio gignendi veritatem, sed natura ipsius objecti, quod est mutabile, genitum igitur ab ipso repræsentat naturam per se, igitur si natura, ut natura, habeat aliquam immutabilem habitudinem ad aliud, illud aliud per suum exemplar, & illa natura per suum exemplar repræsentantur, ut immutabiliter unita, & ita per duo exemplaria genita a duobus mutabilibus, non inquantum mutabilia, sed inquantum naturæ, potest haberi notitia immutabilis unionis eorum, quare concludit Doctor, variabilitatem, & mutabilitatem rerum non obstare, quin de illis possit haberi aliqua certa, & sincera veritas; quonam autem pacto scientia esse debeat de objecto necessario, ac immutabili, satis declaratum est disp. 12. Log. qu. 2 art. 5.

212 Tertio probatur neque partialiter hanc difficultatem ex rebus procedere, sed totaliter, & præcise ex parte nostri intellectus, ratione Doct. loc. cit. 2. Met. qu. 2. quæ talis est, si difficultas in cognoscendis rebus ex parte ipsarum spectanda foret, tunc talis difficultas esset in ipsis respectu cujuscumq; intellectus, etiam angelici, & divini, sed hoc est falsum, quia nedum respectu intellectus divini, sed angelici quoque omnes sunt æque facile cognoscibiles, ergo difficultas circa earum intelligentiam non est ex parte rerum, sed intellectus nostri; minor patet, probatur sequela majoris, quia quod est de se tale, cuicumque comparetur, semper est tale, ergo si difficultas est ex parte rerum, adeout res sint ex se difficile cognoscibiles, tales certe forent in ordine ad quemcumque intellectum; quod si non sunt cognitu difficiles in ordine ad intellectum angelicum, & divinum, sed dumtaxat humanum, signum evidens est, hanc difficultatem oriri præcise ex imperfectione, & imbecillitate intellectus nostri. Conf. & explicatur hæc ratio, nam quod est ex se difficile cognoscibile, ideo est tale, quia intrinsece participat aliquam rationem formalem, quæ est radix talis difficultatis; atque ideo difficilem reddit in ordine ad quamcunque potentiam cognitivam, quia de se talis est independenter a quocunque extrinseco; si ergo res non sunt difficiles respectu cujuscunque intellectus, sed tantum humani, argumento est difficultatem non esse in rebus ipsis intrinsece radicatam, sed ex parte intellectus nostri oriri. Conf. amplius, & magis explicatur, nam ad inveniendam alicujus effectus causam præcisam hanc methodum tradidere Philosophi, ut illa sit ejus causa præcisa, qua posita ponitur effectus, & qua remota removetur; sed una, ac eadem res comparata ad intellectum nostrum difficulter cognoscitur, faciliter vero in ordine ad intellectum angelicum, vel divinum, ergo hæc non erat causa difficultatis in nostra cognitione, sed potius intellectus, nam eadem re penitus immutata, variato ordine solum ad potentiam cognoscentem, tollitur difficultas.

Hæc est Doctoris validissima ratio, cujus vim nedum Thomistæ, sed nec sufficienter aliqui percepere Scotistæ; Trombeta namque Scotista alioquin solertissimus, ac fidelissimus inquit, hanc rationem contra Ave rroem non concludere, quia secundum ipsum 12. Met. com. 51. & 3. de Anim. com. 5. & 8. Deus nihil intelligit extra se. Tamen præsupponendo, quod aliquid intelligat extra suam essentiam, respondetur (inquit) quod quodcumque intelligibile, quod est ex se cum difficultate cognoscibile, comparatum ad quemcumque intellectum mobilem a tali objecto, aut saltem per se primo terminabilem, & non virtute alterius, erit a tali intellectu cum difficultate cognoscibile; modo intellectus divinus, neque est mobilis a rebus materialibus, neque terminabilis ab ipsis, & ideo tales res non cognoscentur cum difficultate ab intellectu divino, qui virtute essentiæ, ut objecti moventis, aut primo terminantis, intelligit quidquid intelligit. Unde soluta in hunc modum ratione Scotica subdit deinde ipse aliam rationem, qua ita probat nostram conclusionem, potentia intellectiva habet difficultatem in cognoscendo, quando est improportionata objecto cognoscibili, est autem improportionata aut propter maximam entitatem objecti, aut propter minimam, sed quælibet istarum improportionum est ex defectu virtutis cognoscitivæ, quod probatur, nam quod intellectus nequeat intelligere maxime cognoscibilia, hoc est, quia virtus ejus cognoscitiva exceditur a cognoscibilitate objecti, ergo defectus est ex parte ipsius; improportio etiam respectu eorum, quæ sunt minimæ entitatis, provenit ex defectu ipsius intellectus, quod probatur per Arist. lib. de sensu, & sensato, qui vult, quod si visibile decrescit in minus in infinitum, necesse est visum crescere in majus in infinitum, si debet visibile percipere; ergo ad cognitionem minimi cognoscibilis requiritur perfectior virtus in cognoscendo; ergo quod intellectus non possit intelligere minima, hoc est ex defectu virtutis cognoscitivæ in intellectu.

213 Sed immerito Trombeta, quem super omnes Metaphysicos Scotistas semper venerabor, rationem Doctoris inficiatur, velut non concludentem, quod enim non concludat in principiis Averrois negantis Deo scientiam rerum ad extra, parum refert, si enim hæc fuit mens Commentatoris (quem aliqui benigne interpretantur) sane hæc sunt verba, ut inquit ille, non hominis, sed bovis, quia omnino irrationabile est asserere Deum omniscium ignorare res ad extra. Quod autem subdit Trombeta pro solutione argumenti, quod scilicet si res essent ex se difficile cognoscibiles, adhuc facile cognoscerentur ab intellectu divino, quia non cognoscuntur in seipsis, & in genere proprio, ut loquitur Theologus, sed virtute divinæ essentiæ, ut objecti primario moventis, ac terminantis. Hoc neque verum est, neque solvit argumentum; non, inquam, verum est, quia etiamsi Deus res in proprio genere cognosceret, adhuc ratione perspicacitatis ejus facillime res quascumque cognosceret, ut constat de intellectu angelico, qui quidem res in proprio genere novit absque ulla difficultate ratione acuminis ejus, neque divinus intellectus ponitur a Theologis omnia immediate in divina essentia cognoscere, non autem in seipsis, adhuc ut facilius cognoscat, & sine difficultate, sed ne vilescat accipiendo, & mendicando cognitionem a rebus, ut dicitur in tract. de scientia Dei. Nec etiam solvit argumentum, immo potius confirmat, quia si ideo Deus res omnes sine difficultate cognoscit, quia non accipit cognitionem ab eis, sed novit in seipso, & nos e contra cum difficultate eas cognoscimus, quia accipimus cognitionem ab eis, jam difficultas in nobis reperta circa rerum intellectionem non ex rebus ipsis, sed ex nostro modo intelligendi imperfecto procedit; patet consequentia, quia est omnino eadem res, quæ a Deo intelligitur, & a nobis, ab eo quidem facillime, a nobis difficulter, præcise ob diversum cognoscendi modum, quia noster intellectus indiget motione rerum, non autem intellectus divinus, ergo difficultas

in nobis procedit præcise ex nostro imperfecto intelligendi modo. Denique quando Scoti argumentum non concluderet de intellectu divino ob rationem a Tromb. allatam, adhuc concluderet de intellectu angelico, qui præsertim in Scoti sententia movetur a rebus, resque novit in genere proprio per proprias earum species infusas, vel acquisitas, & quæ nos novimus difficillime, novit ipse cum summa facilitate, & quidem Doctor in eo argumento, quamvis specialem faciat de divino intellectu mentionem, ut pote qui facillime super omnes intelligit omnia, non tamen se restringit ad intellectum divinum, sed loquitur in ordine ad quemcumque intellectum, ait enim quod *si res essent* ex se difficiles, tales quoque forent in ordine ad quemcumque intellectum, ergo includit saltem de intellectu angelico res noscente in genere proprio,

214 Neque ratio, quam ipse deinde subdit in defectum rationis Scoticæ, ullius est momenti, verum enim utique est, quod assumit potentiam intellectivam habere difficultatem in cognoscendo, quando est improportionata objecto cognoscibili; falsum tamen est, quod postea subdit hanc improportionem evenire aut propter maximam entitatem objecti, aut propter minimam, & quamlibet harum improportionum ex parte virtutis cognoscitivæ procedere. Hoc imprimis repugnare videtur, quia talis magnitudo, vel parvitas entitatis ex parte rei se tenet, si ergo improportio inter objectum, & potentiam ex maxima, vel minima entitate objecti spectanda est, jam ex parte rerum ipsarum provenit, non autem præcise ex parte virtutis cognoscitivæ, ut ait Tromb. At inquit, quod intellectus non possit intelligere maxime cognoscibilia, hoc est, quia virtus ejus cognoscitiva exceditur a cognoscibilitate objecti, ergo defectus est ex parte ipsius. Contra, quia hinc etiam inferri potest difficultatem provenire primario, & originative ex excessu ipsarum rerum, quo superant humanum captum, nam si removeretur talis excessus facile, intelligerentur, ergo præcipuum impedimentum, & primarium cur a nobis difficulter intelligatur, & radix primaria improportionis inter illas, & intellectum nostrum, est earum excessus, & non præcise nostri intellectus imbecillitas. Deinde repugnat hanc improportionem inter objectum, & potentiam evenire aut propter maximam objecti entitatem, aut minimam, nam idem effectus ab oppositis omnino causis provenire non potest, sed maxima, & minima entitas opponuntur, ergo nequit hæc eadem improportio ex utroque capite provenire. Tum quia si minima entitas est causa improportionis inter objectum, & potentiam, ac difficilis cognitionis, ergo res, quo magis de entitate participabit, redderur facilius intelligibilis, quia sic tolleretur improportio oriens ex minimitate rei. Tum quia oppositæ causæ oppositos producunt effectus, ergo si minimum esse reddit res difficiles cognitu intellectui nostro, maximum esse e contra reddet facile cognoscibiles, & idem quoque argumentum formari potest de maxima entitate, quod si propter ejus excessum est causa improportionis, & difficultatis, minimum esse rei reddet rem intellectui nostro proportionatam, ac facile cognoscibilem,

215 Dices, ad proportionandum objectum cum intellectu nostro requiri mediocritatem intelligibilitatis, ac entitatis, itaut nec sit maximæ intelligibilitatis, nec minimæ, quia maxima intelligibilitas opprimit potentiam, & minima eam subterfugit, ut ait Arist. de minimo visibile loc. cit. a Trombet. de sensu, & sensato. Contra, quia si mediocritas intelligibilitatis est causa proportionis objecti cum intellectu nostro, & facilitatis in cognosci, & excessus intelligibilitatis, vel defectus est causa improportionis, & difficultatis, ergo causa præcisa, vel saltem præcipua tam facilitatis, quam difficultatis in cognitione rerum stat ex parte earum, non autem ex parte intellectus nostri, quia hæc mediocritas, aut excessus, vel defectus intelligibilitatis se tenet ex parte rerum. Tum quia cum dicitur mediocritatem esse causam proportionis objecti ad potentiam, & facilitatis in cognitione ipsius, vel hoc est, quia dicit accessum ad summam, vel exiguam intelligibilitatem; vel recessum ab ea, si est causa facilitatis, quia dicit accessum, ergo quo magis accedit, reddit rem facilius cognoscibilem ab intellectu nostro, & sic etiam argumentum formari poterit ex parte recessus, consequentia vero tenet ex ea regula, quod sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum. Denique falsum est, maximum, & minimum intelligibile difficulter a nobis cognosci ob rationem allatam, quia intellectus non patitur ab excellenti intelligibili, ut visus a sensibili, ob dispositionem organi, intellectus enim est inorganicus, immo quo excellentius est intelligibile, eo promptior redditur intellectus ad illud percipiendum, ex 3. de Anim tex. 8. & ob eamdem rationem non tenet omnino paritas de minimo visibili, quia visio requirit objectum, quod possit immittere species ad oculum, & se solo illam totaliter imprimere, quia non datur sensus agens concurrens cum objecto ad productionem, & impressionem speciei, parva autem moles in notabili præsertim distantia debilem emittit speciem sui intentionalem, quæ proinde aut ad oculum non pervenit, aut adeo debilis, & remissa, ut oculum movere non valeat; hoc autem non contingit respectu intellectus, qui est potentia inorganica, & cum rebus partialiter concurrit ad productionem speciei intelligibilis, unde si præsertim sint res absolutæ quantumcumque sint exiguæ, & imperfectæ entitatis, possunt simul cum intellectu agente producere sui speciem, ac intellectum movere. Accedit, quod etiam admissa paritate de minimo visibili, & intelligibili, non adhuc ex illa Arist. auctoritate concludit totam difficultatem esse ex parte intellectus, quia licet verum sit difficultatem videndi parvum visibile ex parte visus pendere, negari tamen nequit, quin etiam pendeat ex parte objecti, quod cum sit exiguæ molis, parum quoque movet potentiam visivam, neque hoc negare voluit Arist. sicut enim magnitudo molis in objecto visibili valde confert, ut facile videatur, ita parvitas molis facit, ut cum difficultate cernatur.

216 Zerbius 2. Metaph. quæst. 2. quamvis & ipse Scotistam esse profiteatur, duplicem tamen assignat solutionem ad relatum Doctoris argumentum, inquit enim etiam respectu intellectus divini res difficulter cognoscibiles habere eamdem difficultatem, & sic concedit consequentiam argumenti, quod autem divinus intellectus eas faciliter intelligat, ait provenire ex parte intellectus increati, qui scientiam suam non mendicat a rebus; aliter etiam respondet negando consequentiam, nempe quod si res sint ex se difficile cognoscibiles, tales quoque futuras in ordine ad quemcumque intellectum, quia non oportet quod omne illud, quod secundum se competit alicui, eidem competat ad quodcumque illud comparetur, & præcipue in respectivis, albedini enim, ut quinque, competit secundum se esse remissam, *cui tamen esse remissum non competit cuicumque ipsa comparetur*, nam comparata albedini, ut tria, vel quatuor, esse intensum, & non esse remissum est sibi conveniens; quam solutionem acceptant unanimiter Thomistæ, unde consequenter ad eam inquiunt Javellus, Zanardus, & alii 2. Metaph. qu. 2. illam maximam, quod est de se tale, cuicumque comparetur, semper esse tale, veram esse dumtaxat in prædicatis absolutis, non autem respectivis, quale est esse cognoscibile, esse visibile, &c nam Sol est difficulter visibilis ob copiam suæ lucis, & tamen non sequitur, quod comparatus cuicumque oculo sit difficili visu, ut patet in oculo Aquilæ.

Nulla tamen istarum solutionum est sufficiens, immo prima sibimet repugnare videtur, implicat enim res de cognitu difficiles facile intelligi ab intellectu divino, & adhuc respectu ejus eamdem habere difficultatem in intelligi, quam habent respectu intellectus nostri; si enim facile intelliguntur ab ipso, ergo *non eamdem respectu ejus habent difficultatem*, quam habent respectu nostri intellectus, vel si eamdem retinent etiam respectu ejus, ergo non facile intelliguntur ab ipso: quod autem inquit facile a Deo intelligi, quia non cognoscit eas in genere proprio, sed in divina essentia, jam impugnatum est supra disputando contra Tromb. Nec etiam secunda solutio, quæ adeo Thomistis arridet, satisfacit, nam illa propositio, omne, quod est de se tale, cuicumque comparetur, semper est tale, vera est in prædicatis omnibus tam absolutis, quam respectivis, quod ostendo in ipso albedinis exemplo intensæ ut quinque adducto a Zerbio, cuicumque enim ipsa comparetur sive albedini, ut octo, sive ut quatuor, semper habet intensionem, ut quinque, quod autem respectu istius dicatur intensa, respectu illius remissa, *hoc non ei competit ab intrinseco, sed ei prorsus accidit* ex comparatione ad extrinseca, lapis etiam sive comparetur ad montem, sive ad granum milii, semper est ejusdem magnitudinis, quamvis respectu istius dicatur magnus, respectu illius parvus. Sed admisso etiam propositionem illam habere veritatem tantum in absolutis, non in respectivis, adhuc argumentum urget, immo præfata solutio illud mirabiliter confirmat, quia si esse facile, vel difficile intelligibile non est prædicatum absolutum rebus competens independenter a quocumque extrinseco, sed est prædicatum respectivum, quod in eis variatur juxta variam comparationem ad diversos intellectus; jam eo ipso fatentur Thomistæ difficultatem circa rerum intellectionem non ex ipsis pendere, sed ab intellectu, cui comparantur, quia respectu unius intellectus sunt faciles cognitu, respectu alterius difficiles, quod manifeste ostendo in exemplo adducto a Javello de Sole, qui facile videtur ab oculo Aquilæ, difficulter ab alio oculo, hæc enim facilitas, vel difficultas non pendet ex constitutione intrinseca lucis solaris, quia cuicumque oculo comparetur, semper retinet eosdem visibilitatis gradus, sed oritur ex varia dispositione organi in oculo Aquilæ, & alterius animalis. Itaque si recte perpendatur Doctoris argumentum, optime tenet illa consequentia, quod si res ab intrinseco, & ex natura sua essent cognitu difficiles, tales quoque essent respectu cujuscumque intellectus, quia ut ipse inquit, ad oppositum, quod scilicet sint difficiles respectu unius intellectus, non respectu alterius, statim sequitur, difficultatem non illis inesse ex natura sua, sed eis ab extrinseco obvenire, & per accidens, nempe ab intellectu, cui obiiciuntur intelligendæ, unde argumentum Scoti supponit difficultatem in rebus in opposita sententia statui debere prædicamentum absolutum, intrinsecum, & essentiale, quia si est respectivum, & per accidens, & ab extrinseco adveniens, scilicet ab intellectu, cui comparantur, jam in nostram labuntur opinionem statuentem difficultatem cognitionis rerum ex parte intellectus nostri, non ipsarum, quia ipsæ, quantum est ex se, sunt æque facile, vel difficile cognoscibiles a quocumque intellectu.

217 Fonseca 2. Metaph. quæst. 1. cap. 1. sect. 4. ad solutionem ejusdem argumenti inquit, res esse ex se cognitu difficiles posse dupliciter intelligi, primo itaut esse difficile cognoscibile conveniat eis per se, tamquam innata proprietas, & in hoc sensu non intelligitur res aliqua esse ex se difficilis cognitionis, quia sic teneret consequentia in argumento deducta, quod illæ res difficiles essent cognitæ in ordine ad quemcumque intellectum; alio modo dici possunt esse ex se difficilis cognitionis, quatenus ex sua natura habent, quod facile cognosci ne-

nequeant, nisi ab intellectu perfecto, & in hoc sensu dicuntur aliquæ res esse ex se difficilis cognitionis, ex quo minime sequitur, tales esse futuras respectu cujuscumque intellectus; & rem posse esse hoc secundo modo difficilem absque primo duobus declarat exemplis, hoc enim modo lignum viride dicitur esse difficilis combustionis, quatenus facile comburi nequit, nisi a vehementi igne; & defunctus dicitur ex natura sua difficulter resuscitabilis, & tamen sine ulla difficultate resuscitatur a Deo; sic ergo res aliquæ dicuntur esse ex se difficilis cognitionis, quia non nisi ab intellectu perfecto facile cognosci possunt. Sed & ista quoque solutio argumentum Scoti confirmat, & nostram opinionem, quod difficultas circa rerum cognitionem non convenit eis intrinsece, & absolute, sed dependenter ab imperfectione intellectus nostri, inquit enim non repugnare illis, quod facile intelligantur absolute loquendo, sed quod facile intelligantur ab intellectu imperfecto, qualis est noster; jam ergo tota difficultas intellectionis ipsarum in imperfectionem intellectus nostri refunditur, qui si esset perfectus, ut angelicus, vel divinus, æque facile illas intelligeret. Confirmatur, quia res illæ sunt prorsus eædem, sive intellectui humano obiiciantur, sive angelico, vel divino, & tamen respectu illius dicuntur difficile cognoscibiles, non respectu istius, cum ergo tota diversitas sit ex parte intellectus, quia unus est perfectus, alter imperfectus, constat totam difficultatem in cognoscendo non a rebus provenire, sed ab *ipso intellectu*. Conf. ulterius, quia juxta sensum distinctionis allatæ a Fonsec. dici potest Solem esse visu difficilem, non absolute, sed quia facile videri nequit, nisi ab oculo acuto, & perspicaci, qualis est oculus Aquilæ, & adhuc, quod difficulter videatur ab oculo nocturæ, hoc non dicitur provenire ex natura Solis, sed ex imperfectione oculi nocturæ, ergo pariter in proposito, quamvis sint aliquæ res cognitu difficiles, & quæ facile percipi nequeunt, nisi ab intellectu perfecto, hoc non arguit difficultatem pendere ex parte ipsarum, sed ex parte intellectus imperfecti. Neque exempla illa sunt ad rem, ut bene notavit Pasqualig. nec ex ipsis bene deducitur, quod aliquid ex natura sua sit facile uni, & difficile alteri, nam lignum viride est utique difficilis combustionis ob qualitates resistentes igni, sed hanc difficultatem habet tam respectu debilis, quam vehementis ignis; nam quod ignis vehemens cito illud comburat, non *tollit quin etiam* respectu ejus suam non habeat difficultatem ad comburi, quantum est ex parte sua, sed solum infert, quod fortis ignis ob maximam activitatem facilius superat ejus resistentiam, & difficultatem ad comburi, quam debilis ignis; ac in rebus cognoscibilibus, si quæ difficile cognoscuntur, talis difficultas non provenit ex aliqua resistentia, quam habeant ad cognosci, sed ex parte intellectus, qui ob suam imperfectionem non facile, & expedite movetur ab eis; resuscitatio vero mortuorum respectu creaturæ non dici debet difficilis, sed simpliciter impossibilis, & respectu Dei debet dici facilis, quia nihil est difficile divinæ omnipotentiæ, dummodo contradictionem non implicet ex parte rei, & sic ex nullo eorum exemplorum, probat intentum Fonsec. posse scilicet aliquid ex natura sua esse facile uni, & difficile alteri.

218 Tertio principaliter probatur nostra conclusio ratione, veluti a priori, quam innuit Doctor loc. cit. 2. Met. q. 2. ubi ait loquendo proprionaliter omnes res, quantum est ex se, sive sint materiales, sive immateriales, æque facile intelligi, & ratio est, quia si res perfectior perfectius, & intensius movet intellectum, habet etiam plures gradus cognoscibilitatis, quam res imperfectior, quæ cum minores, & pauciores habeat, non indiget intellectus adeo intensa motione, sicut ad intellectionem rei perfectioris; æqualiter ergo movetur intellectus hinc, & inde a re perfectiori, & imperfectiori servata proportione, & ideo quælibet in suo ordine est facile intelligibilis, quia quælibet tantum movet, quantum sat est ad sui manifestationem, nam unaquæque res naturaliter cognoscibilis habet suum proportionatum medium, quo innotescat intellectui eo modo, quo potest, & exigit, quantum est de se innotescere; ex quo sequitur, res omnes esse æque facile cognoscibiles, quantum est de se, & si aliquæ sunt difficile cognoscibiles, hoc aliunde provenire, quam ab ipsis rebus; hoc declarat Doctor exemplo ignis, nam ignis parvus æque faciliter calefacit secundum proportionem caloris sui; sicut major ignis secundum proportionem caloris sui, vult dicere, quod licet magnus ignis longe activior sit parvo igne, æque tamen facile parvus ignis comburit combustibile sibi proportionatum, v. g. fasciculum, ac magnus ignis lignorum magnam struem, nam quamvis magnus ignis majorem habeat virtutem, majorem etiam habet materiam circa quam occupetur; sic in proposito quamvis res perfectior intensius moveat intellectum, quam imperfectior, plures tamen etiam habet intelligibilitatis gradus exprimendos, & manifestandos, quam res *imperfectior*, atque ideo hæc minori indiget motione, ut æquali facilitate intelligatur, ac illa. Conf. hæc ratio, & amplius declaratur, quia ut optime adnotavit Pasqualig. difficile intelligi in rebus non importat quandam resistentiam, & contrarietatem, quæ sit inter objectum, & intellectum, quia neque intellectus habet resistentiam ad intelligendum, neque objectum ad intelligi, sed cum intellectus complete constitutus est in actu primo per speciem intelligibilem, sine ulla difficultate potest exire in actum, quia est agens naturale, quod in agendo nullam patitur difficultatem, quare tota difficultas consistit, in hoc, quod facile, vel difficile acquirat speciem impressam objecti, vel aliquid loco e-

jus deserviens; ut cum res intelliguntur per alienas species; sed sic est, quod loquendo de his rebus, quæ nostræ subiiciuntur cognitioni, natura singulis providit de medio proportionato, quo determinaret intellectum, vel per propriam objecti speciem, vel per alienas loco ejus deservientes, ergo res omnes, quantum est ex se, sunt æque facile cognoscibiles, quia quælibet in suo ordine habet medium proportionatum, quo innotescat intellectui, perinde ac quælibet alia quantumvis excellens, & perfecta.

219 Quarto ulterius probatur conclusio destruendo præcipuum fundamentum Adversariorum, qui ideo dicunt substantias materiales esse cognitu difficiles ex parte sua, quia sunt multum potentiales, & parum habent de actualitate, unumquodque autem est cognoscibile secundum quod actu est, nam cognoscibilitas est utique passio entis, non tamen quomodocunque considerati, sed entis in actu; at totum hoc fundamentum labile, ac ruinosum est, cum enim inquiunt solam actualitatem facere rem cognoscibilem, percontandum est, quid per ejusmodi actualitatem intelligant, & per hoc esse in actu, si enim intelligunt esse existentiæ, ut contradistinguitur ab esse possibili, potest esse falsum, quia nedum existentia intelliguntur, sed etiam possibilia, immo scientia dicitur abstrahere ab existentia rerum. Vel per esse actuale intelligunt illud secundum quod res potest poni in actu per recessum a potentia objectiva, & hoc pacto *dici nequit una res magis de actu participare*, quam alia, quia sic unaquæque habet suum proprium esse, quo æque poni potest in actu, ac quælibet alia, nam quælibet perfecte participat totum id, quod requiritur ad id, ut ponatur in esse; Vel per esse actuale intelligunt illud, quo res accedit ad purum actum, & recedit a potentia receptiva, & subjectiva, quo pacto substantiæ immateriales magis de actu participare dicuntur, quam materiales, & in hoc sensu falsum quoque est solam actualitatem esse rationem cognoscendi, quia cum materia prima nihil de hoc actu participet, quia est omnino in potentia subjectiva, nullo modo poterit intelligi; Vel per esse actuale intelligunt esse magis perfectum, & in hoc sensu, inquit Doctor loc. cit. utique verum est, quod est perfectioris entitatis, perfectioris etiam *esse cognoscibilitatis*, non tamen facilioris, nam cognitio entis imperfectioris proportionaliter loquendo est æque facilis, ac cognitio perfectioris, immo respectu nostri facilior, nam Deus, & intelligentiæ sunt entia perfectissima, & maxime in actu, & nobis adhuc difficillima cognitu. Vel tandem per esse actuale idem intendunt, quod esse actu intelligibile, in hoc enim sensu res immateriales dicuntur esse in actu, materiales vero in potentia, unde ut fiant actu intelligibiles, ope indigent intellectus agentis, qui illas depurando a conditionibus materialibus dicitur transferre de ordine ad ordinem, idest de ordine sensibilium ad ordinem intelligibilium, & præterquamquod in hoc sensu falsum est, substantias quoque materiales non esse in actu, quia sicut sunt actu entia, ita etiam actu intelligibilia, & quamvis sint intra ordinem sensibilium, non ob id excluduntur ab ordine intelligibilium, quia intellectus est potentia illimitata, quæ vagatur per omnia entia, ut fuse monstratum est disp. 6. de Anim. nu. 64. 92. 100. 194. & 195. adhuc etiam est falsum, quæ sunt ita magis in actu, esse nobis cognitu faciliora, immo res e contra se habet, quod quæ sunt sensibus proximiora, facilius a nobis intelliguntsensuum ductu, & quæ remotiora, difficilius; patet ergo axioma illud Thomistarum, & Averroistarum unumquodque cognosci secundum quod actu est, & solam actualitatem esse rationem formalem intelligibilitatis, sic absolute prolatum esse falsum, de quo videatur Faber theor. 25. capit. 3. & 2. Met. disp. 2. capit. 3. in solutione ad primum.

Deinde concesso etiam hoc axiomate, ut vero, adhuc fundamentum Adversariorum nutat, & sibimet repugnat, si enim actualitas in rebus causa est facilioris cognitionis, & potentialitas difficilioris, ideoque substantiæ materiales sunt nobis cognitu difficiles, ergo quo magis res de actu participabit, minusque de potentia erunt nobis cognitu faciliores, quod tamen est falsum, nam ut, & ipsi fatentur, Deus, & intelligentiæ sunt nobis cognitu difficillimæ, cum tamen sint entia maxime in actu. Dices, quod esto respectu nostri sint cognitu difficiles, sunt tamen in se facillimæ cognitionis ob earum maximam actualitatem. Contra, nam ex fundamento Adversariorum, etiam nobis deberent esse facillimæ, quia exigua participatio de actu reddit secundum ipsos res nedum in se cognitu difficiles, sed etiam respectu nostri, & quo minus de actu participant, eo difficiliores reddunt, ergo e contra, quo magis de actu participant, redditi debent cognitu faciliores nedum in se, sed etiam respectu intellectus nostri; Consequentia probatur, quia quando ab uno oppositio habetur aliquis effectus, ab alio etiam oppositio haberi debet contrarius effectus, cum igitur *major participatio* de actu causet in objecto *difficultatem cognitionis* respectu nostri, sane major participatio e contra minuet difficultatem ejusdem, & augebit facilitatem. Conf. quia secundum ipsos actualitas res nobis manifestat, & potentialitas occultat, ergo res quo magis a potentialitate recedunt participando de actu, erunt nobis minus occultæ, & tamen oppositum experimur de Deo, & Intelligentiis.

220 Quinto adhuc magis probatur Conclusio explicando, quo pacto tota difficultas circa rerum cognitionem procedat ex modo imperfecto cognoscendi intellectus nostri pro statu isto, in quo est alligatus sensibus, eorumque indiget ministerio ad res intelligendas, quia enim in inquirenda rerum veritate intellectus pro statu isto

utitur sensibus, adeout nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu formaliter, vel saltem virtualiter, & ideo objectum adæquatum intellectus nostri pro statu isto est quidditas rei sensibilis formaliter, vel virtualiter, ut docet Scotus q. 1. prol. E. & 1. d. 3. q. 3. B. & qu. 4. F. & quol. 14. art. 2. & alibi frequenter, ut dictum est disp. 6. de Anim. qu. 6. art. 2. hinc, inquam, procedit tota difficultas, quam experimur in rerum cognitione, vel facilitas pro statu isto, quo enim res sunt sensibus proximiores, facilius cognoscuntur, quia facilius imprimunt sui speciem; quo remotiores, difficilius, quia cum difficultate imprimunt sui speciem, vel nullatenus eam imprimunt, sed intelligi debent per species alienas, & tunc difficultatem sentimus in talium rerum cognitione, quia ex his, quæ sensus percipit, nequit intellectus facile assequi eorum notitiam; unde quia intellectus angelicus, vel separatus intelligit independenter a sensibus, ideo facile omnia illa percipit, quæ a nobis non percipiunt nisi cum maxima difficultate. Ex hoc itaque sic possumus argumentari ad ostendendum propositum, nimirum totam difficultatem cognitionis procedere ex imperfecto modo cognoscendi nostri intellectus pro statu isto, difficultas in cognitione alicujus objecti oritur ex improportione reperta inter ipsum, & potentiam cognoscentem, sed talis improportio non habetur propter maximam, vel minimam entitatem objecti, ut dicebat Trombet, neque propter maximam, vel minimam actualitatem objecti, ut dicebant Thomistæ, sed præcise ob majorem vel minorem sensibilitatem ejusdem, ergo difficultas in cognitione rerum pro statu isto oritur præcise ex modo imperfecto cognoscendi nostri intellectus, qui nihil intelligit, nisi dependenter a sensibus; probatur consequentia cum minori, quoniam stante tali modo cognoscendi nostri intellectus scilicet cum dependentia a sensibus, sequitur, quod objectum proportionarum ipsius sint tantum res sensibiles, atque ideo quo magis res aliqua fuerit a sensibus remota, erit magis improportionata ad movendum intellectum nostrum pro statu isto, & idcirco difficilius cognoscetur; patet ergo, radicem totius difficultatis circa rerum cognitionem, sive perfectissimæ, sint sive imperfectissimæ, ex hoc capite oriri, quia tam istæ ob earum imperfectionem, ut materia prima, relationes &c. quam illæ ob earum maximam perfectionem, ut Deus, & intelligentiæ, sunt a sensibus nimis remotæ, quæ remotio in causa est, quod intellectus noster prens tali modo imperfecto cognoscendi pro statu isto, nequeat illa attingere, nisi cum magna difficultate, quæ alioqui facillime cognosceret, si independenter a sensibus intelligeret.

Et quidem totam hanc esse radicem difficultatis, quam experimur circa rerum intelligentiam, diserte docuit D. Gregor. Naziazenus orat. 2. de Theolog. post medium illis verbis; cum veritas omnis, & disputatio plurimum difficultatis, atque obscuritatis habeat, ac nos velut parvo quodam instrumento res magnas efficere moliamur, humanæ scilicet sapientiæ adjumento rerum cognitionem aucupantes, ac rebus intellectibilibus animum una cum sensibus admoventes, aut certe non sine sensibus quibus undique jactamur, atque in errorem pertrahimur, nec nuda mente cum nudis rebus versari, atque inde ad veritatem propius accedere, rebusque perceptis, ac comprehensis mentem informare possumus; hæc Nazian. idem quoque voluit innuere Arist. 2. Met. tex. 1. per illud simile de nycticorace, sicut oculus noctuæ se habet ad lumen solis, ita se habet intellectus noster ad ea, quæ sunt manifestissima naturæ, non enim per hoc significare voluit objecta maximæ intelligibilitatis esse nobis cognitu difficillima, quia intellectus noster lædatur a maxima cognoscibilitate objecti, ejusque lumine, quemadmodum vespertiliones a lumine diei, ut quidam Averroistarum explicant, quia intellectus non læditur ab excellenti intelligibili, sicut sensus a sensibili ex 3. de Anim. tex. 8. sed solum significare voluit, quod dicebamus, illa objecta scilicet intelligentias esse ita intellectui nostro improportionata, sicut lumen solis oculis vespertilionis, quia illa sunt nimis remota a sensibus nostris; unde currit illa similitudo, quia hic, & ibi cernitur improportio inter potentiam, & objectum, sed non ob eandem causam, nam talis improportio in nycticorace contingit; quia a magno lumine læditur ejus potentia visiva; in nobis vero, quia substantiæ immateriales sunt valde a sensibus nostris remotæ.

221 Sexto tandem ex dictis sequitur, radicem quoque falsitatis, & erroris, quo sæpe fallimur, ac decipimur circa res falso apprehensas, non ex parte rerum, sed intellectus nostri esse spectandam, quod quidem probatur eodem prorsus modo, quo idem probatum est de radice difficultatis, quia si res essent de se fallaces, ac erroneæ, respectu cujuscumque intellectus tales essent, quod tamen est falsum, quia nec intellectus angelicus, nec divinus circa rerum cognitionem hallucinatur, & in intellectu humano experimur, quod quo perfectior est intellectus, eo minus fallitur; radix igitur falsitatis, & deceptionis, quam interdum patimur, ex imperfectione, & habitudine intellectus nostri sumenda est, & imperfecto modo intelligendi dependenter a sensibus, qui sunt fallaces, & plerumque unam rem pro alia ostendunt. Quamvis autem totum hoc verum sit, nequaquam tamen negari debet in rebus ipsis, plures latere occasiones errandi, & decipiendi, plerumque enim experimur nos decipi a nimia objecti distantia, ab externa figura, a nimia rerum similitudine; ita diserte docuit Aug. lib. 2. soliloq. cap. 6. & 7. in verisimilitudine habitare falsitatem, & similitudinem esse matrem erroris, & eas res, a nobis falsas appellari, quas verisimiles deprehendimus; hac enim de causa hypocrita dicitur justus falsus, quia ostendit opera justi, & auricalchum aurum falsum, quia ostentat nitorem auri; & in hoc sensu etiam diximus q. præced. dari falsitatem in rebus, non quia reipsa sint in se falsæ, sed quia ut ajebat Aug. res falsas dicimus, quas verisimiles deprehendimus, & falsum esse, quod apparet id, quod non est; unde nequit falsum constitui in rebus, nisi in ordine ad intellectum, qui potest decipi, & unam rem pro alia sumere ob nimiam unius similitudinem cum alia.

Solvuntur Objectiones.

IN oppositum arguitur. Primo pro prima opinione probando omnem difficultatem in rerum intellectione ab ipsis procedere, ideo namque intellectus noster difficultatem patitur in veritatibus assequendis, quia non habet proprias species rerum, per quas illas cognoscat, sed quod has non habeat, non ex ipso provenit, quia quantum est de se, est in potentia ad omnes, veluti materia prima ad formas ex 3. de Anim. c. 4. atque ideo sicut materia, quantum est de se, sine ulla difficultate recipit omnes formas, ita etiam intellectus omnes species, estque de se summe dispositus ad cognoscendum res, cum non habeat, nisi solam privationem cognitionis, non enim est ibi aliquod contrarium cognitioni rerum, provenit ergo impedimentum, & difficultas habendi species ex rebus ipsis, quæ non sunt productivæ specierum propriarum in intellectu nostro, ergo ex parte rerum præcise oritur difficultas circa earum cognitionem, non vero ex parte intellectus. Conf. exemplis, ideo enim substantia materialis nequit a nobis cognosci, quia non potest sui speciem imprimere neque in sensu, neque in intellectu, quod non provenit ex parte nostra, sed ex parte ipsius substantiæ, & idem est de substantiis immaterialibus saltem creatis, quæ nequeunt a nobis distincte intelligi, quia efficaciam non habent ad immutandum intellectum nostrum, ergo ex inefficacia ipsarum rerum provenit hæc difficultas. Conf. amplius, quia intellectus noster non est in organo corporeo, quo mediante lædatur ab excellenti objecto, sicut læditur sensus, immo quo objectum est excellentius, magis perficitur ex 3. de Anim. 8. ergo tota difficultas provenit ab ipsis rebus, quæ natura sua sunt parum intelligibiles. Denique tota difficultas in rerum cognitione provenit ex improportione inter objectum, & potentiam, sed hæc se tenet præcise ex parte rerum, quæ vel ob suam maximam, vel minimam perfectionem sunt nimis a sensibus remotæ, atque intellectui nostro conjuncto improportionato, ergo &c.

222 Respondet Meurisse. loc. cit. concesso assumpto, negando consequentiam inde deductam, quia non posse cognoscere sine speciebus arguit imperfectionem status nostri; & in rebus quæ species producere non possunt, non est imperfectio ex eo, quod illas non possint producere, immo perfectionis est, quia hoc demonstrat earum statum sublimem, & abstractum a materia. Hæc solutio multa falsa involvit, falsum enim in primis est non posse nos cognoscere sine speciebus arguere imperfectionem status nostri, quia etiam intellectus angelicus, & separatus non cognoscit sine speciebus vel infusis vel ab ipsis rebus acquisitis loquendo præsertim de cognitione abstractiva, ut dictum est in lib. de Anim. & tamen non patiuntur imperfectionem status nostri, non ergo cognoscere mediantibus speciebus quomodocumque arguit imperfectionem status, sed cognoscere per species ex sensibilibus deductas medio phantasmate, nec posse aliter cognoscere nisi speciebus via sensuum acquisitis. Deinde falsum est in rebus perfectionis esse, quod nequeant sui speciem imprimere, nam species est veluti semen objecti, unde sicut perfectionis est in rebus posse se propagare in esse reali, ita etiam se propagare in esse cognito; tum quia dictum est in lib. de Anim. relationes reales, entia rationis, & alia hujusmodi non posse sui speciem imprimere in intellectu ob eorum imperfectionem, & exiguam entitatem, ergo imperfectionis est in rebus non posse sui speciem producere in intellectu impressam, vel expressam, non vero perfectionis. Denique sive sit perfectionis, sive imperfectionis in rebus non posse sui speciem producere, semper sequitur difficultatem cognitionis nostræ a rebus pendere, si semel concedatur penuriam specierum ab illis spectandam esse, quia ut supra dictum est, & bene argumentum urget, totum negotium cognitionis nostræ quoad facilitatem, vel difficultatem consistit in eo, quod intellectus facile, vel difficile compleatur, & determinetur per species rerum in ordine ad cognitionem.

Suarez autem disputat. 9. citat. section. 3. numer. 8. ac sequent. fatetur argumentum cum illis exemplis probare difficultatem cognitionis nostræ, saltem partialiter a rebus ipsis pendere, quod & ipse ulterius ex eodem fundamento confirmat, quia inter qualitates materiales, illæ, quæ non possunt sui speciem sensibus imprimere, dicuntur insensibiles, non tantum ex defectu sensuum, sed ex natura sua, & simul etiam ex defectu virtutis, quam habent ad sui speciem efficiendam, sed etiam res creatæ quantumvis immateriales, sunt ineptæ ad se manifestandum intellectualiter, & ad producendam sui speciem, ergo ex hac parte etiam ipsis tribuendus est defectus, nam cognitio oritur ex potentia, & objecto, atque id deo si nedum potentia, sed etiam objectum sit inefficax aproducendam cognitionem, vel sui speciem, sane difficultas cognitionis ex ipso quoque petenda erit. Hoc idem probat postea de substantiis materialibus, quia multo ineptiores sunt

sunt substantiæ materiales ad se manifestandum intellectui per speciem, quam spirituales, cum sint imperfectioris entitatis: tum quia, ut possint intelligi, oportet, ut eleventur ad superiorem ordinem, & fiant aliquo modo immateriales saltem in esse repræsentativo in specie intelligibili, ergo signum est ipsas secundum se esse imperfectas in genere intelligibilium, & consequenter ex parte ipsarum magnam esse difficultatem intelligendi illas, & inveniendi veritatem, tantoque hanc difficultatem esse majorem, quanto hæ res in suo ordine minus perfectiorem habent entitatem, minusque per propriam speciem repræsentabilem.

223 Sed neque partialiter probat argumentum difficultatem cognitionis a rebus ipsis pendere, neque id sufficienter probant confirmationes pro eo additæ a Suarez; prima namque, quicquid sit de majori, continet minorem falsam, quia substantiæ immateriales fæcundæ sunt specierum suarum, & maxime aptæ ad se manifestandum intellectualiter ob maximam perfectionem suæ entitatis; quod autem non se manifestent intellectui nostro, nec sui speciem in ipso producant, non id evenit ex infæcunditate, & sterilitate ipsarum, sed ex imperfectione intellectus nostri pro statu isto, in quo cum sit corpori conjunctus, pendet in actu suo, & specierum receptione a phantasmatibus, quare cum substantiæ immateriales nequeant in phantasmate sui speciem imprimere, consequenter nec possunt in intellectu conjuncto illam imprimere; quod si ex aliquo defectu, vel imperfectione ipsarum id eveniret, non solum in intellectu conjuncto, sed neque in separato illam imprimere possent, nec illi intellectualiter se manifestare; hoc ipsum concedit postea ipse quoque Suarez inferius num. 12. ubi ait, quod modo substantiæ separatæ non imprimant sui species in intellectu nostro, non provenire ex inefficacia earum, sed quia intellectus noster pro statu isto non est capax ipsarum. Ad aliam confirmationem pro substantiis materialibus respondetur per idem, quod quantum est de se, ipsæ quoque sunt productivæ specierum intelligibilium, de facto autem illas non imprimunt in intellectu nostro, quia non sunt immediate sensibiles, & intellectus ob alligationem, quam habet pro statu isto ad corporis sensus, non recipit nisi species immissas a rebus sensibilibus mediante phantasmate, & ope intellectus agentis; & ratione etiam hujus subordinationis intellectus nostri ad sensus indigent res materiales, ut eleventur, & transferantur de ordine in ordinem, quia intellectus pro statu isto non potest illas immediate attingere, non vero, quia non sint actu in se intelligibiles, quantum satis est, ut possint se manifestare intellectualiter, ut dictum est in lib. de Anim. loc. supracit. num. 219. cum ergo defectus specierum tam substantiarum materialium quam immaterialium, quem patimur pro statu isto, proveniat non ex parte ipsarum, sed ex imperfectione intellectus nostri, qui non potest intelligere, nisi abstrahendo species a phantasmatibus, & phantasmata a singularibus ob alligationem cum sensibus, sequitur evidenter totam difficultatem in cognoscendo refundendam esse in intellectum imperfecto modo res intelligentem pro statu isto.

224 Ex his itaque ad argumenaum principale neganda est minor, quod enim intellectus species non habeat modo proprias substantiarum materialium, ac immaterialium, non provenit ex inefficacia ipsarum, sed ex imperfectione intellectus nostri, qui ob conjunctionem cum corpore pro statu isto, & dependentiam a sensibus nequit recipere proprias species rerum insensibilium, & in hoc sensu, inquit Doctor cit. in sol. ad 2. negari posse intellectum pro statu isto esse summe dispositum, ac omnino expeditum ad rerum omnium intellectionem, non quod sit ibi indispositio propter contrarium, sicut oculus noctuæ non habet contrarium lumen solis, sed propter debilitatem, & imperfectionem virtutis suæ in cognoscendo, quam alligatam ad sensus habet pro statu isto, cum enim cognoscere debeat dependenter a sensibus, sequitur quod difficile possit moveri a rebus longe remotis a sensibus, & quod eo difficilius species rerum recipiat, quo sunt a sensibus remotiores. Ad 1. confirmationem patet per idem, negatur enim, substantias, tam materiales, quam immateriales non esse suarum specierum productivas in intellectu soluto; quod si eas non producunt in intellectu conjuncto, hoc provenit ex ipsius imperfectione, non illarum inefficacia. Dices, ergo saltem in rebus, quæ non sunt specierum productivæ, ut sunt entia rationis, relationes, & si quæ alia sunt hujus generis entia, quæ ob suam exiguam entitatem speciem sui parere non valent, difficultas cognitionis proveniet ex inefficacia earum. Respond. quicquid sit de entibus rationis, negant multi dari ullum ens in rerum natura, quod non sit suæ speciei ad minus expresse productivum, quia intelligibilitas est propria entis passio; & quodcumque quantumvis minimum ens natum est se intellectui manifestare; sed admittendo quoque dari entia, quæ ob tenuitatem suæ entitatis non sint apta producere sui speciem, adhuc tamen dicendum est naturam etiam pro his providisse de medio sufficienti, & proportionato, quo possint faciliter in ordine suo sese intellectui manifestare, nimirum per species alienas aliarum rerum, cum quibus maximam habent connexionem, & affinitatem, & sic in proposito relationes satis sufficienter, & faciliter intellectui manifestantur per species suorum extremorum; cui accedit, quod licet entia ejusmodi non sint objecta motiva intellectus, sunt tamen terminativa, & hæc sola terminabilitas sufficit, ut facile in suo ordine possint se intellectui manifestare, cum enim sint exiguæ entitatis, parvo negotio manifestantur, & denique ut sæpius Doctor inculcat, quod entia sint imperfecta, & diminuta, non arguit, quod sint difficilis cognitionis, immo sunt facillimæ cognitionis, cum non contineant multos gradus cognoscibilitatis penetrandos, sed solum arguit, quod tenuem, & imperfectam cognitionem possint de seipsis ingetere, quia perfectio cognitionis sequitur gradum entitatis. Dices, ergo entia perfectissima, ut substantiæ separatæ, quia multos continent gradus cognoscibilitatis penetrandos, erunt difficillimæ cognitionis ex parte sua. Negatur consequentia, quia si multos continent gradus cognoscibilitatis, perfectius etiam, ac intensius movent potentiam, quod confert ad facilitatem cognitionis earum, atque ideo hinc inde est compensatio in facilitate cognitionis.

225 Ad aliam conf. ait Doctor non utique esse difficultatem ex parte potentiæ, quia intellectus debilitetur in cognoscendo propter organum, quemadmodum debilitari solet sensus ab excellenti sensibili, sed quia virtus ejus debilis, & imperfecta est in cognoscendo pro statu isto ob colligantiam ejus cum potentiis inferioribus modo jam explicato. Ad ultim. conf. negatur minor, ideo enim res maximæ, vel minimæ entitatis dicuntur intellectui nostro improportionatæ, quia sunt valde a sensibus remotæ, & objectum intellectus proportionatum pro statu isto est quidditas rei sensibilis; verum hoc non est objectum intellectus nostri ex natura potentiæ, sed tantum ex imperfectione hujus status, qui secundum Philosophos est naturalis, & secundum Theologos pænalis, ut dictum est disp. 6. de Anim. q. 6. quare a primo ad ultimum ista improportio non ex natura rerum oritur, sed ex imperfectione intellectus pro statu isto, atque ideo difficultas tota, quam experimur in earum cognitione, se tenet ex parte intellectus. Dices ex 9. Met. tex. 21. res sunt cognoscibiles, inquantum sunt in actu, & certæ in se, ac determinatæ, sed multæ res sunt potentiales, ut materia, multæ incertæ, ut tempus, multæ indeterminatæ, ut infinitum, ergo saltem in quibusdam rebus talis conditionis tota difficultas cognoscendi se tenet ex parte ipsarum, non autem ex parte intellectus. Resp. Doct. ex hoc sequi tantum, quod res potentiales, incertæ, & indeterminatæ, sicut imperfectiorem habent entitatem, quam actuales, certæ, & determinatæ, ita quoque imperfectiorem cognitionem, quam illæ, natæ sunt gignere; minime tamen sequitur, quod in sua entitate sint difficiliores cognitu, quia secundum proportionem ita movent facile intellectum, sicut aliæ perfectiores, sicut ignis parvus æque faciliter calefacit secundum proportionem caloris sui, sicut major ignis secundum proportionem caloris sui, ut declaratum est supra num. 218.

At Javellus loc. cit. impugnat hoc exemplum de igne parvo, & magno a Doctore allatum, quia supponit combustibile esse æque dispositum respectu parvi ignis, ut combustibile magnum respectu magni ignis, at si in parvo combustibili sit intensa humiditas, obstabit hæc, ne parvus ignis illud comburat, magnus autem poterit, ergo falsum est parvum ignem æque facile secundum proportionem posse comburere combustibile suum, sicut magnus ignis; & sic in proposito sequitur, quod cum res materiales sint æque indispositæ propter potentialitatem, difficultas illa intelligendi ex parte quoque rerum ipsarum proveniet. Faber disp. 2. cit. cap. 2. occurrit ad hoc dicens, quod absurdum est dicere, quod difficultas comburendi lignum valde humidum sit ex parte ligni, quia si esset ex parte ligni, eandem difficultatem haberet magnus ignis, cum ergo magnus ignis facile comburat lignum illud non obstante maxima humiditate, clarum est, quod difficultas in parvo igne proveniebat ex parte ignis, qui erat virium tenujum; cujus rei ratio est (inquit) quia universaliter loquendo facilitas, & difficultas in operationibus est respectu agentium, non rerum ipsarum, etsi quandoque attribuimus difficultatem ex parte rerum, hoc est in ordine ad agens, non respectu ipsius rei, quæ patitur; immo hæc est una ex præcipuis rationibus, qua ibi probat difficultatem in intelligendo esse ex parte intellectus, non objecti, quia facile, vel difficile agere sunt differentiæ potentiæ activæ, intellectus respectu objecti se habet active; ergo difficultas agendi, & facilitas provenit ex parte intellectus, non objecti.

226 Non satis tamen apte philosophatur hic Faber, minime enim absurdum est dicere, quod difficultas comburendi lignum valde humidum sit ex parte ligni, immo absurdum est asserere oppositum, nam omnes Philosophi fatentur ex 3. Phys. agens non agere nisi in patiente bene disposito, & subjectum indispositum valde impedire, ac retardare actionem agentis; quamvis ergo difficultas comburendi humidum lignum possit ab igne peti non valde intenso, nullatenus tamen negari potest procedere quoque ex indispositione subjecti; & cum ait, quod si talis difficultas esset ex parte ligni, eandem quoque haberet respectu magni ignis, quod est falsum, quia videmus illud cito comburi ab eo; ultro concedendum est, hanc quoque difficultatem in ligno humido reperiri respectu magni ignis; quod si facilius a forti comburitur, hoc non est, quia humiditas ligni nullam illi faciat difficultatem, sed quia propter suam maximam activitatem facilius superat ejus resistentiam, & difficultatem. Ratio autem illa, qua id probat, quia facilitas, & difficultas in operationibus est respectu agentis, non passi, est prorsus inanis, quia, ut dixi, ex communi Philosophorum sensu, & experientia ipsa docet, dispo-

dispositio, vel indispositio subjecti valde confert ad facilitandam, vel difficultandam actionem agentis, & cum inquit agere facile, vel difficile esse differentias potentiæ activæ, & intellectum respectu cognitionis se habere active; addo ego è contra facile vel difficile pati esse differentias potentiæ passivæ, & objectum etiam respectu intellectionis se habere active, & non materialiter tantum, præsertim quando est objectum motivum. Itaque ad instantiam Javelli dicendum paritatem in exemplo Scoti assumptam de igne parvo, & magno respectu sui combustibilis optime procedere; & si supponatur in parvo combustibili humiditas intensa, fateor impedire actionem parvi ignis, non autem magni, qui cito illud comburet, attamen si etiam in magno combustibili humiditas intensa supponatur, proportionaliter æque impediret actionem magni ignis, sicut humiditas parvi combustibilis actionem parvi ignis; & cum ait res materiales esse valde indispositas ad intelligi propter potentialitatem, dico solam remotionem a sensibus esse illam conditionem, quæ facit aliquod objectum improportionatum intellectui nostro, sive talis remotio ex potentialitate proveniat; sive ex nimia actualitate rei, aut alio ex capite: talis autem indispositio, & improportio non reperitur in rebus ex natura rei, & simpliciter, sed ex suppositione stante scilicet tali modo imperfecto cognoscendi nostri intellectus, suppositio namque quod intellectus tali modo debeat cognoscere, scilicet dependenter a sensibus, sequitur quod objectum proportionatum ejus sint tantum res sensibiles, quæ autem sunt a sensibus remota, improportionata, sive id sit ob maximam potentialitatem, sive ob maximam actualitatem.

227 Secundo arguunt alii probando difficultatem cognitionis oriri tam ex parte intellectus, quam ex parte objecti, quia sicut se habet visibile ad visum, ita intelligibile ad intellectum, sed difficultas videndi visibile partim oritur ex parte visus, ut in sene, partim ex parte objecti visibilis, ut cum participant parum lucis, ergo difficultas quoque cognoscendi partim oritur ab intellectu, partim ab objecto. Deinde intelligibilitas tanta est, quanta est entitas cujuscumque rei, quia intelligibilitas sequitur entitatem, sed entitas uniuscujusque rei est tanta, vel tanta secundum se, ergo & intelligibilitas erit tanta, vel tanta secundum se, & non per respectum ad intellectum nostrum dumtaxat. Denique quod actio aliqua difficulter fiat, provenit vel ex agente, quia est ineptum ad illam actionem, vel ex indispositione materiæ, vel ex utroque simul, at intellectio est actio, ergo difficultas in illa oritur vel ex parte intellectus, vel ex parte materiæ intelligibilis, vel ex utroque, quod est probabilius, quia intellectus nolter valde imperfectus est in intelligendo pro statu isto, & res materiales etiam valde imperfectæ in genere intelligibilium, nam sunt intelligibles tantum in potentia, non in actu, ob suam materialitatem; quod autem est potentia intelligibile, & non actu, est cum difficultate cognoscibile, quia facilius intelligitur, quod est actu intelligibile, quam illud quod est potentia intelligibile.

Ad 1. respondet Faber, quod ibi accipitur parvum visibile pro difficile visibili, nos autem concedimus quoque quod parva inielligibilitas provenit ex parte rei, & ita concedimus quoque quod parvum visibile parum videri provenit ex ipsomet visibili, & etiam ex potentia, si sit imperfecta; sed aliud est loqui de parva cognoscibilitate, & aliud loqui de difficili cognoscibilitate, nos loquimur de difficili cognoscibilitate, non de parva cognoscibilitate, hanc ex parte rei concedimus, illam negamus. Hæc responsio non solvit argumentum, quamvis enim verum sit, ut docet Doctor loco citato valde differre hæc duo, rem esse parvæ cognoscibilitatis, & difficilis cognitionis, neque hoc ex illo sequi, quia secundum proportionem ita sunt facile cognoscibiles res modicæ intelligibilitatis perinde ac maximæ; quamvis, inquam, hoc sit verum, adhuc solutio Fabri non satisfacit argumento, cujus vis eo tendit, ut per paritatem de visibili, ac intelligibili assumptam ostendat, quod quemadmodum in visibili esse parum visibile, & difficile visibile sunt connexa, quia visibile quo est minoris molis, eo difficilius cernitur, ita etiam in intelligibili, adeo quod quo minoris aliquid est intelligibilitatis, sit etiam difficilioris cognitionis, & sic quod quemadmodum parva cognoscibilitas se tenet ex parte rei, ita etiam & difficilis cognoscibilitas; non ergo solvit argumentum Faber, dum inquit, per illud probari tantum parvam cognoscibilitatem ex parte rei se tenere, non autem difficilem cognoscibilitatem. Ideo aliter respondet Meurisse. (licet paulo aliter argumentum conficiat) concessa majore, minorem non esse veram, nisi ex hypotesi, quod nulla dari possit facultas visiva, quæ æque possit intueri quicquid est quoquomodo visibile; si enim daretur aliqua facultas visiva, quæ æque videret in tenebris, atque in luce, & æque attingeret tenuissima corpora, atque solidiora, & majora, tunc inæqualitas visibilium esset repetenda ex illa solum facultate, quæ non posset æque bene videre omnia visibilia, & non ex ipsis visibilibus, ut patet; ergo quia dantur aliqui intellectus, quibus omnia sunt æque intelligibilia, inæqualitas intelligibilium est petenda solum ex illo intellectu, qui non potest æque bene intelligere omnia intelligibilia.

228 Neque hæc responsio placet, quia negare in primis videtur inæqualitatem intelligibilitatis in objectis, vel saltem illam confundere cum facili, vel difficili intelligibilitate, quod non est faciendum, quia, ut inquit Doctor, dari possunt duo objecta, quorum unum sit magis, & aliud minus intelligibile juxta plures, vel pauciores gradus intelligibilitatis eorum, quæ tamen secundum proportionem sint æque facile intelligibilia. Deinde falsum est, minorem illam (quæ apud ipsum erat, inæqualitatem visibilium non peti solum ex inæqualitate facultatum visivarum, sed etiam ex inæqualitate visibilium, quorum aliqua minus lucis, & quantitatis habent, quam alia) non esse veram, nisi ex illa hypotesi, quod nulla dari possit facultas visiva, quæ æque possit intueri quodcunque visibile sive majus, sive minus; nam data etiam tali facultate, adhuc locus remanet inæqualitati visibilium ex parte ipsorum ex hoc, quod sint majoris, vel minoris molis, seu magis, vel minus lucida, quemadmodum si daretur maximus ignis, qui æquali facilitate combureret lignum humidum, ut duo, & ut quatuor, adhuc in istis lignis salvatur inæqualitas difficultatis ad comburi; & sicut ex hac hypotesi de igne solum sequitur ob maximam suam activitatem æqua quasi facilitate utriusque combustibilis resistentiam superare, non autem nullam esse inæqualitatem dispositionis in eis ad comburi, ita ex illa hypotesi de potentia visiva sequitur tantum ob maximam suam acutiem utrumque visibile æquali facilitate percipere, non autem eandem prorsus esse dispositionem in ipsis ad videri, & ideo hæc responsio non perfecte satisfacit argumento. Præstat ergo potius ad perfectam argumenti solutionem, non omnino concedere assumptam paritatem de visibili respectu visus, & intelligibili respectu intellectus; quia etsi visus est potentia organica, ideo requirit objectum, quod possit species transmittere usque ad oculum, parva autem moles præsertim in aliqua distantia, cum sit debilis in emittenda specie intentionali, aut non pertingit ad oculum, aut pertingit cum specie debili, quæ parum potest oculum movere, hoc autem non contingit in objectis intelligibilibus respectu intellectus, cum sit potentia inorganica, quod enim sit aliquod objectum exiguæ intelligibilitatis non facit, quod sit difficulter ab intellectu cognoscibile, sed solum quod exigue intelligatur, minusque perfecta cognitione quam sit illa, qua attinguntur res perfectissimæ, & maximæ intelligibilitatis, non autem minus facili, quia haberet medium proportionatum suæ illi exiguæ intelligibilitati, quod illam æque facile faceret innotescere ac aliud medium faceret innotescere, rem maxime intelligibilem; & hæc est ratio, cur cum parvo, & exiguo visibili semper connexa est difficultas ad videri ex parte ipsius, non autem cum exiguo intelligibili, quia ad movendum facile visum requiritur ex parte objecti, quod sit illuminatum, ac molis proportionatæ ad organum visus, sed ad movendum intellectum moles nil confert, cum sit potentia inorganica, nec requiritur aliquod lumen superadditum, sed objectum intrinsece in sua entitate inhibit cognoscibilitatem.

229 Ad 2. Argumentum respondet Meurisse. negando majorem absolute, quia respectu intellectus perfectissimi stante inæqualitate entitatum, potest esse æqualitas intelligibilitatum, quia æque perfecte intelligit minimam entitatem, atque maximam, & perfectissimam; ad probationem majoris inquit intelligibilitatem sequi quidem entitatem, non tamen sequi modum, aut quantitatem ejus, sed modum intellectus nostri; itaut licet res ex se sint intelligibiles, sunt tamen plus, vel minus intelligibiles per denominationem extrinsecam a virtute intellectus magis, vel minus perfecta. Immerito tamen prorsus negatur illa major, quæ ab omnibus conceditur, & expresse docetur ab Aristot. 2. Metaph. text. 4. ubi ait, quod intelligibilitas non solum sequitur entitatem, sed etiam modum, & quantitatem perfectionis ejus, adeo ut tot gradus intelligibilitatis habeat, quot habet entitatis, ita passim exponunt ibidem Interpretes illa Aristot. verba, *sicut secundum esse unumquodque se habet, ita secundum veritatem*, qua de causa supra numer. 189. statutum est intelligibilitatem, & veritatem in rebus non esse æqualem ex parte ipsarum, unde prorsus falsum est, quod ait Meurisse. res non esse ex se, & intrinsece magis, vel minus intelligibiles, sed tantum per denominationem extrinsecam a virtute intellectus magis, vel minus perfecta; sicut enim una res est perfectior in se alia, & plures habet in se gradus intelligibilitatis, quam illa, ita in se, ac intrinsece est perfectius intelligibilis illa, perfectione se tenente ex parte objecti, non autem intellectus tantum; & hoc expresse docetur etiam a Doctore 2. Metaph. qu. 3. ubi ait quod entia quo minus sunt perfecta, minus etiam perfecta est eorum cognitio apud quemcunque intellectum, loquendo de illa perfectione, quam cognitio sibi vendicat ex parte objecti, a quo specificatur; & hoc etiam verum est in intellectu ipso divino qui perfectiorem utique habet de Angelo cognitionem, quam de musca, perfectione, inquam, se tenente ex parte objecti; unde cum ait Meurisse. intellectum perfectissimum, sicut est divinus, æque perfecte intelligere minimam entitatem, atque maximam, & perfectissimam, hoc solum verificatur de perfectione intrinseca, quæ se tenet ex parte actus, non autem de extrinseca, & objectiva, quæ ex objecto desumitur, & de qua dici solet, quod eo cognitio est perfectior, quo est perfectioris objecti. Itaque concedendum est totum argumentum, quia verum est magnam, vel modicam rei intelligibilitatem ex parte ipsius rei metiendam esse juxta plures, vel pauciores gradus intelligibilitatis ejus, non autem ex parte intellectus, hinc tamen non sequitur, ait Doctor, & cum eo Ant. And. quod si res sit exiguæ intelligibilitatis, sit etiam ex se difficilis cognitionis, quia cum hoc potest habere

re medium proportionatum suæ illi exiguæ intelligibilitati, quod illam æque facile faciat innotescere, ac aliud medium faceret innotescere rem maxime intelligibilem, unde in hoc falluntur Adversarii, quia putant idem esse, rem esse parvæ intelligibilitatis, ac esse difficilis cognitionis, cum tamen inter utrumque lata sit differentia, ut ait Doctor loc. cit.

230 Ad ultimum dicendum probabilius esse, quod etiam circa rerum materialium cognitionem difficultas sit ex parte intellectus nostri, & non ex parte ipsarum; cum additur, quod sunt potentia intelligibiles, non actu, ideoque aliquam continere difficultatem ad intelligi etiam ex parte sui, unde opus esse intellectu agente, qui faciat illas actu intelligibiles, inquit Trombet. cit. hoc non obstare, quia solummodo hoc est propter ordinem essentialem intellectus nostri ad phantasmata, quia nihil intelligit primo, & motive, nisi abstrahendo a phantasmatibus, unde objectum relucens in phantasmate, cum habeat esse materiale, & extensum, non potest movere intellectum possibilem, qui est immaterialis, & inextensus, quia oportet agens, & patiens in quocumque ordine esse proportionata quantum ad esse materiale, & immateriale, & ita cum objectum in phantasmate non possit sic movere intellectum possibilem, necesse est intellectum agentem de ipso producere speciem intelligibilem, in qua relucet objectum, quod est proportionatum movens respectu intellectus possibilis, quod objectum in specie habet esse immateriale, & inextensum. Sed sane explicando in hoc sensu res materiales esse potentia intelligibiles, & non actu, argumentum stat in robore, quod res materiales aliquam contineant difficultatem ad actu intelligi ex parte sui, quæ fundabitur supra materialitatem, & extensionem earum, hæc enim juxta solutionem datam ponitur esse quædam conditio intelligibilitati repugnans, ac rem materialem reddens objectum improportionatum intellectui; unde si hæc improportio reperitur in rebus materialibus respectu intellectus quoad intelligi, poterit etiam ex parte earumdem assignari difficultas ad intelligi. Præstat ergo negare, res materiales esse potentia intelligibiles, & non actu, in sensu quo communiter explicari solet, quasi illa materialitas, & extensio sit conditio repugnans actuali intelligibilitati; sicut enim & ipsa quoque sunt entia actu, actuque includunt rationem objectivam intellectus, sic etiam pariter sunt actu intelligibilia, nullamque ex parte sua includunt difficultatem, & conditionem repugnantem ad intelligi; dicuntur autem potentia intelligibilia in ordine ad intellectum conjunctum, quatenus ab ipso immediate attingi non possunt, nisi prius transierint per sensus, quæ sunt veluti januæ ad intellectum pro statu isto, & sic dicuntur actu non intelligibilia, quatenus non sunt immediate ab intellectu nostro attingibilia; & quia hic ordo in intelligendo objecta materialia observatur non ex necessitate, quam habeant objecta materialia ad sic intelligi, non enim sic intelliguntur a Deo, & Angelis, sed ex imperfectione intellectus conjuncti, qui pro statu isto subordinatur sensibus in sua operatione: hinc est, quod tota difficultas circa rerum materialium intellectionem ex ipso intellectu originem ducit, non ex ipsis rebus.

Tertio. Præterea arguit Suessanus loc. cit. quæ argumenta licet adducantur, ac bene solvantur a Fabro loc. cit. libet tamen referre ad complementum hujus controversiæ; arguit itaque quia si difficultas intelligendi est ex parte intellectus, ergo quilibet intellectus talem habebit difficultatem, & circa quodcumque intelligibile, quorum utrumque falsum est, quia nec divinus intellectus quidpiam cum difficultate intelligit, & prima principia facilline intelliguntur, consequentia vero probatur ex assumptis in argumento Scoti, quia omne quod est absolute tale, ad quodcumque comparetur, semper est tale. Deinde certum est non omnia æque facile intelligi, sed quæpam facilius, quædam difficilius, hoc autem non potest provenire ex parte intellectus, quia æqualiter ex parte sua comparatur ad omnia, est enim potentia omnia ex Arist. 3. de An. ergo necesse est, quod proveniat ex parte rerum. Denique agens non agit cum difficultate, nisi quia patiens cum difficultate patitur, & e converso, ergo si difficultas est ex parte intellectus etiam erit ex parte objectorum, & rerum intellectarum.

231 Ad 1. negatur consequentia quo ad utramque partem, quoad primam quidem, quia cum inquit Doctor difficultatem circa rerum cognitionem esse ex parte intellectus, non loquitur de omni intellectu, seu de intellectu in tota sua universitate, sed de intellectu humano sensibus alligato, & ideo consequentia ex hac parte non tenet, neque probario ad hominem assumpta ex argumento Scoti est ad rem; ut satis de se constat. Neque etiam tenet quoad aliam partem, quamvis enim difficultas cognitionis totaliter ab intellectu pendeat, adhuc stat, quod quædam facilius, quædam difficilius cognoscat, juxta quod sunt magis, vel minus ei proportionata per remotionem, vel approximationem ad sensum, & quia notitia primorum principiorum est maxime sensibilis, ut quod totum est majus sua parte, hinc est quod illa est intellectui facillima, neque hinc deduci potest difficultatem ab ipsis objectis simpliciter, & absolute pendere, sed tantum ex suppositione, ut supra declaratum est, supposito namque quod intellectus debeat tali modo cognoscere scilicet dependenter a sensibus sequitur, objecta ejus proportionata esse res dumtaxat sensibiles, ideoque quæ a sensibus sunt remota, esse objecta ei improportionata, non quidem simpliciter, & absolute ex natura ipsorum, sed ex suppositione jam facta de modo imperfecto cognoscendi nostri intellectus. Ad 2. pariter negatur minor, quamvis enim intellectus, quantum est ex se, receptivus sit specierum omnium rerum, ideoque 3. de Anim. dicitur esse in potentia ad omnia, ob dependentiam tamen, quam a sensibus habet pro statu isto, facilius recipit species rerum, quo sunt sensibus propinquiores, & difficilius, quo remotiores, & facilius movetur ab illis objectis, quam ab istis, & hoc ob imperfectum modum operandi, cui obnoxius est pro statu isto. Ad ultim. negari nequit objectum interdum cum difficultate intellectum movere, hæc tamen difficultas originaliter est ex parte intellectus, cum enim pro statu isto non nisi a quidditate sensibili moveri possit, quo objectum fuerit a sensibus remotius, cum majori difficultate movet; & sic dici potest, difficultatem quoque ab objectis ipsis pendere non quidem simpliciter, & absolute, sed ex suppositione conditionis intellectus nostri in intelligendo pro statu isto modo jam explicato.

232 Postremo urgeri potest ratio Alensis adducta pro tertia sententia ab initio quæstionis num. 208. quod sicut in visu, cum visibile est valde lucidum, difficultas illud videndi sumitur ex parte potentiæ, quæ non est apta moveri a tam excellenti objecto; cum autem parum habet de luciditate, defectus est ex parte visibilis, quod non bene potest movere potentiam; sic in intellectu, cum res in se habet multum luminis, seu intelligibilitatis, difficultas cognoscendi illam stabit penes intellectum nostrum, qui non est aptus moveri a tam excellenti objecto, & talis est difficultas, quam habemus circa cognitionem substantiarum separatarum; cum autem parum lucis habet, difficultas venit ex parte ipsius rei, quæ non est apta movere intellectum nostrum, vel satis ægre movet, & talis est difficultas, quam habemus circa cognitionem rerum materialium. Resp. hunc discursum plus Metaphoræ, quam realitatis habere, quia ad objectum intellectus, ut intelligatur, non requiritur lumen superadditum, ut requiritur ad objectum visus, sed ei sufficit sua innata cognoscibilitas, quæ solum metaphorice potest dici lumen: neque in hoc currit quatuor pedibus paritas assumpta de intellectu, & visu, quia unus est potentia organica, & alter inorganica, ut dictum est nu. 228. nec intellectus æditur ab excellenti intelligibili, ut visus a sensibili tertio de Anim. octavo, & quod res sit in se maximæ intelligibilitatis, ut sunt substantiæ abstractæ, vel minimæ, ut materiales, non reddit eas facile, vel difficile cognoscibiles, quia unumquodque est per se cognoscibile quantum cognosci potest, sive multum habeat intelligibilitatis, sive parum, & ex eo quod res sit maxime intelligibilis, sequitur tantum inquit Doctor, quod sit perfectius cognoscibilis, non autem quantum est de se quod facilius, vel difficilius cognoscatur; sed ratio hujus præcisa est major, vel minor approximatio objecti ad sensus, unde ut dictum est num. 220. radix præcisa difficultatis, quam patimur circa cognitionem substantiarum tam materialium, quam immaterialium, & quæ æque militat tam pro entibus perfectissimis, quam imperfectissimis, est, quia utraque sunt longe remota a sensibus, illa quidem ob maximam suam perfectionem, ista vero ob minimam, & propter hanc remotionem fit, quod intellectus, dum habet talem modum cognoscendi imperfectum, nequeat illa attingere, nisi cum difficultate, & sic in omnibus eadem est ratio difficultatis ex parte intellectus desumenda.

ARTICULUS II.

Resolvitur quæstium de notioribus nobis, & natura.

233 Hæc distinctio de notioribus nobis, & natura traditur ab Aristotele pluribus in locis 1. Post. text. 5. & 6. lib. 6. Top. loco 18. 1. Phys. tex. 2. 5. Met. tex. 16. 7. Met. tex. 10. 2. de Anim. tex. 12. 1. Ethic. cap. 4. & alibi frequenter, quapropter ab omnibus passim absque ulla hæsitatione recipitur; verum circa illam, duplex contingit dubitatio. Prima est, quam innuimus ab initio qu. sub num. 203. proponendo secundam quæstionis partem; si enim difficultas in rerum cognitione totaliter se tenet ex parte intellectus, & res omnes secundum se consideratæ, & ex natura sua sunt æque facile cognoscibiles, nec una magis, quam alia, quemadmodum præc. art. determinatum est, ergo fieri nequit, quod secundum naturam aliqua sint notiora, & alia minus nota. Altera dubitatio est, quia esse notum dicitur respectu alicujus cognoscentis, cum ergo natura non sit facultas intelligens, quemadmodum dicebant Stoici, non videtur distingui posse de notioribus nobis, & natura, cum esse notum, vel non notum tantum in ordine ad nos attendatur; hæ sunt duæ difficultates, quæ valde vexant distinctionem illam, alioquin receptissimam, de notioribus nobis, & natura, qua de causa varii sunt modi illam explicandi, quos nunc expendere intendimus.

Et quidem quod spectat ad primum membrum distinctionis de notioribus nobis, omnes fere Auctores illud eodem modo explicant; ut nimirum notius quoad nos dicatur illud, quod primo nobis occurrit in cognitione, hoc autem est, quod sensibilius est, & fortius movet sensum, cui pro statu isto intellectus noster est alligatus, ac proinde magis sensibilia magis cognoscit, & cum minori difficultate, ideo effectus, & similia sensibus proximiora dicuntur nobis notiora, & sic expressis verbis docuit Arist. 1. Post. cap. 2. dum ait, *at nobis quidem illa priora, ac notiora appello, quæ nostris sensibus magis obvia sunt, quia nostra cognitio incipit a sensibus*, hæc igitur quo ad nos

nota

nota dicuntur, quia ut illa cognoscamus, non est opus, quod eorum cognitionem ex aliis deducamus, sed statim ac obiiciuntur, immediate in seipsis cognoscuntur. Cæterum circa alterius membri explicationem est tanta sententiarum varietas, ut potius rem confundere, quam explicare videantur.

234 Primus itaque dicendi modus, qui tribuitur Averroi, notius secundum naturam dicit esse id, quod natura prius cognosceret, si esset capax cognitionis, quam explicationem etiam Javell. videtur amplecti 1. Phys. quæst. 3. Sed hic modus passim reiicitur, quia ut dicebamus, natura non est vis cognoscitiva, & dum aliqua dicuntur nota naturæ, non ita appellantur, quia natura cognoscat illa, ut notat Doctor 6. Metaph. quæst. 12. in corpore quæsiti; neque his auctoribus suffragatur suppositio facta, quod hæc prius a natura percipe rentur, si esset capax cognitionis; quia cum hæc de facto, & actualiter ita nota dicantur, non autem aptitudinaliter, talia dici debent in ordine ad facultatem, quæ de facto cognitiva dicatur; tum quia quando terminus secundum rationem terminandi est impossibilis, & implicatorius, etiam impossibilis est ordo ad ipsum, si ergo naturam esse facultatem cognitivam est impossibile, impossibile consequenter erit aliquid dici notum respectu ejus ex illa hypothesi, quod esset cognitionis capax. Tum tandem quia, ne cuipiam caderet in mentem hæc fictio, quod nota natura talia dicantur respectu ejus, ac si esset vis quædam cognitiva, data opera Arist. hæc cognoscibilia appellat nota *naturæ* in ablativo casu, non autem nota *naturæ* in dativo, vel nota secundum naturam; quod si interdum in quibusdam versionibus legitur *nota naturæ*, ut monent graves Interpretes, ly *naturæ* in genitivo casu accipiendum est, non dativo, ut sensus sit, cognoscibilia quæ intra naturam, vel intra ordinem naturæ continentur. At ajunt aliqui hanc naturam cognitivam esse Deum, Deus enim omnia cognoscit per suam essentiam, & secundum quod ab eo dependent, & quia causæ prius ab eo dependent, quam effectus, prius novit causam, quam effectum; & hunc dicunt aliqui fuisse sensum Averr. quod etiam, ut probabile tenet Tatar. 1. Phys. §. *Secundo sciendum*. Sed satis de se constat hunc sensum esse prorsus alienum a mente Arist. nilque minus ipsum cogitasse, quam Deum, cum dixit aliqua esse nota natura, vel naturæ; quia numquam Deum appellavit naturam, sed supra naturam; nec Deus dicitur unum objectum prius alio cognoscere, quantum est ex parte divinæ cognitionis, sed omnia simul unico intuitu.

235 Secundus modus dicendi explicat ea dici notiora secundum naturam, quæ magis apta sunt, ut ex natura sua cognoscantur, hæc autem dicit esse illa, quæ in se plus habent perfectionis; sicut enim ista perfectiorem, & excellentiorem habent naturam, ita etiam habent naturam per se magis cognoscibilem, & intelligibilem, quem dicendi modum sequuntur plures Thomistæ, utpote a D. Thoma significatur 1. 1 par. qu. 85. art. 3. ad 1. præsertim Soto 1. Phys. quæst. 2. concl. 1. & innuit etiam Doctor noster 6. Metaph. quæst. 3. in responsione ad quæstionem, dum inquit, si nullus esset intellectus, adhuc quælibet res secundum gradum suæ entitatis esset nata se manifestare, & hæc notitia est, qua res dicitur nota naturæ, non quia natura cognoscat illam, sed quia propter manifestationem majorem, vel minorem nata esset, quantum est de se, perfectius vel minus perfecte cognosci; & hoc etiam significasse videtur Arist. 2. Metaph. tex. 1. ubi intelligentias, & cæteras res a materia abstractas vocat manifestissima in natura. Hanc tamen explicationem etiamsi valde communem impugnat Valles. controvers. 3. ad tyrones & Pasqualig. tom. 1. Metaph. disp. 13. sec. 2. num. 5. ubi inquit falsum esse, quod ea quæ sunt magis perfecta, sint magis cognoscibilia, quia esse cognoscibile, cum sit formalitas quædam Metaphysica, consistit in indivisibili, nec suscipit magis, & minus. Sed hæc impugnatio frivola est, nam ut dictum est num. 189. re vera dantur gradus intelligibilitatis in rebus juxta gradus entitatis earum, adeo ut juxta perfectiorem, vel imperfectiorem entitatem habeant quoque plures, vel pauciores intelligibilitatis gradus penetrandos. Potius ergo ex eo capite hic dicendi modus est reiciendus, quod inde sequeretur compositum esse notius secundum naturam suis partibus, siquidem in se est perfectioris entitatis, quam singulæ partes ejus, hoc autem falsum est, quia cum compositum sit magis sensibus obvium, & proximum suis partibus, est nobis notius suis partibus, non autem secundum naturam, ac ita diserte docuit Arist. 1. Phys. tex. 3. dum ait esse nobis notiora confusa magis, ubi per confusa magis intelligit composita, ut ibi explicatum est in tom. Phys. in expositione textus, quia loquitur ibi de confusione partium actuali, non autem potentiali. Præterea juxta hunc dicendi modum, licet declinari possit secunda difficultas ab initio articuli mota, non tamen prima, quia si naturis rerum secundum se consideratis una est promptior, & aptior alia ad se manifestandum intellectui nostro, ergo falsum est res omnes sive perfectiores, sive imperfectiores esse æque facile cognoscibiles, adeo ut tota difficultas in earum cognitione ex parte intellectus spectanda sit, ut dictum est art. præc. nam quæ de se erit promptior, & aptior ad se manifestandam, facilioris erit cognitionis secundum se, quam alia minus prompta. Denique si quæ sunt perfectiora in entitate, sunt notiora natura, ergo quæ erunt imperfectioris entitatis, erunt notiora nobis, nam hic est sermo de notioribus natura, ut contradistinguuntur a notioribus nobis; hoc tamen falsum esse satis est evidens, quia materia prima in genere substantiarum est imperfectissima, ac etiam nobis ignotissima, ac difficillimæ cognitionis.

236 Tertius modus dicendi est aliorum, qui ea constituunt esse notiora natura, quæ sunt aliis priora, non quidem perfectione, ut ajebat præcedens, sed generatione, & sic dicunt esse notiora natura, quæ ex exigentia suæ naturæ, seu secundum naturæ ordinem prius debent a nobis cognosci, cujusmodi sunt illa omnia, a quibus alia dependent, vel tamquam a principiis internis, seu intrinsece constituentibus, vel tamquam ab externis, seu efficientibus, unde substantia est natura notior, quam corpus, & corpus quam animal, & omnia magis universalia minus universalibus, & causa est notior suo effectu, & pars toto §; ratio est, quia est idem ordo cognitionis naturæ, qui essendi est, sed illa, a quibus alia dependent, sunt priora ordine essendi, ergo ex natura sunt notiora, seu prius postulant cognosci, ita Morisanus prologomen. 3. Phys. art. 2. Tolet. ibid. cum pluribus aliis, quibus præivit Tatar. cit. qu. 1. Phys. notab. 2. ubi inquit illa esse notiora secundum naturam, quæ sunt priora ineste, cujusmodi sunt causæ, quæ sunt priores saltem prioritate naturæ, quia non oportet semper causam tempore præcedere effectum; quod videtur etiam habere fundamentum in Arist. 5. Metaph. tex. 16. ubi hac ratione vocat partes notiores natura toto, quia ut res se habet ad esse, ita ad cognosci; hanc rem quoque ita declarant Pererius lib. 3. suæ Philosoph. cap. 6. & Zabarell. lib. 4. de Methodis cap. 10.

Verum esto hic dicendi modus sit valde frequens apud Auctores, & plus cæteris ad veritatem accedat, in eo tamen deficere videtur, quod esse notum nobis, vel natura non explicat in ordine ad cognitionem, ut fieri deberet, sed in ordine ad esse secundum prius, & posterius, seu prioritas secundum naturam non videtur esse ratio formalis, qua aliquid sit notum natura, quamvis enim quod est prius natura, sit etiam prius cognitione secundum se, non hinc sequitur prioritatem secundum naturam esse rationem formalem, ob quam sit prius cognitione. Conf. quia unum esse natura notius alio importare videtur, quod secundum se sit magis notum illo, ac facilius cognoscibile illo, sed ex hoc quod unum petat prius cognosci alio, ut pars toto, non sequitur quod sit magis notum illo, aut facilius cognoscibile illo, nam materia prima secundum se videtur minus nota composito, & difficilius cognoscibilis illo, & tamen ex natura rei petit cognosci prius illo, ergo unum esse notius natura non consistit formaliter in hoc, quod sit prius natura alio. Deinde compositum secundum se est magis, & perfectius cognoscibile, quam partes, quia illas includit, & aliquid amplius, saltem unionem, pariter minus universalia de se sunt magis, & perfectius cognoscibilia, quam magis universalia, quia illa includunt & aliquid amplius, scilicet differentiam superaddiram, ergo videntur notiora secundum naturam, quamvis sint posteriora illis, consequentia probatur, quia unum esse magis notum natura alio potius ex eo attendi debere videtur, quod habeat plures gradus cognoscibilitatis, ratione quorum aptius sit ad se manifestandum, quam ex eo, quod petat prius natura cognosci illo, nam cum tali prioritate stare potest, quod de se minus aptum sit ad se manifestandum, ut de materia dicebamus supra. Demum tam hic, quam præcedens dicendi modus eam communem incurrunt difficultatem, quod faciunt eadem esse nobis nota, & natura, quod expresse negavit Arist. 1. Phys. tex. 2. ubi disserte docet non esse eadem nota nobis, & simpliciter nota, idest nota natura, quod etiam prius dixerat 1. Post. cap. 5. quod autem hoc incommodum ad utramque sententiam sequatur, patet, quia juxta primum dicendi modum statuentem esse notiora natura, quæ sunt aliis priora perfectione, compositum est notius natura suis partibus, quia est perfectius illis, est etiam notius nobis, quia est magia obvium sensibus illis; juxta vero posteriorem sententiam statuentem esse notiora natura, quæ sunt aliis priora generatione, adhuc idem sequitur, quod eadem sint nobis nota, & natura, ubi causæ sunt sensibiliores suis effectibus, v. gr. colores sunt nobis prius noti, quam species sensibiles colorum, cum sint sensibiliores, & tamen etiam sunt magis noti secundum naturam, quia sunt priora quoad esse. Sol item est nobis notior, quam multi effectus, quos producit in visceribus terræ, & etiam notior natura, quia prior illis secundum esse; qua de causa Tatar. cit. inquit illam propositionem Arist. non sunt eadem nobis nota, & natura, non esse universalem, sed indefinitam æquivalentem isti; aliqua non sunt nobis primo nota, & natura, quia ubi effectus sunt sensibiliores suis causis, vel saltem magis deducibiles ex sensibilibus, ibi eadem non sunt nobis primo nota, & natura, ita etiam Tolet. Morisan. Ruvius, & alii quamplures 1. Phys.

237 Quartus dicendi modus est Pasqual. tom. 1. Metaph. disp. 13. sect. 1. num. 4. ubi pro declaratione hujus distinctionis advertit hanc distinctionem de notioribus nobis, & natura non habere locum in rebus secundum se, & absolute consideratis, sic enim omnes sunt de se æque facile cognoscibiles, sed tantum supposito imperfecto nostro modo cognoscendi dependenter a sensibus, sic enim aliquæ dici possunt facile cognoscibiles, & quædam difficile, redduntur autem difficiles quoad nos ex duplici capite, quorum primum est, quia nostra cognitio dependet a sensibus, qui objecta subministrent, alterum vero est, quia procedit modo discursivo, unde constituitur cognitio scientifica, quæ duplicem habet progressum, alterum quo

quo a notis per sensum procedit ad ignota inveniendo causas, & alterum quo a causis procedit ad effectum, qui progressus dicitur a priori; in his ergo progressibus esse notum, vel non esse notum, nihil aliud dicit, nisi quod sit aptum, ut immediate secundum se cognoscatur absque eo quod ejus cognitio ab alio prius cognito deducatur, quo stante sequitur, quod quædam sint nobis nota secundum se stante hoc nostro modo imperfecto cognoscendi, quia scilicet juxta ipsum habent ex natura sua, quod immediate per se cognoscantur, nec indigent alio prius cognito, ex quo eorum cognitio deducatur, quia scilicet in progressu a priori ex se sunt cognoscibilia, & non quia ex alio prius cognito cognoscantur, quia tamen nostra cognitio incipit a sensibus, ideo quædam sunt nota secundum nos, quæ non sunt nota natura sua, quia nobis immediate obiiciuntur, ut ex se immediate possint percipi, & ex natura sua in progressu scientifico peterent ex aliorum cognitione cognosci; qua præmissa doctrina hic Auctor postea sect. 2. declarat quid sit esse notum quoad nos, & esse notum natura, illud ait esse notum quoad nos, quod statim nobis obiicitur ex vi nostræ conceptionis, & cognitionis, quam auspicamur a sensibus, nec opus est quod ejus cognitionem ex aliis deducamus; hinc sensibilia dicuntur nota quoad nos, quia statim ac obiiciuntur, illa cognoscimus, nec opus est quod eorum cognitionem ex aliquo alio deducamus; esse autem notum natura ait ibid. n. 9. respectu intellectus nostri, prout habet talem modum imperfectum cognoscendi nihil aliud esse formaliter, nisi esse ex se cognoscibile, itaut non pendeat in cognosci ab alio, quasi ejus cognitio ex alio prius cognito sit colligenda a priori, sed ipsum sit causa a priori cognitionis aliorum; sic principia sunt notiora natura, quam conclusiones, quia principia ex se statim cognoscuntur, & intellectus non debet aliunde, quam ab ipsis moveri, ut præbeat assensum.

Hinc sane dicendi modus adhuc plus cæteris hactenus relatis ad veritatem accedit, & in eo, præsertim bene procedit, quod attingit præcipuum punctum hujus difficultatis, quod nimirum hæc distinctio non est applicanda rebus secundum se omnino consideratis, ut alii feciisse videntur, sed tantum supposito nostro imperfecto modo cognoscendi dependenter a sensibus, quia re vera si res secundum se consideretur præscindendo ab hac suppositione, omnes sunt æque facile cognoscibiles, cum tota difficultas circa earum cognitionem oriatur ab intellectu nostro ex dictis art. præc. unde optime declinat ambas difficultates ab initio articuli insinuatas, quas alii modi dicendi non evitant, nisi forte tertius, qui esse notum nobis, & natura non explicat per esse magis, vel minus de se facile cognoscibile, sed per esse cognoscibile prius, vel posterius, quod adhuc stare posse videtur cum hoc quod omnes res sint de se æque facile cognoscibiles, etiamsi una quantum est de se sit prius cognoscibilis alia. Adhuc tamen hic dicendi modus in eo deficit, quod non exacte secernere videtur nota nobis a notis natura, cum eodem modo illa describat, ait enim sect. 2. num. 1. nota nobis illa esse, quæ statim ac nobis obiiciuntur, immediate cognoscuntur, nec opus est, quod eorum cognitionem ex aliis deducamus, & subinde num. 9. inquit esse notum natura respectu intellectus nostri nihil aliud esse formaliter, nisi esse ex se cognoscibile, itaut non pendeat in cognosci ab alio, quasi ejus cognitio ex alio prius cognito sit colligenda; ecce quod eodem modo describit nota nobis, & nota natura respectu intellectus nostri. Deficit ulterius, quia nec exacte explicat, quomodo hæc distinctio de notis nobis, & natura locum habeat respectu intellectus nostri supposito ejus imperfecto modo cognoscendi, quia esse notum natura videtur ex vi nominis importare notitiam rei prout præscindit ab illo imperfecto modo cognoscendi, & omnino secundum se consideratur; & proinde hic dicendi modus vel non est undequaque tenendus, vel certe majori indiget explicatione, quam nunc subiicio.

238 Dicendum itaque præfatam distinctionem de notioribus nobis, & natura utique non esse applicandam rebus secundum se consideratis, sed tantum supposito nostro imperfecto cognoscendi modo, ob rationem allatam, quia nimirum res omnes secundum se consideratæ, & facta præcisione a tali modo cognoscendi sunt omnes æque facile, vel difficile cognoscibiles, & ideo non eam suscipiunt distinctionem sub tali consideratione, ut quædam dicantur nota natura, alia vero non. Ut autem pateat, quo pacto etiam facta tali suppositione de nostro imperfecto modo cognoscendi, adhuc quædam dici possunt nota nobis, & quædam nota natura, notandum est ex Scoto 1. d. 3. quæst. 2. & aliis Scotistis 1. Phys. ab initio quæstione illa, utrum minus universalis sit prius nota magis universalibus, de qua nos egimus disput. 6. de Anim. quæst. 8. in intellectu nostro supposita adhuc sui status imperfectione duplicem distingui ordinem in rerum notitia, alius est ordo confuse concipiendi, alius distincte; ordo confuse concipiendi est ille, in quo fit processus a primo confuse cognito, quod est propinquius sensibus, ad ultima confuse cognita, quæ sunt remotiora, talis est ordo, quo procedimus a cognitione minus universalium ad cognitionem magis universalium, sed ordo distincte concipiendi est, quo procedimus a primis distincte cognitis ad ultima distincte cognita, scilicet a magis universalibus ad minus universalia, & a partibus ad composita, quæ distincte concipi nequeunt absque prævia suarum partium distinctione; utimur primo ordine cognoscendi, quando sumus in statu ignorantiæ constituti, & progredimur a notis per sensum ad ignota inveniendo causas, qui dicitur processus a posteriori, quia est ab effectu ad causam, vel a minus universali ad magis universale; utimur secundo ordine cognoscendi, quando sumus jam in statu scientiæ constituti, & progredimur a causis ad effectus, & a cognitione distincta magis universalium ad cognitionem distinctam minus universalium, qui dicitur progressus a priori, & scientificus, ut bene Zabarell. notavit loc. cit. lib. 4. de Method. cap. 10.

239 Quando ergo sumus in statu ignorantiæ constituti, & per ordinem gradimur confuse concipiendi, qui a toto genere præcedit ordinem distincte concipiendi, sicut status ignorantiæ statum scientiæ ex Scoto loc. cit. cum intellectus noster ab initio sit tamquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, quando, inquam, servando talem ordinem progredimur ab effectu ad causam, & a minus universalibus ad magis universalia, tunc dicimur progredi progressu a posteriori a notis nobis ad nota natura, quia effectus, & minus universalia solent esse sensui proximiora causis, & magis universalibus; quando autem e contra adinventa causa, & jam statu scientiæ constituti progredimur, vel potius regredimur servando ordinem distincte cognoscendi a cognitione causarum, & magis universalium ad cognitionem effectuum, & minus universalium, tunc dicimur progredi progressu a priori a notis natura ad nota nobis, quia scilicet imitamur naturæ ordinem; quatenus sicut ipsa in rerum constitutione a partibus inchoat compositionem totius, & a magis universalibus constitutionem minus universalium, sic nos inchoamus a cognitione partium, & magis universalium, ut distincte cognoscamus composita, & minus universalia constituta per illa. Hinc igitur patet, qua ratione etiam supposito nostro imperfecto cognoscendi modo locum habeat præfata distinctio de notioribus nobis, & natura; nam nota nobis dicuntur quæ prius nobis innotescunt, & facilius in statu ignorantiæ existentibus, hæc autem sunt sensibiliora, & sensibus propinquiora; nota vero natura dicuntur, quæ nobis prius & facilius innotescunt in statu scientiæ constitutis, quia in eo statu servamus ordinem in cognoscendo, quem res servant in essendo; & hunc modum sic explicandi nota nobis, & nota natura optime significavit solus Zabarell. loc. cit. Et quidem hic modus cæteris omnibus præferri debet, tum quia bene declarat, quomodo hæc distinctio adhuc locum habeat in rebus etiam consideratis sub imperfecto modo cognoscendi nostro, scilicet dependenter a sensibus. Tum quia ex hoc bene declinat primam difficultatem ab initio quæst. & art. insinuatam, stante enim quod talis distinctio applicari debeat rebus, non in se, & absolute consideratis, sed supposito nostro imperfecto cognoscendi modo, adhuc bene salvatur, res omnes secundum se consideratas esse æque facile cognoscibiles ex natura sua proportionaliter loquendo, quemadmodum explicatum est art. præc. Tum rursus devitatur etiam secunda difficultas ibidem tacta, quia tam esse notum nobis, quam esse notum natura explicatur in ordine ad nos, vel in statu scientiæ existentes, vel in statu ignorantiæ; quæ sunt nobis nota in primo statu dicuntur nota natura, quia tunc in cognoscendo imitamur illum ordinem, quem servat rerum natura in essendo, quæ vero sunt nota in secundo statu dicuntur nota nobis, quia in cæcitate ignorantiæ manuducimur a sensibilibus.

240 Deinde Arist. ipse 6. Top. cap. 3. loc. 18. hunc ipsum indicavit modum explicandi nota nobis, & nota natura, inquit enim *non omnibus eadem contingit notiora esse, quin etiam eisdem alia interdum, & alia magis nota, nam a principio quidem sensibilia, institutionibus autem factis contra, quare nec eidem homini semper idem notius est*, ait ergo nota nobis esse sensibilia, quia dum sumus in statu ignorantiæ ab illis incipit edisceре nostrum, institutionibus autem factis e contra, idest, quod quando postea ad statum scientiæ pervenimus, tunc amplius non discurrimus a notioribus nobis per processum a posteriori, sed a notioribus natura ad notiora nobis per processum a priori, quod etiam subinde confirmat aliis verbis ad rem nostram facientibus *fortasse autem & quod simpliciter notum non est, id quod omnibus notum, sed quod bene dispositis intellectu* vult dicere illud proprie dici notum simpliciter, vel natura, non quidem quod est omnibus notum, sed quod est notum bene dispositis intellectu, idest sapientibus in statu scientiæ existentibus. Ex hac etiam explicatione facile intelligitur, quo sensu dixerit Arist. loc. cit. non esse eadem nota nobis, & natura, per hoc enim minime significare voluit numquam contingere posse, quod idem sit simul notum nobis, & natura, immo hoc expresse docet 6. Topic. loc. 18. cit. ubi ait non contingere, definitiones indicare quidquid erat esse, nisi contingat idem nobis notius esse, & simpliciter notius, hoc autem non contingit omnibus, sed solum bene dispositis secundum intellectum; non ergo negare voluit idem esse posse simul nobis notum, & natura, immo hoc fateri necesse est in quibusdam primis principiis, quæ nota fiunt ex sola confusa cognitione terminorum, ut quod omne totum est majus sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, &c. sunt enim hæc principia notissima secundum naturam, quia præter terminorum apprehensionem nulla indigent probatione, quia tamen eliciuntur ex his, quæ immediate sensui subiiciuntur, sunt etiam nota secundum nos; fieri enim potest, quod intellectus ea attingat experimento in materia sensibili, & dum sensus experitur, immediate illa intellectus ex se percipiet, & proinde notiora erunt etiam quoad nos; cum ergo Arist. dicit. 1. Physic. tex. 2. non esse eadem nota nobis, ac nota natura, hoc ideo dixit, ut significaret hæc seibilia ita esse inter se diversa, & ab invicem contradistin-

stincta, ut semper fundent diversos processus, & diversum ordinem cognoscendi, nam nota nobis fundant processum a posteriori, & ordinem confuse cognoscendi, nota vero natura fundant processum a priori, & ordinem distincte cognoscendi, & ideo inquit ibi in scientiarum acquisitione procedendum esse a notioribus nobis ad notiora natura, & ex ordine confuse concipiendi ad ordinem distincte concipiendi; hanc igitur solam, & non majorem voluit Arist. ponere diversitatem inter nota nobis & nota natura; & hæc quidem sola talis, & tanta est, ut dicere valeat illam propositionem esse semper, ac universaliter veram, non autem particulariter, ac indefinite dumtaxat, ut Auctores explicare solent, nam sive causæ sint sensibiliores suis effectibus, sive e contra; cum proceditur a causa ad effectum, vel ab effectu ad causam, hoc numquam fit eodem processu, sed diverso, nec umquam fit processus a notis natura ad pariter nota natura, aut a notis nobis ad nota nobis, sed a notis nobis ad nota natura, vel a notis natura ad nota nobis; in quolibet ergo processu deducendo numquam sunt eadem nota nobis, & nota natura (ait Arist.) quia semper ab uno progredimur in aliud, & ideo sunt inter se contradistincta in quocumque processu.

Hinc tandem conciliari possunt relata Arist. loca, quæ quasi inter se pugnare videntur, dum 2. Metaph. tex. 1. vocat notiora natura, quæ sunt priora perfectione, & plus habent intelligibilitatis, & 5. Metaph. 16. e contra ea statuit esse notiora natura, quæ sunt priora generatione, ideoque partes vocat notiores natura toto; hoc enim ideo dixit, quia tam quæ priora sunt perfectione, quam quæ priora generatione in hoc conveniunt, quod nobis nota fiunt in statu scientiæ dumtaxat existentibus, tunc enim eum sumus instructiores facti, ut loquitur Arist. 6. Topic. loc. cit. inchoamus ordinem cognitionis distinctæ a partibus ad composita, & a magis universalibus ad minus universalia, & perspicacius penetramus, quæ sunt perfectioris entitatis, & habent plures gradus intelligibilitatis, & ideo ambo illa tam scilicet quæ sunt priora generatione, quam quæ priora perfectione, bene dicuntur nota natura, quia licet in hoc opponantur quod illa sunt priora generatione, & hæc priora perfectione, tiquidem priora generatione ex 9. Metaph. sunt posteriora perfectione; attamen conveniunt in illa ratione communi, quod nobis innotescunt tantum in statu scientiæ existentibus, quod est proprium eorum, quæ dicuntur nota natura. Et sic melius conciliantur Arist. loca citata, quam distinguendo varios modos, quibus unum dici potest notius natura alio, ut faciunt Apollin. 1. Post. qu. 13. Venet. 1. Physic. cap. 1. Javel. & Joan. de Magistris ibid. quæst. 3. Jand. quæst. 4. & alii passim, tunc enim nimiam pateretur æquivocationem hoc, quod est esse notum natura, & cum in una solum acceptione sumi soleat hoc quod est notum nobis, male membrum oppositum scilicet esse notum natura tot modos, totque acceptiones haberet, quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dici solet & reliquum.

241 Ex hac declaratione de notis nobis, & natura constat etiam quam bene determinatum sit disput. 6. de Anim. qu. 8. primum cognitum nobis primitate originis simpliciter, & absolute loquendo esse singulare sensibile speciei specialissimæ, non quidem signatum, sed vagum; facta autem comparatione inter ipsa universalia, minus universalia esse nobis primo nota primitate originis, quam magis universalia, adeo ut in objecto debite sensibus applicato prius concipiat intellectus gradum speciei specialissimæ, & sic deinceps ascendat usque ad ens, quod quidem ibi pluribus rationibus stabilitum est ex Scoto 7 Metaph. quæst. 15. & quæst. 16. de anim. & 1. disp. 3. qu. 2. & nunc etiam ex dictis breviter probari potest, quia ut notat Doctor loco ultimo citato comparando invicem ordinem distincte, & confuse concipiendi, totus ordo confuse concipiendi præcedit totum ordinem distincte concipiendi, ita quod intellectus noster prima intellectione, quam habet, intelligit singulare confuse, & postea speciem specialissimam illius singularis, & sic semper ascendendo usque ad supremum prædicatum exclusive, quia supremum prædicatum scilicet ens non potest intelligi confuse. Probatur, nullus enim conceptus simpliciter simplex potest intelligi confuse, quia aut totaliter ignoratur, aut totaliter scitur, cum non habeat aliquod secundum quod possit sciri, & aliud secundum quod possit ignorari, quia tunc non esset simpliciter simplex, cum ergo conceptus primi prædicati scilicet entis sit simpliciter simplex, quia non est in alios superiores conceptus resolubilis, sequitur non posse intelligi confuse; ita discurrit etiam Jo. de Magistris 1. Physic. quæst. 3. §. *secundo dubitatur*, ex quo patet in schola Scotistarum primum cognitum primitate originis simpliciter, & absolute sumptum non esse speciem specialissimam, ut voluit Faber in sua Philoph. theor. 83. Sghemma 1. Phys. digress. 2. quæst. 4. & alii nonnulli Scotistæ, sed potius ejus singulare sensibile vagum; speciem vero specialissimam non esse primum cognitum nisi facta comparatione inter magis, & minus universale, & in hoc sensu locutum esse Doctorem 1. d. 3. qu. 2. disp. cit. de Anim. luculenter ostendi.

Sed Contra hoc assertum de primo cognito nobis primitate originis præter argumenta ibi facta, adhuc etiam urget Aureol. 1. disp. 2. part. 2. art. 2. quia res, & ens, aliique conceptus communiores sunt, qui imprimuntur in anima prima impressione ex Avicen. 1. Metaph. Tum 2. quia conceptus ille primo imprimitur in intellectu, respectu cujus requiritur minor vigor, sed respectu communiorum exigitur minor vigor in intellectu, & ideo inquit Comment. 1. Phys. tex. 5. comprehensionem communem in infantibus videmus præcedere propriam, unde primo appellant omnes viros patres, & fœminas matres, sed vigorato deinceps intellectu illos discernunt inter cæteros, ergo &c. Tum 3. ille conceptus primo imprimitur, qui minori indiget investigatione, & ratiocinatione, nam hæc supponunt conceptus naturaliter impressos, sed conceptus specierum infimarum nesciuntur, nisi ea via, difficulter enim assignantur species colorum, odorum, piscium, ubi e contra ens, & aliquid imprimuntur cuilibet, quantumvis ignaro absque ratiocinatione, ergo &c. Tum 4. conceptus illorum terminorum primo innotescunt, ex quibus componuntur propositiones magis per se notæ, ac quæ componuntur ex terminis communissimis, sunt notiores, quam compositæ ex minus communibus, nam notius est de quolibet esse, vel non esse, quam quod linea cadens super lineam constituat duos angulos rectos, vel æquales duobus rectis. Tum 5. omne agens naturale approximatum passo reducit ipsum ab imperfecto ad perfectum, & ad actum, simpliciter transeundo per illud, quod est medium inter potentiam, & actum, ut patet de igne respectu aquæ, primo enim inducit tepidum, quam calorem summum, sed communiores conceptus imperfectiores sunt, & potentiales respectu specificorum, ergo singulare cadens sub sensu, & phantasma illius præsente intellectu agente prius inducet conceptus confusionis, qualis est conceptus entis, quam specificos. Tum tandem, quod est difficilius, est posterius apud intellectum, sed difficilior est notitia distincta, & specifica, quam communior, & confusa, ergo posterior erit, & illa prior.

242 Ad hæc omnia argumenta faciliter ex dictis disp. 6. cit. de Anim. quæst. 8. occurritur, ubi etiam quædam ex his in terminis sunt adducta; præsertim vero eorum fallacia consistit in hoc, quod aliam confusam cognitionem non agnoscunt, quam quæ de rebus habetur in suis prædicatis universalibus, cumque primitate originis totus ordo confuse concipiendi præcedat ordinem distincte concipiendi, hinc deducunt conceptus universaliores primo imprimi in intellectu nostro, quam conceptus minus universales, & præsertim speciei specialissimæ, nam hic conceptus pertinet ad ordinem distincte concipiendi, nam si concipiatur homo sub ratione entis, substantiæ, corporis, &c. confuse concipitur, sed cum concipitur, ut animal rationale, qui est conceptus speciei specialissimæ concipitur distincte. Cæterum hæc suppositio falsa est, præter enim cognitionem confusam, qua aliquid intelligitur in suo universali, datur adhuc quoddam aliud genus cognitionis confusæ, ut loco citato advertimus num. 247. quo aliquid intelligitur, sicut exprimitur per nomen ut secernitur a cognitione distincta, quæ habetur de re per definitionem, quod quidem genus cognitionis confusæ expressit Arist. 1. Physic. tex. 5. & notat Doctor 1. disp. 3. quæst. 2. quod cum hic quæritur primum cognitum in ordine confuse cognoscendi, sermo est de cognitione confusa hujus secundi generis, qua cognoscitur totum non cognitis partibus definitionis ejus; & ratio est, quia hæc est omnino prima cognitio, quæ nobis imprimitur cum primo transimus a statu ignorantiæ ad statum scientiæ, quamvis enim cognitio confusa primi generis, qua aliquid cognoscitur in suis prædicatis universalibus, præcedat primitate originis cognitionem distinctam, qua idem attingitur etiam secundum prædicata particularia, adhuc tamen comparando etiam inter sese duplex illud assignatum genus cognitionis confusæ; prior est illa, qua totum cognoscitur, ut significatur per nomen sine cognitione alicujus partis, vel principii, & posterior est alia, qua cognoscitur totum per cognitionem alicujus prædicati universalis; cum enim primo cognoscitur homo, aut concipitur in se, aut in ente, vel sub ratione entis, hoc secundum dici non potest, quia talis cognitio sub ratione entis, aut alterius prædicati superioris est complexa, ac prima cognitio originalis est apprehensio simplex de uno conceptu in se. Quare pro solutione omnium argumentorum Aureol. sufficeret sola responsio, quam Doctor assignat quæst. 16. de Anim. ad 3. princ. quod nimirum in eis committitur fallacia consequentis a pluribus causis veritatis ad unam, cognitio enim confusa alicujus minus universalis est, vel quando cognoscitur tantum de ipso quid est, quod dicitur per nomen, vel quando cognoscitur in suo universaliori, vel confuso; non sequitur igitur, cognitio confusa minus universalis est prior tempore, quam ejus distincta, igitur cognitio sui universalioris est prior; ita ibi Doctor.

243 Adhuc tamen libet ad singula respondere; ad 1. ait Doctor loco citato quæst. 16. de Anim. ad 2. princ. res, & ens in ordine distincte concipiendi prius imprimi, quia a cognitione entis omnis distincta cognitio inferiorum initium sumit. [Ad 2. minus vigor, vel minus acumen requiritur ad habendam cognitionem confusam alicujus rei, quam distinctam, & inter confusas minus adhuc acumen requiritur ad habendam confusam posterioris generis, quam priorem, unde si animal aliquod mihi occurrit, quod numquam antea vidi, nec ejus simile, antequam illud concipiam sub ratione entis, vel substantiæ &c. quadam cognitione confusa illud apprehendo, ut totum quoddam ita figuratum, & coloratum, & talibus accidentibus prædituum, hæc enim est omnino prima cognitio, quam acquiro per speciem singularis sensibilis repræsentantem naturam individuam cum his, & illis accidentibus, ut

ut Scotus docet quæst. 22. de Anim. §. *Quarto dico*, & 7. Metaph. quæst. 15. ante solutionem principalium; quod si postea illud idem animal distincte concipere volo, opus erit per resolutionem inquirere principia ejus componentia usque ad prima, & irresolubilia substantiæ, entis &c. & quia cognitio distincta inferiorum inchoatur a prædicatis universalioribus, & inferius cognitum in prædicato universali dicitur confuse cognosci, hinc patet, quod utraque cognitio confusa est prior, & facilior, quam distincta, & inter ipsas confusas adhuc prior, & facilior est, ac magis obvia illa, qua res apprehenditur incomplexe, ut exprimitur per nomen, & ut totum quoddam indistincte cum quibusdam accidentibus, ignoratis omnibus principiis ejus. Et hanc ait Doctor loco citato esse facilem, & obviam cognitionem, quam inquit Arist. 1. Phys. 5. infantes habere ab initio, cum omnes viros patres, & omnes fœminas appellant matres, nam primo apprehendunt individuum illud humanum ita coloratum, & figuratum, quod est individuum vagum, & quia confuse apprehendunt, si vir alter occurrat similia habens accidentia, patrem vocant, sed cum in eis vigoratur intellectus, & accuratius notant accidentia patris, tunc determinate hunc vocant patrem, non alios, descendendo a singulari vago ad signatum, unde Arist. ibi loquitur de universali in continendo, non in prædicando, ut dictum est in expositione procemii Phys. neque mens Aristot. fuit illo exemplo significare pueros ab initio universale cognoscere, quemadmodum ex Comment. prætendit Aureol. nam & agni recenter nati omnem ovem, velut matrem sequuntur, & tamen universale non attingunt: illud ergo exemplum de pueris est de singulari vago, quia primo apprehendunt illud singulare humanum confuse, quam ejus partes, quæ sunt tales conditiones individuantes, ut talis color, facies, statura &c. & postea determinant distinctius cognoscendo conditiones illas.

244 Ad 3. concludit argumentum in ordine distincte concipiendi gradus communiores esse faciliores cognitionis, quam minus communes, quia isti plura prædicata includunt cognoscenda, quam illi, atque ideo ad eorum distinctam cognitionem assequendam majori indigent investigatione, & ratiocinatione; at in ordine confuse concipiendi res e contra se habet, cum enim minus universalia sint sensibus propinquiora, quam magis universalia, sunt etiam facilioris abstractionis ex 1. Post. 12. unde si puer ignem tetigerit, fugit deinceps contactum ejus, non quidem ob generalitatem entis, vel qualitatis sensibilis, sed propter specialitatem caloris, & ob majorem ejus propinquitatem ad sensum tactus, quod inditio est, calorem primo sensisse, & intellexisse. Ad 4. responsum est disp. 6. de Anim. quæst. 8. ad ultimum, unde ex ibi dictis potest negari minor, nam primo primitate originis, & in ordine confuse concipiendi notius est puero, vel rustico calorem esse combustivum, quam quod sit qualitas, vel accidens, vel ens, quæ tamen sunt propositiones ex terminis communioribus constantes, quam sit illa; verum tamen est, quod diximus num. 240. esse quædam prima principia, quæ quia innotescunt ex simplici terminorum apprehensione, & deducuntur ex his, quæ immediate sensui subiiciuntur, ut quod totum est majus sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, &c. de quolibet verum est esse vel non esse &c. sunt simul nota nobis, & nota natura, unde & nobis possunt esse primo nota primitate originis; id tamen eis non convenit, eo quia sint universalissima, & ex terminis universalibus constituta, sed quia cum hac sua universalitate sunt sensibus propinqua, & ex sensibilibus immediate eorum veritas deduci potest, si enim essent universalissima, & non sensibus propinqua, non essent nobis primo nota primitate originis, signum evidens eorum originalem notitiam non præcise in universalitate fundari, sed præsertim in propinquitate ad sensum. Ad 5. responsum est etiam loco citato de Anim. disp. 6. num. 249. sed breviter ex doctrina assignata num. 242. dici potest cognitionem confusam esse veluti dispositionem ad distinctam, ut inquit Doctor 1. disp. 3. quæst. 2. lit. O. cognitio autem confusa est duplex ut ibi dictum est, una, qua objectum sensibus oblatum cognoscitur ab intellectu indistincte; ut totum quoddam cum quibusdam accidentibus, ignoratis omnibus ejus principiis, alia vero qua cognoscitur sub ratione alicujus principii universalis ipsum constituentis, ut sub ratione entis, vel substantiæ, & illa a toto genere præcedit istam, & est veluti dispositio ad illam, nam primo confuse apprehendimus objectum intellectui nostro via sensus oblatum, deinde ejus cognitionem distinctam svenari volentes incipimus a principiis ejus universalibus, & semper ad minus universalia descendimus, ex quo progressu constat intellectum tendere semper a cognitione imperfectiori ad perfectiorem, nam primo novit objectum confuse quoad quid nominis, ut totum quoddam indistincte, deinde resolvendo illud in partes inquirit ejus principia constituentia, & primo universaliora attingit, deinde minus universalia, & sic resolvendo, & dividendo invenit omnia ejus principia, & distincte cognoscit. Ad ultim. probat solum in ordine distincte concipiendi minus universale esse cognitu difficilius, quam magis universale, quia plura includit prædicata cognoscenda, quod gratis concedimus.

Ex his etiam responderi potest ad discursum, quo Alensis 5. Metaph. quæst. unic. in tex. 16. probat magis universale primitate originis prius nobis occurrere, quam minus universale; nam eadem res ait prius occurrit intellectui sub conceptu generis, quam sub conceptu differentiæ, & sub conceptu confuso, quam sub conceptu distincto, quod quidem declarat exemplo, primo enim occurrit intellectui natura hominis, ut confusa, & non distincta per partes suas essentiales, secundo intellectus volens explicare naturam hominis, prius sibi occurrit, quod est substantia, qui est conceptus maxime confusus intra seriem prædicamentalem; deinde sibi occurrit, quod non est omnis substantia, sed substantia corporea, & iste conceptus licet sit adhuc confusus, tamen minus quam primus, quia magis appropinquat ad conceptum distinctum hominis, tertio occurrit quod est substantia corporea animata, quarto quod est substantia animata sensibilis; qui conceptus sunt utique minus universales prioribus, ultimo occurrit, quod est substantia corporea animata sensibilis rationalis, & tunc attingitur conceptus distinctus hominis; ita quod sicut natura procedit de imperfecto ad perfectum, sic intellectus noster volens intelligere conceptum distinctum rei, prius fertur super conceptum confusum ejus, inde super distinctum, conceptus autem confusus est conceptus universalior, conceptus autem distinctus est minus universalis, ideo prius fertur super magis universale, quam super minus; ita Alexander loco cit.

245 Hic vero discursus facile corruit ex dictis, quia non assignat nisi unum genus cognitionis confusæ, quod neque est simpliciter, & originaliter primum, sed tantum est primum in processu cognitionis distinctæ, quatenus a prædicatis universalissimis incipit distincta cognitio inferiorum, unde concluditur, solum magis universale prius occurrere in ordine conceptionis distinctæ, seu in processu ad cognitionem distinctam, qui utique inchoatur a prædicatis universalioribus; at præter hoc genus confusæ cognitionis jam dictum est num. 242. aliud dari debere, quod est simpliciter primum, & quam primo acquirimus, cum primum ab ignorantia ad scientiam gradum facimus, unde dicebamus disp. 6. de Anim. quæst. 8. num. 248. triplicem de homine posse formari conceptum, primus omnino omnium primitate originis est, cum cognoscitur ut totum quoddam indistincte cum quibusdam accidentibus, ignoratis omnibus principiis ejus, alter quo cognoscitur esse ens, vel substantia, aut corpus, tertius denique quo cognoscitur, ut animal rationale; hæc tertia cognitio est omnino distincta, cum sit per ejus principia tam communia, quam propria, quam solum habemus in statu scientiæ; prima cognitio est omnino confusa, cum nullum principium attingat intrinsecum hominis, & hanc habemus, cum primum limites ignorantiæ egredimur; secunda, tandem cognitio est quidem confusa respectu tertiæ, tamen respectu primæ accedit ad distinctam, quia per eam attingitur saltem aliquod principium hominis, esto commune, & remotum, adeo ut ab ea incipit distincta hominis cognitio, & hanc habemus cum jam sumus in via, & progressu ab ignorantia ad scientiam, ex his itaque patet præter cognitionem confusam, qua concipitur homo in aliquo prædicato universali, verbi gratia sub ratione entis, vel substantiæ dari debere aliam priorem confusam, qua concipitur tantum de ipso quid est, quod dicitur per nomen, & ut totum quoddam indistincte cum quibusdam accidentibus, ignoratis omnibus principiis intrinsecis ejus. Quod quidem etiam ex ipso discursu Alensis convinci potest in exemplo ab ipso allato, dum enim hominem distincte volumus cognoscere, inquit, intellectui primo occurrere naturam hominis, ut confusam, & non distinctam per partes suas essentiales, secundo ei occurrit, quod est substantia, deinde corpus &c. nunc Alensem rogo, qualis sit confusio illius primi conceptus, cum indistincte omnino concipitur natura hominis, & non distincta per partes, si enim confusio talis conceptus consistit in hoc, quod concipitur tunc sub ratione universalissima entis, ergo non concipitur ut totum quoddam omnino indistinctum per partes, quia tunc incipit distingui in suos conceptus inadæquatos; quorum primus est conceptus entis, qui per modum partis Metaphysicæ hominem constituunt: ut ergo tunc concipiatur, ut totum quoddam prorsus indistinctum per partes essentiales, debet ea cognitio esse ita confusa, ut solum attingatur de ipso quid est quod dicitur per nomen, ignoratis omnibus principiis intrinsecis ejus; hæc enim est cognitio omnium confusissima, quæ primo primitate originis nobis occurrit, & immediate conjungitur cum cognitione sensitiva ex 3. de Anim. 30. & 33. qua de causa cæteras omnes subsequentes præcedit tam confusas, quam distinctas ejusdem objecti, pro quorum omnium exacta intelligentia omnino videnda sunt, quæ de primo cognito dicta sunt disp. 6. cit. de Anim. qu. 8. ubi est proprius locus istius materiæ.

QUÆSTIO X.

De Bonitate.

Quæ Bonitas sit passio entis, & in quo formaliter consistat.

246 TErtia, & ultima passio simplex, & incomplexa entis est bonitas; non est autem hic sermo de bonitate morali, quæ peculiariter ad actiones liberas voluntatis attinet, & secundum quam dicimur bene moraliter operari, & opponitur malitiæ morali, quæ in actibus vitiosis reperitur, de hac namque bonitate tractat Philosophus moralis, non Metaphy-

physicus, sed est sermo de bonitate naturali, & transcendenti, quæ omnibus entibus universaliter convenit, & assignatur ut passio entis adæquata; circa cujus explicationem, & formaliratem, an sit perfectio absoluta, vel respectiva, non minus discrepantes sunt Auctores, quam fuerint circa veritatem qu. 8. Itaque ad inveniendam rationem formalem bonitatis transcendentis præmittunt quamdam boni divisionem, vel potius duplicem ejus acceptionem, quam ex D. August. lib. 8. de Trinit. cap. 3. & 8. tradiderunt D. Thom. 1. 2. quæst. 25. art. 1. & Scotus quol. 18. §. *dico primo*, uno enim modo dicitur bonum in se, & veluti absolute, & idem est, quod perfectum in se, & integrum juxta illud Dionysii *Bonum ex integra causa*, alio modo dicitur bonum alteri, ac veluti relate, & idem est, quod conveniens alteri, & juxta unam, vel alteram acceptionem rationem formalem bonitatis transcendentalis explicare nituntur, aut juxta utramque simul.

Quidam igitur volunt bonitatem consistere in perfectione, & integritate rei, itaut non aliud sit bonitas entis, quam ejusdem perfectio, & integritas in proprio esse, quia vero perfectio, & integritas contingere potest dupliciter, vel secundum esse essentiale, vel etiam secundum esse accidentale, entia namque regulariter præter suam intrinsecam entitatem alias perfectiones secundarias requirere solent, v. gr. homo præter unionem animæ, & corporis, in quibus ejus essentia consistit, exigit etiam alia accidentia debita humanæ naturæ tam ex parte corporis, quam animæ; inquiunt perfectionem, & integritatem, in qua consistit bonitas entis, non esse attendendam secundum esse accidentale, quia hoc modo non dicitur necessario de quacumque re, potest enim esse homo non justus, non doctus, & absque aliqua ejus parte integrali, ut sine manu, vel oculo; sed attendi debere penes esse essentiale, sic enim necessario, & adæquate dicitur de omni ente, nam hoc ipso, quod aliquid est ens, & tale ens, nihil ei deesse potest faciens ad essentiam entis, & talis entis, alioquin si quispiam ad ejus essentiam pertinens auferatur, destruitur ipsum ens; perfectum ergo hoc modo sumptum ajunt esse attributum entis adæquatum, & negant bonitatem sumptam relative pro convenientia esse legitimam passionem entis, ita Bannes, & Zumel. 1. par. quæst. 5. art. 1. Molin. eadem quæst. disp. unic. Vasquez ibid. disp. 23. Ferrar. 1. contra gentes cap. 37. Acerb. lib. 1. qq. peripat. quæst. 12. Niphus 6. Metaph. ad tex. 8. Hervæus quol. 3. quæst. 2. Faber ex nostris 4. sent. disp. 9. de pœnit. cap. 5. & alii quamplures: qui postea adhuc inter se discrepant, quomodo bonum hoc modo sumptum integro, & perfecto in essentia sua debeat explicari, an per conceptum positivum vel negativum, absolutum vel relativum. Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 6. per negationem imperfectionis, & defectus interdum explicare videtur, sic enim perfectum definitur ab Arist. 5. Metaph. tex. 21. esse illud, *cui nihil deest*, hoc est non habens defectum, vel carentiam ullius rationis sibi debitæ. Vasq. disp. 23. cit. cap. 7. explicat per relationem non quidem convenientiæ, sed integritatis ex pluribus, quoniam concursus omnium absque defectu ad alicujus constitutionem relative significatur, hanc autem relationem esse inter ea, quæ concurrunt ad integritatem constituendam, atque in rebus simplicibus, cum non adsint partes realiter distinctæ, esse rationis tantum. Faber loco cit. utrumque dicendi modum approbat, nam num. 79 inquit, quod bonum hoc modo sumptum supra ens nihil positivum dicit, sed solam negationem diminutionis cujusvis rei necessariæ ad integritatem, & complementum entis: deinde num. 81. inquit dici posse, quod illa carentia defectus, & imperfectionis ex parte rei dicit relationem, integritas enim, & perfectio sive complementum sunt nomina significantia quamdam resultantiam velut harmoniam, & ordinem quemdam in re ipsa, sicut etiam pulchritudo rei est relatio partium inter se, & ad tertium, & si ens est quid creatum, & compositum, illa relatio est realis, si vero est ens simplex, ut Deus, & Angelus, est relatio rationis cum fundamento tamen in re; denique volunt alii bonum hoc modo sumptum importare perfectionem quamdam potius absolutam realem, & positivam, quæ sit fundamentum negationis & relationis antedictæ.

247 Secunda sententia est eorum, qui bonitatem pro passione entis sumpta explicant per ordinem, & relationem convenientiæ, quo una res dicitur bona, & conveniens alteri, juxta secundam acceptionem bonitatis assignatam num. 246. eadem enim res, ut vinum, dicitur bona, vel mala ex sola convenientia, vel disconvenientia, quia enim conveniens sano, dicitur vinum bonum sano, & quia disconveniens ægroto, dicitur *illi* malum, ita S. Thom. quæst. 1. & 21. de veritate art. 1. Aureol. 3. d. 35. quæst. unic. art. 1. Durand. 2. d. 34. quæst. 1. Capreol. ibid. Fonsec. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 7. Suarez disp. 10. Metaph. sect. 1. num. 13. & seq. addens bonum, prout est passio entis, non dici absolute, sed relative per connotationem ad alium extremum, cui dicitur conveniens; & si sumatur absolute juxta primam bonitatis acceptionem pro perfecto, & integro in se, non esse amplius passionem entis, sed ipsam entis essentiam. Verum neque Auctores isti conveniunt in affignando quid sit hæc convenientia, & qualem relationem importet. Durandus namque, & Aureol. loc. cit. significant importare relationem realem, immo, & prædicamentalem, subdit tamen Durand. in Deo hanc relationem convenientiæ, qua dicitur bonus, non esse realem, sed esse extrinsecam denominationem, sicut est denominatio creatoris: alii vero ut Capreol. & Fonsec. loc. citat. volunt hanc relationem esse rationis cum fundamento tamen in re, quod in eo consistit, quod in ente sit fundamentalis bonitas, & formalis consistat in relatione rationis. Suar. tandem, ut innuimus, ait esse denominationem realem per connotationem extrinsecam, itaut eus dicatur bonum per suam entitatem, & naturam connotando aliam entitatem, & naturam alterius rei, cui illud ens dicitur conveniens, sic frigus v. gr. dicitur bonum, & conveniens aquæ, calor igni, venenum serpenti &c.

Tertia sententia statuit quidem formalitatem bonitatis in relatione convenientiæ, sed non in ordine ad quamcumque rem, cui aliquid dicitur conveniens, & consentaneum, ut præcedens opinio dicebat, sed præcise in ordine ad appetitum, adeout unumquodque ens intantum dicatur bonum, inquantum est appetibile & hanc relationem inquit esse transcendentalem, non autem prædicamentalem; quæ sententia satis frequens est in schola, nedum Scotistarum, sed etiam Thomistarum, ut testatur Blasius a Conc. disput. 24. Metaph. quæst. 1. eam namque aperte docuit S. Thomas 1. p. quæst. 5. art. 1. ubi inquirens quid sit bonum, inquit rationem boni in hoc consistere, quod aliquid sit appetibile, unde & Arist. ipse rationem boni sic assignavit initio Ethic. *Bonum est, quod omnia appetunt*, ita Buridan. 6. Metaph. quæst. 6. ubi ait appetibilitatem esse ipsam rationem boni, ideoque bonum dici, quia appetibile, sic etiam Alensis 1. p. quæst. 17. & 18. per plura membra declarat rationem boni consistere in quodam respectu ad affectionem, sicut rationem pulchri in respectu ad apprehensionem, & sequuntur quamplures ex Recentioribus Valent. tom. 1. disp. 1. quæst. 16. punct. 1. Hurtad. d. 7. Metaph. sect. 4. ex nostris Smisingh. tract. 3. de Deo uno disputat. 1. quæstion. 2. num. 46. Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 21. ubi art. 1. in resolutione quæsiti inquit bonitatem spectatam, ut est affectio transcendentalis, cum ente convertibilis, præferre formalitatem quamdam positivam, non absolutam, sed respectivam appetibilitatis vel propter se, vel propter aliud ab ipso ente formaliter ex natura rei distinctam, & art. 2. inquirens an hic respectus sit realis, vel rationis, concludit esse respectum realem aptitudinalem, quem ibi declarans non satis consequenter ad dicta in primo art. ubi bonitatem constituerat præcise in respectu appetibilitatis, ait esse talem, quo quodlibet ens formaliter dicitur necessario bonum, quia conveniens alteri, cui debet convenire, vel appetibile alteri, vel communicativum alteri, cui debet esse appetitivum, & communicativum; alii vero contendunt hunc esse respectum rationis.

248 Quarta opinio, ut ab omnibus difficultatibus se liberet, omnes relatas amplectitur sententias, dicens bonitatem, prout est entis passio, sumi posse indifferenter, ut dicit perfectionem entis in se juxta primam opinionem, & convenientiam unius rei ad aliam juxta secundam, & convenientiam rerum ad appetitum juxta tertiam, ita Aversa quæst. 7. suæ Philosoph. sect. 3. & 5. ubi per ordinem singulas tres relatas tuetur sententias. Meurisse ex nostris lib. 2. suæ Metaph. c. 3. p. 3. q. 1. ubi ait posse, ac debere statui passionem entis adæquatam bonitatem sive absolute sumptam pro perfectione, & integritate rei in seipsa, sive relate pro convenientia, qua aliquid dicitur conveniens alteri; & in hunc etiam modum loquuntur Arriag. disp. Metaph. sect. 6. Oyvied. controv. 3. Metaph. punct. 4. & alii nonnulli Recentiores.

Ultima demum sententia nullam ex hactenus relatis recipit ita noviſſime Pasqualig. qui postea quam disp. 73. tom. 2. suæ Metaph. per plures sectiones relatas impugnavit opiniones, tandem sect. 5. ejusdem disp. ut suum aperiat placitum inquit concl. 1. ens habere suam bonitatem ex participatione divinæ bonitatis, itaut ens, ut sic, transcendens habeat suam bonitatem transcendentalem participando divinam bonitatem in genere indeterminato, & absque ulla determinatione hujus, vel illius bonitatis; deinde concl. 2. explicans effectum formalem bonitatis, atque ipsius rationem formalem, inquit hanc participationem divinæ bonitatis, qua ens imitatur quodammodo divinam bonitatem, constituere rem convenienti modo se habentem quoad esse, atque hanc convenientiam in eo consistere, quod habeat suum esse cum debito ordine, seu tali pacto constitutivum in seipso, ut ex sui esse ordinari possit ad illum finem, ad quem ex natura sua est ordinabile ex eo, quod habeat aptitudinem, & convenientiam; ex eo enim quod unumquodque ens mensuratur per divinas ideas, non solum habet conformitatem cum ipsis, ratione cujus habet suam veritatem, sed etiam hinc sequitur, ut habeat debitum modum suæ mensuræ, atque debitam convenientiam quoad suum esse, itaut possit ad suum finem ordinari; unde tandem concludit concl. 3. ex eo quod res est bona in seipsa, esse etiam bonam alteri, atque adeo appetibilitatem, qua res intelligitur alteri appetibilis, convenire ratione bonitatis absolutæ, & veluti ex ipsa consequi, quatenus ex vi talis bonitatis intelligitur apta, ut ad aliud ordinetur, tamquam ipsi conveniens, & proportionata.

249 Hæc in summa est opinio Pasqualig. loc. cit. quam tamen non adeo diversam ab aliis hactenus relatis reperio, ut ipse profitetur, & in quo est ab aliis diversa, est penitus falsa; quod enim asserit in prima conclusione ens transcendenter sumptum habere suam bonitatem, quæ est ejus adæquata passio, ex participatione divinæ bonitatis in genere indeterminato est penitus falsum; quia sicut ens ut sic in tota sua latitudine præcedit Deum, & creaturam prioritate Logica, illa nimirum, a qua non convertitur subsistendi consequentia, ita bonitas ut sic, quæ est ejus passio, præcedit divinam bonitatem, &

& divina bonitas est quædam species bonitatis transcendentis, tantum ergo abest, quod bonitas transcendens entis sit participatio divinæ bonitatis, quod res potius e contra se habet, quia divina bonitas essentialiter imbibit, & participat rationem bonitatis transcendentis, veluti species ejus. Scio hoc Pasqualig. dictum ex alio ejus asserto principio pendere, nimirum ens universalissime sumptum, & transcendenter esse ipsum ens creatum, Deumque non esse proprie ens, sed supra ens, & quid supereminentius ente, nec adesse inter Deum, & creaturam aliquam convenientiam in conceptu communi, sive univocam, sive analogam, quod quidem assertum in primo tomo suæ Metaph. per plures disput. & sect. probare insudat; sed plane incassum laborat, hocque ejus figmentum disp. 2. de natura entis abunde confutavimus. Quod etiam addit in secunda conclusione explicans rationem formalem bonitatis in eo sitam esse, ut convenienti modo se habeat quoad suum esse, atque habeat debitum modum suæ mensuræ, aut falsum est, aut ab aliis sententiis non est diversum; quæro enim, quid intelligat per hanc convenientiam rei in suo esse, & per hunc debitum modum suæ mensuræ, unde habet, ut possit ordinari in suum finem; vel enim sic intelligit, ut talis convenientia in eo consistat, ut res habeat quidquid est de ratione suæ entitatis, & quidquid spectat ad ejus constitutionem essentialem, & convenientia sic explicata pertinet ad primam opinionem, quæ statuebat bonitatem entis in perfectione absoluta, & complemento rei in se ipsa, quam aliqui ex illis Auctoribus explicabant per convenientiam rei ad seipsam, quæ est relatio rationis, & proinde importare nequit bonitatem entis quoad id, quod dicit a parte rei. Vel intelligit, quod talis convenientia in eo consistat, quod res sit tali modo constituta in seipsa, ut possit ordinari in aliquem finem, ut ipse significare videtur, & tunc hæc explicatio pertinet ad alias opiniones, quæ bonitatem entis statuebant in convenientia unius rei ad aliam: & neque sic adhuc bene explicatur, vel enim sic intelligit, quod bonitas entis formaliter consistat in tali ordinabilitate ad finem aliquem, vel in principio potius, & fundamento talis ordinabilitatis: non primum, quia talis ordinabilitas solum constituit bonitatem medii, non autem finis, qui ut sic, ad aliud non est ordinabilis; non secundum, quia sicut talis ordinabilitas ad finem nequit bonitatem in tota sua latitudine constituere, sed tantum bonitatem mediorum, ita neque principium, & fundamentum talis ordinabilitatis, tum quia adhuc quærendum manet, quodnam sit principium, unde habet res, quod sit ordinabilis in finem, & cum ait rem esse sic ordinabilem ex eo, quod habet convenientiam debitam in suo esse, jam reddit prima inquisitio, quid sit, quidve præferat talis convenientia. Vel tandem ita intelligit, ut ipse etiam explicare videtur, quod talis convenientia sit conformitas rei ad divinam ideam: quia enim, inquit ipse, ens conformatur cum sua idea, ideo habet debitam convenientiam, & debitum ordinem quoad esse: & neque hæc explicatio est idonea, quia ut ipse ibi fatetur, talis conformitas rei ad divinas ideas potius importat veritatem ejus, quatenus ens creatum est, quam bonitatem: aut ergo hæc explicatio Pasqualig. coincidit cum aliis jam relatis, vel est prorsus falsa.

At respondet ipse ex eo, quod unumquodque ens mensuratur per divinas ideas; non solum habet conformitatem cum ipsis, ratione cujus habet suam veritatem, sed etiam habet debitum modum suæ mensuræ, atque debitam convenientiam quo ad suum esse, itaut possit ad suum finem ordinari. Verum ita respondens jam confundit hic Auctor formalitatem veritatis, & bonitatis, quia utramque explicat per conformitatem ad divinam ideam: tum quia quando etiam hoc totum concederetur, non adhuc bene explicaretur bonitas, ut sic, nam sicut per prædictam conformitatem non bene explicatur veritas, ut est passio entis transcendentis, sed tantum veritas entis creati ut sic ex dictis quæst. 8. ita pariter per eam nunc tantum explicaretur bonitas entis creati, ut sic, non autem bonitas transcendentalis, cujus formalitatem hic inquirimus. Demum quod addit in tertia conclusione, non est novum, nec diversum ab aliis opinionibus, immo illud est præcipuum fundamentum primæ opinionis, ut postea videbimus, quæ ideo renuit statuere bonitatem in convenientia unius rei ad aliam, seu ad appetitum, quia ea de causa una res dicitur bona alteri, & appetibilis, quia est bona in se, unde convenientia, vel saltem appetibilitas supponit bonitatem in re, non enim movetur voluntas ad appetendum aliquid, nisi ex prævia apprehensione bonitatis.

250 Quantum autem attinet ad mentem Doctoris nostri in hac re, quamvis Faber disp. 9. cit. cap. 5. ab initio dicat esse apertam, & ipsum clarius rem explicuisse, quam quivis alius, ego tamen tantam claritatem non cerno, nam Doctor parce locutus est de hac re, & ubi de ea loquitur, aut dubitative loquitur, aut satis obscure, & irresolute, & præsertim in eis ipsis locis, quos ipse citat pro clarissimis, nam in 4. d. 49. quæst. 4. §. *Juxta hoc* sub lit. I. inquit *forte nec verum, nec bonum ultra ens dicunt rationes absolutas*, quem proinde locum Tataret, exponens ait de mente Doctoris verum, & bonum supra ens addere solum formalitates quasdam respectivas, & aptitudines: verum nempe aptitudinem ad se manifestandum cuilibet intellectui, bonum vero aptitudinem ad communicandum se alteri, quare concludit, verum addere enti manifestativitatem, & bonum communicabilitatem juxta illud, bonum est sui ipsius diffusivum; constat ergo Doctorem ibi non resolute loqui de formalitate veritatis, & bonitatis, an sit absoluta, vel respectiva, sed cum particula dubitativa. Deinde quol. 18. §. *de primo*, duplicem distinguit bonitatem in ente, unam absolutam quam vocat primariam, & essentialem, alteram respectivam, quam vocat secundariam, & accidentalem, & inquit, sicut bonitas primaria entis, quæ dicitur bonitas essentialis, est integritas, vel perfectio entis in se, & importat positive negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio, & diminutio, sic bonitas entis secundaria, quæ est accidentalis sive superveniens entitati, est integritas convenientiæ, vel integra convenientia ejus alteri, cui debet convenire, vel alterius sibi, & istæ duæ convenientiæ communiter sunt connexæ; exemplum primi, sanitas est bona homini, quia sibi conveniens, & cibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi convenientem; adducit ulterius Doctor exemplum de utroque hoc bono secundario ex Aug. 8. de Trinit. cap. 3. vel 8. nam ibi ait, bona valetudo sine dolore, & lassitudine, & hoc pro primo membro, quia valetudo est bona homini, quia est ei conveniens; deinde subdit Aug. & bona facies hominis, dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata; & hoc pro secundo membro, quia talis facies dicitur bona habendo illa, quæ sibi conveniunt. Et est differentia inter istas duas convenientias, inquit Doctor, quia illud quidem, quod est conveniens alicui, dicitur ei bonum, hoc est, illi perfectio, vel bonitas, sed non dicitur denominative, vel accidentaliter bonum in se; illud autem, cui aliquid convenit, dicitur denominative bonum, eo quod habet illud, quod sibi convenit, & in primo est quasi denominatio formæ a subjecto, sicut anima dicitur humana, sic aliquid dicitur bonum homini, quia bonum humanum; sed in secundo e converso est denominatio subjecti a forma, cum dicitur homo est bonus secundum illud bonum suum.

Hic est discursus, quem ibi ad verbum facit Doctor de duplici entis bonitate primaria, & secundaria, seu essentiali, & accidentali, cæterum nunquam ibi declarat Doctor, an utraque ex illis bonitatibus sit passio entis, vel alterutra tantum, & quænam ex illis; ex quo orta est discrepantia expositionis Scotistarum circa istum locum, & varietas opinionum inter eos de formalitate bonitatis, ut est passio entis. Tataret. namque in hunc locum, quem sequitur ipse Faber, ait bonitatem illam primariam, ac veluti absolutam a Scoto explicatam esse passionem entis, immemor ejus, quod dixerat in 4. d. 49. quæst. 4. cit. ubi volebat, bonitatem, ut est passio entis, consistere in formalitate respectiva, & communicabilitate, & sic etiam exponit Gadius ibidem quol. 18. Lich. e contra, quem sequitur Vulpes loco citato circa eumdem locum ait, quod illa bonitas primaria sic a Doctore explicata non est bonitas, quæ est passio entis, sed accipitur pro perfectione essentiali entis in se secundum determinatum gradum, non ergo ex istis locis liquido constat, ut dicebat Faber, quid asserendum sit de mente Doctoris circa formalitatem bonitatis, prout est passio entis, & cum ente convertitur; & ideo potius enitendum est consequenter ad dicta de cæteris passionibus explicare formalitatem bonitatis, sed adhuc falsius est, quod Suarez disp. 10. cit. sect. 1. num. 6. Pasqual. disp. 73. sect. 1. & alii Recentiores imponunt Doctori, nempe bonitatem, ut est passio entis, importare proprietatem absolutam, nam ut constat ex loc. cit. in 4. potius oppositum asserit.

ARTICULUS I.

Resolutio Quæsiti.

251 Dicendum Primo bonitatem, quæ est passio entis, si consideretur secundum id, quod importat a parte rei, non dicere solam relationem rationis, aut solam negationem imperfectionis, sed aliquid positivum importare enti superadditum, & ab ipso ex natura rei saltem virtualiter distinctum. Conclusio hæc sequitur ex dictis de passionibus entis in communi disp. 4. ac etiam de Unitate, & Veritate in particulari in hac eadem disput. & ponitur contra præcit. Auctores, qui cum ajebant bonitatem in relatione rationis consistere, aut negatione imperfectionis, non utique solum modum inspexerunt, quo a nobis possit, ac debeat explicari, in hoc enim sensu tolerabiles forent, sed loquebantur de eo, quod formaliter a parte rei ipsamet bonitas importat; in hoc ergo sensu ex jam dictis de aliis passionibus entis faciliter probatur conclusio quoad omnes, & singulas partes; & in primis probatur, quod non dicat solam relationem rationis, tum ratione illa generali superius non semel inculcata, quod nullum ens rationis esse potest proprietas entis realis, cum hæc consequatur ex principiis ejus intrinsecis, illud vero fiat per opus intellectus. Tum etiam ex ratione speciali bonitatis, nam antecedenter ad quamcumque relationem rationis res in se dicuntur bonæ, & appetibiles ante quamcumque intellectus operationem, qua de causa ait Arist. 6. Metaph. in fine bonum, & malum esse in rebus, & Genes. 1. habetur, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Insuper bonum movet, & trahit appetitum ad sui amorem, & bonitas est ratio constitutiva causæ finalis, ac etiam mediorum ad finem, unde distinguitur in utilem, delectabilem, & honestam, & tandem verum, ac subsistens

sistens bonum per hoc distinguitur a ficto, & apparenti, quod hoc importat quid fictum & rationis, illud vero aliquid reale, ergo, &c.

Ad hæc respondet Aversa quæst. 7. cit. sect. 4. dupliciter, primo inquit Arist. loqui de bono pro materiali, nempe de ipso objecto, cui tribuitur denominatio ipsa bonitatis, quod utique quid reale est, ac a parte rei existens, non autem loquitur de ipsa ratione formali bonitatis; & sic etiam Scriptura loquitur de ipsis rebus bonis. Deinde subdit ipsum gratis concedere bonitatem realem, & absolutam, quæ sit objectum appetitus, ac ipsum trahat, & quæ dividatur in utilem, honestam, & delectabilem, sed inquit bonitatem sic acceptam non importare passionem entis; de qua hic est sermo, sed ipsam essentiam realem entis, atque ideo concedendam esse aliam bonitatem, quæ sit passio entis, & hanc in relatione rationis consistere. Attamen prima solutio satis frivola est, quia Arist. loc. citat. bonum, & malum per hoc a vero, & falso distinguit, quod hæc sunt in mente, illa vero a parte rei, sane de bono, & malo pro materiali tantum loqui non potest, nempe pro ipsis objectis, & rebus bonis, vel malis, quia quantum est ex hoc capite, perinde a parte rei *extant* objecta, quæ vera, vel falsa denominantur ac illa quæ dicuntur bona vel mala; sic etiam summus Opifex quando omnia a se facta consideravit, & vidit, quod erant valde bona, non ipsas utique res solas, & nudas contemplabatur, sed unamquamque sub suo bonitatis gradu; & rursus quando Bonum dividitur in utile, honestum, ac delectabile, utique non dividitur solum pro materiali, sed præcipue, immo præcise pro formali, & sub ratione formali bonitatis, quatenus hæc res bonitatem unius rationis participat, cujus beneficio est ex seipsa, vel propter seipsam expetibilis, illa vero bonitatem alterius rationis, ob quam constituitur expetibilis solum propter aliud. Sed neque etiam alia responsio satisfacit, quia potius bonitas illa realis, & intrinseca rei, quam admittit, erit passio entis, non autem illa relatio rationis, quæ est prorsus extrinseca rei, & adventitia; neque enim bonitas illa est adeo intrinseca, & essentialis rei, quod ejus essentiam constituat, & ad ipsam pertineat in primo modo dicendi per se, ut Aversa comminiscitur, sed tantum est ei essentialis in secundo modo dicendi per se, & ipsam denominat qualitative, & non pure quidditative, cum enim res dicitur bona, significatur, ut quid qualificatum, & sub diverso conceptu ab eo, quo concipi solet sub ratione entis., ut postea dicemus, & certe si semel admittit Aversa bonitatem realem, & intrinsecam, qua unaquæque res bona dicatur a parte rei nullo intellectu cogitante, frustra addit postea relationem rationis, quæ sit passio entis, quia illa potius erit passio entis, & bonitas transcendentalis, non autem ista.

252 Alii proinde, ut Fonseca, respondet non omnes relationes rationis a fictione, & operatione intellectus pendere, quamvis enim aliquæ *tales* dentur, ut relationes generis, vel speciei, & universaliter secundæ intentiones; sunt tamen aliæ, quæ dantur a parte rei nullo cogitante intellectu, ut est relatio Creatoris in Deo, & hujus generis inquiunt esse relationes rationis, in qua formaliter bonitas consistit, atque ideo per talem relationem rationis omnia bene salvari, quæ in argumento objiciebantur. Sed figmentum de his relationibus rationis jamdudum rejectum est disp. 3. Log. quæst. 2. art. 1. nam omnino repugnat in terminis, quod aliqua relatio sit rationis, & quod fit in rebus præter omnem intellectus operationem, & fictionem, quia ens rationis in eo consistit, quod habeat esse tantum objectivum in intellectu, non autem sit subjective in rebus, unde prorsus ei repugnat sic esse in rebus nullo cogitante intellectu. Quod si dicas non esse in rebus secundum totum suum esse, & complete, sed tantum inchoate, & secundum esse fundamentale; jam secundum hoc esse fundamentale non erit quid rationis, sed reale, & in hoc potius, quam in illa relatione rationis, consistet bonitas secundum id, quod importat a parte rei, etiamsi pro faciliori captu uteremur relatione rationis ad illud explicandum; unde melius fecissent Auctores illi, si dixissent bonitatem entis, importare quidem a parte rei formalitatem positivam, & realem, dicere autem relationem rationis secundum id, dumtaxat, per quod solet explicari a nobis. Quod vero addebatur de relatione creatoris, & domini, quæ cum sint relationes rationis, adhuc tamen a parte rei Deum denominant creatorem, & dominum, negatur a Doctore 1. disp. 30. qu. 2. quia a parte rei non dicitur Deus Creator per aliquam relationem rationis, sed tantum extrinsece per terminationem creationis passivæ, ac relationis realis dependentiæ, quæ est a parte rei in creatura ad Deum, ut Creatorem.

253 Secundo probatur, quod bonitas dicere nequeat a parte rei solam negationem imperfectionis, vel defectus, tum ex ratione *generali*, sæpius *insinuata*, quod negatio, vel privatio esse nequit passio alicujus entis realis, & positivi, eique realiter identificata, tum etiam ex ratione speciali ipsius bonitatis, quæ est perfectio simpliciter, cum in quolibet ente sit melior ipsa, quam non ipsa; privatio autem, vel negatio ex suo genere mala est, quod quidem argumentum fuse deductum est de unitate superius num. 46. & 47. Tum quia universaliter loquendo negatio negationis quid positivum est, cum duæ negationes affirment, sed imperfectio, & defectus, ut sic, est privatio, ergo privatio hujus privationis erit quid positivum, ut pariter ibi deductum est. Tum tandem quia ad hoc etiam induci possunt rationes nuper factæ, quod bonum ponitur objectum voluntatis, ac ejus motivum ad amorem, certum autem est potentiam non moveri, nec attrahi, nisi ab aliquo reali: & positivo, nam si intellectus proponat voluntati aliquod non ens, quamvis proponat sub ratione entis; si interim tamen judicium intervenit, quo judicet esse non ens, quamvis ad modum entis repræsentetur, appetitus cessat in illud ferri, signum evidens bonum in quod fertur, esse necessario quidpiam reale & positivum.

At respondet Faber disp. 9. cit. num. 80. quod reale potest esse duplex vel positivum, vel privativum, positivum, ut Sortes, & Petrus, privativum, ut privatio, quæ est principium rerum naturalium, illa enim privatio est carentia realis, non per opus nostri intellectus, formæ in subjecto apto nato, adeo quod privatio de principali significato importat carentiam, connotat vero aptitudinem in subjecto apto; ita in proposito carentia diminutionis, & imperfectionis in ente de principali significato importat carentiam realem, & non per *operationem* nostri intellectus, defectus inexistentiæ entitatis debitæ, & connotat entitatem realem entis, cui illa carentia inest, ideo potest esse passio realis entis, sicut privatio ponitur principium reale rerum naturalium. Movetur autem Faber ad asserendum bonitatem formaliter consistere in negatione imperfectionis, vel defectus ex auctoritate Scoti quol. 18. cit. §. *de primo*, ubi dicit bonitatem primariam entis, quam inquit Faber esse passionem entis, & est integritas, vel perfectio entis in se, importare positive negationem imperfectionis, per quam excluditur imperfectio, & diminutio. Hæc tamen responsio nulla est, nam subjecti realis, & positivi passio quoque realis esse debet, ac positiva, ut ostensum est disp. 4. num. 7. quia importat perfectionem quamdam secundariam, unde quamvis non concutrat ad constitutionem sui subjecti essentialem, & quidditativam, concurrit tamen ad complementum ejus per modum perfectionis secundariæ, quod quidem *negationibus*, & *privationibus convenire minime* potest, quæ nullam dicunt perfectionem, sed potius imperfectionem; tum quia passio realiter suo identificatur subjecto, deque eo prædicatur in secundo per se dicendi modo, sed nulla negatio, vel privatio ita identificatur cum positivo, nec de illo prædicatur in secundo modo, ergo &c. Neque paritas inducta a Fabro de privatione, quæ est principium rerum naturalium, ejus solutionem ullo pacto confirmat, immo potius enervat, ex hoc enim quod privatio non dicit aliquid positivum, ideo non ponitur principium compositi physici in facto esse, sed tantum in fieri neque hoc nisi per modum objectionis, & termini a quo. Cæterum passio, quamvis non sit principium sui subjecti constitutivum, adhuc tamen in eo manet, ut aliquid spectans ad complementum ejus in esse secundario, & ideo aliquid positivum importare debet ut passio dicatur proportionari suo subjecto; tum quia opus non est quod principium præsertim in fieri suo *principiato* identificetur, & ideo privatio esse potest principium in fieri rerum naturalium per modum objectionis, sed passio petit identificari cum suo subjecto, non ergo est par ratio de principio in fieri respectu rei naturalis, & de passione respectu sui subjecti. Nec tandem nos movere debet Scoti auctoritas allegata quol. 18. tum quia illas bonitas primaria entis, de qua Doctor ibi loquitur, non est proprie illa, quæ est passio entis, ut postea dicemus; tum quia cum inquit Doctor importare positive negationem imperfectionis, non id formaliter accipiendum est, sed tantum concomitanter, ut bene notavit Vulp. cit. dicit enim formaliter modum quemdam positivum quidditativæ perfectionis, quatenus quidditas perfecta est in determinato gradu, quem modum concomitatur necessario negatio imperfectionis; & hoc ipsum expresse significavit Doctor, cum inquit bonitatem importare illam negationem positive, est enim perinde, ac si dixisset, importare formaliter illud positivum, quod concomitatur negatio imperfectionis.

254 Tertio tandem, quod positivum per bonitatem importatum sit formalitas enti superaddita, & ab ejus essentia aliquo pacto ex natura rei saltem virtualiter distincta, quæ erat extrema conclusionis pars, patet ex dictis in simili de passionibus entis generatim disp. 4. d. 1. & in speciali de Unitate in hac disp. qu. 4. art. 2. & de Veritate, qu. 6. art. 2. nu. 145. non enim dicit bonitas formaliter ipsam rationem entitatis, alioquin bonitas esset quid sinonymum cum ente, tum quia hæc duo diversis conceptibus, ac definitionibus a nobis concipiuntur, & explicantur, atqui si conceptus entis comparetur cum conceptu bonitatis, prior utique erit ille, & ex illo velut ex radice posterior iste dimanat, & ille est conceptus quidditativus, iste vero qualitativus, ergo bonitas dicit formalitatem superadditam enti. Et præterea cum bonitas nequeat in suo conceptu entitatem includere, quamvis ei identificetur, & aliquid ei addere, quia proprietas intrinsece non includit in conceptu suo naturam, sive essentiam sui subjecti, hinc sequitur 1, formalitatem ei superadditam aliquo pacto ex natura rei ab ipso, esse distinguendam. Conf. totus iste discursus, quia bonitas ab omnibus ponitur esse passio entis, ut videbimus quæst. seq. unde ens se habet velut subjectum respectu ipsius, sed subjectum ponitur in definitione passionis, tamquam additum, idest tamquam aliquid extra essentiam ipsius 1. Post. tex. 6. & 7. Met. tex. 4. 17. & 19. & passio e contra prædicatur de subjecto in secundo modo dicendi per se, ergo bonitas & ens ex natura rei abinvicem distinguuntur, siquidem non seinvicem includunt essentialiter.

Resp. Pasqual. disp. cit. 73. sect. 1. n. 6. cum Suarez, aliisque Recentioribus passiones entis non esse passiones proprie dictas, & cum omni rigore, sed tantum quædam attributa, & ideo non debere servare cum rigore conditiones passionis proprie dictæ; sed sufficere, si aliquo modo imitentur illas, quæ imitatio in hoc consistit, quod quodammodo qualificant ipsum ens, & veluti illi adjacent, verum non possunt servare alteram conditionem passionum, quod subjectum non dicatur de ipsis quidditative, & quod solum tamquam additum, & in obliquo ponatur in earum definitione, quia cum subjectum ipsarum sit essentialiter transcendens, & prima ratio realitatis, necessario intime debet imbibi ipsis, atque ideo non debemus eodem modo de ipsis philosophari, ac de cæteris rerum passionibus, & Arist. in cit. loc. non loquitur de his attributis, sed de passionibus proprie dictis. Verum disp. 4. q. 1. n. 10. & 11. abunde probavimus passiones entis esse ita proprie dictas, ut ipsis quoque competat altera conditio, quod subjectum non dicatur de eis quidditative, nec in earum definitione includatur, nisi ut additum; neque in oppositum obstat, quod ens sit essentialiter transcendens, & prima ratio realitatis omnium, quia ut sæpe in superioribus dictum est, ens non dicitur transcendens, & prima ratio realitatis omnium, quia in omnibus intrinsece, & essentialiter imbibatur, ut in allata responsione dicitur, sed quia aut includitur, aut saltem realiter, & identice, nam talis identitas sufficit, ut etiam transcendens dicatur respectu suarum passionum, atque modorum, & prima ratio realitatis earum; omnes ergo conditiones propriæ passionis conveniunt istis affectionibus entis, & solum a cæteris in hoc differunt, quod aliæ important propriam realitatem Metaphysicam ab essentia subjecti Metaphysice dimanantem, ac proinde propriam distinctionem ex natura rei formalem, & actualem fundant a suo subjecto, quod de passionibus entis verificari non potest, quia nec ipsæ proprias præferunt realitates, nec ens earum adæquatum subjectum, sed tantum inadæquatos conceptus, ob eorum transcendentiam, ac proinde rigorosam distinctionem formalem fundare nequeunt, ut disp. 4. cit. declaratum est nu. 9.

255 Cæterum, num hæc formalitas positiva, quam importat ratio formalis bonitatis, sit absoluta, vel respectiva, respondendum est juxta dicta in simili de Unitate supra n. 220. & de Veritate n. 146. nam si de bonitate loquamur, ut re vera nunc loquimur, secundum id, quod importat a parte rei, nec absoluta, nec relativa est formaliter loquendo, sed ab utroque præscindit, sicut ens ejus subjectum, cum sit æqualis abstractionis, & latitudinis cum ipso, permissive tamen est utrumque, quia in ente absoluto est absoluta, & in relativo relativa. Unde male in hoc sensu ponit Vulpes disp. 11. cit. art. 2. bonitatem transcendentalem præseferre respectum aptitudinalem realem appetibilitatis tam in Deo, quam in creatura, quia tunc non esset æqualis abstractionis cum ente, tum quia divina bonitas in ordine ad creaturam non bene statuitur in aliquo respectu reali, cum Deus nullam dicat realem relationem ad extra, sive prædicamentalem, sive transcendentalem, quod & ipse Vulpes fatetur d. illa 11. ar. 1. n. 7. ubi occurrens cuidam argumento Vasq. inquit Deum dici absolute bonum formaliter bonitate primaria, & etiam dici bonum bonitate secundaria, non per aliquem respectum ad extra; unde non satis sibi constare videtur, dum postea art. 2. n. 6. occurrens argumento Suarez concedit Deum dici bonum formaliter per aliquam relationem realem, quod immediate art. præced. negaverat, quam nec ibi explicat quæ, & qualis sit; non ergo in hoc sensu de bonitate loquendo secundum quod importat a parte rei, *dici* non potest importare relationem, at loquendo de bonitate secundum id, per quod solet explicari a nobis, videtur importare formalitatem relativam, juxta namque *capacitatem nostram commodius* explicatur a nobis per rationem, quam per absolutum, ut postea dicemus.

256 Dicendum secundo, bonitatem, ut importat perfectionem, & integritatem rei in proprio esse essentiali, & in suo ordine, non esse proprie passionem entis, sed potius modum ejus intrinsecum. Conclusio statuitur contra secundam sententiam ab initio quæstionis relatam, quæ bonitatem in hoc sensu ponebat esse passionem entis; diversimode autem hæc conclusio probatur a diversis; Suarez disp. 10. cit. sect. 1. n. 11. ita probat, quia nihil est magis essentiale enti reali, quam habere aliquid perfectionis, & donec concipiatur aliquid, ut ens alicujus perfectionis, non concipitur ut ens reale, cum ergo ens sine hac ratione perfectionis concipi nequeat, bonitas in hoc sensu non erit passio, sed ipsa essentia, vel saltem de essentia entis. Conf. ex Pasqual. disp. cit. 73. sec. 3. n. 9. quando dicimus ens esse perfectum essentialiter, significamus nihil ei deesse ad essentialem constitutionem, sicut *cum dicimus hominem esse perfectum* in ratione hominis, nil aliud significamus, quam nihil deesse in ratione hominis; cum autem dicimus ens esse bonum, non solum *significamus nihil* ei deesse, quod pertineat ad constitutionem entis, sed aliquid amplius, quod explicite non dicat ratio entis, alioquin non posset bonitas constitui pro passione entis, passio enim debet saltem aliquid explicare, quod non explicat subjectum, quod tamen non contingit, si bonitas formaliter ponatur in perfectione rei, quæ non explicat aliquid diversum ab esse rei, sed explicat ipsum esse rei, quatenus habet id, quod requirit ad suimet constitutionem.

Vasquez disp. 23. cit. n. 18. ut huic argumento occurrat, contendit, aliquam reperiri distinctionem inter ens, & perfectum saltem penes implicitum, & explicitum, quia concipere possumus in confuso ens sub ratione ejus, quod est, & tale ens sub ratione talis essentiæ, non explicite concipiendo hanc rationem perfectionis, & integritatis, qua ens dicitur absque defectu habere quicquid pertinet ad rationem ejus, quam quoque solutionem recipit Aversa. loc. cit. ut bonitatem etiam in hoc sensu defendat esse passionem entis. Cæterum aliqui apud Arriag. disp. 1. cit. sect. 6.

censent hanc solutionem non esse sufficientem, quia *licet* perfectum differat ab ente secundum conceptum magis explicitum, non tamen semper id sufficit ad rationem passionis, ut animal rationale non est passio hominis, *licet* conceptus sit magis explicitus, quam conceptus hominis; requiritur ergo ulterius, ut consequatur ille conceptus quasi ratione nostra essentiam, ut possit esse ejus passio, quod Suar. negaret de conceptu ipsius perfecti respectu conceptus entis. Potest tamen responsio Vasq. ab hac impugnatione defendi, dicendo, quod esto definitio, & definitum, subjectum, & passio differant penes explicitum, & implicitum, *non tamen* eodem modo, quia subjectum, & passio differunt penes explicitum, & implicitum ex parte objecti, quatenus passio aliquam formalitatem objectivam explicat, quam non explicat subjectum; at definitio, & definitum *differunt per explicitum*, & implicitum tantum ex parte actus, quatenus per definitionem clarius explicatur, quod per subjectum magis confuse dicebatur, non autem ex parte objecti, quia nullam novam formalitatem exprimit definitio, quæ per subjectum non importaretur; per quam doctrinam impugnatur Ovied. controv. 3. cit. punct. 4. ubi n. 2. ex hoc probat bonitatem etiam in hoc sensu dici posse passionem entis, quia ex parte actus differt ab ente per explicitum, & implicitum, inquitque id sufficere ad rationem passionis, quod prorsus falsum est, quia etiam definitio, & definitum in hoc sensu differunt penes explicitum, & implicitum ex parte actus, & tamen definitio non est passio definiti, & præterea certum est, inter subjectum, & passionem majorem versari *differentiam*, quam *inter definitum*, & definitionem.

257 Itaque de solutione Vasquez ad argumentum Suarez hoc judicium fero, optime ostendere perfectionem, & integritatem in essentialibus utique non *pertinere ad purum conceptum* quidditativum entis, ut sic confuse intellectum sub præcisa ratione essendi abstrahendo a quocumque modo, nam talis integritas, & perfectio potius ad modum, & gradum essendi pertinere videtur, quam ad puram, & simplicem rationem essendi, ut sic; attamen ex hoc quod non pertineat ad purum, & nudum conceptum quidditativum entis inferre statim non debere, quod sit passio entis, nam cum hoc stare potest, quod sit modus intrinsecus ejus; talis enim est natura modi intrinseci, ut declaratum est disp. 2. de natura entis q. 6. art. 1. a n. 147. ut sit intimior passione, & eximior prædicatis quidditativis; qua de causa solent Scotistæ passim dicere modum intrinsecum proprie non pertinere ad secundum modum dicendi per se, in quo passio dicitur de subjecto, sed potius ad *primum modum*, *quia aliquo pacto* pertinet ad quidditatem rei, quatenus perfectæ, & adæquate quidditas nequit concipi non intellecto modo intrinseco, non tamen attinet ad primum gradum perfeitatis primi modi, in quo reponuntur tantum prædicata pure quidditativa ex dictis p. 2. Inst. Logica tr. 1. c. 3. cum ergo perfectio, & integritas hoc pacto ad ens se habere videatur, ut mox dicemus, ex hoc quod non pertineat ad purum, & nudum conceptum entis quidditativum, non licet (inquam) inferre, ut facit Vasq. quod sit propria entis passio, & de ipso prædicetur præcise in secundo modo.

Arriag. loc. cit. ut tueatur bonum in hoc sensu esse passionem entis, aliter respondere videtur ad argumentum Suarez, & inquit hoc quod est, *nihil deesse enti ad suum esse*, non esse *definitionem entis*, aut ipsum definitum, definitio enim entis est, posse existere, definitum autem est ipsum ens, unde nihil deesse erit conceptus secundarius, & sic etiam erit passio, non secus ac esse unum est *ejus passio*. *Sed* & *hæc quoque* solutio in eo deficit, quod licet concedatur *hoc*, quod est, nihil deesse enti ad suum esse, non esse definitionem entis; & purum ejus conceptum quidditativum, immo esse conceptum aliquo pacto secundarium respectu ejus, quia non exprimit rationem entis, ut sic, sed sub tali, vel tali modo essendi, v. g. in tali gradu perfectionis; hinc tamen inferre non licet, ut contra Vasq. arguebatur, quod sit passio entis, quia est aliquid intimius passione, neque verum est universaliter loquendo, omnem conceptum rei secundarium esse passionem, sed tantum illum qui directe pertinet ad secundum modum dicendi per se, qualis non est conceptus secundarius per modum intrinsecum importatus.

258 Secundo hanc eandem conclusionem probat Blasius a Conc. disp. cit. 24. q. 1. concl. 2. quia complementum, & integritas alicujus rei pertinet, & reducitur formaliter ad rem illam, cujus dicitur esse complementum, & integritas, ergo integritas, & complementum conceptus entis pertinet, & reducitur ad ipsam entis essentiam, perficitque solum conceptum entis intra conceptum entis, nec alium ab ipso distinctum exprimit; ergo cum bonitas dicat conceptum distinctum a conceptu entis, non debet constitui per integritatem ejus. Conf. quia perfectum, & imperfectum distinguuntur solum tanquam magis, & minus intra eandem rationem, ergo ens magis, vel minus integrum, magis vel minus perfectum distinguetur solum tanquam magis, & minus intra eundem conceptum entis. Hæc etiam ratio non bene probat, sicut intendit ejus Auctor, integritatem, & perfectionem entis in se pertinere ad ejus puram, & nudam quidditatem, sed solum ad eam pertinere, ut modum ejus intrinsecum; re etenim vera modus intrinsecus, ut loc. cit. explicatum est, reducitur *formaliter* ad *rem illam*, quam dicitur modificare; qua de causa dicitur non importare proprium formalitatem, nec habere distinctum conceptum objectivum a conceptu rei, cujus est modus, eo pacto, quo ibidem explicatum est n. 150. sicut solet habere passio; quia est veluti gradus intrinsecus suæ quidditatis, & solum ea ratione illam determinare dicitur, quia illam intra seipsam perficit, & ad conceptum intrinsecum

ejusdem rei pertinere dicitur, quatenus perfecte, & adæquate quidditas nequit concipi non intellecto modo intrinseco, sed solum inadæquate, & confuse, ut explicat Doctor diserris verbis 1. dist 8. qu. 3. ad 1. prin. bene igitur probat hæc ratio cum sua conf. perfectionem, & integritatem entis non esse ejus passionem proprie dictam, non tamen probat esse prædicatum pure quidditativum, ut ejus Auctor intendere videtur.

Tertio probat hanc conclusionem Pasqualig. cit. tali ratione, ipsum ens prout dicit præcisam rationem essendi, & contradistinguitur a propriis attributis, dicit aliquam perfectionem, ipsam nimirum rationem essendi, ratio enim essendi est aliqua perfectio, sicut talis ratio essendi est talis perfectio, unde si bonitas consisteret in perfectione rei, subjectum ut contradistinctum ab attributo, diceret attributum, quod implicat. Conf. quia esse rei essentiale non est prius integritate essentiali, non enim ante integritatem rei habetur res integra, atque adeo neque essentia ipsius; cum enim essentia constitat in indivisibili, ut in suo esse subsistat, requirit quicquid necessarium est pro integritate essentiali, cum ergo integritas non supponat esse rei constitutum, sed potius per ipsam esse rei constituatur, tunc enim intelligitur integra hominis essentia, cum integratum concipitur ex anima, & corpore physice, ex animali, & rationali metaphysice, sequitur evidenter integritatem non esse entis passionem, sed potius ipsammet ejus essentiam constitutam. Hæc quidem ratio efficacius cæteris probare videtur intentum; nempe integritatem, & perfectionem entis in suo esse essentiali non esse ejus passionem, sed potius formalem quidditatem; tamen advertendum est ipsam rei perfectionem, ac integritatem, in suis prædicatis essentialibus, quæ a Doctore vocatur bonitas primaria entis, dupliciter sumi posse, scilicet formaliter, vel fundamentaliter, quo pacto inquit Doctor 1. d. 1. quæst. 2. lit. K. quod perfectio, vel bonitas primaria est entitas quidditativa; si ergo Pasqualig. sumit in argumento perfectionem, & integritatem hoc secundo modo, scilicet fundamentaliter, bene procedit ejus ratio cum sua confirmatione, quod nimirum ens, ut dicit præcisam rationem essendi, dicit perfectionem, & quod integritas, seu coadunatio prædicatorum essentialium rei est tota, & adæquata rei essentia. Cæterum si sumantur formaliter, prout nimirum perfectio importat perfectionem essentialem entis in se secundum determinatum gradum, vel potius inchoationem talis determinati gradus, & integritas pro relatione quadam, quæ intelligitur consequi in re ex coadunatione prædicatorum quidditativorum, sane in hoc sensu loquendo, licet bene probet argumentum non esse passionem entis, non tamen probat esse ipsam puram, & nudam rei quidditatem, ut Pasqual. intendit, quia perfectio in hoc sensu non pertinet ad puram rationem essendi, ut sic, sed potius ad modum essendi, in tali nimirum, vel tali gradu perfectionis, & integritas in hoc sensu non antecedit, vel constituit essentiam rei, sed potius subsequitur, & concomitatur, ut modus rei intrinsecus, adeout quamvis intellectus affirmare nequeat rem aliquam essentialiter posse subsistere sine integritate partium essentialium, potest tamen rem confuse considerare non attendens ad illius integritatem, quæ ex partibus essentialibus resultat, ut bene dicebat Vasquez loc. cit. Alia etiam ratione id probat Smising. quæ nihil prorsus concludit.

259 Quarto igitur melius probatur conclusio ostendendo primam partem conclusionis per secundam, nempe probando bonitatem acceptam pro perfectione, & integritate rei non esse passionem entis, quia est modus, & gradus intrinsecus cujuscumque naturæ in se, nam bonitas in hoc sensu nihil aliud est, quam perfectio essentialis, quidditativa, & gradualis, seu magnitudo perfectionis cujuscumque naturæ, hæc autem ut docet Scot. quolib. 6. §. *contra ista*, non est passio entis, sed modus intrinsecus cujuscumque entis, secundum quem dicitur esse vel in illo gradu essentiali, & specifico entis, & dicitur æquale, vel inæquale alteri, excedere, vel excedi, mensurare, vel mensurari; ait enim Doctor ibidem, quod bonitas essentialis, qua una species est melior alia, non est res addita essentiæ, & quod magnitudo perfectionis non est aliud realiter ab eo, cujus est, sed modus ejus intrinsecus, unde inquit ibid. paulo supra, quod circumscripta a divina essentia per possibile, vel impossibile omni proprietate, ipsa adhuc habere intelligitur propriam magnitudinem, scilicet propriam infinitatem, sicut etiam essentia creata omni proprietate seclusa habet propriam finitatem, unde per hanc perfectionem essentialem unaquæque res constituitur in certo gradu entis, & per eandem inter se distinguuntur, & ordinantur entia, si enim distinguitur ens in finitum, & infinitum secundum perfectionem essentialem, quam etiam veluti communem omnium sententiam docet Suarez disp. 10. cit. q. 1, n. 14. & veluti Scoti germanam agnoscit nedum Suar. ibidem, sed etiam Meur. loc. cit. ubi & eam probat hac ratione ex Scot. loc. cit. deducta, quia diversæ, & inæquales naturæ non sunt diversæ, & inæquales, excessæ, vel excedentes per suas proprietates, vel per aliquid accidentarium omnino posterius ipsis, sed per ipsosmet suos gradus quidditativos, & specificos habent, quod sint æquales, vel inæquales, excessæ, vel excedentes, ergo bonitas illa absoluta quæ consistit in magnitudine perfectionis, secundum quam res habent istam inæqualitatem gradualem inter se, nequit esse proprietas naturam entis consequens, sed est modus intrinsecus earum rerum, quibus competit excedere, vel excedi, mensurare, vel mensurari, & potest etiam dici modus intrinsecus entis ut sic, quatenus est initium talis magnitudinis perfectionalis.

Ex hoc loco quolib. 6, §. *contra ista*, ubi Doctor bonitatem essentialem, qua una species est melior alia, vult esse modum intrinsecum cujuscumque naturæ, non autem entis passionem, declarari potest alter locus supra n. 250. adductus ex quol. 18. §. *de primo*, ubi duplicem entis bonitatem distinguit, unam absolutam, quam vocat primariam, & essentialem, alteram respectivam, quam vocat secundariam, & accidentalem, nam per primariam non intelligit illam, quæ est passio entis, ut Tatar. & Gadius dicebant, & Faber, sed illam, quæ est modus intrinsecus cujuscumque naturæ, ut exponebat Lichet. hoc enim clare deducitur ex loc. cit. quol. 6. ubi hanc bonitatem essentialem entis ait esse modum intrinsecum, non autem passionem ejus, quare bonitas, quæ est passio entis, ad aliud membrum potius pertinebit, nimirum bonitatis secundariæ, ut postea explicabimus. Meuriisse vero loc. cit. ut tueatur bonitatem, quæ est passio entis, ad primum membrum pertinere, scilicet bonitatis primariæ, & absolutæ, eam subdistinguit, dicens, unam esse quidditativam, & alteram pure entitativam, primam inquit esse modum intrinsecum entis, alteram vero passionem ejus, quam bonitatem pure entitativam satis perplexe ibi declarat, inquit enim consistere in veluti possessione eorum omnium, quæ conveniunt enti, ut sic, ita quod quemadmodum actus moralis dicitur bonus, quando habet omnes conditiones, & circumstantias, ex quibus integratur ejus bonitas, ita ens dicitur bonum, quando habet id omne, quod sibi convenit; unde tandem concludit, quod hujusmodi bonitas nihil aliud est, quam perfectio entis, vel sane parum differt ab illa. Ex quibus ultimis verbis pater, hanc Meuriisse subdistinctionem bonitatis primariæ in quidditativam, & pure entitativam esse prorsus fictitiam, & chimæricam, quia nescit & ipse hanc ab illa distinguere; tum quia hæc sua declaratio bonitatis pure entitativæ potius pertinet ad bonitatem secundariam a Scoto assignatam, nam ut supra ex textu Doctoris relatum est, assignat ipse duplicem modum bonitatis secundariæ, & unus ex illis erat tunc aliquid dici bonum, cum habet id, quod sibi convenit, quo pacto cibum dicebat esse bonum, quia habet saporem sibi convenientem; inepte ergo est illa Meuriisse distinctio bonitatis primariæ in quidditativam, & pure entitativam, nam bonitas primaria ex suo genere est essentialis, & quidditativa, & talis appellatur ibidem a Doctore; bonitas vero pure entitativa, quæ ponitur passio entis, non pertinet ad bonitatem primariam, sed ad secundariam modo infra explicando, vel saltem ad illam reduci potest.

260 Quinto tandem acceptio bonitatis in hoc sensu, ut est modus intrinsecus, & gradus perfectionalis cujuscumque naturæ, probari potest ex sententia D. Aug. lib. de natura boni cap. 4. ubi docet rationem boni consistere in modo, specie, & ordine, quem loquendi modum tenet, & varie declarant D. Thomas 1. part. quæst. 5. art. 5. Alensis 1. part. qu. 18. membro 1. & Scotus 1. dist. 3. quæst. 5. §. *Quantum ergo ad secundum*; hæc, inquam, D. August. sententia de Bonitate creaturarum præcise intelligenda est, eam namque deducit ex illo Sap. 7. *omnia in numero, pondere, & mensura fecisti*, adeo quod modus, species, & ordo idem sunt, quod mensura, numerus, & pondus, in quibus Deus omnia disponit, quæ tria ita declarat Doctor loc. cit. ex eo enim, quod quælibet natura, ac essentia creata habet determinatum quendam gradum perfectionis, & non est infinitæ perfectionis, dicitur ejus bonitas consistere in modo, & mensura; ex hoc, quod gradus perfectionis ejus permanentes sunt, & non variabiles, alioquin una species posset in aliam transire, dicitur ejus bonitas consistere in numero, & specie, species enim rerum ex 8. Met. 10. se habent sicut numeri, in quibus una unitas addita numero statim variat ejus speciem; ex hoc denique quod unaquæque propendet, & ordinatur ad aliquam operationem, dicitur ejus bonitas consistere in pondere, & ordine, vel potius ex hoc, quod secundum præfatum perfectionis gradum entia inter se ordinantur, ut supra dicebamus; & sic patet, quomodo hoc August. dictum valde favet huic acceptioni bonitatis, ut est gradus intrinsecus perfectionalis cujuscumque rei creatæ, & exacte illam explicat. Quamvis tamen hoc dictum de bonitate creaturarum præsertim intelligatur, & ab Aug. in hoc sensu asseratur, adhuc tamen ampliari quoque potest ad Deum, quatenus & ipse habet hanc perfectionem essentialem in summo gradu, & in perfectione excedit entia omnia, ac proinde est metrum, & mensura cæterorum; immo etiam ampliari potest ad ens, ut sic, transcendentaliter sumptum, quamvis enim complete, & determinate affignari nequeat in ipso modus, species, & ordo, assignari tamen potest inchoative, quatenus ipsum ens transcendenter sumptum est initium modi, speciei, & ordinis in cæteris rebus, licet secundum se abstrahat a determinatis rationibus eorum; unde & bonitas primaria entis in hoc sensu dici potest consistere in modo, & specie, & ordine juxta phrasim August.

261 Dicendum tertio bonitatem, ut est passio entis, non consistere formaliter in unius rei convenientia cum alia re, cui convenientes, & consentanea dicitur. Hæc conclusio statuitur contra secundam sententiam ab initio quæstionis adductam, & colligitur ex Sc. quol. 18. cit. §. *de primo*, ubi hanc bonitatem in convenientia sitam, per quam sanitas dicitur bona homini, quia sibi conveniens, & cibus dicitur bonus, quia habet saporem sibi convenientem, vocat bonitatem acci-

accidentalem, & supervenientem entitati, per quem loquendi modum videtur innuere Doct. bonitatem in hac acceptione non esse enti intrinsecam, & realiter identificatam? sicut passio solet identificari subjecto, sed esse illi extrinsecam, & adventitiam. Probari autem solet hæc conclusio pluribus rationibus, Probat in primis Vasquez disp. 23. c. 2. quia si sic, tunc Deus non esset in se formaliter bonus, sed solum ex ordine, quem habet ad creaturas, & proinde ab eis penderet in sua bonitate. Hæc tamen ratio non valde efficax videtur, vel enim Vasquez per hanc rationem inferre intendit, quod Deus ex se non haberet bonitatem, sed illam mutuaret, & mendicaret a creaturis, & hoc sane non sequitur, ut & ipse fatetur, quia Deus ex se, & ex sua intrinseca perfectione diceretur conveniens creaturis, sed tantum sequitur talem bonitatem esse relatam ad ipsas, atque ita bonitatem Dei pendere ad creaturas, non autem a creaturis, ut bene Durand. ajebat: vel tantum inferre intendit ex hac sententia sequi Deum in se non esse bonum, sicut est sapiens, & infinitus, antequam intelligantur creaturæ possibiles, & tunc ista non est specialis difficultas de bonitate, sed æque militat de omni scientia, omnipotentia, aliisque perfectionibus Deo convenientibus per respectum ad extra, ut Vasquez ipse fatetur, & tunc de bonitate discurrendum, sicut de aliis perfectionibus consimilibus, quod videlicet Deus dicitur quidem fundamentaliter bonus absque ullo respectu ad creaturas per aliquam perfectionem absolutam, formaliter tamen talis non denominatur, nisi vel per respectum rationis ad eas fundatum super illam, vel per terminationem realis respectus creaturarum ad ipsum, ut dictum est disp. 8. Log. quæst. 5. art. 1. in fine ex Scoto 1. d. 35. 36. & 43. cui accedit, quod Deus etiam diceretur in se, & absolute bonus bonitate primaria præcedenti conclusione jam explicata omnino independenter a creaturis.

Secundo probat idem Vasquez, quia data hac sententia non magis bonum diceretur passio transcendentalis entis, quam malum, & sic creaturæ non dicerentur magis transcendentaliter bonæ, quam malæ, quod errori Manichæorum favere videtur constituentium res quasdam sua natura malas; Probatur consequentia, quia qua ratione res sunt quibusdam convenientes, & ita bonæ, eadem ratione sunt alii disconvenientes, & ita malæ, ut venenum est serpenti conveniens, homini disconveniens. Hæc quidem ratio longe efficacior est præcedenti, qua proinde utuntur etiam Hurtad. Blasius a Conc. Pasqual. & alii loc. cit. Attamen nititur Aversa respondere q. 2. sect. 7. dicens non debere malitiam hujusmodi assignari, tanquam passionem entis, ut bonitatem, tum quia non est ita universalis, & adæquata, non enim omnis res est alicui alteri mala, & disconveniens, sicut omnis res est alicui conveniens; tum quia omnes res ex ipsa ratione entis habent quod sint convenientes, & bonæ, aliquæ autem habent rationem disconvenientis, & mali respectu alicujus particularis subjecti ob specialem rationem ipsius subjecti. Tum tandem quia ad summum admitti potest in illis rebus, quæ sunt partim convenientes, partim disconvenientes, passionem illarum esse non tantum convenientiam, sed etiam disconvenientiam, non tantum bonitatem, sed etiam malitiam, & hoc nullum est inconveniens.

262 Hæc tamen solutio ex nullo capite difficultati satisfacit, falsum enim in primis est non omnem rem esse posse alteri disconvenientem, sicut quælibet est alteri conveniens, quia nullum ens est, quod nequeat esse alicui disconveniens, nam & Deus ipse est principium alicujus mali disconvenientis dæmonibus, & damnatis, ergo malum erit universaliter attributum entis perinde, ac bonum. Deinde concesso etiam non omnem rem esse alteri disconvenientem, saltem in illis rebus, quæ sunt partim convenientes, partim disconvenientes, non minus bonitas erit illarum passio, quam malitia, quod licet gratis concedat Aversa, tamen favere videtur errori Manichæorum, quia saltem esset aliquod ens ex natura sua malum perinde ac bonum. Quod autem ait bonitatem absolute loquendo potius dici debere passionem entis, quam malitiam, quia res sunt sibi invicem convenientes ex hoc ipso, quod entia sunt, sunt autem disconvenientes ob specialem earum rationem, hoc etiam prorsus falsum est; quia eadem quoad hoc est ratio convenientiæ in rebus ad seinvicem, ac disconvenientiæ, sicut enim una res dicitur alteri disconveniens ob aliquam antipathiam inter ipsas exortam ex specialibus earum rationibus, ita convenientia unius rei ad aliam provenit ex aliqua qualitatum simpathia; unde cum istæ qualitates rebus illis conveniant, non sub ratione præcisa entis, sed quatenus talia entia, certe quod unum ens sit alteri conveniens, hoc ei non competit, ut ens est simpliciter, sed ut est ens determinatum ad hanc, vel illam speciem, atque ideo absolute loquendo nec convenientia, nec disconvenientia debet poni illarum rerum proprietas, ut entia sunt, sed præcise ut talia entia sunt, illud autem quod convenit enti, non ut ens simpliciter, sed ut est tale ens, non potest esse passio entis, ut sic. Conf. quia ut aliquid sit conveniens alteri, debet esse talis naturæ, ut aliquam perfectionem ei afferat, qua illud aliud caret, quia si illam haberet, jam illam non exigeret, ut patet de sanitate respectu hominis, ergo nequit aliquid esse conveniens alteri secundum rationem entis, ut sic, sed solum secundum rationem talis entis ab eo condistincti, cui conveniens dicitur; assumptum patet, probatur consequentia, quia quælibet res rationem entis participat, & ideo nequit ex ratione entis aliquam perfectionem recipere ab alia, quam ipsa non habeat; & hæc impugnatio potest esse

ratio principalis, & præcipua ad probandam conclusionem istam, quod nequeat bonitas, ut est passio entis, consistere in convenientia unius rei ad aliam, quia talis convenientia non fundatur in ratione entis, ut sic, sed in specialibus naturis rerum, quæ ratio colligitur ex Scot. 3. d. 15. qu. unic. §. *potest aliter dici*, ubi de hac loquitur bonitate.

Tertio probat Pasqualig. si intellectus concipiat, rem tantum aliquam determinatam esse possibilem, cætera vero omnia impossibilia, ex hac fictione intellectus sequitur ablatio convenientiæ, qua res sit conveniens alteri, nec tamen auferetur bonitas, cum enim remaneat ens, quod est radix bonitatis, debet etiam remanere bonitas in ipso radicata, & hoc ipso, quod esset ens, esset etiam bonum, siquidem haberet in se totum id quod de facto habet. Hæc ratio absolute inspecta non concludit, alioquin probaret pariter nec veritatem posse constitui in conformitate ad intellectum, nec bonitatem in convenientia ad appetitum, nam etiam fieri potest hypothesis, quod intellectus, & appetitus repugnet in rerum natura, & alia omnia entia sint possibilia, quæ tamen adhuc essent vera, & bona; quemadmodum ergo dictum est ad simile argumentum supra n. 171. de veritate confectum, quod illa entia essent vera fundamentaliter tantum, non autem formaliter sic pariter in proposito dici deberet ab Auctoribus secundæ sententiæ, & cum inquit, quod tale ens existens implicantibus aliis esset formaliter bonum, quia adhuc hac stante hypothesi haberet totum id, quod habet de facto, hoc falsum est, quia non haberet talem convenientiam cum aliis rebus modo existentibus, vel saltem possibilibus, quam de facto habet; verum tamen est, quod licet data illa hypothesi non diceretur illud ens bonum formaliter hac bonitate secundaria, quæ consistit in convenientia, adhuc tamen dici posset bonum bonitate primaria, quæ est modus intrinsecus ejus, per quod sufficienter solutum manet argumentum.

263 Quarto probat idem Pasqualig. non potest intelligi convenientia, qua unum sit conveniens alteri, nisi intelligatur facta divisio entis, atque determinatio per sua inferiora, hæc enim convenientia fundatur in multiplicitate entium, alioquin quomodo intelligeretur unum ens conveniens alteri, nisi interveniret multiplicitas entium? hæc autem multiplicitas non habetur, nisi per divisionem, & determinationem entis, ut sic, importat enim entia determinata; si ergo bonitas consisteret in hac convenientia, non prius haberetur in ente bonitatis, quam divisio, & determinatio entis ad inferiora, quod tamen dici nequit, quia bonitas est passio entis, quæ illi competit antecedenter ad omnem ejus determinationem ad inferiora. Forte quispiam hanc rationem opinabitur inutilem, eo quia pariter probare videtur bonitatem non posse constitui in convenientia ad appetitum, & veritatem in conformitate ad intellectum, quia talis convenientia intelligi nequit, nisi facta entis determinatione ad hæc sua inferiora. Sed in primis nos non asserimus veritatem, & bonitatem consistere in his respectibus secundum id, quod important a parte rei, nam in hoc sensu præscindunt ab absoluto, & respectivo, sicut & ipsum ens, sed tantum secundum id, per quod solent a nobis explicari. Deinde longe diversa est ratio de *convenientia* unius rei ad aliam, & de convenientia ipsius *entis*, ut sic, ad intellectum, vel voluntatem; ad primam enim *convenientiam* necessario requiritur multiplicitas entium, ejusque actualis distributio facta in inferiora, quia talis *convenientia* fundatur in multiplicitate entium, & extrema talis convenientiæ sunt ipsa extrema entis; sed ad aliam convenientiam id non requiritur, quia talis convenientia fundatur, & radicatur in ipsa entis formalitate ut sic, & ad intellectum, & voluntatem terminantur, non proprie ut sunt ejus inferiora, sed ut sunt potentiæ universales, & comprehensivæ totius entis, atque ideo quodammodo illi adæquatæ.

Ratio igitur a priori hujus conclusionis, quæ ex præcedentibus deducitur, est, quia bonum per talem convenientiam dictum debet consistere in re aliqua, quod dicat proprium esse determinatum, secundum quod sit alteri communicabile, itaut per hanc communionem conferat illi perfectionem aliquam, sic enim dicitur sanitas bona homini, quia *ei* conveniens, & universaliter accidentia suis subjectis connaturalia, ut calor igni, frigus aquæ, unde non erit passio entis adæquata, quia non fundatur in ente ut sic, nec ab *eo*, ut sic, originatur, sed fundatur in ente determinato, quod habet rationem acquisibilis, & perfectionis respectu alterius, unde in hac convenientia consistit bonitas illa secundaria, quam memorat Doctor quol. 18. cit. ut constat ex ejus exemplis, quæ ex Aug. adducit pro ejus explicatione, quam proinde rationabiliter vocat accidentalem, & adventitiam *enti*, seu *enti* supervenienti, quia non oritur ex ratione *intrinseca entis*, ut sic, velut passio ejus adæquata, sed ex *supervenienti* differentia, quia est bonitas, & *convenientia* fundata in uno certo ente, ac determinato, quod dicitur alteri conveniens. Conf. adhuc bonitatem transcendentalem in tali convenientia unius ad aliud consistere non posse, nam viventia cuncta suum esse appetunt, velut sibi bonum, sed talis nequit esse bonitas, quæ consistat in convenientia unius rei respectu alterius, quia idem non distinguitur a seipso; cum ergo detur aliquod bonum, quod non consistit in convenientia respectu alterius, sequitur, bonitatem transcendentalem in eo non consistere, quia hæc universaliter convenit omni enti.

264 Denique adhuc evidentius probatur conclusio, si dicatur

cum Aureol. & Durand, hanc relationem convenientiæ unius rei ad aliam esse prædicamentalem, & de prædicamento relationis, quia posito ente in tota sua universitate, antequam in inferiora descendat, nulla habetur prædicamentalis relatio, & tamen habetur bonitas entis, quia in tali universalitate consideratum omnes, & singulas suas passiones habet. Tum quia bonitas transcendentalis, ut sit passio entis adæquata, debet habere eandem prorsus communitatem, & universalitatem, quam habet ens, alioquin cum ipso non adæquaretur, ergo nequit in relatione prædicamentali consistere, nam tunc importaret rationem entis determinati generis, unde cum ente ut sic non adæquaretur. Respondet Aureol. quod licet relatio per bonitatem importata sit in determinato prædicamento, tamen subjective est in omni prædicamento, quia potest denominare concretive omne prædicamentum, & ideo bonum in concreto magis proprie est transcendens, quam in abstracto, & ideo bonum dicitur converti cum ente, non essentialiter, sed denominative, & sic etiam loquitur Durand. Hæc tamen solutio nullius est momenti, nam ratio contrativa entis non adæquat ens, ut sic, cum minus pateat, & ideo neque in abstracto, neque in concreto potest ipsi tribui, tamquam passio; tum quia bonum in concreto non est passio entis, nisi ratione bonitatis in abstracto, si ergo bonitas in abstracto non est transcendens, nec convertibilis cum ente, nec etiam id ei conveniet in concreto; tum quia accipio hanc relationem bonitas in concreto, & rogo qualiter se habeat ad rem, quam denominat bonam, vel enim est relatio illi intrinseca, & realiter identificata, vel prorsus adventitia, & ab ea reipsa distincta; hoc secundum dici non potest, nam bonitas per se, & non per accidens rei bonæ convenit; nam hæc ab intrinseco habet, quod sit conveniens alteri, ex se quippe habet eibus, quod sit conveniens viventi, quia nutritivus, & forma materiæ, quia actus substantialis, & sic de cæteris; si primum, ergo talis relatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis, nam per hoc duo hæc genera relationum abinvicem distinguuntur, quod relatio transcendentalis per se rebus convenit, estque illis realiter identificata, prædicamentalis autem convenit illis accidentario modo, & ab eis est reipsa distincta.

265 Dicendum quarto, quod licet bonitas secundum id, quod a parte rei importat, in relatione consistere nequeat, quia ut sic ab absoluto, & respectivo præscindit, velut ens cujus est passio, si tamen consideretur juxta id, per quod potest a nobis explicari, melius explicatur per relationem convenientiæ ad appetitum, non quidem actualem, & prædicamentalem, sed aptitudinalem, & transcendentem, itaut bonitas transcendentalis in ipsa rei appetibilitate consistat. Hæc conclusio communior est inter Philosophos, & Theologos, ut in referenda quarta sententia dictum est, colligitur ex Scoto 4. dist. 48. qu. 1. lit. C. ubi inquit, quod ratio delectabilitatis, quæ est bonitas, esto possit non delectare, nequit tamen non esse delectabilis, quia delectabile, vel dicit aliquid ad se, vel si respectum, non nisi aptitudinalem, qui necessario consequitur fundamentum, & dist. 49. quæst. 1. §. *ad primam quæstionem*, assignans ordinem in appetibilibus in genere entis, dicit necessario deveniendum esse ad unum appetibile infinitum; quod sit in illo ordine simpliciter supremum, & tale erit infinite perfectum, quia tori enti congruit ratio appetibilitatis, quatenus est bonum; & in hunc etiam modum ita nobis describit, & explicuit Arist. rationem boni 1. Ethic. cap. 1. dicens *Bonum est, quod omnia appetunt*; Ex quibus patet, Scotum, quando quol. 18. duplicem illam assignavit bonitatem entis, scilicet primariam, & secundariam, proprie non esse locutum de bonitate, ut est passio entis, sed ut est vel ejus modus intrinsecus, vel accidens omnino extrinsecum, quia hæ tantum duæ bonitatis acceptiones præcipue inserviebant proposito suo, quod erat explicare bonitatem actus moralis, non sic autem idonea erat acceptio bonitatis pro appetibilitate, ut est passio entis; nonnulli tamen Scotistæ, ut Vulpes loc. cit. bonitatem in hac acceptione, ut est passio entis, reducunt ad bonitatem secundariam a Scoto assignatam quol. cit. si nimirum convenientia, de qua ibi loquitur Doctor, accipiatur pro convenientia aptitudinali comparatione appetitus agentis, quem movere apta est, ratione cujus res in se suapte natura dicitur appetibilis, vel per modum finis, vel per modum medii ad finem ordinati; parum autem refert, an hæc relatio convenientiæ rerum ad appetitum sit semper realis, vel interdum rationis, ut videtur de bonitate divina dicendum, quia Deus nullam relationem realem ad extra fundare potest, nec prædicamentalem, nec transcendentem, & tamen dicitur bonus creaturis, nobisque appetibilis; parum, inquam, id refert, quia hic non est sermo de bonitate entis secundum id, quod importat a parte rei, sed secundum id, per quod potest a nobis facilius explicari, & circumscribi, alioqui formalitas illa in ente, ut sæpe dictum est, nec absoluta, nec respectiva est formaliter, sed ab utroque præscindit, & post entis determinationem ad inferiora in entibus absolutis absoluta est, & in relativis respectiva; at tamen etiam in hoc sensu idem loquendi modus de bonitate tenendus est, quem de veritate docuimus superius n. 168.

266 Antequam vero ista conclusio probetur, pro recta ejus intelligentia notandum est, quod cum dicimus rationem boni in appetibilitate consistere, non loquimur de appetibilitate sumpta pro denominatione extrinseca ab appetitu, seu potentia vitali potente appetere, sic enim certum est, non constituere posse realem entis passionem, quia denominatio extrinseca non importat quid reale intrinsecum, & positivum in re denominata, quemadmodum importat passio in subjecto, sed sermo est de appetibilitate, quæ convenit enti ratione aptitudinis, ac intrinsecæ virturis, quam habet ad movendum, vel terminandum appetitum, sicut a pari, cum supra dicebamus veritatem entis consistere in intelligibilitate rei, sicut est, non erat sermo de intelligibilitate sumpta pro extrinseca denominatione ab intellectu, sed pro intrinseca virtute, & aptitudine movendi intellectum, vel terminandi actum cognitionis; ergo per appetibile intelligimus ipsam intrinsecam proportionem entis cum appetitu, quemadmodum supra dictum est, verum transcendens consistere in intrinseca proportione entis cum intellectu, & hæc proportio entis cum appetitu etiam convenientia cum appetitu dici potest. Quia vero appetitus duplex est, scilicet innatus, qui est propensio cujuscumq; rei, sive animatæ, sive inanimatæ in propriam perfectionem, unde grave dicitur appetere centrum, materia formam, &c. alter elicitus, qui tantum tribuitur cognoscentibus, & est actus ipsius appetitus, qui cognitione ducitur, & fertur in objectum, qui rursus duplex est, sensitivus, qui convenit omnibus animalibus, & intellectivus, qui convenit naturis intellectualibus tantum; dum dicimus bonitatem transcendentalem consistere in proportione, & convenientia rei cum appetitu, potest quidem hoc intelligi de quocumque appetitu indifferenter, nam & in hoc sensu D. Dionys. cap. 4. de divinis nominibus, intellexit illud Aristot. dictum: *Bonum est, quod omnia appetunt*, extendendo illud ad omnes res; cæterum præcise intelligi debet de appetitu intellectivo, qui est voluntas, & ratio est, quia talis convenientia constitui debet in ordine ad illum appetitum, qui potest ferri in totum ens, ut sic possit appetitivum converti cum appetibili, at talis est solum appetitus intellectivus, sensitivus enim non est totius entis; sed in solum bonum fertur, quod sensu percipi potest, voluntas autem in omne bonum fertur, nam in omni bono aliquam potest habere simplicem saltem complacentiam; quod si illud habeat rationem finis, vel medii, potest illud appetere appetitu efficaci, unde ens, ut sic, seu ut abstrahit a medio, & fine, est appetibile tantum per simplicem complacentiam; ex quo deducitur male Vulpes cit. restringere appetibilitatem, in qua statuit bonitatem entis, ad appetibilitatem, quæ sit propter se, vel propter aliud; quia præsertim in sententia Doctoris nostri dari potest appetibile per simplicem complacentiam, & affectum inefficacem, qui abstrahat a ratione tum medii, tum finis ex 1. dist. 1. quæstion. 3. artic. 1. Denique sicut illa proportio entis cum intellectu constituens veritatem non tantum sumebatur ab intellectu divino, sed etiam creato supra quæstion. 6. artic. 3. concl. 4. numer. 165. sic in præsenti proportio entis cum voluntate, quæ constituit bonitatem, non solum a divina, sed etiam a creata voluntate desumenda est; & ratio est, quia sicut res dicuntur intelligibiles in ordine ad quemcumque intellectum, ita etiam dicuntur appetibiles in ordine ad quamcumque voluntatem; verum tamen est, quod sicut ibi divinus intellectus ob suam infallibilitatem constituebatur prima regula omnis veri, ita in proposito divina voluntas ob suam summam rectitudinem constitui debet prima regula omnis boni, adeo ut bonitas præcipue attendatur in rebus per ordinem ad voluntatem divinam.

267 Jam vero conclusio sic declarata probatur, sumpto proportionali argumento ex his, quæ de veritate in superioribus dicta sunt; sicut enim se habet verum ad intellectum, ita bonum ad appetitum, sed verum non addit supra ens, nisi conformitatem ad intellectum, ergo a pari bonum non addit supra ens, nisi convenientiam ad appetitum; & quidem hæc paritas est valde evidens, adeout qui minorem concedit, valde difficulter possit negare consequentiam, unde non satis consequenter arbitror loqui Auctores, qui veritatem statuerunt in conformitate ad intellectum, & postea bonitatem statuere nolunt in convenientia ad appetitum; nam fere apud omnes ita comparatur bonum ad appetitum, sicut verum ad intellectum. At Suarez, qui est de numero eorum Auctorum, disput. 10. cit. sect. 1. in fine negat assumptam paritatem, quia aliter comparatur bonum ad appetitum, quam verum ad intellectum, nam verum transcendens includit in sua ratione, & denominatione aliquam conformitatem ad intellectum, bonum autem formaliter in ratione, & denominatione sua non includit conformitatem ad appetitum, quamvis hæc ad rationem boni consequatur; unde ratio veri transcendentis non supponitur proprie in objecto, ut formaliter attingitur ab intellectu, sed est denominatio sumpta ex proportione, vel conformatione inter ipsum objectum, & potentiam, seu actum ejus, & ideo dici solet illa veritas conditio consequens, vel concomitans intellectus, potius quam formaliter illud constituens, bonitas autem supponitur in objecto appetitus, & est ratio formalis attingendi illud, appetibilitas autem dicit denominationem sumptam ex proportione talis objecti cum tali potentia, unde non dicit formalem rationem objecti, sed conditionem concomitantem.

Hanc solutionem ex multiplici capite impugno, imprimis ostendo paritatem assumptam valere, ita namque se habet esse intelligibile ad intellectum, sicut appetibile ad appetitum, sed in objecto esse intelligibile, sicut est, dicit formalissime ejus esse verum, ergo in eodem esse appetibile formaliter dicit esse bonum. Tum quia, ita dicimus objectum esse intelligibile, quia verum, cum falso

falso intellectus non præbeat assensum, sicut esse appetibile, quia bonum, ergo si in prima propositione ly quia verum non dicit in objecto intellectus rationem formalem constitutivam ejus, sed tantum conditionem consequentem, vel concomitantem, ita quoque poterit explicari secunda propositio de appetibili, quia bonum, in ordine ad voluntatem. Tum deinde, quia non omnino certum est bonitatem præsertim sumptam pro passione entis esse rationem formalem constitutivam objecti voluntatis, vel potius esse ipsum ens sub ratione ipsa entis, adeoquod bonitas sit sola conditio concomitans ut innuit Scotus 3. dist. 15. supra C. sed utrumque est probabile, & forte secundum est probabilius; ut dictum est disp. 7. de Anim. qu. 5. nu. 95. Tum rursus, quia si etiam defendere velimus bonitatem esse rationem formalem constitutivam objecti voluntatis, & illam esse proprie causalem *quia res est bona, ideo est appetibilis*, sane hoc intelligi non debet de bonitate, prout est passio entis. sed prout est modus intrinsecus ejus; nimirum de bonitate accepta pro intrinseca rei perfectione, ut optime notavit Smising. nam appetibilitas rei fundatur in ejus perfectione, quia propter suam perfectionem res habet proportionem illam cum appetitu, quam vocamus appetibilitatem; potest etiam interdum intelligi de bonitate accepta pro convenientia unius rei ad alteram, ideo namque scientiam, vel sanitatem appero, quia mihi conveniens est; & quidem in his sensibus verum est, appetibilitatem consequi in entibus ex alia priori bonitatis ratione; cæterum illa bonitas non est passio entis, quia in uno sensu est perfectio, & integritas rei, in alio sensu est convenientia unius rei ad aliam, quæ oritur ex determinatis rerum naturis, non autem ex ipsa ratione intrinseca entis. Tum præterea, quia ut urget Aversa, potest appetibilitas per se primo convenire enti, & non solum consecutive ex alia priori bonitate; potest namque voluntas habere complacentiam circa objecta realia non adhuc considerata unius rei convenientia ad aliam, nec etiam considerata eorum perfectione, & integritate in se, nam sufficere poterit ad movendam voluntatem ipsa entitas, & realitas rerum absque expressa consideratione illarum rationum, adeout verum sit rem appeti, quia res est, quia ens est, quod præsertim dicendum est tenendo ens in tota sua latitudine esse objectum voluntatis, & non tantum sub ratione boni, quod dixi probabilius esse. Tum denique, quia si contendatur rem esse appetibilem, quia bonam, & sumendo bonitatem pro passione entis, hoc etiam concedi potest, & verificari, non quidem in sensu causali, sed identico, & formali, quo pacto dicimus Petrum esse rationalem, quia est homo adeout sensus, sit res denominari appetibiles per ipsam bonitatem, quæ est convenientia earum ad appetitum, in quo sensu e contra pariter erit verum dicere rem esse bonam, quia appetibilem.

268 Deinde principaliter potest probari conclusio argumento ex proportione deducto, quam dicit bonum, ut sic, ad talem, & talem bonitatem, idem enim proportionaliter dicit bonitas, ut sic, quod dicit talis bonitas, & discrimen in eo solum consistit, quod bonitas, ut sic, dicit indeterminato modo, quod talis bonitas dicit modo determinato, itaut quando præscinditur bonum, id tantum relinquatur, quod debet relinqui ex vi contradistinctivi, a quo præscinditur. Sed tale bonum, quod est species boni, ut sic, præcise constituitur in tali esse bono, sive in tali specie bonitatis per esse sic, vel sic appetibile, ergo bonum, ut sic, constitui debet præcise per esse appetibile, ut sic, Major de se patet, probatur minor, quia tres præcipue sunt species boni, ut sic, nimirum bonum honestum, utile, & delectabile, ut infra dicemus, sed hæ species boni inter se distinguuntur solum per esse sic, vel sic appetibile, ut Doctor ostendit 3. Metaphysic tex. 3. nam bonum honestum dicitur tale, quia est appetibile propter se per modum finis, & amabile amore amicitiæ principaliter; bonum utile dicitur tale, quia est appetibile propter aliud, & per modum medii, sicut medicina utilis ad sanitatem ordinatur ad eam, ut ad finem; tertium bonum scilicet delectabile magis etiam habet rationem ejus, quod est ad finem, licet rationem finis habeat aliquo modo, non tamen sicut primum bonum; cum ergo species boni constituantur per talem, vel talem appetibilitatem, nimirum vel per esse appetibile propter se, vel propter aliud, consequens est, ut dicamus rationem boni, ut sic, constitui per appetibilitatem, ut sic, ut ideo bonum, & appetibile sint sinonyma capiendo bonitatem, ut est passio entis.

ARTICULUS II.

Proponuntur, & solvuntur objectiones.

269 Contra positas conclusiones arguitur, & Primo contra primam arguit Suarez probando bonitatem transcendentalem non esse rationem positivam enti superadditam, & ab ipso aliquo pacto ex natura rei distinctam, quia vel illa ratio superaddita seipsa est bona, vel per aliam rationem, non secundum, quia daretur processus in infinitum, si primum ergo pari ratione de ipso ente dici potest, quod sit seipso bonum absque aliqua formalitate superaddita. Tum 2. quia quodlibet res vel dicitur essentialiter bona, vel accidentaliter, si primo modo jam seipsa dicitur bona, & non per aliquid superadditum, si secundo modo, sic utique dicitur bona per formam accidentalem superadditam sicut studiosus dicitur bonus per scientiam ei additam, sed talis est bonitas accidentaria prorsus, ac adventitia, non autem quæ est passio entis. Tum 3. arguit Arriag. nam quantumvis objective ens sit præcisum, nihil ei deest pro esse præciso, & consequenter est bonum in se, deinde eo ipso, quod sit bonum in se, quantumvis præcisum est etiam amabile, ergo a bonitate transcendentali in quocumque sensu non potest ens objective præscindi. Tum 4. sic etiam arguit Pasqualig. nam ens in se consideratum a quocumque modo superaddito præcisum dicit aliquam perfectionem, per quam perficitur in proprio esse, ergo oportet, ut habeat suam bonitatem in tali statu. Quod si dicas talem esse bonitatem primariam, quæ est modus entis, non autem secundariam, sicut est appetibilitas. Hoc facile reiiciet Pasqualig. quia gratis assumitur illam primariam bonitatem non esse entis passionem, tum quia si in eo statu talem possidet ens bonitatem, per eam quoque erit formaliter appetibile. Denique urget, quia si bonitas distingueretur ex natura rei ab ente, ens non esset bonum ex natura sua, sed per aliquid a se distinctum, quod est contra Aug. tom. 3. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 32. ubi non distinguit bonitatem ab ente, sed ponit identificari cum ipso, ait enim: *in quantum sumus, boni sumus*, & sic etiam loquitur Boetius de hebdomad. cap. 2. *quicquid est, in eo, quod est, bonum est*. Neque dicas per hoc PP. realem dumtaxat intendere identitatem inter ens, & bonum, non autem formalem, & objectivam. Quia stante adhuc tali distinctione ens non esset bonum ex natura sua, sicut animalitas non est in seipsa rationalis, quia rationalitas distinguitur ab ipsa secundum conceptum adæquatum, etiamsi sit realiter identificata; alia quædam argumenta ad idem congerit Pasqualig. quæ nec referre, nec solvere opus est, quia procedunt ex illo falso suo fundamento, quod conceptus entis creati sit supremus, & universalissimus conceptus, quem de ente habere possumus, quod fuse refutatum est disp. 2.

270 Respond. hæc, & similia argumenta re vera aliud non probare, quam realem identitatem inter ens, & bonum, & sane aliud non intendunt allegati PP. quam negare distinctionem inter ens, & unum tali identitati oppositam, non autem distinctionem ex natura rei formalem, aut saltem per conceptus objectivos, immo hanc aperte docuit Boetius loc. cit. de hebdomad. dum inquit *intueor in rebus aliud esse, quod bona sunt, & aliud esse, quod sunt*, quod certe nequit intelligi de alietate reali, sed tantum de alietate formali, & objectiva; vel si aliqua argumenta probant etiam de identitate formali, & quod non perfecte distinguantur penes conceptus objectivos, id solum ostendunt de bonitate primaria, quæ est modus intrinsecus entis, ac proinde imperfecte formaliter, & objective ab ipso ente distinguitur, non autem de bonitate secundaria, quæ est propria passio entis, & hoc sufficeret pro solutione horum argumentorum; libet tamen adduc ad singula respondere. Ad 1. sæpius dictum est dum idem argumentum fieret in superioribus de Unitate numer. 63. 87. & 84. ac etiam de Veritate, talis enim ratio non esset bona in recto, quasi ipsa sit formaliter bona, sed in obliquo, quatenus est formalis ratio, cur ens ejus subjectum sit formaliter bonum, neque sequitur processus in infinitum, quia ponitur cum ente reali identificata, & ita esse Quo, ut nequeat esse Quod, vide dicta superius de Unitate in simili proposito, ut bene capias hanc solutionem. Ad 2. etiam Suarez ipse respondere tenetur, si quidem illa sect. num. 11. bonitatem sumptam pro perfectione rei, qua res dicitur essentialiter bona, negat esse passionem entis, quia ses sic dicitur bona per suam essentiam, & quidditatem, ut in certo gradu perfectionis concipitur; non ergo bonitas essentialis, & primaria debet poni passio entis, sed accidentalis, & secundaria, non quidem sumendo accidens in rigore pro accidente separabili, & realiter subjecto superaddito, sed pro extraneo, itaut dicat rationem aliquam extra rationem formalem subjecti. Ad 3. ens præcise sumptum a tali formalitate superaddita, quæ ponitur ejus passio, esset bonum in se bonitate primaria, quæ est modus intrinsecus entis, non autem bonitate secundaria, quæ ponitur ejus passio; & cum additur, quod ut sic bonum esset amabile, & appetibile, hoc verificatur fundamentaliter tantum, non formaliter, quatenus nempe talis bonitatis primaria præcedit, velut fundamentum secundariæ, unumquodque enim est appetibile ob suam intrinsecam perfectionem, quam habet in suo ordine, non potest autem verificari formaliter, quia appetibile, & amabile, ut sic, dicunt quid respectivum non absolutum, cum ergo ens in tali præcisione concipiatur in se, & non in ordine ad aliud, sane in tali statu nequit concipi sub ratione amabilis, & appetibilis formaliter.

271 Ad 4. patet per idem, quod ens sic præcisum esset bonum duntaxat bonitate primaria, quam non esse passionem entis, sed modum ejus intrinsecum, non gratis assumitur, sed probatum est conclusione secunda, nec in eo statu secundum talem bonitatem dici potest appetibile formaliter, sed tantum fundamentaliter. Ad ultim. negatur consequentia, quæ valeret, si poneretur ens esse bonum per aliquid ab ipso realiter distinctum, quod nos non dicimus, & relati PP. realem tantum identitatem innuere voluerunt inter ens, & bonum, non vero majorem, ut diximus, & hæc realis identitas sufficit, ut ens dicatur bonum per se, & ex

natura sua, non autem per accidens, & per aliud; & falsum est prorsus adhuc hoc sequi admissa inter ea distinctione formali, vel objectiva, neque id sufficienter probat instantia facta de animalitate respectu rationalitatis, nam animalitas non est ita prefecte identificata cum rationalitate, sicut ens cum bonitate, & universaliter quodcumque subjectum cum sua passione, quia realitas generis, & diferentiæ identificantur tantum ratione tertii, a quo si abstrahantur, non amplius remanent eadem realiter, & hinc est, quod animalitas in abstracto nequit dici rationalis, ut inferius patebit disputatione octava, quæstione sexta, articulo secundo, at non ita est de subjecto, & passione, nam non solum sunt unum unitate unionis in tertio, ut genus, & differentia, sed etiam unitate identitatis, ut docet Doctor 2. distinct. 12. quæstione secunda ad 1. princ.

Secundo contra 2. concl. arguunt Auctores 1. sent. probando bonitatem, quæ est passio entis consistere in perfectione, & integritate rei in se, præfertim quoad essentialia, nam ex 7. Metaphysic. ratio boni, atque perfecti sunt eadem ratio, nam intantum aliquid est bonum, inquantum est perfectum. Tum 2. quia ens, & perfectum non sunt synonyma, non enim cum dicitur *ens est perfectum*, est propositio identica, ergo cum necessario perfectum supponat ens, erit passio illius. Tum 3. quia denominatio perfecti potest, & solet intelligi sub nomine bonitatis, concurrit etiam omni enti, nam omne ens est in seipso in suo gradu perfectum, & integrum, consequitur suo modo ad rationem entis, quia ex eo quod aliquid est ens, est perfectum in sua ratione entis, ergo bonitas in hoc sensu est passio entis. Tum 4. D. Dionys. de divinis nominibus cap. 4. desiniens quid sit bonum ait: Bonum ex integra causa, malum autem ex multis, singularibusque defectibus, ergo bonitas rei est ejus integritas. Tum 5. ex hoc colligit Vasquez rationem, quoniam si alicui rei desit quidquam ex iis, quæ ad ejus integritatem convenire debent, ex illius defectu dicitur, & est mala, unde malum equum dicimus, cui deficit oculus, vel aliquid aliud, ergo bonitas rei e contra in integritate illius ponita est. Denique bonum est id, quod omnia appetunt, unumquodque vero appetitur secundum quod perfectum est, ergo perfectum, & bonum erunt unum, & idem.

272 Respond. ad 1. quod cum dicitur boni, & perfecti eandem esse rationem, id præsertim intelligi debere de bonitate primaria, quam diximus conclus. 2. esse modum intrinsecum entis, non autem de secundaria, quæ est ejus passio; cum autem dicitur aliquid intantum esse bonum, inquantum est perfectum, id nedum intelligi potest de bonitate primaria, sed etiam secundaria, quia hæc in illa fundatur, unde dicitur res magis, vel minus bona, & nobis appetibilis, secundum quod est magis, vel minus perfecta. Ad 2. conceditur ens, & perfectum non esse synonyma, adhuc tamen negatur consequentia, quod perfecto entis in suo gradu se habeat, ut ejus passio, nam potius se habet, ut modus ejus intrinsecus, unde cum dicitur *ens est perfectum*, est propositio, in qua modus intrinsecus prædicatur de re, cujus est modus, non autem passio de subjecto. Ad 3. conceditur etiam assumptum, quod perfectio rei interdum intelligi soleat sub nomine bonitatis, non quidem secundariæ, sed primariæ, & quod convenit omni enti in suo gradu, & suo modo consequitur ad rationem entis, adhuc tamen negatur consequentia hinc deducta, quod sit ejus passio, quia hæc omnia salvantur ponendo, quod sit ejus modus intrinsecus, neque modi intrinseci rerum confundi debent cum passionibus earumdem. Ad 4. auctoritas Dionysii potius est pro nobis, nam illa sua definitio, quam tradit de Bono, cum ait *bonum est ex integra causa*, non est formalis, sed causalis, quia nimirum consurgit posita perfectione rei, tamquam fundamento, aliud autem est bonitatem oriri ex perfectione rei, aliud formaliter consistere in ipsa, primum asserit D. Dionysius, non secundum; cui accedit intentionem Dionysii ibi præsertim esse, ut explicat Doctor quol. 18. sub H. discrimen assignare inter bonum, & malum morale, per hoc, quod malum consurgit ex defectu cujuscumque circumstantiæ, nam quicumque defectus sufficiens est in moralibus ad vitiandum actum, ut bonum requirit concursum, & integritatem omnium circumstantiarum, & ex tali integritate resultat in actu. Ad 5. patet per idem, probat enim solum bonitatem consistere in perfectione rei non formaliter, sed causaliter, & radicaliter, quatenus perfectio rei præcedit tamquam fundamentum, & radix seu causa virtualis, ex qua virtualiter dimanat bonitas, seu convenientia cum appetitu per modum proprietatis transcendentalis; unde sicut posita perfectione rei, ponitur quoque ejusdem bonitas non formaliter, sed consecutive, quia ponitur fundamentum ejusdem, ita pariter ablata perfectione, tollitur bonitas consequenter, quia deficit fundamentum ejus, qua de causa equum oculo carentem malum appellamus, quia cum ei deficiat debita membrorum integritas, quæ est fundamentum bonitatis integralis, deficit consequenter ipsa integralis bonitas. Ad ultim. unumquodque dicitur appeti secundum quod perfectum est, quatenus appetibilitas rei fundatur in ejus perfectione, eique commensuratur, quia res propter gradum perfectionis, quem obtinent in ordine entium, nostrum alliciunt, & excitant apperitum. Possent alia quoque argumenta contra eandem conclusionem secundam adduci ad probandum perfectionem, & integritatem rei quoad sua essentialia, nedum non esse passionem entis, at nec etiam modum ejus intrinsecum, sed prædicatum ejus quidditativum, vel potius integram, & complexam ejus essentiam; hoc enim probare videntur rationes superius adductæ, quibus nonnulli Recentiores contendebant, ex hoc capite ostendere non esse passionem entis; sed jam illas ratione examinavimus in probanda secunda conclusione, & ostendimus ex eo capite non concludere.

Tertio arguitur ad idem probando bonitatem, ut est passio entis, consistere in absoluto, & non in aliquo respectivo, quia cum omnis creatura a Deo procedat, est absolute, & simpliciter bona, ut de fide est contra Manichæos, itaut, quamvis respectu alicujus sit mala, non sit tamen mala absolute, & simpliciter, hoc autem salvari non potest, si bonitas consistere ponatur in aliquo respectivo, nam per respectum non constitueretur simpliciter, & absolute bona, sed tantum secundum quid, nempe respective, & in comparatione ad aliud, quod non facit rem in se absolute bonam, & hoc videtur esse præcipuum fundamentum Vasquez, quia per bonitatem, quæ est passio entis, res constituitur in se simpliciter, & absolute bona, non autem respective, & tantum in ordine ad aliud, quia tunc non esset bona simpliciter, & absolute, sed tantum alicui. Deinde idem ostenditur de bonitate etiam, ut reperitur in Deo, quia Deus dicitur bonus in seipso simpliciter, & absolute præscindendo a quocumque alio realiter distincto, unde etiam si creaturæ omnes essent impossibiles, nihil Deo deperiret propriæ bonitatis, ergo bonitas etiam ut in Deo reperitur, consistit in aliqua perfectione absoluta. Demum Meurisse loc. cit. in fine quæstionis inquit, Doctorem magis in hanc sententiam inclinasse, quod bonum transcendens consistat in aliqua ratione absoluta, nimirum in ipsa perfectione intrinseca uniuscujusque rei, ut patet ex his quæ habet 1. distinctione tertia, quæstione quinta, & in 2. distinct. 34. qu. un. & in 4. distinct. 49. quæstione secunda.

273 Resp. quod si sit sermo de bonitate entis secundum id, quod importat a parte rei, nec in absoluto, nec in respectu consistit, sed ab utroque præscindit, & postea in esse contracto in entibus absolutis est ratio absoluta, & in respectivis relativa; si vero sit sermo de illa secundum id, per quod solet a nobis explicari, & circumscribi, melius explicatur per respectum convenientiæ, quam per rationem absolutam, non quidem per respectum convenientiæ unius rei ad aliam, sed per convenientiam ad appetitum; & quamvis si explicaretur bonitas per respectum convenientiæ unius rei ad aliam, bene sequeretur talem rem non esse simpliciter, & absolute bonam, sed tantum secundum quid, & respectu illius rei determinate, cui conveniens dicitur, tamen explicando illam per convenientiam ad appetitum, bene salvatur adhuc, quod dicatur simpliciter, & absolute bona, quatenus res secundum propriam perfectionem, quam participat in ordine entium, potest movere, vel terminare actum cujuscumque appetitus tam creati, quam increati, & quatenus sic motiva, vel terminativa cuicumque comparetur, semper dicitur bona, & potest etiam dici in se bona, quia in se continet perfectionem, quæ est ratio talis motionis, & terminationis. Ad 2. concedo in Deo bonitatem a parte rei importare perfectionem absolutam, tamen pro faciliori captu nostro, eam circumscribimus per respectum convenientiæ, non quidem ad creaturas, quibus conveniens est alioqui ob summam perfectionem, sed ad appetitum tam creatum, quam increatum, & quia præsertim attenditur bonitas per convenientiam ad appetitum increatum, hinc est quod etiam si non extaret, nec possibilis foret appetitus creatus, nihil Deo deperiret propriæ bonitatis, & parum etiam refert, quod talis respectu Dei in ratione boni ad proprium appetitum sit rationis, non realis, cum sit ejusdem ad seipsum, quia hic non est sermo de illo, quod a parte rei importat divina bonitas, sed tantum de illo, per quod a nobis explicatur, & circumscribitur. Ad 3. falsum est, Doctorem in eam inclinare sententiam, immo potius inclinat in oppositam, ait enim 4. distinct. 49. quæst. 4. lit. I. §. *Juxta hoc quod nec verum, nec bonum ultra ens dicunt rationes absolutas*, neque contrarium dicit in locis a Meurisse citatis, nam in 1. distinct. 3. quæst. 5. non loquitur de bono transcendenti, sed de bono creato, ut sic, quemadmodum etiam Auctor ille fatetur, & cum negat consistere in respectu, non loquitur de respectu convenientiæ, sed de respectu ad bonum increatum; neque in 2. distinct. 34. quæst. unic. agit de bono naturali, sed morali, quod etiam non in absoluto, sed in respectu determinat consistere, nec tandem id habet 4. distinct. 49. quæst. 2. immo potius ibid. in solutione ad 1. quæst. videtur bonitatem reponere in ipsa rei apperibilitate.

Quarto arguunt contra tertiam conclusionem Auctores 2. sent. probando bonitatem transcendentem consistere in convenientia unius rei ad aliam, ut perfectionis illi consentaneæ, sic arguit Aureol. 2. distinct. 34. art. 1. quæst. un. illud est formaliter ratio boni, quo posito circa aliquid statim sibi tribuitur ratio boni, sed pone in quocumque volueris rationem convenientis, & perfectionis, statim habet rationem boni, tolle etiam quod conveniat aliter, & remaneat nec congruens, nec perficiens, statim deficit ab illa ratio boni, ergo &c. Major patet, probatur minor, venenum eo quod congruit serpenti, & perficit ipsum, ideo est sibi bonum, e contra autem quia non competit homini, immo est ei disconveniens, ideo non est bonum homini, quod etiam est bonum alicui, aliquo modo est ei malum alio tempore, & hoc quia uno tempore est ei conveniens, alio vero tempore non sic; sic etiam bonum honestum est bonum ratio-

rationis, quia convenit rationi, idem etiam actus uni est bonus, alteri malus, puta loqui est malum virgini, quia non congruit ei, est autem bonum in Doctore, quia ei convenit. Deinde arguit Suarez probando hoc inductione in omnibus bonis, nam bonum honestum dicit bonum, quod per se est conveniens naturæ rationali, ut sic; bonum item delectabile nihil aliud est, quam bonum habens convenientiam cum natura sensibili; & tandem bonum utile dicit bonum aptum, & accomodatum ad finem intentum. Demum arguunt Suarez, Aversa, & Meurisse nullum ens reperitur, quod non sit alicui conveniens, sive illa convenientia sit relatio, sive appelletur connotatio, nihil formæ conveniunt subjectis, subjecta formis, effectus causis, causæ effectibus, actus potentiæ, potentiæ actibus, & alia hujusmodi addi possunt discurrendo per singulas entitates etiam usque ad minimas, & eas quæ turpiores, & inutiliores esse videntur, cum ergo hæc convenientia sit quædam bonitas ex una parte, & ex alia omnibus entibus prorsus conveniat, nihil obstare videtur, quin sit passio entis adæquata.

274 Resp. ad 1. gratis concedendo talem convenientiam unius rei ad aliam esse quoddam genus bonitatis, sed negatur esse bonitatem transcendentalem, quia ut dictum est in 3. conclus. non convenit rebus sub præcisa ratione entis, sed ratione talitatis entis, quod enim unum ens conveniat naturæ alterius, provenit ex aliqua qualitatum simpathia, aut alia peculiari conditione talis entis; & ideo talis convenientia, nequit esse passio entis, nam convenientia, quæ est passio entis, debet ab ente oriri sub præcisa ratione entis, & debet habere idem constitutivum in omnibus, non vero diversum pro diversitate entium, talis autem convenientia, quæ habet idem constitutivum in omnibus, est convenientia rerum ad appetitum, nam omnes, & singulæ ei conveniunt, quatenus entia sunt, convenientia vero, qua una convenit alteri per modum perfectionis connaturalis, & consentaneæ, oritur ex particularibus naturis cujuscumque rei; exemplum de veneno, quod est serpenti bonum, homini malum, probat de isto peculiari genere bonitatis, non autem de bonitate, ut sic; exemplum vero de loqui in Virgine, & Doctore probat de bono præsertim morali, non autem naturali. Ad 2. argumentum potius est pro nobis, nam bonum honestum, & delectabile esse talia bona, quia sunt convenientia, unum naturæ rationali, alterum sensitivæ, aliud non est dicere, quam quod sint talia, quia sunt convenientia cum appetitu sensitivo, ac intellectivo; & bonum utile esse tale, quia est accommodatum ad finem intentum, est perinde, ac si dicas esse tale, quia appetitui conveniens in ordine ad aliud, & propter aliud, quare sola convenientia ad appetitum est, quæ constituit bonitatem passionum entis, non autem conveniantia unius rei ad aliam; immo quod maxime notandum est, quamvis appetibilitas sit ipsa bonitas passio entis, id tamen intelligi non debet de appetibilitate, quæ in tali convenientia fundatur unius rei ad aliam, sicut enim talis convenientia non convenit rebus ea ratione, qua entia sunt præcise, sed quatenus talia, ita etiam appetibilitas; id ergo intelligi debet de appetibilitate, quæ originatur ex perfectione rei in se, quæ est passio entis. Ad ult. contendunt aliqui dari quædam entia, quæ nulli sunt appetibilia, ut est odium Dei; sed arbitror gratis concedendum esse assumptum, nam omne ens, vel est substantia, vel accidens, substantia convenit accidentibus, ut fulcrum eorum, & accidentia e contra conveniunt substantiæ, quia quodlibet accidens habet suum subjectum, cui connaturale est, & ipsum Dei odium, quamvis sit moraliter malum, est tamen physice bonum voluntati, quia tamquam actus illius illam perficit; concedendum ergo est assumptum, adhuc tamen neganda est consequentia quia talis convenientia non convenit omnibus entibus ea ratione, qua entia sunt, sed quatenus talia entia, quia talis convenientia unius ad aliud fundatur in peculiari cujusque rei natura, & non habet in omnibus entibus idem constitutivum, sed diversum pro diversitate entium, & naturarum; cui accidit unumquodque appetere suum esse, ut sibi bonum, nec tamen est ei conveniens hoc genere convenientiæ, quæ est unius rei ad aliam realiter distinctam.

Quinto contra quartam conclusionem arguit Aureol. loc. citat. quod bonitas entis nequeat consistere in relatione appetibilitatis, quia ratio boni est motiva appetitus, sed ratio appetibilis, cum sit pura relatio, nequit appetitum movere, ergo &c. aliqui ita probant minorem, quia si relatio esset sufficiens motivum appetitus, tunc ratione relationis res essent formaliter amabiles, quod est falsum, non enim amantur ratione alicujus relationis, sed ratione illius, quod intrinsece dicunt, cum enim desideramus aliquod bonum, ratio formalis movens appetitum non est relatio aliqua, sed perfectio rei desideratæ. Deinde arguit Pasqualig. ratio appetitus importat determinatam rationem entis, sive sumatur pro appetitu innato, sive elicito, non enim solum dicit aliquid, quod habeat esse præcise, sed etiam quod habeat tale esse; ens autem, ut sic transcendens dicit solam communissimam rationem entis, itaut nullam importet determinationem, unde in ipsa non potest haberi aliqua ratio appetitus, vel appetibilis, non enim ponitur unum, nisi ponatur alterum, cum se mutuo inferant, & tamen habetur ratio boni transcendentalis, ergo hæc consistere nequit in appetibilitate. Demum arguit idem, bonitas de se absoluta est, & ordinata ad ipsam rem, ut eam faciat bonam in seipsa, nec ad ipsius constitutionem necesse est, ut concurrat appetitus, sed independenter ab ipso habetur ratio bonitatis, ad constitutionem vero appetibilitatis concurrit etiam appetitus, non quidem ut intrinsecum constitutivum, sed ut terminus, oritur enim appetibilitas ex concursu bonitatis, & appetitus, ergo &c.

275 Respondetur Aureolum quoque teneri ad solutionem argumenti, cum ipse bonitatem ponat consistere in relatione convenientiæ unius rei ad aliam, ut ejus perfectivam; itaque argumentum præsertim probat bonitatem non consistere in relatione secundum id, quod a parte rei importat, non tamen probat, quin possit per relationem explicari, & circumscribi, deinde si teneretur bonitatem etiam a parte rei formalitatem importare relativam, tunc dicendum esset, non utique bonitatem formaliter sumptam ratione relationis voluntatem movere, sed ratione formæ absolutæ, in qua fundatur, ut notat Doct. 3. dist. 15. §. *potest aliter dici*, nimirum ratione perfectionis absolutæ, quam res in se importat. Ad 2. dico, quod sicut intellectus esto secundum suam entitatem sit inferius ad ens, tamen quia in sua operatione ei adæquatur, quia est potentia universalis, & totius entis ex 3. de Anim. ideo bene explicatur veritas entis per convenientiam ad ipsum; ita in proposito de bonitate, quamvis voluntas secundum suam entitatem sit inferius ad ens, tamen secundum suam operationem illi quodammodo adæquatur, & ideo bene explicari potest bonitas entis per convenientiam ad ipsam; immo absolute loquendo minime repugnat passionem superioris designari per ordinem ad inferiora, nam animali in sua communitate convenit communicabilitas ad sua inferiora, divisibilitas per differentias, & alia hujusmodi attributa, pro quo vide dicta paulo supra numer. 263. Ad ult. verum est assumptum de bonitate primaria, quæ est modus intrinsecus entis, non autem de secundaria, quæ est passio; hæc siquidem potius constituitur, vel saltem explicatur per ordinem transcendentalem ad appetitum, & sine appetitu consistere nequit.

Sexto tandem arguunt alii ad idem, quia bonum est intrinseca entis proprietas, sed esse appetibile importat denominationem extrinsecam ab appetitu desumptam, ergo ratio formalis ejus non consistit in appetibili. Tum deinde, quia si per impossibile nullus esset appetitus vitalis, adhuc res essent bonæ, sicut sunt entia, & tunc utique ratio boni in alio consistere non potest, quam in eo, quod quælibet res haberet perfectionem sibi convenientem, ergo &c. Tum tandem, quia hæc causalis est vera, quia res est bona, ideo est appetibilis, ergo appetibilitas non formaliter constituit rationem boni, sed potius eam consequitur.

276 Resp. jam dictum esse num. 266. quod cum hic dicimus rationem boni in appetibilitate consistere, vel per eam bene explicari, non utique est sermo de appetibilitate pro denominatione extrinseca, sed intrinseca, quæ est virtus, vel aptitudo in re movendi, vel terminandi appetitum. Ad 2. ait Smising. quod si nullus esset appetitus, esse tamen posset, adhuc subsisteret ratio appetibilis consistens in proportione entis cum appetitu possibili, cum esse appetibile non sit denominatio extrinseca, quæ postulet existentiam formæ denominantis; si autem repugnaret esse aliquem appetitum, non subsisteret ratio appetibilis, & consequenter nec ratio boni, quæ in appetibili formaliter consistit. Hæc solutio bene procedit in hoc, quod si repugnaret omnis appetitus, non remaneret bonitas, quæ in appetibilitate formaliter constituitur, unde res manerent bonæ dumtaxat materialiter, & fundamentaliter ratione intrinsecæ perfectionis, per quam fundant appetibilitatem; & quam adhuc admissa hypothesi retinere supponuntur, ut dictum est supra sub nu. 262. deficit tamen in hoc, quod ait, quod si nullus esset appetitus, esse tamen posset, adhuc subsisteret ratio appetibilis sumpta pro denominatione intrinseca, non autem extrinseca, quia hæc postulat existentiam formæ denominantis. Plane hoc non videtur bene dictum, quod denominatio extrinseca potentialis, ut importat appetibile, postulet existentiam actualem formæ denominantis, & non sufficiat potius existentia ejus possibilis, nam licet hoc sit verum de denominatione extrinseca actuali, nequaquam tamen verum est de possibili, nam sicut hæc est denominatio non actualis, sed possibilis, ita sufficiens est ad ipsam præstandam forma denominans possibilis; neque requiritur, quod sit actualiter existens; & ratio hujus est, quia effectus formales actuales, & potentiales tribuuntur ab eadem forma actuali, & potentiali. Ad ultim. verum est assumptum loquendo de bonitate primaria, quæ est modus intrinsecus entis, non autem de secundaria, quæ est ejus passio.

QUÆSTIO XI.

An bonitas prædeclarata vere sit passio entis, adeoque cum ipso convertatur.

277 BOnitatem esse passionem entis, & cum ipso convertibilem est firma, & constans omnium tum Philosophorum, tum Theologorum consensio, esto inter ipsos aliqua sit discrepantia in assignanda ratione formali hujus bonitatis, ut qu. præced. visum est, idque suadet manifesta ratio, quia transcendentalis bonitas exprimit aliquem conceptum distinctum formaliter, vel

saltim virtualiter a conceptu entis, qui ad illum consequitur, & cum eo convertitur, & habet rationem qualificantis respectu illius, ergo vere, & proprie importat passionem entis, conseq. est clara, quia deducitur ex conditionibus propriæ passionis sufficienter enumeratis. Probatur antecedens quoad omnes, & singulas partes, & quidem primo quod exprimat aliquid se tenens ex parte objecti, quod non exprimitur per rationem entis, patet, quia exprimit rationem convenientæ cum appetitu, quæ per conceptum entis non exprimitur quantumcumque ens clare, & explicite in se concipiatur, unde dici nequit, quod differant conceptus entis, & boni solum per modum expliciti, & impliciti ex parte actus, quia sicejam differunt definitio, & definitum, & tamen certum est, bonum plus ab ente differre, quam definitio a definito; tum quia quantumcumque ens clare, & explicite, & perfecte in se concipiatur, in tali suo conceptu illam solum bonitatem includet, quæ dicit modum ejus intrinsecum, non autem illam, quæ est passio, quia hæc pertinet ad secundum modum dicendi per se, & præcise facit conceptum qualitativum, & nullo modo quidditativum: quod autem bonitas constituat aliquem conceptum entis qualitativum, probatur, nam si interrogetur, qualis est res ista? bene responderetur, est bona, explicando bonitatem, qua tamquam ratione formali qualitativa qualificatur, non autem recte responderetur ad illam interrogationem, quod sit ens, si enim ratio entis qualitativa esset, assignare oporteret respectu cujus sit qualificativa, & quid sit illud, quod talem qualificationem reciperet, an sit quid reale; nec ne; si primum esset ens, & sic ens qualificaretur per semetipsum; si secundum, ergo qualificationem realem recipere non posset; tum quia cum ens concipimus præcise sub ratione entis, concipimus aliquid omnino per se stans, nec ullo pacto alteri adjacens, e contra vero cum illud concipimus sub ratione boni, ergo ens, & bonum dicunt distinctos conceptus etiam ex parte objecti, cum unus explicet puram rei quidditatem, & alter qualitatem.

278 Deinde probatur assumptum quoad aliam partem, quod nimirum conceptus entis sit prior, conceptus vero bonitatis posterior, & veluti ad illum consequens; nam ille conceptus est quidditativus, iste vero qualitativus, at conceptus quidditativus a toto genere qualitativum præcedit. Tum quia bonitas, sicut & aliæ passiones demonstrantur de ente per ejus rationem quidditativam demonstratione a priori, at hæc est ex prioribus, causisque conclusionis nedum in inferendo, sed etiam in essendo, ut ostendimus disp. 4. qu. ultim. tum tamdem, quia relatio illa convenientiæ cum appetitu, per quam explicuimus qu. præcedent. bonitatem, quæ est passio entis, fundatur in ipso ente, & in perfectione, quæ est modus intrinsecus ejus, ratione cujus dicitur bonum in se; ex hac, inquam, bonitate primaria procedit bonitas secundaria, quæ est passio entis, & relatio illa convenientiæ, per quam dicitur bonum alteri, & conveniens appetitui nostro in ea fundatur, intantum enim aliquid appetimus, quia aliquam perfectionem continet in genere suo, ratione cujus potest a nobis appeti vel propter seipsum per modum finis, vel propter aliud per modum medii ad finem; cum igitur bonitas, quæ est passio entis, & dicitur bonitas secundaria, fundetur in perfectione entis, quæ est bonitas primaria, & perfectio intelligi nequeat sine vera entitate, nam quod entitatem non habet, nihil est, jam constat evidenter, conceptum bonitatis esse posteriorem conceptu entis, & ab eo dimanare, quemadmodum passio ab essentia subjecti dimanare solet.

Denique probatur illud assumptum quoad ultimam partem, quod nempe bonitas prædeclarata cum ipso ente convertatur, nam omne bonum est ens, & omne ens est bonum. Quod omne bonum sit ens, constat ex modo dictis, nam bonum dicitur, quod potest esse objectum appetitus vel per modum finis, vel medii ad finem, si appetitus est efficax, vel saltim esse potest objectum simplicis complacentiæ abstrahendo a ratione finis, & medii, talis autem appetibilitas fundatur in aliqua perfectione rei, & perfectio vera, & realis sine reali entitate intelligi nequit, nam quod nihil est nullam quoque perfectionem habet, ergo omne bonum est ens reale, adeo ut vera, & realis bonitas non nisi in ente reali fundari potest. Quod autem e converso omne ens sit bonum, probatur tum authoritate Arist. 1. Etich. cap. 6. ubi vult bonum distribui per omnes cathegorias, sicut ens, adeout æque pateat ac ipsum ens; tum ratione, quia omne ens adæquate dividitur in creatum, & increatum, bonum autem de utroque prædicatur, de Deo quidem, ut passim loquitur sacer codex *Bonus es tu*, Psalm. 18. *Bonus est dominus sperantibus in eum*, Thren. 2. de creaturis etiam idem testatur sacra pagina: *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, Genes. 1. *omnis creatura Dei bona est*, Timot. 4. *Cuncta fecit bona in tempore suo*, Eccl. 3. immo hæc veritas est dogma fidei in pluribus Conciliis definitum, ut in Lateran. sub Innocen. III. sicut habetur in Cap. *Firmiter*, & cap. de summa Trinit. & in Bracaren. 1. cap. 7. & 8. contra Manichæos, & Priscilla nistas existimantes dari res aliquas natura sua malas, & nullo modo bonas, contra quem errorem calamum acriter strinxerunt quamplures Ecclesiæ Patres, sed inter alios sussissime D. August. cujus rei potissima ratio est, quia nulla creatura quantumvis minuta, & vilis invenitur, quæ in se, & in genere suo aliquam non obtineat perfectionem, ratione cujus fundare possit appetibilitatem vel per modum finis, vel saltem medii ad finem aliquem etiamsi nobis ignotum, ergo omnis creatura bona est aliquo modo per participationem divinæ bonitatis. Ad dignoscendum autem, quænam sit illa perfectio, quæ est creaturis intrinseca, & in qua fundatur bonitas, quæ est passio entis, notandum est, quod diximus qu. præcedenti articulo primo, quod perfectio in creatura potest esse duplex vel essentialis, eique realiter identificata, velut ejus modus intrinsecus, vel accidentalis, & ab ea realiter distincta, ac etiam separabilis ab ea; bonitas itaque, quæ est passio entis, non fundatur in perfectione secundi generis, quia non est necesse, omnem creaturam esse ita bonam, idest affectam omni tali perfectione sibi possibili, & naturaliter consentanea, sed fundatur in prima, quare sicut ea perfectio convertitur cum ente, ut modus ejus intrinsecus, ita bonitas in ea fundata cum eodem convertitur, ut adæquata ejus passio.

279 Sed quamvis hoc totum absque controversia ab omnibus concedatur, sunt tamen contra hanc veritatem nonnullæ difficultates posteà diluendæ, & rursus cum ens dici possit vel nominaliter, quo pacto significat ens, quatenus præscindit ab exercitio, & tempore, cum nomen sine tempore significet, vel participaliter, quo modo significat ens in actu exercito, & sub actuali existentia consideratum, nam principium cum tempore significat, de qua distinctione est habitus sermo disp. 2. de natura entis ab initio, est dubitatio, quo sensu intelligendum sit bonitatem esse entis passionem; videtur enim aliquibus bonitatem esse solum passionem entis participaliter sumpti, eo quod solæ res actu existentes videntur dici debere bonæ; & ratio est, quia intantum aliquid potest dici actu bonum, inquantum actu est, sed res creata præcise sumpta secundum essentiam, & abstrahendo ab existentia non est actu, sed est in potentia, ergo non potest dici actu bona, sed tantum in potentia, ita discurrunt Javellus 1. part. quæstione quinta, articulo tertio Bannes circa eumdem locum, Suarez disp. 10. sectione tertia, nu. 26. qui pro eadem sententia citat S. Thom. 1. part. quæstione quinta, articulo primo, & 1. contra gentes capit. 38. item ex nostris Smising. tract. 3. de Deo uno disputatione prima, quæstione secunda, nu. 50. & alii quidam Recentiores.

Oppositum tamen longe verius est, bonitatem scilicet transcendentalem esse passionem entis nominaliter, in actu signato considerati, non autem participaliter, & in actu exercito. Colligitur ex Doctore pluribus in locis 1. d. 8. quæst. ult. & d. 47. quæst. un. & 3. d. 32. quæst. un. lit. B. & quol. 16. quibus in locis actum divinæ voluntatis secundum tendentiam in objectum extra volibile secernit in velle efficax, & inefficax, quod appellari solet velle simplicis complacentiæ, inter quos actus hoc potissimum constituit discrimen, quod prior respicit esse actuale existentiæ rerum extra causandum, posterior vero respicit tantum esse possibile, vultque res sub tali statu possibilitatis talem habere bonitatem, ut esse possint objectum divini amoris quoad actum simplicis complacentiæ, quod etiam Theologi quamplures cum Scoto docent 1. part. quæst. 19. certum est autem, res sub statu mero possibilitatis entia tantum nominaliter dici posse, & in actu signato, non autem participaliter, & in actu exercito; quod sane evidenti ratione stabilitur, nam ut diximus disput. 2. de natura entis ab initio, cum dicimus ens esse objectum adæquatum Metaphysicæ, illudque habere proprias passiones de ipso demonstrabiles, & præsertim unitatem, veritatem, & bonitatem, non utique accipitur ens participaliter, & in actu exercito; cum enim ens sub tali acceptione sit contingens, quia modo est, modo non est loquendo de rebus creatis, plane nequit esse objectum scientiæ, quæ est de rebus æternis, & necessariis ex 1. Post. proindeque dicitur abstrahere ab existentia rerum, quæ est contingens; cum ergo bonitas dicitur esse passio entis, quod est objectum in Metaphys. & de ipso demonstrari per ejus rationem formalem, debet sumi ens nominaliter, & ut ajunt, in actu signato, non autem exercito. Conf. quia ens participaliter sumptum, & in actu exercito consideratum dicit ens secundum aliquem modum contingentiæ, secundum quem potest aliquando esse, & aliquando non esse, sed propositiones, in quibus passio prædicatur de suo subjecto, sunt propositiones per se, & necessariæ spectantes ad secundum modum dicendi per se, ac proinde sunt æternæ veritatis, ergo ens sub tali consideratione, & acceptione nequit esse subjectum in ea propositione, in qua bonitas enunciatur de ipso, ut de proprio, & adæquato subjecto; sed hoc erit ens nominaliter acceptum, & ut ab actuali existentia præscindit, & secundum quod a tempore absolvit.

280 Deinde bonitas licet competat rebus omnibus existentibus, tamen sub tali consideratione non semper eis competit, quia ens in actu exercito non est semper, sed modo est, modo non, cum existentia in rebus creatis sit prædicatum contingens, sed passio, quæ est proprietas in quarto modo proprii convenit omni, soli, & semper, & per hoc distinguitur ab accidente communi, ut liquet ex dictis in Logica, ergo bonitas nequit esse passio entis participaliter sumpti, & in actu exercito considerati, sed tantum entis nominaliter, & in actu signato. Confirm. cum ens dicitur, & verum, non utique hoc restringitur ad ens participaliter sumptum, & in actu exercito, immo præsertim sumitur ens in talibus propositionibus nominaliter, ac in esse signato, nam sicut veritas complexa talium propositionum absolvit a tempore, ita & veritas incomplexa objecti, de quo enunciantur, sed plane idem est ens, de quo enunciantur illæ duæ passiones scilicet unitas, & veritas, & de quo enunciatur bonitas, si ergo illæ præsertim enunciantur de ente nominaliter sumpto,

sumpto, cur non etiam & ista? Accedit quod res sub mero statu possibilitatis consideratæ sunt objectum divini amoris ex Scoto, & aliis Theologis loco cit. quoad actum simplicis complacentiæ, ergo sub tali statu præscindendo ab omni existentia sunt bonæ, alioquin amabiles non essent; quando ergo concederetur esse etiam bona sub statu existentiæ, non ob id tamen negari debet esse suo modo bonas sub statu possibilitatis præscindendo a quacumque existentia. Tum tandem quia & nos experimur desiderare ea, quæ non sunt, ergo res secundum suam essentiam spectatæ sunt appetibiles, & possunt in eo statu terminare actum voluntatis, igitur ut sic bonæ sunt, quia non nisi bonum est appetibile.

Respondent hoc discrimen esse inter bonitatem, & alias duas entis passiones, quod res non dicitur fieri una, aut magis una, vel vera per aliquid sibi superadditum, & non essentiale, sed solum per ipsam suam essentiam, at res possunt denominari bene, & melius se habere perfici, & magis perfici per aliquid superadditum; nempe per perfectiones accidentales, quæ non nisi in esse existentiæ illis competere nequeunt. Ad illud de rebus possibilibus, quod sunt, ut sic, objectum divini amoris, atque ideo bonæ esse debent, negat Suarez cit. Deum proprie illas amare in tali statu præscindendo ab existentia, quod si aliquo modo Deus dicitur in illis complacere, id est, vel secundum esse, quod habeut Deo, vel secundum quod ab omnipotentia Dei denominantur possibiles, quod potius est complacere in sua omnipotentia, a qua habent, ut sint possibilia etiam ea, quæ non sunt, & tandem concludit, quod essentia rerum non existentes, sed sub mero statu possibilitatis, sicut sunt tantum entia in potentia, ita & bona in potentia, non autem in actu. Ad illud deniq; quod desideramus ea, quæ non sunt, occurrunt alii in tali desiderio ab existentia præcisionem non fieri, quia desideramus, quæ non sunt, ut sint, unde res non existentes saltem per ordinem ad existentiam considerari debent, ut sint bonæ, & appetibiles.

281 Sed istæ solutiones argumenta jam facta non evacuant, prima non est ad rem, quia cum dicimus bonitatem esse passionem entis, ut sæpe inculcatum est, hoc non intelligitur de bonitate accidentali, & omnino adventitia, quæ resultat in re ex adventu quarundam perfectionum accidentalium, nam utique hanc concedimus rebus dumtaxat existentibus convenire, sed fermo est de bonitate, quæ fundatur in perfectione rei intrinseca, eique realiter identificata, hæc enim est, quæ respicit eus per modum passionis intimæ, & necessariæ, non minus quam unitas, & veritas, atque ideo sicut illa duo attributa tribuuntur enti præsertim nominaliter sumpto præscindendo ab existentia, ita quoque bonitas, neque de hac bonitate loquendo magis est necessaria existentia in rebus ad recipiendam ejus adæquatam prædicationem, quam ad recipiendam prædicationem scilicet unitatis, & veritatis. Nec etiam, quod ajebat Suarez satisfacit, cum enim dicimus, divinam voluntatem complacere in rebus possibilibus, ut sic, hoc non est intelligendum de ipsis ea ratione, qua tantum eminenter in divina continentur essentia, quia creaturæ secundum hoc esse præcise sunt formaliter ipse Deus, ideoq; attingere creaturas secundum hoc esse, non est formaliter circa creaturas versari, sed sermo est de creaturis secundum esse formale proprium, quod a divino intellectu cognoscitur eis non repugnare notitia naturali; seu simplicis intelligentiæ, quod etiam esse possibile falsum est esse denominationem sumptam a divina omnipotentia, ut infra ostendam disp. 8. q. 1. art. 3. Falsum insuper est essentias rerum non existentes, non habere veram, & propriam rationem entis realis, prout ab omnino nihilo contradistinguitur, quamvis enim sub statu meræ possibilitatis dicantur entia in potentia, & non in actu, in ordine ad existentiam, quam actu non possident, possunt tamen dici actu entia, quatenus adhuc sub tali statu veram, & essentialem rationem entis actu participant, ut ab omnino nihilo contradistinguitur, ut ostendam disp. 8. cit. q. 1. art. 3. n. 46. quare sicut in hoc sensu potest res possibilis dici actu ens, ita quoque dici potest actu bona. Per quod patet ad rationem oppositæ sententiæ positam sub n. 279. Neque demum suffragatur, quod ultimo respondebatur, nos desiderare res, quæ non sunt, ut sint, & per ordinem ad existentiam, tum quia hoc est falsum absolute loquendo, quia potest voluntas gaudere, & complacentiam habere de rebus in sua sola essentia consideratis, ac de possibilitate ipsa rerum, non curando, nec appetendo, ut actu sint; tum quia hoc etiam concesso, nihil officit, ex hoc enim ad summum sequeretur solum res esse appetibiles, & bonas per ordinem ad existentiam, quam habere possent, non autem per actualem existentiam, quam actu possideant, quod hic impugnare intendimus, quare sicut ens nominaliter dicitur tale per ordinem ad existentiam, quam potest habere, quia si ei talis existentia repugnaret, ens nominaliter non esset, ita in eodem sensu concedi potest res possibiles esse bonas per ordinem ad existentiam; & ex hac doctrina solvi possunt omnia argumenta, quæ contra nostram sententiam fieri possunt; quam tenent Vasq. 1. p. disp. 24. cap. 2. Aversa q. 7. sec. 2. in fine. Blasius a Concep. disp. 24. Metaphysic. q. 2. Aravius 4. Metaphysic. q. 6. art. 1. & alii quamplures.

Objectiones solutæ.

282 CONtra resolutionem hujus quæstionis, quod bonitas prædeclarata quæst. præc. sit passio entis, sunt aliquæ difficultates hic diluendæ; quæ etiamsi ab aliis passim afferantur, & solvantur, quia tamen solutiones non sunt juxta nostra principia, inutile non erit eas adducere, & juxta mentem Doctoris respondere. Prima itaque difficultas est, quia si bonitas esset passio adæquata entis, & cum ipso convertibilis, tunc non solum Deus sed etiam creatura deberet dici ens per essentiam; quod est falsum, falsitas consequentis patet, quia apud omnes Theologos solus Deus dicitur ens per essentiam, neque id dici potest de creatura, ut probat D. Thomas 1. p. q. 6. art. 3. consequentia patet, quia quælibet passio, & intrinseca proprietas per essentiam dicitur de suo subjecto, non quod sit essentiale ejus prædicatum in primo modo, ac constitutivum, sed quia ex ipsa rei essentia originem ducit, & ei per se in secundo modo convenit, non autem per accidens, si ergo creatura in hoc sensu est per se bona, & non per accidens, sequitur quod sit essentialiter, & per suam essentiam bona, quod talem soli Deo convenire videtur.

Ad hujus difficultatis solutionem movent Auctores integram quæstionem, an creatura possit dici bona per essentiam, in qua Thomistæ passim cum D. Thom. loco cit. partem docent negativam, quia solus Deus dicitur ens per essentiam, alii e contra tenent partem affirmativam, quia bonitas est attributum entis, sicut alia duo, & sicut se habent aliæ proprietates ad suas naturas, sed alia attributa conveniunt enti, & aliæ proprietates suis naturis per essentiam ipsius subjecti, & non per aliquos accidens adventitium, & superadditum, ergo pariter & bonitas enti. Cæterum res est parvi momenti, & difficultas est facili resolutionis præmissa distinctione, quod aliquid dici potest bonum per essentiam dupliciter; primo ut ly per essentiam contradistinguitur contra per participationem, quo sensu illud dicitur bonum per essentiam, quod habet omnem plenitudinem, & exuberantiam bonitatis a se, & independenter ab alio, per participationem vero, quod accipit formaliter partem bonitatis ejus, quod est per essentiam bonum, & dicitur per participationem, non quod vere capiat partem ejus per divisionem, sed quia effective recipit bonitatem ab alio in gradu quodam determinato, ut Doctor expendit 1. d. 8. q. 2. & in hoc sensu certum est, nullam creaturam dici posse bonam per essentiam, sed solum Deum, quia nulla creatura habet a se, & in se plenitudinem, & abundantiam totius bonitatis, itaut extra essentiam suam nullam rationem bonitatis relinquat, sed solus Deus.

Alio modo potest aliquid dici bonum per essentiam, ut ly per essentiam constituitur contra accidentaliter, sive per accidens, quo sensu illud dicitur bonum per essentiam, quod est bonum ratione suæ essentiæ, & non solum ratione alicujus accidentis essentiæ supervenientis, & hoc pacto nemo inficiari debet, creaturas posse dici per essentiam, sive secundum essentiam bonas, & ratio est, quia illud, quod transcendit essentiam creaturæ, & cum ea realiter identificatur, potest per essentiam, sive essentialiter prædicari de creatura in primo, vel saltem secundo modo dicendi per se, ut nimirum ly per essentiam contradistinguitur contra accidentaliter, seu contra per accidens, sed bonitas transcendentalis ipsam creaturæ essentiam transcendit, & cum ea realiter identificatur, ut omnes fatentur contra Duran. & Aureol. 2. dist. 34. q. 1. qui volebant creaturam dici bonam per formam accidentalem omnino extrinsecam, & adventitiam ipsi essentiæ supervenientem, atque ideo dicebant bonum cum ente converti, non essentialiter, sed denominative tantum, ergo bonitas in hoc sensu poterit per essentiam dici de creaturis, idest secundum essentiam, sive essentialiter in secundo modo dicendi per se eo pacto, quo passio dici solet essentialiter prædicari de suo subjecto, in hoc itaque sensu possunt dici creaturæ per essentiam bonæ, quia non per accidens, nec per formam superadditam ab ipsis realiter distinctam loquendo de bonitate transcendenti; verum quia in communi modo loquendi præsertim apud Theologos ly per essentiam sumi solet, prout distinguitur contra per participationem, hinc est quod ab eis non conceditur, creaturam esse bonam per essentiam simpliciter, & absolute loquendo, sed tantum cum ea explicatione, & in hoc sensu tantum etiam intendit D. Thomas cum suis creaturam dici non posse bonam per essentiam, quod nequaquam officit conclusioni nostræ.

283 Secundo obiicitur, quia multa sunt entia, quæ nullam habent bonitatem, ac proinde male dicuntur, ut actus peccati, errores intellectus, odium Dei, & alia hujusmodi, dantur etiam multa entia, quæ sunt mutila, & imperfecta, & carent modo, specie, & ordine, ac proinde bonæ dici non possunt, cum bonum consistat in modo, specie, & ordine ex D. Aug. cit. lib. de natura boni c. 3. & 4. ergo bonitas non est passio convertibilis cum ente.

Resp. negando assumptum, si sermo sit de bonitate transcendentali, ad primam probationem dicendum illa esse mala dumtaxat malitia opposita bonitati morali, non autem transcendenti, unde illa quæ in esse moris mala sunt, in esse physico bona sunt; quo pacto supra num. 274. ipsum odium Dei bonum esse diximus in genere physico, licet sit malum in genere moris, quod adhuc amplius infra explicatur q. ult. hujus disp. Ad aliam probationem sæpius dictum est supra, bonitatem, quæ est passio entis, fundari in perfectione intrinseca, & essentiali rei, quæ est modus ejus intrinsecus, non autem in extrinseca, & accidentali, quæ solet in re attendi penes accidentia illi naturaliter convenientia, ob quorum defectum res dicitur mala, vel male se habere etiam in genere naturæ, cum ergo dicitur quædam entia carere modo, specie, & ordine, si id intelligatur de modo, pulchritudine, & ordine accidentali, concedi-

editur in hoc sensu quædam entia carere modo, specie, & ordine, ex quo solum sequitur propter talem defectum esse mala accidentaliter in genere naturæ, non autem essentialiter, quod si illa tria magis intrinsece, ac essentialiter accipiantur juxta explicationem superius datam n. 260. negatur reperiri in rerum natura aliquod ens, quod non habeat modum, speciem, & ordinem modo ibi explicato, quia omne ens habet essentialiter, & intrinsece illa tria, habet enim modum, quia est alicujus determinati generis, scilicet substantia, vel accidens; habet speciem idest formam, vel essentiam propriam, & ordinem ad proprium finem. At fieri solet instantia de materia prima, quæ his carere videtur etiam intrinsece, & essentialiter sumptis, quia nullius est determinati generis, vel speciei, cum ex 7. Met. non sit nec quid, nec quale, nec quantum; tum quia materia prima secundum se caret qualibet perfectione, & actualitate, ergo & qualibet bonitate, cum bonum, & perfectum sint idem. Verum esto hæc instantia aliquam faciat difficultatem Thomistis nullam actualitatem in materia agnoscentibus nec formalem, nec entitativam, tamen apud Scotistas nullius est momenti, sicut enim ei tribuunt propriam entitatem distinctam ab entitate formæ, ac etiam propriam actualitatem entitativam, quæ est ejus existentia, tribuunt consequenter propriam bonitatem distinctam a bonitate formæ, & quamvis connaturaliter non habeat existentiam, nisi dependentem a forma, habet tamen propriam, & inseparabilem existentiam cum intrinseco ordine, & dependentia ad formam; hinc ait Alensis 1. p. q. 18. membr. 6. ad 2. materiam esse bonam, quia est ens, & eadem ratione habere modum, speciem, & ordinem suo modo, quamvis enim ex se sit sine specie, & forma extrinseca, idest sine illa determinatione specifica completa, quam solet præstare forma, quo sensu dicitur a Philosopho non esse quid, nec quale, nec quantum, adhuc tamen habet propriam speciem intrinsecam incompletam, quæ consistit in eo, quod sit ens formarum capax, & ista potentia est illi instar speciei, modi, & ordinis, qua de causa D. Aug. lib. de natura boni c. 18. & Dionys. c. 4. de divinis nominibus propriam quoque materiæ tribuunt bonitatem in genere entis.

284 Tertio obiicitur Arist. auctoritas 3. Met. tex. 3. ubi in rebus Mathematicis negat naturam boni reperiri, *quo namque modo*, inquit, *possibile est motus principium in immobilibus esse, aut boni naturam?* ubi per entia immobilia passim intelligunt Interpretes entia Mathematicalia, quæ abstrahunt a motu, ac proinde postea concludit *Mathematicas nullam de bonis, & malis facere mentionem*. Ad hoc argumentum variæ solent assignari responsiones, quarum multæ sunt falsæ, & præsertim ab intentione Arist. deviæ, quas proinde merito reiiciunt Aversa, & Pasqual. loco cit. nec ego refero, ne tempus frustra conteratur, sed immediate subiicio veram Arist. intentionem ex Scoto, & Alensi in eum textum, id enim quod præcipue ibi Arist. intendit, est, ostendere Mathematicam non demonstrare per causam finalem; & quia finis per bonitatem constituitur in ratione finis, allicit enim agens ad sui consecutionem ob propriam bonitatem, hinc consequenter deducit res Mathematicas non esse bonas, bonitate nimirum finalizante; non ergo simpliciter, & absolute negat Arist. res mathematicas habere propriam bonitatem in seipsis, si enim entia vera sunt, consequenter propriam debent habere bonitatem, sed solum ait non habere bonitatem, qua possint exercere causam finalem, & ideo non sunt bonæ bonitate finalizante. Hinc Alensis in expositione illius textus inquit, notandum est, quod differt finis, & illud, quod est finis, in mathematicis enim potest esse illud, quod est finis, & illud quod est bonum, idest quod idem est quantitas naturalis, & quantitas mathematica, ergo sicut illa est finis, ita & hæc, sed tamen quantitas, ut naturalis, scilicet sub isto modo est finis sub ratione finis, quia ut naturalis terminat motum; illa eadem quantitas, ut mathematica, est illud, quod est finis, quia eadem est cum naturali, sed tamen quia, ut sic, non terminat motum, non est finis inquantum finis, nec sub ratione finis, hæc Alensis, quibus verbis luculenter ostendit, entia mathematica non minus propriam habere bonitatem quam entia naturalia, & solum in eo sensu dicuntur ea carere, quatenus illam non habent sub ea ratione, qua possint exercere causalitatem finis, seu non habere bonitatem, quatenus finalizantem, & hæc est germana Arist. intentio in eo textu.

Quarto relationes creatæ sunt entia realia, cum speciale prædicamentum constituant, & tamen nullam videntur dicere perfectionem, nec consequenter bonitatem, non enim apparet, quæ nova perfectio resultet in albo, quando in eo consurgit similitudo ad illud album. Sed adhuc magis urget difficultas de relationibus originis in divinis, quæ nullam videntur præseferre perfectionem, vel imperfectionem, alioquin aliqua esset perfectio in una persona, quæ non esset in altera, ut Scotus ex professo probat quol. 5. per totum, ubi proinde illas appellat entia non quanta.

285 Resp. ob hoc argumentum nonnullos negasse relationes prædicamentales præseferre realem entitatem, vel modalem extremis, inter quæ versantur, superadditam, sed dicere solam concomitantiam duorum extremorum, & novam denominationem relativam ex illis desumptam, unde consequenter negant relationem importare aliam perfectionem præter absolutam extremorum; in quo magis sane consequenter loquuntur; quam qui concedunt relationes hujusmodi propriam præseferre entitatem, & negant postea habere propriam bonitatem, & perfectionem, vel enim utrumque negandum, vel utrumque concedendum ad consequenter loquendum, unde quantum spectat ad argumentum de relationibus creatis, quod dicant perfectionem, quisque discurrere debet juxta principia tradita in Logica de natura relationum prædicamentalium, qui enim concedunt per relationem acquiri novam entitatem distinctam a fundamento, concedere etiam debent acquiri novam perfectionem, & bonitatem illi entitati correspondentem, qui vero relationem dicunt aliud non esse præter absoluta, dicere quoque debent relationem nullam addere perfectionem præter perfectionem absolutam cum aliqua nova denominatione, qui autem dicunt relationes esse aliquos modos intrinsecos fundamento, & a parte rei ab eo indistinctos, dicere tenentur non acquiri de novo aliquam perfectionem, sicut non acquiritur aliqua entitas, sed sicut entitas antiqua de novo denominat in ordine ad terminum novum, ita perfectio antiqua fundamenti explicatur de novo in ordine ad novum terminum. Quia ergo nos in Logica statuimus relationem prædicamentalem præter in Aristot. doctrina extremis relatis propriam superaddere entitatem, & ab ipsis a parte rei distinctam, hinc consequenter tenere debemus, quod propriam habeat perfectionem, & bonitatem relativam distinctam a bonitate, & perfectione absoluta extremorum, nec minus difficile est capere in uno albo acquiri novam perfectionem, dum acquiritur in eo similitudo ad aliud, quam quod acquiratur nova entitas, immo difficultas illius pendet ex difficultate istius, quo admisso illud necessario sequitur. Et quidem Arist. 1. Ethic. c. 6. quando dixit bonum æque extendi, ac dividi cum ente per omnia prædicamenta; determinate inter alia prædicamentum ad aliquid numeravit his verbis: *Bonum & in substantia dicitur, & in quali, & in eo quod est ad aliquid &c.* concludendum itaque est de relationibus creatis, qua ratione sunt entia, eadem ratione dicere suam bonitatem, & perfectionem. Quantum vero attinet ad relationes originis in divinis, non potest exacte solvi difficultas, nisi prius explicetur divisio illa entis frequens in nostra schola in quantum, & non quantum, quam tradit Doctor quol. 5. ubi etiam relationes originis intantum ait non dicere formaliter, & secundum se perfectionem, vel imperfectionem, quia sunt entia non quanta; de hac vero divisione agemus infra d. 7. loquendo de variis divisionibus entis, ubi etiam exacte hæc difficultas a fundamento explanabitur; neque ad resolutionem hujus quæstionis, an bonitas sit passio entis, est omnino necessaria istius difficultatis solutio, quia illæ relationes originis in divinis sunt Philosophis, & Metaphysicis occultæ, & ignotæ, & illa difficultas est mere Theologica.

Sed dices si ergo relatio creata sub expressa ratione relationis dicit propriam bonitatem, & perfectionem relativam distinctam a bonitate absoluta, in qua fundatur, sequitur relationem sub ratione relationis appetitum nostrum movere posse, quod tamen supra negatum est n. 275. vel si secundum se appetitum movere nequit, sed tantum ratione formæ absolutæ, in qua fundatur; ut ibi dictum est ex Scot. 3. dist. 15. hoc manifestum inditium est, non habere propriam bonitatem, & perfectionem. Resp. problema esse apud Doctorem, an objectum voluntatis, quod est bonum, concurrat partialiter in genere efficientis causæ ad volitionem, nec ne, ut dictum est disp. 7. de Anim. q. 6. art. 2. si teneatur partialiter concurrere, tunc de relatione respectu actus appetitus idem ferendum est judicium, quod de ipsa fertur respectu actus intellectus, ac proinde quemadmodum dictum est disp. 6. de Anim. q. 5. art. 1. entia respectiva non esse objectum motivum intellectus, sed tantum terminativum, idest non concurrere partialiter ad physice efficiendam cognitionem sui, sed tantum terminare, ob exiguam sui entitatem, quia nimirum cognitio de ipsis habita, cum sit ens absolutum, perfectioris est entitatis, quam ipsum objectum cognitum, scilicet relatio, ita ob eandem rationem idem quoq; dicendum erit de relatione in ordine ad actum appetitus, seu volitionem, quod scilicet nequeat partialiter concurrere ad eam efficiendam, sed ad eam immediate concurrat forma absoluta, super quam relatio fundatur, nam & ipsa volitio est ens absolutum perinde ac cognitio, licet respectum includant transcendentalem ad sua objecta, & in hoc sensu loquitur Doctor cit. 3. d. 15. lit. C. immo ibi non loquitur Doctor de concursu relationis ad actum amoris, & volitionis, sed in ordine ad delectationem, quæ est passio illum consequens, inquit enim; ratio igitur causandi delectationem istam non est convenientia, quæ fuit relatio in objecto, nec etiam præsentia per perceptionem, quæ est alia relatio, quasi approximatio agentis ad passum, sed sola forma absoluta, super quam fundabatur relatio objecti, est ratio causandi istud absolutum, quod est delectatio; ita Scot. Si vero teneatur voluntatem esse causam totalem efficientem suorum actuum, & bonum cognitum movere tantum metaphorice illam, ac per modum finis, ut diximus ibi probabilius esse, tunc nullatenus negari debet relationi propria motio metaphorica, si propriam habet bonitatem ei proportionatam, neque in hoc sensu negat Doctor relationem posse movere voluntatem, neque nos n. cit. 275.

186 Quinto arguitur, quia bonum sufficienter dividitur in illa tria membra utile, honestum, & delectabile ex Arist. 3. Ethic. c. 3. & lib. 8. c. 3. sed de his verificari nequit, quod bonum sit passio entis, quocumque modo sumantur, ergo &c. Probatur minor, vel enim collective, sumuntur, vel sigillatim, hoc secundo modo verificari nequit quia singula sigillatim sumpta non adæquant ens; nec primo modo, quia hæc triplex bonitas non convenit singulis entibus, alioquin omnia entia essent simul honesta, delectabilia, quod est falsum, quia Deus non est bonum

bonum utile cum ipso non sit utendum, sed fruendum, nec operationes virtutum sunt delectabiles, quia virtus est circa difficile, & multa sunt delectabilia, quæ sunt inhonesta. Dices omnia entia esse ita bona non conjunctim, sed divisim, itaut omne ens aliquam participet ex his bonitatibus disjunctim; sed contra hoc est, quod bonitas ponitur una passio simplex, non disjuncta. Restat ergo solum, quod bonum ut abstrahit ab illo triplici genere bonitatis, sit passio entis; sed neque id asseri potest, quia illa abstracta ratio boni, nec concipi, nec explicari potest, vel enim est propter se appetibilis, & tunc est bonitas honesta, vel delectabilis; aut propter aliud, & tunc est bonitas utilis, alterum enim ex his opus est inesse, cum immediate opponantur intra rationem bonitatis, & contradictionem fundent.

Resp. hanc difficultatem petere exactam declarationem illius divisionis Boni in honestum, utile, & delectabile, de qua qu. seq. pro nunc dicendum illa tria membra proprie dividere, & adæquare Bonum, quod habet ordinem ad voluntatem, prout subest regulæ rationis, ut postea dicemus; quia tamen illa divisio ita etiam sumi, & explicari potest, ut adæquet totam latitudinem boni, ut ibidem dicitur, bonitas, quæ est passio entis, est ratio communis præscindens ab illis membris: & cum quæritur an illa ratio boni sic præscindens sit expetibilis propter se, vel propter aliud, dicendum in tali statu præcisionis neutrum ei convenire formaliter, quia hæc duo membra determinatas rationes bonitatis important, sed ab utroque præscindit, sicut animal a rationali, & irrationali, licet intra rationem animalis sint differentiæ immediate oppositæ.

287 Postremo probari solet bonum non esse passionem entis adæquatam, quia excedit ens, quod ita ostenditur, bonum est idem, quod appetibile & cum ipso convertitur, sed etiam negationes, & impossibilia possunt, ac solent appeti, plerumque enim appetimus, quædam non esse, unde damnati dicuntur appetere non esse; appetimus etiam quædam impossibilia, quæ ut sic non sunt entia realia, unde 3. Ethic. cap. 2. ait Aristot. volantatem esse quoq; impossibilium, & Scot. 2. d. 6. quæstion. 1. tenet Angelos malos appetisse æqualitatem Dei, quæ tamen est impossibilis; immo expresse nomen ipsum bonitatis attribuitur negationibus. Matth. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Et Conf. quia in rebus moralibus non solum implere præceptum, sed etiam non agere prohibitum, bonum censetur, & conveniens homini, ergo bonum sub hac ratione non potest esse passio entis, cum latius pateat ipso.

Responsio communis est, quod non esse est appetibile solum per accidens ratione nimirum alicujus adjuncti, quod est per se appetibile, sic mortem inimici appetimus ob bonum vindictæ; sic etiam damnati solum per accidens appetunt non esse, quatenus hoc non esse adduceret secum separationem ab aliqua miseria, quam auferri vellent propter aliquod commodum, quod summe desiderant, quo tamen privantur per prædictam miseriam; & sic concludunt appetibile per se esse idem, quod bonum, sed appetibile per accidens latius patere, nec amplius ex argumento inferri posse. Ad illud de impossibilibus ajunt impossibile utiq; appeti posse, non tamen sub ratione impossibilis, sed sub ratione possibilis ostensi per rationem errantem, multa enim a nobis appetuntur ex errore intellectus, quia apparent nobis bona, & possibilia, cum tamen talia non sint, atque ita cum dicitur bonum esse idem, quod appetibile, ibi bonum debet accipi late, quatenus complectitur, tam reale bonum, quam apparens. Quæ tamen responsio quoad secundam partem falsum continet, quia absq; ullo errore in intellectu præcedente potest impossibile appeti quoad simplicem complacentiam etiam ostensum sua ratione impossibilis, unde Doct. loc. cit. docet angelos malos æqualitatem Dei appetisse, etiam ut impossibilem ab intellectu repræsentatam, quia eorum peccatum non fuit ex ignorantia, vel inconsideratione, sed cum plena scientia, ac mera malitia, quomodo autem id fieri possit, satis declaratum est disputatione septima, Physic. qu. octava, articulo secundo, & disp. 7. de Anim. qu. 5. art. 2. dub. 3. Tum quia bonum apparens non est verum, & reale quoq; bono apparenti, jam argumentum concludit, quod bonum excedit ens reale, & ideo esse nequit ejus adæquata passio. At dices bonum apparens esse objectum idoneum appetitus nostri, ut experientia constat, ergo ipsi quoque convenit esse appetibile; sed ad hanc instantiam mox patebit solvendo argumentum principale.

Alii vero concedentes omne, quod est appetibile esse bonum, distinguunt bonum positivum, & negativum, atque dicunt bonum positivum reale esse attributum adæquatum, quod cum ente convertitur, non vero negativum, quale est illud, quod convenit privationibus, & negationibus, quam solutionem recipit Aversa qu. 7. sec. 1. in fine. Sed sicut dictum est disput. 4. Phys. qu. 1. art. 1. satis inepte dividi ens reale in positivum, & negativum, quia ens reale, ut sic, & ex vi sui conceptus aliquid positivum importat, idem in proposito videtur de bono dicendum, quod ex vi sui conceptus dicat quid positivum, & sane hæc solutio videtur mera fuga argumenti, cum enim quæritur an bonum sit passio adæquata entis, non disputamus de bono positivo, de hoc enim dubitat nemo, sed de bono simpliciter, & absolute sumpto, de quo fit dubitatio, quia in communi modo loquendi solet interdum etiam negationibus & privationibus applicari. Quod etiam probat Suarez, quia id, quod dicitur conveniens, tamquam privatio, re vera non est bonum, sed carentia alicujus mali, si præcise in privatione sistatur, carentia autem mali, ut sic, non est bonitas, nisi aliud addatur; sicut etiam in moralibus aliud est declinare a malo, aliud facere bonum, & non agere malum non est virtus, aut bonum, nisi includat positivam voluntatem non agendi malum; sic ergo est in naturalibus, carere enim calore proprie non est bonum aquæ, sed est carentia mali, vel disconvenientis, & conditio quædam necessaria, ut suam bonitatem, ac perfectionem habere possit, quocirca (inquit) si convenientia in hac amplitudine sumatur, non est idem bonitas, & conveniencia etiam prout bonitas dicitur de eo, quod est bonum alteri, sed bonitas dicit entitatem, seu perfectionem, ut convenientem alicui, & ideo quod est conveniens solum per modum privationis, re vera non est bonum. Hic tamen discursus Suarez non convincit, nam responderi posset persistendo in illa distinctione de bono positivo, & negativo, quod in aqua carentia caloris, ut sic, est bonum negativum, sicut etiam in moralibus a malo abstinere dici potest bonum negativum, immo cum probabilior sit sententia dari posse puram omissionem liberam, ut dictum est disp. 7. de Anim. q. 4. art. 2. quæ etiam sit bona in genere moris loquendo de bonitate morali, ut sic, sic a pari in naturalibus sola privatio disconvenientis dici poterit simpliciter, & absolute bona, non ergo hoc discursu utendum est ad eam solutionem impugnandam, sed argumento superius a nobis facto. Tum quia concesso etiam toto discursu Suarez adhuc persistit argumentum principale in suo robore, ac etiam præcipue contra ipsum urgeri potest, nam bonum, & appetibile convertuntur, & omne re vera appetibile est re vera bonum, sed quod est conveniens solum per modum privationis, est appetibile, ergo re vera bonum.

288 Itaque ad exactam argumenti solutionem dicendum est, negationes, & privationes solum per accidens appeti ratione scilicet alicujus adjuncti, quod est per se appetibile; ut dicebatur in responsione communi, & sic eo modo quo sunt appetibiles, dici etiam posse bonas nimirum per accidens; quando autem appetimus bonum apparens, non est aliqua bonitas ficta, quæ nostrum moveat appetitum, sed est bonitas vera, & realis, falso tamen, & cum errore ab intellectu applicata objecto, quod dicitur bonum apparens, unde falsitas, & fictio non se tenet ex parte bonitatis, ut sic, sed ex parte applicationis factæ ab intellectu, ex quo patet bonum apparens non esse appetibile, nisi ratione bonitatis realis, & positivæ illi falso applicatæ ab intellectu errante, ut fuse declaratum est disp. 7. Phys. qu. 7. art. 2. quando tandem appetimus impossibilia etiam sub ratione impossibilis ostensa absque ullo errore intellectus, adhuc in isto casu non est impossibilitas, vel impossibilitas, aut bonitas ficta, quæ moveat appetitum, sed est possibilitas, & bonitas vera, & realis falso applicata objecto impossibili; non quidem ab intellectu, qui supponitur repræsentare impossibile sub ratione impossibilis; sed a voluntate quæ ex sua libertate potest objecto impossibili tribuere, & applicare bonitatem, & possibilitatem in alio objecto repertam conficiens aliquod aggregatum, sicut facit intellectus, cum concipit finem apparentem, & hic finis dicitur a Scoto 1. d. 1. quæst. 1. art. 3. & 4. finis præfixus, vel præstitutus, quatenus voluntas ex sua libertate potest sibi præfigere modo jam declarato pro fine id, quod a parte rei est impossibile, falso applicando illi veram, & realem bonitatem, ac etiam possibilitatem, unde quia habet possibilitatem, & bonitatem præfixam, & præstitutam, potest esse objectum appetitus, ut declaratum est disp. 7. Phys. cit. ac etiam disp. 7. de Anim. qu. 5. art. 2. dub. 3. Ex quo discursu patet in omnibus allatis casibus, quando appetimus scilicet vel privationes, vel apparentia, vel impossibilia, id, quod per se appetitur, esse quid positivum, & ratione appetendi esse semper bonitatem realem, & positivam, ideoque recte dici converti cum ente reali.

Ad Conf. argumenti principalis ex moralibus deductam Suar. ex suo discursu relato negatur antecedens, quia non agere malum non est bonum, nisi includat positivam voluntatem non agendi malum. Sed jam dicimus probabilius esse, quod in genere moris sit possibilis pura omissio libera, quæ sit moraliter bona, quod fuse probatur tract. de actibus humanis, quia pura omissio esse potest voluntaria, & libera, & conformis dictamini prudentiæ, ac præcepto negativo, ergo esse potest moraliter bona; tum quia ex 3. Eth. c. 1. omne voluntarium est laudabile, vel vituperabile, & cap. 9. inquit Arist. quod non agere malum est bonum; ratio hujus a priori est, quia ut dicitur in eodem tract. de actibus humanis, bonitas moralis non dicit respectum realem in actu, aut aliquid aliud reale positivum; sed meram denominationem extrinsecam a dictamine prudentiæ derivatam in actum, vel omissionem ejus, cujus perinde denominationis tam bene potest esse subjectum ipsa omissio libera, quam actus positivus oppositus, ut dicam quoque q. seq. ex quo constat responsio ad eam conf. quod non valet paritas de bonitate morali, & naturali, seu transcendentali, nam bonitas transcendens dicit quid reale positivum a parte rei in rebus, non tamen bonitas moralis, & ideo non tenet paritas, quod adhuc magis constabit qu. seq.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

De divisionibus, & gradibus Bonitatis.

289 QUamplures, & variæ Bonitatis divisiones solent assignari, quarum aliquæ circa rationem ipsam formalem bonitatis versantur, ut sunt illæ, quibus dividi solet in Bonitatem naturalem, & moralem, & rursus in honestam, delectabilem, & utilem, alia vero versantur potius circa res ipsas, quæ dicuntur bonæ, unde sunt potius divisiones materiales boni, quam formales, atque ideo de divisionibus primi generis hic præsertim agemus, alias dimittendo, quæ ad rem non faciunt, nec ad rationem bonitatis indagandam valde conferunt.

Prima itaque divisio est in naturalem, & moralem, de qua sæpius Doctor, ut in 2. d. 7. q. un. *ad solutionem istius quæstionis*, & quol. 17. & 18. ubi per bonitatem naturalem, inquit Doctor, intelligitur bonitas ipsa transcendentalis, quæ cuicunque rei convenit in genere naturæ ex ratione, qua ens est, de qua hactenus locuti sumus, & per quam res quælibet dicitur formaliter bona bonitate suæ naturali entitati proportionata in genere entis. Alia bonitas est, quæ convenit actibus humanis in genere moris, consistitque ex Scoto loco cit. in integritate eorum omnium, quæ recta ratio operantis judicat debere actui humano, vel ipsi agenti in suo actu convenire ex dictamine prudentiæ, unde actum esse moraliter bonum aliud non est, quam habere conformitatem ad rectam rationem plene dictantem de omnibus circumstantiis debitis convenire actui, atque ideo hæc bonitas reperitur tantum in naturis intellectualibus ratione, & libertate utentibus, & respectu liberi arbitrii; quatenus voluntas libero modo operatur, & secundum regulas rectæ rationis, & de hac bonitate agere spectat ad Philosophum moralem, & de ea agunt Theologi in prima secundæ.

Cæterum circa hanc divisionem dubitatio contingit, qualis sit ista divisio, & quomodo bonitas moralis se habeat ad naturalem, num scilicet sit species quædam ipsius bonitatis transcendentis, num potius constituat genus bonitatis contradistinctum, & ab ea omnino diversum. Aversa q. 7. de Bonitate sect. 6. opinatur bonitatem moralem non esse aliquam speciem bonitatis transcendentis, sed esse distinctum, & disparatum genus, quod probat, tum quia bonitas transcendens consistit præcise in genere naturæ, nec extenditur ad genus moris. Tum quia bonitas transcendens necessario, & naturaliter de rebus dicitur, bonitas autem moralis in libertate fundatur. Tum quia quæ denominantur moraliter bona, possunt mutari in bonitate morali per mutationem libertatis, & variationem circumstantiarum invariata manente bonitate naturali. Tum tandem quia quæ dicuntur moraliter mala, & ipsa opera prava, & vitiosa adhuc sunt, & dicuntur bona naturaliter bonitate transcendenti, igitur bonitas moralis non se habet, ut species bonitatis transcendentis, sed est alia bonitas disparata.

Pasqualigus e contra tom. 2. disp. 75. sect. 1. concedit quidem, tamquam de se evidens, bonitatem moralem importare aliquam rationem bonitatis essentialiter diversam a bonitate naturali, quia bonitas naturalis ex genere suo reperitur indifferenter in quocumque genere entis; bonitas autem moralis solum in determinato genere nimirum morali, quod in libertate fundatur, quod si non esset diversa essentialiter, ipsa quoque posset reperiri in quocumque ente. Addit tamen censendum non esse, quod sint ita essentialiter diversæ, ut sint genera bonitatis omnino diversa, & disparata, itaut neque conveniant in ratione bonitatis, ut sic, nec bonitas moralis contineatur sub transcendentali communissime sumpta; bonitas enim moralis est aliqua bonitas realis, ut sic; atque ideo cum bonitate naturali convenit in ratione bonitatis realis, ut sic, qui est conceptus utique communis, in quo essentialiter conveniunt bonitas moralis, & naturalis. Probat deinde, quod bonitas moralis contineatur sub transcendentali communissime sumpta, quia unumquodque transcendens ratione suæ transcendentiæ debet reperiri in omnibus, quæ dicunt aliquam rationem determinatam intra genus illius transcendentis, unde ens, quia transcendens est reperitur in iis omnibus, quæ intra rationem essendi important determinatum modum essendi etiam in ipso ente morali, ens enim morale vere ens est, bonitas ergo transcendentalis ratione suæ transcendentiæ debet in quacumque bonitate reperiri, tamquam in ea, quæ intra genus bonitatis reperitur, atque ideo etiam in morali. Probat tandem, quod bonitas moralis non sit species bonitatis a transcendentali condistincta, quia species sic contradistinctæ constituuntur per differentias appositas, atque incompossibiles, unde fieri nequit, ut una ex his speciebus fundetur in alia, quia ratione incompossibilitatis se mutuo excludunt ab eadem natura, sed si bonitas moralis comparetur cum naturali non habet oppositionem cum ipsa, aut incompossibilitatem, sed eam sibi subordinat, bonitas namque moralis fundatur in naturali, ergo non sunt species bonitatis contradistinctæ; atque ita concludit bonitatem naturalem, & moralem importare gradus bonitatis essentialiter diversos, subordinatos tamen, itaut bonitas naturalis subordinetur morali, quia hæc fundatur in illa.

290 Dicendum est, bonitatem moralem ita esse essentialiter diversam a naturali, seu transcendenti, ut neque conveniant in ratione bonitatis, ut sic, nec moralis contineatur sub ratione transcendenti, ut quædam species ejus, non tamen esse ita essentialiter diversas, ut constituant species, vel genera bonitatis omnino disparata. Conclusio deducitur ex Scot. loco citato & est contra utrumque modum dicendi jam relatum, & probatur quoad omnes, ac singulas partes, & quidem quoad primam partem, quod nimirum istæ bonitates moralis, & naturalis dicant rationes essentialiter diversas, probatione non indiget, hoc enim gratis fatentur Aversa, & Pasqualig. & cæteri omnes passim, quod satis evidenter constat assignando utriusque bonitatis essentialem rationem; ac etiam ex argumentis ad hoc probandum allatis ab Aversa, & Pasqualig. quæ hanc partem conclusionis urgentissime confirmant. Quod autem ista diversitas tanta sit, ut non conveniant in ratione communi bonitatis, ut sic, quemadmodum volebat Pasqualigus. Probatur ex opposito fundamento, ipse enim dicebat bonitatem moralem debere convenire cum bonitate naturali in ratione communi bonitatis, ut sic, quia bonitas moralis est aliqua bonitas realis, sicut naturalis, sed hoc est falsum, quia sicut moralitas a toto genere nullam ponit in actu entitatem physicam; & realem absolutam, vel respectivam, ita neque moralis bonitas, ut eleganter pluribus ostendit Vasquez p. 2. disp. 95. c. 9. & ratio a priori est, quia actus non dicitur bonus, vel malus moraliter, nisi per habitudinem ad objectum a ratione propositum, ut conveniens, vel disconveniens naturæ rationali, ut sic, sive res ita se habeat a parte rei, sive non, dummodo ratio prudenter, & inculpabiliter dictet, ideo inquit Doctor 2. d. 40. §. *de secundo*, quod bonitas actus moralis est ex aggregatione omnium convenientium actui, non absolute ex natura actus, ad secundum rectam rationem, unde si quis ex dictamine conscientiæ erroneæ, prudenti tamen, & inculpabili, putaret aliquem actum esse bonum, qui tamen talis non est a parte rei, ut v. g. mendacium dicere ad tuendam vitam, talis actus esset moraliter bonus, cum ergo, ut actus voluntatis sit moraliter bonus, non requiratur, quod conformetur bonitati objecti, ut habet esse a parte rei, sed ut proponitur a judicio practico intellectus, prudenti, & inculpabili, etiamsi speculative erraret, signum evidens est conformitatem, in qua consistit bonitas moralis, non esse respectum, & habitudinem realem, & ex natura extremorum consurgentem, seu actui ex natura rei convenientem, sed ex opera tantum intellectus practici dirigentis, & regulantis, & applicantis, bonitatem objectivam huic, vel illi subjecto, sive ita sit a parte rei, sive non. Conf. quia juxta communem Theologorum sequens dictamen conscientiæ erroneæ, præsertim invincibilis, agit bene moraliter, & contra eam faciens peccaret, ergo bonitas moralis non importat conformitatem ad objectum, ut est a parte rei, sed ut proponitur a judicio practico intellectus sive sit ita a parte rei, sive non, & consequenter talis conformitas non ponit aliquid reale, & positivum in actu, sed solam denominationem extrinsecam directi, & regulati a tali judicio desumptam; quam postea concipimus per modum relationis conformitatis ad illud. Denique dari potest pura omissio, quæ sit bona in genere moris, vel saltem mala, ergo nec genus moris, nec consequenter aliqua ejus species dicit aliquid reale, & physicum, quia nullum tale fundari potest in pura omissione, quæ est simplex negatio, vel privatio actus præcepti, probatur assumptum, quia alioquin nulla omissio esset imputabilis.

291 Dices hanc divisionem bonitatis in naturalem, & moralem similem esse illi, qua supra divisimus veritatem in transcendentem, & repræsentativam, sicut ergo illas diximus essentialiter convenire in ratione, & conceptu veritatis, ut sic, q. 7. n. 176. sic in proposito asserendum videtur de bonitate morali, & naturali nam eædem rationes hinc inde militare videntur, & utrumque æque bene probare. Resp. non eandem esse rationem de veritate rei, & cognitionis ex una parte, & de bonitate naturali, & morali ex alia; nam veritas cognitionis, seu in repræsentando consistit in conformitate reali, & quæ ex natura rei consurgit inter objectum, & cognitionem, unde si cognitio non repræsentat objectum, sicut est a parte rei, non dicitur vera, sed falsa, atque ideo veritas in repræsentando potest essentialiter convenire cum veritate in essendo in conceptu communi veritatis realis, ut sic, secus autem est de bonitate morali, quia non dicit realem conformitatem actus ad bonitatem objectam a parte rei, sed sicut proponitur a judicio practico intellectus, sive ita res se habeat a parte rei, ut ipse dictat, sive non, atque ideo non videtur aliquid reale positivum importare in actu, sed solam denominationem extrinsecam directi, & regulati a judicio practico intellectus in ipsum derivatam, atque ideo convenire nequit cum bonitate naturali, quæ est convenientia ex natura rei cum appetitu, in conceptu communi bonitatis realis, ut sic; quia ipsa non dicit aliquid reale, & positivum in actu; quod si bonitas moralis, ita explicetur, ut aliquid reale, & physicum in actibus humanis ponat, plane fatemur de ipsa discurrendum esse suo modo, quemadmodum de veritate in essendo, & repræsentando, & ultro asserendum, quod conveniant in conceptu communi bonitatis, ut sic.

Dices, iterum bonitatem moralem nedum dici de actibus, & operationibus voluntatis, sed etiam de objecto talium actuum, quæ dicitur bonitas moralis objectiva, quamvis ergo bonitas formalis in actu non poneret aliquid Physicum, & reale in actu ob rationes prædictas, negari tamen non potest, quod saltem bonitas objectiva non sit realis bonitas, & a judicio practico intellectus independens, non enim ideo bonum est honestum in genere moris, v. g. dare eleemosynam, quia recta ratio judicat esse tale, sed e converso, quia ipsum bonum vere, & in re tale est, ideo vera, & recta ratio judicat esse tale.

Resp. in primis, quod cum hæc divisio bonitatis in transcendentem, & moralem sit similis divisioni veritatis in transcendentem, & repræsentativam, sicut per veritatem repræsentativam intelligitur veritas formalis existens in actu, non autem objectiva, ita in præfata divisione bonitatis in transcendentem, & moralem potissime sermo est de bonitate formali, quæ convenit actibus, non autem objectiva. Deinde loquendo de bonitate objectiva in genere moris, licet Suarez disp. 19. sect. 2. n. 12. ob eam rationem asserat esse bonitatem veram, & realem in rebus, & a judicio practico intellectus independentem, ideoque eam statuit in convenientia ad naturam rationalem, ut sic, in actu primo; probabilius tamen videtur, quod asserunt alii, etiam bonitatem objectivam in genere moris a regula rationis dependere, & ratio est, quia objectum, seu objectiva bonitas non tribuit actui bonitatem formalem ut habet esse subjectivum a parte rei, sed ut proponitur, & applicatur a regula rationis, unde si ex conscientia erronea invincibili putaret quis dicere mendacium veniale ad vitam tuendam esse bonum, bonum esset, licet res non ita se habeat a parte rei, ergo bonitas quoque objectiva in genere moris proxime saltem constituitur in esse tali per regulam rationis rectam, & veram practice, etiamsi erraret speculative, atq; ideo non est bonitas omnino realis, sicut bonitas transcendens; quod si placeat illam ponere bonitatem realem, & in objectis existentem a parte rei independenter a regula rationis, tunc dicendum est, quod convenit in conceptu reali bonitatis, ut sic, cum bonitate naturali. Demum cum asserit Pasqualig. bonitatem moralem esse realem bonitatem, non loquitur de bonitate objectiva in genere moris, sed præsertim loquitur de bonitate formali actuum humanorum.

Ex hoc etiam probari potest altera, quæ sequitur, particula conclusionis, quod nimirum bonitas moralis non est species quædam bonitatis transcendentis illam essentialiter includens, ut ajebat Pasq. Probatur, inquam, quia bonitas transcendentalis dicit aliquid reale positivum in rebus; non autem bonitas moralis, ergo hæc nequit esse species illius, quia species semper includit naturam generis. Tum quia in hac re non satis consequenter videtur procedere Pasqualigus, primo enim inquit, has bonitates convenire essentialiter in conceptu communi bonitatis, ut sic, quasi duæ species in eodem conceptu generico convenientes, & immediate postea subdit bonitatem moralem esse quandam speciem bonitatis transcendentis, si ergo ita est, jam non conveniunt in conceptu communi bonitatis, sed potius una est bonitas superior se habens sicut genus, & alia est bonitas inferior se habens respectu illius, ut quædam species. Neque ejus ratio oppositum probat; sicut enim falsum est, ens reale ratione suæ transcendentiæ essentialiter includi in ente morali, quia ens morale non est vere ens reale, & positivum, cum a parte rei non dicat in actu humano nisi denominationem extrinsecam a judicio practico intellectus desumptam, quam postea concipimus per modum relationis ad illud; ita quoque falsum est bonitatem transcendentalem includi essentialiter in bonitate morali, quia hæc non est realis bonitas, nec aliquid reale positivum ponit in actu humano, vel libero, sed solam denominationem extrinsecam a dictamine rationis in ipsum derivatam per modum directi, & regulati.

292 Rursus ex dictis sufficienter constat has bonitates scilicet naturalem, & moralem nedum specie, sed etiam a toto genere esse ab invicem diffitas, atque diversas, quia una importat aliquid reale positivum in re, alia vero solam extrinsecam denominationem, vel relationem rationis; neque ex hoc quod bonitas moralis fundatur, & subjectatur in naturali, bene deducitur a Pasq. non esse species, vel genera abinvicem contradistincta, ut dictum est ad simile argumentum supra num. 183. loquendo de veritate in essendo, & repræsentando, ubi ob eandem rationem negabat Pasqualig. specie inter se distingui; nam accidens recipitur, & fundatur in substantia, relatio in ente absoluto, ens rationis in ente reali, & tamen nemo negat hæc esse inter se plusquam specie diversa; neque etiam ex hoc, quod species constituuntur per oppositas, & incompossibiles differentias, sequitur unam non posse fundari in alia, nec esse invicem subordinatas in hoc sensu, ut constat ex eisdem exemplis; quamvis enim ratione talis oppositionis se invicem excludant ab eadem natura, non tamen inter se opponuntur, ut una nequeat in alia fundari, & subjectari. Cum autem ait rationes, & species invicem subordinatas in unicam coalescere naturam, hoc verum est de speciebus in eodem genere subordinatis, seu de subordinatione essentiali, species namque subalternæ ad ejusdem speciei athomæ constitutionem ordinantur, non autem verum est de subordinatione in diverso genere, quo pacto substantia dicitur subordinari quantitati, & hæc qualitati, quia qualitas immediate recipitur in quantitate, & quantitas in substantia, unde decipitur Pasqualigus dum unam subordinationem cum alia confundit, & de bonitate morali, & naturali loquitur, ac si essent subordinatæ essentialiter, & in eodem genere, cum tamen sint subordinatæ solum in diverso genere; ita optime notavit Doctor quol. 17. cir. lit. I. ubi ait, quod nec bonitas meritoria est aliqua ratio specifica, & completiva in genere moris, nec bonitas moralis est completiva in genere naturæ, quia non dicit aliquam bonitatem, vel rectitudinem intrinsecam actui, sed tantum una præsupponit aliam in actu, & illi accidentaliter supervenit, nam in eodem actu meritoria bonitas supponit moralem, & moralis naturalem, & in hoc sensu inquit ibidem has bonitatis species non inter se differre, ut disparatas, sed ut subordinatas, quia nimirum una ratio specifica bonitatis est completiva bonitatis præcedentis, non tamen in eodem genere, sed diverso.

Denique probatur ex hoc ultima conclusionis particula, quod istæ bonitates non sunt adeo inter se essentialiter diversæ, ut constituant species, vel genera bonitatum omnino inter se disparata, nam constat ex modo dictis bonitatem moralem in eodem actu semper supponere naturalem, atq; ideo unam subordinari alteri per modum subjecti, vel præviæ dispositionis; & hoc adeo clarum est, ut quando dixit Aversa has bonitates constituere species bonitatis inter se disparatas, non credo hanc subordinationem inter illas voluisse negare, ut ei tribuit Pasqualig. sed per talem disparationem significare solum voluisse, quod important rationes essentialiter inter se contradistinctas, & non invicem subordinatas in eodem genere, sicut se habent ratio superior, & inferior, quasi bonitas transcendentalis sit gradus superior, & moralis inferior in eodem genere, nam sunt bonitates diversorum generum, una spectans ad genus entis, alia ad genus moris, quæ tamen genera in hoc sensu subordinata dicuntur, quia genus moris supponit genus entis, & in ipso fundatur; & in hoc sensu etiam Doctor quol. cit. art. 3. bonitatem meritoriam, moralem, & naturalem inquit esse species invicem subordinatas, non disparatas, nimirum per species disparatas intelligens, nedum quæ per oppositas constituuntur differentias, sed etiam quæ ita invicem repugnant, ut una nequeat in alia fundari; & in hoc sensu etiam intelligenda est nostra conclusio, cum dicimus has bonitates non esse adeo inter se diversas essentialiter, ut constituant species, vel genera bonitatum ab invicem omnino disparata, quia videmus unam præsupponere aliam in eodem actu, ac in ea fundari, & subjectari; & si in hoc sensu loquitur Pasqualig. cum ait has bonitates importare diversos gradus bonitatis invicem subordinatos & non disparatos, bene discurrit; cæterum ipse loqui videtur de subordinatione graduum essentiali, & in eodem genere, quo pacto invicem subordinantur species subalternæ, in quo sensu falsum est, has bonitates esse invicem subordinatas.

293 Alia quoq; famosa, ac satis frequens tam ad apud Philosophos, quam Theologos divisio est, quia dividitur Bonum in honestum, utile, & delectabile, seu commodum, vel jucundum, & traditur ab Aristot. 2. Ethic. cap. 3. & lib. 8. c. 2. quam divisionem agnoscit Scotus quoque 4 dist. 46. quæstione quarta §. *ad quæstionem*, & quamvis eam ibi assignet bimembrem, scilicet in bonum commodum, & honestum, hoc non est, quia bonum utile non sit bonum ab aliis suo modo distinctum, sed solum quia non habet bonitatem propter se, vel gratia sui appetibilem, sed propter alterum illorum bonorum nimirum commodi, vel honesti: & ideo ad illa reducitur, secundum quod ad unum, vel aliud ordinatur, ut expressis verbis ibid. Doctor se declarat dicens, bonum quidem utile, quod ponitur tertium, ad alterutrum illorum reducitur secundum quod ad ipsum ordinatur; tradit autem Scotus ibi hanc divisionem, velut boni humani, & naturæ intellectualis, quia licet hæc divisio possit etiam extendi ad bonum in communi, seu transcendens, proprie tamen, & primario convenit bono humano, ut etiam fatetur D. Thom. 1, part. quæst. 5. artic. 6. in corpore, quo pacto ita deduci solet præfatæ divisionis sufficientia, aut enim homo aliquid appetit, & operatur, quia propter se bonum, & conveniens est, aut quia confert ad alterius boni consecutionem; hoc secundum est bonum utile, quæ bonitas est proprie mediorum respectu finis; prima vero bonitas scilicet propter se, & gratia sui est propria finis; verum hoc quoq; dupliciter contingere potest, aut enim homo aliquid appetit, vel operatur, quia est rectæ rationi conforme in genere moris, & per se decens naturam rationalem, ut sic, & hoc dicitur bonum honestum præscindens omnino a delectabilitate, sicut dare eleemosynam est honestum, quia est per se consentaneum naturæ rationali, etiamsi per impossibile homo sic operans nullam inde caparet commoditatem; aut quia est sibi delectabile, & jucundum, voluntati nempe conveniens secundum affectionem commodi præscindendo ab affectione justitiæ, & hoc est, quod dicitur bonum delectabile. Ex quo patet, divisionem hanc Boni in honestum, utile, & delectabile hoc modo accepram esse quandam subdivisionem divisionis præcedentis, qua bonum dividebatur in naturale, & morale, cum enim intelligitur divisio ista de bono humano, seu comparato ad naturam rationalem, ut sic, palam est hanc esse divisionem solius moralis, quia dum rationalis natura rationali modo operatur, versatur tantum circa bonum, vel malum morale.

294 Quomodo autem hæc divisio possit etiam applicari bono in communi, seu transcendenti, prout abstrahit a bono humano, varie explicatur ab Auctoribus; Smisinch. tract. 4. de Deo uno d. 1. quæst. 2. num. 49. ita explicat, ut bonum honestum in ordine naturæ sit passio convertibilis cum ente, quia si ente præcise concepto aliqua bonitas concipi potest, illa erit appetibilitas entis per se in ordine naturæ, & sic erit bonitas honesta naturalis, atqui potest in ente præcise concepto aliqua bonitas concipi, quia in illo concipi potest perfectio realis, in qua bonitas fundatur. Quod si objiciatur bonum honestum non converti cum omni ente, quia non cum utili, & delecta-

lectabili, tum quia non omne ens est honestum, ut patet de actibus, & habitibus vitiosis. Negat utrumq; assumptum, primum quidem, quia licet utile, & delectabile, ut sic, non sit honestum, est tamen simul honestum sub alia ratione, nam ipsa utilitas, & delectabilitas supponit honestatem naturalem, & ex ejusdem honestatis fundamento dimanat, idcirco enim est aliquid utile ad finem, quia per se talem perfectionem absolutam habet, quæ possit esse efficiens causa, vel conditio consequendi finis, habet ergo etiam per se aliquam bonitatem in illa perfectione fundatam; estq; idem proportionate de delectabili, quod propter suam per se, & absolutam perfectionem natum est quietare appetitum vitalem, unde licet utile, & delectabile aliquando separentur a parte rei inter se, tamen ab honesto naturali non separantur, nisi secundum rationem. Negat etiam assumptum quoad alteram partem, quod scilicet non omne ens sit honestum, hoc enim falsum est loquendo de honestate naturali, quia etiam vitiosæ operationes sunt per se appetibiles naturæ rationali, ut natura est, quamvis non ut rationalis est, quia sunt operationes vitales, adeoq; actus quidam ultimi potentiæ vitalis, licet sint difformes regulæ dirigenti naturam rationalem ad suum ultimum finem, & ex hac parte sunt inhonestæ in genere moris, & idem est cum proportione de habitibus vitiosis, quia ut sunt actus primi, seu principia vitalium operationum, cum potentia vitali naturalem convenientiam habent, licet difformitatem moralem habeant a regula rectæ rationis; ita discurrit Smisinch. loc. cit.

Verum discursus iste in multis deficit, sed præsertim in eo, quod ita discurrendo non applicatur divisio præfata quoad omnia, & singula sua membra bono in communi, seu transcendenti, sed tantum quoad unum membrum, ait enim bonitatem, quæ est passio entis, sumi præcise ab honestate naturali, & bonum honestum naturale cum ente converti in tota latitudine sua, ergo bonum, quod abstrahit a dicto triplici genere bonitatis, excedit ens, quia quoad unum tantum membrum convertitur cum ipso, non autem in sua amplitudine sumptum; unde & sub illo eodem num. 49. sibi contradicit, quia dicit bonum honestum in genere naturæ, & bonum ut abstrahit a dicto triplici genere bonitatis esse passionem convertibilem cum ente; plane hæc duo invicem directe repugnant, nam impossibile est totum divisum, ac etiam unum ex membris dividentibus, cum eodem converti, quia non sunt ejusdem amplitudinis, ut v. gr. rationale converti cum sensibili, cum quo convertitur animal, quod dividit, nec animal converti potest cum homine, cum quo convertitur rationale, ergo implicat bonum honestum naturale converti cum ente, & quod etiam cum ipso convertatur bonum, ut abstrahit a bono honesto, utili, ac delectabili. Melius ergo cum Suarez, & aliis præfata divisio sic applicari debet bono in communi, seu transcendenti, ut ratio abstracta ab illo triplici genere bonitatis dicatur ipsa bonitas transcendentalis, ac enti conveniat, ut sic, & ejus membra quoq; per totum ens vagentur, non quidem in eo sensu, ut hæc tria bona in singulis rebus reperiantur, quamvis enim hoc esse possit, nam aurum simul, & semel utile est, & delectabile, quia delectat aspectum, & honestum, ac propter se expetibile ob ejus valorem, & pretiositatem, tamen hoc non est necessarium, nam videntur dari aliqua entia, in quibus aliqua ex prædictis rationibus bonitatis reperiri non potest, nam in Deo v. gr. cum sit ultimus finis, non videtur proprie cadere posse bonitas utilitatis cum non possit alteri in appetibilitate subordinari; sufficit ergo simpliciter, dari in rebus, ac assignari posse rationes illas bonorum in hoc, vel illo ente, & e converso omnes rationes bonorum in quibuscunque entibus inventas sub tribus prædictis sufficienter comprehendi, sensus ergo est, quod bonum etiam in genere naturæ servata proportione ad genus moris ita dividitur in honestum, utile, & delectabile, ut nulla res sit, cui non conveniat aliquod membrum ex tribus prædictis. Quomodo autem hæc membra etiam in aliis rebus ab homine reperiantur, adhuc bene explicat Suarez sec. cit. n. 26. servata proportione ad genus moris, nam bonum honestum naturale proprie reperitur in inferioribus rebus, non solum sentientibus, sed etiam inanimatis, in omnibus enim reperitur perfectio aliqua, quæ per se terminat appetitum animalem, vel naturalem, ut est ipsum esse, vel conservari, quod quælibet res appetit. Et quia multæ actiones fiunt a rebus tam animatis, quam inanimatis, ad hunc finem ordinatæ, scilicet ad propriam conservationem, hac enim de causa leve tendit sursum, grave deorsum, & hirundo paleas congregat ad nidificandum, formica grana ad victum, ideo suo modo etiam in aliis rebus ab homine, & extra genus moris assignari potest bonum utile. Bonum tandem delectabile proprie solum reperitur in natura intellectuali, ac etiam pure sensitiva, adhuc tamen per analogiam, & Metaphoram quandam etiam rebus inanimatis attribui potest, inquantum quietem habet unaquæq; res in proprio bono consecuto; quia tamen illa quies non est per proprium actum, sed per solam carentiam motus, ideo propriam, & specialem rationem boni habere non potest.

295 Sed obiicit Ovvied. controv. 3. Met. punct. 4. n. 13. ad hanc rationem abstractam ab illo triplici bonitatis genere recurri non debere ad bonitatem transcendentalem omni enti assignandam, quia si specialis ratio boni enti competit, hæc potiori jure dicetur passio illius, quam ratio alia universalior abstracta ab hac speciali, quæ convenit omni enti, & ab alia, quæ illi non convenit; sicut rationale hominis passionem esse dicimus, & non rationem aliquam abstractam a rationali, quod convenit homini, & ab hinnibili, quod illi non convenit. Sane in hac re consequentius loquitur Ovvied. quam Smisinch. cum enim ipse ponat bonitatem honestam naturalem omnibus, & singulis entibus convenire, non autem delectabilitatem, consequenter noluit assignare pro passione entis adæquata bonitatem in communi abstrahentem ab illo triplici genere bonitatis, ut assignabat Smisinch. etiamsi & ipse poneret honestatem naturalem cum ipso ente converti. Verum non est omnino certum honestatem naturalem cum omni ente converti, hoc enim pendet ex diverso modo explicandi hanc honestatem naturalem; sed quando etiam converteretur, quia tamen multis entibus convenit quoque delectabilitas, & utilitas, præstat absolute statuere pro adæquata entis passione rationem boni ab illis tribus præscindentem, ut sub illa comprehendantur etiam utilitas, & delectabilitas, quod fieri non posset, si pro passione entis adæquata sola assignetur naturalis honestas, neque valet paritas, quam affert de rationalitate, quæ rectius statuitur adæquata hominis passio, quam aliqua ratio communior abstracta a rationali, quod convenit homini, & ab hinnibili, quod illi non convenit; non valet, quia hinnibilitas nulli convenit homini, sed omnibus repugnat, & ideo ratio præcisa ab illa nequit esse passio hominis, ut sic, at delectabilitas, & utilitas multis entibus convenit, & ideo bonitas ab illis abstracta, ac etiam ab honestate naturali bene potest poni adæquata passio entis, ut sic.

Cæterum est adhuc specialis difficultas, qualis sit ista divisio, sive sumatur in genere moris, sive in genere naturæ, an scilicet sit divisio superioris univoci in inferiora, aut analogi in analogata, vel potius ejusdem rei in diversas formalitates, diversosque respectus ad modum divisionis subjecti in accidentia. Et quidem in hoc omnes convenire videntur, quod si triplex illa ratio bonitatis considereretur secundum quod eandem rem denominat, divisio erit ejusdem rei in diversas formalitates, diversosque respectus, similisque erit divisioni illi, qua dividitur intellectus in practicum, & speculativum, quod etiam concedit Doctor loc. cit. 4. d. 46. q. 4. §. *ad quæstionem*, ubi ait interdum in eadem re materialiter coincidere rationes boni commodi, & honesti, licet adhuc retineant suas formalitates distinctas, quia sub diversa ratione eadem res dicitur commoda, & honesta; tamen si consideretur triplex illa ratio bonitatis secundum quod diversas res denominat, est discrepantia in explicando, quomodo bonum dividatur in illa tria membra; D. Thom. 1. p. q. 5. art. 6 ad 3. ait hanc divisionem non esse univoci in sua univocata, sed analogi in sua analogata, quia bonum non æqualiter de illis prædicatur, ut solet prædicari univocum, sed prædicatur secundum prius, & posterius, ut analogum, per prius enim prædicatur de honesto, & secundario de delectabili, & tandem de utili; quod etiam sequitur Suar. loc. cit. n. 27. ubi hoc adhuc magis explicans inquit, inter bonum utile, & reliqua esse veram analogiam, quia utile non est bonum simpliciter, & in se bonum, sed per denominationem ab alio, quod per se bonum est, & conveniens; inter bonum vero honestum, & delectabile inquit non esse propriam analogiam cum utrumque sit bonum ex sua intrinseca bonitate, & non per denominationem unius ab alio, unde solum intervenit quædam analogia late sumpta, qua significatur bonum delectabile esse bonum imperfectum comparatione boni honesti, non vero quod absolute, & simpliciter bonum non sit, cum ex se, & sine habitudine ad illud habeat, unde appetatur; eandem tenent sententiam Vasq. 1. p. disp. 114. c. 2. & 1. disput. 32. c. 3. Montesin. disp. 12. q. 2. Lorca disp. 5. quos citat, & sequitur Hirib. disp. 8. de Actibus humanis sec. 4.

296 Pasqualig. disp. cit. 75. sec. 3. idem sentit cum Suarez de bono utili comparatione boni delectabilis, & honesti, quia & ipse tenet bonum utile, ut sic propriam, & intrinsecam bonitatem non possidere, quod probat, quia bonitas est ratio quietativa appetitus, & terminus motus ejus, sed bonum utile non potest habere rationem termini, in quo sistat appetitus, cum appetitus in ipsum tendat, inquantum ordinatur ad aliud, ergo non habet in se bonitatem intrinsecam. Conf. quia bonum utile dicitur præcise bonum ratione habitudinis, quam dicit ad bonum, ad quod ordinatur, adeout præcisa tali habitudine definit in ipso tota utilitas, & bonitas, sed ista habitudo non dicit rationem formalem boni; non enim ordo ad bonum est bonitas, sicut nec ordo medicinæ ad sanitatem est formaliter sanitas. Dices in bono utili reperiri intrinsecam aptitudinem, ratione cujus confert ad alterius boni assecutionem, hoc autem est aliquod bonum, nempe conferre ad assecutionem alterius boni. At occurrit Pasq. hinc tantum sequi bonum utile habere in se propriam utilitatem, non autem intrinsecam aliquam bonitatem, quia non potest in eo quietari appetitus, in quo consistit ratio formalis boni. Quo autem ad bonum honestum, & delectabile dissentit a Suar. & aliis, quamvis enim concedat utrumq; horum bonorum propriam, & extrinsecam obtinere bonitatem, ratione cujus quietare possunt, ac sistere motum appetitus, adhuc tamen negat divisionem boni in honestum, & delectabile esse veluti in diversas species boni, & ratio est, quia ad constituendas diversas species non sufficiunt diversæ rationes formales, sed insuper requiritur, quod sint inter se incompossibiles, alioquin starent simul, & non dividerent commune genus, sed ratio honesti, & delectabilis non ita se habent, tum quia compossibiles sunt in eodem bono, tum quia sunt invicem subordinatæ, itaut una conveniat rei ratione alterius, quamvis enim in genere moris delectabilitas possit abhonestate separari, ut de re venerea constat, non tamen in genere naturæ, immo in hoc sensu delectabilitas fundatur super honestatem, illamque necessario supponit, nam posita convenientia objecti, in qua consistit honestas naturalis, potest appetitus circa ipsum delectari, ablata autem non potest, ergo convenientia objecti, atq; adeo honestas est causa delectabilitatis, quia si negatio est causa negationis, affirmatio quoque erit causa affirmationis; quare concludit hanc non esse veram divisionem, sed solum esse quandam assignationem diversorum gradum bonitatis, quæ concurrunt ad integram essentiam boni expetibilis constituendam, & ad summum dici posset esse quandam divisionem boni in suos gradus subordinatos, qui simul concurrunt ad complendam eandem rationem boni.

297 Dicendum tamen est hanc esse divisionem univoci in sua univocata, ac veluti generis in species, licet cum analogia permixta, quam diximus cum univocatione saltem non rigorosa compossibilem esse disp. 2. de natura entis. Conclusio quoad bonum honestum, & delectabile clare deducitur ex Scoto loc. cit. in 4. & est passim ab omnibus recepta, quia secundum omnes hæc duo bona propriam, & intrinsecam habent bonitatem abinvicem condistinctam, & ratio formalis unius prorsus diversa est a ratione formali alterius, unde licet in eodem bono materialiter coincidere possint, quatenus eadem res v. g. virtus esse potest honesta, & delectabilis, adhuc tamen in eadem ipsa virtute alia est ratio honesti, & alia ratio delectabilis, nam delectabile dicitur, quod est alicui conveniens ob delectationem, quam secum tale bonum affert, honestum vero quod per se decens, & conveniens est omni præcisa delectatione; seu ut alii dicunt, quod secundum se præcise consideratum est laude, & honore dignum, quod præsertim veritatem habet in genere moris. Neque ratio Pasqualigi ad oppositum adducta est alicujus momenti, tum quia in primis falsum est, rationem delectabilitatis, & honestatis esse ita subordinatas, ut una necessario petat fundari in alia, quamvis enim hoc quandoque contingat, id tamen non provenit ex rationibus formalibus ipsorum sic postulantibus, ut enim inquit Doctor loc. cit. summum commodum modo est beatitudo, & esset commodum, licet per impossibile non esset honestum, summum etiam honestum est charitas, & esset honestum, licet per impossibile non esset commodum, per quod vult innuere Doctor has bonitates non esse invicem subordinatas ab intrinseco, & ex earum ratione formali. Tum quia concessa etiam tali subordinatione, ut una petat in alia fundari, inde non bene deducitur, quod non constituant diversas, & oppositas bonitatis species, ut supra dictum est nu. 294. ubi a fundamento argumentum illud adeo familiare Pasqual. solutum est, ac enucleatum; & ideo concludendum est, illam divisionem boni in honestum, & delectabile esse, & proprie univoci in univocata, ac veluti generis in species, & nullam intervenire analogiam proprie dictam, vel rigorosam, sed solum in lata significatione, tenendo præsertim, quod bonum delectabile habeat suam intrinsecam bonitatem in præcisa quacumque habitudine ad honestatem. Conf. quia hæc divisio assignatur primario, & principaliter in genere moris, ac de bono humano, ut supra dictum est, & tenet hic idem Auctor, at in genere moris certum est, has rationes boni honesti, & delectabilis non esse necessario ita subordinatas, quia ibi datur bonum delectabile sensibile absque honestate morali ex una parte, & ex altera bonum honestum morale absque sensibili delectabilitate, ut ipsemet fatetur, ergo male negat absolute hanc divisionem esse generis in species, & honestatem, ac delectabilitatem esse diversas bonitatis species.

Sed objicies, bonum delectabile non habere propriam, ac intrinsecam bonitatem, vel enim per bonum delectabile intelligitur objectum, circa quod delectatio versatur, aut delectatio, quæ ex tali objecto nascitur; si primum, hoc bonum non erit magis in se, & per se bonum, quam bonum utile, quia erit bonum præcise per ordinem ad delectationem, ad cujus consecutionem ordinatur, quæ videtur utilitas quædam, sicut cibus, si ametur, quia sanitatem confert, dicitur amari, ut bonum utile; sed neque secundum videtur posse dici, quia delectatio potius supponit rationem boni in objecto, circa quod versatur, cum sit quies appetitus, qui non quiescit, nisi in bono adepto. Resp. per bonum delectabile intelligi debere objectum ipsum cum ipsa delectatione, vel potius delectabilitate sumptum; dicitur namque delectabile, quatenus est causativum cujusdam suavitatis in appetitu, quod non est de ratione boni honesti, quod consistit in convenientia ad appetitum præcise ob suam perfectionem, & excellentiam præscindendo a quacumque suavitate, quæ ex tali convenientia in appetitu sequatur, qua ratione virtus dicitur bonum honestum, etiamsi sit bonum arduum, & difficile; neque hinc sequitur bonum delectabile confundi cum bono utili, aut tantum constitui bonum per extrinsecam denominationem a delectatione, quam causat, desumptam, quia res comparatur ad delectationem, quæ ex illa sequitur, non ut medium ad finem, quemadmodum utile comparatur ad alia bona, sed ut objectum ejus, & ideo ex utroque unum bonum intrinsece, & per se appetibile constitui censetur, quod dicitur bonum delectabile contradistinctum a bono honesto, ut bene notavit Suarez cit. n. 20.

298 Altera vero pars conclusionis, quod nimirum bonum quoque utile constituat propriam bonitatis speciem, ut membrum contradistinctum ab honesto, & delectabili, sequitur ex dictis disp. 7. de Anim. q. 7. n. 107. ubi cum Scoto quol. 16. lit. F. docuimus media habere propriam bonitatem extrinsecam distinctam a bonitate finis, unde hac etiam ratione consequenter loquendo hic asserendum est, bonum utile constituere propriam bonitatis speciem ab aliis condistinctam, sicut ob oppositam rationem oppositum asserunt Suarez, Pasqualig. & passim Thomistæ; neque oppositum hujus docet Doctor 4. d. 46. qu. 4. §. *ad quæstionem*, quasi dicat ibi bonum utile non esse distinctum ab honesto, ac delectabili, ut ajunt nonnulli ex nostris, sed solum dicit, quod bonum utile, quod ponitur tertium, ad alterutrum illorum reducitur, secundum quod ad ipsum ordinatur; ex quo certe inferre non licet, bonum utile non habere propriam suo modo, & intrinsecam bonitatem, sed tantum quod eam non habeat absolutam, & independentem ab aliis bonis, immo potius cum essentiali ordine, & habitudine ad illa; ut bene Doctor adnotavit quol. cit. sicut enim conclusiones (inquit ipse) non desinunt habere propriam veritatem intrinsecam, licet eam habeant dependenter a principiis, ita media, quæ sunt bona utilia in ordine ad finem, non desinent habere suam bonitatem intrinsecam, licet illam habeant dependenter a bono honesto, vel delectabili. Rationem hujus asserti assignavimus ibi loc. cit. de Anim. quia bonum utile, licet ad aliud distinctum a se utile sit, tamen in se habet utilitatem suam, quæ consistit in aliqua virtute, vel efficacia præstandi rem illam, ad quam est utile, quod ibi pluribus ostendimus; ex quo postea n. 112. deduximus contra Vasquez, Hirib. & alios dari unum conceptum communem illis tribus bonis, & quamvis bonitas de illis tribus bonis analogice dicatur, quia dicitur de bono utili per analogiam ad honestum, & commodum, quia tamen ista analogia fundatur in forma, quæ est intrinseca omnibus illis bonis, ut etiam Vasquez ipse concedit, qui nobiscum tribuit propriam bonitatem mediis p. 2. disp. 1. cap. 2. concedi debet conceptus communis omnibus illis bonis, quia hoc genus analogiæ semper secum defert communitatem conceptus omnibus analogatis ex disp. 2. Log. qu. 5. art. 1. unde minus consequenter in hac re videtur loqui Vasq. quam Suarez, & alii, qui mediis non tribuunt propriam bonitatem intrinsecam distinctam a bonitate finis, ideoque negant conceptum communem illis tribus bonis; & quia unitas conceptus ad plura semper secum defert aliquam univocationem, nam univocatio in tali conceptus unitate fundatur, ut constat ex dictis disp. 2. de natura entis, ideo concludimus bonitatem, ut sic, dicere conceptum communem univocum ad illa tria bona cum ea analogia permixtum, quæ stat cum univocatione, & sic divisionem illam esse superioris univoci analogi in sua inferiora.

299 At Suarez disp. 10. cit. sect. 2. nu. 24. negans bono utili propriam bonitatem intrinsecam, respondere, aliud esse loqui de utilitate prout significat vim, quæ est in bono utili ad effectum, ad quem utile dicitur, aliud vero esse loqui de utilitate in ordine ad appetentem, cui tale bonum utile est; priori modo verum est, utilitatem esse posse virtutem aliquam, & perfectionem intrinsecam ipsi bono utili, quæ quidem perfectio comparata ad ipsummet bonum, quod utile denominatur, est illi conveniens, non tanquam bonum utile, sed tanquam bonum per se illi proportionatum, & connaturale, ut in medicina v. g. quæ est utilis ad sanitatem, quia habet vim expellendi aliquem humorem, clarum est, illam vim esse proprietatem aliquam intrinsecam tali medicinæ, quæ respectu illius non est utilis, sed per se conveniens, & appetibilis ipsi, respectu vero hominis illa vis dici potest utilitas, quæ est in tali re in ordine ad talem finem; at vero tóta hæc utilitas comparata ad hominem, & per se tantum considerata, non invenietur illi bona, conveniens, aut appetibilis, sed intantum censetur conveniens, in quantum sanitas ipsa conveniens est, unde si homo nunc non indiget tali purgatione, illa virtus medicinæ non est conveniens homini, si vero indiget, censetur conveniens solum ob sanitatem, ergo tota virtus, quamvis intrinseca medicinæ, ex se non est conveniens homini, neque apperibilis ipsi, sed solum quatenus a bonitate finis quodammodo informatur, & denominatur; ita summa hujus responsionis consistit in hoc, bonitatem rei utilis non consistere in utilitate ipsa, sed in convenientia, & appetibilitate, quam habet talis utilitas respectu hominis, & consequenter dicetur bonum utile non habere hanc convenientiam ex se, sed ex fine, ad quem est utile.

Sed in primis male negat Suarez bonitatem utilem in mediis non consistere in intrinseca energia, & efficacia, quam habent ad consequendum finem, nam utilitas medicinæ in hoc præsertim consistit, quod sit efficax ad efficiendam sanitatem, quod ex eo manifeste probatur, quia intantum appetitur ab homine, inquantum utilis est ad sanitatem consequendam, ergo hæc appetibilitas non est ipsa medicinæ utilitas, sed potius utilitatem supponit in ea, quæ consistit in efficacia medicinæ ad inducendam sanitatem. Tum quia licet medicina dicatur utilis homini, & in ordine ad hominem, ut ad finem, cui immediatius tamen dicitur utilis ad sanitatem, & per ordinem ad ipsam, ut ad finem ejus, & hoc est causa illius, est enim medicina utilis homini, quia est utilis ad ei comparandam sanitatem, ergo utilitas medicinæ præsertim debet attendi per ordinem ad sanitatem, & non præcise per ordinem ad appetitum hominis, cui dicitur appetibilis ob sanitatem. Tum quia præsertim in ejus sententia bonitas, ut sic, non consistit in convenientia, & proportione rei ad appetitum, sed in proportione, & convenientia unius rei ad aliam, at medicina de se non est conveniens, & proportionata homini, sed sanitati, quam apta est inducere, ergo utilitas ejus præsertim attendi debet per ordinem ad sanitatem, & non per ordinem ad appetitum hominis. Tum quia con-

conceſſo etiam, ut re vera concedi debet, bonitatem utilem conſiſtere in appetibilitate medii per ordinem ad finem, ad cujus conſecutionem efficax eſt, falſum eſt, medium non habere in ſe, & de ſe propriam appetibilitatem, nam talis appetibilitas fundatur in ejus efficacia ad talem finem, atque ideo ſicut habet propriam, & intrinſecam efficaciam, ita quoque propriam habet appetibilitatem, licet cum eſſentiali ſubordinatione ad eum finem, & habet in ſe propriam convenientiam, ratione cujus bonum eſt, & amabile. Denique ex hoc, quod ſi homo indiget purgatione, medicina illi conveniens eſt, nequaquam vero, ſi purgatione non indiget, infertur tantum bonitatem mediorum pendere omnino a bonitate finis quoad excitandum amorem, nec media amari poſſe, niſi dependenter ab amore finis ob eſſentialem ſubordinationem eorum ad finem, non autem inferri debet mediam nullam prorſus in ſe habere bonitatem, ſed ſolam bonitatem finis, per ſimplicem denominationem extrinſecam, ut infert Suarez, quemadmodum fuſe oſtendimus loc. cit. de Anima, conſtat ergo, quod ſive accipiatur utilitas pro virtute, & efficacia, quæ eſt in bono utili ad effectum ad quem utile dicitur, ſive de utilitate in ordine ad appetentem, cui tale bonum utile eſt; quæ eſt diſtinctio a Suarez allata ad ſolvendum noſtrum argumentum, in utroque ſenſu utilitatem dicere bonitatem quandam intrinſecam bono utili, licet cum eſſentiali dependentia ad bonum honeſtum, & delectabile, præſertim quoad excitandum amorem, nam illud excitare nequeunt, niſi prius illum excitet bonum honeſtum, aut delectabile, ad quod *eſſentialiter ordinatur*.

300 Neque ratio Paſqualig. ad oppoſitum adductam nu. 299. ſatis urget, nam falſum eſt de ratione bonitatis, ut ſic eſſe, quod ſit quietativa appetitus, & terminus motus ejus, quia aliud eſt aliquid eſſe per ſe volibile, & amabile, & aliud eſſe per ſe amabile, ſeu aliud eſt aliquid eſſe per ſe bonum, & propter ſe bonum de ratione boni, ut ſic, eſto quod poſſit appetitum excitare quomodocumque id contingat, ſive propter ſe, ſive propter aliud, quietare vero appetitum, & terminare motum ejus eſt proprium dumtaxat illius boni, quod eſt propter ſe amabile, & non in ordine ad aliud, qualis eſt finis, & bonum honeſtum, vel delectabile, non autem bonum utile. Ad Conf. negatur major, cum enim analogia, quam dicit bonum utile ad cætera bona, non ſit per ſolam *denominationem* extrinſecam a cæteris analogatis, quo pacto medicina dicitur ſana præciſa per habitudinem ad ſanitatem, quæ intrinſece, & *formaliter dumtaxat in homine* reperitur, ſed per formam omnibus, & ſingulis intrinſece inexiſtentem, licet cum ſubordinatione, & dependentia unius ad aliud, ideo bonum utile dicitur tale per bonitatem propriam, quam intrinſece participat, & non præciſe per habitudinem, & dependentiam ad cætera bona, quam doctrinam tradit univerſaliter de hujuſmodi analogis Doctor 2. d. 12. quæſt. 2. G. & 4. d. 12. quæſt. 1. ſub H. & cum inquit quod præciſa tali habitudine deſinit in ipſo tota utilitas, & bonitas; hoc tantum infert talem habitudinem, & dependentiam eſſe bono utili eſſentialem, ac realiter identificatam, adeout præciſa tali habitudine a poſteriori poſſet inferri deſtructio omnis bonitatis in ipſo, ſicut deſtructa utilitate in homine poſſet pariter inferri a poſteriori deſtructio rationalitatis; & eſſentiæ *hominis, non autem, quod ipſa hominis eſſentia* in riſibilitate conſiſtat, ſic, inquam, in propoſito non valet ex eo inferre totam medii utilitatem, ac bonitatem in habitudine ad finem conſiſtere. Nec tandem valet ratio D. Thomæ ſuperius allata, qua negat hujuſmodi diviſionem boni in honeſtum, utile, & delectabile eſſe univoci in univocata, quia non æqualiter prædicatur de omnibus, ſed prius de uno, quam de alio, & de uno per ordinem, & analogiam ad aliud, non, inquam, valet, quia ut dictum eſt diſp. 2. de natura entis n. 108. 116. & 120. non eſt de ratione conceptus univoci, ut ſic, quod æqualiter participetur ab inferioribus, ſed tantum quod participetur ab eis ſecundum idem nomen, & ſecundum eandem rationem, illa vero æqualitas & uniformitas convenit ſolum perfectiſſimæ & rigoroſæ univocationi, qualis ſolum in ſpecie athoma reperitur.

Denique circa hanc diviſionem Boni in honeſtum, delectabile, & utile inquit Averſa q. 7. de entis bonitate ſect. 6. quod ſicut bonum per ſe amabile dividitur in honeſtum, ac delectabile, ita etiam bonum utile ſubdividendum eſt in illud, quod eſt utile ad conſequendum bonum honeſtum, & quod eſt utile ad conſequendum bonum delectabile. Hoc tamen non bene dicitur, nam ideo bonum per ſe amabile dividi ſolet in honeſtum, & delectabile, velut genus in diverſas ſpecies, quia in objecto per ſe expetibili alia eſt ratio honeſtatis, & alia delectabilitatis, atque ideo diverſas ſpecie bonitates ſub eodem genere conſtituunt, ſed ratio boni utilis eadem proportione in medio reperitur, ſive utilitas conferat ad honeſtatem, ſive ad delectationem, neque hoc ullam infert diverſitatem, vel variationem in ipſo bono utili, & ideo minime opus eſt bonum utile in illa membra diſtinguere, in quæ diſtinguit Averſa.

301 Circa gradus Bonitatis, quæ erat altera pars quæſtionis, quæritur an bonitas ſit æqualis in omnibus, vel potius diverſos habeat gradus, ac inæquales, cui quæſito breviter reſpondendum eſt, quod ſive ſit ſermo de bonitate eſſentiali, ſive de accidentali, bonitas eſt inæqualis, & diverſos habet gradus, de eſſentiali quidem primaria, quæ eſt modus intrinſecus cujuſcumque entis, hoc patet, quia licet eſſentia cujuſcumque rei conſiſtat in indiviſibili ex 8. Met. 10. atque ideo ſecundum ſe conſiderata non habeat graduum latitudinem, ſecundum quam modo magis, modo minus eſſentialiter perfecta dicatur, tamen comparando unam eſſentiam cum alia, una eſt perfectior alia, & in entium coordinatione una obtinet excellentiorem gradum, quam alia, & quia bonitas eſſentialis ſecundaria, quæ eſt paſſio entis, ſequitur perfectionem rei in ſe, quæ eſt ejus modus intrinſecus, conſequenter quoad gradus eandem cum illa ſuſcipit inæqualitatem, itaut quanto majoris eſſentia fuerit perfectionis in ſe, majoris etiam erit appetibilitatis, in qua conſiſtit paſſio entis, unde in electione una res alteri præfertur; quia ex natura ſua eſt melior alia, & ideo Doctor 2. d. 7. q. un. *ad quæſtionem*, inquit, quod loquendo de Bonitate, quæ eſt paſſio entis, competit cuicumque enti poſitivo ſecundum gradum ſuæ entitatis magis, & minus. Si vero ſit ſermo de bonitate accidentali, prout dicit etiam alias perfectiones conſentaneas rebus, quæ poſſunt adeſſe, & abeſſe, ſic una res nedum per comparationem ad aliam dici poteſt melior illa, vel deterior, ſi plures, vel pauciores illa habuerit perfectiones, dicuntur ei conſentaneas, verum etiam in ſe conſiderata poteſt dici modo magis, modo minus bona ſecundum quod magis, vel minus accedit ad ſuum connaturalem ſtatum accidentalem. Sic etiam inter illa tria bonorum genera gradus aſſignantur, nam bonum delectabile eſt utique magis bonum, quam utile, quia nedum eſt per ſe, ſed etiam propter ſe expetibile, quod non convenit *bono utili*, & denique bonum honeſtum majus eſt, quam ipſum delectabile, dicitur enim honeſtum, quaſi ſuper omnia bona honore dignum, ut explicat S. Thomas 2. 2. q. 145. art. 1. in corpore.

QUÆSTIO XIII.

Quid ſit malum, & quomodo bono oppoſitum.

302 Sicut poſt veritatem egimus de falſitate, ita in propoſito poſt bonitatem agimus de malitia naturali quidem ex inſtituto, & obiter de morali, & præſertim circa formalitatem malitiæ quæſtio eſt, num conſiſtat in aliquo poſitivo, vel potius *in ſimplici* privatione, aut negatione, nam ex reſolutione hujus quæſiti pendet ſolutio alterius de oppoſitione, ac etiam de exiſtentia ejus in rebus, ſi namque in aliquo conſiſtit poſitivo, tunc etiam poſitive, & contrarie opponetur bono, ac etiam dici poterit ſimpliciter, & abſolute in rebus exiſtere, ſi vero in ſola conſiſtit privatione boni, tunc privative ſolum opponetur bono, nec in rebus exiſtere dicetur, niſi abuſive eo pacto, quo privationes dicuntur habere eſſe a parte rei, quatenus ſubjecta exiſtunt in rerum natura ſine formis connaturaliter debitis.

Communis, ac frequens dicendi modus circa hanc quæſtionem apud tum recentiores, tum veteres Thomiſtas diſtinguit de malo in ſe, quod vocant ſimpliciter malum, & malo alteri, *quod vocant malum ſecundum quid*, his enim duobus modis diximus ſupra poſſe aliquid eſſe bonum, quot autem modis dicitur unum oppoſitorum, totidem etiam modis poteſt & reliquum; *malum primo modo*, quod eſt ſimpliciter, & abſolute malum in genere naturæ vel, entis non conſiſtit formaliter in aliqua entitate poſitiva, neque etiam in mera negatione, ſed in privatione alicujus entitatis, ſive connaturalis perfectionis alicui ſubjecto debitæ; & ratio eſt, quia malum hoc modo ſumptum idem eſt, quod defectuoſum, & cui deficit aliqua perfectio; ſicut bonum in eodem ſenſu illi oppoſitum eſt id, cui nihil deficit perfectionis in ſuo genere, ergo conſtituitur in ratione mali formaliter per privationem, quia defectuoſum conſtituitur formaliter per defectum, defectus autem importat carentiam alicujus perfectionis ſubjecto naturaliter debitæ, & ſic equus dicitur malus, quia caret aliqua perfectione ſibi debita in ſua ſpecie, oculus cæcus dicitur malus, quia caret potentia viſiva, & ſic de aliis. Confirmatur, quia ratio boni ſumpta pro perfecto, cui opponitur malum hoc modo captum, in hoc conſiſtit, quod res habeat perfectionem ſibi debitam, & convenientem, ut ſupra explicatum eſt, ergo malum bono in hoc ſenſu oppoſitum non niſi in privatione talis perfectionis debitæ poteſt conſiſtere, loquendo autem de malo, quod eſt malum relate, ſeu malum alteri, non ſolum conſiſtere poteſt in privatione, ſed etiam in aliquo poſitivo, & ratio eſt, quia non tantum privatio, ſed etiam forma poſitiva poteſt eſſe diſconveniens alicui ſubjecto, unde hæc ratio mali eadem eſt cum ratione diſconvenientis alicui, ſic calor, verbi gratia in aqua receptus non ſolum eſt aquæ diſconveniens, eo quia ſecum adducat privationem frigiditatis in aqua, ſed ratione propriæ ſuæ entitatis, per quam vere nocivus eſt naturæ aquæ, ergo non ſola privatio, & carentia frigiditatis, quæ eſt in aqua, dicitur ei mala, ſed etiam ipſamet caloris natura, quæ cum aqua naturalem habet antipathiam, atque repugnantiam; *hanc ut communem* Thomiſtarum ſententiam refert, & ſequitur Blaſius a Concep. diſp. 24. Met. q. 8. Hurtad. diſp. 7. Met. ſec. 6. Ovvied. controv. 3. Met. punct. 5. ubi proinde diſtinguit malum in negativum, & poſitivum, Averſ. q. 7. ſec. 7. Suarez d. 11. Met. ſec. 1. n. 8. eſto poſtea ſuum aſſertum moderare videatur, ac ita declarare, ut in oppoſitam deſcendat ſententiam, quod etiam malum relate, & pro diſconvenienti ſumptum per privationem in eſſe mali formaliter conſtituatur, Meuriſſe ex noſtris lib. 2. ſuæ Metaphyſic. c. 3. quæſt. 3. Et quia malum morale dicitur non eſſe malum in ſe,

ſe, & abſolute, ſed relate, & alicui, quatenus eſt diſconveniens naturæ rationali, ideo Thomiſtæ quamplures aſſerunt hoc præſertim malum in poſitivo conſiſtere, quod poſitivum varie explicant, nimirum vel per converſionem ad objectum indebitum, vel per relationem poſitivam diſconvenientiæ, vel alio modo poſitivo, quæ ſententia præſertim tribuitur Cajet. 1. 2. q. 18. art. 5. & q. 21. art. 6. & qu. 79. art. 2. ſequitur Medina, Zumel, Vaſquez, & alii ex Thomiſtis circa ea loca.

Oppoſita ſententia docet malum *univerſaliter loquendo*, ſive de malo in ſe, & abſolute, ſive de malo relate, ſive naturali, ſive morali, in privatione conſiſtere, quæ communis eſt in Schola Scotiſtarum, ac Nominalium, & conformior doctrinæ SS. Patrum contra Manichæos diſputantium, qui admittebant aliquod ens poſitive malum, quorum ſola auctoritas ſufficere debet, ut unumquemque inducat ad deferendam primam ſententiam ex ea parte, qua admittit aliquod malum poſitivum; quæ etiam per præfatam de malo diſtinctionem non ſatis apte hoc quæſitum reſolvit, dum malum in ſe, & abſolute ſumptum, ut opponitur perfecto, inquit conſiſtere in privatione perfectionis debitæ, ſumptum vero relate, & pro diſconvenienti, ait poſſe tam in privativo, quam in poſitivo conſiſtere, quia aquæ v. g. non minus diſconveniens eſt, immo magis, poſitiva ipſa forma caloris, quam privatio frigoris; non, inquam, per hanc diſtinctionem bene quæſito reſpondetur, quia ſicut hac ratione malum ſumptum, prout *opponitur convenienti*, poteſt tam in poſitivo, quam in privativo conſiſtere, idem etiam eadem ratione de malo ſumpto, prout opponitur perfecto, aſſeri poterit, ac debebit, nam ſicut malus in hoc ſenſu privative diceretur homo cæcus, vel claudus, quia oculus, vel pes ei deficeret, ita quoque malus dici poſſet poſitive in eadem acceptione malitiæ, ſi haberet ſex digitos, vel duo capita, quia alterum caput, & ſextus digitus hominem illum poſitive fœdaret, & imperfectum redderet. Tum etiam, quia malum ſecundo modo ſumptum nempe pro diſconvenienti non videtur bene explicari modo per poſitivum a modo per negativum, vel privativum, quia tale malum præciſe conſiſtit in ratione diſconvenientiæ, hæc autem eſſe nequit ſimul poſitiva, & negativa, ſed debet eſſe aut ſolum poſitiva, aut ſolum negativa, cum ſit una, atque eadem ratio; explicemus itaque hanc ſecundam ſententiam, ut veriorem, & in Scholis magis receptam,

ARTICULUS I.

Malum univerſaliter in privatione boni conſiſtit formaliter.

303 Concluſio hujus articuli eſt Scoti 2. d. 37. §. *iſta quæſtiones*, & diſt. 49. & quol. 18. & alibi frequenter, ubi malitiam moralem explicat per proportionem ad naturalem, & utramque ait in privatione formaliter conſiſtere, eſt communis in Schola Scotiſtarum, & Nominalium, ac etiam eſt plurium Thomiſtarum, pro qua innumeros fere Auctores refert Salas in 1. 2. tom. 1. tract. 7. diſp. 3. ſect. 2. & tom. 2. tract. 13. d. 2. ſect. 3. quorum præcipui ſunt Alenſis, Magiſt. ſent. D. Thomas, D. Bonav. Scot. Ocham. Durand. Gabriel. Aureol. Ægid. Albert. Henric. & Recentiorum major, & ſanior pars. Probatur concluſio primo univerſaliter de malo in tota ſua latitudine, tam in genere naturæ, quam *in genere moris*, quod *in privatione conſiſtat*, & probatur (inquam) in primis innumeris. SS. Patrum auctoritatibus, quos nominatim refert idem Auctor loc. cit. & verbatim Paſqual. ſec. 1. præcipui autem ſunt Anſelm. opuſc. de præſcin. & præd. cap. 8. Fulgent. lib. de fide ad Petrum c. 11. Damaſc. 2. de fide c. 4. Chriſ. hom. 2. in Act. Apoſt. Athan. orat. contra idola, Naz. orat. 9. n. 16. Dionyſ. 4. de divinis nomin. Hier. in illud Matth. 27. *tunc Judas* &c. Juſtin. lib. quæſtionum q. 46. & 73. Epiph. hæreſi 74. poſt medium, Ambroſ. lib. de parad. cap. 8. Leo epiſt. 93. & alii quamplures, inter quos egregie D. Auguſt. multis in locis adductus a Mag. ſent. d. 33. & 34. nam lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. habet hæc verba, *mali enim nulla natura eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit*, & in enchirid. c. 11. *ait, quid eſt autem aliud, quod malum dicitur, niſi privatio boni; nam ſicut corporibus animalium nihil aliud eſt morbis, & vulneribus affici, quam ſanitate privari, ita etiam & animorum quæcumque ſunt vitia naturalium ſunt privationes bonorum*, quibus verbis manifeſte docet, malum univerſaliter loquendo tam in genere naturæ, quam in genere moris, in ſola privatione boni conſiſtere, & ſic etiam unanimiter loquuntur alii Patres. Nec valet ad hæc clariſſima Patrum teſtimonia reſponſio Vaſq. p. 2. diſp. 95. c. 11. Patres ut plurimum fuiſſe locutos contra errorem Manichæorum dicentium dari aliquam naturam ſubſtantialem per ſe malam, & hoc ſenſu docuerunt malum non eſſe aliquid poſitivum, ideſt non eſſe ſubſtantiam malam. Non, inquam, valet, quia quamplures ex SS. Patribus non ſolum dicunt malum non eſſe aliquam ſubſtantiam, vel naturam contra Manichæos, quorum utique hoc erat aſſertum, ſed præterea dicunt malitiam ſive naturalem, ſive moralem eſſe privationem boni, ſicut mors eſt privatio vitæ, & tenebræ ſunt abſentia lucis; ac ita præſertim loquuntur Aug. loc. cit. & tract. 1. in Joan. Bernard. ſerm. 6. in adventu, Baſil. in conſtit. Monaſt. cap. 5. Niſſen. orat. catechiſt. cap. 5. 6. & 7. Gregorius Magn. lib. 26. Athanaſ. loc. ſupra cit. & alii quamplures, ergo hic eſt communis Patrum ſenſus, quod malum univerſaliter loquendo in privatione boni formaliter conſiſtit; vide Fabrum diſp. 1. de pœnit. q. 1. cap. 3. ubi alias reſponſiones ad has Patrum auctoritates excludit Medinæ, Cajetani, & aliorum præſertim loquendo de malo morali.

Deinde probatur ratione *Scoti* 2. diſt. 35. qua etiam ibidem utitur Aureol. illud eſt formalis, & præciſa ratio mali, qua poſita & quocumque alio dempto ponitur malum, & qua dempta omni alio poſito removetur malum, ſed poſita in quocumque carentia debiti in eſſe vel naturaliter, vel moraliter omni alio concurrente amoto, ponitur in illo ratio mali, & remota, omni alio poſito removetur malum, ergo &c. Probat minorem Doctor præſertim in genere moris, quia eo ipſo quod inferior non ſe *conformat legi ſuperioris ſive omiſſive, ſive commiſſive*, ſtatim peccat, & male agit, ſed minor illa poteſt in quocumque genere univerſaliter probari, quia nedum malum morale formaliter incurritur per *declinationem*, & *defectum* a regulis, & legibus morum, ſed etiam peccatum naturæ, & artis præciſe habetur per privationem conformitatis ad leges, & regulas naturæ, & artis, & in declinatione, & deviatione ab illis. Tum quia, ut urget Aureol. malum reperitur, ubi nullum eſt poſitivum additum ſubjecto, ut conſtat de cæcitate in oculo, quæ in eo eſt mera privatio viſus, nec ſine privatione cogitari poteſt; unde Adverſarii ponentes formalitatem malitiæ in aliquo poſitivo, non adhuc excludunt privationem, imo fatentur talem privationem neceſſario poſitivum illud comitari, quia ſine *tali* privatione concomitanti illud poſitivum non diceretur malum. Sed plane ex hoc potius inferre debebant, malitiam formaliter in ea privatione conſiſtere, quia *illud poſitivum ſecluſa privatione*, quam dicunt concomitantem, non dicitur malum, intellecta vero illa privatione ſtatim intelligitur malum, etiamſi non adeſſet poſitivum illud ſubjecto ſupperadditum, ergo re vera formaliſſime loquendo malitia in ſola privatione conſiſtit.

Reſpondet Vaſquez cit. diſp. 95. cap. 12. frigus poſſe eſſe nocivum, etiamſi nullum gradum caloris auferat, & ſi quis haberet ſex digitos, haberet malum, ſcilicet monſtruoſitatem, & tamen nullum bonum ei adimeret. Contra hoc eſt, quod damnum, & nocumentum privationem alicujus boni, & convenientis importare videntur, nam nihil nocet, niſi quia aliquid boni tollit, unde ſi aliquid eſt in ſe bonum, ſicut eſt frigus in ſua entitate, & nihil mihi aufert eorum, quæ ſunt utilia, vel convenientia, nec diſpendium ullum cauſat, certe non poteſt eſſe mihi malum, ſic arguebat Auguſt. 2. de morib. Manichæorum cap. 3. *percontor vos*, ait, *quid ſit malum? ſi dixeritis id, quod nocet, neque hic mentiemini, quicquid nocet bono aliquo privat eam rem, cui nocet, nam ſi nullum bonum admittet, nihil prorſus nocet*, implicat ergo, aliquid eſſe nocivum alteri, ac diſconveniens, niſi ei aliquid auferat boni. Rurſus monſtruoſitas illa in homine ſex digitos habente, vel duo capita formaliter in privatione conſiſtit, & in deviatione a legibus naturæ, a quibus exorbitari poteſt vel per defectum, ut ſi homini pes, vel oculus deficeret, vel per exceſſum, & quocumque modo exorbitetur, ſemper naturæ peccatum, vel monſtruoſitas in tali deviatione conſiſtit, unde & D. Dionyſ. cap. 4. de divin. nomin. tale malum naturæ formaliter in privatione conſtituit, quam ipſe vocat *ineptam diſſimilium compoſitionem, & defectum proportionis debitæ, & convenientis juxta naturæ inſtitutionem*, unde & D. Auguſt. lib. de natura *boni* cap. 3. & 4. malum nihil aliud ait eſſe, quam corruptionem modi, vel ſpeciei, vel ordinis naturalis, ergo malum, ut ſic, ſemper eſt alicujus boni debiti privatio, & *corruptio*.

Denique malum in communi definiri nequit per poſitivum, nec per aliquid abſtrahens a poſitivo, & privatione, ergo definiri debet per privationem alicujus boni debiti vel in genere naturæ, vel moris, vel artis, ut etiam malum artificiale comprehendamus; Probatur antecedens quoad primam partem, quia ſi malum in communi definiretur per poſitivum, tunc omne malum eſſet poſitivum, quod neque ipſi Adverſarii concedunt, probatur conſequentia, quia non poteſt ratio communis poſitiva contrahi per differentiam negativam, deber enim habere complementum intra ordinem poſitivum, neque differentia adveniens generi debet illud deſtruere, imo potius perficere infra eundem ordinem, quia ratio inferior contrahens debet cum ſuperiori proportionari, tanquam complementum illius naturæ, in qua ipſa inchoata eſt; quare ſi datur aliquod malum negativum, vel privativum, ut Adverſarii concedunt, debet habere rationem mali *communiſſimam negativam*, & ſi ſemel conceditur ratio communiſſima mali eſſe quid negativum, omne malum debebit eſſe tale, cum illa ratio non poſſit, niſi per negativum determinari. Et quia quis cavillari poſſet rationem mali communiſſime ſumptam præſcindere a poſitivo, & privativo, probari debet aſſumptum primum quoad alteram partem ex dictis quæſt. & art. ult. diſp. 2. ubi fuſe oſtenſum eſt, non dari conceptum communem præſcindentem a poſitivo, & negativo; unde nota hanc rationem, prout conficitur a Paſqualig. cit. ſect. 3. non concludere, ex hoc enim quod Adverſarii concedunt malum aliquod negativum, prætendit inferre omne malum univerſaliter debere eſſe tale, ac etiam ipſam rationem mali in communi eſſe debere negativam, quia *differentia negativa* neceſſario ſupponit rationem communem negativam, nam ratio communis poſitiva nequit contrahi per negativam. Non, inquam, valet ratio in hunc modum confecta, quia dicerer Adverſarius rationem mali in communi a poſitivo, & negativo præſcindere, atque ideo bene determinari poſſe ad ſpeciem mali poſitivam, & per differentiam poſitivam, & ad malum negativum per differentiam negativam, quia conceptus mali, ut ſic, ab utraque præſcindit, & eſt ad utramque indifferens, quæ

etiam solutio non esset totaliter abs re, quia disp. 1. Physic. quæst. 1. num. 9. ostensum est, in aliquo sensu dari posse conceptum univocum positivo; & privativo communem, quod rursus infra dicemus num. 324.

304 Secundo principaliter probatur conclusio de unoquoque malo in particulari, primo probatur de malo absolute sumpto, quod dicebatur malum in se, nam malum in hoc sensu idem est, quod imperfectum, & defectuosum, at omne tale ita denominatur formaliter per defectum, & carentiam alicujus perfectionis debitæ, ergo &c. tum quia nihil est malum in se, nisi quia caret aliqua perfectione sibi debita, ergo malum in hoc sensu formaliter in privatione consistit. Deinde probatur hoc idem de malo per disconvenientiam, quod dicitur malum alteri, quia ut dicebamus, nihil est malum alteri, nisi quatenus ei nocet, & damnum affert, sed quod non privat bono, non nocet, nullumque damnum affert. Tum quia nihil, quod in se bonum est, est alteri malum, & disconveniens, nisi quatenus excludit aliquod bonum ipsius, nam habere id, quod in se bonum est, non est malum, sed expediens, ergo tam malum in se, quam malum alteri formaliter in privatione consistit. Respondent Adversarii non solum esse malum in se, quod caret perfectione debita, sed etiam quod habet in se, quod non deberet habere, ut constat de homine bicipite, ut inquit Vasquez loc. cit. & similiter aliquid posse esse malum alteri, si est per se dissentaneum illi, quamvis illi non afferat aliud damnum, & nocumentum. Sed hæc responsio jam impugnata est, nam etiam esse bicipitem in homine, vel habere sex digitos non dicitur malum, nisi quia hominem privat debita formositate, & proportione constituta a lege naturæ; & implicat aliquid esse alicui nocivum, disconveniens, & dissentaneum, nisi adimat illi aliquod bonum, sicut e contra ideo aliquid dicitur alicui conveniens, & proficuum, quia illi affert aliquod bonum.

305 Tertio adhuc specialius id demonstratur de malo accepto pro disconvenienti, de quo est major difficultas, cum verbi gratia calor dicitur disconveniens aquæ, atque ideo malus ei, vel dicitur malus ratione suæmet entitatis, qua illi repugnat, vel præcise per habitudinem disconvenientiæ; non primum, quia secundum talem considerationem calor non dicit nisi suam entitatem absolutam, quæ in se bona est, nec potest dici mala alteri, quia secundum talem considerationem non respicit aliud, cui disconveniat, tum quia si secundum suam entitatem esset disconveniens, cuicumque subjecto disconveniens foret, & malus, restat ergo ut formaliter malus aquæ dicatur, & disconveniens per ipsam habitudinem disconvenientiæ, quia ratione sui positivi potest in ordine ad aliud habere rationem convenientis, atque ideo rationem boni; cum igitur disconvenientia quod negativum dicat, negationem scilicet convenientiæ, sequitur evidenter hoc quoque genus malitiæ formaliter consistere in privatione debitæ convenientiæ. Conf. vel calor est æquæ malus, & male afficit aquam, quia aliquid ponit in aqua, nempe seipsum, vel quia aliquid excludit ab aqua, cum quo repugnat; si secundum, habetur intentum, erit enim malus aquæ, quia gradum qualitatis excludit ab ea connaturaliter debitum, & consequenter privat eam perfectione connaturaliter debita; si primum, sequitur aliquid ratione suæ bonitatis esse formaliter malum alteri, quod implicat, consequentia patet, quia calor secundum suam propriam entitatem est bonus, & ideo ut sic nequit esse alteri malum. Dices secundum suam entitatem esse aquæ malum, quia secundum illam formaliter ei repugnat, & hæc repugnantia convenit ei formaliter. Contra, quia calor intantum aquæ repugnat, inquantum expellit ab ea frigus illi connaturaliter debitum, si ergo dicitur malus aquæ, inquantum ei repugnat, hoc est dicere esse malum aquæ, inquantum eam privat aliqua perfectione connaturaliter debita. Dices repugnare positive, atque ideo hanc disconvenientiam esse positivam, & consequenter etiam ipsam malitiam, cum malitia in ipsa disconvenientia consistat. Contra quia aliud est malum disconvenientiæ consistere in aliquo positivo, & aliud oriri ex aliquo positivo, hoc secundum utique verum est, idque concludit instantia, nam malum disconvenientiæ oritur ex eo quod aliquid alteri applicatur, cui est omnino improportionatum, non tamen in eo formaliter consistit, nam hoc in se bonum est, & etiam potest esse bonum respectu alterius, ut constat de eodem calore respectu ignis; consistit ergo formaliter malitia in hoc, quod ex applicatione caloris ad aquam sequitur in ea privatio frigiditatis, quæ est perfectio ei connaturaliter debita, & per talem privationem calor formaliter dicitur male aquam afficere.

Præterea si malum disconvenientiæ esset formaliter quid positivum, tunc daretur aliquid, quod esset in se positive, & absolute malum, quod neque adversarii concedent, cum dicant malum disconvenientiæ esse malum dumtaxat relate, & hoc tantum malum esse posse positivum, probatur consequentia, quia calor in aqua vel est ei malus & male eam afficit, quatenus eam privat aliquo gradu frigoris, vel quatenus illam informat, seque illi exhibet in genere formalis causæ; si primum, ergo non est positive malus aquæ, sed privative, si secundum, ergo erit in se positive malus, quia causa formalis debet esse in se talis formaliter saltem, ut quo, qualis est effectus; tum quia etiam subjectum, quod tale denominatur, esset in se positive malum, & non quia esset privatum aliqua bonitate. Dices calorem esse positive malum aquæ, quia positive illi repugnat, & disconvenit, etiam si nullum frigoris gradum ab ea expelleret, & eodem modo aqua diceretur male affecta positive, quia habet formam sibi positive repugnantem. Contra, quia repugnantia, & contrarietas formarum dicit incompossibilitatem earum in eodem subjecto, sed incompossibilitas negationem includit, & expulsionem alicujus formæ a communi subjecto, ergo calor dicitur malus aquæ, non ratione entitatis propriæ, qua aquam informat, sed ratione incompossibilitatis, & privationis formæ debitæ, quæ sequitur, vel saltem nata est sequi ad illam, & ob eamdem privationem aqua dicitur sub calore male affecta, unde si calor introduceretur in aqua sine actuali frigoris expulsione, & privatione, adhuc diceretur malus aquæ, quia licet ad ejus positionem in aqua non sequatur ex hypothesi frigoris privatio, tamen sequi nata est, quod si talis privatio nec sequeretur ad calorem in aqua, nec nata esset sequi, sane calor non esset disconveniens, & contrarius aquæ.

306 Quarto ex dictis probatur ulterius etiam malum morale consistere non in aliquo positivo, sed in privatione conformitatis debitæ actui humano ad regulam morum, quod est prudentiæ dictamen, tum quia SS. Patres, cum ajunt malum formaliter in privatione consistere, de malo morali præsertim loquuntur, & de peccato, ut passim notant Auctores secundæ sententiæ. Tum quia malum ut sic, est privatio boni ut sic, ergo & malum morale est privatio boni moralis, assumptum patet ex dictis, consequentia probatur, quia inferiora involvunt suum superius, eique proportionantur, & differentiæ generi advenientes non ejus rationem destruunt, sed potius perficiunt intra eumdem ordinem. Tum quia tam in genere naturæ, quam artis malum in privatione consistit conformitatis ad leges, & regulas naturæ, & artis, & in deficientia, ac deviatione ab ipsis, ergo & malum morale pariter consistit in declinatione a legibus, & regulis morum. Tum quia posita voluntaria, ac libera privatione conformitatis ad legem, & regulas morum in voluntate, aut ejus actu, præciso quocumque positivo illis superaddito, intelligitur peccatum, posito autem quocumque positivo sine illa non intelligitur peccatum, ergo peccatum, quod est malum morale formaliter in privatione consistit, & hæc est ratio Scoti 2. quæst. 37.

Præterea, si malum morale in aliquo positivo consistit, vel id est aliquid physicum, & reale, ut Cajet. Medina, & alii nonnulli Thomistæ velle videntur part. 2. quæst. 79. vel aliquod morale, puta relatio illa disconvenientiæ ad naturam rationalem, ut Vasquez cit. arbitratur; non primum, quia tunc Deus esset causa peccati etiam pro formali, cum sit causa cujuscumque entis realis ad extra, & posset peccatum pro formali esse objectum divini amoris, & Deus in ipso sibi complaceret, unde esset Auctor peccati, quia illud vellet, & amaret. Nec valet responsio Cajet. quod esset causa malitiæ moralis, non peccati, Nam præter quam quod satis inepte distinguitur malum morale a peccato, SS. Patres supracit. negant etiam malum morale esse a Deo. Tum quia si Deus est causa malitiæ moralis, ergo simpliciter, & absolute dicendus est causa peccati, quia causat illud, quod est præcipuum in peccato, scilicet malitiam moralem, nam secundum Cajet. a conversione ad objectum indebitum, & in illa malitia morali præcipue peccatum consistit. Nec valet responsio Medinæ peccatum non esse a Deo, licet sit entitas positiva realis, quia est entitas deficiens, & solum pendet a causa secunda deficiente. Nam omne ens positivum reale, ut sic, habet causam efficientem, non deficientem; tum quia sequeretur, creaturam sine concursu Dei efficere entitatem positivam peccati, quod omnes solent exprobrare Durando, & aliquod ens finitum non pendere immediate a Deo, & a prima causa. Nec valet alia solutio ejusdem Medinæ, peccatum formaliter loquendo præter entitatem physicam realem includere etiam privationem rectitudinis, cujus privationis Deus non est causa. Nam præter quam quod sic dicendo componit essentiam peccati ex positivo, & privativo, ex quibus tamen conceptus per se unus coalescere nequit, adhuc non evadit vim argumenti, nam si positivum illud est vere malitia, & pertinet ad formalitatem peccati, licet partialiter, sequitur Deum esse causam illius, quod non minus repugnat, quam esse causam totius malitiæ. Nec valet aliorum solutio Deum non esse causam peccati, quia ad actum peccati indeterminato concursu concurrit. Nam præter quam quod hoc est falsum ex dictis disp. 2. Physic. quæst. 3. art. 2. & disp. 3. quæst. 4. art. 2. licet forte absque impietate admitti posset ita concurrere ad materiale, & subjectum in peccato, non tamen admitti potest absque impietate, quod ita concurrat ad peccatum pro formali, physice namque nec determinato, nec indeterminato concursu attingit malitiam, & formalitatem peccati. Nec demum valet aliorum solutio, dicentium Deum dici non posse causam peccati; licet formaliter sit aliquid physicum, & reale, quia entitas peccati non pendet a Deo ea peculiari ratione, qua peccatum est, sicut licet Deus concurrat ad generationem animalis, non tamen generare dicitur animal, quia generatio est origo viventis a vivente in similitudinem naturæ, unde animal peculiari ratione pendet a causa secunda generante, secundum quam non pendet a causa prima. Non, inquam, valet, solum enim hæc responsio salvare potest, quod Deus non dicatur peccans, etiamsi concurrat ad actionem peccaminosam, non tamen salvat, quin dici debeat causa peccati, sicut ex hoc, quod animal peculiari ratione pendeat a causa generante, fit solum quod Deus non dicatur generare animal, non vero quod non dicatur adhuc causa physica animalis geniti.

307 Quod

307 Quod autem nec recte ponatur peccatum in positivo aliquo morali consistere formaliter, nimirum in relatione illa dissonantiæ, & disconvenientiæ ad naturam rationalem, probatur, nam vel hæc relatio est realis, vel rationis, non secundum, quia formalitas peccati in humanis actibus est realis, cum homo a parte rei sit peccator violans præceptum Dei, secluſa habitudine ad intellectum, ut postea patebit, ergo nequit esse pura relatio rationis, quæ non habet esse, nisi per opus intellectus, ut Vasquez comminiscitur; si vero est relatio realis, jam urget argumentum supra factum, quod Deus erit causa peccati pro formali. Sed ait Vasquez disp. 95. cap. 10. num. 49. se per istam relationem intelligere denominationem extrinsecam, quæ a parte rei reperitur nullo considerante intellectu. Cæterum licet verum sit, denominationem extrinsecam in rebus reperiri citra opus intellectus, ut esse visum in pariete, falsum tamen est in rebus reperiri secundum aliquod esse positivum reale, quod habeat in rebus. Deinde falsum est hanc relationem dissonantiæ, & disconvenientiæ attendi debere per modum cujusdam ordinis positivi ad naturam rationalem, veluti in actu primo, cui disconveniens, & nocuus dicatur actus peccaminosus, nam potius hæc relatio disconvenientiæ concipi debet per ordinem ad naturam rationalem in actu secundo, idest in ordine ad rationem proponentem divinam legem, humanam, vel naturalem, hoc autem modo disconvenientia non bene concipitur per modum ordinis positivi, & contrarietatis ad legem aut rationem proponentem legem, sed potius per modum recessus, & defectionis a lege, quo pacto explicata disconvenientia non importat relationem aliquam positivam, sed solam privationem convenientiæ, & conformitatis ad legem. Tum quia admisso etiam talem relationem positivam disconvenientiæ in actu peccaminoso reperiri, adhuc falsum est in ea consistere malitiam actus, & formalitatem peccati, nam talis relatio supponit malitiam in actu, quæ est carentia rectitudinis, & conformitatis ad legem, nam ideo actus est disconveniens, quia non est posita rectitudo, quæ poni debebat, tum quia actus ideo est rationi contrarius, quia non est conformis ad rationem, nec elicitus juxta illius dictamen, ergo privatio conformitatis præcedit in actu ipsam relationem difformitatis. Dices, immo potius rem e contra se habere, quod privatio conformitatis, in actu sequitur ad relationem difformitatis; ideo enim actus non est rationi conformis, quia elicitus est difformiter ad ejus dictamen. Contra, quia privatio in eodem signo sequitur in subjecto, in quo habitus inesset, ergo in eodem signo, in quo conformitas esset in actu, in eodem sequitur in ipso privatio illius conformitatis, & deinceps difformitas per nostrum intelligendi modum, & declaratur a simili; nam relatio inæqualitatis inter duas quantitates supponit in uno extremo defectum alicujus quantitatis, ergo sic etiam in proposito difformitas actus ad rationem supponit defectum conformitatis in illo. Denique in peccato omissionis omnino negari non potest privationem rectitudinis debitæ non præcedere dissonantiam ad rationem, ideo enim voluntas contrariatur rationi, quia omittit actum debitum, sed talis privatio sufficit ad constituendum peccatum omissionis, immo malitia omissionis formaliter non est, nisi talis privatio, ergo &c.

308 Dices, Scotum quol. 18. lit. I. distinguere malitiam in privativam, & contrariam, & illam in simplici privatione, hanc vero in aliquo positivo rationi dissono constituit, & expresse docet malitiam aliquando esse positive contrariam virtuti, & rectitudini, ut quando opponitur actui circumstantia contraria, ut cum quis aliquem occidit auctoritate privata, aliquando vero esse dumtaxat privative contrariam, ut cum actus caret aliqua circumstantia debita. Resp. licet ex hoc modo loquendi Doctoris Vasquez loc. cit. & Alvarez disp. 128. num. 13. fint suspicati, Scotum nostrum eorum opinioni favere, omnino tamen decipiuntur, nam firma, & constans ejus sententia fuit semper malum præsertim morale in privatione consistere debitæ rectitudinis, quod satis constat ex illo eodem quol. 18. §. *ex isto sequuntur*, peccata inter se specie, vel numero distinguit universaliter loquendo juxta bonitates, quarum sunt privationes, & unum peccatum ait esse gravius alio juxta majorem vel minorem bonitatem, qua privat, quam etiam doctrinam habet 2. dist. 37. lit. E. dicendum itaque, quod illa distinctio malitiæ ab ipso assignata in positivam, & privativam, seu contradictoriam, & contrariam, ut passim Scotistæ notant, datur a Doctore de malitia pro subjecto, affirmatione vel negatione actus, non de malitia pro formali, quæ semper est privatio conformitatis ad legem, quæ privatio nata est fundari super simplicem negationem, ut non diligere, cum debes, & super affirmationem, ut odisse, neutrum enim est conforme; quod ita declaro, in omni præcepto affirmativo præcipitur actus propositus, & prohibetur oppositus, hinc Doctor 3. d. 30. qu. 1. illud præceptum *diligite inimicos*, intelligi posse docet, vel positive per modum actus eliciendi, vel prohibitive per modum contrarii actus arcendi, in hoc igitur præcepto sicut in quolibet alio affirmativo, quatuor hæc membra sunt distinguenda, diligere, non diligere, non odisse, odisse; & habebis bonitatem, aut malitiam pro materiali, & subjecto, distingue deinde respectus conformitatis, vel privationes horum respectuum super prædictas affirmationes, vel negationes actuum fundatas, & habebis bonitatem, aut malitiam pro formali; super diligere fundatur respectus conformitatis, super non diligere negatio conformitatis, eruntque duæ negationes fundans, & fundata, non odisse est negatio fundans respectum conformitatis, odisse est actus fundans negationem conformitatis; itaque sicut bonitas pro materiali distinguitur in positivam, & privativam, contradictoriam, & contrariam; ita etiam malitia, & de hac distinctione loquitur Doctor loc. cit. & sicut bonitas formaliter semper est conformitas ad legem sive in actu præcepto, sive in negatione actus prohibiti fundata, ita malitia semper est privatio illius conformitatis sive in actu prohibito, sive in negatione actus præcepti fundata. Quod dixi de actu, dicendum etiam est de conditionibus, & circumstantiis actus cum Scot. quol. 18. K. si enim aliquis dat eleemosynam non propter bonum finem, scilicet amorem Dei, hæc est malitia privativa, si dat propter malum finem, est contraria, sed malitia formalis utriusque actus est sola privatio conformitatis ad legem.

309 Quinto constat ex hactenus dictis, quo pacto malitia opponatur bonitati, si enim sumatur malitia prout opponitur bonitati essentiali entis, quæ uno modo accepta est modus intrinsecus entis, & alio modo accepta est passio enti realiter identificata, si inquam, malitia sumatur, ut opponitur bonitati ita acceptæ, dicendum est talem oppositionem esse contradictoriam, & ratio est, quia malitia sic sumpta tollit bonitatem transcendentalem, & consequenter aufert quoque ipsam rei entitatem; & sic malitia remanet pura negatio extra genus, cum enim nullum habeat subjectum, nequit se habere per modum privationis, quæ est negatio in subjecto, atque ideo mere negative opponetur bonitati transcendenti, & sic talis oppositio nec erit contraria, nec privativa, sed contradictoria per modum affirmationis, & negationis; si autem sermo sit de malitia, ut opponitur bonitati accidentali, quæ importat integritatem omnium pertinentium ad perfectionem rei accidentalem, quomodo bonum dicitur illud, quod non solum habet omnia, quæ pertinent ad ejus essentiam, sed omnia accidentia connaturaliter essentiæ suæ convenientia, quo sensu dicitur vinum bonum, quod habet debitum odorem, saporem, & colorem, in hoc, inquam, sensu malitia opponitur privative bonitati; & ratio est, quia tunc malitia non est pura negatio, sed negatio in subjecto, neque sufficit ut sit in subjecto quomodocumque se debet esse in subjecto apto nato, itaut perfectio, & bonitas negata sit illi subjecto debita, alioquin tale subjectum non diceretur malum, neque illa negatio malitia; neque enim lignum dicitur malum, quia non habeat bonitatem hominis, nec homo malus, quia non habet bonitatem Angeli, sed tunc ens aliquod dicitur malum, quando non habet bonitatem debitam; sic etiam privative bonitati opponitur malitia sumpta pro disconvenientia, quia ut dictum est, disconveniens dicitur malum alteri, quia illi repugnat, & ab eo excludit aliquam perfectionem ei connaturaliter debitam, adeout disconvenientia, sine privatione alicujus convenientis concipi nequit in ratione mali. Et hoc tandem modo etiam in genere moris malitia bonitati opponitur privative, & actus humani dicuntur mali, quando non habent rectitudinem, quam deberent habere ex debito morali, quod inducitur per dictamen prudentiæ, & regulas morum.

Dices, bonum, & malum, virtus, & vitium contrarie opponuntur ex Arist. cap. de qualitate, & de oppositis. Resp. ex D. Bonav. 2. dist. 34. articulo secundo, quæstione tertia ad 1. assumptum verificari de bono, & malo, virtute, & vitio pro materiali, & subjtracto, & ita Arist. esse ibi locutum, vel si loquitur pro formali, non debet intelligi de contrarietate in omni rigore, sed eo modo quo idem Arist. 1. Physic. 41. prima rerum principia vocat contraria, & 5. Metaph. cap. de privatione habitum, & privationem contraria vocat; vel si de vera locutus est contrarietate, hoc ideo dixit, quia etiamsi secundum veritatem tantum privative opponantur, imitantur tamen quodammodo legem contrariorum in hoc, quod mutuo se expellunt, & ab uno fit regressus ad alterum, in qua conditione privative opposita secernuntur a contrarie oppositis. Vel tandem dici potest cum Aureolo 2. dist. 35. quæst. unic. articulo secundo, quod semper alterum contrariorum includit privationem respectu alterius per Arist. 10. Metaph. licet ergo bonum, & malum sint contraria, tamen malum non dicitur malum ratione positivi, sed ratione privationis inclusæ.

310 Sexto tandem ex dictis deducitur, quomodo malum, vel malitia sit, vel non sit in rebus, nam si sermo sit de malo, prout opponitur bonitati essentiali, tam *illi*, quæ est modus intrinsecus, quam ei, quæ est passio transcendens, non potest dici esse in rebus etiam suo modo, ut quid negativum, quemadmodum putavit Meurisc. lib. 2. suæ Metaph. cap. 3. part. 3. quæst. 3. ubi concl. 1. statuit dari malum transcendens eo modo, quo solemus dicere dari privationes, cum enim constet ex dictis non posse esse in rebus, ut aliquid positivum, restat solum ut dici possit esse in rebus suo modo, ut aliquid negativum, eo modo quo diximus dari posse a parte rei privationes, & negationes reales disputatione quarta Physic. quæstione prima, articulo primo, ex Scoto 1. distinctione vigesima tertia, littera E. verum neque isto modo dici potest dari in rebus malitiam transcendentem, quod evidenter probatur ex supra dictis loco citat. in Physic. intantum enim privationes dicuntur a parte rei in rebus, inquantum dantur subjecta, [quæ carent formis [sibi debitis, datur tenebra, quia datur aer, in quo non est lumen, datur cæcitas, quia datur oculus, in quo non est potentia visiva, & hic est modus proprius essendi privationum a parte rei, cum ergo malitia essentialis opponatur bonitati essentiali, illam tollit, & consequenter etiam essentiam ipsam, & ideo fieri non potest, ut malitia essentialis sit in rebus, quia aufert

fert fundamentum, ratione cujus dici possit a parte rei. Confirm. quia malitia suo modo existens in rebus illas denominat malas, nam malum denominatur unum, cui deficit debitus sapor; malus equus, cui deficit cauda, vel oculus; malus actus moralis, cui deficit aliqua debita circumstantia; sed malitia essentialis res malas non denominat, quamdiu enim ens est integrum, & perfectum quoad illa omnia, quæ spectant ad ejus integritatem essentialem, semper est essentialiter bonum, & transcendentaliter, numquam malum, quod si deficit aliquid ad talem integritatem spectans, statim deficit esse ens, & sic non posset dici malum ens, quia non datur fundamentum, quod possit a tali negatione denominari; & quamvis dari possit aliquid, quod non sit ens, nimirum ens rationis, non propterea recte diceretur malum ens, sed potius dici debet non ens, ut constat ex communi modo loquendi.

311 Si autem sermo sit de malitia accidentali, quæ nimirum resultat ex defectu alicujus perfectionis spectantis ad complementum accidentale rei, hæc utique datur suo modo in rebus, quemadmodum dari dicuntur aliæ privationes, ac negationes reales, quod ex opposita ratione facile deducitur, quia malitia accidentalis tollit a re aliquam dumtaxat bonitatem accidentalem, nimirum vel aliquam partem rei integralem, vel aliquod accidens illi naturaliter conveniens, & sic remanet fundamentum, quod a tali negatione, & privatione denominari potest, & ratione cujus dici potest esse a parte rei, eo modo, quo dici possunt dari a parte rei cæteræ privationes, & negationes reales; & in hoc sensu dicendum est dari quoque in rebus malum morale, quatenus resultat ex aliquo defectu in actibus humanis, & ab eis aliquam remover bonitatem. Adhuc tamen displicet modus loquendi aliquorum, qui licet quoad rem ipsam nobiscum in hoc asserto conveniant, differunt tamen in modo loquendi, quatenus volunt hoc malum accidentale dari quidem in rebus, non tamen formaliter, & actualiter, sed fundamentaliter tantum; quo pacto etiam loquuntur de cæteris privationibus, & negationibus realibus, quod non nisi fundamentaliter dentur a parte rei; ita loquitur Pasqualig. disp. 76. sect. 2. qui fuit dicendi modus Aureol. 2. dist. 35. cit. ubi ait, quod cum negatio non sit in rebus nisi fundamentaliter, ideo malum non est formaliter aliquid in rebus extra animam, sed tantum fundamentaliter, negationes enim omnes, & privationes (inquit ipse) in potentia tantum sunt in rebus, sed in actu fiunt per intellectum, ita quod intellectus concipiens res, cogitur istas negationes reducere ad actum, & hinc est, quod negationes dici possunt reales, quia in potentia sunt in rebus, & intellectus apprehendens res, cogitur ad actum reducere, unde oriuntur ex rebus, & in rebus habent tantum esse in potentia, non in actu. Hic, inquam, loquendi modus de privationibus displicet, & jam impugnatus est disput. 4. Physic. cit. quæst. 1. art. 1. quia falsum est dari tantum fundamentum a parte rei, ut homo non sit asinus, quia formaliter, & actualiter ita est a parte rei, quod homo non est asinus; tum quia a parte rei oculus cæcus non est actu videns, ergo actualiter habet hanc negationem visus, & non in potentia tantum; ut ait Aureolus, & sane res hæc de se adeo conspicua est, ut alia probatione non egeat, quia sicut Petrus ex natura rei est homo, ita ex natura rei est non lignum, non lapis, unde sicut intellectus ante negationem suam movetur ad concipiendum Petrum esse hominem, ita pariter movetur ad concipiendum ipsum non esse lignum, non lapidem, & utrumque judicium tam positivum, quam negativum est reale, & immediate a re causatum ex Doctore loc. cit. Ex dictis colligitur omne malum, quod reperitur in rebus, esse quoddam malum speciale, quod scilicet non est malum respectu totius ordinis universi, sed tantum respectu alicujus entis particularis, quod contingit, eo quia aliquod ens particulare deficit ab aliqua bonitate sibi debita vel in genere naturæ, vel artis, vel moris; sed de hac materia, quomodo scilicet malum sit in rebus, & quo pacto opponatur bono videatur D. Bon. 2. d. 34. art. 2. ubi per tres alias quæstiones egregie tractat de hac re.

ARTICULUS II.

Proponuntur, & diluuntur Objectiones.

312 QUamvis sententia nostra de formalitate mali in universum, tam in genere naturæ, quam in genere moris, sit verissima, & communi fere calculo extra Thomistarum scholam receptissima, tamen negari nequit, quin gravissimas patiatur difficultates, quas in hoc articulo examinare debemus; & licet ex instituto hic de malo naturali sit sermo, tamen occasione arrepta poriores quoque difficultates de malo morali adducemus, & dissolvemus.

Primo itaque arguit Aversa citat. probans malum naturale præsertim pro disconvenienti acceptum consistere formaliter in aliquo positivo, nam in tali forma disconvenientiæ ver. gr. in calore respectu aquæ potest considerari positivus ordo, & relatio disconvenientiæ, sicut datur relatio dissimilitudinis, & circa intellectum relatio disconformitatis, sive id intelligatur per relationem rationis, sive per relationem, aut connotationem, & denominationem realem. Deinde dari potest forma per se disconveniens subjecto, etiamsi non tollat aliam formam positivam oppositam ver. gr. dolor est malus tactui in animali, etiamsi non tollat aliquam oppositam voluntatem, sed quia per se male afficit animal. Tum præterea etiam quando hujusmodi forma excludit aliam oppositam, non solum est mala, & disconveniens per talem exclusionem, sed etiam quia per se illi repugnat, nam aqua v. g. pejus se habet cum calore, quam si solum careret frigore, & voluntas pejus se habet cum actu, & habitu pravo, quam si solum careret bono, & intellectus pejus cum errore, quam cum simplici nescientia, igitur non solum ratione illius privationis, sed per se formaliter, & positive potest forma esse disconveniens, & mala subjecto; unde damnati mallent annihilari, & carere omni bono, quam pati acerbum illud malum, quod patiuntur.

Resp. quod licet in calore cogitari possit positivus ille ordo, & relatio disconvenientiæ respectu aquæ, tamen in tali positivo ratio formalis malitiæ non consistit, sed in privatione, quam involvit, aliquius connaturalis perfectionis aquæ. Ad 2. negatur assumptum, ut satis constat ex dictis num. 305. ut enim ajebat Augustinus, supracit. 2. de moribus Manichæorum cap. 3. nihil est malum alteri, eique disconvenit, nisi quatenus ei nocet, & damnum affert, sed quod non privat bono, non nocet, nullumque damnum affert. Dices, si ergo per possibile, vel impossibile conservaretur simul cum calore frigus in aqua, error cum scientia, & cum dolore voluptas, illa omnia non essent mala suis subjectis, quia nihil boni auferrent, & nullam perfectionem connaturaliter debitam. Negatur adhuc consequentia, illa enim adhuc mala essent suis subjectis, quia saltem privarent subjecta sua statu eis connaturali, consortium v. gr. frigoris, & caloris in aqua privaret eam statu sibi connaturali, qui est tantum frigidam esse, non vero calidam, aut frigidam, & calidam simul, idemque dicendum de dolore, & voluptate, errore, & scientia; immo deterius se haberet aqua cum calore, & frigiditate simul, quam si expoliata foret utraque qualitate, quia cum utraque esset magis incapax frigoris a seipsa, vel aliis causandi, quam nuda ab utraque forma, & cum utraque forma cogeretur interdum juvare sua contraria, nempe calida, non vero neutram qualitatem habens; & eodem modo deterius se haberet intellectus cum habitu scientiæ, & erroris simul, quam nudus ab utroque habitu, nudus namque esset minus impeditus ad attingendam veritatem, & magis a falsitate expeditus, quam affectus utroque habitu, habitus siquidem erroris illum inclinaret ad falsitatem; & sic pari modo dicendum de appetitu sensitivo, si simul haberet dolorem, & voluptatem, & de voluntate, si simul imbuta esset habitu virtutis, & vitii, ut bene Salas advertit loc. cit.

313 Ad 3. sicut malitia moralis adæquate sumpta non solum includit negationem recti, sed etiam debitum habendi, quia est privatio rectitudinis debitæ, unde sine debito esset mera negatio, ita quoque malitia naturalis, si adæquate accipiatur, non solum includit meram carentiam boni, sed carentiam boni debiti, quæ carentia potest esse major, vel minor ex multis capitibus, ut Doctor insinuat 2. dist. 37. E. primo ex majori bono, quod negat; secundo ex eo, quod illud bonum sit magis debitum subjecto, qua de causa majus malum est Principi paupertas, quam homini plebejo, licet uterque æque careat divitiis; tertio potest esse majus malum ex eo, quod hæc carentia sit magis firma, & radicata in subjecto, sic carentia visionis est pejor, quando oritur ex defectu potentiæ, quam si oriatur ex defectu luminis; ex his itaque capitibus oritur errorem esse pejorem intellectui, quam meram carentiam scientiæ, & dolorem esse pejorem, quam sit carentia voluptatis, oritur enim in primis ex secundo capite, quod pejus sit tristari, & dolere, quam non lætari, & delectari, quia naturæ magis debitum est carere dolore, & tristitia, quam habere gaudium, & delectationem, sic etiam ex eodem capite majus malum est errare, quam nescire, quia intellectui magis debitum est carere errore, quam habere scientiam, qua de causa etiam deterius est cuilibet potentiæ habere malum habitum, quam carere bono, quia magis debitum est illi carere malo habitu, quam habere bonum; sic etiam calor deterior est aquæ, quam sola frigiditatis carentia, quia calor nedum frigiditatem excludit ab aqua, sed ei etiam in aliis nocet, ut nuper dictum est. Deinde etiam ex tertio capite oritur, quod error sit intellectui pejor, quam mera carentia scientiæ, & dolor, quam carentia voluptatis, quia cum errore, aut dolore illa carentia fit magis necessaria, & magis radicata, si quidem datur radix positiva illius carentiæ in ipsa entitate positiva erroris, vel doloris, & hinc etiam fit damnatos malle non esse, quam pati malum, quod patiuntur, quia nimirum pereunte subjecto cessaret in primis malum radicale positivum, quod nunc habent; item ipsamet carentia boni, non esset jam carentia boni debiti, quia simul cessaret debitum, seu capacitas proxima cessante subjecto, atque ideo ipsamet carentia non esset tanta in ratione malitiæ, sicut nunc est.

Dices, Scotus 2. d. 37. in fine, inquit, quod pœna dicitur duobus modis, uno modo pœna est solum carentia boni convenientis naturæ intellectuali, sicut est carentia visionis, & fruitionis Dei, & hæc est pura privatio; alio modo potest dici pœna aliquod positivum, & tamen disconveniens tali naturæ, sicut calor excellens est aliquod positivum disconveniens carni, omnes pœnæ secundo modo dictæ possunt poni a Deo, quia sunt aliqua positiva, & hæc Doctor, quibus verbis concedere videtur malum pœnæ positivum. Sed certe si verba Doctoris paulo attentius expendantur, malum utriusque pœnæ inquit in privatione consistere, & inter utramque pœnam hoc

hoc solum ponit discrimen, quod pœna primi generis puram, & solam importat privationem, at pœna secundi generis pro substrato quid positivum dicit, puta qualitatem doloriferam, in qua talis privatio fundatur, & radicatur; non ergo inter utramque pœnam distinguit, quoad principale significatum, quasi una sit positiva, & alia privativa, sed tantum quoad connotatum, quatenus una pœna radicem habet, & fundamentum, in qua fundetur, & a qua originetur, non autem alia, neque aliquid plus ex illo Scoti loco colligitur, & sic etiam intelligendus est in 4. d. 46. quæst. 4. infra A. & d. 50. qu. 3. infra lit. B.

314 Secundo arguitur de malo morali, quod non in privatione consistat, præsertim rectitudinis debitæ, ut loquitur Scot. nam quando quis elicit verbi gratia odium Dei, non semper tenebatur elicere actum amoris, & quando furatur, non tenebatur dare eleemosynam, sed solum non furari, & non elicere odium Dei. Item si denegaret Deus concursum ad actum justitiæ, vel veritatis, adhuc furtum, & falsitas peccata forent, & tamen non adesset privatio justitiæ, vel veritatis, quia forent impossibiles, ergo, &c. Si dicas rectitudinem tunc debitam, in cujus carentia consistit malitia, non esse amorem, vel eleemosynam, vel veritatem, sed carentiam odii, vel furti, vel mendacii, quæ est rectitudo præcepta per præceptum non furandi, vel non odio habendi; per odium autem, & furtum affertur carentia illius rectitudinis, quam habet, qui non odit, nec furatur; ita enim solent plerique respondere. Contra urgent, quia carentia illius rectitudinis negativæ nil aliud erit, quam ipse actus positivus odii, vel furti, sicut carentia tenebrarum est lux; & carentia negationis entis est ens, & universaliter negatio negationis est quid positivum, si ergo malitia moralis furti est carentia non furandi, sequitur esse ipsum furtum, quod per suam entitatem positivam est immediata carentia non furandi.

Resp. negando antecedens, ad probationem dico in illis casibus, & universaliter in violatione præcepti negativi rectitudinem debitam, in qua formaliter sita est bonitas, non esse actum oppositum scilicet amorem, veritatem, eleemosynam, neque carentiam furti, odii, mendacii, sed conformitatem ad præceptum negativum, quæ super has negationes fundatur, cujus signum evidens est, quia positis his negationibus, secluso ordine ad legem, nulla habetur formalis bonitas; & certe dicere, quod præfatæ negationes, ut præceptæ, sunt rectitudines debitæ in illis casibus, aliud in re non est, quam conformitatem ad præceptum negativum super his negationibus fundatam esse debitam rectitudinem; ita etiam e diverso rectitudo debita in violatione præcepti affirmativi verbi gratia audiendi Missam non est auditus Missæ, nisi materialiter, sed conformitas nata super hunc actum fundari alioquin auditus Missæ secluso ordine ad legem esset formaliter bonitas; & quidem dicere, quod auditus Missæ, ut præceptus est rectitudo debita omittenti, aliud in re non est, quam conformitatem ad præceptum affirmativum in eo actu fundatam esse rectitudinem omittenti debitam; & sicut in peccatis contra præcepta negativa malitia non est actus positus, sed privatio super ipsum fundata, privatio, inquam, conformitatis, quæ in ejus negatione fundaretur, ita in peccatis contra præcepta affirmativa malitia non est ipsa actus omissio, sed privatio super ipsam fundata, privatio, inquam, conformitatis, quæ in actu opposito nata est fundari, quæ rota responsio pendet ex doctrina jam tradita num. 308. Itaque concedo, quod carentia illius negationis non furandi, non mentiendi, non odiendi quid positivum est, ipsissima scilicet entitas positiva furti, mendacii, odii, sed non sequitur, hinc malitiam pro formali horum actuum consistere in positivo, quia sicut illæ negationes non sunt bonitates, & rectitudines formales ad legem, sed tantum materiales, ita quæ sibi opponuntur, easque negant formaliter, sunt tantum materialiter malitiæ morales; & sicut respectus conformitatis ad legem fundati in illis negationibus habent rationem bonitatis formalis, ita privationes illorum in actibus oppositis habent rationem malitiæ formalis in genere moris.

315 Sed impugnatur hæc solutio; Primo, quia perfectio moralis importata per conformitatem ad legem negativam fundatam in præfatis negationibus furandi, mentiendi, &c. non est perfectio positiva, sed negativa, ergo negatio illius erit negatio negationis, & ita redit argumentum, probatur assumptum, natura respectus dignoscitur ab extremis, cum ab illis ortum ducat, cum ergo in proposito ambo extrema tam scilicet fundamentum, quam terminus, sint negationes, etiam ille respectus conformitatis erit negativus, & ita perfectio moralis negativa. Tum 2. si rectitudo debita his actibus est conformitas ad legem negativam, quæ in oppositis negationibus fundaretur, sequitur non amare Deum, cum debes, gravius esse peccatum, quam odisse, quia gravitas peccatorum attenditur ex majori bono, quod negant, at in casu majus bonum negat non amare, quam odisse, cum illud sit privatio conformitatis, quæ super actum amoris fundari deberet, hoc vero sit privatio conformitatis, quæ super negationem odii tantum fundari posset, ac deberet, & illa conformitas longe melior sit, quam ista, quia ultimo fini propinquior. Tum 3. quia rectitudo in illis negationibus fundata non est moralis, ergo malitia eorum actuum, qui illis opponuntur, quæ privatio moralis perfectionis esse debet, non erit tantum illius privatio, probatur assumptum, ille enim status negativus naturæ nostræ juxta legem prohibentem non est bonus moraliter, est enim etiam in somno, distractione, & universaliter, quando voluntas non elicit actum prohibitum odii, furti, &c. Tum tandem, præfatæ negationes odii, furti, &c. saltem regulariter haberi nequeunt absque actibus, qui eorum causa existant directe, vel indirecte, ergo rectitudo debita furanti, vel mentienti erit positio talium actuum, ad quos deinde sequuntur præfatæ negationes.

Resp. ad 1. negando antecedens, ad probationem dico valere in eodem genere, & ordine, non in diverso, si enim respectus realis est inter extrema realia, utique ejus natura dignoscitur ex illis, at si inter extrema aliqua realia exurgat respectus rationis per opus intellectus, non est necesse, quod si extrema sunt negativa, etiam respectus sit negativus, bene enim respectus positivus in uno ordine scilicet entium rationis potest fundari in negatione aliqua reali, & ad aliam terminari, cum ens rationis a toto genere deficiat a reali etiam prout sub eo continentur reales negationes; ita in proposito non inconvenit perfectionem positivam moralem fundari super puram negationem physicam. Addo, quod etsi lex quandoque per negationem explicetur, fundatur tamen semper in aliquo positivo, ut non dicere falsum testimonium super hanc rectitudinem positivam, homo debet semper esse verax, & furtum non facies, unicuique tribuendum, quod suum est, innititur, & sic de aliis præceptis negativis. Ad 2. negatur consequentia, cum enim malitia moralis adæquate sumpta non solum includat negationem recti, sed etiam debitum habendi, nedum hæc carentia erit major, vel minor malitia ex majori, vel minori bono, quod negat, sed etiam ex eo, quod illud bonum negatum sit magis vel major debitum, ut paulo supra dicebamus, qua ratione Doctor 2. d. 37. E. non dixit absolute illam rectitudinem esse meliorem, quæ est fini ultimo immediatior, sed cæteris paribus, hic autem non sunt cætera paria, quia a toto genere magis obligat præceptum negativum, quam affirmativum; & addit Doctor ibidem odium esse gravius etiam ratione conatus. Ad 3. aliud est non violare præceptum negativum, aliud observare, primum semper adest, cum negationes illæ adsint, non secundum, sed tunc tantum, quando adest advertentia intellectus ad præceptum, & tentatio pulsat, animumque pellit in commissionem prohibiti, & tandem quando negationes illæ sunt saltem interpretative volitæ, tunc enim rectitudo in ipsis fundata est moralis perfectio, conformitas scilicet ad legem, ejusque observatio, & non violatio tantum, quod non contingit semper, etiamsi adsint illæ negationes. Ad ultim. distinguendum est consequens de rectitudine formali, & materiali, quæ item distingui debet in mediatam, & immediatam, & tunc negandum est consequentia de rectitudine pro formali, hæc enim semper est respectus conformitatis ad legem, & concedenda de materiali, non quidem immediata, quæ semper est negatio furti, odii, &c. quæ solum de per se intenditur a lege negativa, sed mediata, quæ solum præcipitur a lege negativa, ut medium ad habendum proximum fundamentum conformitatis ad eam scilicet negationem furti, & odii regulariter loquendo; hoc tamen est de per accidens, cum enim absolute loquendo dari possit pura omissio libera, ut dictum est in lib. de Anim. si ad actum furti solam libertatem contradictionis haberem, & concursus ad quemcumque alium actum mihi foret denegatus, si furarer, adhuc actus iste peccatum esset, quia liber, ac proinde imputabilis, & ideo absolute loquendo rectitudo formalis debita actui furti est conformitas ad legem, quæ in ejus negatione fundaretur, materialis vero est ipsamet ejus suspensio.

316 Tertio, si malum morale in privatione consistit, non possent recte distingui vitia opposita eidem virtuti, quia privarent eadem rectitudine nempe ejusdem virtutis, ac proinde eadem forma, & sic prodigalitas, & avaritia haberent eamdem specie malitiam, quia carerent eadem rectitudine liberalitatis, idemque erit de actibus, quam rationem valde exaggerat Vasquez contra nostram sententiam disputatione citata, cap. 7. Respondet ad hoc argumentum noster Vulpes tom. 3. part. 2. disputatione 127. articulo decimo, numero decimoseptimo, peccatum commissionis non esse solam privationem rectitudinis in abstracto, sed esse quid concretum constans ex positivo, & privativo, tamquam ex materiali, & formali, ideo peccatum prodigalitatis, & avaritiæ sunt duo specie distincta, primum opponitur liberalitati per excessum ratione connotati, alterum per solum defectum, unde concludit ridiculam esse consequentiam Alvarez, cum arguit, non distinguuntur specie ex parte formæ, ergo sunt absolute ejusdem speciei. Quod si obiicias positivum non pertinere per nos ad formalitatem peccati, ergo est impertinens ad ejus speciem. Negat sequelam, quia peccatum commissionis utrumque per se includit materiale, & formale, sicut homo animam, & corpus. Sed certe hæc sua responsio ridicula est, non autem Alvarez consequentia, quæ optima est, quia privationes in vera philosophia non distinguuntur specie ex parte materiæ, vel subjectorum, quibus insunt, sed ex parte formæ, qua privant, & ideo bene infert Alvarez, quod si vitia extrema non distinguuntur specie ex parte formæ, ergo sunt absolute ejusdem speciei; & quidem Doctor, cum loquitur de distinctione specifica peccatorum 2. distinctione trigesimaseptima E. & quol. 18. Y. loquitur præsertim de peccatis commissionis, & ait hæc non inter se specie distingui ex parte actus, sed præcise ex parte rectitudinis, cujus sunt privationes. Doctoris verba sunt hæc: *& ita non per conversiones ad objecta, quæ non sunt mala, nisi materialiter, non distinguuntur ipsa peccata, sed formalis ratio in eis distinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam, & aliam spe-*

cie, quæ deberet inesse, frustra ergo recurrit Vulpes diversitatem specificam actuum prodigalitatis, & avaritiæ in genere naturæ, ut hinc inferat diversitatem specificam inter illos etiam in genere moris, & quatenus peccata sunt; optima quoque ad evertendam hanc suam solutionem est objectio sibimet facta, si enim positivum non pertinet ad peccati formalitatem, ergo impertinens est ad ejus speciem constituendam, non enim specificatio alicujus sumitur ab eo, quod tantum materialiter importat, sed ab eo, quod importat formaliter. Nec eam bene solvit dicens peccatum commissionis utrumque per se includere materiale, & formale, sicut homo animam, & corpus; immo hæc rursus soluto seipsam destruit, quia si peccatum commissionis utrumque per se includit tam positivum, quam privativum, ut homo animam, & corpus, jam unum non erit materiale, & aliud formale, sed utrumque pariter de ejus conceptu erit, sicut de essentia hominis pariter est anima, & corpus, & sic peccatum in sua formalitate constituetur ex positivo, & negativo, quod ab omnibus fere reiicitur.

Salas loc. cit. respondet actus avaritiæ, & prodigalitatis non esse malos a privatione habitus neque actus liberalitatis, sed a privatione conformitatis ad præceptum respiciens materiam hujus virtutis, & quoniam hoc præceptum est duplex, alterum non deficiendi, salterum non excedendi, ideo actus prodigalitatis, & avaritiæ sunt diversi specie quasi privantes conformitatibus specie diversis; atque ita *in vitiis extremis statuit diversas privationes propter diversa præcepta quibus prohibentur vitia extrema*. Neque hæc responsio placet, & facile reiicitur, quia *diversitas præceptorum* ad eamdem virtutem pertinentium non est diversitas specifica, ergo penes eam non possunt in vitiis extremis concludi privationes specie diversæ, probatur assumptum, quia diversitas præceptorum, & dictaminum specifica attenditur penes objecta formalia, de quibus dantur, & circa quæ versantur, sed præcepta prohibentia extrema circa liberalitatem verbi gratia versantur circa objectum formale ejusdem virtutis, & unumquodque datur ad servandam eamdem rectitudinem, quæ tollitur per excessum, vel defectum, ergo illa præcepta non sunt specie diversa.

317 Alii dicunt in vitiis extremis non esse eamdem carentiam rectitudinis, nam per carentiam rectitudinis intelligunt carentiam conformitatis cum regula rationis, potest autem actus partim conformari cum ratione, partim non conformari, ut contingit in actu avaritiæ, conformatur enim cum regula rationis prohibente superfluos sumptus, sed non conformatur cum regula *rationis præcipiente necessarios*, & honestos, sicut e contra prodigalitas conformatur cum hac secunda regula, & non cum illa prima, quare sicut sunt duæ regulæ diversæ specie propter diversitatem objectorum formalium, ita in actu liberalitatis dantur duæ conformitates specie diversæ, in actu avaritiæ prima sine secunda, & in actu prodigalitatis secunda sine prima, ac per consequens datur in eis carentia diversæ perfectionis, cum igitur eadem virtus ita consistat in medio respectu duorum extremorum, quæ sunt duo vitia opposita, ut veluti duplicem habeat rationem honestatis, utique mirum esse non debet, si possint eidem virtuti opponi duæ privationes, cum sint diversarum honestatum formalium. Hanc responsionem habere quamdam speciem probabilitatis jam dixi disp. 4. Physic. quæst. 2. num. 19. cæterum intimius considerata non videtur posse consistere, quia tunc actus liberalitatis esset in duplici specie virtutis essentiali simul, & semel, cum per unicum actum attingatur medium istius virtutis, quæ est formaliter duplex, esto sit una materialiter, & similiter habitus ipse liberalitatis in duplici specie virtutis essentiali extaret, quod non minus repugnat, quam de actu. Accedit, quod hoc modo vitia extrema non opponerentur eidem virtuti, neque distingueretur inter se ex oppositione ad eamdem per excessum, & defectum, ut vult Arist. 2. Eth. sed unumquodque peculiari virtuti opponeretur per recessum, & quælibet virtus opponeretur vitio per modum alterius extremi.

Hinc Faber disp. 1. de pœnit. cap. 4. num. 70. ait in virtute consistente in medio esse dumtaxat plures rectitudines virtualiter, sed formaliter unam tantum, & hanc ait sufficere, ut ab una, & eadem rectitudine formali possunt varias species sumere vitia extrema. Sed neque hoc satisfacit, neque tollit difficultatem allatam contra præcedentem responsionem, quia sicut rectitudo formalis virtutis in medio consistentis, quamvis virtualiter multiplex, non tamen constituere potest actus sibi conformes in diversis speciebus, sed in una dumtaxat, ita neque actus difformes poterit in diversis speciebus malitiæ constituere, sed tantum in una. Et quidem si rectitudo formalis liberalitatis, quia solum est virtualiter multiplex, potest tribuere species diversas avaritiæ, & prodigalitati, ac utriusque actibus, poterit æque bene propter hanc multiplicitatem virtualem constituere actus sibi similes in diversis speciebus honestatis, nec ulla sufficiens ratio disparitatis adduci posse videtur.

Ideo concedunt alii liberalitatem esse unam dumtaxat specie virtutem, tum formaliter, tum virtualiter, addunt autem sufficere diversum privandi modum prodigalitatis per excessum, & avaritiæ per defectum ad diversitatem specificam inter utrumque vitium constituendam. At hoc etiam facile reiicitur, quia isti modi non diversificant alias privationes cæcitatis, surditatis, &c. eadem enim species est cæcitatis, vel surditatis, sive per excessum, sive per defectum virtus visiva, aut auditiva sufficiat.

318 Præstat ergo dicere, & paucis ab omnibus his angustiis se extricare, quod vitia extrema eidem virtuti opposita non distinguuntur specie in genere moris, sed tantum in esse naturæ, quam etiam responsionem, ut omnibus probabiliorem attuli disp. 4. Physic. num. 19. ratio enim virtutis, & vitii in moralibus non consistit in entitate physica, sed in respectu *conformitatis, vel difformitatis ad prudentiam ex Doctore* 1. d. 17. quæst. 1. §. *intelligendum*, & §. *tantum igitur*, & hæc solutio videtur ad mentem ejus 2. d. 37. *ex hoc patet*, & quol. 18. Y. ubi ait privationes specie inter se distingui ex distinctione habituum specifica, & numero ex distinctione habituum numerali, & ideo cum peccata sint privationes quædam rectitudinum, quæ deberent inesse actibus, distinguuntur ex distinctione talium rectitudinum, ex quibus secundum ipsum tenendum videtur, si rectitudo liberalitatis sit una specie, privationes avaritiæ, & prodigalitatis ei oppositas esse ejusdem speciei, quia tunc tantum carentiæ, inquit, sunt ejusdem speciei, quando tales sunt rectitudines earum. Sed dices actus prodigalitatis corrumpunt habitum avaritiæ, & e contra, ergo isti habitus non sunt ejusdem speciei, alioquin inter se compossibiles essent. Resp. esto actus illi mutuo se expellant, & similiter habitus ex illis geniti, & consequenter videantur esse diversæ species *in esse physico*, *posse tamen esse ejusdem speciei in esse morali*, quia privantur eadem specie rectitudine, & ratio vitii, & virtutis, ut dictum est, non consistit in entitate physica, sed in relatione conformitatis, & difformitatis ad prudentiam, sic habitus excessive comedendi dulcia exspellit habitum excessive comedendi amara, & physice differunt specie, sed in esse morali non, quia ejusdem virtutis specie rectitudine nempe temperantiæ privant.

Quarto ex hac sententia, & præsertim responsione allata ad præcedens argumentum, sequitur peccatum commissionis, & omissionis contra eamdem virtutem specie non distingui, verbi gratia odium Dei non distingui ab omissione amoris Dei, similiter hæresim non distingui specie ab omissione actus credendi, quia utrobique est privatio ejusdem rectitudinis, nam in odio Dei alia privatio non est, quam rectitudinis in charitate Dei repertæ, & eadem etiam est privatio in omissione actus charitatis Dei, consequens autem est falsum, quia odisse Deum, & non amare cum teneris; hæresis, & omissio actus credendi plusquam specie differunt, & illa sunt longe pejora istis.

319 Ad hoc quoque argumentum variæ afferri solent solutiones, sed breviter occurrendum est, ut ad præcedens de vitiis extremis, peccata omissionis, & commissionis, quando sunt contra eamdem virtutem, esse ejusdem speciei in esse morali, quamvis in esse naturæ longe plusquam speciei differant, esto enim sint contra duo præcepta ejusdem virtutis, quia tamen idem est motivum ferendi illa duo præcepta, ad servandam nempe proxime eamdem rectitudinem, hinc sunt peccata ejusdem speciei; verum tamen est intra eamdem speciem gravius esse Deum odisse; quam non amare, & errare contra fidem, quam non credere, quando debes, & *universaliter peccatum* commissionis, quam omissionis, quia declinare a lege magis obligante deterius est, cæteris autem paribus a toto genere *præceptum negativum magis obligat*, quam affirmativum, quia obligat ad semper, & pro semper, & ideo majus peccatum est odisse Deum, quam non amare illo tempore, quo amare tenemur, quia magis obligat præceptum non habendi odio, quam amandi, idem dicatur de hæresi, & omissione actus credendi. At contra hoc instant aliqui scrupulosi, quod tunc in confessione opus non esset explicare, num peccatum fuerit commissionis, vel omissionis, cum enim omissio, & commissio sint peccata ejusdem speciei, opus non erit id explicare, cum non teneamur ad aperiendas in confessione circumstantias etiam notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, sed tantum, quæ speciem mutant. Verum si isti ad sufficientiam scrupulosi forent, non ita arguerent, nam sequerentur opinionem probabilem docentem etiam circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem esse in confessione aperiendas; si autem opposita teneatur, consequenter dicendum est opus non esse in confessione aperire, quod peccatum sit omissionis, vel commissionis, ad majorem tamen cautelam debere confiteri.

Quinto urgeri solet commune quidem, sed molestissimum argumentum de actibus intrinsece, & ex objecto malis, ut sunt odium Dei, blasphemia, mendacium, universaliter peccata omnia contra primæ tabulæ præcepta, omnes enim ii actus, & si qui alii sunt ejusdem rationis, sunt omnino rectitudinis incapaces, nullamque prorsus habent potentiam, ut sint honesti, & boni, ergo dici nequaquam potest ipsorum malitiam in ipsis præseferre privationem rectitudinis, & honestatis, privatio enim est negatio, & carentia in subjecto capaci formæ oppositæ; quod argumentum multos torsit, & valde exaggerat Vasquez disp. cit. cap. 6.

Resp. argumentum petere solutionem difficultatis, de subjecto proximo, & immediato privationis rectitudinis, in qua consistit malitia; aliqui igitur ad evadendam vim argumenti dixerunt, non actum ipsum, ut argumentum supponere videtur, sed voluntatem esse semper proximum, & immediatum subjectum privationis rectitudinis, in qua malitia consistit, unde consequenter inquiunt malitiam actus non esse carentiam rectitudinis debitæ, aut possibilis ipsi actui, sed voluntati, cui possibile, & debitum est se conformare legi superioris, ita Molin. 1. p. quæst. 5. disput. unic. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 7. disput. 3. sect. 2. & tom. 2 tract. 13. disp. 2. sect. 3.

citans

citans Ocham quol. 3. qu. 14. ad 2. Gabriel. 2. d. 35. qu. un. art. 2. Ovand. 2. d. 35. propos. 4. & ex nostris Faber disp. 1. de pœn. cap. 4. num. 68. ubi ad hoc argumentum respondens, ait, quod rectitudo debita actui non est rectitudo, quæ apta sit inesse actui malo, sed quam deberet habere voluntas, dum elicit actum malum, & non habet, & videtur hunc dicendi *modum etiam* ipse Doctor infinuasse 2. d. 37. qu. 1. infra B. illis verbis, voluntas enim libera debitrix est, ut suum actum eliciat conformiter regulæ superioris, scilicet secundum divinum præceptum, & ideo quando agit disconditer ab ea, caret justitia actuali debita, ex quibus verbis de mente Scoti videtur actum non esse immediatum privationis subjectum, sed voluntatem ipsam, non enim dixit privationem esse in actu, quia ipsi debebat inesse rectitudo, sed quia voluntas debitrix est omnem actum elicere conformiter regulæ superioris, & ideo quando disconditer agit, caret justitia actuali debita, ubi nota, quod non dicit actum carere justitia; sed ipsam voluntatem, & per consequens in voluntate ponit immediate privationem rectitudinis debitæ, juxta quem dicendi modum facillima est argumenti *solutio*.

320 Hic tamen dicendi modus non placet, nam ex hoc sequitur odium Dei, blasphemiam, mendacium, & similes actus non esse essentialiter, ac *intrinsece malos* contra communem Doctorum, consequentia patet, quia nec sunt ipsa malitia formaliter, nec denominative, cum non sint subjectum privationis, hæc enim tantum denominat subjectum suum, ut cæcitas oculum, non aliam corporis partem. Respondent hos, & similes actus dici intrinsece, & essentialiter malos, non quia malitia includatur in eis, ut genus, vel differentia, nec quia sint immediata subjecta privationis, quæ est formaliter malitia, sed quia ipsis positis cum libertate ponitur necessario privatio rectitudinis in voluntate, & hac ratione sunt indispensabiles, habent enim se instar superflui, & noxii humoris in oculo, mediante quo ponitur cæcitas, non in ipso humore, quia est incapax visus, sed in oculo. Contra, nam ex hac solutione sequitur, peccatum non esse in se, & absolute malum, sed tantum alteri, atque relate malum, quod est contra PP. cit. art. præced. qui volunt esse omnibus modis malum, quia est summum malum alia omnia mala excedens; tum quia quod præcise est malum alteri, & relate, est in se bonum, ut constat in exemplo de humore noxio in oculo, qui in se bonus est, sed dicitur malus præcise, quia oculo noxius, ergo si peccatum est præcise malum relate, ad instar humoris illius, sequitur esse aliquid in se bonum. Deinde principaliter voluntas non conformatur cum lege, & regula rationis, nisi eliciendo actum illi conformem, nec ab ea discordat, nisi eliciendo actum contrarium, vel non exercendo actum præceptum, ergo non est subjectum immediatum conformitatis, & difformitatis ad legem, sed mediatum, quia mediante actus, vel ejus omissione conformat se legi, vel ab ea discordat.

Alii proinde nec universaliter ponunt voluntatem subjectum *immediatum hujus privationis*, nec universaliter actum, sed pro diversitate peccatorum modo hunc, modo illam, ita Almain. tract. 5. moral. cap. 13. & Vulpes tom. 1. part. 1. disput. 27. art. 10. num. 3. dicens, quod in actibus ex suo genere malis, ut sunt crimina contra primæ tabulæ præcepta, immediatum privationis subjectum est sola voluntas, in actibus autem malis ex circumstantia solum ut sunt fornicatio, homicidium, furtum, & generatim peccata contra secundæ tabulæ præcepta, subjectum immediatum malitiæ est actus ipse, ii enim actus determinati etiam secundum esse individuale in genere entis recti esse possunt, si cum debitis circumstantiis componerentur, in his enim sicut substantia actus non prohibetur directe sed circumstantia, ita non secundum substantiam, sed ex defectu debitarum circumstantiarum *dicuntur mali*, *quem dicendi modum* etiam Doct. infinuare visus est, ut ipse Vulpes advertit 2. d. 37. E. dum ait, quod voluntas tenetur dare actui rectitudinem proportionalem, si est capax rectitudinis, vel magis cavere ab illo, si non est capax rectitudinis, ita autem est de odio, mendacio, blasphemia, aliisque actibus intrinsece, & ex objecto malis; qua in re Vulpes sibi manifeste contradicit, quia postea tom. 3. part. 2. disp. 127. art. ult. fustinet ex professo subjectum proximum, & immediatum privationis debitæ rectitudinis, in qua consistit malitia, esse solum actum.

321 Cæterum nec iste modus dicendi placet, quia actus semper est immediatum subjectum malitiæ, ut mox ex Doctore dicemus, tum quia secundum hanc viam peccata contra 2. tabulæ præcepta, ut furtum, homicidium, &c. graviora forent peccatis contra primæ tabulæ præcepta, quia majus malum est, ac detestabilius, quod est absolute in se malum, ac etiam relate, quam *illud*, quod *est malum relate dumtaxat*, at *juxta* hunc dicendi modum peccata contra 2. tabulæ præcepta sunt mala in se, quia fundant privationem, & sunt etiam alteri mala, quia *nocent* naturæ rationali, peccata autem contra primæ tabulæ præcepta sunt tantum mala alteri, cum ipsa non fundent privationem. Accedit, quod eadem difficultas, quæ solet urgeri de odio Dei, & aliis sceleribus contra primæ tabulæ præcepta, urgeri etiam potest de furto, adulterio, &c. non quidem absolute sumpto, & secundum substantiam, sed sic, & sic circumstantionato, certe si ita hic, & tunc consideretur actus furti, vel adulterii, est incapax rectitudinis, quemadmodum actus odii secundum substantiam, non enim potest explicari quæ rectitudo sit ei debita sic, & sic circumstantionato, ergo distinctio data non juvat ad solvendam adductam difficultatem, & potius præstabat statuere voluntatem in universum subjectum immediatum malitiæ in omnibus peccatis, statuendo enim modo actum, modo voluntatem, incurrunt difficultates ex utroque capite, ubi statuendo voluntatem solam, vel solum ejus actum incurrimus difficultates ex uno dumtaxat capite.

Itaque potius asserendum est, ut assumitur in argumento principali, privationem *debitæ rectitudinis semper in actu*, *vel ejus* omissione immediate fundari, & subjectari, ita expresse Doctor docuit 2. d. 37. §. *concedo igitur*, dum ait peccatum esse corruptionem rectitudinis in actu secundo, & 3. d. 18. qu. unic. K. ubi ait, quod peccatum est privatio boni, quod deberet inesse actui elicito, quando ponitur, & non inest, & 4. d. 14. qu. 1. B. ubi ait animam non esse subjectum immediatum rectitudinis, & privationis ejus, sed actum secundum, & quol. 18. infra lit. V. ubi tam genus hoc dubium in terminis approbat actum esse subjectum immediatum rectitudinis actualis, & privationis oppositæ magis, quam voluntatem; quem proinde dicendi modum passim sequuntur Scotistæ præsertim Recentiores, Rada 2. part. controv. 16. Herrer. 2. disp. 29. quæst. 2. Lorca p. 2. & alii quamplures, quos citat Salas loc. cit. & probatur, quia omne malum ideo formaliter est tale, quia contra legem, hæc autem aut præcipit aliquid fieri, aut prohibet, sed voluntas non potest peccare, & legi contraire, nisi vel omittendo, quod præcipit, vel committendo, quod prohibet, ergo peccatum contra legem semper consistit in commissione, vel omissione, & sic malitia semper, vel in actu, vel ejus contradictorio immediate reperitur. Conf. lex non observatur, nisi vel omittendo, quod prohibet, vel committendo, quod præcipit, & ideo bonitas moralis, & conformitas ad legem semper immediate subjectatur in actu, vel ejus contradictorio, cum ergo pariter non violetur nisi omittendo, quod præcipit, vel committendo, quod prohibet malitia moris, & privatio conformitatis ad legem semper in actu, vel ejus contradictorio, debet reperiri, & certe asserere subjectum immediatum bonitatis semper esse actum, vel ejus omissionem, malitiæ vero non semper, videtur omnino excogitarum ad evadendum relatum argumentum. Accedit tandem, quod contrarie, & privative opposita habent fieri circa idem subjectum, sed bonitas, & malitia hoc, vel illo modo opponuntur, ergo circa idem subjectum versari debent.

Sed quia tenendo hunc dicendi modum valde urget argumentum principale, quod sunt nonnulli actus omnino rectitudinis incapaces, ut etiam fatetur Doctor cit. 2. 37. E. Auctores hunc tertium dicendi modum sequentes vario modo explicare conantur quomodo tales actus dici possint privati debita rectitudine, & dicunt quamplures hos actus posse dupliciter considerari, ver. gr. odium Dei, vel in specie, quatenus talis actus, vel in genere, quatenus actus morales, & humani, primo modo non sunt capaces rectitudinis, bene tamen secundo modo erunt, igitur *omnes isti actus mali*, quia *carent rectitudine sibi debita* secundum genus, sicut Talpa dicitur cæca, quia debetur eis visus secundum genus, unde sicut Talpa qua tale animal videre non poterat, tamen videre poterat, qua animal, & secundum gradum genericum dicitur cæca, & visu privata, ita etiam ejusmodi actus, licet qua tales, & secundum gradum specificum recti esse nequeant, quia tamen sunt rectitudinis capaces secundum genus, & qua actus morales, id sufficit, ut dicantur actus mali, ac debita rectitudine privati.

322 Sed quamvis hic sit communis dicendi modus *Scotistarum*, numquam tamen mihi placere potuit, quia si odium Dei est rectitudinis capax, atque privativum rectitudine secundum rationem genericam tantum, non specificam, ergo odium Dei secundum suam speciem non est malum, quia non est privatum rectitudine, sicut enim malitia generica constituitur per privationem rectitudinis debitæ secundum genus, ita malitia specifica per privationem *rectitudinis debitæ* secundum speciem. Respondet Lorca sufficere privationem secundum genus, ut subjectum sit simpliciter imperfectum, & malum ut in exemplo de Talpa liquet, quæ est simpliciter cæca, esto ei non debeatur visus, nisi secundum rationem animalis; sufficit ergo, ut actus humanus dicatur simpliciter malus, quod ei debeatur rectitudo secundum genus, & quia moralis est. Contra, quia in primis falso supponitur actui humano, vel morali, ut sic, deberi rectitudinem, quia actus moralis, ut sic, abstrahit a bono, & malo, ergo ut sic non debetur ei bonitas, vel malitia, sicut nec animali, ut sic, debetur rationalitas, vel irrationalitas, quia ab his abstrahit. Tum quia hoc stante non solum admitti non deberet actus indifferens secundum individuum, sed nec etiam secundum speciem, quos tamen omnes admittunt, consequentia patet, quia cuilibet actui morali ut sic foret debita rectitudo. Tum quia repugnat in terminis odio Dei secundum gradum genericum deberi *rectitudinem*, quam *non* potest habere secundum specificum, nam si debetur gradui generico, debetur etiam omnibus inferioribus ejus, vel si omnibus non debetur, non debetur etiam gradui generico, sed aliquibus speciebus illius generis, sicut quantitas debetur substantiæ corporeæ, non tamen substantiæ immateriali, & ideo non debetur gradui generico substantiæ, alioquin si deberetur generi, deberetur etiam omnibus speciebus.

Et per hoc patet ad exemplum de Talpa, nam si Talpæ repugnat visus secundum speciem, falso est visum deberi gradui generico animalis, unde tenendo Talpam non carere visu secundum speciem, non est simpliciter cæca, vel privata, sed tantum secundum quid, seu secundum genus, non quod ejus generi scilicet animali debeatur visus, *in quo decepti sunt passim Scotistæ in hoc exemplo*, sed quod ei non repugnat, quæ doctrina est expresse Scot. 1. d. 28. quæst. 2.

ad 1. ubi ait; carentiam rationis bovi esse privationem secundum genus, quia licet ratio repugnet bovi, quia bos, non repugnat tamen animali, & hanc privationem docet nil dicere imperfectionis, alioquin improducibilitas in Patre in divinis faceret eum imperfectum, quia carentia productionis passivæ in eo est privatio secundum genus, nam licet repugnet Patri, qua talis persona produci, hoc ei non repugnat, qua persona divina; eamdem Doctrinam habet Doctor 5. Met. tex. 26, ubi optime explicat tres modos privationis ibi ab Arist. positos, & resolvit tunc tantum esse privationem proprie dictam, & quæ imperfectionem inducit, quando deest forma debita, non tantum secundum rationem propriam subjecti, sed etiam circumstantiarum, unde catulo, cui secundum speciem, & individuum debetur visus, ante novum diem defectu circumstantiarum non est cæcus, licet visu careat, falsum ergo omnino videtur sufficere, ut aliquid sit malum, & imperfectum, quod careat aliquo, cujus est capax tantum secundum genus, Confirm. quia privatio oculorum, vel visus in planta est quodammodo privatio ex Arist. cit. & tamen non facit malum, nec imperfectum, alioquin privatio sensibilitatis in lapide idem faceret, quia substantia capax est sensibilitatis, ac rursus de quolibet ente creato posset dici esse malum, & imperfectum, quia caret infinita perfectione, quæ illi convenit, vel saltem non repugnat, qua ens est.

Respondet rursus Lorca, privationem secundum genus commune non facere malum, sed bene si sit secundum genus particulare, vel subalternum. Verum videtur hoc gratis omnino dictum, quia si privatio secundum genus proximum scilicet animal Talpæ facit malum, nulla vel apparens ratio dari potest, quare privatio vitæ convenientis lapidi secundum quod corpus, non faciat malum, ideo enim privatio secundum genus proximum facit malum ex ipso Lorca, quia genus illud pertinet essentialiter ad entitatem rei, & omnes perfectiones debitæ generi debentur speciei, & si caret eis, erit imperfecta, sed superiora genera, etiam ipsum ens, essentialiter pertinent ad quodlibet inferius, ergo &c. Hinc Vulpes tom. 3. part. 2. disp. cit. 127. art. 10. n. 19. & 20. ait in actibus intrinsece malis carentiam rectitudinis re vera non esse privationem, quia nulla est illis rectitudo debita, vel possibilis, sed esse puram negationem conformitatis ad rectam rationem vel actualis, & aptitudinalis tantum, vel potentialis simul, & per talem negationem constitui intrinsece malos, Sed hoc est omnino absurdum, quia omnes reponentes malum in aliquo negativo unanimiter docent malitiam non posse esse puram negationem alicujus bonitatis, vel perfectionis, sed talis perfectio negata debet esse subjecto debita naturaliter, vel moraliter, alioquin omnis creatura esset absolute mala, quia quælibet habet negationem alicujus perfectionis, & relationes originis in divinis dici possent malæ, & imperfectæ, cum ex Scot. quol. 5. dicant negationem perfectionis, & tamen ait Doct. ibid. non posse dici malas, ac imperfectas, quia non sunt entia quanta perfectionis capacia; & hoc ipsum convincunt rationes omnes supra allatæ contra Lorcam, quod simplex negatio, immo nec etiam privatio secundum genus sufficiens est ad inducendam malitiam, & imperfectionem in aliquo subjecto.

323 Farendum igitur est, actum quemcumque moralem nedum secundum genus, sed etiam secundum speciem, & individuum, esse immediatum subjectum privationis peccaminosæ, quatenus consideratur sub indifferentia passiva ad elici, & non elici, continuari, vel non continuari, sic, vel sic elici, quod ita declaratur ex Scoto quol. 18. art. 2. sicut enim voluntas ex se potest considerari dupliciter, vel ut est sub indifferentia activa ad elicere actum, vel non elicere, continuare, vel non continuare, vel secundo ut jam est determinata, & in actu secundo ad alteram contradictionis partem, ad elicitionem scilicet actus, vel non elicitionem, sic etiam actus ipsius voluntatis, quia ex se liber est passive etiam in eo instanti, quo fit, ut voluntas active, potest considerari dupliciter, vel ut est sub indifferentia ad elici, & non elici, continuari, & non continuari, vel ut jam determinatus est ad alteram contradictionis partem, scilicet ad elicitionem, vel non elicitionem, & sicut quia voluntas indifferens est active, ideo ipsa voluntas est debitrix rectitudinis, ut ajebat Doctor 2. d. 36. E. & imputabilis active, ut loquitur quol. 18. nam cum sit voluntas inferior, conformare se debet regulæ, & legi voluntatis superioris, ita quia actus est indifferens passive, ut sic est imputabilis ad pœnam, vel præmium, quatenus respicit contradictoria illa, ut determinata per determinationem legalem regulæ superioris, & ut sic includit debitum ad elici, vel non elici, continuari, & non continuari, sic vel non sic elici, & per consequens sic consideratus habet aptitudinem ad bonitatem, & malitiam, quatenus potest elici, vel non conformiter, vel difformiter voluntati superioris, nam sicut se habet aptitudo in naturalibus, ita debitum in moralibus; actus ergo ut sub hac indifferentia consideratus respicit contradictoria illa, tamquam subjectum indifferens, & capax utriusque, etsi non physice, saltem logice, & moraliter, quatenus de ipso actu, ut sic utrumque extremum potest enunciari, & consequenter erit capax rectitudinis, vel malitiæ consequentis ad illa extrema; ecce quo pacto actus quilibet in particulari est rectitudinis capax, quomodo ea ratione quia voluntas ponebatur capax & debitrix rectitudinis, ac proinde privata, eadem ratione etiam actus debet poni capax rectitudinis, & ea privatus, voluntas quidem, active itaut dicatur peccare, vel peccatrix: actus vero passive, itaut dicatur peccatum; hinc Doctor 3. d. 18. qu. unic. K. notanter dixit peccatum esse privationem boni, quod deberet inesse actui elicito, quando elicitur, & non inest, dixit *quando elicitur*, & non quando elicitus est, ut intelligamus actum esse capacem rectitudinis, quatenus sub indifferentia accipitur, & non quatenus ad alteram partem determinatur. Accedit quod actus illi, qui non sunt ex objecto mali, sed tantum ex circumstantiis, possunt secundum substantiam rectificari, si nimirum fiant cum debitis circumstantiis, ut constat de concubitu carnali cum conjugata, ergo secundum propriam entitatem physicam sunt rectitudinis capaces, & per consequens, ut sic fundare posse privationem rectitudinis debitæ, Ex hoc itaque patet quomodo nedum actus mali dumtaxat ex circumstantiis, sed etiam mali ex objecto & secundum substantiam sunt rectitudinis capaces, ut nimirum considerantur sub illa indifferentia, nam ut sic quia respiciunt alteram contradictionis partem scilicet non elici, non continuari, in qua fundatur rectitudo, hac, inquam, ratione habent capacitatem ad illam,

Sed Dices, veram privationem exigere in eo, quod denominat aliqua forma privatum, capacitatem, & potentiam subjectivam ad eam suscipiendam, ut patet de privatione formarum in materia; sed talis potentia, & capacitas non reperitur in actu odii Dei, vel mendacii, sed in ejus potius contradictorio, nam in ejus suspensione solum fundari potest, & subjectari debita rectitudo. Conf. quia Scotus ipse 2. d. 37. E. concedit istos actus intrinsece, & ex objecto malos esse omnino rectitudinis incapaces, ergo frustra laboramus ad ostendendam eorum capacitatem ad rectitudinem debitam. Demum debitum, vel obligatio moralis non competit actui, sed voluntati, cui fit præceptum, ergo soli voluntati est debita rectitudo, non autem actui, & ipsa sola est debitrix rectitudinis, ut loquitur Doctor ibidem.

324 Resp. majorem esse universaliter veram in privationibus physicis, non autem in moralibus, quod declarari potest per quamdam doctrinam, quam refert Scot. 4. d. 14. qu. 1. M. & L. ex Boerio lib. 4. de consol. prosa 4. quod culpa est ordinabilis per pœnam, & pœna est ordinativa illius, & quamdiu manet culpa impunita, manet etiam privata rectitudine, & ordinatione, quam posset, & deberet habere per pœnam, sed sicuti duplex est pœna, alia voluntaria, alia involuntaria, ita dupliciter habet ordinari per pœnam; per involuntariam, ita potest, & debet ordinari, ut ipsa manens fundet ordinationem ad justitiam; per voluntariam vero ita potest, ac debet ordinari, ut ejus ordinatio fundetur in delectione, & non existentia, & tamen si per naturam ordinetur, dicitur vere privata ordinatione, quam per hanc, vel illam habere potest, ac debet; quare ad constituendam moralem privationem in aliquo subjecto, sufficit negatio moralis debiti, quod per legem inducitur, & capacitas seu potentia quæcumque subjectiva scilicet, vel objectiva; talis autem potentia objectiva reperitur ad habendam rectitudinem in actu odii Dei, ut sub indifferentia consideratur, nam ut sic respicit etiam aliam contradictionis partem, in qua physice fundari potest debita rectitudo, & negationem actus fundare rectitudinem idem est in re, quod fundari in actu, quatenus potest non elici; unde Morales communiter numquam dicunt omissionem actus a lege præcipi, sed potius actum a lege prohiberi, signum evidens, quod actus ipse aliquo modo fundare potest rectitudinem moraliter, quod licet non contingat in tanto rigore sicut in subjecto physico, mirum non est, quia ut ait Arist. 1. Ethic. cap. 3. in rebus moralibus non exigitur exacta discussio rerum, ut in speculativis contingit, sed crassa quædam, & vulgaris explicatio secundum communem existimationem hominum. Ad Conf. Doctor ibi loquitur de capacitate subjectiva, non objectiva, quatenus actus illi, qui dici solent intrinsece mali, & ex objecto secundum eamdem physicam entitatem non possunt fieri boni, sicut evenire potest in aliis actibus non intrinsece malis; quod si potentia subjectare potest privationem rectitudinis ad legem ratione indifferentiæ, quam habet ad contradictoria active, quia scilicet potest elicere actum, & non elicere, eadem quoque ratione potest actus fundare privationem ratione indifferentiæ passivæ, quam habet ad contradictoria elici, & non elici, & ratione debiti moralis, quod habet ad non fieri. Ad ult. patet per idem, verum enim est assumptum de debito, & obligatione morali activa, sicut indifferentia voluntatis activa, est falsum de passiva, hæc enim actui convenit, sicut & indifferentia passiva, & ideo sicut voluntas ratione indifferentiæ activæ, ac debiti moralis activi, si in operando legi superioris non conformatur, est imputabilis active, & dicitur peccare, sic etiam & actus ratione indifferentiæ passivæ, & debiti moralis passivi; si legi superioris non sit conformis, est imputabilis passive, & dicitur peccatum, & rectitudine privatus; & in hunc modum explicandus est locus ille Doctoris adductus pro primo dicendi modo, quod scilicet voluntas est debitrix rectitudinis, concedimus enim voluntatem esse debitricem, ea ratione, qua libera est, ut omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superioris, & quando non elicit, carere rectitudine debita, sed quia non tantum voluntas operans est libera, sed etiam actus ab illa procedens est liber, hac de causa & ipse fundabit debitum, & carebit rectitudine debita, si non sit conformis regulæ superioris; & quia carentia rectitudinis in voluntate reperta oritur ex indifferentia ejus activa, & debito morali activo, ipsam denominat peccantem, quia vero carentia in actui reperta oritur in eo ex indifferentia passiva, & debito morali passivo, ipsum denominat peccatum,

Sexto peccatum consistit formaliter in difformitate ad legem, vel regulam rationis, hæc autem competit actui odii, vel furti antecedenter ad quamliber privationem ad ipsos consequentem, nam posito

posito præcepto non furaberis, eo ipso opponitur ipsi voluntas furandi, nihil enim magis oppositum est carentiæ furti, quæ præcipitur per legem, quam ipsum furtum, ergo &c. Conf. quia oppositio, quæ oritur in actu furti ad præceptum negativum non oritur ex aliqua privatione superaddita, sed immediate ex ejus positiva entitate, cum ergo sit aliqua moralitas, & non in specie bonitatis, vel indifferentiæ, sane concludendum est esse in specie malitiæ, cum aliæ species non reperiantur in genere moris,

325 Resp. majorem non esse veram formaliter a parte rei, sed tantum per opus intellectus, qui privationem conformitatis ad legem in actu concipit ad modum cujusdam relationis difformitatis, unde negatur minor, nam utique verum est furtum secundum suam entitatem positivam immediate opponi non furto ex natura rei, non tamen secundum eandem entitatem opponitur eidem non furto, ut præcepto, sed tantum prout privatum conformitate ad illud præceptum, prima oppositio non pertinet ad genus moris, sed tantum secunda, prima in actu furti præcedit privationem conformitatis ad legem, sed secunda eam supponit in actu, ut supra declaratum est nu. 307. Ad Conf. conceditur oppositionem illam pertinere ad genus moris, sed negatur, quod oriatur in actu antecedenter ad privationem. At urgebis; quamvis per impossibile non resultaret privatio rectitudinis post actum positivum, adhuc homo esset æque punibilis, & odibilis Deo per actum positivum, quem posuit, & in cujus positione quantum est ex se dedit causam sufficientem, ut resultaret privatio rectitudinis, ergo malitia formaliter magis consistit in entitate positiva præcedenti, quam in privatione sequenti, ubi enim principalius invenitur odibilitas, ibi principalius est malitia. Confirm. quia privatio sequens est odibilis propter positivum antecedens, ex quo ortum ducit, ergo ante privationem adest malitia. Resp. negando antecedens formaliter, si enim nec adest privatio conformitatis ad legem, neque difformitas, quæ ad eam sequitur, certe nullo modo actus ille est formaliter malus, nec consequenter odibilis, nec homo propter eum punibilis, potest tamen concedi antecedens materialiter, ac fundamentaliter, Ad Conf. pariter conceditur assumptum materialiter, & radicaliter, sed negatur formaliter, sic enim potius actus est odibilis propter privationem sequentem,

Sed contra hanc solutionem obicies, actus, ad cujus positionem sequitur privatio rectitudinis, est formaliter malus antecedenter ad eam privationem, ergo actus odii est malus formaliter antecedenter ad privationem rectitudinis, quæ in ipso sequitur eo ipso, quod a voluntate ponitur, probatur assumptum exemplo actus, qui est causa omissionis, hic enim ex eo præcise, quod est causa omissionis, est formaliter malus. Resp. distinguendo antecedens; actus est formaliter malus antecedenter ad privationem, quæ ex ejus positione sequitur in alio actu, verum est antecedens, ad privationem quæ sequitur in ipso, falsum est antecedens, quia implicat, quod sit formaliter malus antecedenter ad malitiam, quæ ipsum formaliter malum denominat; ad probationem antecedentis dico exemplum illud probare de sequela privationis in alio actu, non in eodem, & tunc utique actus, qui est causa talis malitiæ, est formaliter malus, non quidem per positivam ejus entitatem, sed per privationem rectitudinis debitæ, quam fundat eo ipso, quod potest, & debet non esse causa talis sequelæ, & tamen est.

326 Septimo, sicut se habet falsitas in intellectu, ita se habet malitia moralis in voluntate, sed falsitas est actus positivus intellectus, vel saltem eum involvit, ergo & malitia. Resp. Sales supracit. concedendo paritatem, sed negat minorem, quia etiam falsitas in privatione consistit, sicut malitia. Sed disp. 10 Log. q. 2. art. 4. dictum est, quod licet falsitas, ut opponitur veritati in essendo, in privatione consistat, ut constat ex dictis in hac disp. tamen ut opponitur veritati complexæ, sicut sumitur in argumento, consistit in positiva relatione disconvenientiæ, & difformitatis intellectus ad objectum, unde & ibidem in solutione ad 1. ad idem argumentum negavimus paritatem, quia falsitas est deceptio intellectus, malum autem morale est defectus perfectionis, potest autem defectus esse sine positivo, ut patet in naturalibus, deceptio vero nunquam intelligi potest sine actu positivo intellectus.

Octavo, Actus moralis in communi est quid superius essentialiter ad bonum, & malum moraliter, sed actus moralis in communi est quid positivum, ergo & differentiæ, per quas contrahitur ad determinatas species, & per consequens species ipsæ sunt positivæ, nam privativum non potest directe, & essentialiter contrahere positivum, nec esse ejus species, quia differentia non destruit, sed perficit naturam generis,

Resp. Salas cit. actum moralem sumptum præcise pro actu libero, & humano non dividi in bonum, & malum moraliter, ut genus in species, sed ut subjectum in accidentia; sumptum vero pro actu libero cum habitudine ad legem, vel regulam rationis dividi in bonum, & malum moraliter, ut analogum in sua analogata, quia dicit aliquid commune ad positivum, & privativum, privativo autem, & positivo nihil est commune univocum. Hæc solutio quoad primam partem optima est, sed deficit quoad secundam, cum enim inquit actum moralem, ut sic, dividi in bonum, & malum, ut analogum in sua analogata, non autem ut univocum, vel ita intelligit, ut illud commune analogum dicat communitatem nominis, & non aliquam unitatem rationis, & tunc argumentum non solvitur, quia dicere probat dari debere talem unitatem rationis moralitatis in communi, quia tam bonitas, quam malitia sunt veræ species ejus; si vero ita intelligit, quod illud commune dicat quidem etiam communitatem rationis, non tamen univocam, sed analogam, quia positivo, & privativo nihil est commune univocum, adhuc deficit, tum quia unitas rationis semper infert univocationem ejus, ut constat ex dictis disp. 2. de univocatione entis, tum quia ratio probans positivo, & privativo nihil dari commune univocum, æque bene probat nullam prorsus dari communitatem rationis ad illa, ut constat ex eadem disp. 2. quæst. ult. art. 3.

327 Itaque dicendum est, quod si genus moris ponatur genus univocum dumtaxat ad bonum, & indifferens, æquivocum vero ad hæc, & malum, ut multi sustinent; quia privativo, & positivo nihil est commune univocum, ita negandum est malitiam esse veram, & propriam speciem in genere moris ideo est directe sub eo positam, nam juxta hanc viam reductive tantum ponitur sub genere moris, & ita docet D. Bonav. 2. dist. 34. art. 2. qu. 3. ad argument. dum ait malum esse in eodem genere cum bono, sed hoc non est proprie, & secundum rectam ordinationem, sed hoc est per quandam reductionem; Si vero genus moris ponatur univocum, ad bonum, malum, & indifferens, ut ad tres species sub se directe contentas, tunc negandum est genus moris, ut sic, in aliquo positivo consistere, & dicendum, quod in tali abstractione præscindit a positivo, & negativo. Et cum dicitur, positivo, & privativo nihil esse commune univocum, respondetur veritatem illius propositionis non esse immediatam, sed mediatam, ut notat Doct. 1. d. 29. q. un. dependet enim ex hac alia propositione, ei quod est simpliciter tale, & ei quod est secundum quid tale nihil est commune univocum in quid, positivum, & privativum, sunt hujusmodi, ergo &c. at minor hæc non est vera, nisi membra illa comparentur ad aliquod commune prædicatum, quod uni simpliciter, & absolute competat, & alteri membro, non nisi concipiatur ad modum illius, sicut se habet hoc prædicatum *ens*, ad ens reale, & rationis, positivum, & privativum, Quod si comparentur ad commune prædicatum, quod utique ex æquo simpliciter, & absolute competit, absque eo quod unum concipiatur ad modum alterius, falsa est illa minor, qua de causa dicebamus disp. 1. Phys. q. 1. nu. 9. rationem principii convenire univoce formæ, & privationi, licet non ratio entis, quia ut privatio dicatur talis, scilicet principium generationis, non exigit quod concipiatur ad modum formæ, & principii per modum termini ad quem, sed tunc vere concipitur talis, quando concipitur ut privatio, & terminus a quo, quod non verificatur de ratione entis; ita igitur est in proposito, quod hoc commune prædicatum *moralitas*, ut de malitia dicatur, non requiritur, quod ipsa concipiatur ad modum bonitatis, sed sufficit, quod concipiatur, ut pura ejus privatio, & ideo dicere potest conceptum communem univocum ad utrumque, idque satis probabiliter sustineri potest, ut dictum est loc. cit. in Physicis.

Postremo arguunt Thomistæ, species malitiæ sumitur ex conversione ad objectum indebitum, non autem ex aversione, ergo erit species positiva, non privativa, probant assumptum multiplicitur, tum quia aversio, cum sit privatio, non potest dare neque genus, neque speciem. Tum 2. quia ex parte aversionis omnia peccata conveniunt, singula namque dicunt aversionem a Deo. Tum 3. conversio ad objectum rationi consonum dat primam bonitatem, ergo conversio ad objectum rationi dissonum dat primam malitiam. Tum 4. species, & essentia peccati desumi debet ab eo, quod est per se in eo, sed conversio est per se in peccato, aversio per accidens, quia peccans per se intendit conversionem, per accidens aversionem, nemo namque aspiciens malum operatur ex D. Anselmo. Tum 5. de ratione peccati est esse voluntarium, ergo specificari debet ab eo, quod per se a voluntate intenditur, & id est conversio, non aversio, Tum 6. quantum est ex parte aversionis, peccatum nihil est, ergo ex ea parte non habet speciem, sed potius defectum speciei, unde Aug. lib. 43. qq. quæst. 6. peccatum, ait, non habet speciem, neque modum. Tum 7. peccatum est actus voluntarius in ordine ad aliquod objectum positivum contrarium rationi, sed voluntas fertur in bonum verum, vel apparens, & non in nihil, ergo ab illo objecto sumitur species. Tum 8. peccatum commissionis est aliquod positivum pro formali, & non privativum, in hoc enim distinguitur a peccato omissionis, ergo peccatum saltem commissionis specificari debet ab objecto indebito.

328 Resp. negando assumptum, ad primam probationem dicimus valere de specie positiva, non privativa, sicut enim privationes specie inter se distinguuntur per habitus, ita etiam secundum quid, & suo modo speciem constituunt. Ad 2. dicitur ex Scoto, in 2. dist. 37. D. quod sicut non est de ratione peccati averio formalis a Deo, sed tantum virtualis, quæ est etiam formalis ab aliquo ejus præcepto, ita per hanc, & non per eam specificatur, & distinguitur ab alio, & licet illa sit ejusdem rationis in omni peccato, non tamen ista, sed multiplicatur ex multiplicatione conformitatum ad diversa præcepta. Ad 3. negat. paritas, cum enim bonitas sit quid positivum, poterit utique ab objecto consono derivari in actum moralem, non sic malitia, cum sit privatio, ab objecto dissono. Ad 4. conceditur major, & negatur minor, quia conversio in peccato se habet, ut materiale, aversio autem, ut formale, ad probationem conceditur rursus conversionem per se intendi, non aversionem, cæterum ex hoc potius sequitur conversionem per se non pertinere ad peccatum, quia malitia non per se intenditur, & directe, sed per accidens tantum, & indirecte. Ad

5. ne-

5. nego antecedens de per se voluntario, & directe, non enim est de ratione peccati, quod sit directe, ac per se volitum, immo hoc ei repugnat, cum ratione boni careat, sed sufficit esse volitum per accidens, & indirecte, sicut aliæ privationes, cui accedit voluntarium non esse de ratione peccati, sed ei præsupponi, immo toti esse moris. Ad 6. procedit argumentum de specie positiva, de qua Aug. loc. cit. non de privativa, quam solum habet peccatum, immo argumentum urget contra Thomistas volentes peccato tribuere speciem positivam, cum tamen Aug. dicat non habere speciem, neque modum. Ad 7. concludit argumentum de peccato pro materiali, quo sensu est actus voluntarius, non pro formali, ut hic de ipso est sermo. Ad ult. negatur assumptum, ad probationem dicendum illam differentiam inter peccatum omissionis, & commissionis assignatam spectare ad materiale, non ad formale peccati, alia quædam argumenta minoris momenti solventur ex dictis.

QUÆSTIO ULTIMA.

De divisionibus mali, & causis ejus.

329 Circa divisiones mali non est multum immorandum, cum enim malum quodcumque formaliter in privatione consistat, ut in superioribus hactenus probatum est, & privationes dividantur, & multiplicentur, sicut habitus oppositi, consequenter tot gradus, vel species malitiæ erunt assignandæ, quot *assignatæ sunt bonitatis* supra qu. 12. quia unaquæque species, & gradus bonitatis habet suam peculiarem malitiam oppositam. Præcipua tamen inter omnes mali divisiones *est* illa, quæ dividi solet præsertim a Theologis in malum naturæ, malum pœnæ, & malum culpæ. Malum naturæ dicit carentiam naturalis perfectionis rei debitæ secundum naturalem ejus constitutionem, de quo satis in superioribus, quo pacto monstra appellantur mala naturæ, & hoc malum potest esse commune omnibus creaturis, sive animatis, sive inanimatis. Malum pœnæ, quod est commune tantum viventibus vita sensitiva, vel intellectiva, est carentia boni convenientis naturæ sensitivæ, aut etiam intellectivæ secundum affectionem commodi, ut explicat Doctor 2. dist. 37. lit. Cc. Malum tandem culpæ dicit carentiam perfectionis, vel rectitudinis debitæ voluntati, & actibus ejus secundum affectionem justitiæ, & coincidit cum malo morali, & hoc malum tantum reperiri potest in creatura *intellectuali*, quatenus libere operatur, & cum advertentia ad regulam rationis, habet enim quandam regulam, & prudentiæ dictamen, juxta quod tenetur suas regulare, ac dirigere operationes, a qua regula statim ac deficit, malum culpæ incurrit, quod consistit, ut dicebamus in defectu debitæ rectitudinis in operatione libera. Et quia cum sic deficit, sicut redditur vituperio digna, ita pariter punitione, si intuitu culpæ aliquid ei infligatur contra ejus voluntatem, dicitur incurrere, & subire malum pœnæ.

Hinc colligunt aliqui, quod quando aliquid afflictivum, & quod sit contra eorum appetitum infligitur brutis, non esse proprie malum pœnæ, quia non infligitur intuitu culpæ, proprie enim pœna culpam respicit, & ab ea originem ducit, quatenus pœna *infligitur propter culpam*, & *ex demerito culpæ*. Et similiter dicunt, quod cum quis seipsum macerat jejuniis, aut verberibus castigat, si id fiat intuitu culpæ, habet quidem rationem pœnæ, quam voluntarie suscipit, verum si id fiat absque intuitu culpæ, non habet rationem pœnæ proprie dictæ, quia deficit debita conditio, quod sit ex demerito culpæ, sed solum habet rationem cujusdam afflictionis, & ideo improprie dicitur pœna, ita Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 79. sect. 1. Cæterum tantus rigor in acceptione mali pœnæ non placet, quamvis enim malum pœnæ ita soleat usurpari a Theologis, cum tractant de pœnis damnatorum, ac animarum purgantium, quatenus eis inflictæ sunt a justitia punitiva Dei ex demerito culparum, tamen absolute loquendo, & ex ratione formali ipsius mali pœnæ reperiri potest sine ordine ad culpam, nam pœna non solum largo modo sumpta sed proprie pro afflictione pœnali contra appetitum sensitivum, nedum in creatura rationali, sed etiam in brutis reperiri potest, in quæ tamen nulla potest cadere culpa.

330 Quoad alteram quæsiti partem de causa mali pro ejus intelligentia est advertendum, quod cum quæritur, au mali detur causa, & quænam sit, non est sermo de quocumque malo, sed de illo quod reperitur aliquo pacto in rerum natura ad modum aliarum privationum, malum namque transcendens, cum nullo pacto in rebus reperiatur, quia est mera negatio extra genus, nullumque habens subjectum, merito cujus dicatur dari in rerum natura, nullam consequenter potest habere causam. Et quidem in primis certum est apud omnes præsertim catholicos malum eo modo, quo reperitur in rerum natura, non habere causam efficientem, quasi detur summum malum, quod sit causa omnium malorum, ut Manichæi somniabant, quia ut arguit Doctor 2. d. 37. qu. un. §. *ad aliam quæstionem*, nullum est primum malum, alioquin illud careret in se summa perfectione nata sibi convenire, sed nulli nata est convenire summa perfectio, nisi summo bono in natura, igitur summum malum esset summum bonum in natura, & ita Deus, quia nihil aliud a Deo est summum bonum in natura; & denique ut perspicue deducit Doctor ibidem ad hanc Manichæorum hæresim multa alia sequuntur inconvenientia, non tantum contra fidem, sed etiam contra Philosophiam. Et quamvis ponendo malum naturæ, aut pœnæ pro disconvenienti acceptum in aliquo positivo consistere, posset hujus generis mali causa assignari positiva, nam calor malus aquæ causatur ab igne, & sic de aliis; tamen ponendo malum universaliter consistere in alicujus boni priyatione, ut sancitum est in superioribus, certum esse debet nullam ejus assignari posse causam positivam, quoniam cum sit sola privatio in sua formalitate sumptum, non potest per se terminare positivum influxum, qui *semper* aliquid *ponit in re*, quare restat, ut solum causetur consecutive, vel privative, inquantum causa efficit aliquid, ex quo sequitur privatio, vel inquantum suum influxum subtrahit, qui requirebatur ab bonum oppositum, quo sensu dicitur malum habere causam deficientem, & non efficientem; quod satis constat de ipsa cæcitate, hæc enim non per se efficitur in oculo positive, sed dicitur consequi ex illa causa, quæ opponit impedimentum visus, aut ex defectu illius causæ, quæ non confert visum; quem causalitatis modum antiquiores Doctores D. Thomas part. 1. quæst. 49. art. 1. & D. Bonaventur. 2. dist. 44. quæst. 3. art. 1. & alii Scholastici per accidens appellabant, itaut bonum sit causa mali per accidens, quia præter intentionem, nulla enim causa intendens ad malum operatur, sed intendens ad bonum aliquod suum, ex quo sequitur malum alterius rei, quem dicendi modum subtiliter more suo examinat Doctor loc. cit. §, *sed de modo ponendi*.

Et quidem hic dicendi modus, quod malum habeat solum causari per accidens, nisi bene explicetur cum Doctore loc. cit. pariter difficultatem, ut enim ipse arguit ibidem, si accidentalitas sumatur ex parte effectus, puta, quod voluntas per se intendat positivum in effectu, cui per accidens conjungitur deformitas, & istam deformitatem non per se intendit voluntas, sicut est in fortuitis, tunc peccatum videtur esse causale, quod est falsum, quia causale non est peccatum. Tum quia si totum per accidens est voluntas causa peccati, quia præcise vult illud positivum, ad quod sequitur ista deformitas, cum Deus etiam per se velit illud positivum, ad quod sequitur ista deformitas, sequitur Deum perinde esse causam peccati, sicut est creatura, *sive dicatur causa per se, sive per accidens, sive positiva, sive privativa*. Tum quia malum pœnæ licet non sit propter se intentum, tamen propter aliud aliquo modo potest intendi, scilicet ut medium, & dispositio necessaria ad aliud bonum introducendum, & sic de facto intenditur a Deo ad ordinandam culpam, & ostendendam suam divinam justitiam. Tum quia si malum ideo est per accidens a bono, ac præter ejus intentionem, quia non est per se connexum cum eo, quod per se causatur, sed per accidens, & contingenter, quoniam consistit in defectu, qui non potest per se connecti cum bono, ut multi explicant; palam est hanc explicationem deficere, quia ut plurimum privatio, in qua consistit malum naturæ, vel moris, necessario connectitur cum bono, in quo fundatur, cæcitas namque *necessario connectitur* cum *humore noxio*, & privatio frigoris cum calore in aqua, non autem contingenter, & mere per accidens, & sic etiam privatio debitæ rectitudinis in actibus *peccaminosis*, & præsertim intrinsece malis, ergo ex hoc capite potius habebit malum causam per se, quam causam per accidens in eo sensu, quare causalitas ista accidentalis explicanda est, ut facit Doct. cit. & nos etiam postea explicabimus.

331 Verum præcipua difficultas est de causa mali moralis, seu peccati, quomodo sola creatura dicatur ejus causa, & non Deus, cum tamen ad actum peccaminosum, seu materiale peccati, cum quo est per se, & necessario connexa privatio, in qua consistit peccatum, non minus, immo magis principaliter concurrat Deus, quam creatura, ergo cum sit causa illius entitatis positivæ, puta odii, vel blasphemiæ, cum qua est necessario connexa privatio, in qua malitia consistit, erit quoque causa illius malitiæ formalis eo modo, quo privatio potest causari, nec enim homo aliter causat illam privationem, *nisi* causando positivum, ad quod consequitur. Confirm. quia ille est causa peccati, qui sciens, & volens producit aliquem actum, cui *necessario* est annexa malitia, sed hoc facit Deus concurrendo ad actum peccati, ergo &c. Conf. rursus, quia duo sunt in peccato, actus scilicet & malitia, si actum spectemus totus est a Deo, & totus ab homine, si malitiam, nec a Deo, nec ab homine intenditur, ergo est par ratio de homine, & Deo. Demum argumentum istud, nedum urget de actibus intrinsece malis, & ex objecto, sed etiam de actibus tantummodo malis ex circumstantia, quia non alia de causa liberum hominis arbitrium est causa peccati, nisi quia est causa positiva operationis tali, loco tempore, & cum talibus circumstantiis, quæ necessario habent annexam malitiam moralem, ut quod aliquis sciens, & absque necessitate carnes comedat die Veneris, peccat mortaliter, quia actus ille positivus stantibus illis circumstantiis, & prohibitione de non comedendo, inseparabiliter habet annexam malitiam, cum ergo Deus cooperetur huic actui ita circumstationato, videtur etiam esse causa difformitatis, sicut liberum hominis arbitrium.

Quamvis hæc difficultas sit mere Theologica, tamen quia hic vestigamus causam mali efficientem in universum, non erit abs re illi satisfacere, qua in re sunt varii modi dicendi. Communis, ac frequens dicendi modus apud Theologos est, quem refert, & sequitur Pasqual. disput. 78. sect. 2. num. 7. quod nimirum duplex voluntas ponitur in Deo, una positiva, qua scilicet positive aliquid intendit, & vult fieri, alia permissiva, qua non vult aliquid fieri, sed tamen permittit causam

sam operari; quoad priorem modum causandi potest Deus esse causa duplicis malis naturalis scilicet & pœnalis, certum enim est posse Deum in aliquo ente destruere aliquam ex ipsius perfectionibus tam accidentalibus, quam integralibus, & simul causare in ipso privationem bonitatis, & hoc pacto erit causa in rebus mali naturalis, & similiter potest infligere debitam pœnam, ut de facto infligit damnatis, &, sic causat malum pœnæ in rebus. Alterius autem mali, ut est morale malum, aut quodcumque aliud, quod *in causa præsupponit* aliquem defectum, Deus non est causa positiva, sed tantum permissiva, creavit enim Deus causas secundas, quæ in suis operationibus deficere possunt, sive naturales sint, sive morales, & quia ut ait Aug. Deus finit causas secundas suos motus agere, si aliqua in sua deficit operatione, Deus permittit eam deficere, & hoc pacto permissivo modo est causa peccati. Hic dicendi modus non satisfacit, & in primis deficit, dum inquit Deum per voluntatem positivam, & positivum influxum esse causam mali naturalis, & pœnalis, nam ut supradictum est, Pasqualig. ipse fatetur in illa eadem disp. sect. 1. nu. 2. malum nequit habere causam positivam, quæ per se in illud positive influat, cum sit mera privatio, ut etiam ipse nobiscum defendit. Deinde quod addit de voluntate permissiva respectu mali moralis, & peccati, quamvis sit verum, nisi tamen ulterius explicetur hæc divina permissio, adhuc tota difficultas supra posita manet in suo robore, quo *nimirum* pacto ad malum moralem Deus dicatur solum permissive se haberi, cum per se, & positive concurrat ad actum ei substractum, cum quo per se, & necessario connectitur, non minus quam homo, si ergo hac ratione homo non permissive tantum dicitur esse causa mali, sed vere, & proprie, idipsum eadem ratione videtur de Deo asserendum.

332 Secundus dicendi modus fuit Durandi 2. d. 37. quæst. 1. dicentis Deum ob id non esse causam peccati, quia non concurrit immediate cum causa fecunda ad ejus operationes, sed mediate solum, quatenus dedit, & conservat existentiam earum, & virtutem ad operandum. Sed quamvis hanc Durandi opinionem in scholis obsoletam, & ab omnibus passim damnatam erroris, ac temeritatis, nuper Capuccinus quidam Dolensis in disp. de modo conjunctionis concursuum Dei, & creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis suscitare tentaverit, & pro viribus tueri, eam tamen late refutavimus disp. 7. Phys. q. 6. art. 1 ubi & defensionem a Capuccino illo pro Durando assumptam imbecillem esse demonstravimus, qui certe prorsus inepte suam illam disputationem in titulo appellat de modo conjunctionis concursuum Dei, & creaturæ, si Deus nullum habet immediatum concursum ad actiones, & effectus earum. Et ex rationibus ibi contra Durandum adductis præterea constat prædictam sententiam sustineri non posse quantuncumque limiterur ad solos actus malos, sicut aliqui limitare tentarunt concedentes concursum Dei immediatum ad omnes alios effectus, præterquam ad actus malos. Nam contra hoc militant eædem rationes, tum quia actus odii Dei non habet minus entitatis physicæ, quando fit cum libertate, quam quando fit sine libertate, ergo si in primo casu produci potest a sola causa secunda sine concursu Dei, poterit etiam in secundo, cum non requiratur major virtus ad illum actum tunc producendum, consequens autem est contra ipsos, qui solum negant concursum Dei ad actus, quando sunt mali. Tum quia Concil. Trid. quando sess. 6. can. 6. determinat Deum non esse causam peccati, inquit, *si quis dixerit mala opera, itaut bona Deum operari* &c. videtur istis verbis supponere Dei influxum in utrisque, licet in uno majorem, in alio minorem, & quamvis subdat *non permissive solum* &c. quibus verbis solam permissionem Deo tribuit in operibus malis, hæc tamen permissio non omnem prorsus divinum influxum excludit ab actibus peccaminosis, sed solum talem, quo dicatur Deus causa proprie, & per se operis mali, sicut est operis boni, ut disertis verbis Conc. ibi se declarat.

333 Tertius dicendi modus est Cajet. q. 71. art. 6. & 76. art. 2 qui dixit, Deum esse causam, & auctorem malitiæ moralis, quæ in positivo reali consistit, non vero aversionis ab *ipso*, & a lege, quæ quidem est privatio consequens malitiam moralem, estque de essentia peccati, non vero mali moralis. Sed hæc opinio facile reiicitur ex dictis q. præced. quia frivolum est distinguere malum morale, & peccatum, vel Deum esse causam mali moralis, sed non mali absolute. Tum quia satis per se absurdum est asserere Deum esse causam mali moralis. Tum quia non potest explicare Cajet. quomodo Deus sit causa illius entitatis positivæ, ad quam sequitur privatio, quæ est peccatum, & non sit causa ipsius privationis, nam quod est causa formæ, ad quam necessario sequitur privatio, necessario videtur esse causa ipsius privationis, qua ratione concedit Cajet. Deum esse causam privationis actus studiosi, quæ consequitur ad actum vitiosum, ergo idem debuisset dicere de aversione a Deo, & a lege.

334 Quartus dicendi modus est aliorum, quod Deus est causa actus, non tamen privationis ad ipsam *consequentis*, quia privatio non consequitur ad actum, prout est in Deo, sed prout est ab homine, consequitur enim ad actum non utcumque, sed ut prohibitum, atque ideo solum in ordine ad illud agens, quod habebat debitum ponendi actum contrarium, vel saltem ab illo cavendi, quod debitum non habebat Deus, sed homo, & ideo non Deus, sed homo solus est causa illius privationis. Verum licet hoc dicatur a multis Scotistis, & præsertim a Vulp. tom. 3. p. 2. disp. 138. art. 1. si tamen ita absolute intelligatur, ut proferrur, non satisfacit, non enim quæritur in præsenti, cur homo, & non Deus dicatur peccare per illam privationem consequutam, quod tantum salvat allata solutio, sed cur Deus non dicatur causa illius privationis, ad hoc autem non videtur referre, quod Deus habeat vel non habeat debitum, nam sicut Deus non habet debitum ponendi calorem in aqua, & tamen dum causat frigus in ea, dicitur vere causa privationis caloris, quæ inde resultat, ita pariter causans odium dicetur causa *privationis* amoris, quæ inde sequitur in voluntate. Deinde a priori Deus causat positive odium, ergo Deus est causa, quod homo habeat odium, sed homo non alio modo causat privationem *actus contrarii, nisi habendo odium*, ergo Deus est causa, quod homo in se causet privationem amoris, ergo licet non imputetur Deo ad culpam illa privatio, quia non habet debitum ponendi amorem, nec ille actus est ei prohibitus, adhuc tamen erit causa, quod imputetur homini ad culpam, & quod homo sit culpabilis, & sic tandem erit causa peccati hominis, licet non peccare dicatur. Neque verum est, quod ait Vulp. loc. cit. Scotum ex hoc capite 2. dist. 37. salvare, quod Deus non sit causa peccati, nam ex alia ratione id deducit, ut postea constabit, ex eo autem capite tantum salvat Deum peccare non posse, & privationem sequentem illi imputabilem non esse, ut constat ex §. *ad argumenta 4. quæstione*.

335 Quintus dicendi modus, qui D. Thomæ, & Bonavent. *solet attribui, inquit*, quod quia peccatum formaliter in privatione consistit, & defectu, ideo non est quærenda causa efficiens ejus, sed deficiens, & hæc erit homo, cum Deus deficere nequeat, *soleat adduci exemplum de claudicatione*, quæ non refertur in virtutem motivam, sed in debilitatem, vel infirmitatem tibiæ. Hæc solutio potest habere duplicem sensum, primus est, quod Deus non possit dici causa efficiens peccati, quia formaliter est privatio, quæ nullam habet causam efficientem, sed potius deficientem, & si hoc sensu intelligatur, non solvit argumentum, ut bene notat Doctor loc. cit. §. *Tertio modo ponitur*, quia homo etiam non est causa efficiens privationis, & tamen hic quærimus de causa efficiente peccati eo modo, quo causam efficientem habere potest, & homo non aliter est causa efficiens privationis, in qua peccatum consistit, nisi causando actum positivum, ad quem necessario consequitur illa privatio, ergo si Deus est causa vere, & proprie actus positivi, non potest *non esse causa privationis*, quæ necessario consequitur, sicut si Deus causat calorem in subjecto, causat etiam carentiam frigoris, etiamsi talis carentia proprie, & secundum se non procedat a causa efficiente, & influxu positivo, quia quid positivum non est; ratio autem a priori est, quia qui est causa causæ, est etiam causati causa, saltem quando unum ex alio necessario consequitur, tunc enim qui vult antecedens, vult etiam consequens implicite, quod ex illo antecedente necessario consequitur. Accedit quod peccatum habet causam efficientem aliquo modo, & tale efficiens poni solet voluntas creata non alia ratione, nisi quia efficit id, ad quod necessario sequitur malitia, & creatio; & hac ratione dicitur deficere, ergo cum Deus efficiat idipsum cum voluntate creata, consequenter dicitur causa illius privationis consequentis, & causa peccati, & hac ratione etiam ipse dicetur deficere.

Alter sensus istius solutionis esse potest, Deum non posse deficere, sed utique *hominem, quia homini imposita est lex*, a qua deficere potest, non autem Deo, & solutio in hoc sensu coincidit cum quarto dicendi modo, & impugnatur sicut ille, quia scilicet per hoc probatur solum Deum peccare non posse, non autem esse non posse causam peccati. Accedit, quod loquendo de lege æterna, qua Deus prohibet res ex se malas, volunt multi Deum esse sibi ipsi legem, ac proinde quod a sua lege deficeret, sicut homo, si est causa privationis consequentis actum peccaminosum. Rursus defectus actionis est quid necessario consequens eam, sicut privatio frigoris sequitur calorem, & sicut hæc privatio non sequitur ex defectu causæ, quæ calorem efficit, sed ex ipsa forma caloris, ita privatio rectitudinis, quæ est peccatum, non est propter defectum existentem *in voluntate* in actu primo, sed propter conversionem actus ad tale objectum, ergo qui est causa talis conversionis, erit etiam causa illius defectus, patet sequela, quia homo ideo est causa illius defectus, quia posuit *illam conversionem*, ergo assignanda est ratio, quare Deus ponens illam conversionem non sit causa defectus. Ex quo patet exemplum de claudicatione tibiæ non esse ad rem, quia claudicatio *illa supponit* defectum in causa, & sequitur ex defectu causæ, at defectus, in quo consistit peccatum, non procedit ex defectu causæ, sed sequitur entitatem illius actionis, sicut privatio frigoris sequitur ex ipsa forma caloris, & non ex aliquo defectu causæ, quæ calorem efficit. Tandem peccatum potest procedere a voluntate recta, & ita fuit in Adam, quia Deus ab *initio fecit* primum hominem rectum.

336 Sextus dicendi modus est Vasquez par. 2. disput. 129. cap. 7. dicentis Deum non esse causam peccati, quia peccatum, ut peccatum est *liberum*, & ut liberum non est a Deo, sed a voluntate creata, quæ sola operatur libere, & moraliter eum actum; quod alii confirmant, quia libertas est denominatio *extrinseca in actu*, *unde idem* numero actus odii Dei, qui modo est peccatum, quia fit libere, & cum advertentia rationis, potuisset non esse peccatum, si elicitus fuisset sine advertentia sufficienti ad culpam; cum ergo entitas physica actus, ut sic, non sit mala, sequitur, quod Deus præcise producens eam, ut sic, non producat peccatum, quia ratio peccati

tati est illi extrinseca sicut & libertas. Sed neque hæc solutio satisfacit, in primis negant quamplures libertatem esse solam denominationem extrinsecam in actu; sed quidquid sit de hoc, saltem est, Deum non concurrere ad actum odii, etiam ut actus liber est, unum namque ex essentialiter requisitis ad servandam libertatem in actu est indifferentia divini concursus in actu primo, si enim concursus Dei paratus non esset indifferens, sed ad alteram partem determinatus, actus non eliceretur libere, sed necessario, ergo Deus per suum concursum nedum attingit physicam ejus entitatem, sed etiam libertatem, ergo Deus est causa odii etiam sub ipsa formalitate libertatis, quia sine concursu parato indifferenti ipsius Dei non esset actus liber. Dices, odium libere ab homine elicitum solum hominem denominare libere operantem, & ideo in ratione actus liberi procedere a solo homine. Contra, quia aliud est peccatum denominare solum hominem libere operantem, & aliud quod libertas in actu peccaminoso sit a solo homine, primum utique verum est, at secundum est falsum, sicut inferre non licet, mea intellectio me solum denominat intelligentem, & vitaliter operantem, ergo mea intellectio, vel ejus vitalitas non est a Deo; quamvis ergo actus peccaminosus, quatenus liber, non denominet nisi hominem peccantem, ac libere operantem, non vero Deum, adhuc tamen, quatenus liber producitur a Deo, quatenus ad elicitionem illius actus concurrit cum homine concursu indifferenti, nec habet concursum denegatum ad oppositum.

337 Septimus dicendi modus asserit Deum vere esse causam naturalem, vel physicam peccati tam quoad materiale, quam quoad formale, non tamen esse causam moralem illius, quia non concurrit suadendo, hortando &c. atque ideo non esse dicendum simpliciter causam peccati, quia cum peccatum sit effectus moralis, non quælibet causa debet dici simpliciter causa peccati, sed illa quæ est in eo genere, scilicet quæ est causa moralis, ita Recentiores nonnulli, & præsertim Curiel. tom. 1. quæst. 79. art. 1. §. 3. Scoto 1. de natura 18. Vega lib. 2. in Trid. 15. Canon. lib. 2. cap. 4. Quod alii quidam impugnant, quia juxta hunc dicendi modum non videtur bene salvari locutio Conc. Trid. ubi supra docentis Deum non ita esse causam proditionis Judæ, sicut vocationis Pauli, nam licet conversio Pauli fuerit effectus aliquis moralis, vocatio tamen Pauli non fuit effectus moralis, sed physicus, ut patet, & tamen Deus dicitur magis proprie causa illius vocationis, quam proditionis Judæ. Cæterum non ex hoc capite impugnari debet hic dicendi modus, nam per ipsum arbitror bene salvari locutionem Concilii, quod non eodem modo sit causa Deus proditionis Judæ, & conversionis Pauli, intentio enim Concilii ibi erat nostri temporis Novatores repellere, qui dicebant Deum nos excitare, inclinare, & determinare ad peccandum, sicut & ad bene operandum, unde inferebant nullum nobis debere imputari peccatum, per illam autem differentiam, quod Deus non ita concurrat excitando, & inclinando ad peccatum, quæ est causalitas moralis, bene salvatur Deum non ita concurrere ad opera mala, sicut ad bona, ad quæ concurrit nedum physice, sed etiam moraliter suadendo, hortando &c. Potius ergo hic dicendi modus ex eo capite debet refutari, quod admittendo Deum vere, & proprie esse causam naturalem, & physicam peccati tam pro materiali, quam pro formali, in rigore admittitur Deum simpliciter, & absolute loquendo esse causam peccati, quia quod est proprie causa naturalis, seu physica alicujus effectus, potest dici vere, & simpliciter causa illius, quia definitio causæ in communi non minus causæ physicæ competit, quam causæ morali, si ergo Deus est vere causa naturalis, & physica peccati, poterit dici simpliciter causa illius.

Respond. non posse dici causam simpliciter peccati, quia non est causa moralis illius, immo nec debere dici simpliciter causam naturalem, sed cum addito esse scilicet tamen causam naturalem, alioquin sine tali particula videretur insinuari Deum esse etiam causam moralem, cum non repugnet eandem esse causam naturalem, & moralem. Contra hoc est quod probat argumentum factum, quod si Deus vere est causa naturalis peccati, est simpliciter causa peccati, esto non sit causa moralis, quia definitio causæ in communi competit causæ physicæ æque bene, immo principalius, quam causæ morali. Tum quia Thomistæ passim ad salvandam veram, & propriam causalitatem Sacramentorum, docent illa physice causare gratiam, & non moraliter tantum, ergo causalitas naturalis, & physica Deo sufficit, ut dicatur simpliciter, & absolute causa peccati, etiamsi ei deficeret causalitas moralis. Deinde parum juvat additio illius particulæ *tantum*, quia licet aliqua causa possit esse simul efficiens, & materialis, possumus tamen dicere illam esse causam efficientem absque eo quod significemus esse etiam materialem, vel e contra, & ratio est, quia licet utraque causalitas possit in eadem causa conjungi, potest tamen etiam separari, & hoc sufficit, ut de illa possint prædicari seorsim-absque ullo addito.

338 Octavus dicendi modus inquit, Deum non esse causam peccati, quia actus illæ procedit a Deo secundum rationem communem operationis, non secundum rationem specificam odii, sub qua solum procedit a causa secunda, ad quam pertinet determinare concursum Dei, qui de se datur indifferens ad omnia. Sed hoc urgenter impugnatur per argumentum Scoti 4. d. 1. qu. 1. §. *Sed istæ rationes*, quia non sola ratio communis entis creati, quæ est in effectu, sed etiam ultima ejus differentia pendet a Deo, alioquin effectus creatus haberet a Deo id, quod minus perfectum est, scilicet rationem generica, a causa vero secunda id quod perfectius est, rationem scilicet specificam, & ultimam. Tum quia sic dicendo in Durandismum aliquo pacto impingitur, quatenus admittitur in effectibus quibusdam formalitas specifica vera, & realis independens a Deo, & ab ejus immediato concursu: fatendum ergo est Deum concurrere immediate ad ultimam etiam differentiam specificam odii, & cujuscumque actionis peccaminosæ. Præterea impugnari solet; quia quod aliqua causa sit universalis, non tollit quod simpliciter dicatur causa illius effectus; nam anima est causa universalis, quæ determinatur per potentias suas ad intelligendum, volendum, sentiendum &c. & tamen dicitur causa intellectionis, & intellectus est causa universalis, quæ determinatur per species, & tamen dicitur simpliciter causa talis intellectionis, & Sol est causa universalis, & tamen dicitur simpliciter causa plantæ, vel auri ergo similiter Deus dici potest causa peccati, licet sit causa universalis, & determinetur per causam secundam. Hanc tamen impugnationem non puto convincentem, quia juxta præfatum dicendi modum concursus Dei ita ponitur universalis, ut non attingat, nisi rationem genericam operationis, non autem specificam, cum ergo privatio amoris v. g. sequatur ad rationem specificam odii, qua odium est, non autem ad rationem genericam, sane per hoc quod Deus sit in hoc sensu causa universalis odii, optime salvatur, quod non sit causa ejus ea ratione, qua peccatum est, & quod non sit causa peccati. Neque exempla adducta de anima, intellectu, & Sole sunt ad rem, quia non in hoc sensu dicitur Sol causa universalis plantæ, & auri, ac intellectus hujus, vel illius intellectionis, quasi attingant solam rationem genericam illorum effectuum, nam in ordine suo causandi attingunt partialiter cum aliis concausis secum concurrentibus ultimas etiam, ac individuas, eorum causalitas est illimitata adhuc, vel illum effectum, ut bene explicat Doctor de indeterminatione intellectus ad diversos actus, & objecta 1. d. 3. q. 7. lit. B. B. & Solis ad diversos effectus, ubi virtus suarum concausarum concurrentium est limitata ad hunc, vel illum effectum, & ideo illæ causæ universales dicuntur determinari per has particulares.

339 Nonus dicendi modus est communis apud Patres Societatis, dicentes ideo Deum non esse causam peccati, quia concurrit ad illud concursu indifferenti, quando enim causa de se est indifferens ad aliquem effectum, si concurrat determinata ab aliqua alia, non dicitur proprie, & rigorose causa illius operationis; ita notavit Arriag. disp. 10. Physic. sect. 5. quod probat exemplis ex moralibus deductis, nam qui vendit, vel dat ensem alicui, non cum animo, ut alterum occidat, sed præcise, ut se defendat, etiamsi postea aliquem occidat eo gladio, non tamen ideo ensis venditor dicitur causa mortis, diceretur autem, si gladium vendidisset animo, ut eo alius occideretur; item etiamsi fœmina sciat se turpiter adamandam ab aliquo in templo, aut in foro, dummodo ipsa non velit determinate eum turpem amorem, potest licite egredi domo, & ire in templum, nec ideo dicetur causa ultra modo illius amoris, & peccati, nisi permissiva, diceretur tamen si ipsum voluisset determinate. Deinde notat Arriag. Deum offerre voluntati concursum in actu primo indifferentem ad bonum, vel ad malum, cum animo tamen, ut quantum est ex se, Deus non velit fieri malum, ideoque ab illo deterret minis, exhortationibus, & reprehensionibus, optat autem e contrario, ut eiiciatur opus bonum, ad quod allicit præmiis, exemplis &c. Et ex his duobus tandem infert Arriag. Deum non esse causam peccati, quia non concurrit determinatus in actu primo, sed potius indifferens omnino, & ejus concursus determinatur a causa secunda, ut autem esset causa per se peccati, debebat concurrere determinatus in actu primo; vel saltem debebat seipsum determinare, ergo Deus non est causa peccati. Idem docet Bellarm. 2. de amissione gratiæ 18. ubi in solutione ad argum. ait Deum non esse causam malitiæ, quia concursu indifferenti concurrit ad actum malum, & quia defectus oritur ex actu, ut est talis in specie, qua ratione non est a Deo; & Suarez 2. de concurs. cap. 3. num. 20. ait ideo Deum non esse causam peccati, quia Dei concursus ex se offertur indifferenter, & quia tota illa actio realis, quæ est a Deo, ut est a Deo, manere posset sine ulla ratione culpæ, aut mali moralis, ut si homo cum ignorantia invincibili, vel inadvertentia naturali eundem actum realem haberet, & Deus eundem numero influxum præberet; & in hunc modum loquuntur passim ejusdem Societatis Auctores, ut videre est apud Salas p. 2. to. 2. tr. 13. disp. 10. sect. 2. num. 28. qui eos nominatim citat.

340 Cæterum quamvis omnes hujusmodi Auctores in eo conveniant, quod ideo Deus non est causa peccati, quia concurrit concursu indifferenti, adhuc tamen non conveniunt in explicanda hujusmodi indifferentia concursus; aliqui enim ita explicant hanc indifferentiam concursus, ut solum attingat rationem genericam effectus, non autem specificam, ut explicabat octavus dicendi modus, & ita loqui videtur Bellarm. ubi supra; alii volunt, concursum divinum utique omnes singulas attingere formalitates reales a parte rei in effectu repertas, & divinam actionem, ut huic causæ conjungitur v. g. igni esse determinatam ad talem effectum producendum, puta calorem, non enim Deus præbet concursum suum solum in communi, & in confuso, videt enim distinctissime exigentiam omnium causarum particularium, & vult distinctissime dare talem numero concursum singulis causis juxta earum exigentiam, dicunt itaque

que indifferentiam non esse spectandam ex parte actionis, quia hæc est determinata ad particularem effectum, sed ex parte agentis, vel ex parte modi, quo actio procedit ab agente, nam si spectetur modus, quo Deus & homo concurrunt ad aliquem effectum, recte dicimus concursum hominis esse determinatum, concursum vero Dei indeterminatum, & indifferentem, quia Deus ita offert concursum suum voluntati liberæ, ut integrum sit voluntati, non solum uti, vel non uti concursu divino, sed etiam ad hanc vel illam speciem actus eo uti, unde volunt hanc divini concursus indifferentiam spectare ad actum primum, non secundum, & ita loquitur Arriag. expresse loc. cit. Alii denique hanc indifferentiam divini concursus etiam ad actum secundum extendere volunt, & ad ipsam actionis substantiam, quatenus idem numero concursus divinus, cum quo ignis producit calorem, cum eodem si eis præstaretur, nix produceret frigus, & sic in divino concursu indifferentiam agnoscunt etiam in actu secundo, & quoad esse exhibitum, quo pacto de divino concursu loquuntur multi Auctores illius Scholæ, & præsertim Coninch. de Sacram. q. 77. art. 1. dub. 1. Alii denique promiscue loquuntur, nec bene se explicant, an loquantur de indifferentia divini concursus in actu primo, vel in actu secundo.

341 Ex his explicationibus indifferentiæ divini concursus primus explicandi modus est falsus, & impugnatus in refutando octavo dicendi modo, ac etiam ultimus extendens indifferentiam ad ipsam divinam actionem in actu secundo subsistere nequit, ut probatum est contra Coninch. & alios Recentiores disput. 3. Phys. quæst. 4. art. 2. nam re vera indifferentia divini concursus non potest pertinere nisi ad actum primum, neque confundi debet concursus Dei in esse exhibito cum ejusdem concursu in esse parato, aliud enim est loqui de voluntate divina, quæ in actu primo parata est concurrere, vel non concurrere ad hunc effectum, vel illum cum voluntate creata, aliud vero de actu secundo, seu exercitio istius voluntatis, cum nempe actualiter præstat concursum causæ secundæ, in primo enim sensu concursus Dei in ordine ad causas liberas utique dicitur indifferens, quia est ad utrumque paratus ad salvandam libertatem causarum secundarum, sed in secundo sensu est omnino certus, ac determinatus ad hunc, vel illum specie effectum, sic ignis talem concursum petit ad calefaciendum, quod si idem a Deo præstaretur aquæ ad frigefaciendum, omnino ineptus esset ad illum effectum, ergo re vera concursus exhibitus est certus, ac determinatus ad hunc, vel illum specie effectum; atque ideo ex tribus allatis explicationibus indifferentiæ divini concursus sola secunda explicatio est rationabilis, & vera. Attamen ut verum fatear, quamvis illa sit vera, ac legitima indifferentiæ divini concursus explicatio, tamen talis indifferentia non sufficere videtur, ne Deus dicatur causa peccati, quando postea in actu secundo concursu determinato concurrit ad actum peccaminosum etiam quoad eam ultimam formalitatem, ad quam sequitur malitia, quid enim Deum excusat a causalitate peccati illa indifferentia in actu primo, dum postea in actu secundo cooperatur peccatori, & assistit ejus actioni peccaminosæ concursu determinato usque ad ultimam formalitatem, ad quam necessario sequitur malitia? Unde neque exempla ex moralibus ab Ariag. adducta videntur ad rem nostram, nam cum ente accepto a venditore non necessario connectitur homicidium, sicut cum illa actione occidendi, ad quam concurrit Deus, neque cum egressu pulchræ fœminæ e domo necessario connectitur turpis amor amantium, at cum actionibus peccaminosis, de quibus hic est sermo, necessario, & indispensabiliter est connexa malitia, quotiescumque fiant cum libertate, & advertentia rationis, atque ideo Deus determinate concurrens ad eas in actu secundo non videtur excusari posse, quin dicatur & ipse causa peccati. Dices Deum offerre voluntati concursum in actu primo indifferentem ad bonum, vel malum, cum animo tamen ut quantum est ex se Deus nollet fieri malum, ideoque ab eo deterret minis, exhortationibus &c. atque ideo excusatur, ne dicatur causa peccati. Contra, ergo non ex indifferentia præcise divini concursus attendi debet Deum non esse causam peccati, sed ex eo principaliter, quod actus peccaminosus non est illi voluntarius, esto ad eam concurrat, & si sequitur ex concursu exhibito, sequitur plane contra ejus intentionem, & voluntatem, quam vocant antecedentem, ut magis mox explicabitur in aperienda Doctoris nostri sententia.

342 Scotus itaque 2. dist. 37. §. *ad solutionem istorum objectorum*, ut ostendat Deum dici non debere causam peccati, etiamsi concurrat ad substratum illius, docet hanc doctrinam, quod quando duæ causæ partiales concurrunt ad eundem effectum, bene stare potest, quod sit defectus ex parte unius, & non ex parte alterius v. g. tenendo intellectum simul cum voluntare concurrere ad volitionem, potest esse defectus in actu ex defectu voluntatis, licet non præcedat defectus in cognitione, sic in proposito cum voluntas creata, & divina concurrunt ad actum, contingit defectus ex parte voluntatis creatæ, quæ non ponit rectitudinem, ad quam tenetur, & non ex parte voluntatis divinæ, quæ licet non teneatur eam dare, tamen quantum est ex se daret, si voluntas creata cooperaretur, nam quicquid Deus dat antecedenter, daret etiam illud consequenter, nisi esset impedimentum, dando autem libertatem voluntatis creatæ, & cum libertate auxilia sufficientia ad vitandum malum, & amplectendum bonum, prohibendo malum, & præcipiendo bonum dedit antecedenter voluntati creatæ rectitudinem, & daret eam consequenter, si voluntas creata cooperaretur, quare cum ipsa non velit cooperari divinæ ad bene agendum, quæ ex se parata est dare consequenter, quod dedit antecedenter, certe voluntati divinæ peccatum imputandum non est, veluti causæ, quia per ipsam non stetit, quin fieret operatio bona, vel mala evitaretur a voluntate creata. Nec tenetur Deus subtrahere concursum suum, licet prævideat hominem eo abusurum, sicut nec alia dona naturæ, & gratiæ, quibus male utitur, quia statuit concurrere cum creaturis, & finere unamquamque agere motus suos, & servare libertatem in causis secundis, quod non faceret si suum concursum denegaret.

343 Ex hac itaque doctrina sic potest confici ratio ad ostendendum, Deum non esse causam malitiæ, quantumvis concurrat ad substratum, cum quo est necessario connexa; privatio formæ efficiendæ a duabus causis solum tribuitur illi causæ, per quam stat quominus producatur illa forma, sed peccatum est privatio alicujus perfectionis, quæ producenda foret a Deo, & ab homine, causa autem per quam stat, ne illa perfectio producatur, est solus homo, ergo solus homo est causa peccati, minor patet ex doctrina Scoti relata, probatur major a simili de privatione caloris, quæ contingit in fornace Babylonica, calor enim ille ad comburendos pueros debebat a Deo produci, & ab igne, causa autem per quam stetit ne produceretur, fuit solus Deus, qui suum denegavit concursum, ac proinde soli Deo tribui debebat illa privatio, velut causæ; idem patet in moralibus, nam si aliquis contractus inter duos celebrari deberet, quorum alter esset paratus contrahere, alter non vellet, hic utique solus esset causa negationis contractus, similiter ergo cum Deus ita sit paratus in actu primo ad concurrendum cum voluntate creata, vel non concurrendum, ut non stet per Deum, quod non fiat actus bonus, vel non evitetur malus, non potest Deo tribui negatio conformitatis ad præceptum affirmativum, quæ in actu fundaretur, in ejus omissione reperta, vel negatio conformitatis ad negativum in actu posito suborta, quæ in ejus omissione fundaretur, sed soli homini, per quem solum stetit. Confirm. peccata nostra non sunt Deo voluntaria, ergo in ipsum reduci nequeunt, ut in causam, probatur assumptum, quia esse voluntarium semper involvit esse volitum interpretative, immo aliquid esse non potest alicui virtualiter voluntarium, nisi eidem sit interpretative volitum, & per esse hoc modo volitum distinguitur id, quod est alicui voluntarium ab eo, quod est ab illo tantum permissum, sed peccata nostra etiamsi Deus concurrat ad substrata illorum, non sunt ab eo interpretative volita, ergo neque voluntaria, sed tantum permissa, probatur minor, tunc tantum præsumitur in genere moris voluntarium alicui, quod sequitur aliquo modo ex positione causæ, quando nullo modo satagit impedire sequelam talis effectus, quod si opponeret sufficientissima impedimenta ad eum removendum, certe interpretari non possemus, quod vellet eum eventum, sed Deus dat hominibus sufficientissima remedia ad evitanda peccata, quæ si eveniant, hoc non debet attribui insufficientiæ mediorum adhibitorum ad ea removenda, sed tantum negligentiæ hominis, ergo peccatum erit tantum homini voluntarium, Deo autem dumtaxat permissum.

344 Denique ex his potest sic confici ratio a priori, Deus non est proprie, & per se causa neque physica neque moralis peccati, sive pro formali, sive pro substracto, ergo nullo modo vere, & proprie dici potest causa peccati, quod proprie, & per se non sit causa Physica peccati; pro materiali probatur, quia 2. Phys. causa per se, ut distinguitur a causa per accidens, dicitur illa, quæ per se influit esse in aliud, per quam particulam *per se*, excluduntur causæ per accidens, quæ non proprie merentur nomen causæ, dicitur autem causa per accidens, non solum quæ causat per alium, sed etiam illa, quæ præter intentionem operatur, & dum unum intendit, sequitur aliud, cum ergo in hoc sensu formalitas ultima odii non causetur a Deo per se, nec Deus proprie, & per se ejus causa physica dicetur, nec ipsa proprius, & per se effectus Dei, sed potius per accidens, & causalis, non quia præter prævisionem operantis sequatur, sed quia præter primariam ejus intentionem; itaque hac ratione deficit illa particula *per se*, quod videtur insinuari a Concil. Trident. sess. 6. can. 6. dum negat Deum esse causam peccati, & operum malorum, quia non operatur ea proprie per se, quasi supponat ad rationem proprie causæ requiri, quod producat effectum per se. Ex hoc autem, quod non sit causa proprie, & per se Physica substracti in peccato, sequitur statim, quod tanto minus sit causa Physica peccati pro formali, scilicet privationis sequentis, nam intantum homo ponitur causa istius, inquantum est causa illius, ad quod hoc secundum necessario sequitur. Quod vero neque sit causa moralis per se, & proprie peccati pro materiali etiam probatur, quia non habet respectu ejus volitionem interpretativam, quæ necessaria foret, ut diceretur causa per se moralis ejus, non habet autem volitionem interpretativam respectu peccati, quia illud prohibet, ac ita sufficienter impedit, quod si postea sequatur, non possumus dicere, quod ob ejus negligentiam evenit, quod si non est causa per se moralis peccati pro substracto, tanto minus erit causa per se moralis peccati pro formali. Dices, quomodo non vult Deus interpretative peccatum, si ad illud concurrit formaliter, & formalis Dei concursus aliud non est, quam formalis Dei volitio. Respond. bene stare, quod illud velit formaliter physice, & non velit interpretative in genere moris, quia hæc volitio attenditur penes voluntatem antecedentem, illa autem penes consequentem, bene autem stat, quod aliquid velit

lit formaliter voluntate consequenti, quæ est quasi voluntas ex suppositione, quod velit creaturas libere operari, quod nullo modo vult voluntate antecedenti, quæ est absoluta Dei voluntas, hoc autem contingit in Deo, non in creatura, quia Deus est agens universale, quod nemini denegat suum concursum generalem, quem præbet voluntate concomitanti.

345 E contra vero creatura semper est causa moralis utriusque in peccato, nempe materialis, & formalis malitiæ, quia per ipsam præcise stat, quod ponatur substratum, ac ejus difformitas, & ob ejus negligentiam præcisæ id totum evenit, non est vero causa physica per se difformitatis, nisi forte illam inrenderet sub ratione alicujus boni, quod raro evenit; neque est causa physica per se substrati, nisi quando illud ex certa scientia ponit, ut quando scienter occido hominem, quando vere ex ignorantia vincibili occido hominem putans esse feram, quia occisionem hominis formaliter non intendo, ideo non sum proprie ejus causa per se physica, & ideo quia creatura semper est causa, & proprie, & per se moralis peccati, hoc sufficit, ut peccatum reducatur in ipsam, tanquam in per se causam, & ipsi soli dicatur voluntarium. Ex his tandem respondetur ad rationes pro opposita parte adductas supra nu. 331. quæ omnes ad hoc reducuntur, quod effectus positivus, vel negativus necessario cum aliqua causa connexus dicitur voluntarius ponendi talem causam, & si non sit per se intentus, sed tantum prævisus, & potest reduci in ipsum tanquam in causam per se moralem, si non physicam, ergo ex hoc, quod eventus vel privatio sequens ultimam odii formalitatem, vel ipsamet odii formalitas non sit a Deo per se intenta, non sequitur, quod non sint ipsi voluntaria, & in ipsum reducibilia, tanquam in per se causam moralem, etiamsi non in per se physicam. Respon. (inquam) quod verum est assumptum, quando ille sit causa illius effectus per se physica, vel saltem moralis, tunc enim interpretamur, velle, quod sequitur ad ipsum, quare cum Deus sit causa physica actus odii Dei tantum per accidens, & nullo modo moralis, ut explicatum est, ideo proprie, & per se nullo modo, & in nullo genere est causa peccati sive pro materiali, sive pro formali, sed tantum per accidens in genere physico, & permissive solum in genere moris.

DISPUTATIO SEXTA.

De passionibus entis complexis Actu, & Potentia; Necessario, & Contingenti; Eodem, & Diverso.

Post Disputationem de passionibus entis simplicibus, & incomplexis Uno, Vero, & Bono, sequitur Disputatio de Complexis, seu disiunctis, inter quas principem obtinent locum Actus, & Potentia; Necessarium, & Contingens; Idem, & Diversum, ut dictum est supra disp. 4. de proprietatibus entis in communi qu. 2. num. 29. & sicut tractationem de passionibus entis incomplexis Uno, Vero, & Bono, non in plures divisimus Disputationes, ut ab aliis fieri solet; sed una, ac eadem disp. complexi sumus uno quæstionum ductu usque ad finem continuato; eandem quoque methodum hic servabimus tractando de passionibus entis complexis Actu, & Potentia; Necessario, & contingenti; Eodem & diverso; & quoniam inter istas passiones nullus datur ordo saltem nobis notus, sed quisque pro libito prius de his tractat, quam de illis, placuit disputationem istam inchoare ab actu, & potentia, ubi de ipsis tractabimus, non quidem ut sunt modi, vel differentiæ condividentes ens in communi, sic enim de ipsis agemus infra disp. sequenti. sed ut simul sumpta circumscribunt unicam entis passionem, & cum ipso adæquate convertibilem.

QUÆSTIO PRIMA.

De potentia activa, & passiva, ut spectant ad Metaphysicam.

1 Frequenter Doctor adnotavit potentiam sumi posse dupliciter, uno modo ut est principium operandi, vel patiendi, quo pacto dividitur in activam, & passivam 5. & 9. Met. alio modo, ut dividitur contra actum, & cum ipso ens in communi condividit, itaut aliud dicatur ens in actu, aliud in potentia; ita docet 2. d. 12. q. 2. & d. 16. qu. un. §. *rationes istæ*, & d. 25. qu. un. §. *ad primam rationem* & 4. d. 11. qu. 3. D. & 9. Metaph. q. 2. §. *ad solutionem istarum quæstionum*, ubi etiam dubitat, cui harum potentiarum fuerit nomen prius impositum, & inde ad aliud translatum, & inquit, quod si primo impositum est ad significandum modum quendam entis, cum iste non conveniat enti tali, nisi per aliquod ejus principium, per quod potest esse, convenienter potest nomen potentiæ transferri ad principium, tanquam ad illud, quo possibile potest esse, non quo formaliter, sed causaliter, & e contra, si primo impositum est principio, per quod res potest esse, potest transferri ad significandum generaliter modum essendi similem illi, quem habet principiatum in principio. Quamvis autem potentiam præsertim secundo modo inspecta, ut nempe contra actum dividitur, pertineat ad considerationem Metaphysicam, quia nimirum in hoc sensu actui opponitur, & cum eo ens in tota sua latitudine condividit, & simul sumpta constituunt unicam passionem entis cum ipso convertibilem, qua ratione Doctor loc. cit. 9. Metaph. quæst. 2. ipsam simpliciter appellat potentiam Metaphysicam. Adhuc tamen potentia quoque primo modo sumpta, ut scilicet dicit rationem principii, ad Metaphysicum spectat contra id, quod docere videtur Saxius to. 1. suæ Catastrof. disp. 13. q. 1. art. 1. ubi potentiam primo modo inspectam prout est principium agendi, vel patiendi ait spectare ad Physicum, & omnino alienum esse a præsenti disputatione, ac ad ipsam pertinere solum potentiam, ut distinguitur contra actum.

Hoc, inquam, falsum est, & contra Doctorem, qui loc. cit. 9. Metaph. qu. 4. §. *hic sunt videnda*, bene demonstrat, quomodo potentia, ut dicit rationem principii, esto ad Physicum pertineat, possit quoque pertinere ad Metaph. dicens, quod cum propter aliud esse, & esse propter quod aliud est, sint conditiones entis absolute non contracti ad Metaphisicum, vel naturalem, & illæ sunt relationes causati, & causæ, sequitur quod ad Metaph. pertinet constituere causam, & causatum, cumque quatuor genera causarum distinguant causam per hoc, quod causatum aliter est per quodlibet illorum absque hoc quod descendatur ad motum, vel quantitatem, sequitur, quod omnia genera causarum possunt aliquo pacto ad Metaphysicum pertinere, ut nempe abstrahunt a motu, & quantitate, conferre enim ad esse alicujus, ut pars essentialis ejus, & hæc sive actualis, sive potentialis, pater, quod non contrahit ad motum, & istæ sunt speciales rationes causæ materialis, & formalis, de quibus tractat Philosophus 8. Metaph. & quomodo ex eis fit unum, quia hoc actus, & illud potentia, omne etiam bonum, ad quod aliud ordinatur, patet, quod non contrahit ad motum, & hæc est ratio causæ finalis, de qua loquitur Arist. 12. Metaph. De efficiente videretur, quod non abstraheret a mutatione, & motu, sed licet hoc verum esset quoad convertibilitatem in re, quod nullum esset efficiens, quin efficeret per motum, vel mutationem, tamen de per se ratione efficientis non est verum; nam si intelligatur aliquid dare esse sine hoc, quod intelligatur aliquid moveri, vel mutari, certum est, quod dans tale esse intelligitur habere rationem causæ respectu producti, & non alterius, quam efficientis, sicut ratio unius, quod est compositum ex actu, & potentia secundum se non contrahit ad motum, sed pertinet ad Metaphysicum, licet numquam tale unum esset, nisi per motum, vel mutationem potentialis; prædicta tamen genera causarum contracta ad naturalitatem, puta inquantum sunt propter quæ aliquid habet esse naturale, vel in quantum propter illa modo naturali aliquid habet esse, pertinent ad considerationem physici, unde falsum est, aliquam causam excludere a consideratione Metaphysici, vel etiam naturalis, licet diversimode ens considerent modo prædicto, & sicut dictum est de causis ita intelligendum est de principiis, cujusmodi dicuntur potentiæ, ita discurrit Doctor loc. cit.

2 Ex quo discursu Doctoris constat falsitas discursus, quo Meuriss. lib. 2. suæ Metaph. cap. 3. par. 6. qu. 1. conclus. 2. probare intendit potentiam quoque activam, & passivam posse aliquo pacto esse Metaphysicæ considerationis, hoc enim probat, quia aliqua talis potentia reperiri potest sine materia, & in substantiis abstractis, quod satis erit, ut sit Metaphysicæ considerationis, quia substantiæ abstractæ agunt, & patiuntur, agunt intellectiones, & alias operationes suas eliciendo, patiuntur eadem recipiendo, & ideo jam est in illis potentia activa, & passiva simpliciter. Hæc, inquam, probatio non bene procedit, ait enim Doctor potentiam activam, & passivam intantum posse ad Metaphysicum pertinere, non quia exerceri possunt in substantiis abstractis a materia, sed quia exerceri possunt

sunt sine motu, & mutatione, per hanc enim abstractionem præcise Metaphysica consideratio differt a Physica, ut dictum est quæst. proœm. Phys. art. 2. & disp. 11. Phys. ab initio, ubi proinde mutationes illas, quibus mediantibus suas eliciunt, ac recipiunt volitiones, & intellectiones, diximus pertinere ad Physicam in se, non autem ad Metaphysicam, quæ abstrahit ab omni motu, & mutatione. Tum quia Meuriss quoque ipse loc. cit. Ideo probat non omnem potentiam activam, & passivam esse Metaphysicæ considerationis, quia dantur aliquæ potentiæ activæ, & passivæ secundum motum, quæ non possunt ad Met. pertinere, quæ abstrahit a motu; cum ergo potentia activa, & passiva, qua intelligentiæ suas eliciunt intellectiones, ac recipiunt, exerceantur cum motu, vel mutatione, ut per se clarum est, sequitur ex ejus dictis non posse ad Metaph. pertinere, quæ abstrahit a motu, & mutatione.

3 Quamvis autem in hoc sensu potentia activa, & passiva ad Metaphysicum spectant, ut nimirum sine motu, & mutatione exerceri possunt, quemadmodum pariter de actione, & passione dictum est disp. 15. Phys. n. 6. & 20. falsum tamen est, quod inquit Eustach. a S. Paulo 3. par. suæ Met. disp. de proprietate entis complexi, quæst. 10. cum hic docetur proprietatem entis complexam esse actum, vel potentiam, aut esse in actu, vel in potentia, per illud esse in potentia intelligi esse in potentia ad agendum, vel patiendum, quæ dicitur potentia activa, vel passiva; proprie enim loquendo, cum dicimus ens aut esse actu, aut potentia; & entium alia esse in actu, alia in potentia, plane non intelligitur de potentia, ut dicit principium operandi, quia sic non opponitur actui, nec actus potentiæ repugnat, immo potentia sive activa, sive passiva per ipsum actum perficitur, sed intelligitur de potentia objectiva, & actu entitativo, nam hæc sunt potentia, & actus, quæ proprie ad Metaphysicum spectant, & proprie appellantur actus Metaphysicus, & potentia Metaphysica, quia ad solam Metaphysicam spectant, & nullo pacto ad Physicam; potentia vero activa, & passiva quamvis aliquo pacto etiam ad Metaph. spectent modo jam declarato, ut scilicet abstrahunt a motu, & mutatione, principalius tamen ad Physicam spectant, quia regulariter cum motu, & mutatione exercentur, ut Scotus monet locis omnibus citatis, sed præsertim ita advertit 9. Metaph. cap. 5. tex. 11. dicens, notandum, quod licet nomen actus sumptum sit a motu, tamen non solum actus dicitur de motu, actus enim, & potentia dupliciter sumi possunt, uno modo ut abstrahunt a motu, alio modo ut includunt motum; primo modo dicuntur Metaphysice, ita quod actus dicit actum essendi, sive existendi, cui opponitur potentia objectiva, secundo autem modo dicuntur physice, & quidem eo loco loquitur Arist. de actu existendi, & potentia objectiva, cum ait, *est autem actu rem existere non ita quemadmodum dicimus potestate*, cum ergo dicimus actum, & potentiam esse passionem entis disiunctam, & complexam, certe non est intelligendum de potentia activa, & passiva, sed de potentia objectiva, ut contra distinguitur ab actu entitativo, quæ proprie dicuntur actus, & potentia Metaph. quia ad solum Metaph. spectant; immo hac ratione Doctor 9. Metaph. q. 2. ab initio prius tractat de potentia objectiva, & actu opposito, quam de activa, & passiva, dicens videndum prius esse de potentia accepta, ut videlicet importat modum quendam entis in se sine ratione principii, & quia Metaph. considerat ens & passiones ejus, ideo potentia sic sumpta ad considerationem Met. pertinet. Sed quamvis Doctor hac methodo utatur 9. Met. qu. 1. & seq. ob allatam rationem; quia potentia objectiva, & actus entitativus potiori jure ad Metaph. attinent, quam potentia activa & passiva, nobis tamen utilius visum est, & ordini doctrinæ conformius agere prius de potentia activa, & passiva, ut quæ sunt magis manifestæ, ac passim in omni schola concessæ, quam de potentia objectiva, & actu entitativo illi opposito, quæ non ita facile conceduntur ab omnibus, nec ita sunt in rebus obvia, quemadmodum potentia activa, & passiva.

ARTICULUS I.

Quid sit potentia activa, & passiva.

4 Potentia realis, late sumpta pro quocumque principio agendi, vel patiendi dividitur in activam, & passivam ab Arist. 5. Metaph. cap. 12. quo loco etiam utramque definit dicens, Potentiam activam *esse principium transmutandi aliud, inquantum aliud*, passivam vero *esse principium transmutandi ab alio*; Pro quarum definitionum, vel descriptionum intelligentia duo præmittit Doctor 9. Metaph. quæst. 4. primum est, quod ab eodem abstracto quandoque dicuntur plura denominativa, quæ scilicet nata sunt denominare diversa, ad quæ diversa habet habitudinem illud, quod per abstractum significatur, sic ab ista relatione, quæ dicitur principiatio signata in abstracto, diversimode denominatur illud, quod principiat, & illud, quo principiat, quia illud, quo immediate, & illud, quod mediate; & secundum hoc possunt duo denominativa istis appropriari, ut scilicet illud, quo dicatur principium, & illud, quod dicatur principians; videtur autem principium esse quasi abstractum respectu ejus, quod est principians, sicut enim calor est, quo calidum est calidum, & ita respectu ejus abstractum, ita principium est quo principians principiat. Tamen secundum veritatem principium est denominativum, quia impossibile est relationem pure in abstracto significatam de aliquo absoluto prædicari, quia tunc diceretur in quid de ipso, calor autem dicitur esse principium, non principatio; patet itaque, quod principium importat essentialiter relationem principiationis, & hoc in concreto, ut scilicet natum est concernere immediatum suum fundamentum, quod est quo scilicet formam, quæ est ratio principiandi, & est fundamentum proxime, & immediate fundans relationem principiationis; principians vero importat relationem principiationis in concreto, non ut concernit fundamentum principiationis, quæ est forma, sed ut concernit subjectum ipsius formæ. Consimiliter (inquit Doctor) dicendum est de potentialitate, potentia, & potente, quod eandem relationem important, primum in abstracto, alia duo in concreto, sed diversimode secundum quod illa relatio nata est diversimode denominare fundamentum proximum, & remotum, sive subjectum, sicut autem alia concreta communiter accipimus pro subjectis, inquantum habent tales formas, ita frequenter, quando dicimus potentiam, non intelligimus de respectu, sed de illo, in quo fundatur respectus; itaque sicut principiatio denominat hoc concretum principium, quia importat fundamentum proximum relationis principiationis, & ideo dicitur principium quo, & denominat deinde principians, quod importat fundamentum remotum, seu subjectum, super quod & principium, & principiatio fundatur ultimate, ita potentialitas denominat hoc concretum potentiam, quod importat fundamentum proximum, super quod potentialitas fundatur, & deinde denominat potens, quod est aliud concretum, quod importat subjectum, super quod fundatur & potentia, & potentialitas, quam eandem doctrinam ac etiam clarius tradit rursus 1. dist. 5. qu. 1. art. 1. & dist. 7. quæst. un. §. *ad quæstionem*.

5 Alterum, quod notat Doctor ibidem, est, quod principium non tantum habet relationem ad principiatum, sed etiam ad alterum comprincipium, quia sive principia sint intrinseca, sive extrinseca, hæc & illa mutuo nunquam causant, nisi inter se aliquo modo uniuntur, & concurrant, & illæ duæ relationes sunt omnino alterius rationis, & possunt ambæ fundari in eodem absoluto, immo necessario fundantur; potentia ergo in ratione principii, in qua præcise significatione modo de ea loquimur, utrumque hunc respectum importare potest, & pro utroque exprimendo videtur nomen potentiæ accipi ab Arist. 5. Metaph. text. com. 20. nam de potentia activa exemplificat, ut calefaciens ad hoc quod calefit, & paulo post quod fecit ad factum, & facturum ad faciendum; constat autem, quod calefactivum ad illud, quod calefit, non dicitur, ut principium ad principiatum, sed ut principium activum ad passivum, ex quibus sequitur unum principiatum, ad quod ambo dicuntur; sed pater ad filium, de quo ibi exemplificat, non sic dicitur, nec facturum ad faciendum, ut ad principium, sed ut ad principiatum, & tamen ambo exempla ponit pro secundo modo ad aliquid, qui est secundum potentiam activam, & passivam, signum ergo evidens est, utramque relationem per nomen potentiæ activæ significari posse; & ideo ait Doctor 4. distinct. 13. quæst. 1. X. potentiam activam non solum dici de potentia transmutativa, sed etiam productiva. Constat etiam ex eisdem exemplis, quo pacto potentia quoque passiva dicit eandem duplicem relationem, scilicet ad principiatum, & ad aliud compriucipium, scilicet ad potentiam activam, cum qua concurrit ad causandum effectum communem, subdit ulterius Doctor potentiam passivam v. g. materiam nedum dicere has duas relationes, scilicet ad principiatum, & ad efficiens, sed etiam ad formam, cum qua velut altera comparte constituit totum intrinsece ex ambabus resultans, ut ex suis partibus intrinsecis, quam relationem significavit Arist. 7. Met. cap. ult. cum ait; ideo ex materia, & forma fieri per se unum, quia hoc est actus, & illud potentia.

6 Ex his declarat Doctor definitiones potentiæ activæ, & passivæ ab Arist. loc. cit. traditas dicens, definitiones illas assignari de potentia activa, & passiva non per comparationem ad principiatum, sed inquantum comparantur ad alterum comprincipium, nam potentia activa definitur per ordinem ad passum, seu transmutabile, in quod agit, quod quidem, ut patet, non est principiatum, vel effectus agentis, sed alterum principium secum concurrens ad effectum producendum per modum subjecti recipientis actionem, & sic etiam e converso potentia passiva definitur per ordinem ad transmutans, & efficiens, quod non est principiatum, sed alterum comprincipium secum concurrens per modum causæ efficientis. Subdit quoque Doctor, quod hæ definitiones ab Arist. traditæ non sunt Metaphysicæ, sed Physicæ, & ratio est, quia dantur per respectum ad transmutabile, & transmutans, potentia autem activa, & passiva, ut exercentur cum motu, & mutatione ad physicum spectant, non ad metaphysicum, ut supradictum est ab initio quæstionis. Nec valet, si dicas has definitiones metaphysicas esse, quia in Metaphysica traduntur; non valet, ait Doctor, quia non inconvenit in una scientia aliqua misceri interdum ad aliam scientiam pertinentia, multa enim in Metaphysica ponuntur pertinentia ad Physicam, & e converso, ut patet in primo Physicor. ubi disputat contra negantes principia rerum indutus habitu

bitu Metaphysico ; subdit tamen posse excusari Aristot. quod talem definitionem dederit , & non Metaphysicam forte , quia potentia hoc modo descripta manifestior est . Et etiam quia ex hoc facile est deducere definitionem quoque Metaphysicam potentiæ activæ , & passivæ, dimittendo nimirum illud , quod contrahit ad naturalitatem , & ponendo generalius , quod pertinet ad Metaphysicum ; definitio itaque potentiæ activæ Metaphysica erit hæc secundum unam significationem potentiæ , scilicet efficientis , potentia activa est principium agendi agibile , secundum vero aliam significationem, scilicet actus , erit hæc , potentia activa est principium actuandi actuabile ; prima definitio , quod est principium agendi agibile , datur per ordinem ad effectum , & principiatum ; quod actuare potest inducendo formam præscindendo ab hoc , quod talis inductio fiat cum mutatione. Similiter potentia passiva , ait Doctor , secundum unam ejus significationem est principium , ex quo aliquid potest mutari ; secundum aliam est principium actuandi passive ab actu activo, idest ab efficiente , & secundum aliam est principium actuabile, sive informabile ab actu, idest ab actu formali, qui est forma.

Totam hanc doctrinam jam insinuavimus disputat. 7. Physicor. quæstion. 2. explicando definitionem causæ efficientis, cui propria est potentia activa per modum principii operandi, de qua hic loquimur , nam ibi diximus causam efficientem duo respicere , correlativa , & terminum productum , quo modo producens denominatur , & subjectum , quod transmutat , ratione cujus & agens , & transmutans dicitur , per comparationem ad primum correlativum, potentia activa in efficiente idem est, quod potentia productiva , unde inquit Doctor , quod potentia activa in hac significatione est principium agendi agibile , idest principium producendi producibile , per comparationem vero ad aliud correlativum , scilicet ad subjectum , in quod agit , idem est potentia activa , quod potentia actuativa, non quidem in genere causæ formalis , (nisi potentiam activam in hoc sensu velimus quoque ad formam ipsam extendere , quod non esset omnino abs re) sed in genere causæ efficientis , quæ quidem actuatio subjecti, si contingat cum motu , & mutatione , illa potentia actuativa dici etiam potest transmutativa ; & quia quoties dicitur unum oppositorum , tot etiam modis dicitur & reliquum, potest quoque potentia passiva referri ad activam dupliciter , vel ut activa dicit virtutem productivam agentis cum relatione transcendentali ad effectum , & hoc quidem modo convenit effectui, quatenus est producibilis ab agente , & dicitur in potentia passiva ad produci, quo forte sensu non differt a potentia objectiva, de qua postea dicemus ; vel potest ad activam referri, ut activa dicit virtutem efficientis causæ actuativam , & transmutativam subjecti , & hoc modo potentia passiva convenit subjecto , quatenus potest ab agente aliquam formam recipere , secundum quam actuetur , & perficiatur a forma quidem inducta in genere causæ formalis, ab efficiente vero in genere causæ efficientis , atque ita ex dictis patet, quomodo definiri debeat potentia activa , & passiva tam Physice, quam Metaphysice, & quo pacto definitiones traditæ ab Arist. proprie assignentur de potentia activa, & passiva Physice consideratis , non Metaphysice .

7 Contra præfatas definitiones potentiæ activæ , & passivæ Doctor facit nonnullas objectiones , ex quarum solutione adhuc magis elucet earum intelligentia ; & licet objectiones illæ sint præsertim contra definitionem potentiæ activæ , procedunt tamen etiam contra definitionem passivæ , quatenus per oppositas relationes definiuntur ; arguit igitur Scot. contra singulas particulas in definitione potentiæ activæ positas . Primo contra illam particulam, *principium*, quod sit male oppositа , quia si potentia activa est principium , ergo non agens non habet potentiam activam , quando actu non agit , qui fuit error quorundam antiquorum , quos carpit Aristot. 9. Metaph. tex. 5. dicentium eum, qui actu non ædificat , non posse ædificare ; Probatur consequentia , quia non agens non habet principium in actu , cum hoc sit simul cum effectu, nam causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt 2. Physicor. & 5. Metaphysic. nec habet principium in potentia, quia omnis potentia est ad aliquem actum ejus , quod est in potentia, non agens autem potens agere non est in potentia ad aliquem actum sui , quia tunc transmutaretur , quando ageret .

Ad hoc argumentum multa habet Doctor quæst. 4. cit. in solut. ad 1. breviter neganda est consequentia , quia nomen principii operativi , ut applicatur potentiæ activæ , licet importet actualem relationem principiationis ad principiatum , quando potentia activa est in actuali exercitio , & in actu secundo , absolute tamen loquendo importat potius relationem aptitudinalem , seu aptitudinem ad principiandum, cum autem id impugnatur , quia omnis potentia est ad aliquem actum ejus , quod est in potentia , quod dici nequit de non agente , potente tamen agere , quia non est in potentia ad aliquem actum sui , alioquin transmutaretur, quando ageret ; illa propositio licet assumatur , ut universaliter vera de quacumque potentia , re tamen vera verificatur præsertim de potentia passiva, (quomodo autem etiam de activa verificari possit , patebit infra num. 37.) efficiens namque quando est in actu primo, solamque habet aptitudinem ad agendum, proprie dicitur esse in potentia ad actum alterius , vel ut producibilis, si ad eum comparatur, ut ad effectum, vel ut transmutabilis, & actuabilis , si ad ipsum comparatur , ut ad subjectum ; immo quando potentia activa est ad actionem immanentem, quia tunc respicit effectum in ipso agente manentem , & non in subjectum aliud transeuntem, tunc potens active dici potest in potentia ad aliquem actum sui ipsius , quatenus forma per exercitium talis activæ potentiæ producta, recipitur in ipso agente, ipsumque actuat, & si adfuerint conditiones ad ipsam mutationem requisitæ, ipsum quoque transmutat, licet proprie loquendo ac in rigore tunc etiam transmutetur potius ex eo , quod est recipiens, quam ex eo quod agens ; alias solutiones ad hoc idem argumentum vide apud Doctorem loc. cit. si allata non placet, quæ tamen mihi sufficiens videtur.

8 Secundo arguit contra illam particulam *transmutandi* , quia ex hoc sequeretur, quod potentia creativa non esset activa , quia non transmutat aliud ; universaliter etiam sequeretur , quod potentia activa non abstraheret a motu , & mutatione , & ita nulla pertineret ad Metaphysicum , nec per consequens aliqua consideratio causæ efficientis ad ipsum pertineret, quod est absurdum . Respondeo satis patere ex dictis , quomodo Aristoteles re vera definierit potentiam activam , & passivam Physice, non autem Metaphysice, patet etiam quo pacto definitiones illæ sint moderandæ , & pertractandæ , ut evadant Metaphysicæ , & tunc sub potentia activa Metaphysice definita poterit quoque comprehendi potentia creativa , si potentia activa definiatur per ordinem ad effectum dumtaxat, non autem ad subjectum, quod ad actionem creativam nullatenus intervenit .

Tertio arguit contra aliam particulam , *aliud* , quia tunc omnis potentia activa esset factiva, quod est contra Aristot. 9. Metaph. 16. dividentem potentiam in factivam , & activam , cujus scilicet ultimus finis est usus , & non aliquid factum , consequentia patet, nam activa stricte sumpta non transmutat aliud secundum Arist. ibidem, quia actio manet in agente , & factio extra ipsum, ut visio in vidente, ædificatio autem in domo ædificata. Conf. quia tunc idem non posset agere in seipsum , quod tamen falsum est loquendo saltem de actione æquivoca, ut determinatum est disp. 7. Phys. q. 4. art. 2.

9 Respond. Doctor negando consequentiam , quia potentia activa stricte sumpta, nimirum prout distinguitur contra factivam , vere est activa , & quando elicitur operatio immanens , ut intellectio , vel visio , vere in eliciendo eam est actio ita perfecte habens quicquid est de ratione actionis , & forte verius , quam transiens , agens tamen ista actione non transmutat stricte sumendo transmutare , prout dicitur esse ad actum primum tantum , nec transmutat aliud , sed idem subjectum , inquantum aliud , unde subjungit Doctor , quod ratio posita in illa definitione , scilicet transmutativum esse non convenit proprie potentiæ activæ stricte sumptæ , ratio tamen Metaphysica, scilicet actuativum esse bene illi convenit, nam actus secundus vere est actus ipsius actuabilis , ita enim actuatur intellectus per intellectionem , aut oculus per visionem in se operatam , sicut actuatur manus per calorem ab igne receptum ; immo nisi sumatur transmutatio in tanto rigore , ut hic sumit Doctor , nimirum pro mutatione ad formam habentem rationem actus primi , etiam transmutativum esse convenit æque bene potentiæ activæ , sicut factivæ , nam oculus non videns recipiendo visionem ita mutatur a privatione ad formam , sicut cum manus , quæ prius erat frigida , recipit calorem , & non calida fit calida . Ad Confirmat. negatur consequentia , cum enim dicitur potentia activa esse principium transmutandi aliud , inquantum aliud , ly *inquantum aliud* , ubi agens realiter a passo distinguitur , reduplicat non tantum aliam rationem formalem , sed etiam aliam rem , ubi vero non distinguitur , reduplicat tantum alietatem rationis formalis , quia movens seipso moveri dicitur , non ut movens , sed ut mobile ; ita notavit Doctor 2. distinct. 25. quæstion. unic. ad 2. princip. quod & confirmat ex ipso Aristotele 5. & 9. Metaphysicorum, ubi postquam tradidisset præfatam definitionem potentiæ activæ , quod est principium transmutandi aliud , inquantum aliud, ponit exemplum de Medico , qui sanat seipsum , qui tamen non est aliud a seipso , sed inquantum Medicus est sanans est aliud a seipso inquantum sanatur , sanatur enim inquantum infirmus , non inquantum Medicus ; unde concludit ly *inquantum aliud*, reduplicat formalem rationem aliam solum, quando movens , & motum sunt indistincta subjecto , sed quando sunt distincta subjecto , reduplicat rem aliam , & rationem aliam ; eandem quoque doctrinam tradidit Alensis 5. & 9. Metaph. explicando allatam definitionem potentiæ activæ ab Aristotel. assignatam quantum ad alietatem , quæ necessaria est inter agens , & passum , necessario namque ait , vel potentia activa est in altero , & objectum ejus in altero subjective , sicut ars ædificandi in ædificante , & possibile ædificari in ædificabili , vel si in eodem sint subjective ambo, non tamen sunt secundum idem , sed secundum, quod alterum , ecce quomodo consonat doctrina Irrefragabilis , & subtilis .

10 Quarto arguit contra illam particulam reduplicativam, *inquantum aliud* , nam per eam significatur potentiam referri ab subjectum transmutabile , inquantum hujusmodi , scilicet transmutabile, sed transmutabile non videtur posse poni in definitione potentiæ activæ, nisi tanquam ejus correlativum, non est autem ejus correlativum, quia omnis potentia dicitur ad actum, ut ad suum correlativum . Si dicatur, quod potentia, quæ dicitur ad actum, non est ista, quæ est principium , de qua modo est sermo. Contra saltim habetur propositum, quia principium per se dicitur ad principiatum, transmutabile autem non est principiatum respectu potentiæ activæ, quia præsupponitur principiato ejus, ut ex ipso transmutabili principiatum causetur.

Resp. satis patere ex dictis nu. 5. quo pacto etiam transmutabile possit esse correlativum potentiæ, ut hic de ea loquimur, quia nedum dicit relationem ad actum, seu formam, ad quam transmutabile transmutatur, sed etiam ad ipsum subjectum transmutabile, ut ad alterum comprincipium. Et cum dicitur, quod principium refertur ad principiatum, transmutabile autem non est principiatum, sed supponitur principiato , patet ex ibidem dictis, quod potentia in ratione principii nedum dicit relationem ad principiatum, sed etiam ad alterum comprincipium, quale in proposito est subjectum transmutabile , quod sub ratione principii passivi simul cum principio activo concurrit ad principiatum ab ambobus in solidum , immo & ipsum subjectum, ut informatum forma noviter introducta ab agente, dici potest sub hac reduplicatione effectus, & principiatum ejus, qua de re nedum nos dicimus calorem effici ab igne , sed etiam calidum in concreto , prout concernit subjectum , quod in esse calido producitur secundum quid ab igne.

11 Quæres, an potentia activa, & passiva dicant relationem transcendentalem ad principiatum. Solvit hoc dubium Doctor 9. Metaphysic. quæst. 5. & inquit, quod si potentia activa, & passiva sumantur pro absoluta entitate, in qua immediate fundatur relatio potentiæ , & secundum quam dici solet causa esse prior effectu , & principium præcedere principiatum , in hoc sensu ait potentiam nullum dicere respectum , sed absolutam aliquam essentiam, in qua respectus fundatur, & ratio hujus est, quia si in tali statu relationem aliquam includeret ad effectum, non diceretur prior natura illo, sed simul natura cum eo , quia unum relativum est simul natura cum alio correlativo. Tum quia relatio non est activa, sed de genere sterilium, ut ajunt, & ideo nequit esse virtus activa ad producendum aliquem effectum, ut inquit ibi Doctor & 3. dist. 15. §. *aliter potest dici* , ergo pertinere nequit ad rationem potentiæ activæ, ut est prior naturaliter principiato. At si potentia in causa sumatur formaliter, quia sic ex vi nominis significat relationem virtutis absolutæ productivæ ad effectum producibilem, in hoc sensu dicit essentialiter respectum ad principiatum, & est simul natura cum ipso principiato, si actu, actu, si potentia, potentia. Hinc diximus disput. 5. Physic. quæst. 2. causam in actu primo in ratione causæ dicere relationem transcendentalem ad effectum ab ea possibilem connotando virtutem absolutam causæ, in qua talis relatio fundatur, quod etiam docuit Doctor ibi cit. 1. distinction. 7. quæstion. unic. lit. I. ubi significat, quod virtus absoluta in causa non est ei proxime ratio agendi, nec eam formaliter constituit in actu primo, & ratione causæ seu potentem agere, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum ; an vero hic respectus transcendentalis sit ad effectum dumtaxat in communi, vel potius ad omnes , & singulos in particulari ab ea producibiles, declaratum est loc. cit. disput. 5. Physic. quæst. 2. num. 8. quod est ad effectum in communi, ac etiam ad omnes & singulos in particulari, non quidem singulos singillatim, aut collective omnes, sed indeterminate omnes, & vage,

12 Ex hoc intulimus ibi esse necessariam connexionem causæ cum suis effectibus possibilibus, non quidem in eo sensu, ut si unus ex illis esset impossibilis, causa quoque impossibilis esset, ut dicebant Hurtad. & Arriag. ibi citati, sed in eo sensu quod si omnes prorsus implicarent, causa quoque impossibilis esset , ut si implicarent omnes calores, impossibilis esset potentia calefactiva ignis, si formæ omnes implicarent, esset impossibilis potentia passiva materiæ, quod ibi sufficienter probatum est, ac rationes illorum Recentiorum solutæ. Radix autem talis necessariæ connexionis causæ cum suis effectibus, & e contra, est relatio transcendentalis, quam causa dicit ad illos, ut possibiles, relatio namque est quidam nexus, quo duo extrema invicem connectuntur, adeout unum extremum necessario coexigit aliud in esse relativo, si actu, actu, si potentia, potentia, sic Pater in esse patris coexigit filium, & filius in esse filii patrem. Immo hæc est potissima ratio, qua probatum est disp. 8. Log. qu. 5. articul. 1. Dei ad creaturam non dari relationem realem etiam transcendentalem, atque ideo neque omnipotentiam in Deo a parte rei importare talem relationem ad creaturas possibiles, sed perfectionem potius omnino absolutam, quia relatio, five sit prædicamentalis, five transcendens de necessitate coexigit ad suum esse terminum ejus, ergo si in Deo aliqua talis relatio daretur, tunc Deus ratione talis relationis coexigeret aliquid aliud a se, quo non existente per possibile , vel impossibile , Deus quoque non existeret, quod omnino præjudicat necessitati Dei, quia nullum magis necessarium dependet in suo esse a minus necessario, vel contingenti , quam rationem fusius ibi deduximus, atque ideo ob eam solam rationem hunc dicendi modum sequuntur omnes Antiquiores , ac Recentiores ibi citati.

Ovviedus tamen singularem in hac re habet opinionem controv. 10. Metaph. punc. 4. & seq. ubi tenet omnem causam saltim creatam transcendentaliter utique referri ad omnes effectus ab ea possibiles, sed non propterea connexionem quoad esse habere cum illis, immo quocumque effectu repugnante illius virtutem productivam ait eandem omnino permansuram, perinde ac si talis effectus non repugnaret, unde inquit non esse idem causam referri transcendentaliter ad suum effectum, & cum ea necessariam habere connexionem quoad possibilitatem, quia causa creata non est connexa cum existentia, neque cum possibilitate effectus, & tamen transcendentaliter refertur ad illum, & quod causa increata, seu divina omnipotentia non referatur realiter ad creaturas possibiles non probat ex eo capite, quod necessariam connexionem cum creaturis haberet, & sic ab eis quoquomodo in suo esse dependeret, si ad eas referretur, sed aliunde. Quod autem nulla causa connexionem habeat necessariam cum suis effectibus possibilibus, quantumvis ad eos referatur, probat hic Auctor punc. 4. cit. §. 2. pluribus rationibus. Primo probat, quia virtus physica causæ realis nequit dependere a re, quæ non est , neque erit , etiamsi sit possibilis, ergo nequit intellectus meus dependere ab intellectione pure possibili, quam numquam eliciet, consequentia patet, probatur assumptum , quia rem esse possibilem nihil est physicum in rerum natura actu existens, & dum effectus possibilis non existit, habet æque non esse, ac chimæra , quæ intrinsece repugnat , ergo causa existens in rerum natura nequit in suo esse ab effectu possibili dependere. Tum 2. quia causa non dependet ab existentia effectus , ergo neque a possibilitate effectus, patet assumptum, probatur consequentia , quia possibilitas & existentia sunt omnino idem, ergo si existentia causæ non dependet ab existentia effectus , nec etiam pendebit a possibilitate ejusdem. Tum 3. si propter aliquam rationem causa haberet connexionem cum possibilitate effectus, maxime quia dicit relationem ad illum , sed relatio causæ non est nisi ad ipsam formalem existentiam effectus , ut actu exercitam , & positam extra causas , cum quo tamen certum est causam nullam habere connexionem , quia causa in suo esse non dependet ab existentia effectus sed e contra, ergo &c. probat minorem inferius punc. 6. num. 6. virtus productiva dicit ordinem ad illud, quod dicitur virtualiter in ea contentum, tanquam effectus in causa, sed id quod est contentum in virtute productiva , tanquam effectus in causa, est ipsa formalissima existentia rei , ergo virtus productiva ad formalissimam rei existent. dicit respect. major patet , quia non alia ratione refertur causa ad effectum , nisi quia illum intra se continet. minor ; rursus probat , id continet virtualiter virtus productiva in se, quod extra se ponit, & media causalitate attingit, sed quod extra se ponit & attingit media causalitate, immo quod potest sic attingere est formalissima effectus existentia, ut ultimo ad actum reducta, ergo &c. Tum 4. probat, quia non repugnat virtus productiva creata talis naturæ, ut implicante effectu ipsa possit subsistere, ergo saltim ex hoc capite posset dici virtutem productivam effectus connexionem non habere cum effectuum possibilitate, consequentia patet, probat vero assumptum ex omnipotentia Dei, quæ ita constituitur in ratione virturis productivæ, ut non habeat necessariam connexionem cum possibilitate effectuum, nam si talem connexionem haberet, deficiente alicujus creaturæ possibilitate ipsa quoque deficeret, quod est absurdum, quia tunc omnipotentia Dei non esset summe perfecta, ergoidem pariter *dici* poterit de potentia activa creata.

Ratio autem, qua hic Auctor movetur ad negandum adhuc omnipotentiam Dei ad creaturas possibiles transcendentaliter referri, non est, quia necessaria connexionem haberet quoad suum esse cum illis, quia cum respectus transcendentalis non dicat connexionem cum termino, absque ulla dependentia Dei a creaturis, & absque ulla imperfectione, posset ex hoc capite respectus iste in omnipotentia constitui. Ratio itaque est secundum ipsum, quia si concedamus omnipotentiam referri transcendentaliter ad effectus possibiles, cum quibus nullam habet connexionem, eodem modo concedendum est transcendentaliter referri hircocervum, & aliam quamcumque chimæram , ratio consequentiæ facilis est ; omnipotentia quantum est ex se non solum est potens producere calorem possibilem, sed hircocervum impossibilem, si ille ex se non repugnaret ; ergo si ex eo quod omnipotentia ex se fit productiva caloris independenter ab illius possibilitate, vel impossibilitate, non potest intuitive cognosci , quin saltim apprehendatur calor, & ad hunc transcendentaliter referatur, sic ex eo quod omnipotentia ex se sufficiens sit producere hircocervum independenter ab ejus possibilitate, vel impossibilitate, non poterit intuitive cognosci, quin apprehendatur hircocervus, & ad illam transcendentaliter referatur omnipotentia, quæ quantum est ex se eodem modo se habet respectu effectus possibilis, & impossibilis, sed inauditum est hucusque omnipotentiam transcendentaliter referri ad hircocervos, & chimæras, ergo hac de causa negari debet quod etiam ad entia possibilia referatur ; ita de omnipotentia Dei discurrit Ovvied. controvers. 10. citat punct. 6. numer. 11. & 12.

13 Hæc tamen opinio sustineri nequit , immo mihi implicare videtur in eo quod admittit causam saltim creatam transcendentaliter ad suos effectus referri, adhuc negat habere connexionem cum eorum possibilitate ; hoc , inquam, implicare videtur , quia ut supra dicebamus de ratione relationis , ut relatio est , est , quod sit nexus duorum extremorum in esse relativo , & cum mutua dependentia unius ab alio in tali esse , unde licet quoad esse absolutum causa non dependeat ab effectu , sed e contra , tamen quo ad esse rela-

tivum causantis, & causati non minus effectus a causa dependet, quam e contra, ergo relatio universaliter infert necessariam connexionem in esse relativo inter ea extrema, que refert. Conf. quia ponitur esse præcipua relativorum proprietas, quod sint simul natura, & quod posita se ponant, & perempta se perimant, ergo inter extrema relationis semper est necessaria connexio quoad esse, si actu, actu & si potentia, potentia, ita quod relatio actualis coexigit terminum actualem, & aptitudinalis aptitudinalem. Tum quia repugnat prorsus, quod ait Ovvied. respectum transcendentalem non dicere necessariam connexionem cum termino, quia si ita esset, jam non esset respectus, sed aliquid absolutum, respectus enim est essentialiter habitudo ad aliud, ut ad terminum. At ipse probat punct. 6. num. 2. relationem transcendentalem non habere cum termino necessariam connexionem, quia talis relatio dari potest ad terminum, qui neque existat, neque possit existere, ut constat de relatione transcendentali, quam dicit cognitio chimæræ ad ipsam, ergo relatio transcendentalis non habet connexionem cum suo termino, id enim quod potest existere sine existentia, & sine possibilitate alterius non potest dici cum illo connexum. Verum id non probat relationem transcendentalem non habere connexionem cum termino simpliciter, & absolute loquendo, sed non habere connexionem cum termino actu existente, quod gratis concedimus, non enim relatio transcendens refert semper ad terminum actu existentem, sed multoties ad terminum possibilem, & cum ipso connectit necessario fundamentum per ipsam relatum, sic materia prima respicit transcendentaliter omnes formas, non quidem actu existentes in ipsa, sed possibiles in ea recipi, & cum ipsis possibilibus dicitur habere connexionem, adeoquod si formæ possibiles non forent, nec ipsa quoque foret possibilis ob relationem transcendentalem, quam dicit ad ipsas, ei realiter identificatam. Tum quia etiamsi concederetur relationem transcendentalem, quando est ad terminum impossibilem, ut est de cognitione chimæræ, non habere connexionem necessariam cum ipso, adhuc tamen id negari deberet de relatione transcendentali, quando est ad terminum possibilem, nam saltim hanc verisimile est habere connexionem cum possibilitate termini. Tum tandem quia etiam cum relatio transcendentalis tendit ad terminum impossibilem, ut relatio cognitionis chimæræ ad ipsam; adhuc existentiam, aut possibilitatem termini exigit saltim in apprehensione, ac in esse objectivo, adeout semper verum sit relationem, ut talis est, connexionem habere cum termino modo sibi proportionato juxta ejus conditionem.

14 Hinc patet veram, ac legitimam rationem, cur omnipotentia Dei relationem non dicat ad creaturas etiam ut possibiles, illam esse, quam ex Scoto retulimus, quia necessariam connexionem haberet cum ipsis, & ab eis dependeret quoad suum esse, vel saltim ad suum esse illas coexigeret, quod est absurdum, neque illa sua ratio valet, neque consequens est ad sua dicta, nam si semel concedit divinam omnipotentiam esse causam v. g. productivam, aut alterius effectus independenter ab ejus possibilitate, & ad eum hoc pacto transcendentaliter referri, idem consequenter asserere debet in ordine ad chimæras, hircocervos, cæteraque entia impossibilia; probatur consequentia, quia ratio cur de facto saltim mente cogitetur divina omnipotentia ad creaturas possibiles referri, est, quia possibiles sunt, & sub objecto divinæ omnipotentiæ continentur, ergo si semel concedatur omnipotentiam referri ad ipsas independenter ab earum possibilitate, idem consequenter asseri poterit, ac debebit de ipsa in ordine ad chimæras, ac entia impossibilia, ut bene deducit Ovvied. & licet illud deducat, ut inconveniens, & re vera sit tale, tamen necessario sequitur ad ejus positionem, neque ex hoc, quod est absurdum, & inauditum divinam omnipotentiam ad chimæras referri, negari debet ab ipso, sed ultro concedi debet; ut quid necessario consequens ad ejus positionem.

15 Nec etiam valde operosum erit rationes hujus Auctoris dissolvere, quibus num. 12. probabat nullam causam, & potentiam activam necessariam habere connexionem cum suis effectibus possibilibus, licet ei gratis concedamus non habere necessariam connexionem cum hoc, vel illo determinate, & sigillatim sumpto. Ad 1. verum est utique causam quoad suam virtutem absolutam, quæ est ratio agendi, a possibilitate effectus non dependere, falsum tamen est non dependere quoad denominationem relativam potentis illum producere, & causare; sub hac enim denominatione relativa dicitur ab illo dependere in esse relativo, vel potius illud coexigere (non enim bene sonat dependentiæ nomen in relativis, quia relativa sunt simul natura, & dependentia dicit posterioritatem unius ad aliud, unde proprie loquendo non dicitur unum relativum ab alio dependere in esse relativo, sed potius illud coexigere) argumentum vero procedit perinde ac si intellectus meus in sua entitate absoluta dependeret ab intellectione possibili, quæ numquam existet, quod non afferimus; verum tamen est quod quia relatio transcendentalis est realiter identificata rebus, eisque consubstantialis, si omnes intellectiones essent impossibiles, destrueretur relatio transcendentalis intellectus ad ipsas & quia talis relatio est realiter cum intellectu identificata, consequenter a posteriori argueremus intellectum quoque in sua entitate absoluta deficere. Deinde cum non sit vera dependentia unius relativi ab alio, quia tunc non essent simul natura, sed potius mutua coexigentia unius ab alio, nullum est absurdum causam existentem, ut dicatur potens causare, coexigere effectum possibilem, nam & ens positivum ad suum esse, ut patet, coexigit multas generationes, immo & in suo fieri a privatione dependet, cum hæc sit tertium principium rerum naturalium. Tum quia effectus possibilis, licet actu non sit in rerum natura, falsum tamen est æque habere non esse, sicut chimæra, ut ait Ovvied. quia chimæra habet non esse necessario, cum intrinsece repugnet, effectus autem possibilis habet non esse contingenter, unde & dici potest ens reale nominaliter, ut constabit inferius disp. 8. n. 46. atque ideo argumentum illud multa falsa involvit, nec recte procedit.

Ad 2. falsum est antecedens, & consequens cum ejus probatione, quia si causa sumatur formaliter sub relativa denominatione causæ, causa in actu dependet ab effectu in actu sumendo semper dependentiam pro coexigentia, & causa in potentia ab effectu in potentia, nam causa, & effectus simul sunt, & non sunt sub ratione relativa ex 2. Physic. & 5. Metaphysic. si actu, actu, si potentia, potentia; falsum item est possibilitatem esse prorsus idem cum sua actuali existentia, ut constabit inferius disp. 8. Ad 3. negatur minor, ad cujus probationem rursus negatur minor, quia terminus causalitatis physicæ nedum est existentia, sed etiam ipsa actualis rerum essentia, dum ponitur sub actuali modo existentiæ, alioquin essentiæ rerum forent incausatæ, ut clarius dicetur disp. 8. cit. de essentia, ac existentia rerum. Ad 4. negatur paritas de potentia activa creata, & increata, nam nullum absurdum est potentiam activam creatam necessario connexam esse cum possibilitate suorum effectuum, sicut absurdum est de potentia divina, immo cum id probat Ovvied. de omnipotentia divina, quia talis connexio summam ejus læderet perfectionem, hoc ipsum probat oppositum de potentia creata, cum enim ipsa summam perfectionem non habeat, immo sit valde imperfecta per comparationem ad divinam omnipotentiam, potius dicere debemus, quod sicut divina omnipotentia ob suam maximam perfectionem non habet connexionem cum possibilitate suorum effectuum, ita e contra potentia creata ob suam imperfectionem talem habet connexionem cum ipsis. Ex dictis autem deducitur, quod cum potentia activa, & passiva formaliter constituantur in esse potentiæ per relationes transcendentes, non spectant directe ad prædicamentum relationis, & cum relationes istæ fundari possint, nedum in qualitate, sed etiam in substantia, aliisque prædicamentis, quia substantia est immediate etiam activa, & alia quædam prædicamenta immediate passiva, ut suis locis monstratum est, ideo directe spectare non possunt ad prædicamentum qualitatis, ut frequenter dicere solent Thomistæ, sed per plura vagantur.

ARTICULUS II.

Divisionem potentiæ in ratione principii activam, & passivam esse sufficientem.

16 Conclusio est communis in omni schola, immo in schola Thomistarum absque ulla limitatione recipitur, putant namque hanc esse unicam, & adæquatam divisionem potentiæ quocumque modo sumatur, quod negant Scotistæ præter hanc agnoscentes aliam divisionem potentiæ in objectivam, & subjectivam, de quo quæstion. sequent. & ideo ex industria posui in conclusione divisionem procedere de potentia non quomodocumque sumpta, sic enim alias subire potest divisiones, sed de potentia in ratione principii considerata, sub hac enim consideratione adæquate dividitur in activam, & passivam, & illa divisio est sufficiens, intelligendo tamen, inquit Doctor, quod sit in illa duo membra, tanquam in principalia membra, ac immediatior, quæ rursus subdividi possint in alia minus principalia, ut dicemus artic. seq. Probat hanc conclusionem Suarez disput. 43. Metaphysic. section. 1. num. 6. quia potentia, ut sic, est quidam actus primus, qui dicit aptitudinem ad secundum, sed actus secundus proximus, & immediatus alicujus potentiæ non est, nisi aut actio, aut passio, ergo etiam potentia tantum potest esse aut activa, aut passiva; minor patet, quia duplex tantum habitudo actus ad potentiam intelligi potest scilicet ut ad principium a quo, vel in quo seu ex quo fit, ex quibus prior constituit actionem, posterior passionem. Hæc tamen probatio statim deficere videtur, quia actus secundus, quo exerceri possunt potentia activa, & passiva, nedum sunt actio, & passio, sed etiam transmutatio, quam certum est formaliter ab actione, & passione distingui, immo Arist. potentias istas definivit præsertim in ordine ad transmutationem; ratio autem cur deficit ista probatio est, quia considerat potentiam in ratione principii, ut dicit relationem tantum ad principiatum; at falsum est ex dictis art. præced. n. 5. potentiam in ratione principii consideratam dicere relationem tantum ad principiatum, nam dicere quoque potest relationem ad aliud conprincipium.

Ut ergo ostendatur sufficientia allatæ divisionis debent assignari omnes relationes, quas potest potentia involvere, ut facit Scot. 9. Metaphysic. qu. 4. cit. art. 3. hoc modo, potentia est concretum, quod denominatur a potentialitate, quæ est relatio, unde potentia dicit duplicem relationem potentialitatis activam, & passivam, sicut etiam principium, nam potentia activa dicit relationem ad principiatum, & hæc includit relationem agentis, ut quod, & ut quo, quia denominativum potentia concernit tam fundamentum, quam subjectum ipsius relationis potentiæ activæ; deinde dici relationem ad alterum comprincipium, nimirum ad principium passivum, quod concurrit passive cum agente, & forma ad producendum principia; tum pariter potentia passiva dupliceem dicit relationem passivam alteram ad principiatum, alteram ad pricipium activum tam ad agens, quam ad formam, seu tam ad principium quod, quam ad principium quo, neque datur ulla alia relatio in potentia præpter istas, & ideo nulla alia potest reperiri species potentiæ, aut aliud membrum, quod sub prædictis duobus aliquo pacto non contineatur, vel ad ea aliquo pacto reducatur.

17 Sed ut adhuc magis eniteat quæ, & qualis sit ista divisio potentiæ in activam, & passivam, advertendum est non ita ejus divisionis membra abinvicem distingui, ut semper realiter differre debeant, & in diversis subjectis reperiri, ut enim dictum est art. præc. nu. 9. potest in eadem entitate fundari respectus potentiæ activæ, & respectus potentiæ passivæ nedum respectu diversorum, sed etiam ejusdem, nam eadem res potest esse principium proximum, & adæquatum activum, & passivum ejusdem operationis, & ita est universaliter de actibus immanentibus, qui recipiuntur in eisdem potentiis, a quibus eliciuntur, unde considerando rationes potentiæ activæ, & passivæ, secundum quod eandem rem denominant, divisio erit ejusdem rei in diversas formalitates diversosque respectus, similisque erit divisioni illi, qua dividitur intellectus in speculativum, & practicum, sicut enim intellectus dividitur in practicum, & speculativum ratione diversorum respectuum, quos illæ differentiæ important, ita eadem facultas vitalis distingui poterit in activam, & passivam ratione diversorum respectuum, qui in ea fundantur, adeout potentia activa, & passiva utique realiter, & materialiter coincidere possint, quatenus idem subjectum potest esse agens, & patiens, non tamen formaliter, quia secundum diversos semper respectus, imo & oppositos fundat denominationes activi, & passivi. Quod si potentia veluti in abstracto sumatur, & præcise secundum formalitatem potentiæ, tunc probabiliter dici potest hanc esse divisionem, veluti generis in species, genus erit ipsamet potentia considerata secundum rationem præcisam principii, & differentiæ erunt rationes agendi, vel patiendi, nam copulando has rationes peculiares cum ratione principii in communi, illamque contrahendo, constituunt duas veluti species potentiæ, nempe activam & passivam, neque ejusmodi species pertinebunt dumtaxat ad genus qualitatis, ut sentiunt quamplures, sed ad quodlibet etiam aliud genus, in quo fundari potest ratio agendi, atque patiendi; neque circa hoc opus est amplius immorari, quia res est parvi momenti, & difficultate vacat.

Contra hanc divisionem ad eam magis explicandam objicit Doctor 9. Metaphysic. quæst. 3. nonnulla argumenta; Primo urget quod non sit sufficienter assignata hæc divisio, quia sicut generans primo generat, non autem forma, qua generat, ita videtur illud esse primo principium quod principiat, non quo principiat, ergo insufficienter dividit Arist. principium sub nomine potentiæ, quia potentia significare videtur principium quo, non quod. Conf. quia cum principium quod, & quo, non sint idem simpliciter, videtur quod propria relatio utriusque ad principiatum sit alia, quia reletio diversificatur secundum diversitatem fundamenti. Respondet breviter Doctor ex doctrina tradita ab initio præcedentis articuli num. 4. principium quod, & quo non distinguere rationem principii, quia eandem relationem principiationis important diversimode denominantem, & cum confirmatur per diversitatem fundamenti, patet responsio ex eadem doctrina quia tantum unum est fundamentum, & aliud subjectum.

18 Secundo potentia, quæ hic dividitur, spectat ad naturalem, cum sit principium agendi, & patiendi, actionem autem, & passionem considerat naturalis, ut constat ex 3. Physic. si ergo hæc est divisio sufficiens, jam nulla potentia spectat ad Metaphysicum, vel si est alia potentia ad Metaphysicum spectans, præfata divisio potentiæ sufficiens non erit, sed erit alia potentia non pertinens ad agere, & pati. Respondet Doctor, quod actio, & passio secundum quod fundantur in motu, utique ad Physicum pertinet, & concedit Arist. hic descripsisse potentiam activam, & passivam potius ut spectant ad Physicum, quam ad Metaphysicum, ut constat ex dictis art. præced. subdit tamen quod ratio actionis, & passionis potest abstractius sumi, secundum quod per agere intelligitur dare esse, & per pati recipere esse, præscindendo a motu, & mutatione, & a sic agere, & pati sumitur potentia activa, & passiva, prout spectant ad Metaphysicum; cum arguitur ergo quod aliquis modus est præter illos, qui pertinent ad agere, & pati, si intelligatur de agere, & pati stricte, concedo, si abstracte, nego, quia & illi sic sumpti sunt de consideratione Met. inquit Doctor loc. cit.

Tertio quot modis dicitur causa, tot modis dicitur & principium 5. Metaphysic. text. 1. ergo quatuor debent esse potentiæ sub ratione principii correspondentes quatuor causis, deficit ergo hic Arist. ponendo tantum duas potentias correspondentes efficienti, & materiali. Conf. sicut enim agens, & materia propriam habent rationem principiandi, quare non similiter forma, & finis? Respondet Doctor non ita communem importare relationem potentiam, sicut principium, quia relatio principii extenditur ad omnia quatuor genera causarum, at relatio potentiæ extenditur tantum ad duo genera scilicet, ad causam efficientem, & materialem, & de hoc nulla est ratio, nisi usus loquentium, nam Arist. non loquitur de potentia inquantum est principium, nisi ut perinet ad duplex genus causæ, scilicet efficientis, & materialis, numquam enim dicit formam, & finem esse potentiam, sed de materia tantum, & efficienti hoc pronunciat, & hinc fit, quod potentia distinguitur tantum in activam, & passivam. Ad Conf. inquit Doctor plures de hoc posse assignari rationes, sed præcipuam esse, quia Arist. illa principia appellavit potentias, quæ possunt præcedere tempore ipsa principiata, sed finis subsequitur, & forma actu est simul cum ipso principiato, ideo illis non potest competere ratio potentiæ, quæ omnia probabiliter dicuntur a Doctore, & non quia manifesta ratio ita convincat.

Quarto movet difficultatem Scotus de potentia restitutiva, quod constituat tertium membrum ab illis duobus diversum, & quia argumentum apud Doctorem non nihil obscuratis habet ad majorem claritatem conficio illud, ut refertur a Suarez, potentia resistendi est vera potentia, & realis, & tamen non est activa neque passiva, ergo datur tertium membrum ab illius duobus diversum, major constat ex Aristot. in prædicam. cap. de qualitate, ubi in specie potentiæ ponit illam potentiam, quam aliquis habet ut non facile patiatur v. g. duritiem, per quam corpus est potens ut non facile dividatur, hæc autem non est nisi potentia resistendi. Tum quia sicut actu agere est aliquid reale, ita & actu resistere, & sicut res etiam cum non agit apta est ad agendum, ita etiam cum non resistit apta est ad resistendum, est ergo vis resistendi potentia quædam realis, quam natura rebus indidit, ut se se a contrariis tuerentur; probatur etiam minor, quoad utramque partem, primo quod illa potentia resistendi non sit activa, quia resistere non est agere, resistit enim res etiam dum non agit in aliam, ergo potentia resistendi, ut sic, non est potentia agendi, nam qualis est actus, talis est potentia. Tum quia contingit eandem rem esse maximæ activitatis, & minimæ resistentiæ, ut patet de igne, ergo potentia resistendi non est potentia agendi, nec e converso. Et eisdem rationibus ostendi potest potentiam resistendi non esse potentiam patiendi, nam resistere non est pati, sed potius est passionem impedire, unde quantum quis patitur, tantum resistere non valet, in eo autem resistit, in quo impedit, vel retardat passionem, ergo potentia resistendi non est potentia patiendi, sed potius illi opposita, datur ergo potentiæ genus distinctum ab activa, & passiva.

19 Respond. Doctor loc. cit. potentiam resistitivam nequaquam tertium genus distinctum a potentia activa, & passiva constituere, & ratio est, quia potest fieri resistentia corrumpenti dupliciter, aut contra illud agendo per reactionem, quo pacto intensum frigus dicitur calori resistere, aut sine ulla prorsus contraria actione, sed præcise quiescendo, & perstitendo in possessione propriæ perfectionis, quo pacto duricies dicitur scindenti resistere; si primo modo resistentia fiat, satis de se patet quod potentia eo modo resistitiva pertinet ad potentiam activam, quia illa resistentia non est, nisi actio contraria corrumpenti, quando autem exercetur resistentia secundo modo, sicut tunc non exercetur modo positivo, sed privativo, & negativo excludendo præcise actionem contrarii, nihil interim contra ipsum moliendo, & per modum simplicis defensæ, non offensæ, ita quoque potentia resistitiva hoc pacto non accipitur positive, sed privative scilicet pro carentia principii passivi a corruptivo, & hoc videtur significasse Aristot. 5. Metaphysic. capit. de potentia, ubi ait aliquid posse esse impossibile, & difficile ad corrumpi a contrario, vel quia habet potentiam positive resistendi, contra agendo, vel quia privatur principio passivo, seu facile passibili a corruptivo, & licet Aristot. expresse loquatur de posse corrumpi, eodem tamen modo dici potest de non posse corrumpi, quod aliquando est tale per aliquid, ut in primo modo, aliquando per privari, ut in secundo modo; subdit tamen Doctor hunc etiam secundum modum resistendi scilicet per privari interdum non contingere sine hoc, quod habeatur aliqua perfectio contraria illi quo privatur, vel contraria simpliciter, vel contraria quantum ad actum patiendi corruptionem. Et sic patet potentia resistendi quocumque modo sumatur non constituere diversum genus potentiæ ab activa, & passiva, ut perperam putavit Meurisse libr. 2. suæ Metaphysic. capit. 3. quæst. 6. conclus. ultim. quia si primo modo sumatur pertinet ad potentiam activam, si vero sumatur secundo modo, ille modus resistendi non est positivus sed negativus, & ideo procedere nequit ab aliqua reali, & positiva potentia, quia naturalis potentia non per se ordinatur ad aliquam privationem, & ideo dicetur hanc non tam esse potentiam, quam impotentiam, & quasi incapacitatem, quæ consequenter se habet ad effectum formalem alicujus qualitatis, seu dispositionis, quam doctrinam adhuc magis declaravimus disput. 5. de gener. & corr. quæstion. 4. numer. 6. explicando naturam resistentiæ, prout ab activitate distinguitur, eamque recipit, ac late prosequitur declarando Suarez disput. 43. citat. section. 1. numer. 7. & inde, & juxta hunc posteriorem resistendi modum patet ad argumentum, quomodo possit contingere resistentia etiam sine actione, & quomodo eadem res possit esse minus activa, & magis resistiva, vel e contra, quia hæc resistentia non consequitur activitatem, sed præcise informationem, aut dispositionem; patet denique quomodo non oportet, ut resistentia, & activitas inter se proportionem servent, aut æqualitatem in eadem re,

quia talis resistentia non convenit rei juxta modum agendi, sed secundum quod est magis, vel minus privata principio passivo a corruptivo,

Quinto objicitur, quia ultra potentiam activam, & passivam solet dividi potentia in objectivam, & subjectivam, ergo hæc non est adæquata potentiæ divisio. Respondetur gratis concedendo per hanc divisionem non dividi potentiam in tota sua latitudine, sic enim potius est quid æquivocum, quam univocum, sed præcise dividitur potentia, ut habet rationem principii, ut sæpius Doctor inculcat, in ea autem divisione, cum potentia dividitur in objectivam, & subjectivam non accipitur potentia hoc modo in ratione principii, sed prout contra actum distinguitur, & prout opponitur actui, ut patebit qu. seq. Deinde forte etiam in aliquo sensu, ut ibidem dicemus, poterit illa divisio ad istam reduci, nam potentia subjectiva poterit reduci ad passivam subjecti in ordine ad actum recipiendum, & objectiva ad potentiam passivam ipsius effectus producibilis, quatenus est objectum potentiæ agentis, vel ad potentiam activam ipsius agentis, quatenus potest illud producere, & hoc ejus actionem terminare,

20 Sexto membra bonæ divisionis non debent coincidere, sed ista coincidunt, quia eadem potentia esse simul potest activa, & passiva, sicut idem esse potest simul agens, & patiens, ergo &c. Respondetur ad perfectam hujus argumenti solutionem hic disputare Auctores, an dentur aliquæ potentiæ pure activæ, aliæ puræ passivæ; Suarez cit. quem adamussim sequitur Meurisse loc. supracit. tenet dari aliquas potentias pure activas, aliquas pure passivas, & aliquas simul activas, & passivas, potentias primi generis inquit esse, quæ per se primo ordinantur ad agendum per actionem transeuntem, tanquam principia talium actionum in suo ordine completa, exemplificat de intellectu agente, potentia motiva, potentia attractiva, quæ est in magnete, vel impulsiva, quæ est in vi expellente, & similibus, & inquit has, & similes potentias esse præcise principia agendi, & non patiendi, quia nec patiuntur recipiendo proprium actum, cum non agant actione immanente, nec recipiendo aliquid per modum actus primi, quo compleantur in ratione principii agendi, quia sunt principia completa in suo ordine. Nec refert, ait, hujusmodi facultates interdum indigere applicatione, vel motione alterius potentiæ, ut suas actiones exerceant, ut potentia loco motiva animalis indiget motione appetitus; hæc enim motio non fit per physicam actionem & passionem circa ipsammet potentiam loco motivam, sed fit per sympathiam potentiarum ejusdem animæ, &, ideo hoc non impedit, quin talis facultas sit pure activa; Potentias vero pure passivas in tota entis latitudine inquit esse materiam in genere substantiæ, quæ est pure passiva ad omnes formas, & quantitatem in genere accidentis, quia est potentia passiva ad omnia accidentia corporea. Potentias tandem tertii generis ait esse potentias omnes, quæ ordinantur ad actus immanentes, qui recipiuntur in eisdem potentiis, a quibus eliciuntur, atque ideo sunt simul activæ, & passivæ respectu ejusdem operationis,

Faber 9. Metaphysic. disputat. 5. capit. 2. negat in rebus creatis dari potentias pure activas, nam solus Deus dicitur purus actus, & nullo modo potentialis, vel passivus, quia propter summam perfectionem non est aliquo modo perfectibilis, & consequenter non est passivus, quia non est receptivus alicujus actus vel perfectionis, omnis autem res creata, cum non sit summe perfecta, necessario est passiva, quia est perfectibilis magis, & majorem perfectionem recipere potest, quam sit ea, quam habet; ita colligitur ex Scoto 9. Metaphysic. quæstion. 10. unde deducit falsum esse, quod intellectus agens, vis motiva, & attractiva, & similes sint pure active, quia cum non sint perfecta in summo, sunt perfectibilia, & consequenter sunt passiva, &. sic inquit intellectum agentem moveri a phantasia, & ab objecto, circa quod versatur, idem affirmat de vi motiva, nam inquit sympathiam illam potentiarum non obstare motioni physicæ, quia sympathia, & convenientia non aliunde procedit, nisi quia illa potentia est proportionatum passum respectu illius objecti, ideo ab illo objecto facile movetur. Concedit tamen Faber potentias mere passivas, & talem ait esse materiam primam in genere substantiæ, quantitatem etiam inquit esse mere passivam in genere accidentis, quia est de genere sterilium, sicut &. relatio. Verum neque id adeo libere concedendum videtur, nam etiam materiæ primæ aliquam activitatem physicam tribuimus in ordine saltim ad propriam cognitionem causando, & imprimendo sui speciem disputat. 2. Physic. quæstion. 8. articul. 5. & cum dicitur materia non esse de numero activorum, & quantitas de genere sterilium, hoc debet intelligi, ut Licher. advertit 2. distinction. 12. quæstion. 1. de activis, & passivis, quæ mutuo corrumpuntur, & de qualitatibus consequentibus hujusmodi activa, & passiva, certum enim est, quod nec materia prima nec quantitas producere possunt aliquam formam substantialem effective, nec aliquam accidentalem per verum motum, &. mutationem physicam, & realem; non tamen privantur actione vera, & reali in ordine ad propriam cognitionem, & speciem imprimendam, quæ etsi appellari soleat actio intentionalis, id tamen non dicitur, quia non sit actio vera, & realis in suo ordine, sed solum quia ordinatur ad immutandas potentias vitales, quæ ob suam vitalitatem dici solent immutari intentionaliter, ut Scotus declarat 2. distinction. 13. quæstion. unic. unde non videtur in creatis admitti posse potentias pure activas, aut pure passivas, sed omnes esse

posse activas simul, & passivas saltim respectu diversorum.

21 Sed admittendo etiam potentias pure activas, & pure passivas, ut contendit Suarez, adhuc per hoc non satisfit propositæ difficultati, quod membra præfatæ divisionis non coincidant in aliquibus, nam saltim in potentiis vitalibus, & ordinatis ad actus immanentes concedi debet eandem potentiam esse simul activam, & passivam, ut & ipse Suarez concedit loc. cit. n. 14. & tunc adhuc stat difficultas, quod præfata membra coincidere possunt, quod est contra leges bonæ divisionis, qua forte de causa D. Thomas quæst. 1. de Verit. artic. 1. hanc potentiæ divisionem assignans non eam facit bimembrem, sed trimembrem, dicens quandam esse potentiam pure activam, aliam pure passivam, &. aliam simul activam, & passivam. Sed quocumque modo dicatur, sive admittantur potentiæ pure activæ, & pure passivæ, sive non, facile respondetur ad difficultatem propositam ex dictis n. 17. quod membra præfatæ divisionis, licet materialiter coincidere possint, quatenus supra eamdem entitatem fundari potest respectus importatus per potentiam activam, & respectus importatus per passivam, numquam tamen coincidere possunt formaliter, ita quod potentia activa, & passiva eundem importent respectum, unde quando dicimus eamdem potentiam esse posse simul activam, & passivam, hoc non debet intelligi de potentia pro formali, sed pro fundamento, quatenus super idem fundamentum possunt diversi illi respectus fundari secundum diversas fundandi rationes, & hanc quoque, solutionem amplecti debent qui admittunt potentias pure activas, & pure passivas, nam licet ex hoc capite argumentum allatum eos non urgeat, urget tamen ex alia parte, qua admittunt aliquas etiam potentias posse esse simul activas, & passivas, nec illud solvere possunt, nisi juxta doctrinam a nobis datam,

Postremo objicitur, quod saltim præfata divisio potentiæ in activam, & passivam non sit proportionata, nec una bene definiatur in ordine ad aliam, quia nec cuicumque potentiæ activæ correspondet passiva proportionata, nec passivæ activa. Probatur primum, quia Deus dicitur a Theologis habere potentiam activam ad producendum infinitum, & tamen tali potentiæ activæ nulla correspondet passiva ex parte rei producendæ. Probatur etiam secundum, quia in nobis datur potentia passiva naturalis ad formas ordinis supernaturalis, ut ad gratiam, lumen gloriæ, actum beatificum, ut passim Scotistæ docent ex famosa Scoti sententia q. 1. prolog. & tamen in tota natura creata non datur potentia activa naturalis respectu formarum supernaturalium,

22 Respondet Suarez loc. cit. num. 10. quod si sermo sit de potentia activa absolute, &. simpliciter, ut comprehendit etiam divinam potentiam, illi non correspondet aliqua potentia passiva, quæ sit veluti adæquatum sumptivum actionis ejus, quia potest agere extra omnem potentiam passivam, & ipsammet primam potentiam passivam potest efficere, sed correspondet illi adæquate quicquid est possibile potentia objectiva, vel potentia Logica, seu per non repugnantiam essendi; in creaturis autem ait cuicumque potentiæ passivæ naturali correspondere propriam potentiam naturalem activam, & cuicumque potentiæ activæ correspondere propriam potentiam passivam naturalem, quia hoc est consentaneum naturæ rerum, & perfectioni universi, quod si datur virtus activa naturalis, detur etiam materia, &. subjectum, circa quod possit talis virtus naturaliter operari, &. si datur potentia naturalis passiva, detur etiam potentia naturalis activa illi correspondens; unde consequenter negat cum communi Thomistarum in nobis potentiam naturalem passivam ad formas supernaturales, dicuntur enim talem potentiam in nobis esse tantum obedientialem; Probant etiam alii cuilibet potentiæ passivæ naturali correspondere debere suam activam naturalem, tum auctoritate Aristot. 3. de anim. 17. ubi probat dari intellectum agentem, quia datur intellectus possibilis. Tum quia alias potentia illa passiva esset frustra in natura, si illi activa non responderet in eadem natura.

Sed quamvis concludendum sit, quod inquit Suarez de potentia divina, ut pote a Scoto desumptum 1. dist. 5. quæstion. 2. T, ac etiam quod ait de potentia creata, & naturali, quod cuicumque potentiæ activæ correspondet passiva proportionata, quia talis potentia exerceri nequit ob suam limitationem, nisi in substratam materiam, &. subjectum; non tamen e converso vera est universaliter alia propositio, quod cuicumque potentiæ passivæ naturali respondeat passiva ejusdem ordinis, ut Doctor advertit quæst. 1. prolog. infra Q. & 4. distinct. 43. quæstion. 3. ad 1. & distinct. 49. quæst. 11. R. ac alibi frequenter, & cum ipso Scotistæ omnes ac Eustach. a S. Paulo 3. part. suæ Metaphysic. disp. 3. quæst. 10. ut constat de materia prima, quæ habet potentiam naturalem ad omnes formas etiam præteritas, ut dictum est disput. 2. Physic. quæst. 5. art. 2. cum tamen non detur potentia activa naturalis, quæ possit illas educere, sed tantum supernaturalis, nempe omnipotentia Dei, & pariter potentia visiva cæca est in potentia naturali ad visum, & tamen nulla est potentia activa naturalis has potentias passivas potens deducere ad actum. At respondet Suarez loc. cit. num. 12. ex accidenti fieri posse, ut potentia passiva naturalis non possit reduci ad aliquem actum ab ullo agente naturali, ut materia non potest recipere ab agente naturali formam, quam semel habuit, & amisit, id enim censetur quasi per accidens ex defectu alicujus circumstantiæ necessariæ ad illam actionem, per se vero satis est, quod illa potentia absolute

sumpta

sumpta potuit ad talem actum reduci virtute agentis naturalis. Sed quamvis hac solutione forte possit satisfieri præfatis exemplis tamen adduci potest exemplum, quod nullam patitur exceptionem, aut cavillationem, exemplum nimirum de potentia passiva naturali, quam habet corpus ad recipiendam animam intellectivam, & tamen tota natura creata non posset eam producere in corpore, vel inducere, agens enim naturale non attingit unionem animæ rationalis ex dictis disp. 8. de gen. & cor. n. 33. ergo nedum per accidens, sed etiam per se loquendo potentiæ passivæ naturali non semper correspondet potentia activa proportionata nempe ejusdem generis, & ordinis.

Verum igitur est, inquit Doctor, cuilibet potentiæ naturali passivæ correspondere activam, non tamen semper in natura creata, sed in natura, hoc est, in toto ordine entium secundum Philosophum, & hac ratione potentia passiva definitur per ordinem ad activam; aliquando namque ait Doctor quæst. 1. prolog. cit. contingit naturam propter excellentiam ordinari naturaliter ad recipiendam perfectionem adeo eminentem, ut non possit subesse causalitati agentis naturalis. Quod si quandoque verificatur etiam in natura creata, non tamen semper in eodem genere, vel specie, nam in sensu v.g. visus est potentia naturalis receptiva speciei sensibilis, non tamen activa, cum nullus detur sensus agens, sed illa est objectum alterius generis, & speciei. Ad illas autem probationes, & instantias in contrarium abunde satisfactum est disp. 2. cit. Phys. quæst. 5. art. 2. num. 92. & præsertim ad locum adductum ex 3. de Anim. 17. de intellectu agente, & possibili dicendum est Arist. non ex eo præcise probare existentiam intellectus agentis, quia detur intellectus possibilis, sed quia possibilitas unius, & activitas alterius possunt esse ejusdem ordinis, quod si hæc expositio non placet, accipe aliam expositionem, quam dedi loco cit. ex Mercenario, qui tom. 1. suarum Dilucid. textum illum optime expendit.

Quod autem naturalem habeat anima nostra inclinationem, & potentiam passivam naturalem ad recipiendas formas ordinis supernaturalis, licet non habeat potentiam activam ad eas attingendas, & consequendas, non est hujus loci demonstrare, passim tamen id probant Scotistæ quæst. 1. Prolog. de quo vide Fabrum 1. sent. disp. 8. & Radam 1. part. controv. 1. & alios, probant (inquam) quia quælibet potentia passiva naturalis appetit suum perfectivum, & in propriam inclinatur perfectionem, sive sit ei debita connaturaliter, sive non, sed quælibet forma etiam supernaturalis est maxime perfectiva potentiæ creatæ, ergo summe eam appetit, & in illam inclinatur, & ita colligitur ex Doctore qu. 1. prolog. loc. cit. dum ait: Ad propositum dico, quod comparando intellectum possibilem ad notitiam actualem in se, nulla est sibi cognitio supernaturalis, quia intellectus possibilis quacumque cognitione naturaliter perficitur, & ad quamcunque naturaliter inclinatur. Unde constat Herreram non bene scotizare in disput. 1. quæst. 3. conclus. 3. dum inquit animam nostram esse in potentia neutra, non autem naturali ad formas ordinis supernaturalis, quod probat, quia quando aliqua potentia est inclinata ad aliquam formam naturaliter, semper quiescit violenter sub forma, quæ includit carentiam illius, ad quam inclinatur, sicut v. g. quia lapis inclinatur ad centrum, semper quiescit violenter in quocumque loco sit extra centrum, unde quando descendit deorsum, nunquam quiescit, sed semper movetur usque dum est in centro, ergo si in anima est inclinatio naturalis, & propensio ad gratiam, charitatem, & fidem; in puris naturalibus creata, vel creata in rectitudine naturali, & non elevata ad claram Dei visionem, in tali rectitudine quiesceret violenter, quod tamen est falsum, quia si Deus relinqueret naturam creatam in perfectissimo statu rectitudinis naturalis, violenter non quiesceret in illo.

Hoc inquam, non est Scotice dictum, aperte namque docet Scot. loc. cit. intellectum possibilem ad quamcunque cognitionem tam ordinis naturalis, quam supernaturalis naturaliter inclinari, ejusque fundamentum nullius esse momenti satis constat ex dictis disp. 2. Physic. quæst. 5. art. 1. num. 86. diximus enim ibi ex Scoto 1. dist. qu. 1. in fine, quod quies numquam est violenta, nisi quiescens determinate inclinetur ad oppositum, sicut exemplificatur de gravi respectu deorsum, qua ratione docet ibidem materiam sub nulla forma quiescere violenter, sed naturaliter propter indeterminatam inclinationem ad quamcunque; materia prima, inquit, ad nullam formam determinate inclinatur, & ideo sub quacumque quiescit non violenter, sed naturaliter propter indeterminatam inclinationem in quamcunque, ex qua doctrina facile occurritur argumento Herrer. verum enim est assumptum, quando potentia habet inclinationem determinatam ad aliquam formam, tunc enim violenter quiescit sub opposita, & quacumque alia ejus negationem includente, ut optime ostendit exemplum ab ipso adductum de inclinatione lapidis in centrum, at in proposito anima nostra naturaliter inclinatur in omnes formas sui perfectivas, sive sint naturales, sive supernaturales indeterminate, & ideo in puris naturalibus adhuc non quiesceret violenter propter inclinationem indeterminatam, quam habet ad omnes sive naturales, sive supernaturales, quemadmodum de materia prima ajebat Doctor loc. cit. distinct. 1. quæstion. 1. in fine, quod non violenter quiescit sub una forma, quæ negationem includit alterius, in quam naturaliter propendet, propter inclinationem indeterminatam, quam habet ad omnes, & singulas; poterit tamen hæc potentia naturalis animæ ad formas ordinis supernaturalis dici etiam neutra, ut neutralitas excludit non quidem inclinatio-

nem, ut Herrera loqui videtur, sed determinationem inclinationis, quo etiam pacto dictum est disp. 2. cit. Phys. quæst. 5. artic. 1. potentiam quoque materiæ ad omnes, & singulas formas naturales dici posse neutram propter indeterminatam inclinationem ad omnes, quo autem sensu hæc potentia passiva naturalis, ad formas supernaturales possit etiam dici obedientialis, ut loquuntur Thomistæ, patebit art. seq.

ARTICULUS III.

Variæ subdivisiones potentiæ activæ, & passivæ.

VArias subdivisiones potentiæ tum activæ, tum passivæ solent Auctores assignare, nos breviter juxta mentem Doctoris illas assignabimus, & quia frequentius, & expressius potentiam subdivisit passivam, quam activam, prius de illa agemus, quam de ista.

23 Primo itaque 9. Metaph. quæst. 13. docet potentiam passivam ad tria posse comparari, scilicet ad agens, ad formam per ipsum introductam, & ad principiatum puta compositum, quod nimirum ex subjecto, & forma ipsum ab agente introducta consurgit; respectus materiæ ad agens potest dici ratio potentiæ *in quam*, nam ait Auctor sex principiorum agens naturale requirere aliquid, in quod agat; respectus vero, quem habet tale principium passivum ad formam, quam recipit, & cum qua constituit compositum, est respectus potentiæ *in qua*, nam comparatur materia ad formam, ut subjectum, & potentia passiva, in qua ipsa recipitur, & sustentatur, & quia etiam receptio, & sustentatio diversos important in materia respectus ad formam ex natura rei distinctos, ideo potentia ista *in qua* subdividi debet in potentiam pure receptivam, ac etiam in sustentativam, quas potentias declaravimus disp. 2. Phys. quæst. 5. art. 4. nec enim una debet confundi cum alia, quia materia respectu animæ rationalis potentiam habet receptivam in qua, quia in materia recipitur, sed non habet respectu ejus potentiam sustentativam, non enim in ipsa materia anima sustentatur, & fulcitur, quia ab ea non educitur, nec ex ea pendet in suo esse, fieri, & conservari, sic enim ab ea pendent solum formæ materiales, ut ibi fuse declaratum est. Tandem respectus, quem habet principium passivum ad principiatum, est ad compositum ex ipso, & actu recepto, & ex hac comparatione dicitur potentia *ex qua*, quatenus nimirum ex ipso, & actu recepto compositum coalescit; itaque principium passivum per ordinem ad agens dicitur potentia *in quam*, idest in quam agit, vel agere potest; per ordinem ad formam dicitur potentia *in qua*, idest in qua ipsa forma recipitur, vel etiam sustentatur; denique per ordinem ad compositum, dicitur potentia, *ex qua*, quia nimirum est pars potentialis, ex qua simul cum alia comparte actuali compositum naturale coalescit.

Secundo inquit Doct. loc. cit. & quæst. 1. prolog. §. *ad quæst. 2. dist. 18. & 4. dist. 43. quæst. 4.* rursus potentiam passivam posse tripliciter se habere in ordine ad formam, quam recipit ab agente, vel enim est inclinata, & propensa ex sui natura ad illam formam, ut potentia aquæ ad frigus, & ignis ad calorem, vel habet renitentiam, & repugnantiam ad ipsam recipiendam, ut potentia ejusdem aquæ respectu caloris; vel denique neutro modo se habet respectu ejus, quatenus scilicet nec inclinatur, nec renititur ad eam formam, sed meram habet capacitatem ad illam cum negatione tum inclinationis, tum repugnantiæ, quo pacto dici solet se habere aliqua superficies ad albedinem, & nigredinem, & ignis in concavo orbis Lunæ ad motum in orbem, & ex his tribus modis potentia passiva per respectum ad formam dividitur in naturalem, violentam, & neutram, naturalis dicitur si naturaliter inclinatur in formam recipiendam, violenta si contra eam renititur, neutra si neque inclinatur ad istam formam, neque ad oppositam, datur autem hæc distinctio de potentia passiva, non activa, quia potentia activa dicit perfectionem in subjecto, & ideo semper est ad actus convenientes propriæ perfectioni essentiali, a qua derivatur, & consequenter dari nequit potentia activa violenta, vel neutra, quia violenta esset ad actus disconvenientes naturæ agentis, & neutra licet non esset ad actus ita disconvenientes, tamen non esset ad actus convenientes, & conferentes ad naturalem perfectionem rei; at potentia passiva, quia a toto genere imperfectionem dicit, potest esse in subjecto, quæ non sit necessario ad actus illud perficientes, immo disconvenientes, qualis est potentia violenta aquæ ad recipiendum calorem, qui tendit ad ejus interitum.

24 Sed de hac potentia neutra valde inter se rixantur Thomistæ, & Scotistæ, illi namque volunt omnem potentiam esse vel naturalem, vel violentam, nullamque agnoscunt potentiam neutram in rerum natura, ita Soto 2. Physic. quæst. 1. Zanard. 9. Metaphys. quæst. 4. & alii Thomistæ passim Cajetanum secuti in suis opusc. tom. 3. tract. 3. qui primus contra hanc potentiam neutram aciem instruxisse videtur; Scotistæ e contra eam admittunt libentissime cum eorum Doctore quæst. 1. prolog. loc. cit. & 2. dist. 2. quæst. 6. in fine, & 4. dist. 43. quæst. 4. & dist. 48. quæst. 1. & 2. immo aliqui eorum hanc potentiam neutram adeo magnificant, ut & materiam ipsam dicant neutraliter inclinari in omnes, & singulas formas, non autem naturaliter, ita Faber 1. sentent. disp. 2. Sghemma 1. Phys. digress. 5. q. 6. Herrer. 1. disp. 1. q. 7. & alii non-

nulli. Cæterum de hac re egimus ex instituto disp. 6. Phys. qu. 3. art. 2. ubi ostendimus non solum admitti debere potentiam neutram in aliquo sensu, quo stet cum naturalitate, sed etiam in omni rigore, adeoque excludat omnem prorsus naturalitatem ex una parte, & violentiam ex alia, ac dicat puram capacitatem formæ in subjecto absque ulla repugnantia, vel inclinatione ad illam, & disp. 2. quæst. 5. art. 1. ostensum est potentiam materiæ ad omnes, & singulas formas etiam in particulari, tam in specie, quam in individuo non esse proprie, & simpliciter neutram in rigore, quia forma substantialis est perfectiva materiæ, tam secundum gradum genericum, quam specificum, & individualem, & ideo non excludit indifferentia materiæ ad formas inclinationem ad singulas, sed tantum est neutra secundum quid, quatenus potentia neutra coincidit cum potentia naturali indeterminata, & excludit determinationem inclinationis, ratione cujus indeterminationis dici potest aliquo pacto neutra, quia cum neutralitas in indifferentia consistat; ubicumque reperitur aliqua ratio indifferentiæ, aliqua etiam neutralitas potest, ac debet admitti; neque in hoc est amplius immorandum, quia exacte de hac re tractavimus loc. cit. in Physicis, & est fere contentio de nomine, ut ibi dictum est.

Probat autem Doctor loc. cit. potentiam passivam legitime dividi in naturalem, violentam, & neutram per habitudinem ad formam præcise præscindendo ab agente, quia manente sola habitudine ad formam cæteris omnibus circumscriptis, potentia vel est naturalis, vel violenta, vel neutra, etenim non minus aqua violenter stat sub calore ad præsentiam agentis illum inducentis, quam circumscripto quolibet agente, quod argumento est violentiam illam præcise potentiam aquæ denominare violentam per habitudinem ad talem formam, scilicet calorem circumscripto omni agente, & idem de potentia naturali, ac neutra dici potest, ac debet. Cæterum obiiciet quis cum Scot. 4. distinct. 43. quæst. 4. violentum ex Aristot. 3. Ethic. cap. 3. definiri, quod sit illud, cujus principium est extra non conferente vim passo, ergo ratio violenti non solum ex comparatione passi ad formam auspicari debet, sed etiam ex comparatione ad agens, idemque dici poterit de naturali, cum oppositorum consimilis sit ratio proportione servata, & præsertim urget difficultas in principiis nostris, qui docuimus disp. 6. Phys. quæstion. 1. art. 1. naturam dici nedum de principio passivo, sed etiam activo, atque ideo naturalitatem in operatione spectari etiam posse a principio activo, quod etiam consequenter de violentia dicendum erit, ergo divisio hæc dari etiam poterit de principio, & potentia activa. Respond. Doctor ibidem negando consequentiam, nam in descriptione violenti ponitur agens, tamquam extrinsecum, sed non tamquam per se complens, nec tanquam per se constituens rationem violenti, completur enim, & constituitur solum per illam particulam, passo non vim conferente; additur tamen principium in descriptione violenti, tanquam causa extrinseca. Neque huic determinationi obstat, quod diximus disp. cit. Phys. naturalitatem quoque, ac violentiam a principio activo desumi posse, nam ibi satis declaratum est id intelligi debere de violentia solum privativa, non positiva, & de naturalitate, ut tali violentiæ opponitur, loquendo namque de violentia positiva, quam patitur subjectum recipiendo formam contrariam, & de naturalitate, ut tali opponitur violentiæ, ingenue fatemur hæc penes dumtaxat principium passivum, ac receptivum attendi debere, non autem activum, quia ut supra dictum est, nullum agens potest talem habere potentiam respectu effectus propriæ naturæ repugnantis, quare solum violentia privativa potest principio activo competere, & consequenter naturalitas ipsi opposita; cum autem Doct. loc. cit. potentiam passivam dividit in naturalem, violentam, ac neutram, loquitur de naturalitate, prout violentiæ positivæ opponitur, quod maxime ex eo constat, quod cum in 2. dist. 18. & 4. d. 43. qu. 4. dixisset passum in ordine ad formam esse, vel in potentia naturali, vel violenta, vel neutra, addidit in materiam nullam esse violentiam, eo quia est ad omnem formam inclinata, & tamen ex dictis disp. 2. Phys. qu. 5. artic. 1. materia prima, si esset sine omni forma, esset in statu quodam violento non violentia positiva, sed privativa.

25 Tertio rursus inquit Doctor q. 1. prolog. §. *ad quæstionem*, & 4. d. 43. qu. 4. potentiam passivam comparari posse ad agens, a quo passum recipit formam, & tunc dividitur in naturalem, & supernaturalem, tunc naturalitas est in potentia, quando receptivum comparatur ad tale agens, quod natum est naturaliter imprimere talem formam in tali passo, supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non est naturaliter impressivum illius formæ in illud passum, sive illa forma in se sit ordinis naturalis, sive supernaturalis, quod dictum eodem modo probari potest sicut præcedens, illa enim est causa, & ratio alicujus præcisa, qua posita ponitur talis effectus, quocumque alio remoto, & circumscripto, sed seclusa omni respectu ad formam, vel ad quodcumque aliud, & posita sola habitudine potentiæ passivæ ad agens manet in ea ratio naturalitatis, vel supernaturalitatis, ergo &c. patet major; probatur minor, quia si oculus cæcus v. g. de novo reciperet visum a Deo, quamvis forma sit in se naturalis, & naturaliter oculum perficeret, tamen quia ab agente supernaturali inducitur, & modo quodam supernaturali, potentia illa passiva supernaturalis diceretur, & supernaturaliter recipere, ita discurrit Doctor 4. d. 43. quæst. 1. lit. E.

Sed dubium est de potentia obedientiali passiva, quam omnes concedunt dari, atque desumi ex ordine ad agens intellectuale, cui perfectissime subiicitur ad recipiendam quamcumque formam, dummodo non aliqua adsit implicantia, dubium, inquam, est, an ad præcedentem reducatur divisionem, vel potius constituat tertium membrum ab ea distinctum. Fatentur omnes non constituere membrum ab ea distinctum, sed ad ipsam reduci, quod tamen non eodem modo explicant: Rada 1. part. controv. 1. art. 1. potentiam obedientialem reducit vel ad naturalem, vel supernaturalem juxta conditionem agentis, quod fuerit formæ impressivum; alii vero ut Meurisse lib. 2. suæ Metaph. cap. 3. q. 4. vult reduci tantum ad potentiam supernaturalem, esseque aliquam ejus speciem, eo quia dicit subjectionem rei ad agens supernaturale, cujus imperio perfectissime subiicitur, ideoque de creatura facere potest, quidquid ei libet, dummodo non implicet. Nos de hac re egimus ex instituto disp. 7. Phys. quæst. 6. art. 5. ubi ab initio articuli diximus potentiam obedientialem, ut sic, dicere ordinem ad agens intellectuale potens de illa facere quicquid vult ex Scot. 9. Metaph. qu. 12. quia obedientia proprie subjectionem dicit respectu imperativæ potentiæ, potentia autem imperatrix est sola voluntas cum intellectu ex 6. Ethic. cap. 9. & 18. quare potentia obedientialis constituitur solum in ordine ad agens intellectuale, & quia hoc duplex est creatum, & increatum, in ordine ad utriusque imperium posset hæc potentia obedientialis denominari, juxta quem loquendi modum materia artis dici solet in potentia obedientiali ad artificem, cui subditur. Notavimus tamen ibi cum Scot. 3. d. 1. q. 4. ab initio, & quol. 19. R, potentiam obedientialem in creatura proprie constitui per ordinem ad primum efficiens, & non ad aliam potentiam activam inferioris ordinis, cujus ratio est, quia una creatura nequit alteri subjici, nisi cum aliqua limitatione, at Deo omnia perfectissime subjiciuntur, & absque ulla limitatione, & ideo proprie loquendo, & ut jam inolevit usus, potentia obedientialis in rebus attenditur per subjectionem ad Deum, non quidem ut est auctor naturæ, & quoad opera naturalia, sed ut est agens supra naturam producens effectus supernaturales, unde ad exercitium potentiæ obedientialis proprie sumptæ non sufficit concursus generalis, & debitus ex lege naturæ, sed exigitur concursus specialis, ac alias indebitus, ac supernaturalis, vel quoad rem, vel quoad modum, ut ibi declaratum est.

26 Itaque potentia passiva obedientialis reducitur ad passivam supernaturalem, vel potius cum ipsa formaliter coincidit, materialiter vero coincidit cum potentia receptiva naturali, potentia siquidem passiva naturalis, & supernaturalis entitative consideratæ, & quantum ad absolutum, quod importat in re, non differunt, sed solum per diversos respectus ad agens naturale, vel supernaturale. Et hoc ipsum cum Scoto fatetur quoque Suarez disp. 43. cit. sect. 4. num. 16. ait enim ibi in primis certum esse hanc potentiam obedientialem passivam ad formas supernaturales esse positivam, & realem, ac in ipsa rei entitate fundatam, ac proinde esse non posse solam non repugnantiam, ut nonnulli antiquiores Theologi dicebant, licet enim hæc interveniat, tamen sola non satis est ad realem causalitatem materialem, quam habent intellectus, & voluntas ad actus supernaturales, est igitur in ipsis realis capacitas passiva ad tales actus; certum est etiam hanc potentiam non esse aliquam rem, vel modum naturis rerum superadditum, & veluti ab extrinseco advenientem, ut dixere Conimb. 1. de Cœlo capit. 11. quæstion. 4. articul. 2. quia ut arguit Doctor quæst. 1. prolog. Z. modus iste præcipue poneretur, ut subjectum reddatur aptum, ac proportionatum ad suscipiendas formas supernaturales, vel ergo iste modus est ens naturale, vel supernaturale; si secundum, ergo alius debebit præcedere modus, quo reddatur subjectum idoneum ad hunc modum recipiendum; si primum, ergo subjectum cum ipso perinde, ac sine ipso improportionatum erit in ordine ad formas supernaturales, quare concedit etiam Suar. potentiam hanc obedientialem positivam non esse quid superadditum animæ nostræ, sed innatam ejus capacitatem formarum supernaturalium. Unde solum remanet discrepantia in modo loquendi inter Thomistas, & Scotistas, an talis capacitas debeat dici potentia passiva naturalis, ut loquuntur Scotistæ, vel potius obedientialis dumtaxat, ut ajunt Thomistæ.

27 Suarez loc. cit. inquit talem potentiam passivam posse dici naturalem subjecto, quia est cum eo naturaliter congenita, & est ipsamet entitas naturalis ejus, & sic interpretatur D. Aug. cum dixit de prædest. Sanct. c. 5. *posse habere fidem, & charitatem naturæ est fidelium*, & D. Thom. p. 2. qu. 11. art. 1. c. 3. cum inquit rationalem animam naturaliter esse capacem gratiæ, & part. 1. qu. 48. articul. 4. habilitatem animæ ad gratiam consequi naturam ejus. At vero comparatione ad actum, & ad agens, a quibus potentia simpliciter denominatur, non potest hæc potentia denominari naturalis, tum quia ille actus est simpliciter, & in se supernaturalis, tum etiam quia talis actus ex natura rei non est debitus tali potentiæ, nec ipsa habet naturalem inclinationem ad illum, tum tandem quia talis potentia nequit a naturali agente reduci ad actum, atque ideo concludit hanc potentiam simpliciter, & absolute debere cum Thomistis vocari obedientialem, & sic etiam discurrit Zanard. 9. Metaph. quæst. 5. aliique Thomistæ passim in Theologia in propriis locis de hac materia. Scotistæ e contra primo conveniunt cum Thomistis in hoc, quod talis potentia passiva

passiva ad formas supernaturales est animæ nostræ naturalis subjective, quatenus est ei innata, & congenita, conveniunt præterea in hoc, quod est supernaturalis, & obedientialis in ordine ad agens; & solum in hoc discrepant, quod per comparationem ad formam ipsam Thomistæ illam appellant obedientialem, & supernaturalem, quia talis forma est in se supernaturalis, Scotistæ vero appellant naturalem, quia talis forma etiamsi sit supernaturalis, tamen est maxima animæ perfectio, atque ideo in ipsam animam naturaliter propendet, ut constat esse fere litem de nomine, nec multum discriminis inter utrosque versari, & ideo Doctor 4. dist. 43. quæst. 4. prope finem videns hanc esse dissensionem de modo loquendi, videtur in aliquo sensu concedere modum loquendi Thomistarum, nempe talem potentiam etiam per ordinem ad formam dici posse supernaturalem, quatenus formam supernaturalem recipit, subdit tamen supernaturalitatem potentiæ passivæ principaliter, & præcipue, non penes formam receptam attendi debere, sed penes agens, a quo recipit, quia si a supernaturali agente formam susciperet naturalem, ac naturaliter perfectivam, ut si oculus cæcus visum reciperet a Deo, adhuc talis receptio supernaturalis diceretur ob impressionem factam ab agente supernaturali, etiamsi forma recepta sit naturalis; sic igitur etiam in proposito, anima nostra gratiam recipit, etiamsi talis potentia recipiens dici posset supernaturalis, quatenus formam supernaturalem recipit, præcipua tamen supernaturalitas attenditur in ordine ad agens; ecce Doctoris verba: licet passum recipiat aliquam formam aliquo modo supernaturalem, & in hoc posset supernaturalitas dicere modum habitudinis passi ad formam, tamen numquam dicitur supernaturale, quia recipit eam a tali agente, cujus probatio est, quia si formam naturaliter sui perfectivam reciperet a tali agente, adhuc reciperet eam supernaturaliter, non quidem propter habitudinem ad formam, quia sic naturaliter recipit, sed propter habitudinem ad agens, a quo recipit; ita Doctor; quare cum Scotistis concludo talem potentiam passivam animæ nostræ nedum subjective, sed etiam formaliter, & respective in ordine ad formam ordinis supernaturalis dici posse, ac debere naturalem, per comparationem vero ad agens, a quo talem habet formam, dici debere supernaturalem, ac obedientialem, & hoc solum probant rationes allatæ a Suarez pro Thomistis.

Hanc eandem sententiam de potentia obedientiali passiva, quod nimirum sit intrinsece naturalis, ac extrinsece solum supernaturalis per respectum ad agens, vel ut loquitur Doctor, tenent Neutrales passim recentiores præsertim Ovvied. controv. 9. Physicor. punct. 6. num. 4. ubi & ipse ad id probandum ratione Scoti cit. quæst. 1. prolog. Z. utitur, quamvis ipsum non memoret, ut moris est Recentiorum, qui sæpius Antiquorum sententias, & rationes inducunt, ut proprio marte ad inventas suppressis Auctorum nominibus, probat autem sic, quia si actus supernaturales dispositiones alias requirerent ex parte passi, de his inquiri debet, an essentnaturales, vel supernaturales, si supernaturales, jam potentia passiva elevaretur ad formam hanc supernaturalem disponentem ad actus supernaturales seipsa, vel prævia alia rursus dispositione; si primum, pari ratione idipsum dici poterit de potentia in ordine ad ipsos actus, quod immediate seipsa sit dispositа ad eorum receptionem; si secundum jam in dispositionibus ad recipiendum dabitur processus in infinitum, si vero dicatur tales dispositiones esse naturales, ergo potentia passiva intrinsece naturalis nulla dispositione supernaturali præmissa reciperet actus supernaturales, ac proinde immediate ab agente ad eorum receptionem elevaretur, ex quo sequitur solum extrinsece posse dici supernaturalem per comparationem ad agens ipsam immediate elevans ad receptionem, non autem intrinsece, ac entitative, de hac autem potentia obedientiali passiva fusissime agit, & forte plusquam Philosophiæ patiantur limites, Manca lib. 2. Phys. quæst. 6. ad mentem Thomistarum, nihil tamen in tanta verbositate, ac prolixitate habet contra Scotistas, quod facile ex dictis reiici non possit, ac dissolvi.

28 Quoad alteram quæsiti partem de potentia nimirum activa, ut ejus quoque subdivisiones manifestæ fiant, notat Doctor cit. 4. distinct. 43. qnæst. 4. quod naturalitas, ut pertinet ad principium activum, & dicitur de operationibus, varie sumitur, & diversis opponitur, sumitur enim uno modo, ut opponitur libero, & sic agens naturale dicitur, quod agit, ut determinatum ad unum, sicut ignis ad comburendum, liberum vero quod agit cum indeterminatione ad utrumlibet, & per actualem operationem se determinat ad agendum, alio modo sumitur, ut opponitur supernaturali, & sic agens naturale dicitur, quod habet naturalem ordinem activi ad passivum, & supernaturale, quod excedit omnem talem ordinem naturalem, & illo modo quodcumque agens causatum dicitur naturale, & solum agens increatum dicitur supernaturale; juxta quam doctrinam potentia activa uno modo dividi poterit in naturalem, & liberam, illa erit principium agendi cum determinatione ad unum, ista vero erit principium agendi cum indifferentia, de quibus principiis agendi naturali, & libero, eorumque differentiis tractatum est ex professo disputat. 7. de Anim. quæstion. 1. 2. & 3. alio modo dividi poterit in naturalem, & supernaturalem; ita tamen hanc explicando, ut possit etiam competere creaturis accedente speciali concursu divino, unde potentia naturalis erit qua quælibet creatura potest in actus sibi proportionatos, ac ex natura rei consentaneos; supernaturalis autem est, qua creatura potest elicere actus aliquos excedentes vires naturæ cum auxilio speciali Dei, & cum supernaturali elevatione, ita dicuntur potentiæ supernaturales intellectus noster lumine gloriæ perfusus respectu visionis beatificæ, & voluntas informata charitate respectu amoris, vel fruitionis divinæ. Sed, & potentia naturalis adhuc in alio sensu sumi potest, ut distinguitur ab acquisita, & sic naturalis potentia dicitur, quæ est naturaliter indita rebus, eisque congenita, ut oculo potentia videndi, acquisita vero dicitur, quæ extrinsecus accedit ex frequentatis actibus, ut potentia saltandi, citharizandi, &c. soletque pertinere ad primam speciem qualitatis.

Sed rursus hic dubitatur, an sicut datur potentia obedientialis passiva, ita quoque dari debeat activa, itaut in virtute talis potentiæ possit Deus creaturam elevare ad exercendas actiones ejus vires excedentes, ficut per potentiam obedientialem passivam eam elevat ad recipiendas formas, quas virtute naturalis agentis numquam recipere posset. Thomistæ, & Scotistæ passim negant potentiam obedientialem activam, solam admittentes passivam, quos citavi disput. 7. Phys. quæstion. 6. articul. 5. pro qua opinione præter rationes ibi adductas, & solutas adhuc arguit Faber 9. Metaphysic. disputation. 6. quia implicat contradictionem creaturarum aliquid agere ultra vires suas naturales stando in esse suo naturali absque corruptione illius, muscæ enim, ut musca, repugnat producere actum intelligendi, unde si Deus faceret, quod musca intelligeret, destrueret naturam muscæ, & faceret aliam entitatem ab ea, quæ est, & sic de aliis. Præterea certum est, quod nunc, & semper omnes creaturæ sunt in potentia obedientiali ad Deum, & tamen creaturæ neque uno, neque quocumque tempore efficiunt actus supernaturales, ergo falsum est, quod potentia obedientialis sit potentia activa addita creaturis, vel in creaturis existens. Et nota (inquit Faber) quod hæc ratio est efficax, quia non dico creaturæ sunt aptæ natæ esse in potentia obedientiali, dico quod actu sunt in potentia obedientiali semper, ergo nunc, & semper agere debent actus supernaturales. Confirm. quia causa actu habet effectum in actu, & causa in potentia habet effectum in potentia, actu sunt in potentia obedientiali activa, ergo actu semper agere debent actus supernaturales. At fortasse quis dicet, quod sunt in actu primo per potentiam obedientialem, non in actu secundo, sed exeunt in actum secundum, quando placet Deo, (ait Faber) causa naturalis agit, & semper agit, & producit actum secundum, nisi impediatur, ergo causæ naturales constitutæ in actu primo per potentiam obedientialem, necessario semper debent esse in actu secundo, vel semper impediuntur a Deo ne exeant in actum, quare concludit dicendum esse cum Scoto potentiam obedientialem veram esse passivam tantum, quod ipsa vis vocabuli indicat manifeste, potentia enim obedientialis significat subjectionem, & passibilitatem ab aliquo agente, non aliquam activitatem, ergo potentia obedientialis est tantum passiva.

29 Cæterum præter potentiam obedientialem passivam in rebus, activam quoque debere admitti, & præsertim ad mentem Scoti 3. distinction. 4. quæst. un. ex professo monstratum est loc. citat. disputation. 7. Phys. quæst. 6. art. 5. ubi inquit Doctor B. Virginem habuisse potentiam obedientialem, ut esset Mater Verbi, est autem Mater per potentiam activam, vult enim Doctor Matrem quoque active ad generationem prolis concurrere, & hanc potentiam obedientialem activam ibi late explicavimus per proportionem ad passivam; sicut enim passiva non est entitative diversa a potentia naturali passiva, vel quidpiam ei realiter superadditum, sed dicitur extrinsece tantum supernaturalis, & obedientialis per ordinem ad agens, ita potentia activa obedientialis intrinsece, ac entitative est ipsamet potentia activa naturalis, quæ solum extrinsece dicitur supernaturalis, & obedientialis, quatenus extrinsece a Deo elevatur ad exercendas actiones ejus virtutem superantes, quas cum solo concursu generali Dei attingere non posset, sed indiget elevatione, & auxilio speciali, vel per modum principii, vel saltim per modum concursus, ut ibi late explicatum est; atque ita etiam significavit Doctor loc. citat. infra G. loquens de potentia generativa B. Virg. inquit enim, *quod propter istam potentiam activam naturalem, qua operabatur, potest dici naturalis Mater Christi, & tamen propter modum exequendi actum hujus potentiæ duplicem non naturalem, potest dici naturaliter, sed miraculose genuisse*. Itaque eadem potentia activa comparata ad illos effectus, quos causare potest cum concursu generali sibi debito, dicitur naturalis, quia proxima est, & completa in ordine suo, sic verbi gratia potentia, quam habet ignis ad calefaciendum, intellectus ad intelligendum lapidem, naturalis dicitur, quia ignis calorem, & intellectus lapidis intellectionem cum solo concursu generali Dei attingere potest, comparata vero ad alios effectus, quos cum solo concursu generali Dei attingere nequit, sed indiget elevatione, & speciali concursu, dicitur supernaturalis, ac obedientialis; sic eadem natura potentia intellectus ad eliciendam visionem beatificam dicitur supernaturalis, ac obedientialis, quia est ad actus supernaturales excedentes vires ejusdem, qua de causa talem potentiam Doctor solet appellare remotam, & inchoatam, non autem in ordine suo completam, & proximam, ita discurrit 4. dist. 49. quæst. 11. lit. K. dicens intellectum habere potentiam remotam respectu visionis beatificæ, non propinquam, quia concursus Dei etiam in ratione objecti ad talem actum non est sibi debitus, ergo talis

potentia obedientialis activa erit inchoata dumtaxat, & remota ad actus supernaturales, non autem proxima, & propinqua; Idem etiam colligitur ex Scot. 4. d. 49. q. 14. dum tribuit animæ conjunctivæ virtutem moviam corporis inorganice, quæ nequit esse, nisi obedientialis activa, ut loc. cit. deductum est.

Addidimus tamen ibi, quod sicut potentia obedientialis passiva non est in quolibet ad quodlibet recipiendum, nam nec oculus sonum recipere potest, nec auris visionem, sed tantum ibi, ubi nulla emergit contradictio, vel repugnantia, sic pariter potentia obedientialis activa non est in quolibet ad quodlibet producendum, sed tantum ibi, ubi nulla reperitur repugnantia, vel contradictio, qua de causa 4. d. 1. qu. 5. negat Doctor Sacramentis virtutem aliquam obedientialem activam ad producendam gratiam, & dist. 44. qu. 2. negat ignem inferni malignos spiritus posse physice cruciare, & 3. dist. 2. qu. 1. in fine concedit esse quasdam operationes repugnantes alicui naturæ, quas etiam cum concursu speciali exercere non potest, quam sententiam ex Recentioribus amplectitur Ovvied. controv. 9. cit. punc. 7. pro qua citat plures suæ Societatis Auctores Vasquez, Coninch. Raguf. Alarcon. & alios, per quod multa possunt, & solent argumenta dissolvi, ut potè quæ recta tendunt contra potentiam obedientialem activam in quolibet a quodlibet, quomodo ponitur a Suarez Hurtad. Arriag. & aliis Societatis authoribus.

Hinc facile solvitur argumentum Fabri de musca, quæ ad intellectionem elevari non potest, gratis enim concedimus hanc potentiam obedientialem non esse in quolibet ad quodlibet, sed tantum ad illos effectus, ad quos creatura habet aliquam proportionem saltem remotam, & aliquam potentiam saltim inchoatam in eo modo, quo declaratum est disp. 7. cit. nu. 132. quam quidem proportionem non habet musca ad intellectionem, sicut habet intellectus ad visionem beatificam, & voluntas ad fruitionem, ut ibi ex instituto declaratur. Aliud vero argumentum, quod ait Faber esse adeo efficax, ingenue fateor non satis assequi quid sibi velit, quodve mysterium contineat, ex hoc enim, quod creaturæ sint actu in potentia obedientiali, seu actu subjectæ imperio, & omnipotentiæ Dei, non video quomodo hinc recte deducatur, quod si talis potentia sit activa, semper exercerent actus supernaturales; quia per talem potentiam obedientialem solum constituuntur in actu primo ad actus supernaturales eliciendos, & hoc quidem non proximo, sed remoto, unde nec cum solo concursu generali Dei possunt exire in actum, sed indigent auxilio speciali, vel per modum principii, vel saltim per modum concursus. Unde illa solutio data inter arguendum sufficientissima est ad illius argumenti solutionem, quod nihil videtur prorsus inane; sicut & replica contra eam solutionem facta, nam inprimis non omnes creaturæ, quæ habent talem potentiam obedinetialem activam sunt naturales, sed aliquæ sunt liberæ, quæ proinde etiamsi essent perfecte constitutæ in actu primo ad operandum, & cum omnibus ad agendum prærequisitis possent agere, & non agere, alioquin non essent liberæ: sed quæ etiam sunt naturales, etiamsi actu sint in potentia obedientiali, non ob id semper erunt in exercitio talis potentiæ, quia causa naturalis tunc actu tantum operatur, quando est perfecte completa in ordine suo in actu primo sufficienti, & est cum omnibus prærequisitis ad agendum, at potentia obedientialis activa non constituit ita causas naturales in actu primo perfecto, & completo, sed in actu quodam imperfecto, & inchoato. Immo hoc argumentum etiam efficacius retorqueri posset de potentia naturali activa, quia ignis v. g. habet actu potentiam naturalem calefaciendi, non aptitudine tantum, nec propterea sequitur, quod semper sit in actu secundo calefaciendi, sed ad hoc requiritur, ut ejus potentiæ activæ adiungantur aliæ concausæ, & alia prærequisita ad agendum, & tamen potentia naturalis, quia est completa in ordine suo perfectius in actu primo creaturas constituit ad agendum, quam potentia activa obedientialis, ergo si hoc argumentum non tenet de potentia activa naturali, quæ res constituit perfecte potentes ad suos effectus in actu primo in ordine suo, tanto minus concludet de potentia obedientiali activa, quæ illas constituit in actu primo dumtaxat incompleto, & inchoato in ordine ad actus supernaturales.

30 Et hanc nostram sententiam de potentia obedientiali activa, ac ex eisdem motivis secutus nuper est ex nostris Poncius lib. 2. Physic. disp. 9. quæst. 9. dicens a nullo negari posse in sensu a nobis explicato, eam quoque admittit Meuriss. libr. 2. Metaphysic. capit. 3. quæst. dicens potentiam obedientialem activam esse, qua creatura operatur aliquid supra vires naturæ, ad quod operandum, vel producendum assumpta est a Deo, qui ratione supremi dominii, quod habet in res omnes, potest uti qualibet respectu cujuslibet, ut facultas loquendi in jumento Balaam, in quo excedere videtur, quia videtur his verbis admittere potentiam obedientialem activam, in sensu Suarez, & Hurtad. nimirum in quodlibet, quod nobis non probatur. Verum neque in sensu a nobis explicato vult admittere Scotistas nuperus Mauritius Centinus de Sacramentis in genere disputat. 5. art. 5. potentiam obedientialem activam, sed ait esse merum figmentum Recentiorum, nosque præsertim acriter carpit, quod hanc Suareticam potentiam aufi fimus invehere in Scholam subtilium, cum hoc vocabulum potentiæ obedientialis activæ ante hoc sæculum in omni Schola fuerit inauditum, quia ipsamet nomen pugnat, quid enim obedientia, nisi subjectionem denotat? ergo solam passivam potentiam dicere potest, non activam, & potentia obedientialis activa in terminis implicat, & quia huic argumento jamdudum occurrimus disp. 7. Physic. quæst. 6. artic. 5. num. 137. quod licet ratio obedientiæ subjectionem quandam dicat, & passionem ab imperio voluntatis, quæ sit denominatio quædam extrinseca, hinc tamen non sequitur, quin intrinsece possit esse activa, sicut servus potest imperari ad agendum per virtutem, non ex imperio receptam, sed innatam, & aliæ potentiæ voluntati obediunt, & tamen sunt activæ. Contra hanc solutionem replicat, tanquam in ea manifesta sit contradictio in hoc quod dicimus obedientiam dicere subjectionem, & denominari passivam denominatione extrinseca; quæ duo pugnant, nam ratio quidditativa rei non eam extrinsece denominat, sed intrinsece, sed per nos quoque ratio obedientiæ est in subjecto, seu dicit subjectionem, ergo non extrinsece, sed intrinsece subjectionem denominabit, subiici autem non extrinsece, sed formaliter est pati, sicut subjicere est formaliter agere. Exempla autem a nobis allata ait potius sibi favere, nam servus qua imperatur, subditus est, ac patitur, qua agens non patitur, sed non agit qua servus imperatus, sed qua potens agere, similiter, & potentiæ aliæ ut imperatæ subjectæ sunt, & pati dicuntur; ut activæ propriam exercent facultatem; hinc concludis potentiam obedientialem activam in voce ipsa repugnantiam involvere. Quod quidem argumentum fuit Zumel 1. 2. quæstion. 112. articul. 1. disputat. 3. ut refert Posnaniensis quæstion. 1. prolog. disputat. 4. ubi illud solvit, & nobiscum de mente Scoti tuetur potentiam obedientialem activam.

Præterea arguit ex Scot. quæstion. 1. prolog. ubi potentiam in ordine ad actus dividit in naturalem, violentam, & neutram, quo posito petit quænam esset illa potestas in ordine ad actus supernaturales violenta ne, an neutra, vel naturalis, & opus est fateri esse naturalem, sed potentia naturalis activa est ad actus naturales dumtaxat, & nullo modo ad supernaturales ex se perfecte assequendos. Si dicas hoc verum non esse de potentia remota, sed proxima, quia intellectus cum lumine gloriæ est proxima causa visionis beatificæ; quæ est actus supernaturalis, & a lumine gloriæ completur in esse causæ supernaturalis, quam inquit Centinus esse responsionem nostram desumptam a Suarez, Fasolo, & Albertino. Contra hoc instat, quia in via Scoti intellectus dicitur principium naturale visionis beatificæ remotæ, & non ita ut fiat principium proximum per lumen gloriæ, sed ex concursu speciali objecti beatifici ad visionem dicitur principium proximum illius actus, qui obinde dicitur supernaturalis denominatione sumpta ex objecto ipso beatifico, neque tamen in intellectu invenitur in Scoti sententia potentia obedientialis aliqua activa, sed naturalis, unde igitur ad alios actus naturales necessitas ista activa potentiæ obedientialis advenit? Præoccupat nos dicturos hanc necessitatem provenire ex proportione quadam necessaria requisita inter effectum, & causam; in visione autem beatifica non ita, quia ad visionem potest convenire intellectus, non sic ad gratiam, obinde ad hanc causandam indiget potentia obedientiali activa, non autem ad visionem. At statim hoc rejicitur, quia Scot. 4. dist. 1. qu. 1. V. fuse probat creaturam nullo modo posse creare, nec ut causam principalem, nec ut instrumentalem, in nostra autem sententia per potentiam obedientialem effectum attingendo, creare posset, Rursus ex nostra doctrina inquit quempiam respondere posse potentiam hanc obedientialem activam esse aliquo modo ordinis supernaturalis, ideoque ex parte sua posse sufficienter concurrere ad actum supernaturalem. At hoc iterum impugnat ex doctrina Scoti 4. dist. 43. qu. 4. A. ubi ait, quod naturalitas ut pertinet ad principium activum potest sumi, ut opponitur libero, & sic agens naturale dicitur, quod agit, ut determinatum ad unum ut ignis ad comburendum, liberum vero quod agit cum indeterminatione ad utrumlibet, vel ut opponitur supernaturali, & sic agens naturale dicitur, quod habet naturalem ordinem activi ad passivum, & supernaturale, quod excedit omnem talem ordinem naturalem, & hoc modo ait Doctor cit. omne agens creatum esse agens naturale, solumque agens increatum esse agens supernaturale; si ergo potentia obedientialis activa secundum nos est ordinis aliquo modo supernaturalis, creatura sub tali potentia erit quoquomodo agens increatum, quia ut sic est agens supernaturalis ordinis.

Denique respondet Centinus ad loca Scoti a nobis superius adducta pro confirmanda in ejus Schola potentia obedientiali activa, ad locum itaque adductum ex 3. dist. 4. qu. unic. ait Scotum utique ibi concedere Mariam active se habuisse ad generationem Filii, & potuisse cooperari Spiritui Sancto ad formationem corporis prætermissis mediis, sed nunquam dixit habuisse potentiam obedientialem activam, immo perpetuo docet mansisse in ea virtutem naturalem eandem respectu generationis absolutè, & generationis prætermissis mediis, ita habet Doct. loc. cit. D. ubi ait ex Damasceno habuisse Mariam, sicut Matres aliæ in filios potentiam activam ad generandum remotam, quæ in aliis Matribus ad propinquitatem revocatur ex virtute activa Patris, at in Maria a Spiritu Sancto; sicut ergo ex virtute viri in aliis Matribus potentia generandi activa remota fit proxima absque eo, quod illæ dicantur ad generandum habere potentiam obedientialem activam, ita de potentia generativa Mariæ respectu Christi dici debet, non ergo ex eo, quod eam potentiam in Virgine Doctor appellat remotam voluit innuere esse obedientialem. Deinde cum inquit Doctor, quod sicut natura fuit in potentia obedientiali, ut uniretur Verbo, ita

ita Maria fuit in potentia obedientiali, ut esset Mater Verbi, & nos subinferimus, sed fuit Mater per potentiam activam, ergo per potentiam obedientialem activam, ait Centinus nos non bene colligere, quia paritas a Doctore assumpta de natura respectu unionis hypostaticæ ostendit ipsum loqui de potentia obedientiali passiva Virginis, ut esset Mater Dei, non enim aliam potentiam obedientialem habet natura ad unionem hypostaticam, quam passivam, & aliud est dicere, quod Maria fuerit Mater, aliud quod fuerit Mater Dei; primum utique habuit per potentiam activam, secundum autem per solam passivam, & susceptivam, quatenus in natura ab ipsa genita subsistebat Verbum. Et quamvis quoad modum exequendi actum illius potentiæ activæ naturalis interceesserit miraculum, & miraculose genuerit, non hinc invehitur potentia aliqua obedientialis activa in Virgine, quia virtus ejus generativa semper naturalis perseveravit. Negat pariter ex aliis duobus locis ex 4. deductis induci potentiam obedientialem activam, quia si Deus concurreret cum anima in hac vita ad movendum corpus inorganice removendo impedimenta, tunc anima concurreret per eamdem suam virtutem naturalem, quæ prius erat remota, & postea fit proxima ex remotione impedimentorum, sic etiam concedit potentiam activam remotam in intellectu ad visionem beatificam, propinquam vero factam ex concursu Dei se volentis videri, sed negat hanc a Scoto appellari obedientialem activam, Cum autem dicimus disp. 7. Phys. cit. nu. 125. per potentiam remotam Scot. infinuare obedientialem; Inquit nos nobismetipsis contradicere, vel non intelligere, quæ scribimus, nam per nos potentia propinqua dicitur potentia obedientialis activa loc. cit. in calce articuli ante solutionem objectionum, si igitur nunc volumus ipsam esse remotam, nobis non constamus appellando eam modo remotam, modo propinquam; hæc Auctor ille in nos calamo acere potius, quam atramento intincto.

31 Mirius tamen nos ostendemus bene intelligere, quæ scripsimus disp. cit. Phys. de potentia obedientiali, non autem ipsum. Fallitur enim in primis, dum ait nos Suarizare ponendo hanc potentiam obedientialem activam, quia Suarez illam ponit in quolibet ad quodlibet, quo sensu ubique negatur a Scoto, & a nobis loc. cit. strenue evellitur, non ergo intelligit in quo sensu ponatur a nobis, & in quo sensu ponatur a Suarez; Falsitur deinde dum explicando loca Scoti a nobis adducta supponit nos ponere potentiam obedientialem activam in rebus, in quibus datur, entitative distinctam a potentia activa naturali, unde ex hoc quod B. Virgo sua virtute naturali generativa concurrit ad generationem Christi, & non aliqua virtute superaddita, similiter etiam intellectus noster ad visionem beatificam, & anima ad motum corporis inorganicum remotis impedimentis, deducit talem potentiam dici non posse, nec debere obedientialem, sed naturalem; at loc. cit. concl. 1. directe docuimus potentiam obedientialem activam non esse entitative diversam a potentia naturali activa, vel quidpiam ei realiter superadditum, sed esse ipsammet potentiam activam naturalem, quæ solum extrinsece dicitur supernaturalis, & obedientialis, quatenus extrinsece a Deo elevatur ad exercendas actiones ejus virtutem superantes, quas cum solo concursu generali Dei attingere non posset, sed indiget elevatione, & speciali auxilio, vel per modum principii, vel saltim per modum concursus; eo modo quo ipsi Scotistæ dicunt potentiam passivam obedientialem, quam admittunt, non esse entitative diversam a passiva naturali, & solum dici obedientialem, ac supernaturalem extrinsece per ordinem ad agens, cujus imperio subiicitur, unde sicut contra ipsos non valeret arguere, potentia qua natura humana unita est Verbo, & intrinsece, ac entitative naturalis, eique innata, non vero quidpiam illi realiter superadditum, ergo non est obedientialis passiva, sic pariter neque contra potentiam obedientialem activam a nobis positam ex hoc capite, quod est entitative naturalis arguere licebit, quod non sit obedientialis. Fallitur rursus, dum putat potentiam generativam Virginis respectu humanitatis assumptæ, eo modo, quo de facto ad actum reducta est cooperante Spiritu Sancto, fuisse remotam eodem prorsus modo, quo remota dicitur virtus generativa aliarum Matrum respectu prolis generandæ cum concursu viri, atque ideo sicut potentia istarum remota non ob hoc dicitur obedientialis activa ad generandum, sed naturalis, ita nec potentia Virginis; Fallitur, inquam, quia licet ad generandum simpliciter, & absolute, eodem modo remota fuerit potentia generativa Virginis, ut aliarum Matrum, tamen ad sic generandum scilicet in instanti, & prætermissis mediis, fuit remotior, & magis insufficiens, unde ad sic generandum indigebat concursu speciali, ratione cujus indigentiæ potentia illa Virginis ad sic generandum non debet dici simpliciter naturalis, sed obedientialis, & cum alioqui sit activa, debet dici obedientialis activa; & sic pariter discurrendum est de potentia remota intellectus ad visionem beatificam, & animæ ad movendum corpus inorganice, quia enim sunt adeo remotæ, ut nequeant fieri proximæ, nisi cum concursu, & elevatione speciali, ob id dici possunt, & debent potius obedientiales activæ, quam naturales.

Quod suadet manifesta ratio, nam certe aliquo modo distingui debet potentia naturalis, quam intellectus habet ad intelligendum lapidem ab ea, quam habet ad videndum intuitive Deum, & quamvis distingui non debeant potentiæ istæ intrinsece, ac entitative, tamen distingui debent extrinsece scilicet ex diversitate concursus, & elevationis, nam longe remotior est potentia naturalis, quam habet ad videndum Deum, quam ad intelligendum lapidem, nam ad intelligendum sit proxima cum solo concursu generali, sed ad videndum Deum indiget concursu speciali, ut ergo distinguatur hæc potentia remotior ad videndum Deum a seipsa, ut est minus remota ad intelligendum lapidem, quia ad intelligendum lapidem dicitur simpliciter, & absolute naturalis, ad videndum Deum dici potest, ac debet obedientialis ob majorem remotionem, ac veluti improportionem, & in hoc sensu loc. cit. dicimus potentiam remotam posse usurpari pro potentia obedientiali, quando nimirum est adeo remota, ut indigeat concursu speciali, ut fiat proxima, unde falsum est quod nobis impingit Auctor ille nos loc. cit. potentiam obedientialem activam modo appellare naturalem remotam, modo propinquam, nam semper appellamus eam naturalem remotam, & inchoatam, ut legenti patebit. Tandem, quomodo ex eo quod ait Doct. Virginem habuisse potentiam obedientialem, ut esset Mater Verbi, bene colligitur nedum locutum esse de potentia passiva, vel susceptiva, sed etiam activa, patet ex his, quæ habet postea sub lit. G. ubi ait potentiam ejus activam ad generandum, licet naturalis esset, non tamen modo naturali, sed miraculose, ac veluti obedientialiter fuisse ad actum reductam, habuit ergo potentiam obedientialem activam in ordine ad generationem humanitatis Christi eo modo, quo genita est, & obedientialem passivam, ut diceretur Mater Verbi, quia re vera non genuit Verbum in se, sed ideo dicitur Mater Verbi, quia genuit humanitatem, quam sibi Verbum in eodem univit instanti subsistendo in ipsa, & quia natura illa humana assumpta erat tantum in potentia passiva obedientialis, ut Verbo uniretur, in eodem etiam sensu dicitur, Virgo habuisse potentiam passivam, & susceptivam, ut Mater Verbi diceretur, sed in ordine ad generationem illius humanitatis assumptæ vere habuit potentiam naturalem activam, quæ obedientialis dicitur ex modo, quo effecta est, qui fuit miraculosus, & supra naturæ vires.

Argumenta vero, quibus evellere contendit potentiam obedientialem activam, valde debilia sunt, primum quidem sicut vim facit in solo potentiæ obedientialis nomine, ita in solis vocibus robur ejus consistit, nam de re nemo ambigere potest, quin inferior dicatur superiori obedire faciendo, ejusque jussa exequendo, unde quamvis obedientia subjectionem dicat ex vi nominis, non tamen puram passionem, quia potest inferior superiori, & servus Domino subiici, & obedire, nedum patiendo, sed etiam agendo, unde responsio jam data disp. cit. Phys. ad hoc vocale, vel potius grammaticale argumentum optima est, & impugnatio Auctoris illius valde frigida, quia subjectio, sive extrinsece, sive intrinsece denominet potentiam, quæ dicitur obedientialis, quia tamen non dicit puram passionem, sed solam subordinationem ad agens superius, ad cujus nutum agens inferius patitur, vel operatur, ideo potentia etiam ut obedientialis dividi potest in passivam, & activam, absque ulla repugnantia, nisi forte repugnet subiici superiori, & obedire ejus jussa exequendo, & faciendo, solumque possit obedire patiendo, non autem agendo, quod est ridiculum; deinde si renuit Centinus concedere potentiam activam, quæ sit obedientialis, ut activa, quia putat esse repugnantiam in terminis, dicemus saltim admitti posse potentiam activam obedientialem, non quidem reduplicative, qua obedientialis est, sed specificative, sicut & intellectus possibilis dicitur activus, & productivus intellectionis, non quidem reduplicative, quatenus possibilis, sed specificative, quod addidi ad tollendam hanc concertationem de nomine, dummodo constet de re. An vero vocabulum potentiæ obedientialis activæ fuerit inauditum, nec ne, ante hoc sæculum nolumus hic disputare, videantur Auctores hujus potentiæ propugnatores, qui eam plurimis antiquorum Theologorum, ac Classicorum testimoniis fulciunt, & comprobant.

Aliud vero argumentum quid sibi velit cum suis replicis, sane prorsus ignoro, unde nolo dicere Auctorem illum non intelligere, quid scribat, sed potius me illud non intelligere, aut ipsum non capere, quæ dixi disp. cit. Phys. quasdam enim responsiones, ut meas ad hoc argumentum adducit, quarum omnino oppositum ibi doceo, argument. quidem ex Scoti auct. deductum dividentis quæst. 1. prolog. potentiam in naturalem, violentam, & neutram non est ad rem, quia ibi dividit potentiam passivam, & hic sermo est de activa; doctrina, quam affert in solutione ad hoc argumentum, ut nostra, sed ex Recentioribus desumptam, nimirum potentiam naturalem, ut proximam, solum ad actus naturales ordinari, sed ut remotam, ac veluti inchoatam ordinari posse etiam ad supernaturales est vera, & necessaria, non a Recentioribus, sed a Scoto desumpta 4. d. 49. qu. 11. ubi potentiam naturalem intellectus creati ad videndum Deum ait esse remotam, nec fieri posse proximam cum concursu generali Dei, sed indigere speciali, qua ratione nos dicimus vocari posse potentiam obedientialem activam, ut distinguatur a naturali activa, quæ est proxima, & ordinatur ad actus simpliciter naturales. Neque ad actus naturales umquam diximus necessariam esse potentiam obedientialem activam, ut ipse nobis impingit in replica ad hanc solutionem in fine. Et rursus falsum nobis impingit, dum ait nos dicturos talem necessitatem provenire ex proportione requisita inter effectum, & causam, & ideo intellectum indigere potentia obedientiali ad causandam gratiam, non vero ad causandam visionem, quia hæc est ei proportionata; hoc certe numquam diximus loc. cit. disp. 7. Phys. qu. 6. art. 5. immo totum oppositum dicimus ibid. num. 136. in fine, ubi diserte asserimus posse intellectum per potentiam obedientialem elevari ad visionem beatificam, quia hic effectus cum tali causa habet pecu-

peculiarem proportionem, at non posse elevari ad producendam gratiam, quia secum non habet proportionem, nec umquam, ibi diximus, ut nobis imponit, creaturam per potentiam obedientialem creare posse. Denique vera est etiam doctrina, quam affert in ultima solutione, potentiam nempe obedientialem activam, ut a Deo elevatam speciali auxilio dici aliquo modo posse ordinis supernaturalis, quo pacto etiam supernaturales potentiæ dicuntur intellectus perfusus lumine gloriæ, & voluntas induta habitu charitatis, neque hinc sequitur esse agentia increata, ut urget Centin. ex Scot. 4. d. 43. qu. 4. quia non sunt agentia supernaturalia simpliciter, & ex toto, ut est agens supernaturale, de quo ibi loquitur Doctor, sed tantum agentia supernaturalia secundum quid ex elevatione facta per habitum supernaturalem, vel concursum specialem.

32 Postremo post totalem nostræ sententiæ declarationem circa potentiam obedientialem, tum activam, tum passivam, examinandam hic se se offert singularis sententia Aureoli de potentia obedientiali 1. d. 42. qu. 1. art. 3. ubi ait, quod potentia obedientialis non est potentia proprie dicta, sed tantum similitudinarie, & transumptive dicitur ratione similitudinis cujusdam proprietatis negativæ, quæ appellatur non resistentia, quod probat ostendendo hanc potentiam obedientialem non posse dicere aliquod positivum in creatura, virtute cujus creatura obediat creatori ad nutum, quia positivum illud æque haberet rationem creati, sicut & illud super quod fundaretur, & ideo non plus esset in potestate creatoris, imo æque esset in ipsius obedientia creatura fundans hujusmodi positivum, sicut & illud. Tum quia creaturæ antequam essent, dicebantur esse in plena obedientia creatoris, & tamen non ratione alicujus positivi, cum penitus nil essent. Restat ergo dicere, concluditque tandem acutissimus Aureol. quod obedientialis potentia dicitur translative, & metaphorice a quadam conditione negativa, quæ est non resistere actioni divinæ, videmus enim quod aliquis dicitur obediens dupliciter, primo quidem positive, sicut servus, qui exequitur jussum, ac imperium Domini; secundo vero negative per hoc, quod non resistit actioni agentis, ut cera mollis dicitur obediens, quia cedens ad nutum, secundum hoc ergo creatura omnis vel facta, vel factibilis dicitur esse in plena obedientia Dei, quia ejus activæ potentiæ non resistit, quod videtur elici ex illo sacri eloquii dicto: *potentiæ, & voluntati ejus quis resistet?* Quamvis hic dicendi modus prima facie clarus, & obvius videatur, ac omni difficultate carens, tamen communiter reiicitur in omni schola, & in primis nullo pacto verificari potest de potentia obedientiali passiva, qua mediante intellectus & voluntas actus supernaturales in se recipiunt, atque sustentant, non, inquam, de tali potentia verificari potest, quia talis potentia passiva erga tales actus veram exercet causalitatem materialem, nedum eos recipiendo, sed etiam sustentando, ergo non potest formaliter consistere in aliqua negatione, & simplici non repugnantia, nec est potentia Metaphorice tantum dicta, sed vera, & realis potentia, sicut vere, & realiter in genere materialis causæ concurrit ad productionem actuum supernaturalium eos recipiendo, ac sustentando, antecedens facile probabitur, si ab Aureolo extorqueatur quid sit exercere causalitatem materialem, consequentia patet, quia sicut pura negatio nequit alicui esse ratio essendi, ita neque ratio causandi, quia causa influit esse in causatum per influxum positivum. Quæ ratio mihi videtur ineluctabilis, nam si dicat Aureol. formas supernaturales creari, atque ideo non educi de potentia passiva obedientiali animæ, quamvis id concederetur de quibusdam habitibus supernaturalibus, id tamen de actibus nequaquam asseri potest, isti namque re vera, & recipiuntur, & sustentantur in anima, vel ejus potentiis, quod etiam, & de habitibus ipsius disp. 3. Phys. qu. 5. art. 2. probabilius dijudicavimus. Quod si dicat has formas recipi, ac sustentari in substrato talis negationis, cum hoc substratum in eo quod recipit, ac sustentat, sit passivum, utique per aliquam potentiam passivam, non quidem reipsa distinctam, imo potius realiter identificatam, denominabitur tale, & tunc quæritur an hæc potentia passiva sit naturalis, vel supernaturalis, & obedientialis. Eodem quoque modo idipsum probari potest de potentia obedientiali activa, siquidem intellectus supernaturaliter elevatur lumine gloriæ vere, & physice cum ipso concurrit ad eliciendam visionem beatificam, ergo hæc potentia activa non est pura non resistentia, sed vere influit in actum visionis, atque ideo non est potentia metaphorice tantum, & transumptive, sed vere, & realiter.

Nec valde operosum est rationes Aureoli dissolvere, nam primum argumentum, si quid probat, ostendit solum positivum illud, quod importat potentia obedientialis, sive activa, sive passiva, non esse aliquid reipsa creaturæ superadditum, & ab ipsa distinctum, quod graris concedimus, quia est realiter ipsa entitas creaturæ cum relatione transcendentali ad Deum; Aliud vero argumentum probat solum creaturas possibiles esse in potentia obedientiali ad Deum metaphorice, & transumptive, non autem proprie, & realiter, quatenus nempe ad nutum ejus excitari possunt ex nihilo, & a potentia objective in actum progredi, unde non valet inde arguere ad potentiam obedientialem activam, vel passivam creaturarum jam existentium, quia talis potentia est vera ratio causandi effectum realem per verum, & positivum influxum; unde utique verum est potentiam obedientialem, ut rebus possibilibus applicatur nondum existentibus, esse potentiam solum metaphorice, at potentia obedientialis in creaturis existentibus reperta est potentia vera, & realis, licet non a naturali entitative distincta, sed tantum formaliter, ac per diversos respectus. Denique exemplum quod adducit de servo, qui positive dicitur Domino suo obedire, dum ejus jussa exequitur, potius est pro nobis, dum enim intellectum, & voluntatem nostram Deus elevat ad beatam visionem, & fruitionem, dum ignem elevat in sententia Thomistica ad torquendos damnatos, & aquam in baptismo ad producendam gratiam, sane hæ creaturæ non se habent in ordine ad Deum ad instar ceræ solum non resistendo ejus actioni, sed vere conerrunt ad operationes, & effectus imperatos a Deo, & ejus jussa exequuntur obediendo positive, & per influxum positivum. Quamvis ergo verum sit illam non resistentiam intervenire, ut dicatur creatura esse sub plena Dei obedientia, tamen ad rite explicandam potentiam obedientialem tam activam, quam passivam, non sufficit hæc simplex, & pura non resistentia ad divinam voluntatem, sed necessaria quoque est obedientia positiva cooperando positive divinæ voluntati in genere causæ materialis, vel efficientis modo explicato.

ARTICULUS IV.

De Actione, & Passione.

33 Post potentiam activam, & passivam non erit abs re aliqua de actione, & passione subjungere, quæ veluti se habent, ut actus, vel exercitium illarum potentiarum, & quamvis de actione, & passione ex professo tractaverimus disp. 8. Logic. quæst. 12. art. 2. & adhuc magis disp. 7. Phys. qu. 3. art. 1. & 2. quia tamen hic in Metaph. decrevimus ex professo manum cum Aureolo conferere, ejusque argumentis contra Doctorem nostrum occurrere, quod nec a nobis alibi, nec ab aliis Scotistis hactenus factum est, vel ob negotii molem, cum tamen Aureolus ob indolis excellentiam, & argumentorum subtilitatem vocetur acutissimus, vel potius (nescio quo fato) quia ejus opera fere ad hæc usque tempora jacuere sepulta, & non antea, quam modo, fuere typis tradita, unde Aureolus non nisi apud Capreolum citabatur, qua de causa veteribus Scotistis abrepta est occasio respondendi, & suum Doctorem tuendi a tam strenuo Duce, cujus vestigiis inhærere non erubescit tota fere famosa schola Jesuitarum, qui suas præcipuas sententias, modumque illas defendendi ab acutissimo Aureolo desumpserunt, unde non abs re tantum Doctorem in Logica frequenter *Promptuarium Neotericorum* appellavimus.

Aureolus itaque 1. d. 27. qu. un. de actione, & passione ex professo disputat & art. 1. propos. 1. ait, quod respectus originis, sive qui est origo, vere constituit prædicamenta actionis, & passionis, ita quod origo termini ab agente sit passio, e converso autem productio, qua agens terminum originat, sit vere actio, quamvis autem ab initio hanc activam, & passivam originem videatur appellare respectum, postea tamen ex professo negat actionem esse relationem habentem pro fundamento potentiam activam, & passionem esse relationem oppositam habentem pro fundamento potentiam passivam, & ait originem formaliter non esse, nisi elicitionem, & egressum effectus ab agente, ac veluti viam mediam inter causam, & effectum, quam tamen satis non explicat, an formaliter dicat quid absolutum, & sic originem activam vult esse actionem, originem passivam vero passionem. Hinc postea art. 2. propos. 1. consequenter loquendo asserit, quod formale actionis, prout non est aliud, quam intervallum, sive via agentis in passum, seu attingentia, secundum quam dicitur agens attingere effectum, & egredi, ac fluere in ipsum, est subjective in producto.

34 Cæterum hæc Aureoli sententia ex dictis locis citatis tam in Logica, quam in Physica facile reiicitur quoad utrumque ab ipso assertum; quoad primum quidem, in quo ait actionem, inquantum constituit prædicamentum actionis, esse ipsam effectus productionem, reiicitur, quia quamvis in communi modo loquendi soleat actio sumi pro illa, quæ est productio termini, & agere pro actu efficiendi, & producendi, tamen proprie loquendo de actione, ut hoc constituit prædicamentum, non est de formali ejus conceptu, quod sit productiva termini, sed solum quod sit transmutativa subjecti, itaut pro termino respiciat non aliquem effectum per ipsam factum, sed aliquod subjectum per ipsam transmutatum, unde dum ignis aquam calefacit, actio hujus prædicamenti non respicit calorem in ipsa productum, sed aquam per calorem transmutatam, & passio proprie dicta correspondens actioni non est habitudo caloris producti ad ignem producentem, sed aquæ transmutatæ ad ignem transmutantem, ita diserte docuit Doctor 4. dist. 13. qu. 1. §. *ad hujus autem difficultatis*, ubi hos distinguit respectus, & habitudinem causæ transmutantis ad subjectum transmutatum in prædicamento actionis reponit, ut respectum extrinsecus advenientem, & illius prædicamenti formaliter constitutivum, relationem vero causæ producentis ad effectum productum reiicit ad quartum prædicamentum, ut intrinsecus advenientem, quæ est communis Scotistarum sententia.

Hoc autem probat Doctor, tum ex definitione actionis, quam Auctor sex principiorum assignavit, quod actio est secundum quam in id, quod subiicitur, agere dicimur, in qua definitione non exprimitur respectus alius, nisi ille, qui est ad passum, & subjectum, non autem ad terminum, vel effectum productum; nam agens agit utique terminum, sed non in terminum, non autem agit passum, sed in passum, ex quo patet diversas esse habitudines agentis ad passum, & ad effectum productum, sicut etiam diversi sunt termini illarum habitudinum, & solum primus respectus est de conceptu actionis, ut hoc constituit prædicamentum. Tum quia sic etiam & ipse Arist. definivit actionem, & passionem formaliter sumptas 3. Phys. 22. dum ait, quod actio *est actus hujus in hoc*, idest agentis in passum, & passio est *actus hujus ab hoc*, hoc est passi ab agente, & dicitur actus passivus, quia est id, per quod formaliter ejus exercetur, & ad actum reducitur passiva virtus, vel potentia, & dicitur ad hoc, quia omnis receptio semper est ab aliquo principio, sicut omnis activa formæ inductio semper est in aliquod subjectum, ut in Physicis dictum est in explicatione illius textus. Tum quia hoc manifeste ostendunt omnia exempla ab ipso Arist. adducta in prædicamentis de agere, & pati, nimirum de calefacere, & calefieri, de frigefacere, & frigefieri, & delectari, & tristari, omnia namque hæc exempla exprimunt respectum, non quidem agentis ad productum, sed ad subjectum transmutatum, non enim bene diceretur, quod calefaciens calefacit calorem, sed aquam, vel aliud calefactibile, similiter etiam de Sole non dicitur, quod illuminet lumen, sed aerem, vel aliud illuminabile, ergo respectus actionis constituens hoc prædicamentum non est ad effectum, vel terminum productum, sed ad susceptivum, vel passum. Deinde confirmat hoc Doct. loc. cit. lit. G. ex definitione potentiæ activæ tradita ab Arist. 5. Metaph. 17. quod sit princ. transmutandi aliud, inquantum aliud, sicut autem potentia activa est princ. transmutandi, ita actio, quæ est actus potentiæ activæ, erit transmutatio alterius, idest passi, inquantum alterum est, duo autem alii respectus, ait Doctor, scilicet productionis, & inductionis, vel eductionis, & hoc sive activæ, sive passivæ pertinebunt ad genus relationis proprie dictæ, quia sunt intrinsecus advenientes. Demum actio, & passio respectus mutuos oppositos important, sed passio est proprie respectus passi ad agens, non autem effectus producti, non enim proprie loquendo effectus productus dicitur ab agente pati, vel transmutari, sed passum seu subjectum in quod agit, ergo respectus pertinens ad prædicamentum actionis est inter agens, & passum, non inter agens, & effectum productum.

Respondet Aureolus loc. cit. hæc argumenta procedere ex falsa imaginatione, quasi agens faciat formam in materia, velut receptam in recipiente, non facit autem in materia formam, quasi dicat aliud in alio, sed ex materia facit formatum, ut Comm. dicit 6. Met. unde compositum fit, quod est res præcisa, & in actu, forma vero non fit, cum non sit nisi finis, complementum, & actus, ac modus essentialis materiæ, per accidens tamen fit tam forma, quam materia, ut apparet 7. Metaph. & hinc est, quod proprie dici potest, quod agens agit compositum primo, ex consequenti autem agit materiam, & formam, formam vero in materia, & ita agens non respicit materiam, tamquam id, in quod agit secundum mentem Philosophi, sed magis tamquam illud, quod agit, sed quia primo aspectu videtur materia, quasi quoddam receptivum, in quo fiat forma, nec est omnino videre, quod totum fiat, idcirco obtinuit imaginatio, quod actio passionem respiciat sub habitudine receptivi, unde deducit, quod Auctor sex princip. secundum vulgarem apprehensionem definiens dixit, quod actio est secundum quam in id, quod subiicitur, agere dicimus, & melius definiretur dicendo, secundum quam id, quod subiicitur, seu agitur, agere dicimur, quam dicendo in id, quod subiicitur. Ad exempla ab Arist. adducta ait parum urgere, quia nomina significantia actionem possunt referri ad passum compositum, & formam, unde dici potest, quod lumen accenditur, vel illuminatur, & quod luminosum illuminat, & similiter active, quod aliquis accendit lumen, vel illuminat. Ad ultim. inquit non valere, quia non solum materia dicitur pati ab agente, sed etiam forma, & compositum, quandoquidem pati non est aliud, quam fieri, & agi, ut opponitur actioni, agere, & producere, quod quidem non competit soli materiæ, sed etiam formæ, & composito, aliquando tamen (inquit Aureol.) sumitur pati, vel passio pro afflictione illius a quo abiicitur aliqua perfectio, & inde translatum est ad omne illud, a quo abiicitur aliquid naturale, & in hoc sensu dicitur materia pati, & non forma.

35 Hæc responsio multa falsa involvit jam in Physicis impugnata, nam falsum est quod forma non per se fiat, & propria productione producatur, cum enim sit causa compositi, utique necessarium est, quod prius habeat esse in rerum natura quam compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis, debet propria acquisitione acquiri, & non tantum per accidens ad productionem compositi, ita docuimus disp. 2. Phys. qu. 7. art. 2. num. 145. ubi etiam explicatum est, quo sensu interdum dicat Philosophus formam non fieri, sed confieri, & non per se produci, sed ad productionem compositi, loquitur enim de productione, qua aliquid accipit esse simpliciter, & per se subsistens, velut terminus totalis, & adæquatus generationis, quo sensu productio dicitur esse solius compositi, & rerum in se existentium, vel subsistentium. Cum vero id probat Aureol. quia forma est modus essentialis materiæ, id ex professo refutat Doctor 1. d. 12. qu. 1. §. *positis ista* multipliciter, & præsertim in fine inquit, quod si forma substantialis non esset res propria, ac realiter distincta a materia, sed modus quidam essentialis, & gradus intrinsecus ejus, sequeretur tunc, quod per formas substantiales generabilia specie non distinguerentur, quia isti gradus sunt essentialiter idem tertio, scilicet materiæ,

nec est alterius rationis secundum illos gradus. Tum quia certum est saltim de anima intellectiva, quod non potest esse gradus intrinsecus materiæ, quia ipsa est terminus creationis, ergo forma re vera est aliud a materia, & cum materia præcedat natura, ac etiam interdum durationeformam, dum agens illam producit, materia eam recipit, vere facit formam in materia, ut aliud in alio, & ut receptum in recipiente. Tum quia nil magis in Philosophia tritum est, quam agens naturale in sua actione præsupponere subjectum, in quod agat, ac formam introducat, ergo proprie loquendo, & de actione in ratione productionis, materia non fit per actionem agentis, sed forma fit in materia, & inde compositum resultat, imo sic loquitur Arist. 7. Met. dicit enim formam non fieri, sed in fieri, quia fit in materia, legatur Philosophus ibi cap. 7. tex. 27. ubi distertis verbis docet solum compositum simpliciter fieri, scilicet tamquam aliquid in se, & per se existens, formam autem fieri in alio, idest in materia, unde nescio qua ratione dicat Aureolus perfectissimus Peripateticus non esse modum loquendi Philosophicum, sed juxta vulgarem imaginationem, quod forma fiat in materia, velut aliud in alio, & velut receptum in recipiente. Tum quia definitio actionis tradita ab Auctore sex principiorum non est desumpta ex vulgi imaginatione, cum inquit esse illam, secundum quam, in id quod subiicitur, agere dicimur, sed sumpta est ab ipso Aristot. 3. Physic. 22. ubi eadem phrasi utitur, definiendo actionem, quod sit *actus hujus in hoc*, idest agentis in passum. Tum quia falsum est, quod proprie loquendo pati idem sit, quod fieri, & produci, nam apud Philosophos pati idem est, quod actioni agentis subiici, & per abjectionem unius formæ alteriusque receptionem transmutari, unde quod patitur, dicitur passioni præsupponi, at quod fit, & producitur, non dicitur suæ factioni, & productioni præsupponi. Tum tandem, quia si hoc esset proprium significatum istius nominis, *pati*, nempe fieri, & produci, tunc magis proprie conveniret compositio, vel formæ, quam materiæ, quia compositum proprie fit, & nihilominus pati proprie dicitur de materia, non de composito, ergo proprie, & formaliter loquendo pati non est idem, quod fieri, & produci.

36 Ex his reiicitur aliud assertum ab Aureolo, quod nimirum actio, ut peculiare prædicamentum constituit, sit subjective in termino producto, cum enim falsum sit actionem hujusmodi, & sic acceptam, habere pro termino effectum productum, nam pro termino habet ipsum subjectum, quod transmutatur per formam receptam, consequenter falsum erit posse in ipso subjectari. Sed præterea admittendo etiam actionem, ut peculiare prædicamentum constituit, consistere in origine, & productione activa, adhuc falsum est actionem sic sumptam in termino per ipsam producto posse subjectari, nam etiam in hoc sensu dici debet subjectari in ipso agente, ut producente, non vero in effectu per ipsam producto, quod sic evidenter suadetur. Terminus actionis seu effectus essentialiter dependet ab actione, tamquam ab aliquo se tenente ex parte principii effectivi, quo medio ab hoc recipit esse, actio enim per Aureolum est causalitas agentis, & per ipsam effectus, tamquam per viam recipit esse, ergo nequit intelligi prior natura ipsa actione, & consequenter nequit esse causa materialis illius; consequentia prima de se patet, probatur altera, quia causa, & causalitas præcedit effectum, non vero subsequitur. Si recurratur ad mutuam causalitatem, non valet; nam causæ, quæ ad causandum requirunt existentiam, nequeunt esse sibi invicem causæ quoad existentiam, quia idem esset simul prius, & posterius, qua enim ratione causat, est existens, & prius, qua ratione causatur, accipit existentiam, & est posterius. Nec etiam valet, si recurratur ad mutuas prioritates in diverso genere causæ; licet enim duo res possint sibi mutuo esse invicem causæ in diverso genere causæ, tamen eadem entitas nequit esse causa sui ipsius, & consequenter nequit terminus per actionem productus esse princip. causalitatis, ex vi cujus producitur. Neque dicas actionem in eo priori, quo velut via præcedit effectum, & terminum productum, non inhærere actu, sed aptitudine, tunc autem actu inhærere, cum actu productus est. Nam tunc in qualibet actione miraculum interveniret, quia reperiretur accidens sine subjecto actu, quod ad miraculum sufficit, ut constat in Eucharistia, ita arguebamus disp. 7. Phys. qu. 3. art. 2. num. 31.

37 Deinde late probatum est ibidem actionem non posse in passo subjectari, sive per passum intelligatur effectus, vel terminus productus, sive subjectum ipsum transmutatum, & adhuc ulterius probatur quibusdam argumentis ab ipsomet Aureol. adductis, nec bene solutis. Nam impossibile est effectum formalem separari a forma, sed agens dicitur formaliter agere actione, ergo actio est formaliter in agente, non in passo. Nec valet, solutio Aureol. quod actio denominat agens per modum egredientis, non per modum inhærentis, non enim dicitur agens agere, eo quod habeat agere in seipso, sed quia agere egreditur ab ipso, & est quod alii dicunt agens denominari ab actione denominatione extrinseca, non intrinseca. Non valet quia falsum est actionem formaliter egredi ab agente, egreditur enim tantum terminative, & effectus ipse dicitur fluere, & egredi ab agente, ut calor ab igne, non autem ipsa actio, ergo debet agens denominare non extrinsece, sed intrinsece, nec per modum egredientis, sed inhærentis. Tum quia si egreditur ab agente, & recipitur in passo, utique aliquam formalem denominationem præstabit passo, qualis ipsa est, nec

alia

alia esse poterit, quam denominatio agentis, & sic passum denominabitur agens, ut late prosequor disp. cit. Phys. num. 32. Tum quia Aureol. ibi eadem solutione concedit, quod si denominatio agentis nominaliter sumatur, & non verbaliter, ut si dicatur de Sorte, quod est agens, vel generans, sic fit denominatio a relatione insistente in agente, & est idipsum, quod contendit Scotus. Præterea principaliter dicit Philosophus de somno, & vigilia quod cujus est potentia, ejus est actus, sed constat quod potentia activa est agentis, & in agente, ergo & actio, quæ est actus hujus potentiæ, erit in eo. Respondet Aureol. quod licet actio sit potentiæ, & agens per eam, nihilominus non est in potentia, nec in agente, neque hoc probat verbum Philosophi, non enim dicit, quod ubi est potentia, ibi sit actus, sed quod ejus sit actus, cujus est potentia, unde mutatur in argumento habitudo genitivi in ablativum, & committitur fallacia figuræ dictionis. Contra, ex hoc quod passio est actus potentiæ passivæ in genitivo bene deducitur sine fallacia, quod etiam in ablativo sit potentia passiva, & subjecteture in passo, ut constat ex 3. Phys. 21. & 22. ergo idem pariter erit de actione respectu agentis, & potentiæ activæ, sic etiam 3. Phys. 6. ex hoc quod motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, in genitivo, deducitur etiam in ablativo, quod subjecteture in mobili, ergo nulla in argumento committitur fallacia, tum quia in eodem subjecto est fundamentum, & respectus fundatus, sed actio est respectus habens pro fundamento potentiam activam 5. Met. cap. 15. ergo actio est in agente; tum quia actus est in eo, quod actuat, cum talis actuatio fiat in genere causæ formalis, ergo si actio actuat formaliter potentiam activam, erit in ipsa subjective.

38 Rursus impossibile est formas oppositas esse simul, sed actio, & passio sunt oppositæ, ergo non sunt simul, sed actio est in agente, & passio est in patiente. Respondet Aureol. quod actio, & passio, ut respiciunt formalem terminum, seu productum nullam habent oppositionem, immo in idem conveniunt, productum enim producitur, & actione producentis, & productione passiva, non ergo opponuntur in suis realitatibus formaliter, sed in suis denominationibus, quoniam actio denominat agens, a qua egreditur, passio vero effectum, qui egreditur, & hoc proprium actionis, ut non denominet illud, in quo est subjective, sed a quo egressive, & si quæratur, quæ sit ratio istius, inquit Aureolus quod irrationabiliter quæritur, ac si quæratur, quare albedo dealbat, apparet enim ex terminis, quod si actio non sit aliud, quam egressus, quo agens attingit aliquid causative, quod non denominabit illud, quod attingit, & in quo permanet, sed id, a quo egreditur. Contra hoc est, quod & Aureol. ipse quæst. cit. art. 1. propos. 2. tenet actionem, & passionem etiam in suis formalitatibus opponi, quia exitus, & egressus, qui dicitur actio, incipit ab agente, & terminatur ad effectum, alter vero effluxus, qui dicitur passio, incipit ab effectu, & terminatur ad agens, & dicit has habitudines esse reales, & non rationis, ac etiam realiter oppositas, quia habent terminos oppositos, ergo nequeunt esse simul. Tum quia egressum, qui dicitur actio, incipere ab agente, & terminari ad effectum, aliad non est, quam fundari in ipso agente, & est quod contendit Scotus. Tum quia si opponuntur actio, & passio in suis denominationibus, ergo & in suis formalitatibus, quia denominatio sumitur a formalitate rei, & cum ipsa commensuratur. Tum quia cum proprium sit cujuscumque formæ, sive absolutæ, sive relativæ denominare subjectum, cui inhæret, potius quam causam, a qua dimanat, optime quæri potest, ac rationabiliter, cur hoc specialiter inter omnes formas actioni conveniat, quod non denominat subjectum, quod afficit, sed illud tantum, a quo egreditur, & nisi afferatur ratio apta, ac idonea, videtur voluntarie dictum, ac petitio principii, quia adducitur instantia in proposito concedendo propositionem illam universaliter, quod omnis forma denominat subjectum, in quo recipitur, excepta actione, de qua est quæstio. Tum tandem, quia falsum est, ut dixi, actionem formaliter sumptam egredi ab agente, potius enim effectus est illud, quod intelligitur egredi, & effundi a virtute productiva agentis media actione.

39 Quod tandem actio non mediet inter causam, & effectum, veluti via præcedens naturæ ordine entitatem effectus, in sensu quo loquitur Aureolus, & in quo sectatores habet omnes Recentiores, fuse probatum est disp. 5. Phys. qu. 2. nu. 10. & disp. 7. qu. 3. art. 1. n. 21. ex Scoto pluribus in locis 1. d. 30. G. & d. 35. L. 43. C. & 2. d. 1. qu. 2. E. ubi vult ad absolutum in causa ita immediate sequi absolutum in effectu, ut re vera nihil mediet inter ista per modum viæ, unde quando in communi modo loquendi dici solet effectum ab agente produci media actione, tunc actio sumi debet fundamentaliter pro virtute absoluta agentis, quæ est ei ratio agendi, nam talis virtus re vera præcedit natura effectum, etiam in instanti, quo causat, at si actio sumatur formaliter pro respectu producentis ad productum, non est verum in ratione formæ productivæ, quia relatio non est activa, sed tantum in ratione formæ denominantis; ut notat Doctor 4. d. 13. qu. 1. P. quatenus entitas causæ numquam intelligitur formaliter causans nisi habita relatione, & in hoc sensu dici potest via ad effectum & etiam prior effectu, sicut albedo dicitur prior pariete albo, ut sic, ut explicui disput. 5. Phys. cit. num. 14. Sed præsertim si actio sumatur, ut constituit peculiare prædicamentum, palam omnino est in principiis nostris non mediare inter causam, & effectum, quia actio sic considerata est respectus extrinsecus adveniens agentis, ut transmutantis ad passum, ut transmutatum, sed iste respectus inter causam, & effectum mediare nequit, ideo enim subjectum ab agente transmutari dicitur, quia ab eo formam de novo recipit, ergo forma de novo inducta, vel educta re vera præsupponitur actioni de genere actionis, atque ideo hæc actio non mediat inter causam, & effectum; hinc consulto Doctor tam in 4. d. 13. qu. 1. F. quam in 2. d. 1. qu. 5. S. varios enumerando respectus prius recenset respectum agentis ad formam eductam, vel inductam, & passi ad formam receptam, deinde respectum passi ad agens, & agentis ad passum.

In contrarium arguit Aureolus loc. citat. primo probando actionem non posse consistere in respectu, præsertim de genere relationis, quia per nullum respectum de genere relationis capit esse terminus illius respectus, ut patet discurrendo per singulos relativorum modos, non enim in primo modo duplum ponit in esse sub duplum, nec similitudo albedinem, ad quam terminatur, nec in tertio modo relativorum mensura ponit in esse mensuratum, nec in secundo modo paternitas ponit in esse filium, sed filio producto resultat in patre, sed origo, in qua consistit actio, ponit in esse terminum suum, ergo non pertinet ad genus relationis, sed ad genus actionis. Tum 2. ex Simplicio super in prædicam. in cap. de agere, & pati; actio non est proprie habitudo unius ad aliud, sed est id, quo aliquid dicitur esse factum, sed manifestum est, quod per originem formalis termini habet totum compositum, quod sit factum, & originatum, ergo origo termini non pertinet ad genus relationis, & actionis. Tum 3. nullus respectus, qui se habet ad terminum quasi via in ipsum, est de genere relationis, sed magis de genere actionis, nam Arist. 4. Met. ab initio, & Com. ib. dicunt, quod quoddam est ens per se existens, scilicet substantia, quoddam est via in ens, & quoddam relatio, vel habitudo entis, unde patet, quod aliud prædicamentum est relatio, & aliud via in ens, sed manifestum est, quod origo est via, ac processus ad esse termini originati, ergo hujusmodi origo non est relatio, sed pertinet ad genus actionis. Tum 4. respectus agentis ad passum est in genere actionis secundum sic ponentes, sed nullus est respectus inter agens, & passum, nisi ille quo agens terminum attingit, qui quidem est origo, ut ibi multipliciter probat, ergo &c. Tum 5. respectus ille, qui non oritur de necessitate positis terminis, non pertinet ad genus relationis, sed origo termini non oritur posito fundamento, & termino, quia non intelligitur origo, ut sequens terminum, sed ut præcedens, & via, ergo non spectat ad prædicamentum relationis. Tum 6. relatio non fundat relationem, sed 5. Met. 29. ait Arist. quod relatio producentis, & producti fundatur super agere, vel egisse, & manifestum est, quod relatio producti fundatur super originari termini, & relatio producentis super originare, ergo originare, & originari non pertinent ad prædicamentum relationis. Tum demum, quia actio, & passio sunt respectus mutui, & oppositi, id ergo respicit actio pro termino, quod passio pro subjecto, sed constat quod formalis terminus, & compositum dicuntur agi passive, ergo agens per actionem respicit formalem terminum, & compositum.

40 Respondetur mirum esse, cur adeo contra Scotum insudet Aureolus, ut probet actionem non importare relationem de quarto prædicamento, cum id gratis concedat Doctor 4. d. 13. ut ipse Aureolus fatetur in quarto argumento, tamen quia Doct. vult actionem, ut productivam effectus, spectare ad quartum prædicamentum, idque impugnare videntur argumenta facta, ideo ex hoc capite sunt dissolvenda, pro quo nota ex Scoto 4. d. 13. qu. 1. lit. P. quod cum causa dicitur agere, & producere effectum, id potest intelligi dupliciter, vel ratione principii formalis proximi, & sic formaliter denominatur a relatione causalitatis significata per actionem, nam causa causalitate causat, agens actione agit, sicut simile similitudine est simile, vel ratione principii formalis remoti, quo sensu illud ablativum significat absolutum, quod est principium agendi, & fundamentum relationis, ut calidum calore calefacit, simile albedine est simile, itaque actio sumpta pro productione, & origine activa pertinet ad prædicamentum relationis, & per ipsam dicitur effectus produci, non quidem physice veluti per virtutem productivam, quæ sit ratio agendi, quia relatio non est activa, sed denominative, quatenus est ratio formalis, qua causa denominatur formaliter producens, & originans, sicut per similitudinem album dicitur formaliter simile; qua doctrina præmissa operosum non erit argumentis Aureoli occurrere. Ad 1. negatur major, quia per relationes ad secundum modum relativorum pertinentes, quæ fundantur super potentiam activam, & passivam, potest aliquid capere esse, & produci, non quidem ut ratione formali producendi, sed ut principio formali denominandi producens, ut modo explicatum est ex Scoto. Ad 2. quicquid sit de Simplicio, per actionem de genere actionis non dicitur aliquid esse factum, & originatum, sed transmutatum, per originem vero fateor aliquid dici factum, & originatum ut principio formali denominandi, & hæc non ad prædicamentum actionis pertinet, ut contendit Aureol., sed relationis, quia est relatio intrinsecus adveniens ex Scot. c. Ad 3. nullus respectus potest esse proprie via in suum terminum, quia potius respicit terminum positivum in esse, non vero præcedit, & ideo bene inquit Doctor 2. d. 1. qu. 2. E. nos fallere imaginationem, dum putamus relationem causalitatis mediare, veluti viam inter causam, & effectum, quia re vera sequitur, sicut universaliter nulla relatio ponitur, nisi positis extremis, unde origo, sive ponatur respectus de genere actionis, sive relationis, proprie nequit

nequit esse via; adhuc tamen distinguit Doctor 4. dist. 13. q. 1. de duplici via, altera est medium quo, & est acquisitio ipsa, qua habetur forma, vel effectus, & hæc non præcedit, altera est per quam, vel in quam, & est id, ad quod mobile primo pervenit, vel per quod primo pertransit, antequam ad extremum perveniat, & hæc utique præcedit, sed talis via non est causalitas, & origo, licet nostra falsa imaginatio eam ita concipiat in ratione viæ. Ad 4. concessa majori, negatur minor, quia respectus ille, quo agens attingit terminum producendo ipsum, & dicitur origo, non pertinet ad prædicamentum actionis, sed relationis, quia talis respectus est intrinsecus adveniens, & respectus pertinens ad genus actionis non respicit terminum productum, sed subjectum transmutatum, & ille præcedit istum.

41 Ad quintum concessa majori iterum negatur minor cum sua probatione, quamvis enim origo a nobis concipiatur, ut præcedens, & via ad terminum suum, re vera tamen, ut ait Doctor loc. cit. fallit nos imaginatio, quia quilibet respectus, sive sit de genere actionis, sive de genere relationis sequitur extrema jam posita, licet unus ex necessitate, alter vero non nisi posita debita eorum approximatione. Ad 6. falsa est major, ut constat ex disp. 8. Log. quæst. 5. art. 2. falsa est etiam minor, ut ex eadem constat disp. quæst. 10. art. 2. explicando secundum modum relativorum, ubi probatum est relationes secundi modi re vera non fundari super actionem, & passionem, sed super potentiam activam, & passivam, actionem autem, & passionem intervenire solum, ut conditionem necessariam, & dispositionem præviam ad fundandum, ut ibi explicatum est. Ad ult. concesso entimemate primo negatur subillata minor, quod terminus formalis, & compositum dicantur proprie agi passive, idest pati, quia pati proprie loquendo est recipere formam, & per ipsam transmutari, & hoc non pertinet ad formam, vel compositum, sed ad subjectum dumtaxat, terminus autem formalis, & compositum dicuntur agi passive, ut agi idem est, quod produci, & originari, & sic solum sequitur quod agens in ratione producentis, & originantis respicit pro termino formam, & compositum, sed in ratione transmutantis respicit subjectum, & passum.

Secundo arguit Aureol. loc. cit. art. 2, probans actionem esse subjective in producto, quia si esset in agente, omne agens præagyret in se, & omnis potentia activa simul esset passiva; consequentia patet, quia realitas illa de novo adveniret agenti, & cum aliunde eam non habeat, illam eliceret in seipso per potentiam suam activam, & per consequens potentia illa esset simul activa, & passiva, & agens esset simul agens, & passum. Tum 2. quia si agens produceret in se actionem, per quam agat in passum, tunc productio illius actionis esset actio, & ita actionis esset actio contra Philosophum 5. Phys. 18. Tum 3. nulla forma denominans aliquid per modum egressus ab illo potest poni subjective in eo, quod denominat, ideo namque cæteræ formæ subjective in eo, quod denominant, quia non denominant per modum egressus, non enim dicitur album aliquid, quia ab eo egreditur albedo, sed actio denominat agens per modum egressus, ergo non est in eo subjective: Et si dicatur, quod non concludit ratio de formali actionis, sed de re acta, non enim formalitas actionis egreditur, sed effectus; Non valet, quoniam illud formale maxime exprimitur per verba activa, manifestum est autem, quod nullus concipit agere agentis, nisi per modum egressus ab eo. Tum 4. quia secundum Arist. & Com. 3. Phys. 22. actio, & passio sunt idem secundum subjectum, & duo secundum definitionem, & loquitur ibi de formali actionis, & passionis, non autem de actione pro re acta. Tum 5. proportio potentiæ activæ ad actum non est, ut in qua, sed a qua est actus, potentia namque, quæ se habet ad actum sub habitudine, ut in qua recipitur actus, non est activa, sed passiva, ergo &c. Tum 6. quia tunc creatio actio esset in Deo subjective, quod repugnat. Tum tandem, quia formalis ratio actionis non est aliud, quam quidam egressus hujus, ratio vero passionis est egressus hujus ab hoc, ergo ex formalitatibus actionis, & passionis apparet, quod utraque remanet formaliter in subjecto, unde cum actio dicitur actus hujus in hoc, non intelligitur hujus subjective, sed originative, & in hoc terminative, & subjective scilicet in effectum.

42 Resp. hæc argumenta pariter procedere de actione productiva, non autem transmutativa, quæ constituit peculiare prædicamentum, quia hæc non respicit productum pro termino, sed subjectum, & passum, verum quia Doctor etiam de actione productiva, quæ spectat ad quartum prædicamentum, tenet quod sit in agente, vel producente, non autem in producto, nobis adhuc incumbit argumenta diluere, quæ probant oppositum; Ad primum negatur consequentia, quia ut & Aureolus ipse concedit quæst. cit. art. 1. propos. 3. ad 2. instantiam, non est verum quod recipere constituat prædicamentum passionis, quod probat ex Comment. 5. Physic. com. 9. receptio enim potius spectat ad prædicamentum habitus, qui significat habitionem formæ qualiscumque, ut dictum est in Log. declarando prædicamentum habitus, sicut ergo non omnis receptio est in prædicamento passionis, sed illa receptio, quæ est passio ex infra dicendis sub numer. 52. ita neque potentia receptiva convertitur semper cum passiva, nisi quæ est ad passionem, quo autem pacto agens præageret in se eliciendo actionem nunc declarabitur. Ad 2. si fermo sit de actione in ratione productionis, hæc seipsa ab agente, seu producente dimanat, non media alia actione alioquin daretur processus in infinitum in actionibus, & productionibus, neque idem dici potest de ipso effectu, quod immediate erumpat ab agente absque ulla actione, & productione, cujus rationem assignavimus disp. 7. Phys. quæst. 2. num. 8. si vero sit sermo de actione, ut peculiare prædicamentum constituit, licet ad ipsam dari nequeat alia actio ejusdem generis pro ejus acquisitione, dari tamen potest actio alterius generis, quæ dicitur productio, cujus quoque ratio assignata est ibidem nu. 10. & 11. neque ab hoc argumento Aureolus ipse immunis abibit, quia esto illam realitatem, quam dicit esse actionem formaliter reponat subjective in passo, tamen cum ab agente dependeat, & egrediatur, ipse quoque explicare tenetur quomodo ab agente fluat, & causetur, an immediate, & tunc idem quoque nobis licebit dicere de actione pro respectu in agente fundato, vel mediante alio influxu; & tunc pariter instabitur contra ipsum, quod ad actionem esset actio. Ad 3. optima est solutio allata in argumento, quia re vera actio non egreditur ab agente, sed effectus ipse præsertim in actione transeunte, & cum instatur, nullum concipere actionem nisi per modum egressus; respondeo ita esse, non tamen secundum imaginationem Aureoli, quasi actio concipiatur per modum egressus formaliter, sed itaut dicatur egressus terminative, quatenus terminatur ad effectum a virtute activa agentis egredientem media actione sibi inhærente. Ad 4. actio, & passio ab Arist. loc. cit. pro tanto dicuntur idem subjecto, quatenus motus pro materiali, cui insunt, est proprie unus, & idem, solum ratione diversus, quatenus motus pro materiali est actus hujus in hoc, & hujus ab hoc, idest agentis in patiente, & patientis ab agente, & verum est, quod in eo textu accipitur actio, & passio pro formali, cæterum isti respectus sunt idem materialiter, quatenus ambo sunt in motu, non ut in subjecto, vel fundamento, sed subjective, & terminative, in eodem tertio non formaliter, sed concomitanter, nam respectus passionis est subjective in eo, in quo est motus pro materiali, seu forma fluens, & respectus actionis est terminative in eo, in quo est idem motus, ita hunc textum explicat Doct. 4. d. 13. q. 1. lit. M. & nos cum ipso lib. 3. Phys. in expositione textus, quam videre juvabit.

43 Ad quintum potentia activa intelligi potest ordinari ad duplicem actum, vel ad actum proprium, quo dicitur exerceri, & poni in actu secundo, quo sensu actio ipsa dicitur actus potentiæ activæ, vel ad actum alterius, scilicet ad formam, per quam efficienter actuat subjectum, in quod eam introducit, dum ergo dicitur proportionem potentiæ activæ ad actum non esse, ut in qua, sed ut a qua est actus, potissimum intelligitur de actu secundo modo, scilicet de forma, talis enim actus non recipitur in potentia activa, sed ab ipsa procedit, & in passiva recipitur; at si sermo sit de actu in primo sensu potest potentia ad ipsum conferri etiam per habitudinem *in quæ* recipitur, nempe ob id potentia activa erit quodque passiva formaliter, quia, ut dictum est, non omnis receptio est de genere passionis, sed de prædicamento habitus. Ad 6. jam dictum est disp. 7. Phys. num. 38. Deum denominari agens de novo, non intrinsece, cum nihil de novo recipere possit, sed extrinsece, non quidem per actionem in creatura receptam, sed per terminationem dependentiæ creaturæ ad ipsum; hoc autem de agente creato dicere nulla urget necessitas, quia potest de novo relationem recipere, qua intrinsece denominetur agens. Ad ult. ratio formalis actionis est, quod sit *actus hujus in hoc*, ratio autem passionis quod sit *actus hujus ab hoc*, 3. Phys. 22. & ex his rationibus colligitur, quod sicut passo est in passo velut actus ejus, ita actio in agente, unde falsum est, quod cum actio dicitur actus hujus in hoc, *ly hujus* non sumatur subjective, sed originative, quia illa particula ita tenetur in definitione actionis, sicut passionis; sicut ergo in definitione passionis tenetur subjective, quatenus est actus ei inhærens, eodem quoque modo in definitione actionis tenetur debebit.

44 Et quidem ex his definitionibus actionis, & passionis palam fit formaliter non esse, nisi relationes quasdam, & habitudines, quarum una fundatur in agente, & terminatur ad passum, diciturque actio, alia e contra fundatur in passo, & terminatur ad agens, diciturque passio, & hoc ipsum fateri videtur Aureolus qu. cit. art. 1. propos. 2. quamvis enim actionem dicat esse effluxum motoris in motum, & passionem esse egressum ab ipso motore, subdit tamen quod isti effluxus, & exitus sunt realiter distincti, & omnino oppositi, quia effluxus qui dicitur actio, incipit ab agente, & terminatur ad effectum, alter vero incipit ab effectu, & terminatur ad agens, nempe passio, quibus verbis jam manifeste fatetur Aureol. actionem, & passionem esse relationes, quarum una fundatur in agente, & terminatur ad passum, & alia e contra. At occurrit Aureol. ibi hanc instantiam non tenere, quorum hujusmodi egressus non sunt res absolute, quia nec intelligi possunt sine duobus, extremis videlicet sine agente, & aliquo absoluto creato, nec tamen sunt relationes, egressus enim non est habitudo, cum non referat ad terminum, sed causat ipsum, propter quod non spectat ad genus relationis, est enim commune septem prædicamentis non absolutis, quod intelliguntur inter duo extrema per modum cujusdam intervalli, & ideo appellantur formæ adjacentes, vel circumstantiæ, nec est hoc proprium relationibus, talium enim intervallorum, & formarum interjacentium quædam referuntur inter habitudines, & relationes, quædam vero sunt continentiæ, & mensuræ, ut Ubi, & Quando, sic ergo actio, & passio inter se, & a motu realiter distinguuntur, non sicut res absolute, sed sicut quædam

cit-

circumstantiæ, & realia intervalla, nec sunt relationes, aut habitudines, licet aliquando sic nominentur, quia sunt formæ non absolutæ. Cæterum ex hac sola solutione constat doctrinam Nominalium de actione, & passione, aliisque ultimis prædicamentis carere solido fundamento, & in solis verbis consistere, concedunt enim non esse formas absolutas, & rursus intelligi non posse sine duobus extremis, & postea negant esse relationes, & habitudines, sed qua consequentia non video, nam forma, quæ non est de se absoluta, & nequit intelligi sine duobus extremis, sane est relativa, hic enim est conceptus formæ relativæ, ut intelligi nequeat, nisi per ordinem unius ad aliud, & per modum intervalli inter duo extrema, si ergo actio, & passio, ac etiam alia ultima prædicamenta habent sic intelligi, sequitur necessario esse formas relativas, tum quia accidens prædicamentale sufficienter dividitur in absolutum, & relativum, si ergo actio, & passio, ac alia ultima prædicamenta non sunt formæ absolutæ, sequitur esse relativas. Neque actio in ratione productionis ob id eliminari debet a prædicamento relationis, quia non refertur simpliciter ad terminum, sed causat ipsum, ut ait Aureol. relatio autem non est activa. Nam jam respondetur est ex Scot. 4. d. 13. qu. 1. §. *ad argumenta*, quod licet relatio nequeat esse principium formale producendi, hoc enim est virtus absoluta agentis potest tamen esse principium formale denominandi aliquod agens, & producens, & in hoc sensu præcise dicitur causare suum terminum, quod non obstat, ne referat ad terminum, sicut aliæ relationes.

45 Tertio principaliter arguit Ovvied. controv. 12. Physic. punct. 3. num. 3. probans de ratione actionis non esse subjectari in agente, causa prima vere est causa, & in actu secundo constituitur causans, & efficiens per actionem non receptam in ipsa, sed in extraneo subjecto, ergo causa secunda poterit eodem modo efficiens constitui, & in actu secundo, causans per actionem non receptam in illa, sed in alio subjecto. Si dicatur specialem esse rationem de prima causa, quia in illa non potest subjectari actio, cujus secunda est capax. Contra instat, quia ipse non infert causam secundam non recipere actionem ex eo immediate, quod illa primam non recipiat, sed infert posse causam secundam constitui actu causantem per actionem in ipsa non receptam, sicut constituitur prima, quia si de ratione principii efficientis in actu secundo esset actionem recipi in principio, quod efficiens constituit, non potest actio constituere efficiens effectivum illud, in quo non posset recipi, ergo actio, quæ non posset recipi in Deo, non posset Deum efficientem constituere, atqui potest, ergo non est de ratione principii efficientis actionem in se habere.

Respondetur hoc esse argumentum Aureoli jam supra solutum, dicitur enim Deus efficiens, & in actu secundo causans per suum velle efficax fundamentaliter, quia hæc est virtus absoluta primæ causæ, ad quam immediate sequitur effectus, formaliter vero non dicitur intrinsece causans, sed tantum extrinsece, & hoc quidem non per actionem receptam in creatura, ut assumit Ovvied. sed per terminationem dependentiæ creaturæ ad ipsum, sicut paries dicitur visus non per habitudinem visionis ad ipsum, sed per terminationem talis habitudinis, ita Doctor 4. d. 13. cit. qu. 1. litt. X. itaque verum est non esse de ratione principii efficientis in actu secundo, ut est commune ad primam, & secundam causam, quod formaliter constituatur in esse tali per actionem in ipso formaliter, & intrinsece receptam, quia causa prima non dicitur efficiens formaliter, nisi per extrinsecam denominationem; sed falsum est causam primam, ita extrinsece denominari, & constitui per actionem receptam in creatura, quia repugnat actioni, ut actio est, in passo recipi, & ideo nec prima, nec causa secunda potest sic efficiens denominari ab actione recepta in passo, quod si semel concederetur, fateor argumentum vim aliquam habiturum, sed adhuc tamen evadi posset per solutionem inter arguendum allatam, disparem esse rationem de causa prima, & secunda, quia prima causa dicitur formaliter efficiens per extrinsecam denominationem, & ideo talis denominatio sumi potest ab actione recepta in creatura; at secunda causa, cum sit nata ob suam potentialitatem recipere relationem, dici debet efficiens per intrinsecam denominationem, & hoc salvari nequit, nisi per actionem in ipsa intrinsece repertam.

Postremo arguit Arriag. disp. 8. Phys. sect. 3. actio causæ efficientis, qua producit formam in subjecto, non distinguitur realiter a causalitate causæ materialis, per quam concurrit cum efficiente ad producendam formam, sed illa causalitas materialis non est in agente, sed in passo, ergo &c. Resp. negando majorem, sunt enim illæ causalitates realiter distinctæ, & in subjectis reipsa distinctis, imo abinvicem separantur, nam postquam forma ab agente educta est e gremio materiæ, cessat causalitas agentis, & perseverat adhuc causalitas materialis, cum forma materialis ab ea dependeat nedum in fieri, sed etiam in conservari. Quod si etiam concederetur assumptum de identificatione causalitatis efficientis, & materialis, adhuc neganda foret consequentia, quia non esset major ratio, cur potius inferri debeat causalitatem efficientis esse in passo, quam causalitatem materialem esse in agente, nam ratione talis identitatis nos quoque hoc secundum inferre possemus.

ARTICULUS V.

Examinatur doctrina cujusdam Recentioris Scotistæ de actione, & Passione.

46 Poncius tractans de actione disp. 17. Log. qu. 3. explicando prædicamentum actionis ab initio cum Doctore 4. d. 13. q. 1. multiplicem affert actionis acceptionem, primo quod potest accipi pro actione vitali, quæ spectat ad prædicamentum qualitatis, non actionis, 2. pro re acta, seu pro effectu qui producitur ab efficiente, & sic etiam non spectat ad hoc prædicamentum, sed ad illa, ad quæ spectat res illa producta, 3. sumitur pro relatione producentis ad productum, quo pacto actio proprie spectat ad prædicamentum ad aliquid, quia est respectus intrinsecus adveniens, 4. sumitur pro respectu educentis ad formam, quæ educitur ab aliquo agente ex potentia alicujus subjecti, 5. pro respectu inducentis ad formam, quam inducit agens in aliquod subjectum, 6. denique sumitur pro respectu transmutantis ad transmutatum, mediante quo agens mutat aliquod subjectum. De actione tertio modo sumpta dicit conditionate spectare ad prædicamentum ad aliquod, si datur, quia disp. 15. de relatione numer. 64. affirmat inter producens, & productum non dari aliquam relationem distinctam ab ipsa actione productiva, & passione ipsi in producto correspondente, quod duplici ratione probat, primo quia nulla potest assignari necessitas alterius alicujus relationis præter ipsam generationem, seu productionem actualem, omnis enim denominatio, quam habet producens ad productum v. g. pater ad filium potest provenire ab ipsa generatione actuali, deinde quia paternitas in divinis est ipsamet generatio actualis filii æterni, ergo paternitas creata est ipsamet generatio filii creati. De aliis vero tribus respectibus a Scoto enumeratis existimat actionem eductivam realiter identificari actioni inductivæ, & actionem transmutativam realiter identificari actioni inductivæ in hoc sensu, quod illa actio, qua transmutatur aliquod subjectum debeat necessario esse actio, qua inducatur aliquid in ipsum, & illa actio qua inducitur in subjectum, debeat necessario esse actio, qua transmutatur, & denique illa actis, qua aliquid educitur ex subjecto, debeat esse, & actio, qua inducitur aliquid in ipsum, & consequenter actio, qua transmutatur illud subjectum; unde quando Scotus videtur distinguere actiones has, existimat, quod debeat intelligi, non de distinctione reali, sed potius de distinctione aliqua formali, vel rationis, vel etiam de distinctione reali in hoc sensu, quod bene possit actio transmutantis aliqua esse distincta realiter ab omni actione eductiva, hoc enim est certum, quoties transmutatur aliqua res per formam, quæ non educitur e potentia ejus.

Hoc autem probat primo, quia si distinguitur realiter actio eductiva a transmutativa, sane transmutativa non potest esse prior, quam eductiva, sed potius e contra eductiva debet esse prior, hoc autem supposito videtur quod relatio transmutantis, seu actio transmutativa sit intrinsecus adveniens, quia sequitur necessario suppositis extremis, & eductione formæ, seu inductione ejus, itaut de potentia Dei absoluta non possit non esse magis quam similitudo duorum alborum supposita eorum coexistentia, sed illa relatio, quæ necessario sequitur positis extremis est intrinsecus adveniens; ergo &c. Deinde quia videtur, quod relatio educentis, aut inducentis sit extrinsecus adveniens, quia illa relatio est intrinsecus adveniens, quæ non sequitur necessario positis extremis, & quibuscumque conditionibus præviis, sed posito calore v. gr. & calefactivo, & omnibus præ requisitis ad eductionem, aut inductionem, non necessario sequitur eductio, aut inductio inter calorem, & calefactivum illud, nam non consequeretur illa inductio, aut eductio, si calor esset eductus ab alio calefactivo, & si esset productus a solo Deo absque subjecto non esset inductio, aut eductio in ullo agente terminata ad illum calorem, ergo tam bene est relatio extrinsecus adveniens, quam unio materiæ ad formam, aut Ubi, quæ secundum Scotum sunt relationes extrinsecus advenientes. Quia vero Doctor palam oppositum docet, quod nempe sint relationes intrinsecus advenientes conatur Poncius ipsum explicare, dicens, cum Scotus ita loquatur intelligendum esse conformiter ad principia alia de productione, unde quemadmodum secundum illa principia causa producens v. gr. homo generans hominem dicit duas productiones diversæ rationis ad rem productam, unam quæ spectat ad prædicamentum actionis, & manet solummodo, vel quamdiu manet res in fieri ab illa causa, vel quamdiu actualiter dependet ab illa causa, & alteram productionem, quæ est de prædicamento ad aliquid, quæ præsupponit priorem, & manet quamdiu extrema illa manent, sive res producta dependeat actualiter a causa, sive non dependeat, ex quibus productionibus prior est relatio extrinsecus adveniens, posterior vero intrinsecus adveniens; ita causa educens, aut inducens dicit duplicem eductionem, aut inductionem, una quæ manet quamdiu res est in fieri, aut actu dependet ab inducente, & altera quæ ad illam sequitur, & manet quamdiu res educta, & educens existunt in rerum natura, sive actu dependet res educta ab educente, sive non; ex quibus prior inductio, aut eductio est relatio extrinsecus adveniens, & de illa procedit discursus præmissus contra doctrinam Scoti, posterior vero est intrinsecus adveniens, & de illa loquitur Scotus; nec contra eam

eam facit ille discursus. An autem re vera sint illæ duæ eductiones, ait Poncius, iisdem rationibus probandum, aut improbandum esse, quibus utuntur Auctores ad probandum, aut improbandum, quod detur paternitas intercedens inter Patrem, & Filium, & sequens necessario ad illos supposita productione unius ab altero.

47 Totus hic Poncii discursus diligenti indiget examine, & in primis quod ait de actione, tertio modo sumpta pro relatione scilicet producentis ad productum, fateor etiam ego valde probabile esse inter producens, & productum non dari alias relationes reales distinctas ad ipsa actione productiva, & passione ipsi in producto correspondente, hoc enim ante ipsum asserui, ac illis eisdem rationibus probavi disp. 8. Log. quæst. 10. art. 2. explicando secundum modum relativorum, quæ de causa dixi ibidem paternitatem, & filiationem in creaturis re vera non importare reales relationes per modum veræ, ac realis dependentiæ unius ab alio, sed potius extrinsecas denominationes desumptas ex actione generativa, quæ in generante præcessit, & passione illi correspondente in genito; & quoad hoc Poncio gratias refero, quod, & meam amplexus sit opinionem, & rationes pro ea, quæ tamen quibusdam aliis Scotistis non vim earum rationum ad sufficientiam expendentibus adhuc placere non potuit, cum interim, nec ad eas rationes respondeant, nec oppositum solida ratione probent, sed tantum ex communi omnium conceptu, qui hactenus præsertim in schola nostra paternitatem, & filiationem etiam in creaturis esse reales relationes de prædicamento ad aliquid incunctanter affirmarunt. Cæterum quod inquit, & disp. 15. citat. num. 66. & disp. 17. num. 20. & 21. actionem sumptam pro relatione producentis ad productum, & passionem ei correspondentem in effectu pertinere ad prædicamentum actionis, & passionis, non autem relationis, hoc est manifeste contra Doctorem, & Arist. nam in 4. loc. cit. d. 13. qu. 1. lit. G. palam docet respectum producentis ad productum, & alium ei correspondentem in effectu, non esse de genere actionis, & passionis, sed relationis, & pertinere ad prædicamentum ad aliquid. Neque valet effugium illud Poncii Doctorem loqui de relationibus producentis, & producti permanentibus, quales communiter censentur paternitas, & filiatio, non autem de transeuntibus cum ipso fieri rerum. Non valet, imo est merum inventum ad eludendam Scoti literam, quæ expresse loquitur de respectu producentis, & producti intervenjente in ipso fieri rerum, legatur Doctor ibidem sub lit. V. in solutione ad quintum principale, ubi distinguit respectus producentis, & producti pertinentes ad fieri rerum a respectibus paternitatis, & filiationis comitantibus rem in facto esse secundum communem opinionem, & respectum producentis, & producti etiam in eo sensu inquit non esse proprie de genere actionis, sed relationis, vana igitur est illa explicatio Doctoris, & ex ipso contextu confutabilis. Tum quia sic etiam loquitur Arist. cum enim 5. Met. cap. 15. enumerat relationes secundi modi ad prædicamentum ad aliquid pertinentes, nedum recenset relationes dependentiæ, quæ rem in facto esse comitantur, veluti quod fecit, ad id, quod factum est, sed etiam relationes actualis dependentiæ pertinentes ad ipsum fieri rerum, & quæ explicantur per tempora de præsenti, ergo neque illa explicatio est ad Arist. mentem.

48 Deinde hoc ipsum etiam ratione probatur, ille namque dicitur respectus intrinsecus adveniens, qui positis extremis necessario consequitur ad ea ex vi præcise positionis illorum nullo alio extrinseco accedente, & per hoc respectus intrinsecus advenientes distinguuntur ab extrinsecus advenientibus, sed etiam, ac ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, consequitur in ambobus extremis, præsertim loquendo in creatis, relatio producti ad producens, *& e contra*, ex Scot. 1. d. 30. G. & d. 35. L. & 43. C. & 2. d. 1. q. 2. E. neque hic rursus suffragari potest evasio illa Ponciana, quod loquatur de respectu dependentiæ producti ad producens permanente in facto esse, quamdiu causa, & causatum permanent, qui præsupponit alium respectum dependentiæ in fieri, nam ibi loquitur Doctor de omnino primo respectu dependentiæ tam activæ, quam passivæ, qui in eodem instanti sequitur, quo effectus dimanat a causa, & cum dicat, quod tales respectus producentis, & producti, causantis, & causati necessario, & indispensabiliter extrema illa consequantur, fatendum est illos respectus non pertinere ad prædicamenta actionis, & passionis, sed relationis. Conf. quia respectus producti ad producens, ut notat Doctor 4. d. 13. q. 1. F. est sicut dependentis ad illud, ad quod dependet, & hoc simpliciter secundum suum esse, sicut simpliciter accipit esse, sed relatio dependentiæ simpliciter, sive activæ, sive passivæ est intrinsecus adveniens, ergo &c. Prob. minor, quia inter effectus a causa secunda pendentes aliqui sunt, qui ab ea essentialiter dependent non solum in fieri, sed etiam in conservari, ut constat de lumine, sono &c. alii vero dependent ab ea solum in eo instanti, quo fiunt, non vero deinceps, quamvis autem aliqua posset esse dubitatio de dependentia effectuum secundi generis, quod non sit intrinsecus adveniens, quia possunt extrema permanere in rerum natura sine tali relatione, nempe post primam omnino productionem, tamen de effectibus primi generis nullus videtur dubitandi locus, non enim dari potest lumen, quod a corpore luminoso non dependeat, ergo talis dependentia est relatio intrinsecus adveniens, quia necessario consequitur extrema illa in esse posita, & necessario inter ea versatur, neque dicas talem dependentiam esse lumini realiter identificatam quia certum est tale lumen posse a solo Deo conservari destructo corpore luminoso, ergo talis dependentia tam passiva ex parte luminis, quam activa ex parte corporis luminosi est relatio prædicamentalis, non transcendentalis, & cum sequatur necessario extrema in esse posita, erit relatio intrinsecus, non autem extrinsecus adveniens; sed, & quod eriam talis sit relatio dependentiæ effectuum secundi generis, qui solum in fieri a causa secunda dependent, ostendi disp. 8. Log. qu. 20. art. 2. explicando secundum modum relativorum. Quod autem dixi de respectu productionis, hoc idem quoque affirmo de respectu eductionis, cum hæc quoque sit quædam productio, & dependentiam in esse simpliciter importet, ut mox ex Doctore subiiciam.

49 Ex hoc infertur falsum esse aliud Poncii dictum, quod nimirum actio eductiva, vel inductiva, ac transmutativa sint realiter identificatæ, & eumdem important respectum, sunt quidem actiones regulariter inter se connexæ, non tamen realiter identificatæ, quia actio transmutativa est respectus extrinsecus adveniens, eductio autem, vel inductio intrinsecus adveniens, quod præsertim de eductione omnino negari non potest, cum sit quidam respectus productionis, & dependentiæ; dixi autem regulariter esse actiones inter se connexas, quia absolute loquendo dari posset eductio formæ e subjecto absque ejus transmutatione, si privatio in eo non præcessisset duratione formam, quod necessarium esse ad transmutationem pluribus ostendi contra Poncium disp. 15. Phys. qu. 2. Hoc etiam nedum asserit, sed & strenue probat Doctor ipse loc. cit. 4. d. 13. q. 1. F. ubi ait agens creatum habere respectum ad terminum primum, sive totalem, qui dicitur productum, & ad terminum, qui dicitur forma educta, vel inducta, & ad subjectum illius formæ, quod est passum, vel transmutatum. Quod autem isti respectus sint alii, & alii, probat Doctor, quia sunt ad alios, & alios terminos. Tum quia respectus correspondentes e converso sunt omnino alii, & alii, respectus enim producti ad producens est, sicut dependentis ad illud, ad quod dependet, & hoc simpliciter secundum suum esse, sicut simpliciter accipit esse, respectus autem transmutabilis ad transmutantem non est simpliciter dependentis secundum esse, transmutabile enim secundum suum esse simpliciter concurrit cum agente, ut causa, nec accipit simpliciter esse ab ipso, sed tantum accipit esse secundum formam, quæ inducitur. Respectus etiam producti, & educti, patet quod sunt alii, etsi uterque sit dependentis a producente, quia illud primo dependet, quod primo accipit esse, & hoc est productum, illud secundario, vel per accidens dependet, quod secundario accipit esse, & hoc est, vel eductum, vel inductum, ita probat Doct. realem distinctionem horum respectuum, quas probationes non adducit Poncius.

50 Neque duæ rationes a Poncio adductæ ad oppositum probandum sunt convincentes. Ad 1. Vallo tract. Formalit. in explicatione divisionis respectuum in intrinsecus, & extrinsecus advenientium, ut hanc evitaret difficultatem, negat respectum producentis ad productum, & educentis ad eductum præcedere respectum agentis ad passum, sed ait rem e contra se habere, quem sequitur Aretin. tract. Formalit. ibidem, quam doctrinam rejeci disp. 8. Log. qu. 8. in solutione ad primum, & disp. 7. Physic. qu. 3. quia nequit subjectum pati, & transmutari, nisi per formam in ipso receptam, & productam, si ergo passio supponit necessario respectum educentis, ac producentis ad eductum, vel productum, consequenter etiam & actio, cum sit simul natura cum passione. Verum tamen est, quod si prædicti Auctores loquuntur de toto producto, sive per se, sive per accidens, ut de respectu ignis producentis aquam calidam, & non calorem solum, concedi potest actionem subjecti transmutativam præcedere productivam totius, prius namque intelligitur agens aquam transmutare per calorem inductum, quam aqua intelligatur producta in esse calidi, sed loquendo de productione termini formalis s. caloris ejusque adductione e subjecto, certum est in hoc sensu ob rationem allatam actionem productivam, & eductivam præcedere transmutative; cum autem Poncius infert tunc sequi, quod relatio transmutantis, seu actio transmutativa sit intrinsecus adveniens, quia sequitur necessario suppositis extremis, & eductione formæ, seu inductione ejus, ad hoc jam dixi disp. 8. Log. quæst. 8. ad 1. cum Lich. quol. 11. in solutione ad instantias contra 4. dictum etiam relationes extrinsecus advenientes interdum necessario insurgere positis aliquibus præter fundamentum, & terminum, sic posita materia, & forma non necessario sequitur unio, sed posita forma in materia, necessario sequitur, positis corpore, & loco non necessario sequitur Ubi, sed posito corpore in loco, sequitur necessario; sic igitur in proposito posito igne, & aqua non necessario sequitur actio ignis in aquam, sed inducta caliditate in aqua, sequitur necessario actio ignis in aquam, sed non idcirco talis actio est relatio intrinsecus adveniens, quia necessitas ortus ejus non ex eodem capite procedit, a quo est necessitas ortus relationis intrinsecus advenientis, quia necessitas hujus v. gr. similitudinis oritur ex natura extremorum, & oritur ab extremis absolute inspectis, non sic necessitas actionis, unionis, & ubi in prædictis casibus; sed necessitas eorum procedit ab aliquo extrinseco, quod rationem non habet nec fundamenti, nec termini, & ita se habet in proposito inductio, vel eductio formæ antecedenter ad actionem, quod non est, nec fundamentum ejus, neque ratio fundandi, ut ibi explicatum est.

51 Ad aliam rationem posset negari major in sensu jam declara-

clarato; interdum enim positis aliquibus præter fundamentum, & terminum, ut ait Lichet. cit. potest relatio extrinsecus adveniens necessario resultare inter extrema, sed absolute neganda est minor, nam respectus eductionis necessario sequitur ad calorem in subjecto, vel e subjecto productum, neque probatio est ad propositum, quia terminus eductionis non est calor, vel quælibet alia forma absolute inspecta, sic enim est terminus productionis, non eductionis, sed est forma producta in materia, & subjecto, licet autem ad formam productam, ut sic, *non necessario* sequatur respectus eductionis, quia potest esse a Deo producta extra subjectum, ut dicitur in argumento, tamen sequitur necessario ad formam productam in subjecto, adeoit implicet formam esse in subjecto, aut e subjecto productam, & non dicere respectum eductionis ad ducentem, atque ideo eductio est respectus intrinsecus advenien̄s, ut ait expresse Doctor, qui nullo pacto respicit explicationem, quam Poncius subdit, dum inquit causam educentem duplicem dicere eductionem, vel inductionem, unam quæ comitatur rem in fieri; aliam in facto esse, & quasi in esse quieto, & de hac Doctorem esse locutum, cum eam dicit esse respectum intrinsecus advenientem. Non, inquam, valet explicatio ista, quia ut constat ex dictis loquitur Doctor etiam de productione, & eductione, quæ comitatur rem in fieri, & non in facto esse tantum, tum quia non in omnibus effectibus datur alia dependentia a causa secunda præter illam, quam fundant, cum actu ab ea producuntur; tum tandem quia in illis effectibus, in quibus utraque illa dependentia reperitur tam scilicet in fieri, quam in facto esse, seu conservari, ejusdem rationis sunt prima rei productio, & ejusdem conservatio, ut dictum est disp. 7. Physic. quæst. 3. art. 3. num. 44. atque ideo etiamsi in omnibus *effectibus* admitteretur illa duplex productio, vel eductio, quam Poncius comminiscitur, de utrisque idem judicium ferri deberet, quod nempe sint, vel non sint respectus intrinsecus advenientes, vel extrinsecus.

Secundo principaliter Poncius in eadem quæst. 3. cit. nu. 22. explicat definitionem actionis traditam ab Auctore *sex principiorum*, quod sit illa *secundum quam in id, quod subjicitur, agere dicimur*, & ait secundum Doctorem hanc definitionem esse bonam, non tamen comprehendere omnem omnino respectum, qui spectat ad hoc prædicamentum, sed prout comprehendit omnem actionem causæ efficientis, ut efficiens est. Ratio autem cur non admittat eam, ut comprehendentem omnem respectum hujus prædicamenti, est, quia informatio quasi activa causæ formalis, a qua dicitur actu conformare subjectum, spectat ad hoc prædicamentum, neque enim potest assignari aliud prædicamentum, ad quod spectet, & tamen non convenit ipsi proprie loquendo prædicta definitio, quia non est verum proprie loquendo, quod forma agat in materiam, sola enim causa efficiens dicitur proprie loquendo agere, ex usu Philosophorum, similiter concursus materiæ, quo influit materialiter in formam, quæ ex potentia ejus educitur, spectat ad hoc prædicamentum, & tamen propter eamdem rationem non convenit ipsi prædicta definitio proprie loquendo. Ratio autem cur Scotus admittit prædictam definitionem, ut comprehendentem omnes actiones causarum efficientium spectantes ad hoc prædicamentum, est, quod omnibus, & solis *illis* conveniat proprie loquendo, omnis enim, & sola causa efficiens actione hujus prædicamenti agit in id, quod subiicitur.

Addit proinde *inferius* num. 25. quod si quis velit actionem definire, ut comprehendentem omne illud, quod spectat ad hoc prædicamentum, posse explicari, quod sit accidens, quo mediante formaliter aliquid communicat esse alteri; abstrahendo a modo, quo communicat illud esse, sive scilicet id fiat per receptionem, sive per informationem, aut inhæsionem, sive sine receptione, aut inhæsione, aut informatione, & hanc descriptionem probat esse bonam, quia omni, & soli actioni hujus prædicamenti *convenit*, *convenit enim* influxui, quo materia dat esse formæ, & informationi, qua forma informat materiam dando seipsam illi, & influxui quo efficiens producit quemcumque effectum, quem producit mediante accidente, sive illud producat transmutando, sive sine transmutatione. Actionem autem causæ efficientis, ut sic describit esse accidens, a quo actualiter denominatur producere aliquid, aut dare ipsi esse absque receptione, aut informatione ejus, aut inhæsione in ipso; quæ particulæ addun̄tur, ut causalitas efficientis distinguatur a causalitate causæ materialis, & formalis.

52 Totam rursus hanc doctrinam, quam tradit Poncius, ut de mente Scoti loc. sæpe citat. scilicet 4. dist. 13. quæst. 1. ego ibidem non reperio, immo potius oppositum, ait enim sub ea definitione comprehendi omnem actionem de prædicamento actionis, non autem omnem actionem causæ efficientis, & rationem adducit, quia causa efficiens sicut ad duo comparari potest, nimirum ad effectum productum, & ad subjectum transmutatum, ita considerari potest, vel in ratione producentis, vel in ratione transmutantis, ita quod duplex actio convenit efficienti, ut sic actio productiva, & actio transmutativa, cum ergo sola actio transmutativa per eam definitionem explicetur, & ad hoc prædicamentum pertineat, productiva vero ad genus relationis, ut sæpe ibi Doct. inculcat, falsum est sub ea definitione comprehendi omnem actionem causæ efficientis, ut efficiens est. Tum quia admisso etiam actionem productivam sub hoc prædicamento contineri, adhuc tamen falsum est per eam definitionem explicari actionem productivam, *quia per eam definitionem sola exprimitur* habitudo agentis ad passum, & subjectum transmutatum, ut Doctor explicat, non autem ad effectum productum, neque enim agens dicitur agere in effectum, sed in subjectum, & passum, quod ejus actioni subiicitur recipiendo formam in ipso productam, *sive id contingat* cum mutatione subjecti, sive non, quod ideo dico, quia licet regulariter loquendo actio, & passio contingant cum transmutatione subjecti, tamen absolute loquendo potest forma *induci in subjectum*, quod duratione non præcesserit formam sub privatione, quo casu daretur actio, & passio sine transmutatione subjecti proprie dicta. Rursus neque ibidem ait Doctor definitionem Poncianam actionis non omnem respectum hujus prædicamenti explicare, quia non convenit informationi activæ formæ, quæ tamen non ad aliud prædicamentum præter hoc spectare potest, nec convenit concursui materiæ, quo influit in formam, nihil horum, inquam, habet Doctor loco cit. & falsum est concursum materiæ in formam ad hoc spectare prædicamentum, quia causalitas, ut sic, ut importaret verum influxum in effectum, est relatio intrinsecus adveniens, atque ideo directe spectat ad prædicamentum relationis, & pertinet ad secundum modum relativorum; informatio *vero activa formæ*, cum non importet veram causalitatem alicujus distincti effectus, sed solam sui ipsius exhibitionem, & communicationem materiæ, non spectat neque ad hoc prædicamentum actionis, nec relationis, sed habitus, ut dictum est disp. 8. Log. quæst. 12. art. 2. in explicatione illius prædicamenti, sicut etiam e contra informatio passiva sumpta pro simplici habitione, & receptione formæ præscindendo ab agente, ad idem spectat prædicamentum habitus, non autem passionis. Solum dubitative illud insinuavit Doctor 4. d. 12. quæst. 1. C. quærens enim ibi ad quod genus pertineat informatio activa, & passiva formæ respondet, vide si forte ad genus passionis, ut sic passio dicat non tantum respectum passi ad agens, sed ad formam, vel si forte ad genus actionis, ut sic, actio dicat non tantum respectum agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud, quod informatur, unde cum Doctor ibi dubitative loquatur, nil certi inde haberi potest, sed standum est resolutioni daræ loc. cit. in Logica.

Neque etiam definitio actionis a Poncio data, ut omnem actionem ad hoc prædicamentum spectantem comprehendat, satis idonea est, nam illi falso innititur fundamento Thomistico, quod actio productiva termini sub hoc contineatur prædicamento, quod *millies* negat Doctor loc. cit. quia talis actio, cum sit relatio intrinsecus adveniens, spectat ad prædicamentum relationis, non autem ad prædicamentum actionis, quod importat solum respectum extrinsecus advenientem; sola ergo actio transmutativa passi, & quæ illi communicat esse quoddam secundum quid secundum formam, quæ inducitur, ad prædicamentum actionis spectat, illudque constituit, aliæ vero actiones, quibus communicatur esse simpliciter ad genus attinent *relationis*, & hæc est vera, & germana Doctoris sententia, ut suis locis ostendimus tum in Logica, tum in Physica, unde qui volunt actiones vere productivas in hoc prædicamento reponere, plane non loquuntur Scorice, sed Thomistice, & ideo frustra laborat Poncius ampliando definitionem actionis, ut omnes actiones, quomodocumque communicativas esse alteri sub hoc comprehendat prædicamento, quia non omnes tales actiones ad hoc prædicamentum spectant.

53 Tertio *idem* Auctor eadem quæst. a numer. 26. quærit, an actio sit aliquid medium inter efficiens, & effectum, & respondet conclusione prima quod quotiescumque causa aliqua producit aliquem effectum, qui non potest ab ulla alia causa produci, tunc non datur actio media inter causam, & effectum, quia si esset aliqua necessitas, *maxime* ut haberetur denominatio nova producentis in causa, & productio in effectu, sed ad hoc non est necesse, ut ponatur aliquid tale, potest enim dici, quod causa denominetur produci ab ipsomet effectu, qui seipso egreditur a tali causa, quod probat, quia in sententia admittente actionem mediam inter causam, & effectum, licet dicatur de novo illa causa, quod sit causa, a qua egreditur illa actio, & de actione quod sit egrediens actu ab illa causa, non tamen ponitur aliquid medium inter causam, & actionem, & ratio, quare non ponitur aliquid medium, est, quia actio illa non potest esse, nisi a tali causa; quod si potuisset, nulla esset ratio, quare non poneretur aliquid medium inter illam, & causam tam bene, quam ipsamet ponitur inter causam, & effectum per ipsam productum, ergo quoties effectus progredi nequit, nisi ab una causa determinata, tunc nulla mediat actio inter causam, & effectum, sed denominationes *omnes* provenire poterunt ab *ipsamet* causa, & effectu. Deinde addit concl. 3. quod quando causa secunda producit aliquem effectum, qui posset ab alia causa sine ipsa produci, tunc requiri actionem mediam, ut dicatur formaliter producere illum; quod probat, quia nequit dari denominatio realis absque forma denominante reali, quæ sit causa talis novæ denominationis, sed absque aliquo intermedio inter causam, & effectum, non daretur una causa, unde orirentur illæ denominationes causantis, & causari, ergo &c. Probatur minor quia illa denominatio causantis in igne v. gr. causante calorem, non provenit ab ipso igne, nec a calore, nec ab utroque solo, nec ab utroque simul, & respectu ad non esse immediate præcedens, fundato in calore, quia omnia illa possunt esse absque illa denominatione, in casu scilicet quo calor productus ab uno

uno igne non esset productus ab *illo*, *sed* ab *alio igne*, sed nihil aliud potest assignari, quod sit causa istius denominationis, nisi assignetur aliquid intermedium distinctum realiter ab *omnibus illis*, ergo nisi assignetur tale quid, non poterit dari causa istius denominationis realis.

Confirmatur, quia impossibile est aliquid præsertim finitum transire de novo, a contradictorio in contradictorium absque aliqua mutatione intrinseca, vel extrinseca, sed ignis quando producit calorem transit a non esse producens ad esse producens, ergo debet dari aliquid de novo, ratione cujus ignis dicatur de novo producens, sed ex dictis nihil assignari potest nisi aliquid *intermedium* ponatur distinctum ab igne, & calore etiam simul sumptis, & posito respectu ad non esse immediate præcedens, ergo necessario est aliquid tale admittendum, & concludit hoc esse actionem ipsam, quam re vera mediare asserit inter causam, & effectum, veluti via ad ipsum, & hic est communis dicendi modus *omnium* Recentiorum.

Hæc rursus Poncii doctrina matura indiget discussione, quamvis enim quod in conclusionibus habet, sit verum, non tamen videtur recte probatum; verum est utique quod habet in prima conclusione non dari actionem mediam inter causam, & effectum, qui ab ea ita determinate *procedit*, ut nequeat ab alia produci, id tamen non est ob rationem ab ipso assignatam, aut saltim illa non est ratio a priori, ut postea constabit num. 57. unde ad eam rationem posset negari minor, scilicet quod in casu illius conclusionis non sit necessaria actio media, unde sumatur in causa nova denominatio causantis, cumque probat illam minorem exemplo actionis, quæ seipsa ab agente dimanare dicitur, & nulla alia media actione produci, atque ideo concludit idem pariter dici posse de effectu in casu conclusionis; posset rursus negari paritas, quia relatio actionis, & productionis est formalitas, & modus a natura institutus ad denominandum aliquid formaliter causans, atque ideo in eo denominandi ordine est ita quo, ut non possit esse quod, ut dictum est disp. 7. Phys. qu. 2. at de effectu etiam a determinata causa procedente id affirmare non licet, quia est entitas nata produci, & talis denominationis formaliter susceptiva; Rursus licet etiam verum sit, quod asserit in alia conclusione, nempe requri actionem mediam inter causam, & effectum, qui ab alia produci potest, adhuc tamen ejus conclusionis probatio non videtur recte procedere, imo directe videtur destruere probationem primæ conclusionis, si namque est necessaria actio media, ut ab ea sumatur denominatio realis causæ, eadem quoque necessitas erit in casu primæ conclusionis, vel si ea necessitas ibi suppleri potest absque actione media, poterit etiam suppleri in casu alterius conclusionis. Quod adhuc magis evidenter ostenditur ex confirmatione, quam adducit pro illa conclusione; si enim impossibile est aliquid finitum denominari causans absque actione media, quia non sit transitus a contradictorio in contradictorium sine mutatione, sane hæc ratio urget tam in casu primæ, quam alterius conclusionis, si nimirum supponatur aliquem effectum oriri determinate ab aliqua causa secunda, ita quod nequeat ab alia produci, ut asserunt Thomistæ de actibus vitalibus, qui necessario procedunt a potentia vitali.

54 Deinde absolute falsum est, quod ait, cum *necessaria* est actio distincta ab entitate effectus, per quam ipse producatur, tunc revera actionem mediare inter causam & effectum, hoc enim directe Scoto repugnat 1. d. 3. G. & d. 35. L. & 43. C. & 2. d. 1. q. 2. E. ubi ait ad absolutum in causa sequi immediate absolutum in effectu, & quod nos fallit imaginatio, dum putamus relationem causalitatis mediare, veluti viam inter causam, & effectum quia re vera sequitur, sicut universaliter nulla relatio ponitur, nisi positis extremis, cum ergo Poncius concedat cum aliis Scotistis actionem dicere formaliter relationem, tenetur consequenter concedere hanc non præcedere suum terminum, imo potius *consequi*; unde magis consequenter loquitur Poncius, quam faciant Recentiores, isti namque actionem dicunt revera mediare, veluti viam inter causam, & effectum, quia ponunt illum esse quid absolutum, & ad summum transcendentaliter relativum, si namque relationem esse dixissent, sane non affirmassent præcedere terminum suum, quia relatio præsupponit extrema, inter quæ versatur.

Respondet Poncius numer. 42. respectum, per quem producitur fundamentum, vel terminus, non esse illis posteriorem, actio autem est respectus, quo producitur suus terminus, & proterea non debet esse posterior ipso, & ait hanc responsionem miram videri non debere, quia similis datur communiter in alia materia, quando enim dicitur quod paternitas non possit esse generatio, qua producitur filius æternus, quia paternitas cum sit relatio Patris ad filium, debet præsupponere ipsum filium, respondetur communiter non omnem debere relationem præsupponere suum terminum, sed solas illas, quibus non producuntur termini; Et inquit hoc præsertim in proposito de actione asserendum esse, quia non requitur actio, nisi ut effectus ponatur in fieri, quare si effectus intelligeretur in fieri antecedentur ad illum respectum, ille respectus nequit esse actio, immo frustra *omnino* ponitur. Ad auctoritatem vero Scot. cit. ait eum sic intelligendum, ut velit non necessario prærequiri ad hoc ut effectus producatur aliquod absolutum ex parte causæ, quod sit actio, quia ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu, cum quo tamen stat, quo præsupponi posset, & deberet aliquis respectus, & quando dicit, quod respectus sequuntur, loquitur de respectibus intrinsecus advenientibus, qui non transeunt, sed permanent quamdiu manent extrema.

55 Hanc tamen solutionem, hasque portentosas relationes *termino* non indigentes jam confutavi d. 5. Phys. qu. 2. nam & tales relationes ante Poncium aliqui Scotistæ excogitarunt, quæ terminos præcedant, velut via acquisitiva illorum, nullus tamen præter Poncium unquam admisit relationem, quæ suum præcedat fundamentum, imo & per quam suum fundamentum accipiat esse, qualem hic Auctor comminiscitur in allata solutione, nam relationes ex fundamento, aut in fundamento oriri dicuntur, non autem fundamenta ex relationibus; ideoque hæc responsio tam mira esse debet, quam *monstruosum* esset dicere aliquam relationem suum fundamentum præcedere, ac etiam producere; & omnino falsum est ad illam difficultatem de paternitate in divinis eo modo responderi, respondent enim omnes cum Scoto 4. d. 13. qu. 1. lit. S. quod licet paternitas sit simul natura cum filiatione, & Pater simul natura cum *filio*, adhuc tamen stat, quod Pater sit prior origine filio, quia licet relativa sint simul natura, prout si multas dicit non posse *esse sine invicem*, tamen cum hoc stat prioritas originis quæ nihil aliud dicit, nisi a quo est aliud; Imo Doct. in ea q. arguendo pro prima opinione quarto loco adducit argumentum, quod *præ* manibus habemus, quo probat actionem non esse solam relationem ad productum, quia tunc esset omnino simul cum ipso, & non prior, nec haberet rationem causæ; deinde inferius lit. S. in hæc verba respondet; Ad 4. cum dicitur quod relativum non est causa sui correlativi, istud argumentum est contra omnem opinionem, nisi forte ponentem personas absolutas, si enim omnes catholici concedunt ibi originem, concedunt etiam ibi principiationem personæ ad personam, *vel oportet* dicere, quod relativum sit principium sui correlativi, vel oportet dicere, quod prima persona principians sit absoluta a relatione ad secundam; est ergo responsio, subdit Doct. quam dixi lib. 1. d. 28. q. 3. quod licet relativa sint simul natura, tamen cum hoc stat prioritas originis; si autem vera foret doctrina Poncii de illis relationibus, quæ terminum non præsupponunt, sed ipsum antecedunt, breviter poterat Doct. ab illa difficultate se extricare dicendo actionem, & productionem esse de numero illarum relationum, quæ terminum præcedunt; verum quia hæc doctrina omnino falsa est, & Doctori fuit semper ignota, illam solutionem non adhibet, imo insinuando solutionem argumenti etiam juxta alias vias, solutionem Poncii quam tamen dicit esse communem, non commemorat, eo quia (videri meo) in nulla via nec Scotistarum, nec Thomistarum portentosæ illæ relationes terminum præcedentes, vel fundamentum admitti possunt.

Glossa vero, quam affert Poncius ad Scoti auctoritatem, an sit idonea ex ipso contextu conjectari potest, cum enim ait ad absolutum in causa sequi immediate absolutum in effectu 2. d. 1. q. 2. D. præsertim excludere intendit aliquem respectum in causa præcedentem effectum; inquit enim, & quando arguitur contra istud per illam relationem, quod oportet habitudinem novam aliquam naturaliter præcedere in producente ad productum, dico sicut dictum est dist. 35. 1. & alias frequenter, quod ad absolutum in causa immediate sequitur absolutum in effectu; & rursus infra subdit; Cum igitur dicis, quod quia causa *dat* esse, ideo effectus recipit esse, & non e converso, dico quod si intendas per ly *quia* reduplicationem relationis in causa, vel aliquam realitatem novam in causa, sive relativam, *sive* absolutam, propositio falsa est &c. quo igitur pacto inquit Poncius Doctorem ibi excludere dumtaxat aliquod absolutum ex parte causæ præcedens, *non tamen* aliquem respectum? certe aut Doctorem non vidit, aut Doctorem vult eludere; quo autem modo effectus dicatur media actione produci, & quo pacto, etiam actio pro respectu sumpta formaliter sit necessaria in ratione formæ denominantis, ut agens dicatur formaliter producens, jam explicatum est supra n. 39.

56 Sed ex alio quoque capite convincitur actionem pro respectu sumptam effectum comitari debere, non vero præcedere, quia in eodem instanti debet esse actio, & passio, cum sint correlationes, & ideo simul natura, sed passio est posterior effectu, cum in ejus entitate fundetur, & subjectetur, ergo etiam, & actio, alias esset prior passione. Resp. Poncius sistendo in eodem principio, negando minorem, quia non omne, quod subjectatur in subjecto aliquo, est posterius natura ipso, *sed solum quæ* subjectantur in ipso, & non sunt rationes formales ponendi ipsum in esse sive essentiæ, sive existentiæ, passio autem est ratio formalis ponendi terminum actionis existentem actu. Contra, quia nuper cum arguebatur de actione, concedebat relationem præcedentem suum terminum, & nunc loquendo de passione concedit relationem, quæ suum præcedat fundamentum, imo, & quod per ipsam constituatur in esse, quod adhuc est majus inconveniens; Tum quia *subjectum est causa materialis* omnis formæ accidentalis tam absolutæ, quam relativæ, quæ in ipso recipitur, & ex ejus potentia educitur, ergo debet esse prius natura omni tali forma, & consequenter passione, quæ in passo, seu effectu producto fundatur. Mirabilia plane effutit Poncius, ut hoc argumentum *dissolvat*, nam negat passum, vel effectum productum esse causam materialem passionis, & passionem ex ejus potentia deduci; sed certe si non accipit esse passio per *creationem* extra subjectum, opus est ut accipiat per eductionem: neque ad evitandam creationem sufficit dependentia a subjecto, tanquam a posteriori, sed debet esse a priori, ergo passio si non creatur, in passo producitur & dependenter ab illo, velut a priori, tanquam a causa materiali.

Unde tandem Poncius hac ratione convictus, & consternatus concludit, quod si dependentia a subjecto, tanquam a posteriori non sufficit ad impediendam creationem, propter hanc replicam potius dicendum est, quod non detur passio aliqua realiter distincta ab actione, sed quod eadem actio, quæ est in agente, denominet, & agens agere, & effectum produci, sicut eadem volitio denominat voluntatem volentem, & objectum volitum, & sicut eadem unio denominat naturam humanam unitam Verbo, & Verbum unitum naturæ.

Verum actionem, & passionem respectus importare nedum realiter distinctos, sed etiam oppositos docet manifeste Scotus loco sæpe citato, & ostendam art. seq. unde nihil absurdius concedere poterat, quam actionem, & passionem eundem importare respectum; & certe valde minus absurdum mihi videtur admittere, quod actio subjecteturin passo, quam concedere actionem & passionem esse eundem realiter respectum. Neque valet paritas assumpta de volitione eadem denominante voluntatem volentem & objectum volitum, quia ut ait Doctor qu. 13. & alibi sæpe volitio, aliæque vitales actiones, ut intellectio, visio &c. non sunt actiones vere, & proprie dictæ, sed grammaticaliter tantum, & secundum vocem, & ideo opus non est, ut eis vera passio correspondeat ex parte objecti, sicut opus est in proposito, ex parte effectus, in has autem angustias Poncius incidit, ut salvet actionem etiam pro respectu sumptam præcedere effectum, quia est causalitas ejus, piaculum enim ei videtur, & doctarum aurium offensivum, quod actio, qua dicitur effectus produci, ipsum comitetur, & sequatur, cum tamen postea ipse concedat subjectum passionis, quod est entitas effectus, ipsam passionem consequi, cujus est causa materialis, quod sane majus absurdum est; quia cum dicimus effectum per actionem produci, hoc intelligitur tantum in ratione formæ denominantis, ut Doctor monuit 4. d. 13. qu. 1. P. non autem in ratione formæ vere activæ, quia relatio non est de genere activorum; sed cum dicimus subjectum esse causam materialem formæ accidentalis in ipso receptæ, ex ejus potentia eductæ, sermo est de vera, & physica causalitate.

57 Regula autem dignoscendi, quando actio, vel passio distinguitur ab effectu producto realiter, vel ut alii dicunt, modaliter, est hæc, quod si effectus ita procedit a causa, ut nequeat habere esse nisi per habitudinem ad illam, & sine tali habitudine existere nequeat, tunc actio est cum ipso effectu identificata; si vero potest esse in rerum natura absque tali habitudine, nimirum quia potest ab alia causa produci, tunc censendum est actionem, vel passionem esse ab ipso effectu realiter, vel modaliter distinctam, quia nimirum effectus esse potest sine habitudine ad talem causam, & cum habitudine ad aliam. Ratio a priori est, quia certissimum signum realis distinctionis inter aliqua duo est separatio possibilis inter illa, & ideo quando fundamentum esse potest sine aliqua relatione, inditium est distingui ab ea realiter, quando autem ab ea separari nequit, inditium e contra est realis identitatis, præsertim si talis impossibilitas provenit ab intrinseco, ut explicatum est disp. 8. Log. qu. 2. & ideo ajebat Doctor 2. d. 2. q. 2. §. *contra istud*, & 3. disp. 1. q. 1. K. & 4. disp. 12. q. 1. I. & alibi, quod omnis illa relatio est eadem fundamento, sine qua fundamentum implicat esse ab intrinseco; ergo quando effectus ita est ab una causa, ut idem numero potuit quoque esse ab alia causa vel saltim post fieri, conservatur absque ulteriori ejus influxu, tunc realiter distinguitur ab actione productiva, per quam accipit esse, & tunc dicitur dependere a tali causa media actione supraddita, non autem ita immediate seipso, & per essentiam suam; quando autem effectus ita determinate pendet ab aliqua causa, ut sine habitudine ad illam existere nequeat, tunc realiter identificatur cum actione, & seipso immediate dependet a tali causa, non autem per superadditam actionem distinctam realiter ab entitate effectus. Potest hoc declarari ex Scoto 4. disp. 12. qu. 1. I. exemplo illarum formarum, quæ a suo subjecto dependent absque alia inhærentia media ab ipsis distincta, sed immediate per suam entitatem, ut generatim dici solet de omnibus entitatibus modalibus, sicut enim invenitur in genere causæ materialis aliqua forma sic necessario suo affixa subjecto, ut sine illo existere nequeat; ita in genere causæ efficientis contingere potest, ut aliquis effectus tam necessario semper actu a sua causa dependeat, quod prorsus esse non possit absque actuali continua dependentia ab ea, & ita se habent effectus omnes creati respectu Dei, ideoque dependentia illorum ad causam primam dicitur esse illis realiter identificata.

58 Quarto tandem Poncius disputatione illa 17. Logica qu. 4. de passione discurrit servata proportione, & oppositione, sicut antea de actione, atque ideo eodem modo reticienda est doctrina, quam tradit de passione, sicut rejecta est doctrina ab ipso tradita de actione: neque in hoc est amplius immorandum: solum est advertendum, quod in ea quæst. 4. concl. 3. unionem subjecti ad formam reponit in prædicamento passionis, illamque describit esse respectum extrinsecus advenientem, per quem subjectum movetur ab efficiente ad aliquam formam. Verum, quamvis certum sit unionem subjecti ad formam importare respectum extrinsecus advenientem, falsum est nihilominus spectare ad prædicamentum passionis, & dicere respectum, per quem subjectum movetur ab efficiente ad formam, unio namque formalis, qua ipsa extrema uniri dicuntur, pro extremis habet solummodo subjectum, & formam, & omnino ab agente præscindit, unde diversa est a receptione, quæ ponitur in prædicamento passionis, & respicit agens, a quo subjectum formam recipit, quæ quidem distinctio sufficienter colligitur ex diversis earum formalibus effectibus, quia a passione ver. grat. dicitur subjectum calefactum, per quod significatur habitudo ad agens, sed ab unione formali caloris cum subjecto dicitur subjectum, non calefactum, sed calidum, in qua denominatione sola exprimitur informatio, & receptio, non autem passio, quia cum passio sit actus hujus ab hoc, non dicit receptionem formæ quocumque modo, sed ut est in fieri ex vi agentis, unio autem denominat in facto esse, ac in esse quieto absque ullo respectu ad agens, qua de causa d. 8. log. qu. 12. art. 2. dictum est unionem formalem non spectare ad prædicamentum passionis, sed habitus.

ARTICULUS VI.

Quomodo Actio, & Passio distinguantur.

59 NOnnihil etiam de hoc dictum est disp. 7. Phys. cit. cæterum quia non ex instituto hanc difficultatem ibi tractavimus, non erit abs re eam nunc breviter resolvere. Communis sententia extra nostram scholam actionem, & passionem non distinguit realiter, sed tantum formaliter, quemadmodum Ar. significat 3. Phys. tex. 18. & seq. & D. Thom. 1. p. q. 28. art. 3. ad 1. quem sequitur Suarez disp. 49. Metaph. sec. 1. cum tota Recentiorum caterva asserentium actionem, & passionem eandem prorsus importare entitatem sub diversa solum formalitate, ut Ar. perspicue explicuit exemplo viæ, nam eadem est via (inquit) quæ ducit Thebis Athenas, & Athenis Tebas, sic eadem est via ab agente in passum, & a passo in agens, & idem egressus videtur esse, per quem agens egreditur in effectum, & per quem effectus egreditur ab agente, imo Hurtad. d. 16. Met. sec. 4. n. 29. negat etiam distingui formaliter, ait enim eisdem rationibus utrumque pariter impugnari: loquuntur autem de actione in ratione productionis præsertim, ut ex eorum argumentis constabit.

Oppositam sententiam docent Scotus, & Aureol. loc. cit. & quidem ex principiis nostris sequitur evidenter, statuto enim semel quod sint respectus reales, & non rationis, & quod actio in agente subjecteturpassio vero in patiente, sequitur quod inter se realiter distinguantur, & prædicamenta constituant realiter distincta, consequentia patet, ob id enim paternitas, & filiatio censentur relationes ab invicem realiter distinctæ, quia sunt in subjectis realiter distinctis, sed quando etiam actio subjecteturin passo, non ob id statim judicium ferri deberet, quod actio & passio eundem dicant respectum, & eamdem importent entitatem, quia in eodem subjecto, & super idem fundamentum possunt fundari, & subjectari relationes realiter distinctæ, si nimirum ad terminos realiter abinvicem distinctos referantur; unde minus congrue ex hoc, quod actio sit in passo, velut in subjecto, inferunt aliqui realem identitatem inter ipsos, neque enim ex hoc, quod accidentia sive absoluta, sive respectiva idem habent subjectum, inferri debet realis identitas inter illa, sed tantum quod sint idem subjecto. Neque oppositum deducitur ex Ar. loco citato, quia, ut notat Aureol. loquitur ibi de via, seu spatio absoluto, quod est inter duo loca, illud enim idem est inter superius, & inferius, & e converso, sed si accipiatur via non absoluta per modum cujusdam intervalli, variabitur via, ut Comm. exponit ibidem, a superiori enim ad inferius dicitur descensus, & ab inferiori ad superius ascensus, sic idem in proposito est de actione, & passione. Sed alio adhuc modo, & clarius explicat Doct. illum textum, & Ar. dictum de via Thebis Athenas, & e contra in 4. d. 13. citato q. 1. lit. L. ait enim, quod via ibi non accipitur pro ipso spatio, seu magnitudine, super quam fit motus, sed pro ipso motu hinc illuc, & e converso, ut patet per aliud exemplum quod ponit de distantia hinc illuc, & illinc huc, qui motus sunt idem materialiter propter identitatem spatii, sed alii, & alii formaliter, ita docere, & discere, agere, & pati sunt respectus materialiter iidem propter identitatem formæ, ratione cujus resultat in passo relatio passionis, & in agente relatio actionis, sed formaliter alii, & alii sunt, & in aliis subjectis, ita exponebamus hunc textum lib. 3. Phys. cum Doct. loc. cit.

In oppositum arguit. Primo Ovvied. contr. 2. Phys. pun. 2. necessaria non est duplex entitas, quarum una sit actio, & altera passio, & optime utriusque formalitas in eadem indivisibilem entitatem confluere potest, ergo &c. Probat assumptum, passio illa, quæ fingitur ab actione distincta, necessario dependet a principio effectivo & per suam entitatem immediate dependet ab eo, nulla ergo actio ab ipsa distincta erit necessaria, qua media illa passione, quam dicis per se dependere a principio effectivo, ab eodem terminus illius passionis dependebit. Si dicas passionem dependere media actione a principio effectivo, inquiro an actio dependeat per se, vel media alia entitate, non secundum, quia tunc abiretur in infinitum: si primum, tunc sic arguitur: Actio potest per se, & immediate dependere ab agente, ergo & passio poterit eodem modo dependere: sed dato quod si dependeat, non est necessaria alia actio distincta, ergo absolute necessaria non est, siquidem passio illa dari potest. Dicea actionem posse sic immediate dependere medio alio, quia in eo subjectatur, passionem vero dependere ab agente, quia non subjectatur in principio activo, sed in passo. Contra instat: tum quia falso supponitur actionem in agente subjectari, tum quia

etiam hoc dato, adhuc concedi debet passionem, si non a principio activo, saltem ab ipsa actione immediate, & per se dependere, nulla enim alia inter actionem, & passionem causalitas fingi potest, & sic adhuc conceditur passionem existentem in passo per se ipsam dependere ab actione existente in alio subjecto, sic ergo pariter concedi poterat, quod immediate dependeret a principio effectivo, etiamsi subjecteturin passo.

60 Pro hujus argumenti solutione disputant hinc auctores, quomodo causalitas materiæ, quam dicunt esse passionem, dependeat a causalitate efficientis; & aliqui id ita explicant, ut actio causæ efficientis, sive illa qua producitur forma, sive alia, terminetur ad ipsam materiæ causalitatem, neque enim inconvenit, quod ad causalitatem unius causæ detur causalitas alterius causæ distinctæ rationis, licet esset absurdum, quod ad causalitatem unius causæ daretur causalitas alterius causæ ejusdem ordinis, v. gr. ad causalitatem causæ materialis alia causalitas causæ materialis, vel ad causalitatem causæ efficientis alia causalitas causæ efficientis. Alii dicunt, quod non terminatur actio efficientis ad illam, dependet tamen ab illa actione, quatenus non potest egredi a causa materiali, nisi actio causæ efficientis simul egrediatur ab ipsa, quo sensu etiam causalitas causæ efficientis dependet a causalitate causæ materialis, non quidem ita, ut ulla ex illis ab altera dependeat, tanquam a priori, cum sint simul tempore, & natura, sed tanquam a concomitanti. Et ait Poncius hunc secundum modum ei magis placere, tum quia facilior est, tum quia cum non magis dependeat causalitas materialis ab efficiente, quam causalitas efficientis a materia, non magis una deberet ad alteram terminari, tanquam ad prius, quam e contra; & re vera ita loquitur Doct. 2. d. 37. quæst. un. lit. V. ubi explicans dependentiam causæ efficientis, & materialis a se invicem in causando communem effectum, ait in hoc consistere, quod simul natura causans, & causalitas unius causæ coexigit causalitatem alterius causæ, non enim materia materiat prius natura, quam efficiens efficiat, quasi sine contradictione possit esse materiatum, & non effectum, vel e converso, Itaque ad argumentum, si teneatur hic secundus dicendi modus, patet nihil concludere, quia passio dependeret ab agente, non quia ejus actio ad ipsam terminetur, sed quia in causando communem effectum illam coexigit, ac proinde admittenda adhuc esset actio distincta a passione, per quam effectus accipiat esse; si vero teneatur primus dicendi modus, quem insinuasse videtur Auctor sex principiorum, dum passionem descripsit, quod sit effectus, illatioque actionis, tunc adhuc admitti debet actio a passione distincta, & cum instatur passionem æque immediate posse ab agente dimanare, sicut actionem, negandum est, quia passio non est actus, & exercitium potentiæ activæ, sicut est actio, sed potentiæ passivæ, atque ideo relatio actio immediate in agente resultat, ut actus ejus, & correlatio passio eadem de causa resultat in passo.

Opus tamen est aperire æquivocationem, in qua Recentiores laborant, dum passionem confundunt cum materiali causalitate, quod minime agendum est, nam causalitas materialis consistit in sustentatione formæ materialis, quæ perseverat, quamdiu compositum durat, passio vero consistit in receptione formæ non quomodocunque, sed ut est in fieri ex vi agentis, unde dicit respectum ad agens, hinc Doctor 2. dist. 1. quæstion. 5. lit. S. exacte omnes istos respectus distinguens, inquit, quod in respectu isto, qui est materiæ ad formam, ut receptivi ad perfectionem fundatur respectus passivi ad agens; distinguitur ergo realiter causalitas materialis a passione; tum quia hæc præterit, & illa permanet, tum quia passio dicit respectum passivi ad agens, causalitas vero materialis dicit habitudinem ad formam, quam sustentat præscindendo ab agente. Ex quo solvitur argumentum, quo utitur Arriag. disputatione octava Physic. section. 3. ubi ex eo probat passionem non distingui realiter ab actione, quia causalitas efficientis causæ, quam dicit esse actionem, qua efficiens producit formam, est idem realiter cum causalitate materiæ, qua subjectum eamdem formam sustentat, seu materialiter producit, & hanc materiæ causalitatem inquit esse passionem; solvitur inquam, argumentum, quia habet majorem, & minorem falsam; majorem quidem, quia falsum est causalitatem materiæ, & efficientis esse eandem, ut dictum est supra artic. 4. in fine; minorem vero, quia rursus falsum est, ut nuper dictum est causalitatem materiæ esse passionem de prædicamento passionis, cum potius sit de genere relationis, & sint ad diversos terminos, & una permaneat, altera vero transeat.

Secundo arguit Hurtad. d. 16. Met. sect. 4. per eandem actionem per quam principium efficiens efficit terminum, terminus dicitur factus, ergo actio, & passio realiter non distinguuntur, probat assumptum, quia eadem actione, qua ego video Petrum, Petrus videtur a me, nam apud Latinos vox activa, & passiva tantum terminatione differunt; probant etiam ex actionibus intentionalibus, quæ ex eo præcise, quod terminantur ad objectum, constituunt illud, visum, intellectum, & amatum, ergo actio ex eo, quod terminetur ad effectum, constituit illud formaliter effectum; & hoc eodem argumento opinatur Hurtad. nedum probari inter actionem, & passionem realem indistinctionem, sed etiam formalem; quo etiam argumento utebatur Poncius suprac. n. 56. ad idem probandum.

61 Respondet ad hoc argumentum Ovvied. quia illud non putat efficax ad suam conclusionem probandam, concedendo per eandem actionem, per quam agens producit calorem, calorem constitui productum, & factum, & adhuc asserit illam entitatem non esse passionem, quia passio est id, per quod calor, seu terminus productus recipitur formaliter in subjecto, non vero id, per quod efficitur, ut videre est in actione creativa, per quam Angelus constituitur effectus, & a Deo productus, & tamen non est passio, quia per illam Angelus non constituitur receptus, & sicut in Angelo formalitas, quæ illum factum constituit, non illud receptum reddit, sic de calore dicendum non constitui receptum per formam, per quam constituitur productus, sed per aliam cum hac connexam, & ab illa distinctam, per quam in subjecto recipitur, quæ est passio. At Ovvied. non videtur percepisse vim argumenti, sicut enim duplex actio potest in agente fundari, una qua respicit effectum in ratione producentis, & dicitur productio, alia qua respicit subjectum, in quo formam producit, & dicitur proprie actio transmutativa, ut in superioribus dictum est, ita duplex passio ei correspondet, una ex parte effectus, quæ est productio passiva, altera ex parte subjecti recipientis talem formam productam, & talis est receptio formæ in subjecto, non quomodocumque sed virtute agentis eam imprimentis, & quamvis passio de prædicamento passionis sit passio hoc secundo modo dicta, sicut actio de prædicamento actionis est actio illi opposita præsertim in sententia nostra, tamen etiam alio modo jam explicato possunt, & solent sumi actio, & assio; immo in communi modo loquendi frequentius ita usurpantur, & adhuc sub isto significato Recentiores ponunt actionem, & passionem in illis prædicamentis reperiri, non autem in prædicamento relationis; in hoc ergo sensu videtur argumentum Hurtad. procedere, nimirum de passione, ut correspondet actioni efficientis sub ratione producentis & in hoc sensu probat actionem, & passionem non importare entitates distinctas. Et quia adhuc in hoc sensu tenemus actionem, & passionem importare respectus realiter distinctos, & oppositos, quia actio productio activa est in efficiente, & passio productio passiva in effectu, ideo respondendum est, ut diximus disp. 7 Phys. q. 3. art. 2. num. 39. ubi hoc argumentum Hurtad. cum aliis confirmationibus ex integro solutum est; cui nunc addendum est ex Doct. 4. d. 13. qu. 1. lit. P. quod productum magis formaliter producitur productione passiva sui, quam productione activa agentis, quia productio activa agentis, proxime, & formaliter ipsum a gens denominat producens, non autem effectu productum.

Dices etiam in communi modo loquendi dici solere effectum produci per actionem agentis. Resp. id in eo sensu dici, non quia actio sit forma proxime, & intrinsece effectum denominans productum, sed quatenus actio est forma, per quam causa efficiens proxime, & intrinsece denominatur producere. Dices opus non esse nova relatione, ut effectus dicatur formaliter productus sed ab eadem actione, qua agens dicitur intrinsece producens, posse effectum denominari extrinsece productum. Negatur assumptum, quia nequit assignari major ratio, cur causa dici debeat formaliter, ac intrinsece producens, quam effectus intrinsece productus; paritas vero assumpta ab Hurtad. de actionibus intentionalibus jam negata est est supra num. 56. quia illæ non sunt actiones veræ, & physicæ, & habentes terminum vere productum, sed sunt actiones tantum grammaticaliter, & secundum vocem; reliqua pro argumenti solutione necessaria vide disputat. 7. Phys. cit. numer. 39.

62 Tertio actio causæ efficientis non distinguitur a motu, quia productio formæ in subjecto formalissime est motio ipsius subjecti, quod non aliter moveretur, nisi per formam in se productam, & receptam, sed motus est idem realiter cum passione, quia de ratione motus est facere, ut subjectum se habeat aliter, quam antea, quod formaliter fit per passionem, ergo actio, & passio erunt idem. Fatetur etiam Arriag. loc. cit. argumentum invalidum esse, quia motus formaliter non consistit in actione, vel passione, sed in receptione formæ, seu unione ejus cum subjecto. Sed non satisfacit, nam arguens urgere posset, quod receptio formæ sit ipsa passio, nam re vera passio est receptio formæ ab agente, quare si actio est idem cum motu, & motus consistit in receptione formæ, optime deducitur, actionem esse idem realiter cum passione; tum quia falsum est, motum formaliter consistere in unione subjecti cum forma, nam cessante motu illa unio adhuc ex integro permanet, quamdiu compositum durat. Itaque ut constat ex disput. 15. Phys. q. 1. & 3. falsa est major, & minor, major quidem quia subjectum formaliter moveri est aliter se habere nunc, quam prius, per formam novam præscindendo ab agente, ut ibi late explicatur, tum quia dari potest actio sine motu, ut notat Doct. 4. d. 43. q. 5. G. & in 3. d. 2. qu. 3. ad 3. si nimirum forma introducatur in subjectum, in quo privatio non præcessit duratione formam; Minor etiam est falsa, tum quia dari potest passio sine motu, ut est in qualibet animatione, in qua corpus in eodem instanti completur in esse, & animam recipit, nec motus dicit respectum ad agens, sicut passio, nec passio dicit ordinem ad privationem immediate in subjecto præcedentem, ut dicit motus, quemadmodum fuse explicatum est loc. cit.

Quarto in conceptu actionis generativæ, vel eductivæ, prout distinguitur a creativa, includitur dependentia a subjecto, ergo actio generativa nedum realiter, sed etiam formaliter est passio. Resp. negando assumptum, sicut enim dici solet generationem, & creationem non differre essentialiter, sed tantum ratione connotati, quatenus generatio connotat subjectum, ex quo fit forma, non autem creatio; ita in proposito dici potest actionem

generativum non includere formaliter dependentiam a subjecto, sed radicaliter tantum, & exigitive, quatenus postulat suapte natura associari cum causalitate subjecti, quam exigentiam non habet actio creativa, quia nullum petit subjectum, immo excludit, ad quod ipsa terminetur.

62 Demum objicitur probando actionem, & passionem esse idem nedum realiter sed etiam formaliter; nam actio eductiva, ut sic, est actus hujus in hoc, ideſt agentis in passum ex 3. Phys. 22. ergo formaliter, ut talis, dicit ordinem ad principium activum, & ad subjectum in quo est; passio autem est actus hujus ab hoc, ideſt passive ab activo, ergo dicit ordinem ad passum, & principium effectivum, ergo tam actio, quam passio formaliter dicunt ordinem ad eadem extrema, ergo nullum habent distinctionis principium etiam in ordine ad nostrum intellectum: hanc æstimat Oyvied. potentiorem difficultatem, quæ contra nostram sententiam fieri possit, ideoque adducit ibi solutionem Suarez; quam etiam jure confutat, quia re vera non satisfacit; deinde suam adjicit, qui saltem salvare conatur distinctionem formalem, & quoad conceptus, inter actionem, & passionem.

Verum tota difficultas, quam Recentiores incurrunt in hujus argumenti solutione, procedit ex illo suo principio, quod actio sit in passo, velut in subjecto, sicut etiam, & passio, & ambo respiciant agens in ratione termini, juxta quem dicendi modum argumentum non modicam infert molestiam, quia actio & passio inter eadem extrema versantur, & sub eadem ratione illa respiciunt, nempe passum sub ratione subjecti, & fundamenti, agens autem sub ratione termini; cæterum apud nos actionem subjectantes in agente, non in passo, difficultas nullius est momenti, licet enim tam actio, quam passio eadem extrema respiciant, scilicet agens, & passum, non tamen eodem modo, nec sub eadem ratione, quia actio respicit agens, ut fundamentum, & passum ut terminus ipsius actionis, passio vero respicit passum, ut fundamentum, & agens ut terminum, quod universaliter evenit in relationibus mutuis; & hoc palam indicant definitiones actionis, & passionis ab Arist. cit. assignatæ 3. Phys. 22. dum inquit, quod actio est *actus hujus in hoc*, passio autem *actus hujus ab hoc*, ideſt actio est habetudo agentis in passum, & passio e contra est habitudo patientis ad agens, & circa hanc materiam de actione, & passione non est hic amplius immorandum, quia omnia satis patent ex loc. cit. in Phys. ad quem lectorem remitto.

QUÆSTIO II.

De potentia subjectiva, & objectiva, ubi etiam de potentia Logica.

63 Circa hanc divisionem potentiæ in subjectivam, & objectivam acerrima fuit semper altercatio ad hæc usque tempora inter Thomistas, & Scotistas, quæ tamen nequit esse, nisi de nomine, ut postea constabit ex utriusque explicatione; inficiantur Thomistæ hanc divisionem potentiæ, nullam aliam agnoscentes potentiam præter activam, & passivam, & potentiam objectivam præcipue condemnant, ut nerum Scoti figmentum ab eo excogitatum ad defendendum actum entitativum, quem illi potentiæ opponit, & cum eo inquit dividere ens in tota sua latitudine, sic enim ait frequenter actum, & potentiam esse differentias divisivas entis loc. cit. initio qu. præced. ita Capreol. 1. disp. 3. quæst. 3. Soncin. 9. Metaph. qu. 2. Javel. ibid. & Zanardus quæst. 3. Zaberell. lib. 2. de materia cap. 2. Aureolus quoque 1. d. 42. p. 1. art. 3. ex professo hanc potentiam objectivam impugnat, & inquit hanc potentiam objectivam nihil esse dictu, nisi sicut cappam cathegoricam, aut candidum syllogismum. Scotistæ e contra velis, & remis, ut ajunt, nituntur hanc divisionem tueri, ut legitimam, & potentiam objectivam, ut necessariam cum actu entitativo ei opposito; sed aliqualiter discrepant in ejus explicatione. Nam aliqui defendunt esse potentiam realem, & positivam omnino distinctam ab activa, & passiva, ita Bonetus lib. 6. suæ Metaph. cap. 3. Gratianus 2. sent. d. 7. qu. 1. & alii nonnulli, quia imaginantur ens in potentia dicere modum aliquem positivum essendi ejus rei, quæ in potentia esse dicitur, quod est esse diminutum, & imperfectum comparatum ad illum statum, in quo res dicitur esse in actu, & in hoc sensu Thomistæ passim Scot. adscribunt sententiam de potentia objectiva, eo quia 2. d. 16. q. un. §. *rationes istæ*, distinguit potentiam, a qua denominatur ens in potentia, a potentia activa, & passiva. Alii vero negant potentiam objectivam apud Scotum quid reale a parte rei præseferre, & inquantum realis est, concedunt non esse distinctam a potentia activa, & passiva, ita Barg. 1. sent. d. 7. Canon. 1. Phys. quæst. 9. art. 1. Rada p. 2. controv. 12. art. 2. Aretin. trac. formalit. comment. 12. Vulpes tom. 1. par. 1. disput. 28. art. 2. Saxius tom. 1. suæ Catastof. disputat. 13. quæst. 1. art. 3. Fab. Theor. 22. c. 5. Meuriss. lib. 2. suæ Metaph. cap. 2. p. 6. q. 1. concl. 3. Raguseus disp. 3. perip. c. 10. & alii Scotistæ passim melioris notæ, quo etiam modo Scoti sententiam intelligit Suarez disp. 31. Met. sec. 3. Rursus discrepant in explicatione potentiæ objectivæ Scotistæ, nam aliqui eam distinguunt a potentia Logica, ut Bargius, Vulpes, Saxius loc. cit. alii eam prorsus confundunt cum potentia Logica, ut Faber. cit. licet 9. Metaph. q. 1. se retractet Raguf. & alii, quos citat Sax. loc. cit. qu. 3. & sic etiam loqui videtur Rada loc. cit. immo quidam ex externis in hoc sensu concedunt potentiam objectivam rebus antequam producantur, sumendo illam pro non repugnantia ad produci, ut Amicus tom. 1. Phys. tract. 5. quæst. 4. dub. 1. Eustach. a S. Paulo 3. par. suæ Metaph. trac. de propriet. entis qu. 12. Pro exacta quæsiti resolutione præmittam horum terminorum declarationem, ut hinc concludam, quo sensu admittenda sit potentia objectiva, de qua est quæstio, a cæteris distincta.

64 Primo, ut a potentia subjectiva, de qua minor est difficultas, exordium sumamus, ipsa est secundum quam aliud est in potentia receptiva ad aliquam formam suscipiendam, sive substantialem, sive accidentalem, unde ens in potentia subjectiva dicitur omne illud, quod potest recipere aliquem actum substantialem vel accidentalem, de qua potentia locutus est Arist. 7. Met. com. 8. & alibi frequenter, cum materiam primam appellat ens in pura potentia, & huic potentiæ opponitur actus formalis, nam quod est sic in pura potentia nullum actum formalem habet; & hæc potentia est vera, & realis, fundatur enim in aliqua entitate, ut in subjecto, ac fundamento, unde communiter ajunt Scotistæ duas conditiones requiri, ut aliquid dicatur in potentia subjectiva, una est quod sit, & existat in rerum natura, & ideo illa, quæ non existunt, ut Antichristus, vel rosa in hyeme, non dicuntur esse in potentia subjectiva; altera est, quod possit aliquid recipere, & ideo Deus, cum sit purissimus actus, nec aliquid possit recipere, non dicitur in potentia subjectiva. Et hanc explicationem potentiæ subjectivæ Doctor assignat 2. d. 12. qu. 1. §. *est igitur videndum*, ubi inquit illud dici in potentia subjectiva, quod est, in potentia, ut subjectum alicujus formæ capax. Ex quo colligitur non bene a Canonico loc. cit. explicari potentiam subjectivam, quem sequitur Jo. de Mag. 1. Phys. q. 11. cum ait, esse in potentia subjectiva est esse subjectum, vel fundamentum potentiæ activæ, vel passivæ; ita quod tunc aliquid est in potentia subjectiva, quando talis potentia fundatur in aliqua entitate, ut in subjecto, & fundamento, sive sit potentia activa, sive passiva, ut ignis calefaciens est in potentia subjectiva, vel fundamentali ad calefaciendum. Hæc, inquam, non est legitima explicatio potentiæ subjectivæ, quia hæc non attenditur penes potentiam activam, sed passivam alicujus subjecti potentias aliquam recipere formam, ut colligitur ex ipsa nominis ethimologia, unde inquit Doctor cit. illud dici in potentia subjectiva, quod est in potentia ut subjectum ad aliquam formam: tum quia si potentia objectiva diceretur tam in ordine ad potentiam passivam, quam activam, tunc Deus posset dici esse in potentia subjectiva, quia habet potentiam activam, quod tamen a nullo concedendum opinor: attenditur ergo potentia subjectiva præcise pœnes potentiam passivam, & ad potentiam passivam reducitur, immo ab ipsa non distinguitur, & ideo dixi ab initio de hac potentia dissensionem non esse inter Thomistas, & Scotistas, quia gratis fatentur Scotistæ potentiam subjectivam cum passiva coincidere, cum hoc solum discrimine, quod eadem potentia, & capacitas denominatur passiva in ordine ad agens, a quo pati potest per impressionem formæ, subjectiva vero in ordine ad formam, cujus potest esse subjectum.

65 Secundo potentia objectiva dicitur illa, secundum quam aliquid est possibile produci, antequam in effectum producatur, unde illud dicitur esse ens in potentia objectiva, quod potest esse objectum, sive terminus alicujus potentiæ productivæ, ut loquitur Doctor in 2. loc. cit. & ex hoc sumpta est ethymologia nominis potentiæ objectivæ; actus autem huic potentiæ correspondens non est actus formalis, sed actus existentiæ, ut constabit qu. seq. nam illud idem, quod est actus formalis, ut v. g. forma ignis, vel aquæ, potest esse in potentia objectiva, & in actu existentiæ, & per consequens actus formalis non distinguitur ex opposito contra actum existentiæ, aut potentiam objectivam. Hinc rursus Scotistæ passim duas pariter requirunt conditiones, ut aliquid dicatur esse in potentia objectiva, prima est ut illud, quod dicitur esse in potentia objectiva, non habeat in rerum natura esse actualis existentiæ, & ideo quicquid existit, & ad extra jam productum est, dici nequit esse in potentia objectiva; altera est, quod esto non sit, tamen illi esse non repugnet, per quam conditionem excluduntur entia rationis, & fictitia, quibus repugnat esse in rerum natura. Tertiam quoque conditionem addidit Saxius disp. 13. cit. q. 1. art. 1. ab initio, nempe quod est sic in potentia, sit etiam possibile futurum, quam conditionem addidit, ut potentiam objectivam a Logic. secernat, cuius possibile dicitur, quod non implicat contradictionem, sive modo sit cum futuritione, sive non; possibile autem potentiæ objectivæ sumitur ab ipsa potentia in re, sicut a potentia inhærente alicui, vel determinata ad illud cum futuritione. Hæc tamen conditio minime requiritur ad potentiam objectivam, nam ut docet Doctor loco citato, ut aliquid dicatur potentia objectiva, sufficit quod possit esse terminus, vel objectum alicujus potentiæ activæ, sive illud sit determinatum ad futuritionem, sive non, unde apud Scotum etiam alter Mundus dicitur Deo objective possibilis, licet non sit futurus; non ergo ex hoc capite distingui debet potentia objectiva a potentia logica, sed aliunde, ut mox dicemus. Hinc tandem varias Scotistæ inferunt differentias inter potentiam objectivam, & subjectivam, quas quisque ex earum notionibus affignatis facile deducere potest,

66 Tertio quamvis omne possibile objectivum sit etiam possibile logicum, adhuc tamen potentia objectiva, & logica invicem confundi non debent in suis formalitatibus, nam diversa ratione dicitur aliquid objective possibile, & logice; potentia igitur logica, ut ait Doct. 1. d. 2. par. 2. ad 3. q. §. *ad 2. probationem*,

nem, & 1. d. 7. ad qu. lit. K. & d. 20. §. *Respondeo omittendo Arist.* est modus compositionis ab intellectu formatæ illius quidem, cujus termini non includunt contradictionem, & est sola non repugnantia in propositione inter subjectum, & prædicatum in ordine ad intellectum, de qua potentia locutus est Arist. 5. Met. cap. de potentia, cum ait illud esse possibile, cujus contrarium non est de necessitate verum; unde Doct. loc. c. 1. d. 7. ponit casum, quod si ante mundi creationem, non solum mundus non fuisset, sed nec etiam per impossibile Deus, adhuc tamen fuisset intellectus aliquis componens hanc, mundus erit, vel mundus poterit esse, mundus fuisset possibilis potentia logica, quia isti termini non repugnarent; unde constat potentiam logicam attendi penes ordinem ad intellectum judicare potentem, duo extrema invicem non repugnare, & possibile logicum esse semper aliquod complexum, ut Antichristum fore, alium mundum esse possibilem, & sic potentia logica non reperitur nisi in complexis. Potentia vero objectiva, ut diximus ex Scot. 2. d. 12. q. 1. §. *est igitur videndum*, est illa, per quam aliquid dicitur possibile, ut terminus potentiæ activæ alicujus agentis, unde hoc modo dicitur res esse in potentia, quando non est nisi in virtute productiva suæ causæ, quo pacto rosa in hyeme dicitur esse in potentia objectiva in radice, albedo enim, ait Doctor ibid. est in potentia objectiva, quando non est, quæ tamen secundum quid est, quia est in virtute causæ, vel causarum suarum; ex quo patet, potentiam objectivam attendi in ordine ad potentiam productivam agentis, quo ordine præciso, & remanente sola non repugnantia terminorum, res non diceretur possibilis objective, sed tantum logice, unde si aliquis esset intellectus componens hanc, mundus est possibilis, & nulla esset activa virtus mundum producere potens, non diceretur tunc mundus possibilis objective, sed tantum logice, non tamen e contra dari potest casus, quod aliquid sit possibile objective, & non logice, quia non datur potentia activa respectu impossibilis, & in se repugnantis, unde potentia objectiva semper supponit potentiam logicam, veluti fundamentum ejus, adeo quod res dicitur prius possibilis logice, quam objective, hinc docebat Doctor 1. d. 36. M. possibilitatem objectivam consequi possibilitatem logicam, & 2. d. 1. q. 2. lit. G. vult in priori signo rem esse in potentia logica, & in posteriori in potentia objectiva. Hinc possibilitas rei logica a Recentioribus appellatur possibilitas intrinseca, & remota, quia res quod ita sint possibiles formaliter habent ex seipsis, licet principiative ab intellectu divino, ut dicetur inferius disp. 8. q. 1. art. 1. ex Scoto 1. d. 36. & 43. possibilitas vero objectiva dicitur extrinseca, & proxima, quia res ita possibiles constituuntur per ordinem ad extrinsecam potentiam agentis, adeo quod si nulla esset talis potentia, res non amplius diceretur objective possibilis, sed tantum logice, ut amplius declarabitur infra disput. 8. n. 30. & 31. idem quoque discrimen inter potentiam logicam, & objectivam ponit Doct. 9. Metaphys. qu. 2. ab init. ubi & eandem habet doctrinam, ac in loco cit. in lib. sent.

67 Quarto ex modo dictis deducitur apud Scotum potentiam Logicam, & objectivam non esse prorsus eandem, ut perperam Scotistæ quidam loquuntur, nam potentia Logica præcedit objectivam, ut fundamentum ejus, & licet quicquid est objective possibile, sit etiam possibile Logice, non tamen e contra, Deus namque bene dici potest possibilis Logice, ut notat Doctor 1. d. 1. quatenus non repugnat esse in rerum natura, si enim repugnaret, non esset; adhuc tamen nequit dici possibilis objective, quia nequit esse terminus, & objectum potentiæ activæ alicujus agentis. Tum quia possibilitas objectiva nequit consistere sine ordine ad potentiam activam agentis potentis producere, quod sic dicitur in potentia; at possibilitas Logica consistere potest, licet per impossibile nulla potentia activa eam respiceret, ut constat in allato exemplo de Deo & fatetur Doct. expresse 1. d. 7. q. unic. L. & d. 36. M. & 9. Met. q. 2. ab initio. Tum quia in productione rei potentia objectiva recedit & excluditur per actum existentiæ, & adhuc in ea perseverat potentia Log. quamdiu enim existit, tamdiu non repugnat in rerum natura, ergo non sunt eadem potentia. Tum quia potentia Logica reperitur tantum in complexis, cum sit purum syncategorema, & modus compositionis; objectiva vero reperitur etiam in incomplexis, nam dicimus, Antichristum esse in potentia objectiva, & alium quoque mundum. Tum denique id constat ex diversis earum notionibus, describitur namque potentia Logica quod sit sola non repugnantia terminorum, objectiva vero, quod sit potentia rei producibilis, ut patet a Doct. 1. d. 5. q. 2. & hæc est expressa ejus sententia, nam 9. Met. q. 1. & 2. distinguit potentiam Logicam a potentia, ut est differentia entis, qualis est potentia objectiva, & 1. d. 7. q. un. §. *ad quæstionem*, dividit potentiam in Logicam, objectivam, & realem, unde cum membra divisionis non coincidant, potentia Logica erit membrum distinctum a potentia objectiva, ut optime notavit Barg. ibid. & rursus 2. d. 12. q. 1. §. *est igitur videndum*, ait in creabili potentiæ objectivæ non subjici aliquid realitatis.

68 Quinto præterea ex eodem loco deducit Bargius cum cæteris Scotistis potentiam objectivam apud Scotum non esse potentiam aliquam in se realem, quia Doct. ibi dividit potentiam in Logicam objectivam, & realem, nam inquit ibi uno modo dicitur potentia Logica, quæ dicit modum compositionis factæ ab intellectu, alio modo dicitur potentia divisa contra actum, & ista non est in Deo, & appellatur potentia objectiva, tertio modo dicitur potentia realis quæ dicitur potentia agendi, vel patiendi, cum ergo divisio sit per opposita, vel saltem disparata, sequitur quod potentia objectiva non erit realis; sic etiam habet 9. Met. in tex. 2. Id autem vario modo probant Scotistæ; Aliqui ita probant, ens in potentia objectiva nihil est, ergo neque potentia objectiva realis erit, quia respectus realis nequit fundari in ente non reali, cum fundatum non sit majoris entitatis, quam fundamentum, probat assumptum Canon. loc. cit. quia si ens in potentia objectiva diceret aliquam entitatem realem, aut illam haberet a se, aut ab alio; non a se, ut patet, si ab alio, ergo ante sui productionem, & existentiam, quam habet in tempore, esset jam productum, & existens. Hæc ratio absolute non concludit, nam inferius disp. 8. qu. 1. art. 3. difficult. 3. n. 46. ostendo essentiam rei possibilis objective etiam exclusa existentia dici posse ens reale, & positivum, ut hoc distinguitur a nihilo proprie, & in rigore sumpto, quod nec est, nec realiter, & positive esse potest, quemadmodum definit illud Doct. quol. 3. ab initio, quamvis ergo fumendo nihil, ut excludit solummodo actualem entitatem, & existentiam rei, sicuti fumi solet in consueto modo loquendi, ens in potentia objectiva sit re vera nihil, quia nullam habet actualem entitatem, ut bene probat discursus Canonici, tamen fumendo nihil in rigore pro eo, quod nec est, nec esse potest, quo pacto proprie opponitur enti reali, quod est vel esse potest, si, inquam, nihil hoc modo fumatur, falsum est ens in potentia objectiva esse purum nihil, ut loquitur Canonicus, sic enim dici potest ens reale nominaliter, esto non verbaliter, ut loc. cit. ex instituto probabitur, potius ergo ex hoc capite potentia objectiva dici deberet potentia realis ut notat Doct. 9. Met. q. 2. n. 6. quia ens in potentia objectiva est ens reale nominaliter, quod describitur illud esse, quod vel est, vel saltem esse potest in rerum natura. Alii probant potentiam objectivam non esse realem, eo quia fundatur super potentiam Log. quæ non est potentia positiva, sed negativa, utpote negatio repugnantiæ, seu non implicationis contradictionis, cum ergo fundatum non sit majoris entitatis, quam fundamentum, immo e contra, sequitur potentiam objectivam in Logic. fundatam non esse realem. Sed neque hæc probatio concludentior est præcedenti, quia infra eadem d. 8. q. 1. ar. 3. n. 33. ost endo rursus potentiam Log. esse possibilitatem quandam positivam, & non negativam dumtaxat, unde ex hoc quoque capite potius deduci deberet, potentiam objectivam esse realem, & positivam.

69 Alii rursus probant potentiam objectivam non esse realem, quia fundatur in esse cognito rerum, ut patet a Doct. 1. d. 45. ubi inquit, quod in lapide producto in esse cognito insurgit talis potentia, quæ est objectum potentiæ, & omnipotentiæ Dei, quia non repugnat lapidi esse formaliter, & ei repugnat esse a se, ergo potest esse ab alio, & ita super esse cognito fundatur, quod quidem esse cognitum nihil reale dicit, cum ergo fundatum non sit majoris entitatis, quam fundamentum, immo e contra, sequitur quod illa potentia, quæ fundatur in esse cognito, non sit realis, quia esse cognitum non est esse reale, & simpliciter, sed secundum quid, & rationis, ut inferius ostendetur d. 8. qu. 1. art. 2. ex Scot. pluribus in locis, ita discurrit Aretin. trac. For. malit. comment. 12. cum aliis Scotistis. At neq; hæc ratio valet, quamvis enim possibilitas objectiva rerum dici possit fundari in esse cognito, quatenus extrinsece, & principiative habent res ab intellectu divino, quod sint Logice possibiles, licet formaliter ex seipsis ex Doct. 1. d. 36. & 43. falsum tamen est fundari præcise in illo esse cognito, quod est denominatio extrinseca in eas derivata ab actu divini intellectus, quod quidem dicitur esse rationis, saltem materiale, & fundamentale, sed fundatur in esse reali, & positivo, quod ab intellectu divino attingitur eis non repugnare ex suis rationibus formalibus, cujus distinctionis declarationem vide inferius d. 8. n. 17. unde cum tale esse, quod ab intellectu divino cognoscitur eis, non repugnare, sit esse reale, & positivum non quidem actuale, sed potentiale ab æterno, actuale tamen in tempore, potius ex hoc capite rursus inferri deberet potentiam objectivam esse realem, & non rationis.

Ratio itaque sumenda est ex dicendis infra d. cit. 8. q. 1. ar. 3. ubi n. 30. & inde ostendo, quod licet res ab æterno dicantur intrinsece possibiles ex seipsis, & principiative ab intellectu divino loquendo de possibilitate Logica, objective tamen dicuntur extrinsece possibiles a divina omnipotentia, siquidem rem esse in potentia objectiva est obiici virtuti alicujus agentis eam producere valentis, unde res dicitur objective possibilis præcise per denominationem extrinsecam sumpta a potentia activa, quæ illam producere potest, ex quo evidenter deducitur potentiam objectivam, ut sic, nihil reale, & positivum ponere in rebus sic possibilibus, sed tantum in causa, qua fieri possunt; & hinc tandem deducitur potentiam objectivam quantum ad id reale, quod dicit in re, non esse diversam a potentia activa agentis; nam eadem potentia activa, ut inquit Canonicus, qua Deus intrinsece dicitur potens creaturas, & Antichristum producere, Antichristus quoque dicitur esse in potentia producibilis, & a tali potentia, sic denominatur; & in hoc sensu etiam interpretatur Suar. d. cit. 31. sec. 3. Scoti sententiam de potentia objectiva, qui ex externis melius quovis alio in hoc puncto mentem Doct. percepit, & ideo mere gratis Thomistæ Scot. divexant in hac re; Tum quia si etiam potentia objectiva sumatur, ut se tenet ex parte rei producibilis, inquit Doctor 1. d. 5. q. 2. lit. T. posse reduci ad potentiam passivam, ait enim quod potentiæ activæ creativæ Dei correspondet aliqua passiva quam ipsi vocant (inquit Doctor) potentiam objectivam, ex quibus verbis Bargius deducit, ibidem Scotum non fuisse inventorem vocabuli potentiæ objectivæ, ut ei passim tribuunt Thomistæ, sed antiquio-

ribus ipso agnitam fuisse; hoc autem totum intelligi debet de potentia objectiva rei, ut comparatur ad agens illam producere potens.

70 Sexto quia potentia solet explicari præsertim per ordinem ad actum, quæri solet pro majori explicatione potentiæ hujus objectivæ, qualis sit ista relatio per potentiam objectivam importata, & ad quem actum ordinem dicat & quomodo, an scilicet ad actum in actu, vel ad actum in potentia, quam difficultatem pertractat Doct. 9. Metaph. q. 2. §. *sed circa istam potentiam*, at quia Doctor in explicatione istius puncti obscurus est, & difficilis, breviter, & clare dicendum est, potentiam objectivam, vel ens in potentia objectiva ad duo comparari posse, primo ad actum existentiæ, ad quem reducitur, cum extra causas producitur ens in potentia; secundo ad agens, cujus virtute reducitur ad actum talem; & quidem cum comparatur ad agens, induit rationem potentiæ passivæ eo modo, quo declarat Doct. loc. cit. 1. d. 5. q. 2. & 2. d. 12. q. 1. B. quatenus quod est sic in potentia dicitur, non quidem subjectum virtutis ejus, quia tunc esset potentia passiva subjectiva, qualis est materia respectu agentis naturalis, sed objectum virtutis, inquantum de non esse potest trahi ad esse, quod sibi non repugnat; si vero hæc potentia comparetur ad actum existentiæ, rursus comparari non debet ut potentia receptiva ad actum receptum, quia tunc iterum cogitaretur ad modum porentiæ subjectivæ, non objectivæ, sed cogitari debet reduci ad actum non aliquid in se recipiendo, sed de virtute causæ egrediendo, in cujus potentia continebatur, quod inter alios optime declarat Alensi. 7. Met. q. ult. in tex. 22. ubi explicans quo pacto essentia rei possibilis dicatur in potentia objectiva ad existentiam, inquit essentiam dici in potentia ad existentiam, quatenus tota natura rei primo fuit tota sub natura potentiali, & tota postea fit in actu, non itaut imaginari debeamus, quod essentia rei possibilis recipiat actualem existentiam, ut quid diversum, sed ita quod illa eadem realitas tota, quæ primo cecidit sub conceptu faciendi, sit postea terminus ejusdem actionis, & objectum: Itaque res antequam a Deo producatur, hoc tantum habet quod potest a Deo produci, & ut sic dicitur esse in potentia objectiva ad actum existentiæ, cum autem producta est, non amplius dicitur objective possibilis, sed dicitur esse actu, & existere, unde existentia, seu actus entitativus respectu potentiæ objectivæ non se habet ut aliquis actus partialis, cujusmodi est forma physica respectu materiæ, vel differentia respectu generis, sed est ipsamet res realiter, quæ producta est, prout actu existit, & ea ratione dicitur actus, quia correspondet potentiæ objectivæ, & totaliter actuat id, quod antea totum, & totaliter fuerat possibile, quod ita perfunctorie explicatum pro nunc sufficiat, nam a fundamento totam hanc rem explicabimus infra disp. 8. de essentia, & existentia; & hoc est, quod dicebat Arist. 9. Met. tex. com. 13. ut explicat Doct. 2. disp. 16. q. un. §. *rationes istæ*, loquendo de hac potentia objectiva, quod nimirum potentia, & actus sunt ejusdem generis, nam illud est idem genere, specie, & numero, quod est in potentia objectiva, & postea venit ad actum, Sortes enim in actu non distinguitur a seipso numero, ut erat in potentia objectiva, & ita actus entitativus, & potentia objectiva, nedum sunt ejusdem generis, verum etiam ejusdem speciei, ac individui, quod amplius declarabitur infra disput. 8. cit. numer. 69. & 70. quam Scoticam doctrinam non satis percipiens Zanard. cit. 9. Metaph. quæst. 3. imponit Doctori, quod potentiam objectivam non ponat distinctam ab actu entitativo, sed esse eundem actum, qui prius, quando erat imperfectus, potentia dicebatur ante rei productionem, & post rei productionem deductus ad perfectionem dicitur actus entitativus; falsissime, inquam, id Doctori imponitur, cum potius ubique dicat potentiam, & actum hujusmodi omnino opponi, & per actum entitativum excludi potentiam objectivam, ut pote quæ in sua ratione involvit negationem existentiæ, unde supra dicebamus unam ex conditionibus ad potentiam objectivam requisitis esse, quod ens ita possibile non existeret in rerum natura, An vero hæc relatio per potentiam objectivam importata in ordine ad actum sit realis, vel rationis, ait Doct. 9. Met, qu. 2. quod cum fundetur in essentia possibili, potest ex parte fundamenti dici realis, sed cum sit ad esse, ut terminum, quod non distinguitur ab essentia, non est relatio, nisi rationis, quia non est inter realiter distincta.

71 Septimo potentiam objectivam sic explicatam admitti debere, sic probo; Id quod nondum est alicui potentiæ productivæ, sive divinæ, sive naturali subest, aut est in actu, aut in potentia: non in actu, ut patet, alias esset, & non esset, ergo in potentia, sed non in potentia subjectiva, quia nullam existentiam habet, nec in potentia activa, vel passiva, quia talis potentia concernit aliquid, in quo sit, hæc autem non concernit aliquid, in quo sit, illud enim in quo fundatur, nullum esse reale actuale habet, sed solum possibile Logicum. Confirmatur: substantia antequam produceretur aliter erat in potentia, quam nunc sit in potentia respectu accidentis, quia tunc erat in potentia ad produci, postquam autem producta est, ipsa non est in potentia ad produci, sed respectu accidentis est tantum in potentia activa, & subjectiva, sive passiva: ergo potentia, qua dicebatur possibilis produci, dici proprie debet objectiva. Respondet Soncin. 9. Met. quæstion. 2. quod substantia producta dicitur esse in potentia subjectiva respectu accidentis, & antequam produceretur, erat in potentia activa suarum causarum, a quibus poterat produci in esse, & ab illa potentia ipsa denominabatur possibilis; Hæc responsio veram equidem continet doctrinam, nam ut quoque nos diximus, res possibilis objective talis dicitur per denominationem extrinsecam desumptam a potentia activa agentis illam producere valentis, unde bene ostendit solutio potentiam objectivam quantum ad id reale, quod dicit a parte rei, non dicere diversam realitatem a potentia activa agentis, quemadmodum esse visum in pariete non dicit realitatem diversam a visione activa, quæ est in oculo; attamen sicut denominationem extrinsecam visi in pariete concipimus ad modum visionis passivæ, quæ sit veluti correlatio opposita visioni activæ, vel saltem talem relationem fundet, ita in proposito eo ipso, quod potentia activa Dei intelligitur terminari ad creaturam possibilem ab ipso produci tamquam objectum ejus, statim intellectus fundat coppositam relationem in ipso, per quam dicitur formaliter possibilis objective, & cum hic respectus fundetur in objecto potentiæ activæ, dici bene potest potentia objectiva licet ergo loquendo de potentia objectiva; pro denominatione extrinseca, vera sit solutio allata a Sonc. tamen loquendo de ipsa, pro ut a nobis concipitur per modum relationis, vera non est, quia talis relatio per potentiam objectivam importata non fundatur in illo, in quo fundatur potentia productiva, sed in illo quod nondum est, potest tamen esse, seu illi non repugnat esse, & ideo dicitur possibile logice, quod deinde relatum ad potentiam activam, a quo potest accipere esse, evadit possibile objective.

72 Octavo adhuc evidentius probatur idem. Quod potest esse objectum alicujus potentiæ productivæ, est in potentia sic objectiva, sed creatura antequam producatur, potest esse objectum alicujus potentiæ productivæ, ergo tunc creatura dici debet in potentia objectiva, minor patet, & major etiam, nam subjectum includit prædicatum, ex hoc enim quod aliquid est objectum alicujus potentiæ productivæ, potest produci antequam producatur, & sic est in potentia objectiva. Conf. ad hominem contra Aureolum, cui adeo infensa est hæc potentia objectiva, ut dicat hos duos terminos esse incompossibiles, sicut & isti duo, nigredo alba, vel filiatio paterna, unde concludit potentiam objectivam nedum non esse aliquid realiter, sed nec etiam secundum rationem, quia per intellectum componi non potest, arguitur, inquam, contra ipsum, quia ipse loc. citat. propos. 2. concedit proprie dici posse mundum ab æterno fuisse objective in potentia Dei activa, nam omnis potentia denominat suum terminum, ut possibilem concretive; si igitur ita est, ut ipse fatetur, sequitur pariter mundum dici posse in potentia objectiva, sicut ex eo quod oculus potest videre parietem, sequitur parietem denominari visibilem a tali potentia activa, visiva, & dici in potentia passiva ad videri; & quidem cum Doct. asserit, creaturam, antequam creatur, esse in potentia objectiva ad essendum, nil aliud vult habere quam esse objective in potentia Dei activa: unde inter Scot. & Aureol. non est contentio nisi de modo loquendi: & ideo cum ita sit, & ut ipse fatetur ibidem, non est, cur adeo acriter invehatur in hanc potentiam objectivam, præsertim cum ibi dicat de verbis curandum non esse, dum tamen certus sit intellectus.

Resp. Aureol. etiamsi potentiæ objectivæ tutores ita sentiant, adhuc tamen reiciendum esse modum loquendi; non enim est verum, quod idem sit dictum, mundum fuisse in potentia objective, & in potentia objectiva, tum quia cum dicitur objective in potentia, tunc potentia se tenet ex parte Dei, & est activa, cum vero dicitur in potentia objectiva, illa potentia se tenet ex parte objecti, quasi in mundo sit aliqua potentia, & primum quidem est verum, secundum autem falsum, & incompossibile etiam per intellectum; tum quia in primis verbis exprimitur denominatio extrinseca objecti a potentia Dei activa, hic vero intrinseca a potentia inhærente, & si illi, qui dixerunt potentiam objectivam, non intellexerunt secundum, sed primum expresserunt possibile per impossibile, & non debuerunt talibus uti. Contra idem est in re Deum scire posse lapidem, & lapidem esse ab eo scibilem, idem est in re oculum posse videre album, & album esse visibile ab oculo, & in potentia passiva, ut videri possit ab eo, ergo idem in re est, mundum, antequam crearetur, fuisse objective in potentia activa Dei, & fuisse in potentia objectiva, & quamvis in virtute primæ propositionis potentia se teneat ex parte Dei, & explicetur sola denominatio extrinseca objecti a tali potentia, & in virtute secundæ potentia se teneat ex parte objecti, & dicat aliquam relationem ipsi inhærentem, adhuc tamen secunda quoque propositio vera est, quia per ipsam non intendimus asserere potentiam objectivam in mundo possibili importare aliquam relationem realem, sed tantum rationis per modum potentiæ passivæ, & relationis coppositæ potentiæ activæ Dei, quia fere impossibile est intelligi relationem aliquam terminari ad aliquid, quin statim intellectus assurgat ad formandam relationem coppositam super terminum illum, sicut dum respectus scientiæ intelligitur ad lapidem terminari, statim concipitur respectus scibilitatis passivæ in ipso lapide; sic igitur in proposito, statim ac potentia Dei intelligitur ad mundum terminari, tanquam ad objectum, & terminum, statim in mundo concipitur a nobis possibilitas passiva ad produci per modum oppositæ correlationis, & hæc est, quæ dicitur potentia objectiva.

73 Respondet Aureolus verum quidem esse, quod intellectus attribuit mundo relationem possibilitatis coppositam potentiæ Dei activæ, secundum quam denominatur, ut objectum possibile, & terminus possibilis, non tamen hæc possibilitas est respectus, quem exprimit potentia objectiva, quod apparet ex-

ret ex terminis, nam potentia objectiva habet pro termino actum secundum Scotum, ponit enim idem prius in potentia objectiva, & deinde in actu, quasi actus ille, & illa potentia sint relative coppositæ, illa vero possibilitas, quam concipit mens circa mundum, non habet pro termino aliud, quam coppositam relationem, scilicet potentiam Dei activam. Et item ista relatio non dicitur potentia propriè, sed quædam possibilitas, potentia namque refertur ad actum, & dicitur in ordine ad actum, creatura autem non dicitur in potentia ad aliquem actum, aut ad illud, quod producitur, cum tota producatur, & nil aliud, idem autem non est in potentia ad se; possibilitas autem, qua mundus dicitur possibilis, non dicitur in ordine ad actum; unde non est potentia; sed producibilitas quædam, qua mundus dicitur producibilis, producibilitas autem non est relatio coppositæ actui, sed coppositæ potentiæ productivæ. Tandem neque propriè dici potest mundus in possibilitate objectiva, vel terminativa, quia relatio non denominatur a suo fundamento, non enim propriè dicitur similitudo alba, illa autem possibilitas denominat objectum, unde melius dictum est objectum esse possibile, vel mundum possibilem, quam mundum esse in possibilitate objectiva.

Hæc responsio infringitur ex dictis n. 70. nam ibi diximus potentiam objectivam etiam per modum relationis conceptam, nedum ad actum referri posse, sed etiam ad agens, & a quo potest ad actum reduci, ut etiam patet de potentia passiva, quam præsertim definit Arist. 5. Metaph. per ordinem ad agens, sicut pariter potentiam activam per ordinem ad patiens, & non ad actum; & ideo per illam possibilitatem objectivam per modum relationis conceptam in mundo logice possibili ad Deum valentem illum creare bene exprimitur potentia objectiva, de qua loquimur, quo autem pacto eadem quoque potentia objectiva possit referri ad actum, & idem sub statu possibilitatis dici in potentia ad seipsum sub statu actualitatis, explicabitur postea in solutione argumentorum Aureoli art. seq. & amplius infra disp. 8. declarando quomodo essentia dicatur in potentia ad existentiam, etiam si idem sint prorsus realiter, quod etiam cum Scoto tenet Aureol. Cum denique inquit, relationem non solere a fundamento denominari, sed e contra, & ideo per relationem possibilitatis bene denominari posse possibile objectum, quod cadit sub omnipotentia Dei, & non autem possibilitatem ipsam objectivam: occurrendum ex Scoto quol. 18. infra C. duo dari genera denominationum, ut etiam nos notavimus disp. 3. Phys. qu. 3. art. 2. n. 37. quædam sunt formales, quæ scilicet a formis in sua subjecta derivantur, quædam vero materiales, quæ a subjectis in suas formas redundant, siquidem experientia docet, dum forma est in materia, varias denominationes sibi invicem mutuo communicare, nam albedo corpus informans denominat album, coloratum, & quale, & corpus e contra illam denominat subjectatam, corpoream, & materialem formam quidem informando, & actuando, corpus autem subjectando, & recipiendo, talis enim est natura formæ, & subjecti, ut loc. cit. dicebamus; sic igitur in proposito de relationibus dicendum, quod licet quoad primum genus denominationum soleant relationes denominare subjecta, tamen evenit etiam interdum, ut subjecta quoque relationes denominent quoad secundum genus denominandi, sic unio extrema sua denominat unita, sed etiam ab illis denominatur substantialis, vel accidentalis, secundum quod extrema unita sunt substantia, vel accidens; & ita in proposito relatio possibilitatis concepta in objecto, quod cadit sub Dei omnipotentia, utique denominat illud possibile quoad primum denominandi genus, at e converso ipsa quoque deniminatur ab eo quoad alterum denominandi modum possibilitas objectiva.

Hinc Pasqualigus tom. 1. suæ Metaph. disp. 77. sec. 4. licet dicat potentiam objectivam eo modo, quo solet Scotistis adscribi, non esse ponendam, quasi nempe potentia aliqua realis passiva, quæ se teneat ex parte creaturæ, respondens ex opposito potentiæ activæ Dei, nam creaturæ haberent aliquid reale actuale in seipsis ante earum productionem; tamen in sensu superius explicato, qui est genuinus Doctoris, ait a nullo negari posse, quia cum esse creaturæ ante ejus productionem non se habeat ut quid actuale, sed ut quid possibile, & communicabile, fit, ut se habeat, tanquam quid potentiale, & quod substerni possit actualitati, tunc enim concipimus illud esse sine aliqua actualitate, & postea quando concipimus rem existentem, concipimus illud ipsum esse essentiæ possibilis cum actualitate ex quo fit, ut illud, esse essentiæ, ad modum fere subjecti concipiatur substerni actualitati ex vi productionis, quamvis re vera non substernatur sed exeat de virtute causæ, & eo ipso quod exit, fiat seipso actuale; stante ergo hoc nostro modo concipiendi illud esse essentiæ possibilis dici potest in potentia objectiva, se habet enim ut quid potentiale, quia objicitur tanquam aliquid, quod potest substerni actualitati; immo Thomistæ insignes, ut Complut. 1. Physic. disp. 3. quæst. 2. potentiam objectivam hoc modo explicatam admittunt, licet dicant non esse potentiam realem, & rigorosam, ut potentia activa, & passiva, quod & nos ultro concedimus, unde concludimus quod ab initio diximus, hanc famosam inter Scotistas, & Thomistas controversiam reduci ad quæstionem de nomine.

74 Postremo, quia clamant nonnulli Thomistæ, & Peripatetici hanc potentiam objectivam apud Arist. non inveniri, licet locus ab auctoritate negativus non multum urgeat, & forte excusaretur Arist. si ei agnita non fuisset, sicut neque illi a-

gnita est creatio rerum in tempore, unde potentia illa objectiva, ut distinguitur a subjectiva, manifestior est Theologis, quam Philosophis, adhuc tamen libet adducere nonnulla loca Aristot. in quibus de hac potentia loquitur objectiva, ut est differentia entis; licet eam tali nomine non appellet. In primis Doct. frequenter ait, & præsertim 2. d. 12. q. 1. & d. 16. qu. un. quod de hac potentia loquitur Arist. 9. Met. tex. com. 13. cum ait, actum, & potentiam esse ejusdem generis, constat enim loqui non posse nec de potentia activa, nec passiva, vel subjectiva, quia istæ potentiæ non sunt ejusdem generis cum actibus, ad quos ordinantur, nam substantia, quæ est subjectum respectu accidentium non est ejusdem generis cum accidentibus, & sic de aliis, ergo re vera loquitur de potentia objectiva, & in hunc modum exponit Com. hunc locum dicens, *& universaliter quia potentia est non esse*, *& actus esse*. Deinde inquit Doct. 4. d. 11. q. 3. lit. D. adhuc manifestius de hac potentia locutum esse Philosophum eodem lib. 9. Met. tex. 11. dum ait, *est autem actus, vem existere, non ita sicut dicimus potentia*, & post explanando istam descriptionem manifestat in multis oppositis, ut vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculum, & elaboratum ad illaborandum; at potentia, quam habet vigilans ad dormiendum, & videns ad claudendum oculum, sane non erit subjectiva, quia subjectiva manet cum actu, sed vigilia non stat cum somno, nec visio cum oculis clausis, ergo est potentia objectiva. Tum quia etiam ab istis exemplis præscindendo ex ipsa descriptione actus existentiæ sufficienter deducitur ibi sermonem esse de potentia objectiva, quæ opponitur existentiæ, sub qua potentia dicitur esse, quod actu non existit, bene tamen existere potest; verum tamen est, Arist. vel nihil, vel parum locutum esse de potentia objectiva, ut convenit rei creabili, sed præsertim de ea locutus est, ut convenit rei generabili, quo pacto potentia objectiva materialiter coincidit cum subjectiva, quatenus scilicet forma quæ in se est objective possibilis respectu agentis, dicitur etiam contineri in potentia subjectiva materiæ, ex quo capite dicitur etiam possibilis subjective, ut magis postea declarabitur. Expressius adhuc potentiam objectivam significat 3. Met. 19. dum ait, *possibile est etiam esse, quod nondum est, fit enim quod non est, sed nihil eorum fit, quæ esse impossibilia sunt*, clarius certe ad rem nostram loqui non poterat. Deinde Zabarel. ipse fatetur de hac potentia mentionem feciße Arist. 5. Met. tex. 17. falso igitur inquiunt Thomistæ hanc potentiam fuisse omnino Arist. incognitam, licet eam non expresserit hoc nomine potentiæ objectivæ: & non dari aliam potentiam præter activam, & passivam, nam 9. Met. tex. 1. inquit, *quod potentia, & actus in plus est quam illa, quæ secundum motum solum dicuntur*, & in eodem lib. tex. 11. ait, *non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud movere, aut moveri ab alio, sed etiam aliter*, ergo secundum Arist. datur alia potentia præter activam, & passivam.

Argumenta contra potentiam objectivam solvuntur.

PRimo arguit Zabarella lib. 2. de materia cap. 2. probans potentiam hanc objectivam non esse reipsa a passiva, & activa distinctam, nam apud Arist. duæ tantum potentiæ inveniuntur, scilicet, activa & passiva, ut patet 9. Met. & duo actus, primus scilicet & secundus initio lib. de Anima ille respondens potentiæ passivæ, & est forma, iste respondens potentiæ activæ, & est operatio; potentia igitur objectiva nihil esse potest ab his duobus distinctum, quod ita ostendit primo de passiva, nam si dicamus, hominem, qui nondum est genitus, esse in potentia objectiva, quærendum est, in quonam ea potentia adhæreat, cum adhuc homo non sit, certe nil aliud responderi potest, nisi eam esse in prima materia, hominis enim generandi nihil tunc existit, nisi materia, quæ ipsius pars futura est, atqui potentia in materia non alia inest, quam subjectiva, ergo potentia illa objectiva, qua homo potestate esse dicitur, nil aliud est quam potentia subjectiva, & dicere hominem esse in potentia objectiva, est, dicere materiam habere potentiam recipiendi formam hominis. Deinde probat idem quoque de activa, quod nempe objectiva non differat ab illa, quando enim dicimus mundum, antequam crearetur, fuisse in potentia objectiva respectu agentis, tunc non significamus potentiam aliquam existentem, cum enim tunc mundus nihil sit: nihil etiam est ista potentia, prout mundo attribuitur quia nihil existit in quo recipiatur, ideo si bene illa potentia consideretur, nil significat secundum se, nisi non repugnantiam terminorum, hoc est negationem impossibilitatis, & veritatem hujus propositionis, possibile est mundum creari, talem autem potentiam non esse aliquid reale, docet Arist. 5. Metaph. 17. ergo ista potentia secundum se sumpta nihil est reale, bene tamen si sumatur, ut idem, quod potentia activa: quando enim dicimus mundum esse in potentia objectiva, si quid reale significamus, id non est, nisi ipsa potentia activa Dei, itaut dicere mundum tunc fuisse in potentia objectiva, nihil aliud significet, quam Deum tunc habuisse potentiam activam creandi mundum, nihil ergo est illa potentia objectiva re ipsa distinctum a potentia activa.

75 Resp. hunc discursum minime nobis officere, quia ut constat ex supradictis, nec Scotus admittit potentiam objectivam, ut potentiam omnino realem, nec ut omnino distinctam ab activa, vel passiva, sive subjectiva, & quidem de subjectiva loquendo hoc mani-

manifeste expressit 2. d. 12. q. 1. §. *est igitur videndum*, dum ait, aliquid potest esse in potentia dupliciter, uno modo ut terminus, alio modo ut subjectum, quod est in potentia ad terminum, & forte est eadem potentia, sed ut comparata ad diversa dicitur objectiva, vel subjectiva, itaquod subjectum existens dicitur potentia subjectiva, & eadem ut respicit agens dicitur objectiva, possunt tamen separari, ut in creabili, ubi est potentia objectiva, & non subjectiva, quia ibi non subjicitur aliquid; hæc ibi Doctor, quibus perspicue docet potentiam objectivam interdum cum subjectiva potentia coincidere, (quod de coincidentia materiali intellige, nam in suis rationibus formalibus nunquam coincidunt, quia ut ait Doctor, semper per comparationem ad diversa dicuntur) interdum ab ea distinctam reperiri; in composito, & generabili coincidunt, nam potentia hominis generandi, si materiam respicias, subjectiva appellatur, si autem ad agens, objectiva nuncupatur, non ergo eam universaliter a subjectiva reipsa distinxit, nam in generabili coincidunt objectiva, & subjectiva, in creabili autem secernuntur, unde Angelus, anima, & materia prima, quæ non habent materiam, ut partem sui, antequam producerentur dicebantur solum in potentia objectiva, quia erant tantum terminus potentiæ productivæ, neque dabatur aliquid, de quo producerentur: primum itaque Zabarel. argumentum probat solum quod inquit Doctor in re generabili coincidere materialiter objectivam, & subjectivam potentiam, ut bene ostendit exemplum Zabarel. non tamen probat universaliter coincidere, quia non ita evenit in pure creabili. Alterum quoq; argumentum de potentia activa ostendit identidem, potentiam objectivam, quantum ad id quod reale importat, non esse diversam ab activa, cum non consistat nisi in denominatione extrinseca ab ipsa desumpta, ut supra dictum est. Hic autem notare oportet, quod cum probat Zabarel. cum omnibus Thomistis hanc potentiam objectivam non esse realem, eo quia nequit illi assignari fundamentum reale, cui inhæreat, nam nec homo generandus aliquid est, nec mundus creandus, in quo talis potentia fundari possit, hæc, inquam, probatio non urget, quia ut supra dictum est num. 68. & magis infra patebit disput. 8. quæst. 1. art. 3. n. 46. licet homo generandus vel mundus creandus, non sit ens actuale, quod dici solet ens verbaliter idest existens, est tamen ens possibile, quod dici solet ens nominaliter, unde adhuc sub tali statu potentialitatis tantum realitatis includit, quod distinguitur a puro nihilo, quod nec est, nec esse potest, cum ergo in hoc sensu non sit nihil, sed aliquid, si non actuale, saltem potentiale, etiam in hoc eodem sensu posset objectiva potentia dici realis, quia est talis potentia, quæ convenire nequit chimæræ, ac enti omnino prohibito. Demum in hoc etiam peccat Zabarel. discursus, quod potentiam objectivam secundum se consideratam confundit cum potentia Logica, & hanc quoque dicit esse meram possibilitatem negativam, quorum utrumque falsum esse diximus n. 68.

76 Secundo arguit Capreol. 1. d. 3. q. 3. quod hæc potentia objectiva pura sit fictio, quia Arist. qui toties dixit omne genus entis dividi per potentiam, & actum, nunquam fecit mentionem de tali potentia objectiva nec explicite, nec implicite, etenim 9. Met. cum proposuit actum, & potentiam esse differentias entis in textu primo, statim in textu secundo subdividit potentiam in activam & passivam, & agit de utraque, ergo præter istas alia potentia non datur. Conf. quia actus entitativus non datur, ergo nec potentia objectiva, quæ intantum a Scotistis admittitur, ut opponatur actui entitativo.

Resp. Locum ab auctoritate negativum nullius esse momenti, & rursus patere ex n. 74. de hac potentia objectiva Arist. non semel meminisse, quod si eam non agnovisset ut distinctam a potentia subjectiva, mirum esse non debet, quia neque creatio illi nota fuit, ut ponitur a Theologis; deinde falsum est ab initio lib. 9. Met. textu secundo subdividi potentiam, de qua fuit facta mentio in textu primo, ut bene Barg. advertit 1. d. 7. qu. un. sed recapitulat ibi quasdam divisiones habitas 5. Met. 17. ut patet ex verbis ipsius tex. qui ita loquitur; *quod quidem igitur multipliciter potentia, & posse determinatum est a nobis in aliis*. Ad Conf. negatur assumptum, dari enim debere actum entitativum constabit q. seq. unde ex necessitate talis actus deduci etiam debebit necessitas potentiæ objectivæ illi actui oppositæ.

77 Tertio arguit Zanar. 9. Metaph. q. 2. potentia hæc objectiva, aut ens in tali potentia vel est aliquid productum, & creatum, vel non; non primum, quia omne ens creatum est terminus creationis, & sic in actu existentiæ, quod omnino rationem hujus potentiæ aufugit; si secundum, ergo est creator, vel datur aliquod increatum præter Deum. Deinde cum hæc potentia objectiva ad actum reducitur, vel manet cum actu, vel non manet: si manet, ergo est potentia subjectiva, ex qua res fit; si non manet, ergo non est aliquod positivum, quia ens ex potentia deductum ad actum, potentiam servat, & actum, quia sunt de ejus constitutione. Aliud quoq; argumentum adducit, cujus solutio pertinet ad disputationem de essentia, & existentia. Resp. faciliter ad primum, ens in potentia objectiva, nec esse productum, nec improductum, quia hæc membra dividunt tantum ens actu existens in rerum natura, immo implicat ens in potentia objectiva dici productum, quia ens in potentia objectiva significat ens, quod non adhuc productum est, sed bene produci potest. Ad aliud dicendum in productione rei potentiam objectivam non manere cum actu existentiæ, quia potentia objectiva in sua ratione negationem involvit existentiæ, & ideo adveniente existentia evanescit objectiva potentia, & concedo gratis non dicere aliquod positivum reale, præsertim ex ea parte, qua dicit negationem existentiæ, sed solam extrinsecam denominationem agentis potentis rem producere.

Quarto arguunt Aureol. & Soncin. uno fere labio, omnis potentia dicit ordinem ad aliquem actum cum carentia illius dispositionis, quam habet res, cum est in actu, ex Comment. 9. Metaph. com. 11. sed creatura antequam creetur, non intelligitur ut carens aliqua dispositione, quam postmodum acquirat, & per consequens non est ibi aliquis ordo fundatus in creatura ad aliquem actum futurum, quia idem non potest intelligi esse in potentia ad se, nec potest intellectus fundare ordinem, vel respectum, quem importat potentia ad actum, super unum, & idem indivisibile respectu sui ipsius; constat autem, quod dum concipitur res creari, totum illud, quod ante intelligebatur non esse intelligitur ut positum in esse, itaquod non concipitur aliquid quod sit in potentia, & aliquid aliud, ad quod sit in potentia, ergo manifestum est, quod non potest ibi formalitas potentiæ apprehendi. Deinde si Cœlum antequam esset, habebat rationem potentiæ objectivæ, quæro super quid fundabatur, & ad quid terminabatur respectus importatus nomine potentiæ, aut enim fundabatur super realitatem Cœli conceptam, & terminabatur ad ipsam realitatem Cœli, aut terminabatur ad esse Cœli; non primum, quia idem non est in potentia ad seipsum, ut dictum est neque secundum, quia eodem modo quæritur deesse, seu existentia Cœli, antequam esset, utrum esset in potentia objectiva, vel non, & per se oportet dicere, quod sic, quia omnis entitas, quæ non est, & potest esse, est in potentia objectiva, & non est dicendum, quod est sit in potentia ad esse: nec potest dici quod esset in potentia ad aliquid aliud, cum esse sit ultima actualitas non relinquens ulteriorem potentialitatem. Rursus possibile objectivum dicitur ex hoc, quod est natum esse objectum alicujus potentiæ realis, sed non potest esse objectum, nisi aut potentiæ activæ, aut passivæ, ergo nulla est potentia realis præter activam, & passivam. Præterea urget Aureol. probans potentiam objectivam nihil esse non solum realiter, immo nec secundum rationem quia per intellectum componi non potest, quod ita ostendit, idem est dictu objectum potentiæ activæ, & terminus illius potentiæ, sed terminus non potest ligari cum potentia, ut dicatur, quod creaturæ sunt in potentia terminativa, nulla enim potentia producitur, sed terminus potentiæ producitur, & ideo terminus non potest denominare potentiam, ut dicatur potentia terminativa, sicut nec etiam dici potest paternitas filiativa, ergo potentia objectiva implicat contradictionem. Denique ligans in mente sua propositionem hanc, mundus fuit in potentia objectiva, aut attribuit mundo aliquam potentiam formaliter inhærentem, aut denominat mundum a Dei potentia activa, cujus fuit objectum, & potuit esse objectum, sed constat quod non potest circa mundum concipere aliquam potentiam formaliter inhærentem, quia cum totus mundus totaliter sit productus, nihil potest concipi fuisse in potentia ad totum hoc, quod est productum. Nec etiam potest dari secundum, scilicet quod denominetur a potentia Dei activa, cujus fuit objectum, quia licet denominari posset concretive a tali potentia, quia verum est, quod mundus fuit possibilis objective ex illa potentia, non tamen denominari abstractive ita, quod illa activa potentia dicatur objectiva, ac si mundus capiat in se quandam potentiam objectivam ex hoc, quod est in potentia Dei activa, alioquin erit aliqua potentia concepta formaliter inhærere ipsi mundo, quod impossibile est concipi, quare concludit Aureol. quod isti duo termini sunt incompossibiles *potentia objectiva*, sicut & isti duo *nigredo alba*.

78 Resp. primum argumentum unum supponere falsum, quod scilicet formalitas potentiæ consistat in hoc, quod potentiale denominet tale in ordine ad aliud, ad quod sit in potentia, quodque ipsum recipiat per modum actus, & quia in mundo possibili hæc duo apprehendi non possunt, quia ubi totus antea erat producibilis, modo totus est productus, hinc concludunt Adversarii non posse in mundo possibili apprehendi formalitatem potentiæ: hoc autem supposito verificatur tantum de potentia subjectiva, non objectiva, ut constat ex dictis num. 70. & ideo licet in mundo possibili nequeat apprehendi formalitas potentiæ subjectivæ, ut bene argumentum ostendit, non tamen concludit, quin possit in eo concipi formalitas potentiæ objectivæ. Et cum dicunt nihil dici posse in potentia ad seipsum, hoc identidem verificatur de potentia subjectiva, non objectiva, immo de ratione istius est, quod idem, quod erat in potentia, fiat omnino idem sub actu, & cum hæc non sit potentia realis, sed potius rationis, non est inconveniens, idem hoc modo esse in potentia ad seipsum, sicut pariter ex dictis in Physica, quia causalitas finalis, & idealis non est omnino realis, ideo in eo genere idem potest causare seipsum, nam finis in intentione causat seipsum in executione, ita ergo pariter dicendum in proposito. Commen. tandem loco citato vel loquitur de potentia præcise subjectiva, vel de objectiva, prout materialiter coincidit cum subjectiva modo explicato n. 75. Ad 2. constat ex dictis potentiam objectivam fundari in possibilitate logica rei, & uno modo posse referri ad agens, cujus virtute ens in potentia potest ad actum trahi, ac alio modo referri posse ad ipsum actum existendi, non quidem tanquam ad actum partialem alicujus naturæ præcedentis sub aliqua realitate potentiali, sicut materia dicitur præcedere formam, sed tamquam ad actum totalem totius naturæ, quæ tota præcessit sub statu potentialitatis sine ulla actualitate existentiæ, quo quidem pacto non inconvenit idem esse in potentia ad, seipsum verbi gratia totum Cœlum antequam crearetur, sub statu potentialitatis, ad seipsum sub statu actualitatis modo explicato num. 70. quem potentialitatis modum Adversarii capere nequeunt, quia habent in mente fixum solum modum potentialitatis subjectivæ. Ad 3. ex ea ratione potius debet oppositum concludi, cum enim potentia activa non detur respectu impossibilis, ut ait Arist. Meraph. 19. admitti debet possibile objectivum; quod tale dicatur per possibilitatem objectivam; quæ partim sit intrinseca rei possibili ratione possibilitatis logicæ, in qua fundatur, partim extrinseca per comparationem ad potentiam activam, unde sumitur denominatio possibili objective, & gratis concedimus quoad hanc denominationem nihil realitatis dicere ultra potentiam activam, vel passivam.

79 Ad 4. negatur minor, ad probationem dicitur, quod esto potentia objectiva non producatur proprie loquendo, producitur tamen id, quod est in potentia objectiva, & terminus, vel objectum possibile potest denominare possibilitatem quoq; ipsam objectivam eo denominationis genere, quo interdum subjecta solent suas denominare formas, & fundamenta relationis, quemadmodum explicatum est supra num. 73. & quamvis id non contingat in quibusdam relationibus, non tamen id negari debet in omnibus. Ad ult. concipiens illam propositionem, mundus fuit in potentia objectiva, potest tribuere mundo possibili potentiam objectivam utroq; illo modo insinuato in argumento, nam potest primo illi tribuere talem potentiam objectivam per modum extrinsecæ denominationis, hoc enim universaliter contingit in quocumque effectu ad suam causam comparato, ex hoc enim quod causa dicitur potens suum effectum producere, statim in effectu resultat denominatio quædam extrinseca producibilis a tali causa; & cum ait Aureol. bene denominari posse concretive a potentia activa, non autem abstractive, ita quod illa potentia objectiva, dico illam potentiam activam in se, & formaliter consideratam, ut se tenet ex parte agentis, utique talem non posse subire denominationem, bene tamen, si terminative consideretur, & ut se tenet ex parte effectus, & præsertim ita appellatur, cum illa denominatio extrinseca possibilis concipitur in mundo creando per modum cujusdam relationis, & potentiæ passivæ correspondentis activæ, quæ potentia inhæret mundo non quidem inhærentia reali, & per modum formæ realis, cum mundus adhuc supponatur non existens, sed inhærentia intentionali, & ficta per rationem, qua de causa fatemur potentiam objectivam non posse absolute, & simpliciter dici potentiam realem.

Quinto objicitur probando, potentiam objectivam, nulla tenus a logica secernendam, nam eadem ratione formali constituuntur, ergo neque per rationem distinguuntur, probatur assumpum, quia per non repugnantiam ad esse, & existere utraque potentia constituitur, ut patet ex rationibus utriusque, illud enim dicitur esse in potentia objectiva, quod non est, nec existit, potest tamen esse, & existere, hoc autem idem competit potentiæ logicæ ex sua ratione formali. Confirmatur, illi respectus sunt omnino idem, quorum idem est fundamentum, & terminus, sed potentiæ objectivæ, & potentiæ logicæ idem est fundamentum, & terminus, ergo sunt omnino idem, minor probatur, quia fundamentum potentiæ objectivæ est ens secundum quid, & in esse cognito, & possibili, terminus autem est ens simpliciter, & in esse existentiæ, at hoc idem est fundamentum, & terminus potentiæ logicæ, non enim fundatur in impossibili, nec terminatur ad impossibile, ergo &c. Demum potentiæ specificantur per actus, ad quos ordinantur, at istæ ordinantur ad eundem actum scilicet existentiæ, ergo sunt eadem prorsus potentia.

80 Resp. negando assumptum cum probatione, quia potentia objectiva constituitur per respectum ad potentiam activam agentis; non autem logica, quæ potius a tali respectu præscindit, ac ideo dici solet possibilitas absoluta, quia consistit in sola non repugnantia rei præscindendo ab eo, quod illa res sit ab alio producibilis, vel a seipsa existat, unde & Deus ipse dicitur possibilis logice, non autem objective, ut ait Doctor 1. d. 7. q. un. L. quapropter, inquit, possibilitatem logicam posse consistere, licet per impossibile nulla potentia eam respiceret, quod & repetit inferius 1. d. 36. lit. M. & 9. Met. q. 2. item potentia objectiva involvit negationem existentiæ in suo conceptu, & hæc erat una conditio ad ejus constitutionem superius requisita, & ideo destruitur in adventu existentiæ, & actualitatis, at potentia logica talem negationem non involvit, nec in adventu existentiæ destruitur, sed quantum est de se tam ab existentia præscindit, quam ab ejus negatione, & cum utraque disiunctim est compossibilis, patet ergo has potentias diversas habere rationes formales constitutivas. Ad Conf. negatur minor cum probatione, quia cum respectus per potentiam logicam importatus versatur inter extrema propositionis, quæ judicat intellectus invicem non repugnare, & respectus per potentiam objectivam importatus fundatur super ipsam potentiam logicam, ut constat ex dictis, ac fusius dicendis infra disp. 8. q. 1. ar. 3. a n. 30. Ad ult. licet potentia objectiva ordinetur ad actum existentiæ, cum hoc etiam ordinatur ad agens, a quo talem actum susicipere potest, quod non convenit potentiæ logicæ, quæ a tali agente omnino præscindit, & quamvis ambæ istæ potentiæ ad eundem ordinentur actum, diverso tamen id prorsus

modo contingit, quia potentia objectiva ordinatur ad actum existentiæ cum dependentia a potentia activa, potentia autem logica ad eundem ordinatur actum sine tali dependentia; rursus objectiva ita ordinatur ad actum, ut cum eo sit incompossibilis, ac in ejus adventu destruatur; logica vero ita ordinatur ad actum existentiæ, ut cum ea sit compossibilis; unde ab actu ad potentiam logicam tenet consequentia affirmative, si res existit, ergo non ei existere repugnat, non tamen consequentia tenet ad potentiam objectivam, sed hæc res amplius declarabitur infra disp. 8. q. 1. art. 3.

Demum arguitur, quod potentia objectiva secundum Scotum sit realis, nam 9. Metaph. q. 2. ait hanc relationem videri realem, quia fundatur in essentia possibili, quæ est realis, quatenus esse sibi non repugnat, ut chimæræ, licet non existat. Resp. Scotum ibi num. 6. & 7. satis se explicare, quod si relatio in ordine ad actum, per quem explicatur potentia objectiva, consideretur ex parte fundamenti, potest aliquo pacto dici realis, quatenus fundatur in essentia possibili, quæ non est omnino nihil ut chimæra; si vero consideretur ex parte termini, quia ordinatur ad esse, ut ad terminum, a quo essentia realiter non distinguitur, non potest esse nisi relatio rationis, quia non est inter distincta realiter, nec inter extrema realia actu existentia.

QUÆSTIO III.

De actu primo, & secundo, formali, ac entitativo.

81 Circa primam divisionem actus in primum, & secundum non est contentio, sicut omnes admittunt potentiam activam, & passivam, ita etiam unanimiter admittum duplicem actum illis potentiis correspondentes, scilicet actum primum, & actum secundum; potentiæ passivæ respondet actus primus, qui est forma, & potentiæ activæ correspondet actus secundus, qui est operatio. Est tamen adhuc aliqua difficultas circa explicationem actus primi, & secundi, quamvis enim Philosophi omnes passim per actum primum formam intelligant, & per actum secundum operationem formæ, adeo ut actus secundus sit necessario accidens, nihilominus Mercenarius in suis dilucid. vol. 1. pag. apud me 193. & rursus vol. 2. pag. 157. contra omnes enixe tuetur actum primum esse formam non operantem, actum vero secundum esse eandem formam, prout operatur, pro qua opinione citat Averr. eamque probat ex verbis ipsis Arist. in illo eodem loco, ubi hanc divisionem tradidit actus in primum, & secundum, scilicet lib. 2. de Anim. ab initio, nam inibi tex. 2. dividit substantiam in materiam, formam, & compositum, formam autem, quam actum appellat, mox subdividit in actum primum, & secundum, ex quo sic arguit; Actus ille dividitur in primum, & secundum, qui una cum materia, & composito substantiam dividunt, at talis est substantialis, ergo actus substantialis dividitur in primum, atque secundum, & sic actus secundus substantia erit, non accidens. Deinde tex. 5. probat animam non esse corpus, quia corpus non est in subjecto, inde colligit animam esse substantiam, & quidem substantiam, quæ est actus, hic autem duplex est primus, & secundus, ergo actus secundus est substantia, & ita non erit pura operatio. Rursus si per actum secundum intelligeret accidens, & puram operationem, sequitur frustra assignasse tertiam divisionem, quæ est actus in primum, & secundum, nam secunda divisio, quæ est substantiæ in materiam, formam, & compositum sufficeret, cum ex ipsa sufficienter colligatur animam esse formam substantialem, & consequenter actum primum. Demum ex hoc sequeretur, definitionem animæ redundantem esse, quia faceret hunc sensum, anima est substantia, quæ est actus primus, idest qui substantia est, jam vero cum Arist. acceperit in definitione primum animam substantiam esse, supervacaneum fuisset statuere postea esse actum primum, hoc est substantiam, in dubiumque revocare, an sit actus primus, vel secundus, hoc est substantia, vel operatio, quis enim nunquam fuit, qui dixerit animam operationem esse, itaut opus fuerit Arist. ostendere animam operationem non esse sed substantiam.

82 Sed jam in expositione textus lib. 2. de Anim. ab initio hanc Mercenarii opinionem improbavimus, & cum communi determinavimus per actum primum intelligi formam; & per secundum solam operationem, & ita insinuavit Doctor 1. d. 2. q. 7. lit. Q. immo ita expressit Arist. in illo eodem textu, ubi hanc tradit divisionem, nam exemplificare volens de actu primo, & secundo, adducit exemplum de scientia, & speculari, sed speculatio est pura operatio, ergo per actum secundum solam intelligit operationem. Tum quia 3. Phys. vocat Arist. motum actum motoris, sed certum est motum non esse actum motoris primum, sed secundum, ac pariter esse solam ejus operationem, ergo &c. Tum quia anima nutriens semper operatur, quamdiu enim vivimus, tamdiu nutrimur, ait Aristot. ergo animæ nutrienti non conveniret definitio animæ, nam actus in definitione animæ stat pro actu primo. Neque motiva ad oppositum sufficientia sunt, ut pro eis deferatur communis omnium consensio de actu primo, quod sit forma, & de actu secundo, quod sit ejus operatio. Ad 1. namque jam in expositione textus dictum est falsum esse in tertia divisione dividere actum, quem assignaverat in secunda divisione, sed bene occasione illius divisit

actum

actum in communi ad primum, & secundum, qui est genus formæ, ut insinuaret formam, quam dixit esse actum, non esse actum secundum, sed primum. Ad 2. patet per idem. Ad 3. negatur consequentia; fuit enim necessaria tertia divisio duabus de causis, primo quia cum anima sit substantia, debuit excludi ab actu secundo, qui est operatio, deinde fuit necessaria, non ut excluderet formam operantem, ut ait Mercenarius, sed ut manifestaret contra Xenocratem animam non esse motum, & operationem, sed actum secundum, ut ipse asserebat. Ad ult. patet per idem animæ definitionem non esse redundantem, neque sensum facit animam esse substantiam, quæ est actus primus, idest, qui substantia est, sed quæ forma est, quia forma est actus primus.

Circa alteram divisionem actus in formalem, ac entitativum major sane est difficultas, siquidem Thomistæ sicut potentiam objectivam admittere nolunt, ita neque ad actum entitativum admittendum, qui est actus illi potentiæ correspondens, ullo pacto adduci queunt, & præcipue inter Recentiores Philosophos in hunc actum entitativum, velut in intensissimum hostem, vehementer exarsit Zabarell. loc. allegat. lib. 2. de materia cap. 2. Scotistæ e contra, quemadmodum in præcedenti quæstione duplicem assignabant potentiam, subjectivam nempe, & objectivam, ita pariter in præsenti duplicem assignant actum geminæ illi potentiæ correspondentem, unum formalem, qui potentiæ subjectivæ *correspondet*, alterum *entitativum*, qui correspondet objectivæ, per actum formalem intelligentes ipsam formam sive substantialem, sive accidentalem, *ideoque illud dicitur esse in actu formali*, quod ipsam formam habet, unde materia omni forma denudata non diceretur in actu formali; per actum vero entitativum nil aliud intelligunt, nisi ipsam rei existentiam, ut dictum est disp. 2. Phys. num. 17. tractando de actu entitativo materiæ, unde illud dicitur esse in actu entitativo, quod reipsa existit in rerum natura.

83 Dicendum itaque cum Scoto, & Scotistis præter actum formalem subjectivæ potentiæ correspondentem, entitativum quoque assignari debere ab ipso distinctum, qui potentiæ correspondeat objectivæ. Ita Doctor 2. d. 12. qu. 1. quem sequuntur nedum omnes, & singuli ejus discipuli, sed Recentiores omnes præsertim Societatis Auctores in tam copioso numero, ut singulos nominatim referre pigeat, & quamvis omnia ad hanc rem pertinentia sufficienter tractata sint d. 2. Phys. q. 2. art. 2. dum de actu entitativo materiæ ageretur, nihilominus hic aliqua addere, & nonnulla quoque ex loco allegato repetere juvabit ad stabiliendum magis in schola nostra hunc actum entitativum adeo famigeratum. Probatur primo omnibus Arist. auctoritatibus num. 74. allegatis, sicut enim ibi præter potentiam activam, & passivam concedit quoque objectivam, ita pariter præter actum primum, & secundum, & ultra actum formalem concedit entitativum potentæ objectivæ correspondentem, & ita expresse loquitur 9. Metaph. text. 11. dicens, *est autem actus existere rem non ita sicut diximus potentia*, ubi conspicue existentiam rei actum appellat, cum ergo per actum entitativum nil aliud a Scoto, & Scotistis intelligatur, quam ipsamet rei existentia, ita fatuum est negare dari in rerum natura actum entitativum, ac si negaretur dari in natura, & in universo rerum existentiam. Respondent Thomistæ concedendo in hoc sensu dari actum entitativum, licet vocabulum eis displiceat, sed negant talem actum entitativum a formali distingui, dicunt enim omnem existentiam esse a forma. Sed Contra, nam actus entitativus convenit etiam rebus, quæ non sunt aliorum formæ, nam quicquid actu est, sive productum per actionem naturalem, sive per creationem, ut est terminus ad quem actionis, dicitur habere entitativum actum, sive fit improductum, ut Deus, dicitur esse in actu entitativo. Tum quia principium illud Thomistarum, quod omnis existentia sit a forma, satis improbatum est disp. 2. Phys. q. 2. artic. 1. & adhuc magis a priori impugnabitur infra disp. 8. quæst. 1. art. 2. nu. 100. ubi ostenderur implicare, quod aliquid existat, & constituatur ens actuale extra causas, quod est esse actu existens, intrinsece, & formaliter per aliquid a seipso realiter diversum. Dices hoc ipso probari actum formalem ab actu entativo non distingui, quia forma quoque cum sit ens actuale in rerum natura, propriam habebit existentiam. Negatur sequela, id enim solum probat formam physicam a proprio actu entitativo realiter non distingui, quod universaliter verum est de quocumque alio ente reali, nullum enim ens realiter a propria existentia secernitur; verum tamen est, etiam in ipsa forma physica rationes actus formalis, & entitativi, licet materialiter coincidant, adhuc manere formaliter impermistas, & per ordinem ad diversa constitui, dicitur enim forma actus formalis respectu potentiæ subjectivæ materiæ, entitativus autem respectu potentiæ objectivæ, sub quæ esse dicebatur, antequam produceretur ab agente.

84 Conf. hæc tota impugnatio, quia materia secluſa forma habet hunc actum *entitativum*, de quo *hic est sermo*, ut fuse probatum est ex professo disp. 2. Phys. cit. qu. 1. artic. 2. ex Doctore in 2. d. 12. q. 1. §. *dico igitur*, ubi præsertim id probat *ex muneribus* materiæ, quia materia est per se unum principium naturæ ex 1. Phys. est per se causa, ex 2. Phys. & 5. Met. est pars alicujus compositi 7. Metaphys. est fundamentum formarum 1. Metaphys. est per se subjectum mutationum substantialium 5. Phys. est denique terminus creationis, ergo non est aliquid in pura potentia objectiva, sed in actu entitativo, etiam ut contradistinguitur a forma, & sic datur actus entitativus ab actu formali distinctus. Respondet ad hoc argumentum Aureol. 2. d. 12. qu. 1. artic. 2. quod peccat per fallaciam a secundum quid ad simpliciter, non enim valet, materia est actus; pars compositi actu subjicitur, & informatur, ergo est ens in actu; ad cujus evidentiam notat, quod actus quandoque accipitur ut determinatio verbi, & compositionis, quandoque accipitur, ut extremum ipsius compositionis, sive ut determinat extremum compositionis, actus primo modo est actus secundum quid, secundo modo est actus simpliciter, & ideo non sequitur sine fallacia argumentum ab actu primo ad secundum; exemplum, chimæra est actu nihil, ergo est actu, non sequitur; similiter, rosa est actu intellecta, ergo est actu, non sequitur; ita est in proposito, quia actus in illis propositionibus accipitur, ut determinat compositionem, non autem extremum compositionis.

At contra hanc solutionem in primis est, quod Scotus non conficit argumentum, ut adducitur ab Aureolo, nec Scotus vim facit in illa particula actu, sed directe ex muneribus, quæ materia exercet, arguit ipsam habere propriam existentiam, seu actum entitativum, quia nec mutatio fit, *nisi in subjecto* existente in rerum natura, & sub utroque termino manente; nec forma in subjecto recipitur, & sustentatur, nisi prius natura existente; nec compositum constituitur, nisi ex partibus prius natura existentibus, ut deducebamus disp. 2. Phys. qu. 2. artic. 1. Deinde, quia quando etiam argumentum ita conficeretur a Scoto, ut affertur ab Aureolo; adhuc non bene solvitur, nam quando additur prædicatum aliquod distrahens, vel diminuens, tunc bene verum est non ligere ita arguere, sed fallaciam committi a secundum quid ad simpliciter, ut constat in exemplo de Chimæra ab eo allato, non valet consequentia, quia nihil distrahit subjectum, similiter quando dicitur, rosa est actu intellecta, esse intellectum est conditio diminuens, at in argumento nostro etiam ut ab Aureolo conficitur, nullum horum contingit, cum enim dicimus, materia actu subjicitur mutationi, actu informatur, & actu est pars, nullum istorum diminuit, vel distrahit subjectum, & ideo optime tenet consequentia, quod sit actu.

85 Sed Aureolus hanc adeo promptam prævidens instantiam respondet rursus ex hoc potius suum confirmati propositum, nam de ratione partis actu est, quod non existat actu proprio distincto, sed actu totius tantummodo, si enim haberet actum proprium distinctum, jam esset per se, & non esset pars. Contra, licet de ratione partis non sit actualitas subsistentiæ, & totalitatis, quia tunc per se solitarie existeret, & non in alio, est tamen actualitatis existentiæ, quia totum est divisibile in ea, quæ insunt, ex 5. Metaphys. 18. ergo partes debent actu in toto existere, ut illud constituant; immo debent etiam existere aliquo pacto actu proprio distincto, quia de ratione *unius* partis est, quod sit distincta ab alia comparte, alioquin compositum non constituerent, quod coalescere dicitur ex pluribus rebus diversis invicem unitis. Tum quia si esse actu partem tolleret actualitatem existentiæ materiæ primæ, adhuc tamen alia exercet munera physica, quæ talem existentiam omnino deposcunt, ut esse actu subjectum formarum, & mutationis, quod enim tale munus actu exercet, utique actu existere debet, ergo evasio Aureoli nulla est.

Deinde non video, qua ratione sufficienti possit Aureolus induci ad negandum materiæ proprium actum entitativum, tum quia cum in ejus principiis essentia nullo pacto ex natura rei distinguatur ab existentia, ipse tribuit materiæ propriam essentiam, & existentiam, ergo tenetur etiam ei tribuere proprium actum entitativum, præsertim quia hic, & alibi in Physica sæpe protestari sumus per actum entitativum aliud apud Scotum non intelligi, quam actualem rei existentiam, postquam egressa est a potentia objectiva sua, & activa agentis. Tum quia loc. cit. 2. d. 12. q. 1. art. 1. respondendo ad quæsitum, *ne sit contentio de nomine*, ait opus esse videre quid debeat in proposito intelligi per actum, si enim per actum intelligis (inquit) rationem positivam, ut distinguitur contra negationes, & contra nihil, sic non est difficultas materiam proprium habere actum, nam materia non est negatio, sed est ratio positiva; si rursus intelligas per actualitatem illam entitatem, ut distinguitur contra nihil, sic etiam dici potest materiam habere propriam actualitatem, sed sic est, quod Scotus 2. dist. 12. q. 1. in hoc sensu dumtaxat intelligit materiam habere proprium actum entitativum, ut patet in tota illa quæstione, & præsertim in fine dum inquit, *Ad aliud de actu, dico, quod si accipis actum pro actu informante, materia non est actus, si autem accipis actum pro omni eo, quod est extra causam suam, sic materia potest dici ens actu, vel actus, sed secundum communem modum loquendi esse actu attribuitur, & appropriatur formæ*, clare ergo, & perspicue se declarat Doctor, in quo sensu asseraz materiam dici posse in actu, & ingenue fatetur non absolute, & simpliciter dicendam esse in actu, quia secundum communem loquendi modum esse actu attribuitur, & appropriatur formæ.

86 At inquit Aureol. cit. quod licet eo modo sumendo actum entitas, & actus convertantur, atq; ideo sit contradictio, quod materia habeat entitatem distinctam a forma, & tamen quod non sit actus, capiendo tamen actum pro terminatione, & essentiali distinctione, sumendo distinctionem, sicut Philosophus

7. Me-

7. Metaph. tex. 9. quando dicit, quod actus separat, & distinguit, & hoc modo (inquit) non est idem actus, & entitas extra nihil, nec convertuntur adinvicem, hoc enim modo omnes partes in continuo sunt entitas quædam, & extra nihil, & tamen non sunt actu proprio, sed omnes sunt in potentia, & omnes habent esse unico actu ipsius totius, una enim non est ab alia divisa, & separata; sic, inquit, capiendo actum asserit materiam proprium non habere actum. Plane ex hoc discursu Aureol. constat ipsum cum Scoto non contendere, nisi de nomine, quia circa entitatem materiæ concedit Scoto quicquid vult, solum negat posse dici simpliciter, & absolute habere actum, quia actus separat, & distinguit 7. Metaph. & materia in se est quid indeterminatum, & indistinctum, & quidem Scotus ipse citat. hostis infensus quæstionum de nomine ultro concedit materiam non debere dici absolute, & simpliciter esse in actu, quia secundum communem loquendi modum esse actu attribuitur, & appropriatur formæ. Cæterum quamvis hoc totum sit verum, adhuc tamen positio Aureol. negantis materiæ omnem prorsus distinctionem, & determinationem, est cum grano salis intelligenda, omnino enim implicare videtur aliquod esse ens positivum extra causas in rerum natura productum, & non habere propriam entitatem, & unitatem in se, qua sit in se indistinctum, & a quocumque alio distinctum, si ergo materia est aliqua entitas a Deo producta in rerum natura, consequenter propriam habebit unitatem, quæ est passio entis, qua dicitur in se indistincta, & distincta a quocumque alio. Tum quia materia in composito est utique alia entitas a forma, alioquin compositum non esset ex diversis partibus compactum, ergo aliquam in se habet distinctionem, & determinationem. Tum quia etiam partes in continuo ita se habent, quamvis enim una non sit divisa, & separata ab alia, adhuc tamen singulæ propriam habent existentiam in continuo, & una secernitur ab alia, & intantum dicuntur esse ibi in potentia, inquantum potentialitas excludit actualitatem, non quidem existentiæ, & distinctionis, sed subsistentiæ, divisionis, & præcisionis, quam partes non habent, nisi cum sunt divisæ, ut innuit Arist. 5. Metaph. 18. & nos late tractivimus disp. 9. Phys. q. 2. art. 3. & 6. ubi ostendimus, partes dari actu in continuo abinvicem distinctas.

87 Cum ergo inquit Arist. 7. Metaph. in fundamento naturæ nihil esse distinctum, vult tantum significare res materiales per materiam non distingui, sed per formam, non autem negare vult, quod materia per suam entitatem non distinguatur a forma, & a quocumque alio, quod non est ipsa, dicit etiam essentiam materiæ esse indistinctam, & indeterminatam, quia intra seriem rerum naturalium generabilium, & corruptibilium, materia non est aliqua determinata, & completa species in hoc vel illo prædicamento, sed est inchoatio cujuscumque naturæ, & speciei in tali coordinatione, sicut animal intra genus animalium non est aliquod determinatum animal, sed fundamentum, & inchoatio cujuscumque naturæ in tali genere, qua ratione dici etiam solet materiæ in rebus physicum, ita namque explicari debet natura materia genus physicis, sicut explicari solet natura generis in rebus metaphysicis; quamvis autem *animal sit indeterminate homo, asinus, equus*, &c. sic de singulis, tamen quoad primum omnino conceptum dicit aliquam rationem determinatam, scilicet sensibilitatem, quæ tamen omnino indeterminata est intra genus animalis, & ideo determinationem expectat, quæ fit per differentias; sic igitur in proposito licet materia intra genus rerum materialium sit indeterminate lapis, lignum, ignis, & sic de aliis speciebus completis in prædicamento, adhuc tamen in se est aliqua certa, & determinata entitas, licet substantialiter incompleta, ac imperfecta. Deinde sicut génus logicum, vel metaphysicum non distinguit res sub eodem genere, nam potius in eo conveniunt, bene tamen a rebus sub diverso genere constitutis, ita pariter materia licet non distinguat res materiales ab invicem, quia omnes in materia conveniunt, adhuc tamen distinguit eas a rebus immaterialibus, falsum ergo est simpliciter, & absolute loquendo materiam in se omni prorsus carere distinctione, determinatione, hoc enim solum intelligi debet loquendo intra genus rerum naturalium, & materialium, quatenus non est aliqua determinata species, & completa illius generis, sed potius est fundamentum, & inchoatio omnium, atque ita diserte se explicuit Arist. ipse 7. Metaph. 9. cum dixit in fundamento naturæ nihil esse distinctum, quia scilicet, inquit, materia non est quid, nec quale, nec quantum, nec quidpiam eorum, quibus ens est determinatum; quæ omnia fuse explicata sunt disp. 2. Phys. q. 1. & 2. & ideo circa hoc non est amplius immorandum.

88 Secundo principaliter probatur conclusio, quod detur actus entitativus, nam triplex assignatur genus potentiæ, activa, passiva, & objectiva, & hanc enim quoque concedunt Complut. cit. 1. Phys. disp. 3. q. 2. ergo triplex quoque debebit assignari actus suæ potentiæ correspondens, ut proprium ejus specificativum; unus respondens potentiæ activæ, & dicitur actus secundus, seu operatio, alter correspondens potentiæ passivæ, vel subjectivæ, & dicitur actus formalis, & denique alter correspondens potentiæ objectivæ, quem nos vocamus entitativum; probatur consequentia, quia hnic potentiæ correspondere nequeunt nec actus secundus, nec formalis, nam isti actus supponunt in suis potentiis existentiam, at actus entitativus non supponit existentiam in sua potentia, ergo hic actus poni debet ab aliis actu generibus condistinctum. Respondent Complut. non semper potentiam objectivam per actum expleri, sed aliquando per actum, aliquando vero per realem potentiam, si res illa, quæ possibilis dicitur, fuerit ens, quod sit realis potentia, ut est de materia prima. Contra, nam a re post sui productionem excluditur potentia objectiva, cum non sit amplius intra causas suas, sed extra, at potentia non excluditur nisi per advenientem actum; ergo quod advenit per productionem est actus, qui dicitur entitativus. Tum quia quælibet res etiamsi sit composita ex materia, & forma, antequan existat, non dicitur esse *in actu*, sed esse *in potentia*, at post productionem, & existentiam dicitur esse in actu, unde Philosophus 8. Phys. 32. ignem nondum genitum *vocat in potentia*, genitum vero ait esse in actu, ergo habet *aliquem actum*, quem prius non habebat, cum non possit intelligi aliquid esse in actu sine aliquo actu, sed hic non est actus secundus, ut paret, quia nulla intelligitur in ea re operatio procedens ab ipsa, neque est actus formalis, quia dum intelligitur compositum in esse possibili, in eo intelligitur actus formalis, ergo est aliud genus actus, quod dicitur entitativum. Tum quia hoc ipsum quoque fatendum est de materia prima, quamvis enim sit, & dici debeat ens in potentia, quia ut inquit Doctor esse in actu secundum communem loquendi modum attribuitur, & appropriatur formæ, *vel habenti* formam, tamen certum est, alio modo dici ens in potentia, antequam a Deo produceretur, & nunc post ejus creationem, tunc enim dicebatur ens in potentia, quia nullam habebat *existentiam* in rerum natura, & solum erat in causis suis, modo autem dicitur ens in potentia dumtaxat subjectiva, quatenus est in potentia ad recipiendas formas, at dici potest in actu, quatenus non est amplius in potentia objectiva. Tum tandem, quia quando etiam concederemus potentiam objectivam non semper per actum expleri, sed interdum per realem quoque potentiam, ut ipsi asserunt de materia ad excludendum ab ea omnem prorsus actum, attamen in proposito ad probationem conclusionis nostræ, nobis sufficit, potentiam objectivam interdum quoque per actum expleri, ut ipsi concedunt, nam hic est actus entitativus, de quo loquimur; neque enim in proposito probare intendimus hunc actum convenire materiæ, sed solum quod detur in rerum natura actus entitativus, sive materiæ conveniat, sive non; disp. 2. Phys. cit. num. 2. ubi eandem doctrinam Complut. impugnamus.

89 Tertio tandem probatur conclusio declarando quid per hunc actum entitativum intelligamus ad tollendam omnem æquivocationem, quæ hic contingere posset, & licet sæpius dictum sit nos per actum rei entitativum intelligere ejusdem existentiam in rerum natura, adhuc tamen ad proterviam quorundam convincendam adhuc placet eum declarare, sicuti declarat Gregorius Arim. 2. d. 12. quæst. 1. artic. 1. ubi distinguit actum formalem, & actum entis, seu entitativum, & hunc ait esse id, per quod quodlibet ens est a parte rei extra causas suas, ut de re possit per propositionem de præsenti, & de *inesse* verificari esse absolute dicendo *hoc est*, idest hoc existit; contra vero ens in potentia dicitur de quo non verificatur esse hoc modo, sed per propositionem de possibili dicendo, hoc potest esse, *quæ etiam fuit doctrina Liconiens.* 1. Phys. ubi inquit aliquid esse in actu, duobus modis intelligi posse, uno modo quia præsentialiter existit, altero modo quia est ens completum in specie, quemadmodum *aliquid dicitur esse in potentia* dupliciter, aut quia non præsentialiter existit, potest tamen existere, sicut dies crastina, aut quia non est actu completum, & perfectum in specie, potest tamen compleri, & perfici, sicut subjectum quodcumque sive formæ substantialis, sive accidentalis; Ex qua doctrina Recentiores postea desumperunt distinctionem, quod duplex est actus, quidam est actus formalis, & specificus qui est effectus ipsius formæ in compositis, & differentiæ in simplicibus, ut in Angelis, quidam est actus præsentialis existentiæ, & vocatur actus transcendens, atque entitativus, quia est modus intrinsecus consequens entitatem cujuslibet rei, extra causas positam, quam distinctionem assignavit etiam Jo: de Magistris 1. Phys. q. 11. Patet ergo ex hac declaratione actum entitativum negari non posse, & perinde esse negare actum entitativum, ac si negaretur præsentialis existentia rerum, unde puto non posse hic esse controversiam, nisi de solo nomine, an talis existentia dici debeat actus, quam Arist. ipse satis perspicue resolvit 9. Metaph. tex. 11. dum ait *est autem actus rem existere*, ergo tam certum est dari actum entitativum, quam certum est dari rerum existentiam in universo.

90 In oppositum primo arguit Zabarel. lib. 1. de materia cap. 2. magnifico verborum apparatu probans hunc actum entitativum nihil aliud esse, quam purum Scoti figmentum, scisitatur enim a Scoto, an actus iste entitativus sit aliquid, vel nihil, si nihil, ergo non datur, si aliquid, ne ipsum cum actu formali confundamus, videndum est rursus quid ipse sit, erit igitur, vel substantia, vel accidens, quia omne, quod est, vel substantia, vel accidens est; accidens quidem esse non potest, quia secundum Scotum materia habet talem actum sibi *consubstantialem, atque ideo nequit esse* accidens, sed erit substantia; jam vero substantia ex 2. de Anim. & 7. Metaph. in materiam, formam, & compositum dividitur, atque ideo actus entitativus alterum horum, si substantia est, esse debebit; forma quidem esse non potest, quia ponitur ab actu formali distinctus, sed neque compositum, quia tunc materia, cum habeat actum entitativum, haberet compositionem ex materia, & forma: si ergo est materia, sequitur, vel materiam primam ex

alia

alia materia constare, quæ sit ejus actus entitativus, vel si est ipsa entitas materiæ primæ, satium est illam appellare actum, cum omnes Philosophi potentiæ nomen, non actus illi adscripserint.

Resp. duobus fere verbis hoc argumentum, quod adeo Zabarel. magnificat, contra actum entitativum fuisse solutum disput. 2. Phys. num. 17. quam solutionem libet nunc amplius declarare, licet declaratione non indigeat; vel igitur hoc argumentum sit præcise contra actum entitativum materiæ, vel contra actum entitativum, ut sic, in quo sensu de ipso hic loquimur; si primum, jam ibi bene responsum est actum entitativum materiæ non esse accidens, sed substantiam, & non quamcumque substantiam, sed substantiam materiæ, cui realiter identificatur, velut modus ejus intrinsecus, nec propterea dicetur materia materiæ, ut infert Zabarel. sed aliquid ipsius materiæ, idest modus intrinsecus materiæ. Si autem sermo sit de actu entitativo in universum, quo sensu competit omni enti reali extra causas posito, tunc dicendum actum entitativum, ut sic, nec esse substantiam, nec accidens, sed ab utroque præscindere, sicut & ipsum ens præscindit, cujus est modus, & in substantia esse substantiam, & in accidente accidens, non quidem formaliter, sed identice, & realiter, quatenus est modus substantiæ, vel accidentis, vide quam paucis verbis tanti argumenti ingens machina labatur.

91 Secundo obiiciunt Thomistæ, omnis actus dividit, & distinguit ex 7. Met. 49. *sed id non competit actui entitativo*, ergo est fictitius, probatur minor, quia si actus entitativus distingueret, tunc etiam materia ipsa distinctionem aliquam in se haberet, *quod est contra Arist. 7. Metaph. 9.* ubi ait in fundamento naturæ nihil esse distinctum. Resp. majorem intelligi de actu formali, & specifico, ac pariter de distinctione specifica, & completa, quæ utique actui entitativo non competit; licet tamen actus entitativus hoc pacto non dividat, & distinguat, potest tamen, & ipse suo modo distinguere unam rem ab alia, actus enim entitativus materiæ ipsam distinguit ab entitate formæ, & ita etiam omnis actus entitativus cujuscumque rei sive simplicis, sive compositæ: materia etiam licet nequeat esse ratio distinguendi intra coordinationem rerum naturalium, & materialium, quia est communis omnium inchoatio, ac fundamentum, nihilominus distinguere potest res materiales ab immaterialibus; quo autem pacto intelligendum sit Arist. dictum, quod in fundamento naturæ nihil est distinctum, explicatum est supra n. 87.

92 Tertio si datur actus iste entitativus, præsertim admitti debet, ut correspondeat potentiæ objectivæ, & talis potentia per ipsum expleatur, sed potentia objectiva non datur, vel si datur, expleri potest, nedum per productionem entis, quod sit actus, vel actum habens, sed etiam quod sit pura potentia realis, ut contingit de materia prima, ergo actus iste entitativus est superfluus, probatur minor, quia Arist. 9. Metaph. tex. 1. & alibi dividit ens reale extra causas positum in actum, & potentiam, ergo per hoc præcise, quod aliquid sit pura potentia realis, etiamsi omnem prorsus actum excludat, poterit rationem entis realis habere, & potentiam objectivam in sui productione explere.

Resp. negando minorem quoad utramque partem, quoad primam quidem, quia quæst. præced. ostensum est dari potentiam objectivam, ac etiam aliquo modo distinctam a potentia activa, & passiva, negatur etiam quoad alteram partem, nam quicquid sit tunc de illa divisione entis in actum, & potentiam, de qua dicetur infra disp. seq. licet potentia objectiva possit materialiter expleri per productionem entitatis, quæ sit potentia respectiva alterius, tamen ur dictum est disp. cit Phys. contra Complut. illa ipsa potentialis entitas, quam ipsi dicunt esse materiam, ad potentiam objectivam relata, sub qua erat ante sui productionem, dici potest actus, vel ens in actu, quatenus non amplius est solum in potentia causæ, sed actu extra illam; tum quia ut dictum est num. 88. quando etiam concederemus in productione materiæ potentiam ejus objectivam, sub qua erat ante productionem, non expleri per actum aliquem, sed per puram potentiam, veram tamen, & realem in rerum natura productam, qualem dicunt Complut. esse materiam primam, adhuc non tollitur actus entitativus, qui poterit correspondere productionibus aliarum rerum, earumque potentiam objectivam explere, ut v. g. productioni compositi, vel formæ, & sic concedendo etiam minorem quoad secundam partem, solum concluderetur non dari actum entitativum materiæ proprium, sed composito, & formæ, & aliis rebus compositione carentibus, quales sunt intelligentiæ separatæ; unde etiamsi materia careret actu entitativo; non idcirco concludendum esset actum entitativum a rerum natura ablegandum, quia adhuc alia extarent entia in rerum natura producta, quæ proprium haberent actum entitativum; qua propter prius supponi debet ex Metaph. actum entitativum in rerum natura reperiri, & postea quærendum in Physicis, an talis actus etiam materiæ primæ competat, quæ dici solet pura potentia.

QUÆSTIO IV.

De potentia, & actu substantiali.

93 Materiam primam esse potentiam substantialem, & formam substantialem pariter esse actum substantialem apud omnes Philosophos compertum est, & hoc adeo certum est, ut in Physica hoc potius supponatur, & accipiatur, velut principium quoddam, quam probetur, ut conclusio. Verum quia Metaphysicus multa probat, quæ supponuntur a Physico, hic indaganda est ratio a priori, vel saltem a posteriori, cur materia potius sit potentia passiva formæ, ejusque subjectum, quam e contra, posset namque protervus dicere rem e contra se habere, quod forma est potentia passiva materiæ, & materia actus formæ, & quamvis primo aspectu facilis videatur resolutio propositæ difficultatis, re tamen accuratius inspecta est difficillius punctum, ut ait Arriag. quam forte aliqui cogitaverint. Constito deinde materiam esse potentiam substantialem, & formam actum, ulterius est inquirendum hic, quo sensu forma dicatur actus materiæ, an scilicet quia forma sit res aliqua determinata in actu materiam perficiens, & complens substantialiter, an potius quia sit pura actuatio, ac veluti modificatio materiæ, adeoque a materia non distinguatur realiter, ut res a re, sed potius modaliter, ut modus a re cujus est modus, ut singulariter opinatus est noster Aureol. 3. d. 12. q. 2. art. 1.

Circa primam difficultatem varii sunt modi dicendi ad afferendam rationem, cur materia sit potentia passiva respectu formæ, non e contra; Primus satis communis, & frequens in schola Thomistarum est materiam esse potentiam passivam, quia non habet propriam, ac determinatam existentiam, sed eam a forma superveniente recipit, quæ illam actuat, & existentem *reddit*. Hæc tamen ratio non valet, quia extra scholam D. Thomæ asserunt omnes tam materiam, quam formam propriam existentiam partialem possidere, ut fuse ostensum est disp. 2. Phys. quæst. 2. artic. 1. immo hæc ratio retorqueri posset præsertim in principiis Thomistarum, qui volunt formam accidentalem non habere propriam existentiam, sed existere existentia subjecti, ita ergo pariter quis afferere posset de materia respectu formæ substantialis, quod sicut eam recipit, & sustentat, ita quoque illi existentiam communicat, adeout forma substantialis existat per existentiam sibi a materia communicatam. Tum quia ens in actu, & completum est potentia passiva, & subjectum formarum accidentalium præsertim secundum Thomistas, quemadmodum materia substantialium, & nihilominus non recipit ab eis existentiam, sed potius præstat, ergo ratio cur hoc sit potentia passiva, & subjectum recipiens, & illud forma informans, & actus receptus, non est quia id præstat, & affert existentiam illi, non ergo materia dicitur potentia passiva formarum, quia recipit existentiam ab illis.

94 Secundus dicendi modus est Arriag. disput. 2. Phys. sec. 3. subsec. 2. ubi inquit, quod quando duo ita inter se uniuntur, ut unum se habeat quasi antecedenter, & prævise ad aliud, aliud vero ei superveniat, id quod antecedit dicitur recipere, & subiici, quod vero supervenit dicitur recipi, & complere, itaque materia prima dicitur subjectum omnium formarum, & non e converso, quia præsupponitur ipsa materia prius natura ad omnes formas etiam ad rationalem. Hanc rationem jam impugnavi disp. 2. Phys. quæst. 1. artic. 3. in fine ex principiis ipsius Auctoris, nam ipsemet disp. 5. Phys. num. 37. negat ex eo bene deduci quantitatem esse aliorum accidentium subjectum, quia illa præcedit, nam etiam primus gradus intensionis præcedit secundum, & tamen non est subjectum illius, nec illum recipit, item primæ qualitates præcedunt secundas, quas tamen non recipiunt, velut earum subjecta. Nunc autem absolute impugnatur, & falsitatis omnino convincitur, quia ut docet Scotus 1. dist. 5. quæst. 2. infra G si forma alicujus præexisteret, & materia de novo adveniret, & informaretur illa forma præexistente, æque bene esset potentia passiva, & subjectum illius formæ, sicut modo, cum materia præexistit, & forma de novo advenit, ergo illa præcedentia materiæ ad formam simpliciter, & absolute inspecta non est præcisa ratio, cur materia dicatur potentia passiva respectu formæ. Tum quia divina essentia ita præcedere intelligitur in divinis, & relationes originis, & perfectiones attributales, nam & in ipsa fundantur, & ab ea ut a fundamento pullulant, ac originantur, *ut notat* Doctor 1. d. 8. qu. 4. & tamen divina essentia non dicitur potentia passiva respectu illarum; Demum quod ait materiam etiam ad ipsam animam rationalem prius natura præsupponi, si per hanc naturæ prioritatem intelligit prioritatem causalitatis, & dependentiæ, ut regulariter usurpari solet, est penitus falsum, quia anima rationalis non dependet a materia, unde ratione talis independentiæ posset Deus prius animam producere, & postea materiam, & tamen si hæc illi uniretur, adhuc esset potentia passiva respectu illius.

95 Tertius dicendi modus est Ovied. controvers. 2. Phys. punct. 3. §. 3. dicentis materiam esse potentiam passivam, & subjectum formæ, formam vero actum, quia materia est pars perfectibilis per formam, & forma est perfectiva materiæ. Contra quia hæc videtur manifesta petitio principii, ideo enim forma dicitur perfectio materiæ, quia est ejus actus, & materia dicitur perfectibilis a forma, quia est potentia passiva respectu ejus, ac ratio hujus quæritur, cur materia sit potentia passiva formæ, itaut ab ea perfectibilis, & non e contra. Tum quia cum ambæ istæ partes sint incompletæ, videntur invicem se mutuo perficere, & complere, immo inquit Doctor 2. d. 14. qu. 1. in fine formam unitam materiæ ab ea aliquam perfectionem recipere, alioquin anima beata frustra uniretur corpori, eo quia ex corpore non acquireret perfectionem. Tum quia non

non omne quod habet rationem subjecti, & potentiæ passivæ respectu alicujus formæ, dicitur ab ea perfici, immo aliqua fædantur, & corrumpuntur ab eis, ut aqua calore, intellectus errore; & in universum omnia subjecta per formas contrarias; & quamvis materia propter suam universalem inclinationem non habeat formas contrarias, tamen ex hoc sufficienter colligitur non dici ex eo præcise in potentia passiva ad illas, & subjectum earum, quia ab illis perficiatur, nam aqua est subjectum caloris, & potentia passiva respectu illius, & tamen non perficitur ab illo. Tum tandem quia Ovvied. ipse fatetur ibidem formam non ordinari primario, & per se ad dandam materiæ perfectionem, ut ipsa materia perfecta fit, sed ambo per se ordinari ad constituendam perfectionem compositi.

Hac de causa Ovvied, ibidem n. 25. videns hanc rationem non esse sufficientem, aliam subiicit, velut novam, vel ut præcedentis declaratoriam, & inquit inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem intrinsecam alterius, qualia sunt materia, & forma, illud extremum, quod ratione alterius a se distincti habet nobiliora prædicata, & perfectiores proprietates, quasi passive communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem constitui in ratione materiæ; illud vero quod ratione sui habet in composito nobiliora prædicata, & ea quasi active communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem constituitur in ratione formæ, quæ est perfectio, & pulchritudo compositi, & consequenter alterius compartis. Hæc ratio licet magis quæsito proposito satisfacere videatur, quam præcedens, nonnullam tamen adhuc habet difficultatem, quia esse potentiam passivam tam convenit subjecto respectu formæ accidentalis, quam materiæ respectu formæ substantialis, & tamen ratio potentiæ passivæ in subjecto accidentalis formæ non attenditur ex hoc capite, nam compositum accidentale perfectiora attributa, nobilioraque prædicata participat ex parte subjecti, quam ex ipsa accidentali forma, ut satis de se constat, ergo si in composito accidentali hoc non est sufficiens indirium ad inveniendam partem materialem, & formalem, seu potentialem, & actualem, neque sufficiens erit in composito substantiali, & quidem paritas neganda non videtur, quia Arist. ipse 1. Phys. non semel hac utitur paritate, dum potentiam passivam materiæ, ac subjectivam in ordine ad formas substantiales declarat per potentiam passivam entis in actu in ordine ad formas accidentales, quia cur hoc sit actus, & illud potentia, eadem utrobique militat ratio, neque discrimen est nisi in ratione talis actus, & talis potentiæ, nam forma substantialis est actus simpliciter, accidentalis autem est actus secundum quid,

96 Quartus dicendi modus est Hurtad. disp. 2. Phys. sec. 2, ubi docet, materiam dici potentiam passivam, & subjectum formæ, quia forma illam denominat communicando illi suum effectum formalem, sicut albedo denominat parietem album, & sapientia intellectum sapientem. Hæc quoque ratio, nisi melius explicetur, non satisfacit, quia Deus a bonitate divina denominatur formaliter bonus, & a justitia justus, nec tamen ob talem denominationem habet rationem subjecti, vel passivæ potentiæ respectu illorum attributorum; Tum quia etiam ex doctrina ipsius Hurtad, in eodem loco non minus forma suas derivat denominationes in materiam, quam e contra, si enim dicimus superficiem esse albam, dicimus etiam e contra albedinem esse quantam, si materia ligni a forma dicitur lignea, forma quoque a materia dicitur materialis, ergo ex hoc sufficiens inditium sumi non potest, quod hoc magis habeat rationem potentiæ, vel actus, quam illud. Neque dicat Hurtad. denominationes a forma in subjectum derivatas esse formales, at quæ derivantur a materia in formam esse materiales. Hæc enim est manifesta petitio principii, hoc enim est quod quærimus, cur cum in composito videamus unam partem aliam denominare compartem, & e contra, hæc dicatur materia, ejusque denominatio materialis, & alia forma, ejusque denominatio formalis; curque denominatio unius dicatur effectus formalis, non item alterius.

Quintus dicendi modus est quorundam Recentiorum apud Ovvied. dicentium neque potentiam receptivam formarum, neque unionum esse de essentia materiæ, sed tantum constitui per principium passivum operationum compositi, & formam per principium activum earundem; quam sententiam ipse Ovvied. impugnat, quia anima rationalis est principium passivum intellectionum, & volitionum, ergo non est proprium materiæ esse principium passivum operationum. Sed recentiores illi facile respondeient, quod esto anima rationalis sit principium passivum illarum operationum, quia sunt immanentes, est tamen quoque principium activum; sed materia est principium operationum compositi dumtaxat passivum, & esse sic principium passivum operationum dicent esse proprium materiæ, itaquod non formæ. Melius ergo impugnatur illa ratio, quia potentia passiva, de qua hic loquimur, & quærimus cur potius materiæ, quam formæ conveniat, non attenditur in ordine ad actum secundum, sed in ordine ad actum primum, ex quo simul cum ejus subjecto, tanquam ex per se actu, & per se potentia fit substantiale compositum. Tum quia materia, & forma duo exercent munera circa compositum substantiale, sunt enim partes ejus intrinsecæ constituentes illud in suo esse essentiali, & sunt principia etiam operationum ejus; prius tamen illud essentialiter constituunt, quam ejus operationes principient, & adhuc in ejus constitutione una habet rationem partis potentialis, atque ideo materiæ, alia partis actualis, ideoque habet rationem formæ, ergo ratio materiæ, & formæ convenit partibus compositi substantialis antecedenter omnino ad ejus operationes; male ergo dicunt Recentiores illi materiam constitui in tali ratione per principium passivum operationum compositi, & formam per principium activum earundem.

97 Rejectis aliorum sententiis, ratio cur materia sit subjectum formæ, ejusque potentia passiva, & receptiva, non e contra, deduci potest facile ex Arist. 1. Phys. 51, ubi via transmutationis ostendit dari materiam primam, esseque subjectum contrariorum hoc modo, omnis transmutatio fit ex contrario in contrarium, sed unum contrarium non recipit aliud, nec aliud contrarium transmutat, quia mutuo se perdunt, & destruunt, ergo sola contraria in generatione non sufficiunt, sed opus est dare aliquod subjectum, quod recipiat contraria, & ex eo simul cum altero contrariorum generetur compositum; quam rursus rationem adhibuit 12. Met. tex. 6. ubi ex tribus illis propositionibus materiam, ut commune subjectum contrariorum sic introduxit, omnis substantia naturalis transmutabilis est de contrario in contrarium, nullum contrarium sustinet alterum, aut ex ipso aliquid facit, igitur in transmutatione rerum subjectum adinveniri oportet, quod contrariis subiiciatur; *hæc igitur est vera*, & peripatetica ratio a posteriori, cur materia sit potentia passiva respectu formæ, ejusque subjectum, non e contra, quia forma pugnat cum privatione, & accedit vel recedit a communi subjecto, quod est materia, & hæc permanet sub utroque termino mutationis; illud ergo principium, quod cum privatione pugnat, & expellitur in corruptione, aut acquiritur in generatione est forma, quod autem contraria sustinet, & manet sub utroque mutationis termino, est materia, & habet rationem subjecti in fieri quidem respectu mutationis, & in facto esse respectu formæ, hæc inquam est ratio a posteriori, quam nos docuit Arist. dignoscendi, cur materia sit subjectum formarum, & potentia passiva earum, non autem e contra. Quod si hujus rei aliquam desideras rationem a priori, nec ista quoque deerit, sumendaque est ex inferentia, ac indeterminatione, quam habet materia ad constituenda cum diversis formis diversa quoque specie composita, eadem enim numero materia cum variis formis varias constituit species prædicamentales, at unaquæque forma unam dumtaxat speciem constituit, & ideo forma dicitur principium per se determinans materiam ad unam speciem, materia vero dicitur principium de se indeterminatum, & per formam determinabile, atque ideo forma habet rationem actus, & materia potentiæ. Confirmatur hæc ratio ex paritate compositi metaphysici, quod constat ex realitate generis, & differentiæ, & realitas generis ideo dicitur habere rationem potentiæ respectu differentiæ, differentia vero actus, quia realitas generis de se indifferens est ad constituendam hanc, vel illam speciem, ut realitas animalis indifferens est ad constituendam speciem hominis, vel leonis, aut bovis, & per hanc vel illam differentiam determinatur ad hanc, vel illam speciem, cum ergo materia prima dicatur genus physicum per analogiam ad genus metaphysicum, ob illam indifferentiam dicitur habere rationem potentiæ passivæ respectu formæ, & forma rationem actus.

98 Sed Ovvied. & Arriag. cit, hanc rationem impugnant dupliciter, primo quia potest esse materia determinata ad hanc specie formam, ut multi probabiliter tenent de materia Cœli, quod sit determinata ad formam cælicam, itaut aliam recipere nequeat, ergo ratio materiæ, ut est potentia passiva, non consistit in hac indifferentia ad plura composita constituenda. Deinde quia potest a Deo creari aliqua forma, quæ sit indifferens, ut uniatur materiis specie distinctis, & consequenter constituat composita specie distincta, sicuti de facto gratia habitualis, quæ est forma accidentalis, indifferens est ad constituenda composita accidentalia specie distincta, quia indifferens est, ut uniatur animæ rationali, & Angelo; & est compositum specie distinctum, quod resultat ex anima rationali, & gratia ab illo, quod resultat ex Angelo, eademque gratia, composita enim ex diversitate essentiali cujuscunque partis essentialis, sicuti est subjectum, diversam fortiuntur essentiam, ergo ratio constitutiva materiæ in esse potentiæ passivæ non consistit in hac indifferentia, cum etiam formæ convenire possit, Cæterum impugnationes istæ non urgent, non quidem prima, quia falsum est quod possit dari materia determinata ad unam specie formam, quæ simul sit potentialis ad illam nam de ratione materiæ est, quod sit genus physicum, idest inchoatio plurium compositorum specie distinctorum in genere naturæ, sicuti genus metaphysicum est inchoatio plurium specierum, ergo materia necessario debet esse indifferens ad plura composita specie distincta constituenda; & hoc etiam probari potest ex eadem paritate generis logici, vel metaphysici assumpta, repugnat namque genus posse sic uniri cum differentia determinate, servata adhuc sua potentialitate, *si enim non est magis de se indeterminatum*, quam differentia ad hanc speciem, si non latius patet illa, cur magis dicetur genus per differentiam determinari, & coarctari quam differentia per genus, qua de causa diximus disput. 5. Log, qu. 2. art. 3. potentialitatem generis metaphysice loquendo in una sola specie possibili conservari non posse, idem ergo pariter de materia dicendum erit, quæ est genus physicum, si namque determinata foret ad hanc unam speciem constituendam, nequibit assignari ratio, cur magis materia dicatur determinari a forma, quam e contra; illam vero doctrinam de materia cœlesti refellit Doctor hac de causa 2. d. 14. qu. 1. & nos cum ipso disp. 2. Phys. q. 4. art. 1. &

7. & in libris de Cœlo disp. 2. qu. 2. ubi ostendimus secundum Arist. corpora cœlestia esse simplicia absque compositione materiæ, & formæ; & secundum veritatem materiam, ex qua constant, esse ejusdem rationis cum materia horum sublunarium, & proinde indifferentiam habere ad constituendam aliam & aliam speciem.

99 Ex quo etiam capite eliditur altera impugnatio, & ostenditur e contra impossibile esse, quod possit dari forma, quæ sit indifferens ad plura specie subjecta, & plures species essentiales constituendas, nam, sicut de ratione materiæ est, quod sit inchoatio plurium specierum in genere naturæ, ita de ratione formarum est, quod sint determinationes talis inchoationis; & sicuti repugnat metaphysice loquendo dari differentiam, quæ de se indeterminata sit ad plures species constituendas, quia differentia ex sua ratione formali est, qua differunt a se singula idem genus participantia; ita pariter physice loquendo repugnat dari formam indeterminatam ad plura specie composita constituenda, quia forma est ratio, cur in genere physico unum compositum specie differat ab alio. Tum quia si invicem unirentur materia, quam dicit posse esse determinatam ad unam speciem, & formam, quam dicis esse posse indifferentem ad plures species, plane compositum nimis portentosum constituerent, quia ratione formæ conveniret cum aliis speciebus, & ratione materiæ differret ab illis; sed sane cum ratio faciendi convenire pertineat ad rationem genericam & potentialem, & ratio faciendi differre ad rationem specificam, & actualem, in eo composito sic constituto hac de causa ego formam dicerem, quam tu dicis materiam, & e contra materiam, quam tu dicis formam. Neque suffragatur exemplum adductum de gratia habituali, semper enim unus, & idem est specie effectus formalis gratiæ habitualis, sive in Angelo ponatur, sive in anima rationali, nempe reddere gratum subjectum, quod afficit, sicut idem est specie effectus formalis albedinis, sive in ligno ponatur, sive in lapide. Contra instat Ovvied. diversum gratum constituitur ex gratia habituali, & anima rationali, ac ex eadem gratia, & Michaele, ergo diversum effectum formalem tribuit forma secundum subjectorum diversitatem; probat assumptum, quia gratum essentialiter dicit duo subjectum, & formam, utrumque essentiale concreto, ergo quodcunque illorum, sic specie distinctum, compositum illam diversitatem in se habebit, quia habet omnia prædicata, quæ in illius partibus tam materiali, quam formali includuntur, ergo ex diversitate subjecti, quod gratum denominatur recte infertur diversitas hujus concreti, sive compositi grati, & sic etiam recte infertur diversitas effectus formalis provenientis a forma, qui nihil aliud est, quam totum compositum per illam constitutum. Hæc quoque instantia frivola est, nam assumptum est verum tantum materialiter, non formaliter, & probatio illius assumpti falsa est, supponit enim compositum accidentale esse ita per se unum, & ambas partes æque essentialiter, & primo importare, sicut compositum substantiale, quod falsum est; quia enim concretum accidentale non habet aliquam per se unitatem, non ambas partes importat ex æquo, alioquin non esset unum per accidens, sed formam principaliter significat, & subjectum connotat, ut dictum est d. 2. Log. q. 6. art. 2. atque ideo falsum est ex diversitate subjecti inferri posse diversitatem formalis effectus in forma, quis enim non videt lignum, & lapidem album in ratione albi non differre?

Quia vero forma, & subjectum solent invicem denominare, nam & quantum dicitur album, & album quantum, ut supra dicebamus cum Hurtad. ne in hujusmodi denominationibus confusio contingat, & quisque discernere sciat, quæ nam earum dicenda sit denominatio formalis, & quæ materialis, circa hoc observanda est regula, quam assignavimus disp. 3. Phys. q. 3. art. 2. n. 37. quod cum duo inter se unita se invicem denominant, attendere oportet, quodnam eorum sit formalius, & actualius, & quodnam magis materiale, & potentiale; quod enim erit actualius, & spiritualius, habebit rationem formæ, & denominatio ab eo in aliud derivata formalis erit, quod autem erit magis materiale, & minus spirituale habebit rationem subjecti, & denominatio ab eo in aliud derivata erit materialis, ut insinuat Doctor 4. d. 11. qu. 1. §. *dico ergo*, & hinc etiam inferre licebit, quod hoc sit subjectum illius, & respectu ejus habet rationem potentiæ passivæ, non e contra, unde dum dicimus albedinem esse quantam, non inferre debemus hanc denominationem esse formalem, & albedinem ita denominari, quia albedo quantitatem recipiat, & ab ea informetur, sed potius e contra ita denominari, quia ipsa albedo quantitati inhæret, & in ea recipitur, & ratio est, quam assignavimus, quia qualitas a toto genere est actualior, & spiritualior quantitate, ideoque habet rationem formæ, quantitas vero habet magis de materialitate, ideoque dici debet subjectum ejus, & denominatio, quam ipsi præstat, materialis, & non formalis.

Circa aliam difficultatem propositam ab initio quæstionis, quo pacto forma dicatur actus materiæ, inquit Aureol. 2. d. 12. q. 1. art. 1. formam non dicere aliquam rem determinatam in actu, sed puram actuationem materiæ, itaut a materia non distinguatur sicut res a re, sed sicut modus; ait ergo in quolibet composito duas includi realitates, quarum nulla dicit rationem actu determinatam, sed ambæ sunt realitates impræcisæ unius rationis determinatæ, realitas quæ dicitur materia, est incompleta, indeterminata, & inchoativa cuiusque rei completæ, huic realitati advenit actuatio, & complementum, quæ est forma sed tale complementum, & actuatio non est realitas in se præcise, itaquod in sua ratione sit ratio determinata in actu, est tamen complementum rationis determinatæ in actu, unde sicut prima realitas erat natura incompleta, & truncata, quia inchoativa tantummodo rationis determinatæ completæ in actu, sic realitas hæc est truncata, & incompleta, quia tantummodo est complementum rationis determinatæ, & completæ, in eo quod est actuatio quædam realitatis illius, quæ dicebatur inchoativa; unde nec materia, nec forma sunt aliqua realitas determinata in actu, sed sunt tantum duæ realitates impræcisæ ipsius compositi, quod est determinatum in actu, & altera se habet, ut inchoatio, altera vero, ut complementum; hæc in summa est Aureoli opinio.

100 Oppositum docet Scotus 2. d. 12. qu. 1. ubi pluribus probat formam non esse purum terminum intrinsecum, vel extrinsecum materiæ, ac simplicem ejus modificationem, sed rem vel realitatem in actu determinatam a materia realiter distinctam, quæ est communis opinio in omni schola, & ab omnibus absque hæsitatione recepta. Quod autem materia sit a parte rei distincta a forma, satis constat ex dictis disp. 2. Phys. q. 1. & 2. quia forma corrumpitur, & generatur, vel incipit, & desinit esse, materia vero est ingenerabilis, & incorruptibilis, manetque sub utroque mutationis termino; tum quia quando ignis producit ignem produceret etiam materiam, & cum corrumpitur, materia quoque corrumperetur; tum quia ut inquit Doctor, si materia, & forma non essent partes entitative, & a parte rei abinvicem distinctæ, non esset compositum, sed quædam entitas simplex; tum quia id ostendit Arist. ex professo 1. Phys. ubi probat, formam esse principium quoddam rerum naturalium a materia distinctum, & 2. Phys. probat esse causam a materiali distinctam a parte rei. Quod autem inter materiam, & formam substantialem non sufficiat distinctio, quæ est inter entitatem, & gradus entitatis, probat rursus Doctor loc. cit. quia tunc diversa generabilia, & corruptibilia, ut ignis, & aqua specie non differrent, sicut nec specie distinguuntur gradus ejusdem entitatis v. g. caloris. Tum quia inquit Doctor saltem de anima intellectiva certum est, quod non potest esse purus gradus materiæ, quia ipsa est terminus creationis. Quod tandem non sufficiat inter materiam, & formam distinctio, quæ est inter rem, & modum rei, ut volebat Aureol. probatur, quia anima intellectiva est terminus creationis, ergo re vera est res, & non modus rei, cum hic nequeat esse terminus creationis, Tum quia forma potest per potentiam Dei absolutam conservari sine materia, sicut de facto in Eucharistia conservantur accidentia sine subjecto, ergo forma non est purus modus materiæ, nec ab ea distinguitur realitate modi, sed etiam rei. Tum quia modus est semper imperfectior re modificata per ipsum, sed forma est substantialiter perfectior materia, ergo non ejus modus. Tum quia modus non est finis rei, sed potius e contra, quia modus ordinatur ad rem modificatam, at forma est finis materiæ, quia materia est propter formam, & eam appetit, ut turpe pulchrum. Tum quia forma est præcipuum principium operationum compositi activum, quod nequit modo competere. Tum quia hæc opinio parum differre videtur ab opinione antiquorum ab Arist. 1. Phys. impugnata, qui ponebant totam rerum essentiam consistere in materia. Tum tandem quia in Phys. demonstratum est formam esse præcipuam, & principaliorem quidditatis partem disputat. 5. qu. 12. art. 1. ergo non est solus modus materiæ, quia in composito ex re, & modo præcipua pars non est modus, sed res, cujus est modus; & quia hoc apud omnes difficultate vacat, non ulterius immoror in ejus probatione, sed argum. Aureoli dissolvo.

In oppositum arguit Aureolus, Primo si forma esset entitas realiter distincta a materia, tunc non posset dare illi esse in genere causæ formalis, quod est falsum, sequela ita probatur, nam hoc esse, vel entificatio, quam dat forma materiæ, vel est idem cum forma, & habetur intentum, quod forma sit ipsa informatio, & actuatio, ut figura est informatio, & actuatio quantitatis, vel non est idem cum esse formæ, sed quid distinctum, quod imprimitur in materia, & ibi derelinquitur a forma, quod minime dici potest, vel enim hoc esset aliquid absolutum, vel respectivum. Non primum, quia tunc in composito essent tres realitates, scilicet materia, & forma, & illud absolutum a forma in materia derelictum, & si sic, tunc materia, & forma non perfecte definirent compositum. Tum quia posset remanere compositum destructa forma, posset enim Deus modum illum conservare sine forma, quod sufficeret ad constitutionem compositi. Tum quia tunc causalitas formæ non esset intrinseca, & formalis, sed erit causalitas efficientiæ, habebit enim se forma respectu materiæ, sicut se habet sigillum in signatione ceræ. Tum quia poterit Deus facere effectum formalem sine forma, sicut figuram sine sigillo, ex quo effectus formalis ille est aliud absolutum a formæ. Neque etiam potest dici secundum quod nempe esse a forma communicatum materiæ sit aliquid respectivum, quia omnis relatio est accidens, atque ideo accidens esset de essentia compositi substantialis. Tum quia tunc respectivum esset de essentia absoluti, quia ignis v. g. non dicit materiam, & formam secundum se, sed ut inter se unitas per informationem. Tum quia corpus non dicetur vivens formaliter per animam, sed per relationem, quam terminat, vel fundat, atque adeo vita essentialiter consisteret in relatione animæ ad corpus, vel corporis ad animam.

Resp. negando consequentiam, ad cujus probationem gratis concedendum est, quod esse formatum, & completum, quod præ-

præstat forma materiæ in genere causæ formalis, non est aliquod esse ab ipsa forma in materiam derivatum, & ab ipsa forma informante entitative diversum, ut docet Doctor 8. Metaph. quæst. 4. §. *propter primam difficultatem*, & nos cum ipso disp. 5. Phys. qu. 3. art. 3. nu. 23. sed est ipsamet forma unita, & communicata materiæ mediante unione, unde effectus formalis formæ dicit formam, non quidem simpliciter, & absolute sumptam, sed simul cum unione ad materiam, qua ratione Auctor sex principiorum posuit in prædicamento habitus album esse, & quantum esse, quia nimirum concreta harum formarum includunt etiam unionem earum ad subjectum, quam dicimus in Logica pertinere ad prædicamentum habitus. Neque hinc sequitur accidens esse de essentia substantiæ, vel respectivum de essentia absoluti, non quidem quia unio non sit accidens, aut aliquid respectivum, ut inquiunt Recentiores, qui unionem ponunt esse modum quemdam substantialem absolutum, sed quia ut dictum est disput. 5. Phys. q. 12. art. 2. num. 146 unio non est de essentia compositi, sed solum conditio simpliciter necessaria, quam nec Deus supplere potest, tam ad ejus constitutionem, quam conservationem, unde etiam corpus dicitur animatum, & vivens non per unionem formaliter, sed per animam, & per unionem solum tanquam per conditionem simpliciter necessariam.

101 Secundo arguit ex compositi substantialis unitate, si enim forma diceret propriam rationem, ac determinatam naturam in genere entis, nec igneitas esset una natura, neque hic ignis entitas una numero, quod est falsum; probat consequentiam primo quoad unitatem naturæ, nam Arist. 7. Metaph. reddens rationem, cur composita accidentium non dicant unam naturam, substantialia vero equidem, ait esse quia quæ includuntur in composito accidentali habent propriam quidditatem determinatam, non sic autem, quæ includuntur in composito substantiali; tum quia sequeretur, quod cum fit lapis, non fieret ens simpliciter, sed ex tali ente fieret tale ens. Deinde probat consequentiam quoad unitatem entitatis individualis, nam Arist. docet 8. Metaph. quærendam non esse causam, cur ex materia, & forma fiat res una numero, sed si forma diceret entitatem, & naturam distinctam a materia esset quærenda causa illius unitatis. Neque dicas ideo non esse quærendam causam, quia unum est in actu, & aliud in potentia, nam per hoc non dixit Arist. hæc duo distingui, tanquam res determinatas, sed quia illud, quod est in potentia, fit in actu.

Resp. negando rursus consequentiam, quia ad unitatem naturæ compositi substantialis sufficit, ut extrema, vel ejus partes habeant rationem per se actus, & per se potentiæ eo modo, quo explicatum est disp. 5. Phys. q. 11. art. 1. ubi fuse de hac re, & cum extrema sint hæcheizata, efficiunt quoq; unum individuum; & hoc est, quod ait Arist. 7. Met. composita accidentium non dicere unam naturam, quia non constant ex per se potentia, & actu, sed ex actu, & potentia per accidens, & secundum quid, forma enim accidentalis advenit enti perfecto, & completo, & proinde perficit illud accidentaliter, non autem complet substantialiter quemadmodum forma materiam, ut loc. cit. abunde explicavimus, & in hoc sensu ait Aristot. ibi composita accidentalia non dicere unam naturam, quia includunt pura entia perfecta, & completa, ac determinatæ speciei in prædicamento, ut hoc, quod est lignum album, lignum includit, quod est in prædicamento substantiæ directe, & albedinem, quæ est in prædicamento qualitatis, materia autem, & forma non sunt entia perfecta, & determinata in hoc sensu, & ideo bene potest ex ipsis unum per se componi eo præsertim quia unum manet essentialiter ordinatum ad aliud, ut per se potentia ad per se actum, hæc enim ultra incomplementum essentiale est una ex conditionibus necessariis requisitis, ut ex duobus fiat unum per se ex dictis loc. cit. nu. 129. Cum autem inquit Arist. 8. Metaph. quærendam non esse causam, cur ex materia, & forma fiat unum per se, hoc sane non dixit, quia forma non esset pars compositi realiter a materia distincta, quia loquitur ibi de unitate compositionis, & non simplicitatis, unitas autem compositionis supponit compositum ex partibus distinctis constitutum, si enim ibi nulla esset partium distinctio, esset unitas simplicitatis, non compositionis, sed dicit Philosophus non esse quærendam causam talis unitatis præter hanc, quod unum est per se actus, aliud per se potentia; & cum inquit, quod est in potentia fieri in actu, solum significare intendit materiam perfici, ac determinari per formam ad certam speciem prædicamentalem, non autem realem identitatem materiæ cum forma quasi materia in generatione transeat in formam; vel loquitur de toto producto, quod prius erat in potentia, & post productionem dicitur esse in actu, quo etiam loquendi modo utitur 8. Phys. 32. ubi ignem nondum genitum vocat in potentia, genitum vero ait esse in actu.

102 Tertio arguit, quia si forma diceret entitatem determinatam demonstrabilem, & signabilem, dum producitur, crearetur, quia omnis forma de novo producta, cujus nulla pars omnino præcessit, dicitur omnino creari, sed hujusmodi esset illa forma habens realitatem præcisam ab omni alia realitate, ergo, &c. Resp. faciliter formam non creari, quia fit ex materia, si non tanquam ex parte, saltim tanquam ex præjacente subjecto, in cujus passiva potentia continebatur, & ex cujus potentia educitur virtute agentis naturalis, creatio autem est actio, qua aliquid producitur ex nihilo, ut ly *ex*, excludit tam partem, quam subjectum; & nota quod argumentum concludit etiam, si forma ponatur modus materiæ, ut vult Aureol. & non res ab ea præcisa, vel præscindibilis, cum enim modus ille de novo producatur in materia, quæri poterit, an ejus aliquid præcesserit in materia, & si fiat ex materia, tanquam ex parte. Cæterum Aureol. loc. cit. hanc responsionem impugnat cum multis aliis, quia fieri ex materia potest acipi dupliciter, vel *in qua*, & ita non destruit conceptum creationis, quia anima rationalis fit in corpore, & tamen creatur, vel *ex qua*, & sic ly *ex* non tollit conceptum creationis, nisi dicat rationem partis, at materia non est pars formæ, sed compositi, quare forma semper creatur, quia non fit ex materia, tanquam ex parte, probatur major, quia illud *ex aliquo*, tollit creationem; quod potuit ponit in termino productionis prius non fuisse mere nihil, sed esse ex materia, in qua, vel ex qua tantam ex subjecto, non ponit terminum productionis non fuisse nihil ante prodoctionem, quia per tale subjectum forma non est extra nihil, ergo &c.

Resp. ex dictis de eductione disp. 2. Phys. qu. 7. artic. 2. satis patere eductionem a creatione distingui præsertim ex parte subjecti, nam tam in creatione, quam in eductione formæ nihil ejus præcedit, tanquam pars, atque ideo utrobique fit ex nihilo sui, tanquam ex termino, sed ad creationem formæ nullo modo concurrit materia, vel si concurrit, non concurrit sustentando, sed tantum recipiendo, ut mere subjectum in quo, non ex quo, contra vero ad eductionem formæ, neque forma dicitur educi ex materia, tanquam ex parte componente formam, sed tanquam ex sustentante formam, & hoc est formam fieri ex subjecto; & hoc etiam late tractavimus disp. 5. de gener. & corrup. qu. 1. art. 1. ubi contra Ferchium nostrum ostendimus nu. 15. non ideo formas materiales fieri ex nihilo, vel creari, quia non fiunt ex aliqua sui parte præexistente, ut fiunt composita, nam fiunt per eductionem ex præjacente subjecto, tanquam ex sustentante, & non simpliciter recipiente, per quod evitatur creatio, cum enim dicitur creationem esse rei factionem ex nihilo, omnes Theologi unanimiter ajunt ly *ex*, excludere habitudinem nedum partis, sed etiam subjecti præjacentis, & sustentantis, unde argumentum Aureoli falso innititur fundamento, quia supponit in factione, & productione tei, ne dicatur creari, debere fieri ex aliquo tanquam ex parte, quod quidem minime opus est, ut loc. cit. fuse contra Ferchium demonstramus; quare ad replicam Aureol. conceditur, cum materia concurrit solum, ut subjectum in quo & simpliciter recipiens ut contingit in animæ productione, non tolli conceptum creationis, at negatur non tolli, quando concurrit, ut subjectum ex quo, & sustentans, ut regulariter evenit in naturali productione formarum materialium; & improbatur oppositum, quia illud *ex aliquo* tollit creationem, quod ponit in termino productionis prius non fuisse mere nihil, quod non facit continentia formæ in materia, ut in subjecto ex quo; respondeo nihil, quod est terminus a quo creationis, esse negationem extra subjectum, & extra genus, & ideo cum forma fit ex negatione in subjecto præsuppositio, talis præsuppositio subjecti tollit formam fieri ex nihilo, ut est terminus a quo creationis, unde in hoc sensu neganda est minor argumenti ultimi inducti pro probatione majoris.

Postremo arguitur, quia 3. Phys. 67. forma dicitur terminus, at terminus est modus rei, ergo &c. Resp. formam dici proprie terminum generationis, quia est terminus formalis ejus; dicitur etiam terminus materiæ, quatenus materia eam appetit, ut ea habita conquiescat; dicitur etiam terminus materiæ in sensu argumenti, non quidem intrinsecus, quasi sit purus gradus perfectionis materiæ, ut Adversarii intendunt, sed veluti extrinsecus, quatenus cum materia ex se sub nulla sit certa specie prædicamentali, sed possit vagari per omnes, per formam informata constituitur in certa specie, qualem requirit forma, atque adeo complet perfectionem ejus, ut non ultra vagetur.

QUÆSTIO V.

De oppositione, & prioritate actus ad potentiam.

103 BReviter hoc quæsitum quoad primam partem resolvit Doctor 9. Metaph. quæst. 1. & 2. ubi in corpore quæsiti ait potentiam sumi posse dupliciter, vel ut dicit modum quendam entis, vel ut specialiter importat rationem agendi, & patiendi, quæ divisio satis in superioribus explicata est; inquit igitur quod si potentia sumatur pro principio agendi, certum esse debet actum non opponi potentiæ, quia actus in hoc sensu nedum potentiæ non opponitur, sed potius est exercitium ejus, non enim minus realiter est aliud principium, quando actu principiat, quam quando non principiat, sed principiare potest (inquit Doctor) neque eo quod quis currat, vel scribat, potentiam amittit currendi, aut scribendi, sed potius eam exercet, & res adeo explorata est, ut ulteriori explicatione non egeat; nam actus in hoc sensu *idem* est, quod operatio potentiæ activæ, satis autem constat operationem non opponi cum potentia activa, a qua egreditur, sed compossibilem esse cum ea ut exercitium ejus. De potentia vero passiva, seu ut est principium patiendi, quo sensu etiam coincidit cum subjectiva non est res adeo conspicua, aliqui enim Scotistæ dicunt actum formalem huic potentiæ correspondentem, adeo illi opponi, ut simul cum ea esse non possit, & quod definit potentia subjectiva actu formali adveniente, ut superficies, quæ est in potentia subjectiva ad albedinem, ubi albedinem recipit, jam fer-

formalem actum obtinuit, & ob eam rem non amplius ad albedinem subjectivam potentiam habet, sed tantum ad alios colores recipiendos, ita Ragusejus disp. 3. peripat. de existentia materiæ c. 3. declarando potentiam objectivam, & subjectivam, cui etiam videtur hic favere Doctor 9. Metaph. quæst. 2. nu. 10. ubi inquit neutram harum potentiarum manere cum actu, & potest quoque evidenti probabi ratione, quia cum subjectum aliquam obtinuit formam, ad quam erat in potentia, non amplius est in potentia ad illam, alioquin esset simul in actu, & in potentia respectu ejusdem formæ, quod est impossibile.

104 Cæterum certum non minus esse debet de potentia passiva, & subjectiva, quod simul stat cum suo actu, quam de activa, & tantum abest quod actus formalis opponatur cum potentia subjectiva, eamque destruat, quod potius eam perficit, & actuat, quod satis patet ex physicis de potentia subjectiva materiæ, qua recipit formas, diximus enim ibi disp. 2. quæst. 5. artic. 5. hanc potentiam cum materia realiter esse identificatam, velut ejus passionem, atque ideo non perire potentiam subjectivam materiæ in adventu formalis actus, quod pariter dicendum est de quocunque subjecto respectu formæ accidentalis. Pro recta tamen puncti hujus intelligentia, & solutione propositæ difficultatis notandum est, quod sicut privatio importat negationem formæ, & connotat in subjecto potentiam, & capacitatem ad eam recipiendam, ita potentia e diverso dicit aptitudinem, & capacitatem subjecti ad formam recipiendam, & connotat negationem talis formæ, vel privationem ejus, unde in vulgari modo loquendi præsertim subjectum dicitur in potentia ad formam, quando illa caret, eamque recipere potest; cum ergo dicimus in præsenti actum non opponi cum potentia subjectiva, sed potius cum ea compossibilem esse, ut connaturalem ejus perfectionem (si potentia subjectiva sit naturalis) non est sermo de potentia pro connotato, quo pacto dicit carentiam, & negationem actus, sed loquimur de potentia pro principali significato, nempe pro illa capacitate, in qua fundatur negatio, & carentia actus, sic enim bene stant simul potentia, & actus, quia potentia naturalis perficitur per actum; quam doctrinam eleganter docuit Alensis 9. Metaph. tex. 7. quæstiunc. 2. ubi quærens, an potentia subjectiva stet simul cum actu, respondet quod talis potentia potest dupliciter accipi, uno modo secundum quod simpliciter dicit rationem perfectibilis, alio modo prout dicit rationem perfectibilis cum carentia perfectionis; primo modo simul stant potentia, & actus, non autem secundo modo; & hoc voluit (inquit) dicere Commentator 1. Phys. quod potentia destruitur in adventu formæ, loquitur enim de potentia secundum quod includit privationem formæ, & sic etiam explicandus est Scot. loc. citat. nec aliud concludit ratio adducta in oppositum; cum enim semel subjectum formam obtinuit, verum est non esse amplius in potentia ad illam, prout potentia dicit carentiam, & negationem actus, quo pacto usurpari solet in communi modo loquendi; & sic etiam idem nequit esse simul in actu, & potentia, quia tunc simul haberet, & non haberet formam; tamen prout dicit positivum, in quo fundatur illa carentia, sic stant simul actus, & potentia, quia talis potentia perficitur per actum; quod eo vel maxime dicendum est, quia si argumentum illud quid roboris haberet, eodem modo concluderet de potentia activa, quod suo actui opponeretur, ut ei incompossibilis, sicut de potentia passiva, quia dum agens agit non dicitur amplius in potentia ad actionem, ut cum intellectus intelligit non amplius est in potentia ad intelligendum; alioquin esset simul in actu, & potentia.

105 De potentia objectiva eodem modo discurrit Bonetus noster lib. 6. suæ Metaph. cap. 3. cum enim dico potentiam (inquit ille) objectivam, dico duo, & tertium connoto, dico namque objectum, & dico potentiam, & connoto privationem actus essendi verb. gr. cum dico rosam esse in potentia objectiva, per objectum intelligo quidditatem rosæ, per potentiam fundatam in illa quidditate intelligo quendam respectum potentiæ, qui habet pro termino existentiam actualem rosæ, connotat tamen privationem existentiæ rosæ; atque ita concludit, quod potentia ratione privationis annexæ, & connotatæ opponitur actui existendi, & adveniente actu essendi tollitur privatio annexa respectu potentiæ, & sic potentia objectiva dicitur corrumpi ratione privationis annexæ adveniente actu, adhuc tamen manet potentia sumpta pro fundamento scilicet pro quidditate, in qua fundabatur illa carentia, manet enim quidditas rosæ, & conjungitur cum existentia de novo adveniente. Verum toto, ut ajunt, aberrat cœlo Bonetus, dum de potentia objectiva respectu actus entitativi, seu existentiæ discurrit, sicut de potentia subjectiva respectu actus formalis, & ejus error inde procedit, quod putat res ab æterno habere quoddam esse essentiæ reale, & actuale cum Henrico, cui postea in tempore adveniat esse existentiæ, quod fundamentum esse falsum infra disp. 8. quæst. 1. ex professo ostendemus; & hinc est, quod potentiam objectivam quidditatis rosæ ad existendum concipit ad modum cujusdam potentiæ subjectivæ essentiæ ad recipiendam existentiam, quæ est falsa imaginatio, ut supra dictum est n. 70. quia existentia non se habet, ut aliquis actus partialis respectu essentiæ, in qua recipiatur, nec essentia respectu existentiæ se habet per modum potentiæ passivæ, & receptivæ, sed existentia est actus totalis essentiæ, quatenus tota res, quæ antea dicebatur possibilis, cum erat in potentia causarum, post productionem tota dicitur in actu. Et hinc est, quod Doctor 9. Metaph. q. 2. semper appellat potentiam objectivam potentiam Metaphysicam, ne concipiamus eam per modum potentiæ passivæ physicæ, & sic e contra in omni schola existentia appellatur actus Metaphysicus, ne concipiamus illam per modum actus physici, & partialis, quemadmodum est forma respectu materiæ, & accidens respectu subjecti, quæ omnia ex instituto declarantur infra disp. 8. q. 2. Verum est tamen quod dicebat Bonetus potentiam objectivam involvere in suo conceptu negationem existentiæ, hæc enim est una ex præcipuis conditionibus, quam supra dicebamus, requiri ad ens in potentia objectiva, quod nimirum non existeret.

Ideoque dicendum cum Scot. l. c. 9. Met. q. 2. §. *ad quæstionem ergo*, potentiam objectivam cum actu entitativo sibi correspondente omnino incompossibilem esse, atque ideo hunc actum hanc que potentiam proprie opponi, quia circa idem habent fieri, & simul esse non possunt, quæ sunt duæ conditiones ad oppositionem requisitæ; habent quidem primam conditionem, quod scilicet circa idem habent fieri, quia ut docet Arist. 9. Metaph. tex. com. 13. & explicat Doctor 2. d. 16. q. un. *rationes istæ*, eadem omnino res est in genere, specie, & individuo, quæ antea erat in potentia objectiva, & postea fit in actu, Petrus enim in actu productus extra causas non est res diversa a seipso, cum erat in potentia, unde & eadem prædicata quidditativa de ipso enunciantur sub utroque statu, ut diffusius probabitur infra disp. 8. n. 48. Quod etiam habeant secundam conditionem, quod nimirum simul esse non possint, probat Doctor ex Arist. 9. Met. 11. cum inquit actum esse, quando res est non ita sicut in potentia, ubi in ejus rei declarationem multa adducit exempla de oppositis simul consistere non valentibus, ut vigilans, & dormiens, videns, & claudens oculum, elaboratum, & illaboratum, quæ exempla manifestam ostendunt incompossibilitatem actus entitativi, & potentiæ objectivæ, ut supra expendimus n. 74. & rursus probari potest ex modo dictis, quia potentia objectiva in suo conceptu involvit negationem existentiæ, nam illud dicitur in potentia objectiva, quod non est, sed esse potest, ergo actus, & potentia in hoc sensu directe invicem pugnant, adeout simul consistere nequeunt; sed per adventum actus omnino tollitur potentia, quia sunt diversi status ejusdem rei, sub quibus simul, & semel repetiri non potest.

106 De potentia tandem logica inquit Doctor l. c. 9. Met. qu. 2. respondendo ad argumenta primæ quæstionis, quod potest stare cum actu, ad quem ordinatur, nam ab actu ad potentiam logicam tenet consequentia, inquit Doctor, valet enim dicere, rota est, ergo possibilis est, nam si esset impossibilis, utique non extaret in rerum natura, quia potentia activa nunquam extenditur ad impossibile, & ait hoc confirmari posse per diffinitionem possibilis traditam ab Arist. 9. Met. tex. com. 7. cum inquit, possibile est, cujus actus si extiterit, nihil est impossibile, quæ est definitio, ait Doctor, possibilis logici; manifestum est autem, quod illud, quod actu est, participat hanc rationem, ergo potentia logica stat cum actu ad quem ordinatur, & ideo Doctor 1. d. 6. un. ponit Deum esse possibilem logice, licet ab eo potentiam objectivam removeat; ratio a priori est, quia potentia logica in hoc præcipue differt a potentia objectiva, quod ubi potentia objectiva involvit in suo conceptu negationem existentiæ rei, potentia logica quantum est de se præscindit tam ab existentia rei, quam ab ejus negatione, & neutrum in suo conceptu includit, & ideo cum utraque disjunctim compossibilis est, unde res semper dicitur possibilis logice sive in rerum natura actu existat, sive non. Restat itaque ex dictis solam potentiam objectivam esse cum actu sibi correspondente incompossibilem, & de ipsa proprie verificari quod opponatur cum actu, & tollatur per adventum actus.

Sed Contra hanc doctrinam Scoticam de oppositione actus entitativi cum potentia objectiva arguunt Thomistæ ex ejusdem Scoti principiis, nam secundum Scotum actus entitativus, & potentia objectiva sunt idem realiter, nam mundus, qui antequam crearetur erat potentia objectiva realiter, est illemet actus entis, qui postea ab agente creatur in esse, ergo falsum est quod sint opposita, & incompossibilia, & quod potentia destruatur in adventu actus, unde Scotus in hac positione de potentia objectiva, & actu entitativo sibi manifeste videtur contradicere, dum ex una parte ponit ea realiter identificata, quia eadem res est, quæ in actu, & in potentia, & ex alia parte ponit ea invicem opposita, & incompossibilia, & quod unum destruatur ad adventum alterius.

107 Resp. ex dictis n. 70. Thomistas in hoc puncto non satis percepisse mentem Scoti, nunquam enim dixit Doctor actum entitativum, & potentiam objectivam realiter identificari, immo semper constanter asseruit esse opposita, & invicem incompossibilia, bene tamen dixit eandem prorsus esse rem, quæ modo est in actu, & antea erat in potentia ex Arist. 9. Metaph. hoc tamen non solum non officit eorum oppositioni, sed potius est conditio ad eam necessario requisita, ut modo dicebamus, quia opposita habent fieri circa idem; & quidem aliud est dicere actum entitativum, & potentiam objectivam esse idem realiter, aliud autem quod eadem sit res, quæ modo est in potentia, & postea in actu, sicut aliud est dicere rectum, & curvum in linea idem esse, aliud vero eandem esse lineam, quæ modo curva est, modo recta; primum dictum est omnino falsum, nec a Scoto asseritur, significat enim modum essendi in potentia, & modum essendi in actu esse eundem, quod est evidenter falsum; alterum dictum est omnino verum, & a Scoto asseritur, significatque eamdem esse rem, quæ antea est in potentia, & postmodum est in actu, verbi gr. hic mundus jam in tempore a Deo productus est ille idem specie, & numero, qui per totam æternitatem fuit in potentia objectiva, & prorsus inconsulto confunduntur potentia objectiva, & ens in potentia objectiva; actus entitativus, & res in actu entitativo, quia potentia, vel actus significant diversos status, vel modos rei, ens autem in actu, vel in potentia significat rem ipsam sub altero illorum modorum constitutam, cum sub utroque simul consistere nequeat; quare ad argumentum negatur assumptum cum probatione, nam mundus antequam crearetur, erat quidem in potentia objectiva, fundabat namque relationem possibilis ad divinam omnipotentiam, non tamen erat ipsa potentia objectiva, quia hæc est denominatio extrinseca a divina omnipotentia desumpta, aut relatio ad eamdem, ille vero nempe mundus est fundamentum talis relationis.

Deinde contra idem assertum Doctor 9. Met. qu. 1. nonnulla adducit argumenta, idem suppositum non potest subesse quandoque uni oppositorum dividendi genus, quandoque alteri sicut patet 4. Topic. de fine, & opinione; sed potentia, & actus dicuntur de eodem, sic quod homo in potentia, & homo in actu idem sunt, quia non est aliud in potentia, quam quod est in actu per Comment. 8. Met. ubi ait, quod extractio de potentia non largitur multitudinem, sed perfectionem. Item unum oppositorum non perficit alterum, nec facit unum per se cum ipso, actus autem perficit potentiam, & facit unum cum ipsa ex 7. & 8. Met. ergo &c. Demum illa non dividunt aliquod commune, ut opposita, quorum alterum convertitur cum divisio, sed actus convertitur cum ente, quia ens in potentia est tantum secundum quid ens, ergo simpliciter non ens.

Respondet Doctor loco citato argumentum bene probare, quod divisio entis per actum, & potentiam, non est divisio generis per differentias essentiales, quod gratis conceditur, sed est magis subjecti, per passiones oppositas, quæ dicunt modum illius subjecti qualis est divisio lineæ per rectum, & curvum; unde supra dicebamus actum, & potentiam significare diversos modos essendi, seu status diversos ejusdem rei, sub uno enim statu consideratur, quando est in statu meræ potentialitatis, & sub alio quando consideratur sub actu actualis existentiæ. Ad aliud inquit Doctor concludere de potentia passiva, & subjectiva, hæc enim est, quæ perficitur per actum; & ideo non proprie opponitur cum ipso, adeout sit cum eo incompossibilis, ut supra dictum est. Ad ultimum ait Doctor, quod licet ens in potentia non sit ens ita simpliciter, sicut ens in actu, ac sic ratio possibilis diminuat ens, non tamen omnino destruit rationem entis, bene autem tale determinans potest habere rationem dividentis, ita enim est in divisione entis per unum, & multa, quia multum secundum suam formalem rationem, inquantum opponitur uni, diminuit ens licet omnino non destruat, subdit tamen, quod si teneatur alia via (quam nimirum supra in illa eadem qu. insinuaverat) de potentia objectiva, quod omnino destruat ens, & quod non sit relatio nisi rationis; tunc illud argumentum est concedendum, & dicendum, quod divisio entis per actum, & potentiam est distractiva, veluti illa qua dividitur animal per vivum, & mortuum, sed de hac divisione entis simul cum aliis divisionibus agemus ex professo disp. seq. Alia quædam argumenta ad idem adducit Doctor, quæ probant de potentia logica, quod consistat cum actu, minime autem de potentia objectiva, ut notavit Doctor cit. in solutione eorum, quibus proinde usi sumus supra num. 106. ad probandum potentiam logicam non opponi cum actu, ad quem ordinatur, sed solum potentiam objectivam.

108 Quoad alteram quæsiti partem de prioritate actus ad potentiam varie comparari solet actus ad potentiam, quoad prioritatem nimirum perfectionis, cognitionis, seu definitionis, & durationis, de quibus comparationibus egit Arist. 9. Met. cap. 8. & nos breviter hic dicemus, cum non sit res magni momenti. Itaque in primis loquendo de potentia activa certum est, quod est prior perfectione suo actu, sive per actum ejus intelligatur propria ejus actio, sive terminus, & effectus ipsius actionis, ratio est, quia vel causa est æquivoca, vel univoca respectu sui effectus, si æquivoca, est nobilior, & perfectior ipso, si univoca est saltem æque perfecta, adhuc tamen ob dependentiam, quam habent ab ipsa tam actio, quam effectus, potentia censeri debet perfectior utroque; quia ergo actus a potentia activa procedit, & ab ea participare dicitur quicquid perfectionis habet, ideo actus in perfectione semper superatur a potentia activa. Dices potentiam activam perfici per suum actum, atque ideo hunc esse perfectiorem illa. Negatur assumptum, nam proprie loquendo potentia passiva est, quæ perficitur per actum, quem recipit, activa vero per suum actum dicitur potius exerceri, quam perfici, immo ipsa est, quæ perfectionem elargitur, & actui suo, & effectui per ipsum producto. Dices, intellectum nedum exerceri, sed etiam perfici intellectione, quæ est ejus actio, & operatio. Resp. in primis intellectionem non esse actionem physicam, & realem, quæ habeat terminum productum, sed grammaticalem, & intentionalem, ut constat ex dictis disp. 6. de Anima quæst. 3. deinde quicquid sit de hoc, dum intellectus recipiendo intellectionem perficitur, utique non perficitur in ratione potentiæ activæ, sed potius passivæ, & receptivæ, nam tunc intellecto perficit intellectum, non quia est terminus actionis ejus formaliter loquendo, sed quia ipsa intellectio est actus formalis ejus, & ita comparatur ad illum, non ut ad potentiam agentem, sed ut ad recipientem, & patientem.

Deinde potentia activa est prior duratione, vel saltem natura suo actu, nam potentia activa est causa efficiens sui actus, & suæ operationis, ergo simpliciter prior illo saltem natura, tum quia valet consequentia, actus est ergo, potentia activa est, non tamen e contra potentia activa est, ergo actus est, nam potest existere potentia activa sine actu, vel quia libera est, ac proinde in ejus potestate est actionem suspendere prout vult, vel si est naturalis, non tamen semper habet applicata omnia requisita ad agendum; dixi autem saltem natura potentiam activam suum actum præcedere, quia licet multories præcedat suum actum duratione, ut regulariter contingit, interdum tamen non ita præcedit actum sed tantum natura, ut constat de potentia generandi in Deo, calefaciendi in igne, illuminandi in Sole, &c. unde si actio non fiat cum resistentia contrarii, neque includat intrinsece successionem, sed subito fieri possit, poterit esse simul tempore cum sua potentia, numquam tamen simul natura ob dependentiam actus a potentia. Dices habitum esse potentiam activam, & productivam actuum, & tamen non est prior omnibus illis, nam necessario præcedunt actus ex quibus generatur. Resp. habitum esse potentiam activam acquisitam non autem innatam, hic autem præcipue sermo est de potentia activa naturali, ut distinguitur ab acquisita. Deinde & ipse habitus licet supponat actus, a quibus generatur, non tamen eos, quos ipse elicit, & actus illi, ex quibus generatur, potentiam naturalem supponunt, a quibus eliciantur, adeout universaliter verum sit actum supponere potentiam activam, a qua procedit tempore, vel saltem natura. Quamvis autem potentia activa sit prior actu suo tempore, vel natura, tamen non est prior cognitione saltem quoad nos, nos enim ut plurimum devenimus in cognitionem potentiarum activarum per suos actus, ergo saltem respectu cognitionis nostræ potentia activa non est prior cognitione suo actu.

109 Loquendo autem de potentia passiva, & actu formali ei correspondente, potentia quidem duratione, vel saltem natura præcedit actum, quia actus potentiæ passivæ necessario præsupponit ipsam potentiam, tamquam subjectum in quo recipiatur; subjectum vero recipiens saltem natura præsupponitur formæ receptæ præsertim autem quando forma recipitur in illo, nedum ut in subjecto simpliciter recipiente, sed etiam sustentante. Actus tamen est prior ipsa potentia perfectione, & ratio est, quia potentia passiva, ut sic, a toto genere imperfectionem dicit, & respectu actus habet rationem perfectibilis, actus vero ipse rationem perfectivi, ergo saltem sub hac reduplicitate actus perfectior est potentia passiva, quia potentia cæteris paribus melius se habet sub actu, quam sine actu; dixi autem actum esse perfectiorem potentia passiva sub reduplicatione actus, & potentiæ passivæ, quia non semper opus est actum potentiæ passivæ esse perfectius ens, quam sit ipsa potentia receptiva, constat enim plerumque esse ens minus perfectum, ut patet de accidentibus, quæ actuant & informant substantias, ita notavit Doct. 2. d. 3. qu. 10. sub littera I. ubi ait, quod perfectio accidentalis non semper excedit suum perfectibile simpliciter, sed tantum secundum quid, quatenus, ut dicebam, potentia melius se habet sub actu sibi naturaliter debito, & consentaneo, quam sine ipso, alioquin absolute loquendo omne accidens est simpliciter minus ens, quam substantia ex 7. Met. dixi etiam notanter potentiam melius se habere sub actu sibi naturaliter debito, & consentaneo, quia hic sermo est de potentia passiva naturali, seu naturaliter in actum inclinata, nam in hoc sensu actus semper illi affert aliquam perfectionem vel simpliciter, vel secundum quid, si enim actus sit illi neuter, vel contrarius, & violentus, nedum ullam illi præstat perfectionem, nec simpliciter, nec secundum quid, sed potius illi nocet, & affert destructionem, ut calor aquæ, neque de hoc actu verificatur potentiam melius se habere sub actu quam sine illo.

Quo autem ad cognitionem, & definitionem potentia passiva dicitur esse actu suo posterior; ita namque significavit Aristot. Metaph. cap. 7. quod aliqui in tanto rigore intelligunt, ut id verificari velint non solum quoad nos, sed etiam secundum se, & natura sua, eo quod potentiæ dicuntur specificari per actus. Et hoc quidem admitti potest, si loquantur de potentia formaliter sumpta, & pro respectu, non tamen si sermo sit de potentia fundamentaliter, idest sumpta pro absoluto, in quo fundatur relatio potentialitatis, unde cum potentiæ dicuntur specificari per actus, hoc sane intelligendum non est, ut per intrinsecam earum differentiam, sed ut per terminum intrinsece habitudinis potentiæ ad actum, quia ergo potentia præsertim passiva in hoc sensu cognoscitur per ordinem ad actum, & definitur per ipsum, ideo actus dicitur esse prior cognitione, & definitione, quam potentia, id enim, per quod aliquid definitur, est prius definitione, quam ipsum definitum. Verum hic occurrit difficultas, quam movet Ant. And. 9. Met. qu. 3. quia actus, & potentia sunt correlativa, & sicut potentia nequit cognosci, nisi per actum, ita neque actus nisi per potentiam, ergo non magis potentia est prior definitione, quam actus, sed ad summum erunt simul cognitione, & definitione, correlativa siquidem cognoscuntur, & definiuntur per se invicem juxta illud Porphyrii, oportet in correlativis in utrumque rationibus utrique uti.

110 Respondet Ant. And. ibidem cum Scot. 9. Met. q. 2. §. *ad secundam quæstionem*, quod relative aliqua opponi, potest dupliciter intelligi, vel mutuo ita, quod utrumque habeat habitudinem per se ad alte-

alterum, vel non mutuo, actus, & potentia non opponuntur relative primo modo, quia cum talia sint simul natura, & definitione, sequeretur tunc, quod actus non esset prior ratione, quam potentia, nec ratio potentiæ sumereretur ab actu magis, quam e converso, quod est contra Arist. 9. Met. cap. 7. sed opponuntur secundo modo, nam supponendo significatum nominis, pater, quod potentia sic sumpta dicit ordinem ad actum, & ille ordo essentialiter est respectus ad actum; habens ergo respectum essentialiter ad aliud, inquantum hujusmodi, illi alii non opponitur, nisi relative, sed hoc non est e converso, quia ratio actus est absoluta; exemplum autem quomodo potest esse relatio ad aliquod absolutum, patet secundum Philosophum 5. Met. cap. ad aliquid de scientia, quæ essentialiter refertur ad scibile, non e converso, ergo scibile est absolutum, inquantum ad ipsum est relatio scientiæ; non enim idem est referri, & relationem terminare, immo ubi concurrunt in eodem videntur per accidens conjuncta, sicut in relativis mutuis, potentia ergo, & actus sunt relativa spectantia ad tertium modum relativorum, quæ non sunt mutua, quia igitur potentia essentialiter ad actum dependet, & non e converso, ideo habeat definiri per actum, & non e converso inquit Ant. And. ex doctrina Scori allegata, & Porphyrium inquit loqui de relativis mutuis, cujusmodi non sunt actus, & potentia.

Sed hanc responsionem impugnat Zanard. 9. Met. q. 16. ad prin. quod sit contra Arist. 5. Met. ubi inquit, actum, & potentiam esse relativa fundata super actionem, & passionem, & pertinere ad secundum modum relativorum, quæ sunt mutua. At falsum est hoc ibi Arist. dicere, solum enim inquit, quod relativa illius secundi modi fundantur super potentiam activam, & passivam, earumque actiones, & passiones, non autem ait, quod ipse actus, & potentia sint relativa illius secundi modi. Fortius impugnari posset hæc solutio, quia re vera actus si formaliter sumatur, non minus respectum essentialiter dicere videtur ad potentiam, quam e contra, tum quia etiamsi admittatur actum, & potentiam ad tertium modum relativorum pertinere, jam diximus disp. 8. Log. qu. 10. art. 2. in explicatione tertii modi relativorum, relativa illius tertii modi quoque esse mutua, si extrema uniformiter assignentur, & tunc tantum esse non mutua, cum assignantur difformiter, ut ibi explicuimus. Sed quando etiam teneretur, actum, & potentiam esse relativa mutua, & hac ratione esse aliquo pacto simul cognitione, & definitione, adhuc tamen censeri debet actus prior potentia simpliciter, & absolute loquendo, quia ille est, qui determinat, & dat speciem potentiæ, non e converso, unde tenendo etiam hanc viam salvatur, quod dixit Arist. 9. Met. c. 7. actum esse priorem potentia cognitione, & definitione.

Postremo loquendo de actu, & potentia objectiva, satis de se patet potentiam objectivam esse priorem actu entitativo prioritate durationis, vel naturæ, siquidem in productione rei potentia objectiva se habet, ut terminus a quo, actus vero entitativus, ut terminus ad quem; terminus autem a quo præcedit terminum ad quem, sed loquendo de prioritate perfectionis, & cognitionis, res e contra se habet, quod actus est prior potentia, quoad perfectionem quidem, quia actus entitativus dat actualiter esse rei, potentia autem objectiva dat tantum posse esse, perfectius autem est actualiter esse in rerum natura, quam solum esse posse, ergo actus entitativus est perfectione prior ipsa potentia objectiva, est etiam denique prior quoad cognitionem, quia quo plus aliquid habet de entitate, plus etiam habet de cognoscibilitate, actus autem entitativus, cum sit ipsa actualis rei existentia, plus entitatis habet, quam potentia objectiva, cujus beneficio res non dicitur esse, sed tantum posse esse, & posse produci ab aliqua causa, ergo actus entitativus est etiam prior cognitione potentia objectiva, & hæc sufficiant de actu, & potentia.

QUÆSTIO VI.

De Necessario, & Contingenti.

111 POst tractationem de actu, & Potentia, agimus de Necessario, & Contingenti, quæ est altera passio complexa, seu disjuncta entis, quam inquit Doct. 1. d. 39. §. *quantum ad primum* circumscribere nobis unicam passionem cum ipso ente convertibilem; unde necessarium, & contingens duplex est, aliud complexum, aliud incomplexum, complexum perrinet ad propositiones necessarias, & contingentes, de quo sufficienter dictum est in Logica, unde solum hic est sermo de necessario, & contingenti incomplexo, quod rursus dupliciter sumi potest, vel ut sunt differentiæ, aut modi intrinseci principii operandi, & producendi, quo pacto coincidunt cum naturalitate, & libertate, & dividunt principium activum in naturale, & liberum, & in hoc sensu de necessitate, & contingentia egimus disp. 7. de Anima qu. 1. 2. & 3. explicando libertatem voluntatis nostræ, & quomodo causa libera differat in modo agendi a naturali; alio tandem modo sumitur necessarium, & contingens, ut sunt differentiæ, seu modi intrinseci ipsius entis, seu rei in essendo, quo pacto sub disjunctione sumpta ajebat Scotus loco cit. circumscribere nobis passionem cum ente convertibilem, & in hoc sensu tantum hic agendum est de necessario, & contingenti, unde quia de necessitate, & contingentia in aliis sensibus, ut scilicet pertinent ad propositiones, & ad actiones, seu principia agendi, alibi sufficienter tractatum est, & hic tractare restat solum de ipsis, ut sunt modi intrinseci rei in essendo, breviter duobus articulis rem absolvemus, in quorum uno natura, ac essentia rerum necessariarum explicabitur, in altero vero essentia rerum contingentium.

ARTICULUS I.

An necessaria habeant causam sui esse.

112 JAm dixi necessitatem esse duplicem, complexam scilicet & incomplexam, illa est necessitas alicujus propositionis primi, vel secundi modi dicendi per se, ut quod homo est animal rationale, est risibilis; necessitas autem incomplexa est necessitas alicujus simplicis entitatis, seu naturæ, nunc addo hanc necessitatem incomplexam esse duplicem, scilicet simpliciter, & secundum quid, ens necessarium simpliciter dicitur illud, quod est immutabile, indefectibile, & cui repugnat omnino non esse, & hoc modo solus Deus inter omnia entia dicitur necessarius, ens necessarium secundum quid dicitur aliud, quod est indefectibile tum intrinsece, quia nimirum caret potentia physica ad non esse, qualis dicitur esse materia in compositis physicis, quæ proinde 9. Met. dicitur potentia contradictionis, & radix primaria corruptionis; tum extrinsece per potentiam nempe finitam extrinsecam, quia nimirum nullum agens creatum illud destruere potest, defectibile tamen est & destruibile per potentiam superiorem, & infinitam, quamvis enim non habeat potentiam physicam ad non esse, quia caret materia, tamen ob suam limitationem, & finitatem habet potentiam logicam ad non esse, seu non repugnantiam ad non esse, itaut causa conservatrix ejus potest cessare ab ejus conservatione; licet ex naturali ejus constitutione cum solo concursu generali Dei posset in æternum durare, quod non convenit compositis ex materia, & forma, & hoc quidem modo entia necessaria dicuntur præsertim a Philosophis materia prima, substantiæ spirituales creatæ, & corpora cælestia, quæ dicunt esse exempta a compositione materiæ, & formæ, ut in lib. de Cœlo dictum est.

Quæstio itaque proposita procedit præsertim de entibus necessariis secundum quid, nam de ente necessario simpliciter conveniunt omnes tam Philosophi, quam Theologi nec habere, nec posse habere aliquam causam sui esse, quod probat evidentissime Doctor 1. d. 2. qu. 1. tum quia ens necessarium simpliciter est omnino independens ab alio, & primum efficiens cæterorum. Tum quia si ente necessario simpliciter daretur aliud prius, a quo causaretur, idem dici posset de illo priori, & sic daretur processus in infinitum, quod repugnat in causis præsertim essentialiter ordinatis ex 1. Post. 8. Physic. & 12. Metaph. Ex hoc autem, quod ens necessarium simpliciter nullam habeat causam efficientem, sequitur quoque ulterius nullam habere finalem; nam causa finalis non causat, nisi metaphorice movendo efficiens, unde ex negatione causæ efficientis respectu alicujus optime deducitur negatio causæ finalis. Et denique ex negatione causæ efficientis, & finalis bene deducitur negatio causæ materialis, & formalis, quia causæ intrinsecæ semper supponunt extrinsecas, a quibus disponantur, ac adaptentur ad compositi constitutionem, relinquitur itaque ens necessarium simpliciter nullam prorsus habere causam sui, & solum remanet difficultas de entibus necessariis secundum quid, ut sunt intelligentiæ, materia prima, & corpora cœlestia, an eum eorum necessitate essendi stet, quod habuerint esse ab alio, & a Deo pendeant in genere causæ efficientis, & quamvis difficultas sit parvi momenti apud Theologos, & secundum veritatem, quia hæc est necessitas tantum secundum quid, cum quo stat, quod illa entia sint simpliciter contingentia, quatenus ab intrinseco illis non repugnat non esse, & a Deo annihilari, valde tamen urget in principiis Arist. qui illa entia potuit simpliciter necessaria, & ex se formaliter necesse esse, & præsertim Intelligentias, ut patet ex 12. Met. unde in sententia Philosophi repugnare videtur, quod cum tanta necessitate ster, quod ab alio habuerint esse, & a Deo pendeant in genere causæ efficientis, eo vel maxime, quod hæc entia ab Arist. ponuntur æterna, sicut ipse Deus.

Hinc orta est gravis inter Peripateticos controversia de ente Arist. in hac re; asserunt enim aliqui hujusmodi entia a Deo prima causa pendere dumtaxat in genere causæ finalis, non autem efficientis, quæ opinio tribuitur Alexandro Aphrodiseo, & sub nomine Aphrodisei defenditur a Burl. 8. Phys. in tex. 79. Crem. lib. de natura Cœli, Giannin. de substantia Cœli, Schain. 12. Met. cap. 10. Ragus. disp. 7. Peripat. (licet per errorem fuerit citatus pro opposita parte disp. 1. de Cœlo, qu. 3. in prima impressione) Arim. & Baccon. 2. d. 1. qu. 1. & aliis nonnullis ibid. cit. e contra vero D. Thomas cum suis 1. p. qu. 44. art. 1. & lib. 2. contra gentes cap. 15. Scot. item cum suis 1. d. 8. qu. 5. & 2. d. 1. qu. 3. & potissimum quol. 7. docet non obstante eorum æternitate, ac necessitate in Arist. sententia adhuc a Deo pendere etiam in genere efficientis causæ, quam sententiam præter Auctores allegatos loc. cit. sequuntur etiam Simplicius comment. ult. in 8. Phys. Avicen. 9. Met. cap. 4. Suessan. 8. Phys. in tex. 79. & 5. Met. disp. 4. Zimera pluribus in locis, & præcipue in quæstione de triplici causalitate intelligentiæ, Vicomerc. 12. Met. comm. 36. Tolet. 8. Phys. q. 6. Contar. Junior q. peripat. 16. c. 1. noster Ferchius vestig. 2. per totam, Faber theor. 56. Formalistæ omnes tract. Formal. p. 1. art. 1. ubi Tromb. Vallon. Aret. & alii quamplures, ex Arist. expositoribus Latinis, citatur etiam pro hac sententia Averroes lib. 1. de substantia orbis cap. 2. licet oppositam quoque tenuisse videatur 8. Phys. com. 21. & 12. Met. com. 41. quod ex instituto ostendit

Aureol.

Aureol. 1. d. 42. part. 1. qu. 1. art. 1. ubi valt fuisse etiam genuinam Arist. sententiam; quamvis autem morosam aggrediamur quæstionem de mente Arist. indaganda, qui data opera in difficilioribus controversiis obscure locutus est, ut expositoribus ejus materiam rixarum præberet.

113 Dicendum est, nedum secundum veritatem, sed etiam secundum Arist. Intelligentias, materiam primam, corporaque cælestia habere causam sui esse efficientem, & hanc esse Deum. Ita Doctor loco cit. & 5. Met. qu. 3. cum omnibus Auctoribus secundæ sententiæ, quam conclusionem jam docuimus loquendo speciatim de materia, corporibusque cælestibus disp. 1. de Cœlo quæst. 3. nunc autem ponitur universaliter etiam intelligentias comprehendendo, & quidem secundum veritatem res de se clara est, & omni difficultate vacat, quamvis enim illa entia eo quia carent compositione ex materia, & forma, aut si illam habent secundum veritatem, ut corpora cælestia, sunt tamen taliter constituta, ac bene compacta, ut non subjaceant actioni agentium naturalium ideoque quamdam necessitatem induere videantur in comparatione ad alia entia generabilia, & corruptibilia, tamen absolute loquendo sunt entia possibilia, & contingentia simpliciter, & quantum est de se, indifferentia ad esse, & non esse, possuntque a Deo destrui, & annihilari ita bene, sicut quæcumque alia entia creata, atque ideo eorum necessitas in essendo non est necessitas simpliciter; quasi illis repugnet non esse respectu cujuscumque agentis, sed necessitas secundum quid comparatione nimirum ad agens naturale, quod nequit ea generare, vel destruere, ergo re vera ea omnia habuerunt suum esse a Deo in genere efficientis causæ. Tum quia ea omnia entia etiam Intelligentias comprehendendo (nam hic sermo est de aliis intelligentiis a prima) sunt finita, & limitata, sed omne ens limitatum, & finitum supponit superius efficiens, a quo accipit esse; si namque illud ex se, & a se haberet, utique non illud haberet cum limitatione, sed cum omni plenitudine, & exuberantia, atque ita non esset ens finitum, & limitatum, sed omnino illimitatum, ut arguit Doctor quol. 7. §. *sed quia*. Tum quia esse a se est maxima perfectio, immo per hanc cæteræ perfectiones attributales solent de Deo ostendi, & præsertim infinitas, ideo namque est infinitus, quia habet esse a se & ex se cum omni plenitudine, ergo talis perfectio nequit competere entibus illis non obstante gradu necessitatis eorum, alioquin forent entia finita, & limitata. Tum quia illa omnia entia causam habent finalem, ut omnes concedunt, ergo efficientem, consequentia probatur, quia causa finalis non causat, nisi quia Metaphorice movet efficiens ad dandum esse, & finis est id cujus gratia cætera fiunt, & quicquid habet finem, debet ab aliquo ordinari in finem, is autem qui ordinavit, alius esse nequit a causa efficiente, ita arguit Doctor 1. d. 8. qu. 5. §. *Contra istam*.

Confirmatur speciatim de cælo, & materia prima, quia materia prima est omnium entium imperfectissima, & pura potentia, ac prope nihil, ut ait Aug. ergo valde inepte tribueretur illi esse a se, quæ est maxima perfectio, immo omnium prima in Deo. Cœlum vero licet sit longe perfectius materia prima, non ob id tamen concludi debet non habere causam sui efficientem; quia res præstantiores ipso habent causam sui esse, ut homo, ergo tanto magis Cœlum, tum quia Cœlum nequit a se moveri, ideoque indiget motore, a quo moveatur, ergo tanto magis a se esse nequivit, ac ideo causa efficiente indigebit, a qua dependeat, consequentia patet, quia difficilius vel potius impossibilius est aliquid esse a se, quam a se moveri.

114 Quod autem hoc etiam sit de mente Arist. probari solet innumeris ejus auctoritatibus, quas fusissime ad satietatem usque adducit Ferchius vestig. 2. cit. ubi præsertim satagit nova ad hoc afferre loca hactenus non producta, ego autem e contra hic pro hujus rei probatione pauca intendo referre Arist. loca, ac magis frequenter adducta, tum quia clariora sunt, tum ut occasionem habeam adducendi, & refellendi glossas, & solutiones adversariorum, & quamvis hujusmodi loca fuerint jam adducta in ejusdem rei comprobationem disp. 1. de Cœlo qu. 3. quia tamen veluti obiter, & perfunctorie hoc actum est ibi sine responsionibus, & explicationibus Adversariorum, & fusior de hac re sermo ad Metaphysicam reservabatur, ideo easdem auctoritates, & alias nunc adducam accuratius expendendas.

Prima auctoritas clara valde, & obvia in rem nostram habetur 12. Met. 38. ubi Arist. de Deo loquens ait, *a tali ergo principio tum Cœlum, tum natura dependet*. At statim occurrunt Arimin. & Bacconius respondentes Intelligentias, aliaque entia æterna utique a Deo dependere, non tamen tamquam ex causa efficiente, sed veluti ex fine. Hæc tamen solutio faciliter reiicitur ex ipso Arist. discursu ibidem, qui loquitur de dependentia tam in genere causæ finalis, quam efficientis; tum quia dependentia in genere causæ finalis explicatur per *ad* & non per *ab* vel *a*, sed ibi dicitur, ab hoc principio pendet Cœlum, & natura. Deinde ut nuper arguebam ex Scoto 1. d. 8. qu. 5. habens causam finalem, necessario quoque habet efficientem, quia finis est id cujus gratia cætera fiunt, & quicquid habet finem, debet ab aliquo ordinari in finem, quod autem ordinat in finem, est agens, & causa efficiens ordinati ad finem, idque ut necessarium in doctrina peripatetica docet Averroes cap. 2. de substantia orbis, & lib. destruct. disput. 2. in sol. dub. 24. circa finem, & 12. Met. 8. ubit ait, quod in abstractis idem est finis, & efficiens. Dices, aliud esse, Deum esse causam efficientem essentiæ illarum rerum, aliud esse, quod sit causa ordinationis earum rerum in finem, hoc secundum verum est, idque concludit argumentum, non autem primum. Contra quia ordinatio, & dependentia earum rerum in finem est illis consubstantialis, ac realiter identificata, cum implicet ab intrinseco esse sine tali dependentia, nequit ergo talis ordinatio procedere ab aliquo in genere efficientis causæ, quin & ab eo procedat essentia rerum sic ordinatarum. Dices rursus non illas ipsas res esse sic ordinatas in Deum, ut in finem, sed earum operationes. Contra, quia tunc omnes Intelligentiæ essent æque primæ, nec enim illa adesset ratio cur hæc diceretur prima, illa secunda, quia nulla ordinatur ad aliam, ut in finem. Dices illam Intelligentiam dici secundam respectu alterius, quia ipsius operatio ordinatur in illam. Contra, quia ita res se habent ad esse, sicut ad operari, quæ ergo operantur dependenter ab alio, sive in genere causæ efficientis, sive finalis, nedum quoad proprias operationes, sed etiam quoad proprium essentiam, erunt in talem finem ordinatæ, tum quia ex hoc quod operatio Dei non est in superiorem finem ordinata alium ab ipso arguimus ipsum habere suam essentiam ab alio independentem in quocumque genere causæ, ergo quia operationes aliarum intelligentiarum sunt in ipsum ordinatæ, ut in ultimum finem, debemus hinc deducere esse ad ipsum sic ordinatas etiam eorum essentias.

115 Deinde, ut optime Faber notavit theor. cit. 56. dependentia in genere causæ finalis, quam tribuit Baccon cæteris intelligentiis in ordine ad primam, & dependentia in genere causæ efficientis, quam eisdem concedit Arimin, talis est, ut eas faciat vere, & proprie dependentes in esse, & quoad substantiam, ergo nisi verbis a nobis discrepant, probatur assumptum, dum enim Baccon. 2. d. 3. qu. 1. art. 4. inquit intelligentias, Cœlum, & materiam primam dependere a Deo non in ratione causæ efficientis, sed finalis; exponendo postea qualis sit hæc dependentia in genere causæ finalis, ait, quod causa finalis dat esse, & nobiliori modo, quam efficiens, & inquit quod etiam entia illa æterna in sententia Philosophi habuerunt esse post non esse, & intantum negat dici posse dependere in genere causæ efficientis, quia opinatur causalitatem hujus generis non nisi per motum, & mutationem exerceri posse, quo quidem modo hæc entia ab æterno existentia esse non potuerunt accipere, quod quidem licet sit falsum, nam ostendemus postea causalitatem efficientem posse etiam sine motu, & mutatione exerceri per simplicem emanationem, indicat tamen, Auctorem hunc in re nobiscum convenire, & solum differre in modo loquendi. Arimenensis pariter 2. d. 1. qu. 1. art. 1. respondendo ad quæsitum distinguit de efficiente vero, quoad agit agere per motum, & de efficiente per similitudinem, quod agit per simplicem emanationem, & concedit primam intelligentiam respectu aliarum esse efficiens per similitudinem, & ad explicandam hanc efficientiam affert exemplum de forma, quæ est causa suorum accidentium, ac proprietatum consecutive, ut forma ignis respectu levitatis, patet autem, formam ignis levitatem in se causare efficientem per simplicem emanationem, ergo re vera concedit entia æterna ab Arist. posita dependere a Deo in genere causæ efficientis, ut nos dicimus, neque a nobis discrepat, nisi in verbis.

Alii proinde ad eumdem locum respondent, Cœlum *dici* pendere a Deo non quoad substantiam, sed quoad motum, & per motum pendere naturam. Contra quia eodem modo ait Arist. Cœlum, & naturam pendere, eisdem enim verbis explicat utriusque dependentiam, sed natura pender a Deo nedum quoad motus ipsius, sed etiam quantum ad existentiam, ergo & pariter Cœlum. Tum quia falsum est, Cœlum immediate in suo motu pendere a prima Intelligentia, ut dictum est disp. 2. de Cœlo quæst. 4. art. 4. Tum quia hoc etiam concesso adhuc solutio allata non subsistit, quia quod causat passionem, causat quoque subjectum, quod sine tali passione existere non potest, sed motus est passio Cœlorum, sine quo non existerent secundum Philosophum; ergo si Deus est causa motus Cœlorum, erit etiam causa existentiæ ipsorum. Hinc Averroes ait cap. 2. de substantia orbis, quod non existente intelligentia non existeret orbis, sicut nec motus, quare eodem modo ait pendere orbem, ac motum ab intelligentia, quia dans formam dat accidentia consequentia formam.

Respondent alii, intelligentias, Cœlum, & materiam primam a Deo dependere, ut a causa conservante, non autem efficiente, ita Piccolom. lib. 2. de creatione c. 7. & 11. Hanc responsionem improbat Faber cit. quia si entia illa indigent conservante, signum est esse de se fluxibilia, ac possibilia non esse, per conservantem vero causam remanent in esse, ergo de se sunt causata, & non summe necessaria, quia tunc nullius auxilio in essendo indigerent; Tum quia quæritur, qua de causa egent conservante, certe quia per se esse non possunt, alioquin frustra diceretur illas pendere a primo tamquam a conservante, ergo Intelligentiæ ex eo quod pendent a prima causa in conservari sunt causatæ. Hæc impugnatio non valet ad tuendam Arist. sententiam, quia, ut diximus, Arist. ponit intelligentias esse entia ex se formaliter necessaria, itaut ipsis ab intrinseco repugnet non esse, & cum hoc adhuc sustinet pendere a Deo in genere efficientis causæ, & in hoc sensu defenditur a Scoto Arist. sententia, non ergo debemus dicere in Arist. sententia Intelligentias indigere conservante, quia sint entia fluxibilia, & possibilia non esse, sed potius quia non implicat aliquid esse ex se necessarium formaliter, non tamen a se, sed ab alio, uti Theologi dicunt de Filio in divinis, ut postea explicabimus. Potius ergo responsio Piccol. impugnanda est, quia conservatio, & productio eadem est actio respectu primæ causæ, ut dictum est

in Physica; tum quia nulla potest afferri ratio, cur improducta egeant causa conservante, alioquin idem de Deo asseri posset, quod causa indigeat conservante; tum quia ex nobis notis appareat nullum esse effectum indigentem conservatione, qui non sit productus, & nullum effectum petere conservari ab ea causa, a qua non fuit productus loquendo de conservatione proprie dicta, hinc Achillin. quol. 2. ut consequenter loqueretur, sicut negavit ad mentem Arist. præsata entia necessaria pendere a Deo in genere causæ efficientis, ita pariter negat pendere in genere causæ conservantis; & ait conservari seipsis, quem rursus frustra impugnare conatur Faber assumens, Intelligentias esse entia de se possibilia, & indifferentia tam ad esse, quam ad non esse, ideoque causa conservante indigere. Nam negabit Archillinus, & bene in Aristot. sententia assumptum, quod scilicet Intelligentiæ sint entia de se possibilia, ut enim constat ex 12. Metaph. inquit Doctor, posuit illas Aristot. esse entia ex se formaliter necessaria, ita habet 1. d. 2. qu. 7. §. *Tenendo igitur* & d. 8. quæst. 5. §. *contra istam opinionem*.

116 Secunda auctoritas desumitur ex lib. 1. de Cœlo text. 100. ubi inter alia hæc habet verba, *unde & aliis communicatum est, his quidem apertius, his autem obscurius esse, & vivere*. At statim occurrunt Adversarii dicentes, Intelligentias, & Cœlum a prima causa pendere non quoad esse, sed solum quoad operationem. Ridicula quidem ac inepta responsio, vivere namque, & esse non dicit actum secundum, sed primum, cum ergo dicat Arist. Deum communicare singulis vivere, & esse, plane non loquitur de dependentia rerum a Deo quoad actum secundum, & operationem dumtaxat, sed etiam quoad actum primum. Tum quia Arist. ibi loquitur universaliter de dependentia essentiali omnium entium a Deo tam corruptibilium, & contingentium, quam æternorum, ac necessariorum, si ergo loquitur tantum de dependentia quoad operari, non quoad esse, sequitur corruptibilia quoque tantum in operari dependere a Deo, non autem in esse. Tum quia si dependent quoad operari, argumento est dependere etiam quoad esse, sicut e contra, quia Deus omnino independenter ab alio operatur, hinc etiam arguimus ejus independentiam in essendo. Tum quia dum dicunt entia æterna a Deo dependere quoad operationem, vel ita intelligunt, quod tota operatio sit ipsius Dei ut causæ principalis, nec ipsa concurrant, nisi per modum meri instrumenti, & hoc dici nequit, quia tunc essent inferiores conditionis ipsis rebus corruptibilibus, quæ proprias habent operationes, & exercent, ut causæ principales, vel ita intelligunt, ut proprias quidem ex se habeant operationes, verum ut exeant in actum, indigent auxilio, seu concursu primæ causæ, & hoc quidem verum est, sed hoc non excludit dependentiam a prima causa etiam quoad esse, & actum primum, nam etiam entia corruptibilia sic dependent in operari a prima causa, & tamen etiam dependent quoad esse, alias quasdam soluriones hujus auctoritatis impugnatas minoris momenti videre potes apud Fabrum loco cit.

117 Tertia auctoritas, & ea quidem efficacissima adducitur a Scoto quol. 7. §. *secundum scilicet*, ex 12. Met. 52. ubi concedit Arist. omnia entia habere ordinem essentialem inter se, & magis ordinem essentialem ad unum primum, & dat exemplum de familia, in qua servi, liberi, & jumenta habent ordinem ad patremfamilias, & ab illo dependent; affert etiam exemplum de exercitu, in quo est unum supremum caput, ita in toto universo evenire ait, unde tandem concludit, entia nolunt male disponi, unus ergo Princeps. Ex hoc itaque ordine essentialis dependentiæ quem omnia habent ad unum primum ens, clare deducitur omnia ab ipso esse causata, ac dependentia in esse, probat hanc consequentiam Doctor, quia si aliqua entia forent incausata, ac independentia, tunc consequenter essent intensive infinita, ideo enim Deus est ens infinitum, quia incausatum, & independens ab alio, unde cum sit a se, habet consequenter omnem plenitudinem entitatis, & perfectionis, si autem essent intensive infinita, jam non essent essentialiter subordinata ad unum primum, quia infinitum intensive non potest essentialiter subordinari alteri, nec in genere causæ efficientis, quia est a se, nec in genere causæ finalis quia unum infinitum non est propter aliud bonum. Conf. quia quod est incausatum, & a se, nequit esse alteri subordinatum in ullo genere causæ, hac enim præcise de causa Deus non est alteri essentialiter subordinatus, quia est ens improductum, & a se, ut ergo illa entia dicantur primo enti essentialiter subordinata, debent omnia ab illo esse producta, & causata.

Respondent aliqui ex Henrico in intelligentiis utique esse ordinem, non tamen causalitatis, ac dependentiæ in esse, sicut in speciebus numerorum, & figurarum est ordo, & una dependet ab alia, & omnes a prima, nec tamen causantur ab illa. Contra, quia hæc dependentia cæterorum ad Deum non est accidentalis, sed prorsus essentialis, nam ita a primo ente omnia pendent, ut eo per impossibile deficiente corruerent, ideoque 9. Met. 17. ait Arist. quod nisi Deus esset, nil aliud in universo reperiretur, ergo ea dependentia est vere, & proprie causalitatis, ac dependentiæ in esse; exemplum autem illud de speciebus numerorum ait Scot. quol. cit. aut non esse ad propositum, aut esse ad oppositum, quia licet minor numerus formaliter acceptus non sit pars majoris, & sic major non pendeat a minori in essendo, potentialiter tamen, & materialiter acceptus est pars majoris, & sic major in essendo dependet essentialiter a minori, tamquam totum a parte, & in hoc sensu est essentialis dependentia unius numeri ab alio, ut senarii a quinario, & hujus a ternario; in Intelligentiis autem dependentia essentialis in hoc sensu assignari non potest, quia una non habet rationem partis, vel totius respectu alterius, sed omnes sunt actus, & ideo si habent ordinem, & dependentiam ad primum, hæc nequit esse, nisi in genere causæ efficientis, & finalis. Ragusejus loco cit. forte, ut facilius solvat, alio modo hoc conficit argumentum dicens, Deus est causa ordinis universi ex 12. Met. 52. ergo est causa omnium entium sic ordinatorum, quia hic ordo est essentialis, & intimus rebus, ac proinde causari nequit nisi efficiendo ipsas naturas rerum, deinde respondet c. 17. aliud esse dicere in natura universi ordinem entium essentialem reperiri, aliud vero Deum esse causam effectricem talis ordinis in universo, primum asserit Arist. non secundum, unde si quæratur, a quo sit ille ordo essentialis inter entia repertus, respondet, quod sicut in domo, ubi est paterfamilias, uxor, liberi, servi, jumenta, &c. non aliunde ortus quam ex quodam animi impetu, quoad exequenda mandata patrisfamilias impelluntur, ita in toto universo iste pulcherrimus ordo reperitur, cujus tamen causam aliam nullam esse dixeris, quam insitam illam vim in rebus omnibus naturalibus, quasi radium quemdam bonitatis divinæ, ut primo motori obtemperent. Sed non hoc modo confecit argumentum Doctor ut patet, sed etiam ita confectum urget, nec bene solvitur a Ragusejo, dum negat pulcherrimum ordinem entium esse factum a Deo, cujus oppositum convincit exemplum ab ipso allatum, immo ab Arist. de patrefamilias, & duce exercitus, quis enim non videt ordinem in domo bene disposita ac exercitu repertum esse a patrefamilias, Duce exercitus institutum, & non a casu provenire? tum quia cum ait causam ordinis universi esse vim insitam in rebus quasi radium quemdam divinæ bonitatis, ut primo motori obtemperent, jam aperte fatetur vim illam esse a Deo rebus insitam, & Deum esse causam effectricem talis ordinis.

Deinde ex illa eadem auctoritate 12. Met. 52. ex illis verbis *unus ergo princeps* deducitur argumentum morale non exigui momenti, ut notavit Faber loco cit. ex illis enim verbis deducitur Arist. tribuisse Deo in Universi gubernio dominium Monarchicum veluti omnibus præstans, sed ponendo omnes Intelligentias incausatas cum sola quadam tenui subordinatione ad unam, ut reverentiæ amantes, absque ulla vera, & propria dependentia tribuitur Deo dominium universi Aristocraticum, ergo &c. Major patet ex verbis allatis, ac etiam ex ipsis exemplis ab Arist. adductis de patrefamilias, & Duce exercitus, his enim significare intendebat Deo adscribere dominium Monarchicum, tale namque est dominium, quod habet paterfamilias in domo, & Dux in exercitu, probatur minor, quia in Aristocratia vera Princeps solum ordine est primus, & quadam reverentia cæteris præstat, auctoritate tamen, & potestate non plus valet, quam alter quicumque Senator. Immo addo amplius, quod ponendo Intelligentias omnes improductas, nec Monarchicum, nec Aristocraticum dominium erit in Mundo, sed alterum Chaos, & mera confusio, quia si nulla intelligentia est ab alio, omnes & singulæ erunt improductæ, atque adeo singulæ forent prima principia, quia non esset major ratio, cur uni potius primitas conveniret, e alteri subjecto, & non e contra, nam ubi datur independentia, nequit assignari subordinatio.

118 Quarta auctoritas est quam modo supra innuimus, 9. Met. 17. ubi habetur, quod nisi esset primum ens, nullum ex cæteris entibus reperiretur, ex quo quidem manifeste deducitur, Intelligentias, Cœlum, materiam primam, & si quæ alia sunt entia extra Deum ab Arist. posita, esse ab ipso causata, ac ab ipso dependere in esse, quod enim alio deficiente, & præsertim in natura diverso deficere potest, non est ens incausatum, & improductum, sed potius causatum, & dependens ab eo, quo deficiente deficeret, sed ita se habent omnia entia in universo respectu Dei, ut ipso per impossibile deficiente deficerent, ergo omnia prorsus a Deo dependent in esse, & conservari; major patet, nam ideo Deus dicitur ens incausatum, & independens ab alio, quia quocumque alio ente destructo semper Deus manet in suo esse, ac perseverat. Probatur minor tum ex allegato contextu, tum ratione, quia si sublato primo ente alia remanerent, jam alia non forent ad ipsum essentialiter ordinata; atque ita destrueretur unitas universi, quam ex tali subordinatione Arist. auspicatur 12. Met. 52. Nec valet Arimin. evasio dicentis, quod argumentum concluderet, si illud, sine quo res esse non possunt, esset possibile non esse, at in proposito implicat omnino primum ens non esse, cum sit summe necesse esse. Nam sive illud sit ens omnino necessarium, sive possibile, si ex ejus destitione sive possibili, sive impossibili, cætera quoque opus est interire, inde necessario deducitur cætera omnia ab ipso dependere in esse, si enim esse a se haberent independenter ab illo, non appareret ratio, cur ad ejus interitum ipsa quoque debeant interire. Nec etiam suffragatur, quod ajunt alii, non esse ibi sermonem de dependentia sempiternorum; sed potius de dependentia corruptibilium a sempiternis, ait enim in plurali, quod ablatis *primis* scilicet substantiis incorruptibilibus, seu sempiternis *nihil utique esset*, scilicet rerum corruptibilium. Nam licet re vera loquatur ibi de dependentia corruptibilium a substantiis æternis, quæ dicuntur primæ, certum tamen est non habere æqualem dependentiam ab omnibus illis, sed magis, & essentialius dependere ab illa, quæ est omnium prima ut ait 12. Met. 52. unde consequenter deducitur tantam esse cæterorum dependentiam ad illam primam, ut ea ablata omnes aliæ perirent, sive corruptibiles, sive incorruptibiles.

119 Quinta auctoritas est, quam adducit Doctor 1. d. 8. q. 5. §. *contra istam*

istam, ex 2. Met. tex. 4. ubi habet, quod omne primum, & maximum in aliquo genere est causa cæterorum, quæ sunt in eo genere, cum ergo Deus sit primum, & maximum in genere entium, sequitur, quod sit causa efficiens cæterorum, Conf. quia docet ibidem Arist. opus esse ut æternorum principia sint semper verissima, rationemque reddit, quoniam aliorum veritatis causæ dicuntur, concedit ergo Philosophus æterna habere causam, & illam quidem efficientem, cum principii ratio causæ efficienti potissimum adscribatur.

Respondent aliqui ex Averr. ibid. loqui ibi Arist. de principiis scientiarum complexis, quæ sunt principia conclusionis. Sed hæc solutio non evacuat difficultatem, quia licet re vera de illis loquatur, loquitur tamen de incomplexis, nam illud axioma probat ex igne, qui est causa caloris in aliis, & hoc ipsum colligitur ex verbis, quæ habet in fine textus, cum ait, quare ut secundum esse unumquodque se habet, ita secundum veritatem, nam veritas sequitur entitatem. Respondet proinde Gregorius, verum esse, quod Deus est maximum ens, & omnium entium causa, sed non sequitur, quod sit causa effectiva, sufficit enim quod respectu quorumdam entium necessariorum sit causa finalis, nec aliud inquit ex præcit. textu inferri posse. Contra, immo Arist. ibi nullam mentionem facit de causa finali, sed solum de causa efficienti, nam comparat ibi primum ens primo calido in universali causalitate, constat autem, quod primum calidum est causa effectiva omnis calidi in genere calidorum, ergo idem erit pariter de primo ente respectu omnium entium; tum quia principia complexa, de quibus etiam loquitur ibi, sunt causa veritatis conclusionis in genere causæ efficientis, non finalis. Ideo aliter respondet Baccon. Deum esse quidem causam efficientem rerum omnium, quæ efficiuntur, non tamen earum rerum, quæ perpetuæ sunt, sed solum finalem, quod inquit elici ex eodem contextu, ubi Arist. ait, perpetua non habere causam, sed illa potius esse causas cæterorum, & loquitur ait Baccon. de causa efficiente. Sed hæc solutio expresse contextui repugnat, ubi manifeste docet dari principia sempiternorum, eaque esse verissima, quia causam non habent, a qua pendeant, & sunt causa veritatis aliorum, non ergo negat Arist. perpetua habere causas, & principia, sed dixit tantum principia eorum, quæ semper sunt, ab aliquo non pendere.

Ragusejus loco cit. c. 16. respondet; quod si admittatur axioma illud, primum in unoquoque genere est causa cæterorum, habere veritatem in genere causæ efficientis, id tantum intelligi debere de iis rebus, quæ vere effectæ sunt, & sunt capaces causæ efficientis, tales autem non sunt res æternæ, de quibus modo est sermo. Et quia Arist. tex. cit. expresse concedit dari principia eorum, quæ semper sunt, respondet cap. 13. per principia sempiternorum entium non esse intelligenda principia sempiternorum quasi ea, quæ sempiterna sunt, principia habeant; sed intelligenda esse principia sempiternorum secundum constructionem intransitivam idest principia sempiterna, sicut cum dicimus creaturam salis idest sal. Sed sane miror quomodo hic Auctor. cap. cit. 16. hanc assignet responsionem ad præcitatum textum, cum sit eadem prorsus responsio, quam dederat Baccon. & ipse c. 13. rejecerat; nam, & Baccon. etiam dicebat Deum esse causam rerum omnium, quæ efficiuntur, non tamen earum quæ perpetuæ sunt, cum sint effectionis incapaces, & hæc est ipsa responsio, quam c. 13. Ragusejus confutat, & cap. 16. amplectitur. Sed quicquid sit de inconstantia hujus Auctoris, certum est hanc responsionem in primis manifeste principium petere, hoc enim est, quod modo in controversiam vertitur, & quod probare contendimus, perpetuis ac æternis non repugnare causam efficientem saltem per simplicem dimanationem. Tum quia expresse etiam Arist. in allegato texru concedit sempiterna quoque posse suo modo habere principia, licet enim illis repugnet, ut sempiterna sunt, principium durationis, quia esse supponuntur ab æterno, non tamen repugnat principium dependentiæ. Tum quia hoc idem ostendetur mox clariotibus ejusdem Arist. testimoniis. Demum satis de se constat glossam allatam a Ragusejo manifeste textum, eludere, & extorquere, cum inquit, *principia semper existentium necesse est verissima esse*, facere constructionem intransitivam, nam ut explicat ibi Scotus per semper existentia intelligit ibi Arist. corpora cœlestia, & sic passim exponunt alii Interpretes, nec hactenus ullus hanc constructionem intransitivam somniavit.

120 Sexta auctoritas, quam etiam adducit Doctor loco cit. 1. d. 8. qu. §. *contra istam*, ex 5. Metaph. 6. ubi ait Aristot. quorumdam necessariorum nihil prohibere dari causam, textus verba sunt hæc: *quorumdam itaque alia est causa, ut necessaria sint, quorumdam vero nihil, sed propter hæc alia necessaria sunt*, cui etiam consonat, quod habet 8. Physic. tex. 15. ubi Democritum, & Empedoclem redarguit, eo quod existimaret nullius rei sempiternæ dari causam, *etenim triangulus* inquit *habet duobus rectis semper æquales angulos, sed tamen est quædam perpetuitatis hujus altera causa*.

Respondet Arimin. ad 1. auctoritatem ibi sermonem esse de necessariis complexis, quæ sunt conclusiones demonstrabiles, quarum causæ sunt principia necessaria complexa, nam ante allegata verba textus inquit: *amplius demonstratio necessariorum est*. Deinde respondet, concesso etiam, quod loquatur de æternis incomplexis, eaque dicat habere causam, non tamen sequitur hanc esse efficientem, sed est fallacia consequentis. Similiter respondet ad aliam auctoritatem ex 8. Physicor. ibi loqui de principiis complexis, quæ sunt conclusiones quædam, quæ possunt demonstrari per alia principia, esto sint perpetuæ veritatis, quod satis inquit constare ex exemplo, quod adducit de triangulo, quod habeat tres angulos duobus rectis æquales, quæ est conclusio quædam per alia principia demonstrabilis; quibus solutionibus subscribit quoque Ragusejus disp. cit. cap. 14. & 15. nihil novi addens. Hæ tamen solutiones passim refelluntur a tutoribus nostræ sententiæ, nam primo loco 5. Met. 6. licet de necessariis complexis mentionem fecerit, non tamen sistit in illis, sed adhuc ulterius pergit, & loquitur de incomplexis, nam post verba adducta textus subdit, *quare id proprie necessarium est, quod simplex est*, quod universaliter de prima causa exponit, qui est Deus, qui proprie est ens necessarium, & absolute simplex, & ita exponit Comment. ipse, ut refert, & sequitur Alensis in eum textum. Neque valet alia solutio, quod admisso, quod loquatur etiam de incomplexis, & dicat quædam habere principia, & causas, adhuc non bene infertur, quod habeant causam effectivam, sed tantum finalem, & ideo est fallacia consequentis. Non valet, inquam, quia licet consequentia non teneat formaliter, tenet tamen materialiter ratione subjectæ materiæ, quia ibi est sermo de præmissis, quæ sunt causæ conclusionis in genere causæ efficientis; tum quia bene deducitur ex hoc, quod dicunt habere causam finalem, ut enim supra dicebamus cum Scoto, quod habet causam finalem, habet quoque causam efficientem. Nec etiam valet responsio, quam affert ad alium locum ex 8. Phys. tex. 15. quod pariter, & ibi loquatur de principiis complexis, nam ibi loquitur contra relatos Veteres Democritum, & Empedoclem de principio motus æterni, quod est incomplexum quoddam, & ait quærendam esse causam ejus, & probat non obstare æternitatem exemplo trianguli, unde adducit illud exemplum, ut ostendat æternitatem non semper excludere causalitatem rei æternæ, & ex eo, quod æternum complexum habet causam, intendit deducere æternum quoque incomplexum, qualis est motus æternus, de quo ibi disputabat cum Veteribus, habere causam, unde si Arist. eam pronunciavit propositionem, ut motui inferviret, opus est, ut id de principiis præsertim incomplexis intelligeret.

121 Cæterum aliqui adhuc totum id concedentes negant, quod nos inde deducere tentamus, quia inquiunt duplex reperiri ens æternum, alterum permanens, ut Cœlum, Intelligentiæ, materia prima, & alterum successivum, qualis est motus, & dicunt hoc tantum ens successivum secundi generis, nempe successivum requirere causam efficientem, etiamsi ponatur ab æterno, ac proinde de illo Arist. loqui loco cit. non autem de æterno permanente. Contra, nam hæc solutio est mere voluntaria, si enim motus quamvis æternus, indiget causa efficiente, cur non etiam Cœlum, materia prima, & Intelligentiæ, vel enim repugnat illis dependentia ab alio in genere causæ efficientis, quia entia permanentia, vel quia æterna, non primum, quia sic repugnaret talis dependentia etiam permanentibus corruptibilibus, neque secundum, quia sic repugnaret quoque motui, qua æternus est. Tum quia difficilius est defendere posse ens successivum esse ab æterno, quam permanens, immo hoc probabile arbitramur de permanentibus, non vero de successivis disp. 4. Phys. quæst. 1. si ergo in Peripato non repugnat motus æternus cum dependentia in genere causæ efficientis a Deo, tanto minus repugnabunt Intelligentiæ, Cœli, & materia prima. Immo Zimera supraci. optimus Peripateticus, & solertissimus nostræ sententiæ fautor nititur præcipue fundamento motus cœlestis, qui quamvis sit æternus, motorem tamen separatum tamquam efficientem causam requirit, non ergo repugnat æterna habere principium, & causam. Tum quia disp. 14. cit. Phys. qu. 1. art. 1. ex professo ostenditur permanentia potuisse ab æterno creari, & rebus æternis repugnare quidem principium durationis, nam hoc directe æternitatem destruit, non tamen principium dependentiæ. Deinde Arist. 8. Phys. tex. 15. cit. dum ait æterni incomplexi posse dari causam, licet præcipue de ente successivo scilicet motu hoc intenderet demonstrare, assertionem tamen illam universaliter pronunciavit, tam de successivis, quam permanentibus æternis, quod palam colligitur ex illis verbis: *omnino autem existimare principium hoc esse sufficiens, quod semper aut est sic, aut fit, non est recte opinari*, in quibus dum ait, *aut est sic*, loquitur de ente permanenti, cum subdit, *aut fit*, loquitur de successivo, cujus esse consistit in fieri; non ergo fuit mens Arist. ibi assignare causam efficientem solum æterno successivo, qualis est motus cœlestis, sed etiam æternis permanentibus, ut sunt Intelligentiæ, Cœlum, & Materia prima. Plures aliæ extant ad hoc Arist. auctoritates, quæ apud Ferchium videri possunt, sed relata sufficiant, quas solum attuli, tum quia clariores sunt, tum quia a Doctore tanguntur, ideoque contra Adversarios defendi debebant.

Argumenta ad oppositum diluuntur.

ADversarii ut oppositum demonstrent esse de mente Aristot. duobus præsertim nituntur fundamentis in Peripato inconcussis, unum est ex nihilo nihil fieri ex 1. Physic. alterum est motum Cœli numquam incæpisse, ex quibus ineluctabiliter deduci opinantur nullo pacto defendi posse in doctrina peripatetica, ea, quæ sunt æterna apud Aristot. posse a Deo dependere, ut a causa efficiente, quia si materia esset facta, tunc esset antequam esset per primum suppositum, quia si facta est, opus est, ut ex alia præjacente materia sit facta, quæ est Arist. ratio, qua probat materiam esse ingenerabilem, & incorru-

ptibilem 1. Phys. 82. & 12. Met. tex. 12. Eadem ratione probatur idipsum de Intelligentiis, & Cœlis, quia Intelligentiæ sunt substantiæ simplicissimæ a materia abstractæ, corpora item cœlestia in sententia Arist. sunt simplicia absque compositione materiæ, & formæ, ut etiam Scotus concedit 2. d. 14. qu. 1. aut ergo hæc facta sunt ex nihilo, quod Arist. non admittit ex primo supposito, aut nullam prorsus habent causam efficientem. Deinde sequeretur, Cœlum non esse æternum, quod est contra secundum suppositum; probatur consequentia, quia productio rei est transitus de non esse ad esse; sed non esse Cœli, similiter materiæ primæ, & intelligentiarum numquam præcessit, quia tunc æterna non forent, ergo &c. Tum quia efficiens antecedit effectum.

122 Resp. argumentum ex secundo supposito deductum palam contra Adversarios militare, quia non obstante æternitate motus cœlestis, adhuc habet causam efficientem, non ergo æternitas in rebus, seu esse ab æterno, aut æviternitas (quam ita voco, ut discernatur ab æternitate Dei, quæ est duratio omnino independens) tollit dependentiam ab eis in genere causæ efficientis, ut ostendi disp. 14. Phys. qu. 1. art. 1. & argumentum etiam ex primo supposito deductum non universaliter concludit, quia si Sol. v. gr. ab æterno fuit, lumen ab ipso eodem æternitatis instanti dimanavit, nec tamen ex nihilo factum est, sed ex substantia Solis eductum, cum ad eductionem non sit necessaria prioritas temporis subjecti ad formam eductam, sed sufficiat sola prioritas naturæ, ut ostendi disp. 2. Phys. qu. 7. art. 2. & 3. potest ergo aliquid ab æterno fieri, & tamen non fieri ex nihilo, sed ex materia, vel subjecto natura præcedente formam productam, & eductam, unde si Cœlum esset in sententia Philosophi ex materia, & forma compositum, ut eruditissimi tenent Peripatetici, non recte concluderetur Cœlum, eo quod sit ab æterno productum, esse factum ex nihilo, quia factum esset ex suis partibus natura præcedentibus totum compositum, quod sufficit ad excludendam factionem ex nihilo, unde argum. procedit solum de substantiis simplicibus. Itaque verum est primum assumptum, quod ex nihilo nihil fit respectu agentis naturalis, quod est finitæ virtutis, ac etiam respectu agentis supernaturalis, quando res producit per generationem ad modum agentis naturalis, & per motum, vel mutationem, non autem quando producit per simplicem dimanationem absque interventu generationis, motus, vel mutationis, quo pacto materiam, Cœlos, & intelligentias ab æterno produxit in sententia Arist. unde ratio Arist. concludit materiam non esse factibilem per generationem, quia hæc est factio ex præjacente subjecto, & ideo concludit non esse generabilem, & corruptibilem, & nullo pacto esse factibilem ab agente naturali, quia nihil facere potest, nisi generando, non tamen concludit ullo modo esse a Deo factibilem, qui ex infinitate suæ virtutis res alio modo condere potest, quam via generationis. Ad aliam rationem ex secundo supposito deductam, quod Cœlum, materia, & intelligentiæ non essent æterna, negatur hæc consequentia, ad cujus probationem dicitur in productione facta per motum, & mutationem utique non esse rei præcedere esse prioritate temporis, at in productione facta per simplicem dimanationem absque motu, & mutatione, non esse præcedit esse ordine naturæ, non quidem positivo, sed negativo, quatenus non esse conveniret creaturæ prius, quam esse, nisi Deus impediret ponendo, & communicando esse, ut explicatum est disp. 14. Phys. c. qu. 1. art. 1. in solutione ad primum; hanc enim prioritatem admittit Doctor intervenire inter esse, & non esse creaturæ ab æterno productæ, & inter privationem, & formam productam cum materia in eodem instanti in 2. d. 1. q. 2. §. *Respondeo*, & qu. 3. §. *Tenentes autem*, & in 3. d. 3. qu. 1. G. quibus in locis optime explicat, quid intersit inter ordinem prioritatis naturæ positivum & privativum, quod etiam nos in Physicis pluries explicuimus, adeout opus non est hic rursus ea repetere videatur Doctor loc. cit. Ad Confir. pariter respondetur efficiens antecedere effectum prioritate temporis, quando producit per motum, & mutationem, quando vero producit per simplicem dimanationem, præcedit sola prioritate naturæ, seu naturalis præsuppositionis, & non tam est prioritas in quo, quam a quo, quæ vocatur prioritas causalitatis, & originis.

Sed Contra hanc solutionem, & doctrinam instat Ragusejus disp. 7. cit. c. 8. quod non sit peripatetica, quia Arist. nusquam agnovit principium efficiens, vel activam potentiam, quæ motum aliquem non respiciat, unde 1. de gener. tex. 45. docet omne efficiens esse necessario movens, & 2. Phys. 29. definivit causam efficientem esse principium, unde motus, & 9. Met. tex. 13. definit potentiam activam esse principium transmutandi aliud inquantum aliud, nullibi ergo apud Arist. hoc principium efficiens, vel activa potentia sine mutatione reperitur. Denique hoc (inquit) validius convincitur ex processu Arist. 8. Physic. ubi ostendere volens motum æternum esse, cum jam statuisset mobile, & movens necessario præcedere motum, mox petit ab antiquis, cum quibus disputabat, ponerent ne movens, & mobile facta esse, an æterna; unde colligitur voluisse factum esse, & æternum membra opposita dici; alioquin si aliquid ab æterno fieri potuisset, illa ratio nihil roboris in se contineret. Sed præterea continuans Arist. jam incæptam ratiocinationem, si ponant, inquit, veteres Philosophi motorem, & mobile facta esse, ergo per motum facta erunt; atque ita ante primum motum dabitur alius motus, quæ consecutio nulla esset, nisi hæc propositio apud Arist. esset universaliter vera, quod quicquid vere sit, per motum necessario fit. Tandem impugnat productionem per simplicem emanationem, non solum ut commentitiam apud Arist. sed etiam, ut in se omnino inanem, nam præter simplicem emanationem, quæ est vera effectio alicujus ex nihilo, quam Theologi veram creationem appellant, nulla alia datur simplex emanatio, quæ causam vere efficientem designet, etenim lumen a Sole quidem emanat, & ponit Solem ipso natura priorem. Sol tamen efficiens causa luminis non est, nam lumen est perfectio Solis, est quid intimum Soli, simulque existit cum Sole, sicut etiam candor simpliciter emanat a nive, & perspicuitatem ab aqua, tamen nec nix calorem, nec aqua perspicuitatem efficit, sunt enim hæc ipsi congenita, & nimirum illis positis hæc accidentia necessario ipsa consequantur, quo fit ut inter se ipsa ordo quidem naturæ reperiatur, qui dicitur præsuppositio hujus ad hoc, nulla tamen efficientiæ ratio.

123 Resp. immerito damnari in bona, ac peripatetica Philosophia allatam distinctionem de productione rei per motum, vel mutationem, ac per simplicem dimanationem, nam hæc distinctio in primis est ipsius Comment. lib. de subst. orbis c. 2. ubi inquit. Sed in genere agentium quoddam est prius tempore acto, ut omne, quod fit in sphæra hujus mundi, & istius agentis, & istius acti, quoddam est prius natura, sicut est dispositio temporis cum orbe, & agentis cum orbe, scilicet facientis ipsum in dispositionibus necessariis in inveniendo finem, ob quem fuit, ex quibus verbis colligitur, quod efficiens sine motu præcedit actum natura, non tempore, efficiens vero cum motu præcedit effectum, & natura, & tempore. Immo non solus Comment. sed & Arist. ipse agnovit potentiam activam sive motu 9. Met. tex. 1. ubi præter illam potentiam, quæ in rebus sensibilibus, atque mobilibus inest, aliam asserit potentiam in rebus intellectualibus, & immobilibus reperiri, quæ absque motu, & mutatione exercetur, & quidem in hoc sensu eam potentiam explicat Alensis noster quæst. 3. in eum textum, ubi tres vias assignans ad explicandum, quomodo potentia, & actus in plus sint, quam potentia, quæ respicit motum, tertiam viam assignans sic rem declarat ex divisione potentiarum activarum, quædam enim est potentia, quæ aspicit esse mediante motu, illa scilicet potentia, quæ non potest introducere esse, nisi mediante motu propter motionem materiæ, & subjecti, & talis est omnis potentia generativa, & alterativa, alia est potentia, quæ aspicit esse non mediante motu, scilicet, quæ non supponit mutationem materiæ, & subjecti ad introductionem ipsius esse, qualis est potentia, quam vocamus creativam, & isto modo (inquit) potentia Intelligentiæ primæ est potentia non respiciens motum, cujus consideratio pertinet ad Metaphysicum, & ideo ajebat idem Arist. 1. de gen. tex. 14. ad primam Philosophiam spectare distinguere de efficiente cum motu, & sine motu. At inquit Ragusejus, quod si textus ille diligenter consideretur, inveniemus Arist. apertissime ibi pronunciasse potentiam illam, quæ in rebus intellectualibus sempiternis, & immobilibus reperitur, minus proprie potentiam appellandam esse, veram autem, & proprie dictam potentiam eam solum dici, quæ in rebus mobilibus invenitur, cum motus 3. Physic. 9. sit actus entis in potentia; illa igitur potentia, quæ est in rebus sempiternis, quia semper cum actu conjuncta est, vere, & proprie dictæ potentiæ nomen non meretur. Hinc 3. Phys. 32. dicebat Arist. in rebus æternis esse & posse minime differre, valet enim hæc consequentia, substantia æterna potest esse, ergo est, potest intelligere, ergo intelligit, potest movere, ergo movet.

124 Sed potius Ragusejus ipse non diligenter illum textum consideravit, cum enim postea textu sequenti inquit Aristot. quasdam potentias dici æquivoce, & similitudine tales, sane non de potentia activa loquitur cum motu, vel sine motu, sed de potentia Logica, & potentia metaphorica, ut explicat ibi Scotus, & colligitur aperte ex ipso textu, cum ait, *quædam enim similitudine, quædam dicuntur potentia, quæmadmodum in geometria, & possibilia, & impossibilia dicimus eo, quod aliquo modo sunt, aut non sunt*; potentia ergo activa sine motu est etiam vere potentia, & virtus activa, non tamen ita realis apparet nobis, quia assueti sumus potentiæ activæ, quæ exercetur per motum, & mutationem; tum quia ratio potentiæ magis elucet, ubi separari potest ab actu, & quia in æternis non separatur ab actu, sed semper est illi conjuncta, hinc rationem potentiæ magis percipimus in istis inferioribus sensibilibus, quam in æternis; & valde notandus est modus loquendi Arist. loco cit. 3. Physic. 32. non enim ibi negat potentiam in sempiternis, sed ait potentiam, & actum non differre, idest non distare, quia potentia est semper cum actu conjuncta. Neque nos movere debet, quod frequentius, immo semper in Physicis causam efficientem definiat per principium unde motus, & potentiam activam per ordinem ad transmutationem, quia loquebatur de Agente Physico in ordine ad generationem quæ regulariter contingit cum motu, & mutatione subjecti. Et quidem hanc productionem per simplicem emanationem admitti debere cogit etiam obvia ratio, cum enim producitur aliqua substantia, eamque in eodem suæ generationis instanti insequuntur accidentia ei connaturalia, tunc intervenit productio, & efficientia ipsorum absque motu, & mutatione, nam ad veram mutationem requiritur, ut privatio præcedat formam in subjecto prioritate durationis, ut dictum est disputat. 15. Physic. quæst. 2. & omnino irrationabiliter id negat Ragusejus dicens, lumen non effective procedere a Sole, a quo enim effective procedit solare lumen, si non a Sole producitur? sed demus etiam accidentia

dentia connaturalia subjecto, eique coæva non ab ipso effici per simplicem dimanationem, sed a causa ipsa producente subjectum, ut qui producit ignem, producat etiam in ipso calorem, quæro an agens illud producat calorem in igne, in eodem temporis instanti generationis ipsius ignis, vel in tempore sequenti, non secundum, quia fuisset ignis aliquando sine calore; si primum, ergo vere produxit calorem in igne absque ullo motu, vel mutatione, vere ergo, & proprie debet admitti productio alicujus formæ absque ullo motu, vel mutatione in subjecto illam recipiente. Unde hic notari debet communis incuria Auctorum nostræ sententiæ, qui ad solvenda argumenta contraria distinguentes de duplici rerum productione, una per motum, & mutationem, alia sine motu, & mutatione, hanc ita declarant, ut talis productio per simplicem dimanationem sit creatio, quod plane falsum est, quia potest dari productio formæ in subjecto, quæ sit vera eductio, & generatio, sine ullo motu, & mutatione, & ita universaliter contingit in productione accidentium connaturaliter insequentium propria subjecta, ut dictum est disp. 4. Physic. qu. 3. & disput. 2. qu. 8. art. 3. & disp. 15. qu. 2. & ratio est, quia ut ibidem dicitur, eductio & generatio non distinguuntur a creatione per mutationem, vel non mutationem subjecti, quia absolute loquendo potest intervenire dependentia actionis a subjecto sine subjecti mutatione, & ita evenit quando forma producitur in eodem instanti simul cum subjecto, sed distinguuntur per dependentiam actionis a subjecto, vel parte prævia rei producente, quæ numquam in creatione invenitur.

Denique neque hæc productio per simplicem dimanationem destruit argumentum, quo Arist. probavit æternitatem motus, ut urget Ragusejus, estque sufficientissimum dilemma illud, cum ajebat movens, & mobile vel esse facta, vel esse æterna, & per res factas intelligit, quæ facta sunt de novo, & in tempore; & per æternas intelligit incausatas, ut Deus, ac etiam illas, quæ quamvis factæ fuerint, sunt tamen ab æterno factæ, non in tempore; unde bene postea infert contra Antiquos, quod si movens, & mobile facta essent, necessario facta essent per motum, quia loquebatur de factione de novo, & in tempore, sic enim tenebant Antiqui mundum fuisse in tempore, & de novo genitum, & hanc factionem verum est non fieri, nisi interventu motus, & mutationis. Hinc notant Simplicius, & Philoponus præcipui sententiæ nostræ patroni, quod Philosophus ea, quæ per æternam emanationem producta sunt a Deo, tamquam ingenita existimavit, quia non sunt facta per generationem, quæ contingit cum motu, & mutatione subjecti.

Secundo si in sententia Arist. Intelligentiæ, Cœlum, & Materia prima fuerunt ab æterno producta, hoc esse nequit nisi per creationem, sed hanc Arist. non admisit, ergo &c. probatur minor, quia ipse semper dixit ex nihilo nihil fieri, & ex positione creationis ruunt omnes rationes, quibus probat mundi æternitatem 8. Phys. nam præsupponunt non dari alium modum productionis nisi per transmutationem, quod valde urget Piccolom. lib. 2. de creatione cap. 3. Neque dicas Arist. negasse creationem in tempore, seu cum novitate essendi, quam ponunt Theologi, non autem creationem æternam, ac sine novitate essendi. Nam maxime redarguendus esset Aristot. si æternam creationem agnovisset, & rem tanti ponderis silentio præteriisset, inquit Piccol. Hoc idem ostendit Ragusejus cit. c. 8. ex discursu Arist. quo probat 1. Physic. materiam non esse factam, sed ingenitam, atque æternam, sic enim argumentatur, si materia facta esset, igitur ex aliquo facta esset, jam vero si concessisset effectionem alicujus ex nihilo sine novitate essendi, hæc ratio nullius roboris esset, aliquis enim ex ejus principiis respondere posset; materiam & esse æternam, & esse factam, non tamen de aliquo, sed ex nihilo, si igitur ratio Arist. est alicujus momenti, non est concedenda creatio in ejus sententia sine novitate essendi. Nec dicas rationem Arist. eo tendere, ut probat materiam non esse factam in tempore, non tamen ut concludat materiam absolute non esse factam, cum ab æterno ex nihilo facta sit. Est enim (inquit) levissima responsio, quia ibi Arist. disputandum non proposuit, sit ne materia ab æterno, an in tempore facta, sed sit ne materia absolute facta, an potius ingenita, atque æterna, quare cum concludat eam esse ingenitam ac æternam, docuit omne ingenitum esse æternum, atque adeo nullum æternum efficientem causam habere.

125 Resp. hoc argumentum petere discussionem illius quæsiti, an Arist. agnoverit creationem, de quo inferius cum agemus de virtute primi motoris in sent. Arist. pro nunc dicimus ipsum agnovisse creationem, non quidem temporalem, ut eam ponunt Theologi, sed æternam, ac sine novitate essendi, ut docet Scot. 1. d. 8. qu. 5. & 2. dist. 1. quæst. 2. quem multi tum ex priscis, tum ex Junioribus sequuntur, & fuit sententia Philop. 1. de Gener. com. 107. & 112. ac Zimaræ quæst. de triplici genere causæ, unde in hoc sensu negatur minor, quod Arist. non admiserit creationem, moveor præcipue ad hoc credendum, quod videam Arist. valde insudasse ad demonstrandum mundum fuisse ab æterno, & efficacioribus mediis, quibus potuit, id probasse, & tamen hoc numquam adhibuit; quod mundus ex nihilo fieri non potuit, ex hoc enim statim inferebatur fuisse ab æterno, quia omne improductum est æternum; cum ergo numquam Arist. hoc adhibuerit medium, signum est ipsum non putasse mundum esse increatum, sed potuisse creari; immo esse creatum, & productum ex nihilo ab æterno; negatur itaque minor, ad primam probationem jam diximus Arist. illam pronunciasse propositionem respectu agentis naturalis, ac etiam respectu supernaturalis loquendo de actionibus temporaneis, quia non admittit Arist. creationem in tempore, ad aliam probationem negatur ex positione creationis æternæ enervari rationes Arist. adductas 8. Phys. ad probandam mundi æternitatem, quia dum Arist. ibi probat mundum esse ingenitum, ac æternum, loquebatur contra Antiquos asserentes esse in tempore generatum, nam cum generatio præsupponat subjectum, vel illud fuit productum ex alio subjecto, & sic in infinitum procederet generatio, vel non fuit productum, & tunc debet assignari causa, cur prius ex eo non fuit facta mundi generatio, & nunc ablata illa causa fuit facta, nam ablatio illa non potuit fieri sine alia præcedente mutatione, & sic in infinitum. Ex eodem etiam capite tenet ratio Arist. qua probat materiam primam non esse factam, sed esse ingenitam, ac æternam, intendebat enim probare esse ingenerabilem, & incorruptibilem, ac proinde non esse factam via generationis, quæ semper præsupponit subjectum, alioquin abiretur in infinitum, ut ergo deveniamus ad unum primum subjectum omnium formarum, & cujuscumque mutationis, debuit assignari tale, quod non esset generabile, nec corruptibile, cui non obstat, quod sit ab æterno factum via creationis. Ad id vero, quod ajebat Piccol. quod esset redarguendus Arist. si creationem æternam agnovisset, & rem tanti momenti silentio præteriisset, occurrendum est, ut sæpius dixi, hunc fuisse Aristot. morem in rebus arduis, lingua, ut ajunt dimidiata, & truncata loqui, ac veritatem a longe digito tantum indigitare; addo tamen ex auctoritatibus supra adductis pro nostra sententia pariter probari, quod agnoverit creationem ab æterno, si enim entia necessaria, de quibus hic est sermo, fuerunt ab æterno a Deo producta, hoc non potuit esse, nisi per creationem, quia sunt entia simplicia.

Tertio argumenta desumunt ex necessitate illorum entium. Nulla res per se, & natura sua necessaria habet efficientem causam, a qua pendeat, sed intelligentiæ sunt res per se, & natura sua necessariæ, ut docet Arist. 9. Metaph. 21. & 22. & lib. 12. Met. tex. 41. ergo intelligentiæ non habent causam efficientem, a qua pendeant, major probatur, quod enim ab alio effectum est, jam natura sua potest non esse, si autem potest non esse, non est ens necessarium; tum quia omne productum possibile est, ut producatur, quia impossibile produci non potest. Confirmatur, quia si secunda intelligentia habet esse a prima etiam in æternitate, utique producta est de non esse ad esse, ut ly *de* saltem importat ordinem naturæ, sed quodlibet tale est possibile esse, ut distinguitur contra necessarium, ergo Intelligentia secunda erit ens possibile non necessarium; major patet, probatur minor, quia quod productitur de non esse ad esse reducitur de potentia ad actum & quodlibet tale est possibile esse. Conf. 2. quia Arist. 12. Met. & Comment. ibid. com. 30. 41. & 44. vult, quod nullo modo potentia sit in sempiternis, & necessariis, ergo si sempiternum, & necessarium produceretur de esse potentia ad esse de necessitate esset in ipsis, & tunc sequeretur illud, ad quod deducit Comm. 1. Cœli com. 121. & 124. quod si sempiternum haberet potentiam ad esse præcedentem actum, quæ potentia reduceretur ad actum, in sempiterno essent duæ potentiæ contrariæ, quarum una esset ad semper esse, & altera ad non esse. Denique necessarium est illud, quod non potest non esse, sed si produceretur ad esse, circumscripto producente posset non esse, ergo non esset necessarium.

126 Respondent aliqui ex Soncin. 12. quæst. 16. duplex esse necessarium, unum simpliciter, & dicitur illud, quod ab intrinseco, & omni ratione habet necessitatem essendi, & hoc nullam habet causam, alterum secundum quid, quod habet quidem necessitatem essendi, sed a sua causa extrinseca, quæ est illius necessario productiva, itaque dicunt, Intelligentias secundum Aristot. esse necessarias secundo modo tantum, quia nempe necessario producuntur a Deo, qui secundum ipsum est agens necessarium ad extra, ut etiam tenet Doctor 1. d. 8. quæst. 5. unde quantum est ex se, & intrinsece sunt contingentes, possuntque non esse; nam apud Arist. magis implicat, si dicatur, Deus non est, quam si dicatur, Intelligentia non est, at quod est magis impossibile non esse est magis necessarium, quam id, quod est minus impossibile, ergo Intelligentiæ non habent tantam necessitatem essendi, quantam habet Deus, & ideo sunt necessariæ tantum secundum quid modo prædeclarato, & extrinsece non autem intrinsece, & ex natura sua, & ideo ad argumentum negant majorem, quam etiam solutionem recipit Faber theor. 56. cit. cap. 6. ubi in solutione ad 4. ait, quod Intelligentiæ intrinsece sunt potentiales, & possunt non esse, sed extrinsece sunt necesse esse, quia a Deo agente necessario non libere producuntur. Sed hæc solutio non est ad mentem Aristot. nam ipse loco cit. 7. Metaph. 21. & 22. & lib. 12. Metaph. 41. re vera intendit Intelligentias esse entia ex se intrinsece, & formaliter ex natura sua necessaria, ac etiam ita docet Scot. de mente ejusdem 1. d. 2. qu. 7. §. *tenendo igitur*, & disp. 8. qu. 5. §. *Contra istam*, & quol. 7. circa finem, & quol. 15. lit. C. & alibi frequenter, & cum hoc adhuc salvat Arist. inquit Doctor, majorem esse necessitatem Intelligentiæ primæ, quam secundæ, quia prima intelligentia est necessaria ex se, & a se, at secunda est quidem necessaria ex se, sed non a se.

Resp. itaque ad 1. cum Scoto negando majorem, quia secundum Arist. non repugnat aliquid esse causatum, & adhuc esse de se formaliter necessarium, non enim ista duo contradicunt aliquid esse

ex se formaliter necessarium, & esse ab alio effective, quoniam ista duo important distinctas habitudines, & ad diversa in diversis generibus causarum, nempe in genere causæ formalis, & efficientis, itaque intelligentia secunda producta a prima habet naturam necessariam, per quam intrinsece, & formaliter potest semper esse & per ipsam naturam, quantum est ex se non potest non esse, sed tamen, quia talis natura est ab efficiente, ipso circumscripto per impossibile poterit non esse, sed ista potentia, per quam potest non esse, est extrinsece, & non est ex parte naturæ, modo quod aliquid possit semper esse potentia intrinseca, & non esse potentia extrinseca, & accidentaliter, non est inconveniens, & sic etiam explicuit Intelligentiarum necessitatem Avicen. 9. suæ Metaph. cap. 4. per quod patet ad primam probationem majoris, non esse scilicet universaliter verum, quod ab alio effectum est, jam natura sua posse non esse, nam & apud nos Theologos Filius in divinis ab alio productus est, scilicet a Patre, & tamen natura sua nequit non esse, sic etiam dicitur ad aliam probationem, quod omne productum possibile est, ut producatur, non semper possibilitate physica, quæ contingentiam inducit, sed logica, quæ dicit non repugnantiam terminorum, & stat cum necessitate, alioquin per idem argumentum probaretur Filium in divinis non esse necessarium, sed possibilem, & contingentem, quia est ab alio productus. Ad Conf. respondetur ex dictis potentiam præcedere actum, aut non esse ipsum esse posse dupliciter intelligi; uno modo ordine temporis, alio modo ordine naturæ, & hoc rursus simpliciter vel ordine naturæ positivo, vel privativo, si loquamur de ordine temporis, ac etiam de ordine naturæ positivo, potentia, & non esse non præcedit actum in sempiternis, & necessariis, sed solum ordine naturæ privativo, & hoc est, quod habet Comment. 12. Metaph. com. 41. quod si potentia est in stellis, & sempiternis, non est modo potentiali, volens quod potentia in ipsis ad totum motum non præcedit actum positive, sed tantum privative, quia talis motus est ab agente extrinseco, modo sic produci de non esse ad esse, & de potentia ad actum isto modo non repugnat necessario ex se, licet bene repugnet necessario a se, ex quo constat quod possibile, quod distinguitur contra necessarium, est possibile dictum a potentia præcedente actum vel ordine temporis, vel naturæ positive, sed possibile dictum a potentia præcedente actum tantum natura privative non distinguitur contra necessarium, sed contra impossibile, ita ex allata Scoti doctrina ad hoc argumentum respondet Tromb. tract. formalit. p. 1. art. 1.

127 Et per hoc patet ad aliam Conf. quo pacto Arist. negaverit potentiam in sempiternis, & cum dicebatur, quod tunc in sempiterno essent duæ potentiæ contrariæ, quarum una esset ad semper esse, & altera ad non esse, negatur hæc consequentia, quia istæ potentiæ non sunt contrariæ, quia non sunt respectus ejusdem, & secundum idem; nam potentia ad semper esse convenit illi intrinsece, & formaliter; potentia ad non esse competit ei extrinsece, quatenus posset non esse circumscripto per impossibile efficiente, modo quod aliquid possit semper esse potentia intrinseca, & essentialiter, & non esse potentia extrinseca, & accidentaliter, hoc non est inconveniens, neque istæ potentiæ sunt contrariæ, ut dicebam, quia non sunt respectu ejusdem, nec secundum idem. Ad ult. respondet idem Trombet. cit. assumptum illud, quod necessarium est illud, quod non potest non esse, valet de necessario ex se, & a se, sed non de necessario ex se; & ab alio, quo pacto necessaria est secunda Intelligentia. Vel dicendum cum Scoto loco cit. 1. d. 2. qu. 7. I. quod necessarium ex se formaliter non potest non esse circumscripto quocumque alio, cujus circumscriptio non implicat contradictionem ponendo illud esse, unde ponendo Intelligentiam secundam esse circumscriptam prima, ista circumscriptio est per impossibile, & implicat contradictionem; potest autem non esse necessarium ex se formaliter circumscripto quocumque alio per incompossibile, sicut ex uno incompossibili posito sequitur aliud incompossibile.

Conatur tamen adhuc Ragusejus loco cit. disp. 7. c. 9. hanc doctrinam, & responsionem Scoticam evertere, nam prioritatem naturæ negativam explicat Scotus exemplo privationis, & formæ in ordine ad materiam, quæ secundum se spectata non magis apta est recipere formam, quam privationem, adhuc tamen privatio dicitur præcedere formam in materia, ordine naturæ privativo, etiamsi materia haberet formam sibi coævam, quia privatio quantum est ex se prius inesset materiæ, nisi agens extrinsecum formam inducendo privationem præveniret, ex quo colligitur, materiam ad formam contingenter se habere, quia ex se & natura sua formam non habet, sed eam extrinsecus accipit; si ergo in Intelligentiis non esse præcedit esse ordine naturæ privativo, sequitur Intelligentias contingenter se habere ad esse, & non esse, sicut materia contingenter se habet ad formam, & privationem ejus, & sic non erunt entia ex se formaliter necessaria, ut prætendit Arist. Tum quia est prorsus inanis distinctio illa de necessario ex se, & ab alio, nam implicat contradictionem aliquid esse necessarium ex se, & simul ab alio pendere, quia hoc destruit illud. Tum quia etiam auctore Scoto hæc entia æterna, de quibus disputamus, ex se necessaria esse non possunt, cum ut ipse dicit, ex se, & ex natura sua esse non habeant. Hæ tamen impugnationes procedunt ex prava doctrinæ Scoti intelligentia in hac materia, qui numquam dicit illa entia, quæ Aristot. posuit æterna, ex se, & natura sua non habere esse, sed solum dixit non habere esse a se; valde autem differunt non habere esse a se, & non habere esse ex se, primum asserit Doctor de mente Aristot. non secundum, immo vult hujusmodi entia quantum est ex se, & ex natura sua semper sibi vindicare esse, & ideo ponit ea esse formaliter necessaria in via Arist. Et quando dixit non esse præcedere esse in ipsis prioritate naturæ negativa, & in hoc eodem sensu loquitur, quatenus illa entia non haberent esse, si non esset eis extrinsece collatum a Deo, quantumcumque illud ex se, & ex natura sua deposcant, & exemplum illud de materia allatum est a Scoto ad declarandam hanc prioritatem naturæ negativam absolute loquendo de ipsa in aliis rebus, sed in casu nostro servata proportione, neque opus est exemplo, ut ajunt, currere semper quatuor pedibus. Et falsum est, ut diximus, implicare, quod aliquid sit ex se necessarium formaliter, & ab alio sit effective, quia ista important duas distinctas habitudines, & ad diversa, nam ly *ex se*, important habitudinem in genere causæ formalis, & ly *ab alio*, habitudinem in genere causæ efficientis, ac ita de facto nos Theologi discurrimus, inquit Doctor, de Filio in divinis, quod est ex se ens necessarium formaliter; quia habet naturam simpliciter necessariam, ac indefectibilem; non est tamen a se ens necessarium, quia illam naturam habet a Patre producente.

128 Sed hic emergit difficultas, quam movet Doctor loc. cit. posita opinione Philosophi, quod secunda intelligentia sit necessaria ex se formaliter, & ab alio productive, an esset necessaria tanta necessitate, quanta est Filius in divinis, quia etiam est necessarius ex se, & ab alio. Respondet Scotus ibidem, & cum eo Trombet. loc. cit. quod posita opinione Philosophorum jam declarata, adhuc secunda intelligentia non esset necessaria tanta necessitate, quanta est Filius in divinis secundum viam Theologorum, & ratio est, quia intelligentia secunda habet eam necessitatem in natura distincta a prima intelligentia, Filius autem divinus habet eamdem cum Patre naturam, & per consequens eamdem prorsus necessitatem, ex quo fit, quod Filius divinus, licet sit necessarius ab alio, non tamen potest non esse circumscripto quocumque alio secundum entitatem, & naturam, quia Pater non est alius a Filio secundum naturam, cum eadem natura numero sit in utroque, sed non sic est de secunda intelligentia, quia ipsa posset non esse circumscripto aliquo alio secundum entitatem, & naturam ab ipsa, nam prima intelligentia, ad cujus ablationem per impossibile tolleretur, est alia in natura a secunda intelligentia. Ex quo sic arguit Tromb. illud, quod non potest non esse circumscripto quocumque alio secundum naturam ab ipso, est ens magis necessarium eo, quod potest non esse circumscripto alio ab ipso secundum naturam, sed Filius in divinis non potest non esse, nisi circumscriberetur aliquid, quod est, sibi idem secundum naturam, & secunda Intelligentia posset non esse circumscripto aliquo, quod non est idem sibi secundum entitatem, & naturam, ergo Filius in divinis est magis necesse esse, quam secunda Intelligentia. Quod si dicas, Pater in divinis est necessarius ex se, & a se, Filius vero est quidem ex se necessarius, non tamen a se, ergo Pater in divinis est magis necessarius, quam Filius. Resp. quod necessarium ex se, & a se est magis necessarium eo, quod est ex se, & non a se, ubi habent distinctam, & diversam naturam, sed non ubi eamdem habent prorsus naturam, ut est de Patre, & Filio in divinis, nam ob identitatem omnimodam naturæ habent eamdem quoque penitus necessitatem, cum ad eamdem naturam eadem sequatur necessitas, & ex hoc sequitur, quod prima Intelligentia secundum Philosophum est magis necessaria, quam secunda, non tamen Pater in divinis est magis necessarius Filio secundum Theologum.

Postremo arguunt argumento ex æternitate desumpto, quod Ragusejus demonstrativum appellat, nullum æternum potest esse genitum, atque adeo nullum æternum habet causam efficientem, a qua genitum, vel quocumque modo effectum sit, ut patet 1. de Cœlo tex. 104. sed materia prima, Cœlum, & intelligentiæ sunt entia æterna secundum Arist. ergo nec genita, nec ullo modo ab aliqua causa efficiente esse possunt.

129 Resp. si sumatur generatio in ratione simplicis productionis, major est falsa, quia Filius in divinis est genitus, & tamen est æternus, si vero sumatur, ut habet annexam mutationem, & fit in subjecto, vel ex subjecto præsuppositio, quemadmodum sumitur ab Arist. loc. cit. sic verum est, quod nullum æternum potest esse genitum, non tamen sequitur, quod nullo alio modo nempe per simplicem dimanationem possit esse effectum, vel productum absque mutatione, unde Arist. in lib. de Cœlo non intendit probare mundum a nullo esse effective, sed intendit solum probare, quod non est productus per generationem in ratione mutationis, quia mundus est æternus, repugnat autem rei æternæ, quod per generationem producta sit, cujus ratio est, quia generationem præcedit alteratio, quæ tempore mensuratur, & per consequens ante omnem rem genitam est tempus, ex quo sequitur, quod talis res non est æterna, & in hoc sensu verum est materiam primam, Cœlum, & intelligentias, quia sunt entia æterna secundum Arist. non esse genita, quia tunc non essent æterna. At validissime instat, ut ipse putat, Ragusejus cit. cap. 11. Intelligentiæ sunt æternæ, ergo semper fuerunt, si semper fuerunt, ergo numquam factæ sunt, si numquam factæ sunt, ergo non habent causam efficientem a qua æternitatem, atque necessitatem acceperint; antecedens patet in via Arist. sicut, & prima consequentia, nam æternum, & sempiternum idem sonat, secunda consequentia tenet per locum

locum ab oppositis, si enim aliquid semper fuit, signum est illud numquam factum fuisse, quo semel admisso, sequitur evidenter ultima consequentia, illud scilicet non habere causam efficientem. Si forte negatur secunda consequentia, hoc semper fuit, ergo numquam factum est. Iterum eam probat per locum ab oppositis, si falsum est id, quod semper fuit, numquam factum esse, ergo verum est id, quod semper fuit aliquando factum esse, si aliquando factum est, ergo in tempore factum est, & habuit esse post non esse, & sic æternum non erit. Dices forte hanc consequentiam non valere, falsum est id, numquam factum esse, ergo rerum est aliquando factum esse, ideest in tempore, nam quod semper fuit, factum est ab æterno. Contra, instat denuo, & ex hac solutione infert hanc esse universaliter veram, omne id, quod semper fuit, ab æterno factum est, & sic cum Deus semper fuerit, Deus ab æterno factus esset, quod est erroneum, quod si Deus eo præcipue quia æternus, numquam factus est, sequitur omne quod est æternum, eo quia semper fuit, nunquam factum esse. Si tandem dicatur, id, quod semper fuit, esse in duplici discrimine, aut enim semper fuit a se, cujusmodi est Deus, & hoc numquam factum est, aut semper fuit ab alio, & hoc factum est ab æterno. Contra, quia hæc responsio petit principium, & æternitas in re æterna importat semper fuisse ad se, non autem ab alio, quia ex Boetio est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio, idest independenter ab alio.

Resp. quod si hoc argumentum est demonstrativum, ut jactat Ragusejus, totum quantum est, procedit contra æternam generationem Filii, quia non valebit tantum juxta Arist. principia, sed obsolute loquendo; quod autem faciat contra generationem Filii (non quidem ut factio, quia non est causatio in diversitate naturæ, & cum dependentia, sed ut simplex productio) patet sic arguendo, Filius Dei est æternus, ergo semper fuit, si semper fuit, ergo numquam genitus est, vel productus, si numquam est productus, ergo non habet principium essendi, a quo sium esse acceperit, & sic est improductus, & imprincipiatus, & sic prosequi potest argumentum cum solutionibus, & instantijs allatis usque ad ultimam replicam; sicut ergo hoc argumentum nihil concludit contra generationem Filii ab æterno apud Theologos, ita neque concludet contra productionem intelligentiarum ab æterno apud Philosophos servata proportione, atque ideo solvi debet, ut de facto solvitur a Theologis, cum conficitur hoc argumentum contra generationem Filii; Scio Fabrum, & alios ad hoc argumentum respondere concedendo illa entia fuisse aliquando producta, & negare consequentiam inde deductam, quod sint producta in tempore, quia (ait Faber) hoc aliquando fuit ab æterno, & sic non sequitur, quod aliquando non fuerint, sed semper sunt, & fuerunt. Cæterum cum ly *aliquando*, sit proprie loquendo, adverbium temporis optime tenet illa consequentia, hæc entia sunt aliquando producta, ergo sunt in tempore producta. Quare melius respondetur concedendo omnes illas consequentias, quod si intelligentiæ sunt æternæ, semper fuerunt, & numquam factæ sunt, quia etiam ly *numquam*, est adverbium temporis, & sensus est, quod in nullo tempore, seu in nulla temporis differentia factæ sunt, quod est verissimum, cum ab æterno esse ponantur; cum tandem deducitur ultima consequentia, si numquam factæ sunt, ergo non habent causam efficientem, negauda est hæc ultima consequentia absolute sumpta; nam ex illo antecedente, quod semper fuerunt, & numquam sunt factæ, sequitur solum, quod non habent causam efficientem in tempore, cum quo tamen adhuc stat, quod habeant causam efficieniem ab æterno, & quod semper fuerint facta ab æterno.

130 Cum autem replicat Ragusejus ex hac solutione inferendo hanc esse universaliter veram, omne id, quod semper fuit, ab æterno factum est, atque ideo Deum, cum semper fuerit, ab æterno esse factum, est omnino falsa illatio, nec video qua ratione deducatur, quia in solutione allata non affirmatur universaliter, quod semper fuit factum esse ab æterno, sed particulariter aliquid, quod semper fuit, ab æterno esse factum. Neque ex eo quod Deus est æternus, consequentia formali deducitur, quod non sit factus, vel productus. nec habeat principium essendi, quia tunc nulla daretur persona divina producta, nec ulla creatura potuisset esse ab æterno, cujus oppositum est demonstratum disp. 14. Phys. quæst. 1. art. 1. sed solum quod non habeat principium durationis, accipiendo, inquam, æternitatem pro sola, & simplici eviternitate, ut præcise dicit negationem principii durationis, si enim in rigore acciperetur, ut est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio, quo pacto est propria Dei duratio, sic utique ex eo quod Deus est æternus, inferri potest non est factus, vel causatus, non tamen quod non sit productus, quia persona aliqua divina est producta, & adhuc tamen est æterna. Cum tandem dicebat committi petitionem principii in illa distinctione de æterno a se, & de æterno ab alio, & quod repugnat dari æternum ab alio, quia æternitas ex Boetio dicit independentiam in esse, respondeo rursus, quod si æternitas accipiatur, ut est propria Dei duratio, quo pacto dicit necessariam, & independentem coexistentiam ad omnem temporis differentiam, utique petitur principium, & est omnino inepta distinctio, immo implicans contradictionem, quia æternitas sic accepta dicit independentiam rei durantis æternaliter; at si æternitas latius sumatur pro æviternitate, quæ importat præcisam coexistentiam rei durantis ad omnem temporis differentiam, sive talis coexistentia competat illi rei contingenter, & dependenter, quo pacto conveniret creaturæ ab æterno productæ, sive necessario, & independenter, quo pacto competit Deo, sic absque ulla petitione principii, & implicatione contradictionis potest æternum distingui in æternum a se, & in æternum ab alio; vide disp. 14. Phys. qu. 1. art. 1. nui 8. ubi dicimus nec æternitatem, nec immensitatem, ut sunt attributa divina, posse communicari creaturæ, quia tam immensitas, quam æternitas dicunt necessariam, & independentem coexistentiam ad omnem locum, & tempus, sed sicut ubiquitas communicari potest creaturæ ex Scoto 4. d. 10. q. 2. R. quia dicit coexistentiam utique ad omnem locum, sed contingentem, & dependentem, ita etiam communicari potest æviternitas, quæ dicit coexistentiam utique ad omne tempus, sed contingentem, & dependentem ex eodem Scot. 4. d. 49. q. 6. L.

Dices, si necessaria coexistentia ad omnem temporis differentiam repugnat creaturæ, cum igitur in sententiam Arist. Intelligentiæ, Cœli, & materia prima coexistant cuicumque temporis differentiæ, non contingenter, sed necessario, quia sunt entia ex se formaliter necessaria, repugnat eis esse ab alio producta, & dependentia in esse. Resp. quod tenendo hæc esse entia formaliter, & intrinsece necessaria secundum Arist. principia, hanc esse potiorem difficultatem, quæ in tali materia fieri possit; si tamen apud Arist. non repugnat aliquid esse ex se formaliter necessarium, non tamen a se, sed ab alio, ut explicat Scotus, ita nec repugnabit aliquid necessario coexistere ex se formaliter cuicumque temporis differentiæ, & adhuc dependenter ab alio, unde ejus æternitas quamvis sit coexistentia necessaria ad omnem temporis differentiam, adhuc tamen in hoc differiminabitur ab æternitate Dei, quod æternitas Dei, est coexistentia ad omne tempus necessaria, ac independens, sed æternitas Intelligentiarum secundum Arist. quamvis sit necessaria, non tamen est independens. Dices æternitatem Dei ex hoc, quod est coexistentia ad omne tempus necessaria, colligitur quoque esse independentem, ergo idem pariter dicendum erit de æternitate intelligentiarum. Resp. re vera argumentum satis urgere, tamen quia nulli auctori imponenda est absurdior sententia, quam expresse habeatur ex dictis ejus, vel sequatur evidenter ex illis, ut inquit Doctor 1. d. 8. q. 5. §. *de intentione istorum*, & quol. 7. §. *sed quia* (quam regulam si Recentiores adverterent, non imponerent Auctoribus etiam classicis absurdissimas opiniones, quas nec umquam somniarunt, ut frequenter faciunt) & quia intelligentias Cœlos, atque materiam primam esse a se nedum est falsum, sed absurdissimum, nec id expresse dicitur ab Arist. maluit Doctor in sententia Arist. dicendum esse ex una parte, Intelligentias esse ex se formaliter necessarias, & ex alia parte, quod tale formaliter necessarium non habeant a se, sed ab alio, & hæc duo invicem non repugnare, quia important diversas habitudines ad diversa, & in diversis generibus causarum, unde in genere causæ formalis sunt necessariæ, non autem in genere causæ efficientis. Quo autem modo intelligentiæ dimanent, ac producantur a prima, non eodem modo loquuntur Arist. & Avicen. quia autem res est morosa, & parum utilis, ne quæstio hæc adhuc prolixior evadat, poterit differri ad propriam usque Disp. de Intelligentiis, interim videatur Doct. quol. 7. & Faber loc. cit. theorem. 56. cap. 3.

ARTICULUS II.

De rerum Contingentia an sit, quid sit, unde oriatur, & quomodo rebus conveniat.

131 UT constat ex titulo quæsiti hic est sermo de contingentia rerum, non vero propositionum, nam de istarum contingentia satis dictum est in Logica. Primo igitur quæritur de existentia contingentiæ, an detur in rerum natura, & quo pacto demonstrari possit, pro cujus rei resolutione ait Doct. 1. d. 39. §. *quantum ad primum*, quod in passionibus disiunctis entis, licet totum disiunctum non posset demonstrari de ente, tamen communiter sumpto illo extremo, quod est minus nobile, de aliquo ente potest concludi aliud extremum, quod est nobilius de aliquo alio ente, sicut sequitur, si aliquod ens est finitum, ergo aliquod ens est infinitum, & si aliquod ens est contingens, ergo aliquod ens est necessarium, quia in talibus non posset enti particulariter ineste imperfectius extremum, nisi alicui enti ineesset perfectius extremum, a quo dependeret. Non tamen isto modo (subjungit Doctor) videtur posse concludi extremum imperfectius talis disiunctionis, non enim si perfectius est in aliquo ente, necesse est imperfectius esse in alio ente, & hoc nisi extrema illa disiuncta essent correlativa, sicut causa, & causatum, igitur non potest ostendi de ente per aliquid prius medium disiunctum hoc scilicet necessarium, vel contingens, nec etiam ista pars disiuncti, quod est contingens, posset ostendi de aliquo supposito necessario de aliquo, unde concludit, quod ista, aliquod ens est contingens, est vera primo, & non demonstrabilis propter quid, quare Philosophus arguens contra necessitatem futurorum non deducit ad aliquod impossibilius hypothesi, sed ad aliquod impossibilius nobis manifestius, scilicet quod non oportet nec consiliari, nec negotiari, & ideo negantes talia manifesta indigent pœna, vel sensu, quia secundum Avicen. 1. Met. c. ult. negantes primum principium sunt verberandi, vel exponendi igni, quousque concedant, quod non est idem comburi, vel non comburi, vel vapulare, & non vapulare, & ita etiam isti, qui negant aliquod ens contingens, exponendi sunt tormentis, quousque concedant, quod possibile est eos non torqueri.

Quia

Quia ergo inquit Scotus esse per se primo modum dari contingentiam in rebus, nec esse a priori demonstrabile, conati sunt aliqui hoc probare a posteriori, & hoc. præsertim probant ex existentia causæ liberæ, quia cum causa libera sit illa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere, sit, ut effectus ejus inquantum libere operantis possit esse, & possit non esse, quod est contingere ntemesse; immo contendunt aliqui hanc esse probationem a priori, quia ex existentia causæ demonstratur existentia, vel possibilitas effectus. Cæterum hæc probatio re vera non est a priori, quia solum est per causam extrinsecam, immo nec proprie a posteriori, sed est explicatio unius per aliud æque notum vel æque probandum, unde quæ probant contingentiam in rebus, astruunt, quoque libertatem in nobis, & quæ faciunt, contra rerum contingentiam, militant pariter contra libertatem nostram. Hinc concludit Aureol. 1. d. 39. q. un. art. 2. propos. 1. quod contingentia rerum, & maxime earum, quæ pendet ex libero arbitrio, est adeo per se nota, quod proprie probari non potest, nec a priori, nec a posteriori per aliquid notius; illud enim, quod immediate sub experientia cadit, per se notum est, nec indiget notiori demonstratione, sicut per se notum est quod dicimus ista verba, quod non sumus in somnis, sed in vigilia, ut Comm. dicit 4. Met. & similiter notum est cuilibet, quod vivit, & est, hoc enim experientia docet, sed his, qui experiuntur se elicere actus liberi arbitrii, contingenter per se notum est, quod talis contingentia est in rebus, ergo &c. Confirmat id Aureol. quia si a posteriori probaretur contingentia actuum humanorum, hoc esset, quia superflueret consilium, sollicitudo pœnæ, persuasio ad bonum, & pene totum negotium policitum, illud autem est minus notum, quam contingentia ipsa, omnis enim sollicitus, & consilians supponit, quod potest contingere ad utrumlibet hoc, vel illud, puniens quoque & præmians, supponit, quod potuit aliter evenire, non ergo potest probari contingentia a posteriori per aliquid magis notum. In hac tamen Confirmatione videtur Aureol. aliquantisper excedere, si enim minus notum est consiliari, & totum negotium policitum, quam contingentia effectuum, cum Arist. arguens contra necessitatem futurorum 1. Perhier. cap. ult. utatur hoc argumento, probaret magis notum per minus notum, & tamen inquit Scot. loc. cit. quod licet Arist. sic arguens non deducat ad aliquid impossibilius hypothesi, deducit tamen ad aliquod impossibilius nobis manifestius, scilicet quod non oportet nec consiliari, nec negotiari; dicendum ergo, quod licet re vera in se non sit magis notum negotium policitum, quam rerum contingentia, immo hæc sit notior illo, nam ex rerum contingentia orta sunt consilia, tamen quoad nos illud videtur manifestius & cuicumque homini rudi notius erit hoc in possibile, quod opus non est consiliari, quam quod non detur contingentia in rebus.

Dices probari posse contingentiam in rebus ex suo oppositio, quia nempe datur ens necessarium, si enim unum oppositorum est in rerum natura, etiam & reliquum. Resp. neg. assumptum ex Scot. loc. cit. licet enim ex positione membri imperfectioris possit includi existentia, & positio membri perfectioris, ut quod si datur ens finitum, ergo & infinitum, non tamen e contra, nam ab æterno dabatur ens infinitum, & ens necessarium, nec tamen erat tunc aliquod ens finitum, aut contingens; cum vero dicebatur, si unum oppositum datur in rerum natura, & reliquum ait Aureol. intelligi debere de possibili, non tamen de facto, si enim una differentia est possibilis, etiam & reliqua possibilis est, licet imperfectior, non oportet tamen, quod si una est in actu, etiam & reliqua sit in actu.

132 Quo ad 2. quæsitum quid sit Contingentia, vel esse contingens, communiter Contingens accipitur pro illo, quod potest esse, & non esse, sicut e contra necessarium dicitur illud, quod nequit non esse; sed ad majorem rei explicationem, & ne æquivocatio contingat in vocabulo contingentiæ, & necessitatis, distinguendum est de duplici contingentia, sicut & necessitate, alia namque est contingentia, & necessitas in essendo, alia in causando; primo modo sunt passiones, vel modi condividentes ens in communi ad Deum & creaturam, & quidem necessitas est modus proprius divinæ entitatis, quæ ratione talis modi ita necessario existit in rerum natura, ut nequeat non existere, & ideo existentia ponitur esse prædicatum Dei quidditativum; contingentia e contra est modus, vel passio creaturæ, quæ ratione talis modi ita existit, ut quantum est de se, possit non esse, qua de causa existentia dicitur accidere creaturæ, & hæc est contingentia Metaphysica, de qua hic est sermo, & competit universaliter cuicumque enti creato, etiamsi alia ratione diceretur necessarium. Contingentia vero, & necessitas in causando, si active sumantur, sunt modi causandi convenientes causis in ordine ad suos effectus, qui necessario, vel contingenter ab ipsis procedunt, & ipsis quoque effectibus accomodantur sumpta denominatione a causis, illos producentibus, unde alii dicuntur effectus necessarii, & alii contingentes sumendo necessitatem, & contingentiam in causari passive. Sed adhuc contingentia hoc secundo modo sumpta duplex est, ut colligitur ex Scoto 1. distinct. 39. in fine, alia est contingentia simpliciter, & positiva, & hæc ortum ducit ex intrinseca perfectione causæ, quæ ex suo modo agendi habet in sua potestate actum, vel effectum producendum, adeo quod potest illum ponere in esse, vel non ponere pro libito, atque ideo convenit tantum causis liberis, & est idem quod libertas; alia est contingentia secundum quid, & privativa, quæ convenire potest etiam causæ naturali, quatenus impediri potest a suo effectu naturali ab alia causa efficaciori, ut si Sole existente in cancula non essent magni calores, quia licet planetæ, & Sol sint causæ necessariæ suorum effectuum, potest tamen eorum virtus impediri a ventis, vaporibus &c. unde hæc contingentia imperfectionem dicit, quia oritur ab imperfectione, & limitatione causæ, secundum quam aliunde impediri potest. Ex quo colligitur effectum causæ naturalis dici necessarium pro ut præcise refertur ad ipsam non impeditam, sed sibi relictam cum omnibus ad agendum requisitis, quia sic nequit non esse; nam si ad ipsam referatur, quatenus est impedita, vel impedibilis a causa efficaciori, tunc effectus alias suapte natura necessarius dicetur contingens, non quidem contingentia simpliciter, & positiva, sic enim contingentes solum dicuntur actus liberi, sed contingentia secundum quid & privativa.

133 Non est autem confundenda contingentia in essendo cum possibilitate, sed distinguendum est de possibile; si enim possibile accipiatur prout distinguitur contra impossibile, sic non convertitur cum contingenti, sed latius se habet, quia etiam necessarium in hoc sensu dicitur, possibile idest non repugnans, quod si possibile accipiatur pro illo, quod est indifferens ad esse, & non esse, sic utique convertitur cum contingenti, unde ens contingens est medium quoddam inter ens necessarium quod nequit aliter se habere, & inter impossibile, cui ex terminis verum esse repugnat, & sic patet quid sit contingentia in essendo, prout de ea hic loquimur, est enim modus intrinsecus cuicumque rei creatæ, quo intrinsece constituitur indifferens ad esse, & non esse.

Quod 3. quæsitum, unde oriatur contingentia rerum, pariter procedendum est juxta allatam distinctionem de contingentia rerum, si enim sermo sit de contingentia in essendo, quæ est contingentia Metaphysica, & modus intrinsecus cujuscumque entis creati, talis contingentia aliunde non provenit, quam ex ipsamet entitate, & natura rerum creatarum, & probatur, quia quemadmodum ens necessarium simpliciter ex se est tale, & non per aliud, quia nimirum ita postulat intrinseca conditio suæ naturæ, ut nequeat non existere, ita ens contingens, & possibile ex se, & natura sua est tale, & non per aliud, itaut ex se repugnet illi esse aliud ens, quam contingens, mutabile, & defectibile. Si vero sermo sit de contingentia in causando, idest de contingentia effectuum prout ad causas suas referuntur, vel e contra, rursus distinguendum est de contingentia positiva, & privativa; contingentia positiva, ut dicebam, ortum ducit ex intrinseca perfectione potentiæ, quæ suopte ingenio indifferens est ad ponendum, vel non ponendum effectum, ita Doctor quol. 16. lit. V. ubi docet primam libertatis radicem intrinsecam non aliunde petendam esse, quam ex natura ipsius voluntatis de se indifferentis ad agendum, vel non agendum; contingentia vero privativa ortum ducit ex imperfectione, & imbecillitate naturalis causæ, cujus effectus alias necessarius impediri potest a causa contraria efficaciori; ratione cujus dispositionis causæ potest ab ea effectus oriri, & non oriri, si enim impeditur non oritur, si non impeditur, oritur non quidem libere, sed necessario, quia causa illa determinata est ad illum effectum producendum, nec potest illum non producere ablatis omnibus impedimentis, & positis omnibus requisitis ad agendum; & hæ quidem sunt causæ, & radices proximæ contingentiæ in rebus tam positivæ, quam privativæ.

134 Si autem quæratur de omnino prima, & originaria radice contingentiæ in causando respondet Doctor 1. dist. 2. quæst. 2 infra lit. R. & dist. 8. quæst. 5. lit. R. & dist. 39. cit. hanc esse libertatem divinæ voluntatis, quia si per impossibile Deus causa prima ad extra libere, & contingenter non causaret, omnis contingentia tolleretur a rebus; probat hoc Scot. citat. quia si Deus ageret necessario ad extra, duo sequerentur inconvenientia, primum est, quod omnes actiones impedirent causæ secundæ, quia illas non expectaret in agendo, sed omnino præveniret, quia ageret secundum ultimum potentiæ suæ, & cum se solo ratione suæ infinitæ virtutis possit producere sine causis secundis quicquid potest cum causis secundis, tunc ageret, & produceret sine illis quicquid modo producit cum illis. Alterum est, quod admisso etiam quod data hypothesi remaneret actio in causis secundis, adhuc tamen omnes necessario agerent, & nulla contingenter, & libere, ergo libertas divinæ voluntatis est primaria, & originaria causa contingentiæ in rebus. Recentiores quamplures, ut Suarez tom. 1. Metaphysic. disputatione vigesimanona, sectione tertia, Molin. 1. parte quæstione decimaquarta, articulo decimotertio, disputatione undecima, & duodecima, nedum hoc Scoticum impugnant assertum, quod si Deus necessario ageret ad extra, non daretur contingentia in rebus, sed omnia necessario evenirent, sed ulterius duas insinuatas Scoti rationes redarguunt, tanquam una sit alterius destructiva, una namque probat data hypothesi nullam actionem a causis secundis futuram, quia sola causa prima totum ageret; altera vero probat omnes causas secundas fore acturas necessario, & naturaliter, unde ista ratio supponit actiones causarum secundarum permansuras, quod supposito per alteram rationem directe destruitur, atque ita una ratio aliam destruit.

Ad connexionem istarum duarum rationum, & veritatem illius asserti, quod si Deus ageret necessario ad extra, nulla daretur in rebus contingentia, ac proinde quod primigenea contingentiæ radix in rebus sit libertas divinæ voluntatis, ex instituto ostendimus disp. 8. Phys. quæst. 1. art. 2. & disp. 7. de Anim. quæst. 3. art. 1. & rursus breviter etiam ostendi potest, nam

nam contingentia positiva quæ reperitur modo in effectibus liberis humanæ voluntatis, quamvis dependeat ex intrinseca indifferentia voluntatis nostræ ad agendum, vel non agendum, ad sic vel sic agendum; certissimum tamen est, potissimum originem ducere ex concursu indifferenti, & ad utrumque parato, quem Deus præsto habet ad coagendum cum causis secundis ordinis liberi, si enim concurreret cum illis concursu determinato ad unum, quemadmodum concurrit cum causis naturalibus, quantumvis voluntas nostra intrinsecam haberet indifferentiam ad agendum, vel non agendum, aut sic vel sic agendum, hanc tamen data illa hypothesi in actu secundo exercere non posset, quia concursus Dei paratus ad utrumlibet, seu indifferens est ad unum ex præcipue prærequisitis ad exercendam libertatem voluntatis nostræ; fateri ergo necesse est, quod si Deus nobis coageret necessario, & concursu ad unum determinato, plane tolleretur contingentia actionum nostrarum, & necessario fierent. Quod etiam tolleretur illa qualiscumque privativa contingentia, quæ in causis naturalibus reperitur, ita ostenditur, inquit enim Doctor 1. dist. 8. quæst. ult. ad argumenta pro Philosophis nullum effectum modo etiam a causis naturalibus procedentem esse simpliciter necessarium, nam causa secunda quantumcumque activa ex necessitate naturæ, quia in agendo dependet ab immediato concursu causæ primæ, quem concursum causa prima præbere, & subtrahere potest pro suæ voluntatis arbitrio, sit, ut hac ratione causa secunda naturalis possit agere, & non agere, quatenus per subtractionem concursus potest ab actione impediri, adeoque effectus ejus evenit aliquo modo contingenter, si ergo Deus necessario concurreret cum causis naturalibus, & non libere præstaret illi suum concursum, nulla prorsus contingentia etiam privativa reperiretur in earum actionibus, quia per subtractionem concursus non possent a Deo actiones illæ impediri, cum supponatur Deus necessario præbere illis concursum suum, & non sponte pro suæ libertatis arbitrio; ergo fatendum est ex ablatione divinæ libertatis in agendo ad extra, omnem prorsus tolli contingentiam a rebus, tam privativam, quam positivam, atque ideo primariam, ac primigeneam contingentiæ radicem in rebus esse divinam voluntatem, ut libere agit ad extra; nota tamen, quod quamvis velit Doctor primam & præcipuam radicem contingentiæ actionum humanarum esse libertatem divinæ voluntatis, qua nobis libere præparat concursum indifferentem, non tamen ait esse toralem, & præcisam, ut ei Recentiores impingunt, immo cum hoc vult etiam contingentiam actionum nostrarum pendere a voluntate nostra, ut ex pluribus locis Doctoris ostendi disp. 7. cit. de Anim, quæst. 3. artic. 1. numer. 36. argumenta autem quæ contra hoc fieri solent ab Adversariis, referuntur pariter, & solvuntur loc. cit. Nota insuper, quod cum ait Doctor libertatem divinæ voluntatis, ut agit ad extra, esse radicem contingentiæ in rebus, non loquitur de contingentia in essendo, hæc enim unice pendet ex natura ipsa rei, sed de contingentia in causando passiva, quatenus nullus esset effectus indifferens ad fieri, & non fieri, sed omnes necessario fierent, & evenirent data hypothesi, quod Deus necessario ageret ad extra.

135 Quoad quartum quæsitum, quomodo scilicet conveniat contingentia rebus creatis, quod est principale hujus articuli, loquendo de contingentia rerum in fieri, quæ nempe convenit effectibus, ut a suis causis procedunt contingenter agentibus, communis opinio asserit præter entitatem effectus nihil addere, quam denominationem extrinsecam illius a potentia causæ, a qua immediate, vel mediate in ordine agentium creatorum dependet, quæ denominatio concipitur tanquam habitudo quædam ad causam, prout illum effectum producere, vel non producere potest, juxta quam sententiam determinavimus disp. 7. de Anim. quæst. 4. artic. 1. libertatem in actu non addere supra entitatem volitionis relationem, aliumve modum realem intrinsecum, sed denominationem extrinsecam provenientem ex indifferentia proxima potentiæ volitivæ: Major est difficultas, quæ & magis ad propositum attinet de contingentia rerum in essendo, an conveniat rebus creatis per aliquid intrinsecum, quo dicantur possibiles esse, & non esse, an potius ipsa quoque in eis ponat solam extrinsecam denominationem ab omnipotentia Dei desumptam, quatenus illas potest ponere in esse, & non ponere, conservare, & non conservare; & præcipua difficultas est de se substantiis simplicibus, & spiritualibus, quibus non inest potentia physica corruptionis susceptiva, qualis est materia prima, nulli enim dubium est res compositas ex materia, & forma esse ab intrinseco defectibiles, & corruptibiles, quæ radix originaria corruptionis cum non inveniatur in spiritualibus substantiis, ideo Philos. præced. articulo citati illas dicebant esse entia ex se formaliter necessaria, & ex nostris Theologis quamplures volunt, substantias illas esse ab intrinseco, & ex natura sua indefectibiles, solumque deficere posse per ordinem ad potentiam Dei, a qua possunt produci, vel non produci, conservari, & non conservari, unde ajunt deficere posse non per potentiam aliquam intrinsecam, quæ sit in ipsis, ut est de rebus materia & forma constantibus, sed per potentiam, quæ sit in alio, quare concludunt, contingentiam in his creaturis materia, carentibus, ut sunt Angeli, & anima rationalis, ponere solam extrinsecam denominationem; ita significavit D. Thom. 1. part. quæst. 9. artic. 2. ubi ait, substantias spirituales substantialiter non esse mutabiles per potentiam, quæ sit in ipsis, sed quæ in Deo, idem insinuat lib. 2. contra gentes c. 30. & 55. sequitur Molin. 1. par. quæst. 9. art. 2. disp. 3. Suar. tract. de Angelis c. 10. Durand. 1. disput. 6. par. quæst. 3.

Alii e contra contendunt in omni prorsus re creata intrinsece reperiri potentiam logicam ad non esse etiam in ipsis substantiis spiritualibus, ratione cujus possunt dici intrinsece defectibiles, & destruibiles a Deo saltem per annihilationem, ita videtur etiam tenere Cajet. 1. p. loc. cit. ubi benigne interpretatur D. Thom. quod negaverit tantum in illis substantiis potentiam ad non esse physicam, qualis reperitur in substantiis materialibus, non autem Logicam, immo addit illam potentiam Logicam ad non esse in omni creatura, licet a nobis per negationem explicetur, esse potentiam realem; idem tenent passim Scotistæ nostri, ut Vulpes disp. 8. de Angelis art. 10. ubi nu. 3. inquit Angelos esse ex se simpliciter annihilabiles tam objective ex extrinseca potentia Dei, quam formaliter ex intrinseca potentia passiva suæ essentiæ finitæ, immo nu. 4. addit esse erroneum dicere Angelos natura sua indefectibiles. Smisinch. tract. 2. de Deo uno disp. 3. quæst. 2. num. 51. inquit hanc esse litem de nomine, & modo loquendi; nec in re dissensionem esse posse, sed quamvis & ipse admittat in his substantiis potentiam logicam, seu non repugnantiam intrinsecam ad non esse, absolute tamen, & simpliciter loquendo ait dici debere substantias naturaliter immortales, & indefectibiles, quia sic passim loquuntur Philosophi, ac Theologi, unde juxta hanc secundam sententiam contingentia in essendo dicit aliquid intrinsecum in rebus, & non meram extrinsecam denominationem, quam late defendit Aureol. 1. d. 8. p. 2. art. 4.

136 Dicendum est contingentiam in essendo in rebus creatis non ponere solam denominationem extrinsecam, sed etiam intrinsecam in ipsis quoque substantiis spiritualibus, itaut ex se intrinsece, ac formaliter indifferentes sint tam ad esse, quam ad non esse; ita Doctor 1. d. 8. quæst. 5. ab initio, & 2. d. 1. qu. 2. in principio, ubi ait quamlibet creaturam de se nec habere esse, nec non esse, sed ad utrumque esse formaliter indifferentem, immo quantum est de se, prius habere non esse, quam esse, quia non haberet esse, si non esset illi ab extrinseco agente collatum; probatur, quia contingentia rerum in essendo, ut hic de illa loquimur, est modus, vel passio entis creati, ut distinguitur contra ens increatum, quod dicitur necessarium, sed modus & passio rei provenit ab intrinseca rei essentia, & non omnino ab extrinseco, ergo contingentia in rebus non ponit solam denominationem extrinsecam, sed etiam aliquid intrinsecum. Tum quia ita se habet contingentia ad ens creatum, sicut necessitas ad increatum, sed necessitas aliquid ponit in Deo, cum sit modus, vel passio peculiaris ejus, ergo idem pariter erit asserendum de contingentia respectu entis creati. Tum quia supra dictum est, contingentiam oriri in re creata ex limitatione, & finitudine suæ essentiæ, hac enim de causa ex Doctore loc. cit. potest suapte natura ex nihilo creari, & ad nihilum redigi, & quantum est de se indifferens est ad esse, & non esse, ergo est denominatio intrinseca in ipsa, & non tantum extrinseca. Tum quia ex Doctore 1. dist. 43. possibilitas, & impossibilitas rei in genere causæ formalis pendet ex natura ipsius rei, ergo sicut Angelus intrinsecam habet possibilitatem logicam, ut possit creari, in ejus finita, & limitata natura fundatam, sic etiam intrinsecam habebit possibilitatem, ut queat annihilari; Tum quia Deus nequit creare, nisi quod natura sua est possibile, omnipotentia enim non respicit, quod est a parte rei impossibile, ergo e contra nequit annihilare, & destruere, nisi quod habet potentiam passivam saltem logicam ad non esse, unde si daretur ens natura sua indefectibile, non posset illud destruere, ergo cum omnia prorsus entia creata sint a Deo destruibilia per annihilationem, omnia prorsus habent potentiam logicam ad non esse, sicut e contra ideo possunt a Deo creari, quia habent potentiam logicam ad esse.

Respondent Thomistæ negando paritatem in his omnibus rationibus assumptam, quia bene datur in rebus intrinseca, & naturalis potentia passiva ad esse, non tamen ad non esse, & ideo nequeunt dici annihilabiles per potentiam eis intrinsecam ad non esse, sed tantum per potentiam extrinsecam Dei. Accedit, inquit Suarez, quod esto res, antequam producatur, indifferens dicatur ad esse, & non esse, tamen postquam producta est, non amplius est sub ista indifferentia, cum sit jam ad existere determinata. Contra quia hæc responsio infringitur in compositis materialibus, in quibus coguntur Adversarii concere potentiam intrinsecam ad non esse, nempe materiam primam, quæ est radix intrinseca corruptionis, si ergo in rebus materialibus absque ulla absurditate conceditur potentia intrinseca realis, & physica ad non esse, nullum quoque erit inconveniens admittere in rebus immaterialibus proportionaliter loquendo potentiam aliquam logicam, vel metaphysicam ad non esse; Deinde falsum est, quod addebat Suarez, rem postquam est producta, non esse amplius indifferentem ad esse, & non esse, quum enim extrinsece jam sit determinata ad existere, adhuc tamen intrinsece retinet indifferentiam ad utrumque, sicut voluntas nostra eo quia intrinsecam habet indifferentiam activam ad agere, & non agere, quando postea agit, licet extrinsece ad actionem determinata dicatur, non ob id dicitur amisisse suam intrinsecam indifferentiam, quam antea habebat ad agere, & non agere, sed solum dimittere dicitur carentiam actionis, sub qua prius erat; ita ergo proportionaliter in proposito loquendum est de indifferentia, quam habet res creata, ut existat vel non existat, quod cum est sub actuali existentia, solum extrinsece ad ipsam determinata dicatur, intrin-

trinsece vero suam adhuc retineat indifferentiam ad utrumque, & ratio est, quia ejus contingentia in tali indifferentia consistit, certum autem est, rem, postquam producta est, adhuc contingentem esse, non enim per productionem facta est necessaria. Tum quia idem argumentum quoque fieri potest contra Suar. explicantem contingentiam substantiarum immaterialium per meram denominationem extrinsecam in ordine ad divinam omnipotentiam, quia postquam sunt productæ, dicemus, non amplius esse sub indifferentia etiam per denominationem extrinsecam explicata, quia divina omnipotentia est jam ad alteram partem determinata, atque ideo res creata post ejus productionem non amplius contingen- dici poterit. Tandem fatentur omnes potentiam logicam ad esse stare cum ipso actu, & ita nos docuimus supra num. 106. ex Scoto 9. Metaphys. quæst. 2. nam ab actu ad potentiam logicam tenet consequentia, inquit Doctor, falsum igitur est, quod ait Suarez, postquam res est producta, non amplius esse in potentia ad existere, hoc enim intelligi debet de potentia objectiva, quæ revera tollitur per actum essendi, non autem de potentia logica.

137 Præterea ad idem principaliter arguit Aureol. loc. cit. quod impossibile est in se, nulli potentiæ possibile est, alioquin impossibile fieret possibile, sed si substantiæ abstractæ non sunt possibiles non esse in se, sunt impossibiles non esse in se, æquipollent enim non possibile non, & impossibile non, ergo substantiæ abstractæ per nullam potentiam erunt possibiles non esse, & per consequens annihilari non poterunt, quod repugnat fidei veritati. Deinde, quod inest alicui ex conditione suæ naturæ, inest sibi absolute, & non tantum per comparationem ad aliquod agens, sed August. dicit de fide ad Petrum capit. 10. quod naturas a Deo factas ad defectum ducit natura originis, & in lib. de vera Religione ait, quod creaturæ mutabiles sunt, & defectibiles, quia non summæ sunt, sed inferiores eo, a quo creatæ sunt, & Damascen. lib. 2. Orthod. Fid. cap. 6. dicit, quod omne quod incipit, finitur secundum naturam, ergo absolute, & secundum se substantiæ abstractæ sunt defectibiles, & possibiles non esse. Demum aut substantiæ abstractæ a Deo manutenentur, quia defectibiles in se, aut quia non sunt defectibiles in se, non potest dici secundum, quod enim defectibile in se non est, non indiget manutenente, cum possit permanere per se, ergo necesse est, quod detur primum, quod scilicet sint defectibiles in seipsis, & per consequens possibiles non esse, ergo impossibile est poni, quod substantiæ separatæ sint necessariæ, aut incommutabiles in esse substantiali, quantum est ex se, & quod sint solum annihilabiles per potentiam Dei extrinsece, nisi enim hæc esset natura earum intrinsece, Deus ipsas annihilare non posset, ut enim inquit Commen. 1. de Cœlo com. 124. omne impossibile in se, est etiam impossibile secundum quodlibet extrinsecum.

Quamvis autem substantiæ immateriales sint modo prædeclarato ex se, & intrinsece defectibiles, adhuc tamen respiciendo conditionem sui status debent dici substantiæ incorruptibiles, & indefectibiles, non solum quia carent intrinseco, & positivo physicæ corruptionis principio, ut solet communiter explicari, sed etiam quia ea est conditio sui status, ut cum solo concursu generali Dei possent in æternum durare, nam inter entia creata quædam sunt talis conditionis, ut cum solo concursu generali Dei non sunt in perpetuum duratura, ut homo v. g. semel productus sine speciali miraculo in æternum perpetuare non potest, quædam vero sunt talis conditionis, ut semel producta possint deinceps cum solo concursu generali Dei in æternum durare, & tales sunt Angeli, & animæ rationales, nam licet simpliciter, & absolute possint a Deo annihilari, quia a Deo libere conservantur, & de se intrinsece indifferentes sunt ad esse, & non esse, talis tamen sunt conditionis, ut continuante Deo exhibitionem sui generalis concursus in æternum durarent, ratio enim ob quam secundum communem naturæ cursum entia creata desinunt, est contrarietas immediata, vel mediata, quam advincem habent ratione dispositionum oppositarum, quas formæ substantiales exigunt pro sui conservatione, vel est naturalis quædam sequela, qua v. g. ad corruptionem subjecti corrumpuntur accidentia, quæ extant in illo; at Angeli, & animæ rationales nullam talem patiuntur contrarietatem, & quamvis anima sit in subjecto, non tamen illud ita informat, ut ad ejus corruptionem desinere debeat, atque ideo secundum communem naturæ cursum, nec Angelus, nec Anima desinere debent, sed sunt in æternum duratura cum solo concursu generali Dei, unde hac ratione dicuntur interdum a quibusdam SS. Patribus ex sua natura immortales, & indefectibiles, ex qua doctrina plura valent argumenta dissolvi, & auctoritates explicari, quæ ab Adversariis coacervari solent, quædam tamen, quæ majorem videntur facere difficultatem, referre, & solvere juvabit.

138 In oppositum arguit Molin. loc. cit. in substantiis spiritualibus non datur aliquid, quod esse possit cum privatione alicujus esse earundem, ergo non sunt intrinsece defectibiles, & mutabiles. Confirm. quia Angeli nequeunt desinere nisi per annihilationem, cum sint substantiæ omnino simplices, sed quod realiter tantum desinere potest, dicitur posse non esse tantum per potentiam in alio scilicet in Deo, quatenus omnia in nihilum redigere potest suspendendo suum concursum conservativum, ergo &c. Resp. ad 1. per illud probari tantum, quod substantiæ spirituales non sunt defectibiles per corruptionem, quo pacto desinunt substantiæ materiales per resolutionem in materiam primam, substantiæ vero spirituales sicut totaliter incipiunt per creationem, ita totaliter quoque e contra desinere possunt per annihilationem. Ad Conf. negatur minor, sicut enim quod incipit per creationem, non dicitur præcise incipere per potentiam activam, quæ est in alio, sed etiam per aliquam potentiam passivam in ipso, non quidem physicam, & omnino realem, sed logicam, & Metaphysicam, quia Deus non creat, nisi quod est ex se factibile, & logice possibile; ita quod desinit per annihilationem, non debet dici definere per potentiam præcise, quæ sit in alio, sed etiam per aliquam potentiam logicam, seu non repugnantiam ad non esse, quæ sit in seipso, quia Deus non annihilat nisi id, quod ex se annihilabile est, seu cui non repugnat annihilari.

Secundo arguit Suarez cum aliis Thomistis, nulla potentia, nullaque inclinatio naturalis est directe ad non esse, sed tantum ed esse; ergo substantiæ simplices non sunt defectibiles intrinsece per potentiam existentem in ipsis. Conf. quia annihilatio esset illis substantiis violenta, ergo nullam habent potentiam intrinsecam ad non esse, & sic sunt defectibiles tantum per potentiam existentem in alio. Resp. immerito quosdam ex nostris hoc argumento teneri, in ejusque solutione ambigere, cum idem argumentum fieri etiam possit in desitione rerum materialium, cujus tamen in ipsa re principium assignant intrinsecum, scilicet materiam primam, quomodo igitur res materiales dicuntur esse in potentia ad corruptionem, immo ratione materiæ naturalem ad eam habere inclinationem, si nulla inclinatio naturalis est ad corruptionem? quantum spectat ad corruptionem, quomodo dicatur naturalis, jam rem explicui disp. 5. de Gener. & Corr. quæst. 1. art. 3. nu. 47. distinguendo de naturali, quod primo sumi potest pro eo quod res, ut ad suam perfectionem propendet, deinde pro eo, quod sequitur naturam, & conditionem ejus, utrumque se se ad illam habeat, sive naturali id appetitui repugnet, sive non, quo sensu opponitur ei, quod præter naturæ conditionem est, & hoc secundo modo diximus corruptionem dici posse naturalem respectu rerum naturalium, non quia proprie res naturales in eam propendeant, quin potius esse appetunt, sed quia corruptio sequitur naturaliter conditionem status earum, cum sint compositæ ex materia, quæ est radix corruptionis. Immo magis urget argumentum de desitione rerum materialium per corruptionem, cujus datur intrinsecum principium positivum in ipsa re, quam de desitione substantiarum immaterialium quæ fit per annihilationem, ad quam non dicimus in ipsa re dari potentiam aliquam, vel inclinationem naturalem, sed solam intrinsecam non repugnantiam, quatenus illis a b intrinseco sicut non repugnat esse, ita neque repugnat non esse, sed ex limitatione, & finitate suæ naturæ ad utrumque sunt indifferentes; magnum autem discrimen est inter inclinationem naturalem ad aliquid, & non repugnantiam ad illud; itaque ad argumentum dici potest nos non ponere in substantia spirituali aliquam potentiam realem, & inclinationem naturalem ad non esse, sed solam non repugnantiam, atque ita habebit naturalem inclinationem ad esse, & solem non repugnantiam ad non esse.

139 Ad Conf. respondet Vulpes loc. c. respectu omnipotentiæ Dei nullum prædicatum possibile inesse creaturis cum violentia, cum sint in potentia obedientiali ad illam, unde cum lapis contra suam inclinationem fertur sursum ad replendum vacuum, motus non est violentus, sed naturalissimus saltem respectu naturæ universalis exigentis vacuum repleri. Sed hanc doctrinam jam in Physicis reprobavimus, ubi dictum est disputatione sexta num. 14. potentiam obedientialem non tollere violentiam a rebus, & disputatione duodecima num. 16. motum aquæ, vel lapidis sursum ad replendum vacuum respectu corporis particularis esse totaliter violentum, & nullo modo naturalem ex Arist. 4. Cæli 39. & Scoto 3. distin. 27. §. *istæ rationes*, & 4. distin. 49. quæst. 13. H. quod si dicatur esse naturalem respectu naturæ universalis, innuit Vulpes, ultro id concedimus, sed argumentum non solvitur, cum procedat de violentia ut opponitur inclinationi naturæ particularis, non autem universalis. Itaque ad argumentum concedendum annihilationem fore utique violentiam substantiis separatis, immo potiori jure, quam rebus materialibus sit violenta corruptio, quia non solum violenter desinerent ea generali ratione, quia unumquodque ens appetit sui conservationem, sed etiam ex peculiari ratione suæ conditionis, quæ talis est, ut cum solo concursu generali Dei perennarent, quod substantiis materialibus convenire non potest, ex hoc autem non sequitur, quod non habeant intrinsecam non repugnantiam ad non esse, sed tantum quod non habeant ad hoc naturalem inclinationem, hæc enim sola excluditur per violentiam, non autem illa, sicut ex hoc quod aqua violenter recipit calorem, per talem violentiam excluditur ab aqua naturalis propensio ad calorem recipiendum, non autem capacitas, & simplex non repugnantia.

Tertio arguit idem Suar. Angelus non potest desinere per veram actionem, sed per solam illius negationem, ergo non est suapte natura defectibilis per potentiam sibi intrinsecam, quia omne possibile respicit positive aliquam potentiam, defectibile e contrario. Conf. quia defectibilitas Angeli provenit tantum ex potentia, & libertate Dei, unde si Deus necessario ageret ad extra, non posset Angelos suo esse privare, ergo non per potentiam realem intrinsecam Angelus dicitur defectibilis, sed per extrinsecam tantum Dei potentiam. Respondeo hæc argumenta, si valent, pariter probare de rebus materialibus, quod non sint defectibiles, & destruibiles per potentiam aliquam passivam intrinsecam, sed tantum per extrinsecam activam, nam nequit

nequit res ipsæ materiales desinere possunt per veram actionem, nam ut dictum est disp. 5. de gener. & corrup. nu. 39. corruptio in ratione destructionis non est peculiaris actio distincta a generatione, quæ fit per se destructiva rei, & si Deus ageret necessario ad extra, nedum substantias immateriales, sed materiales quoque necessario ad extra produceret, & conservaret nec posset illas suo esse privare. Ad argumentum itaque neganda est consequentia, ex illo enim antecedente solum sequitur, quod sit possibile de se, indifferens est ad esse, & non esse, ita respicit potentiam activam indifferentem ad actionem, & actionis suspensionem. Ad Conf. negatur assumptum, ad ejus probationem dicendum, quod sicut ex illa hypothesi etiam substantiæ materiales necessario fierent, & existerent necessitate petita a causa extrinseca producente, sed intrinsece retinerent adhuc suam defectibilitatem & corruptibilitatem, quatenus ex materia constarent, in qua talis defectibilitas fundatur, ita quoque substantiæ immateriales solum extrinsece essent necessariæ, & indefectibiles, ac intrinsece adhuc forent contingentes, & defectibiles, ea ratione, qua entia finita, & limitata, in qua limitatione, & finitate radicatur potentia logica, seu non repugnantia ad non, esse quam habet quodlibet ens creatum, & per quam constituitur formaliter in esse entis contingentis, ut distinguatur ab ente necessario.

QÆSTIO VII.

De Eod, & Diverso.

Quid, & quotuplex sit identitas, & distinctio.

140 Hæc erat alia, & præcipua passio complexa, seu disuncta entis, de qua nunc agendum est, ponitur autem passio adæquata entis, non secundum se, & solitarie sumpti, sed ut comparatur alteri ex 10. Met. tex. 10. ubi ait, idem, & diversum opponi immediate non quidem contradictorie, ut notavit Zerbius 10. Met. q. 5. quia sic conveniret tam enti, quam non enti; & tamen non ens non dicitur idem, nec diversum, sed contrarie, ideoque invenitur tantum hæc oppositio, ubi est ens, nam omne ens alteri comparatum, aut est idem, aut diversum ex Arist. cit. Tum quia oppositio quæ est inter idem, & diversum sequitur oppositionem, quæ est inter unum, & multa, quia identitas fundatur super unitatem, & distinctio supra pluralitatem 5. Met. cap. 15. at oppositio, quæ est inter unum, & multa, adæquatur enti, & non convenit non entibus, ut ait Arist. 10. Met. 9. Tum etiam quia quando membra disiunctiva sunt immediate opposita circa aliquod subjectum, necessario conveniunt, & adæquate illi subjecto, ideo enim numerus est par, vel impar, quia hæc membra circa numerum sunt immediate opposita, sed identitas, & diversitas sunt immediate opposita respectu entis, nam omne ens alteri comparatum, vel est idem cum ipso, vel diversum ab eo, ergo necessario, & adæquate enti conveniunt, sed non conveniunt simul, quia sunt opposita, ergo sub disiunctione. Tractavimus autem de identitatibus, & distinctionibus disp. 1. Log. q. 5. art. 2. quantum opus erat tyronibus noscere genera identitatum, & distinctionum pro faciliori captu rerum physicarum, immo & logicarum, sed quia altiorem indaginem petebat negotii moles, & rei dignitas, promisimus ibi hic in Met. eandem instituere disputationem sub altiori stylo, & rem totam a fundamento explicare, quod agendum jam nobis superest in ultima hujus Disput. parte, quam præ manibus habemus; hic autem præsertim tractabimus de per se identitatibus, & per se distinctionibus, modi namque distinctionis, & identitatis per accidens videri possunt apud Arist. 5. Met. c. de eodem, ubi de his satis dilucide tractat.

ARTICULUS I.

De natura Identitatis, & Distinctionis, ut sic.

NUmerum, & qualitatem Identitatum, & Distinctionum loco cit. in Logica quantum ad Logicum pertinebat, investigavimus, sed naturam, & formalitatem Identitatis, & distinctionis ut sic generatim, explicare non curavimus, assignatis ibi de causis, quia nimirum assignari non poterat ratio aliqua communis univoca ad identitatem realem, & rationis, & similiter ad distinctionem realem, & rationis. Attamen quia hic agitur de Identitate, & distinctione, ut sunt passiones entis, & consequenter, ut reales sunt, opus est investigare utriusque formalitatem, quæ postea applicari poterit ad Identitatem, & distinctionem rationis, sicut a toto genere essentia entis rationis explicari solet per analogiam, & proportionem ad ens reale, cujus instar concipitur. Rursus tractabimus de ipsis non in impressa significatione sumptis, quo pacto dicuntur fundari tantum in substantia, sed in ampliori significatione sumendo substantiam pro essentia, quo pacto per omnia prædicamenta vagantur, & sunt passiones entis transcendentes, ut diximus supra disp. 4. n. 32. & notat Doct. 1. d. 19. qu. 1. & Ant. And. 5. Met. qu. 14. in fol. ad 4. prius ergo formalitatem Identitatis investigabimus, subinde distinctionis.

141 Quoad identitatem aliqui videntur eam constituere in negativo, ac ita præsertim sentire videtur Mauritius noster in epitom. Formalit. ubi vult, quod distinctio formaliter consistat in aliquo positivo, nimirum in alietate, seu diversitate extremorum, identitas autem in negatione talis alietatis, eodem modo, quo disp. præc. Thomistæ dicebant multitudinem consistere in positivo, unitatem vero in negatione talis positivi, adeout sicut apud illos unitas non erat nisi negatio multitudinis, ita apud istos identitas non sit, nisi negatio distinctionis, & alietatis. Sed hic dicendi modus passim reiicitur, & Identitatem dicere aliquid positivum potest fere eisdem rationibus firmari, quibus loc. cit. idipsum de unitate probatum est, nam intantum aliqua dicuntur eadem, quatenus sunt unum, seu quatenus adunantur in aliquo esse, & in aliquo conceptu, cum ergo unitas quid positivum dicat ex superius dictis, sic etiam identitas, unde potius distinctio, quæ correspondet multitudini, deberet quid negativum præseferre, quam identitas, quæ correspondet unitati. Hoc etiam tenet, & probat Pasqual. tom. 2. Met. dist. 47. sec. 1. quia per illum ipsum ens constituitur idem per quod constituitur in esse, & per quod constituitur diversum ab alio, itaut præciso quocumque alio concipiatur idem, vel distinctum, ergo cum ex vi proprii esse habeat identitatem, erit etiam idem per aliquid positivum. Hæc tamen probatio non placet, quia identitatem nullo pacto distinguit ab entitate rei, quod est falsum, quia ad minus distingui debent, subjectum, & passio, tum quia entitas rei potest esse absoluta, sed formalitas identitatis est relativa, ut mox dicemus, & Pasqual. ibid. fatetur concl. 2. dum ait identitatem dicere formaliter aliquam rationem simplicitatis, & connotare extrema, quæ ex vi illius rationis in idem esse simplex coalescant. Statuendum ergo est Identitatem aliquid positivum dicere, etiamsi per negationem distinctionis soleat interdum explicari, sicut pariter Unitas quid positivum dicit, etiamsi per negationem divisionis, vel multitudi nis soleat explicari; & forte id etiam sensit Mauritius, quamvis Identitatem explicet per negationem alietatis. Et hoc denique insinuavit Arist. ipse 5. Metaph. tex. 16. dum ait, quod *identitas unitas quædam essentia est*, per quod significat proportionaliter discurrendum esse de unitate, ac de identitate, quia hæc fundatur in illa.

Cæterum adhuc est difficultas, an formalitas positiva, quam præfefert Identitas, sit absoluta, vel relativa, & aliqui censent esse absolutam, unde dicunt identitatem aliud non esse, quam unitatem alicujus, vel aliquorum in substantia, sicut similitudo est unitas aliquorum in accidente, quia sicut datur 5. Met. tex. 12. unitas numeralis, specifica, generica & analoga, ita datur identitas, qua aliqua dicuntur idem numero, aliqua specie, aliqua genere, & alia idem analogia; ita significavit Augustinus Musæus tract. de distinctionibus ad mentem Ægidii c. 1. Alij duplicem assignant identitatem unam absolutam, aliam respectivam, prima est, qua aliquid dicitur idem sibi ipsi, in tali enim identitate non involvitur relatio ad aliam rem; secunda est, qua plura sunt idem inter se ratione alicujus naturæ communis, quo sensu Petrus, & Paulus dicuntur idem in humanitate, nam in ratione hominis, ut sic, non distinguuntur, sed sunt idem, quam opinionem Scot. tribuunt Hervæus quol. 4. q. 2. Soncin. 10. Met. q. 5. Javell. ibid. q. 7. Suarez disp. 7. Met. sect. 7. Pasqualig. disp. 47. quorum tamen nullus locum assignat, ubi hoc dixerit Doct. Faber tamen 10. Met. disp. 5. quamvis fateatur nihil tale apud Scotum inveniri, putat nihilominus hanc esse sententiam ejus.

142 Dicendum est, identitatem formaliter sumptam, quæcumque sit, dicere conceptum relativum; Conclusio est Scoti 5. Met. qu. 11. ubi docet identitatem esse relationem, quia non potest concipi, nisi ut habitudo ad aliud, & quia denominat utrumque extremum, eodem modo subdit esse relationem æquiparantiæ; & manifeste innuitur ab Arist. 5. Met. tex. 20. ubi numerat identitatem inter relationes primi modi, quæ in unitate fundantur, dicens eadem dici, quorum substantia est una, nam sicut similitudo est convenientia in qualitate, ita identitas est convenientia in substantia; Probatur, quia aut unum dicitur idem cum alio, quia in uno aliquo communi prædicato conveniunt, aut quia est idem sibi ipsi, si primum jam palam constat, talem identitatem esse relationem, quia nequit concipi sine habitudine ad aliud; si secundum, adhuc talis identitas nequit concipi, & explicari, nisi concepto relativo, nam in ea identitate utimur, uno tamquam pluribus, ut docet Ar. 5. Met. 16 cum ait, *quare patet, quod identitas unitas quædam essentiæ est, aut plurium, aut cum ut pluribus utatur, ut puta cum dicit ipsum sibi ipsi idem, ut duobus enim ipso utitur*, ecce quomodo ad identitatem quoque illam, quam dicebant absolutam, requiritur pluralitas extremorum, quæ in unum esse coalescant, cum inquit, ut aliquid intelligatur sibi ipsi idem, deberi veluti in se geminari. Præterea identitas ex sui natura plura cogit in unum esse vel realiter, vel formaliter vel ratione, ergo ex sua ratione formali, debet inter plura versari in unum esse coadunatæ vel reale, vel formale, vel rationis, & ideo est formaliter relativa, non absoluta; Ex quibus patet identitatem esse formaliter relationem contra secundam opinionem, & non esse formaliter unitatem contra primam, quia unitas est quid absolutum, & ad se cum dicat indivisionem rei in se, at identitas est quid relativum. Tum quia identitas ex Arist. loc. cit. fundatur in unitate, ergo non est unitas formaliter, sed fundamentaliter tantum, quia identitas v. g. generica, vel specifica est convenientia plurium in eadem essentia, & substantia, sicut similitudo est convenientia in qualitate, & æqualitas convenientia in quantitate, sed istæ convenientiæ sunt formaliter relationes primi modi

di relativorum, ergo & ipsa identitas. Tum quia unitas de suo conceptu formali non dicit, vel connotat plura, inter quæ versetur, quia formaliter est indivisio rei in se, ut constat ex disp. præced. sed identitas dicit quidem eandem unitatem, sed prout est ratio coadunans plura in unum esse, unde necessario connotat plura inter quæ versetur per modum relationis, & habitudinis. Tum denique quia quæ sunt omnino idem, habent eadem opposita, at non sic est de unitate, & identitate, nam unitati opponitur multitudo ex 10. Met. tex. 3. identitati vero opponitur negatio identitatis, vel distinctio 4. Met. 21. ergo identitas non est formaliter unitas, licet in unitate fundetur, nec aliquid absolutum, sed relatio.

143 Neque divisio illa identitatis absolutæ, & relativæ apud Scotum haberur, ut dixi, sed tantum apud quosdam veteres Scotistas, ut apud Bonet, llb. 3. suæ Metaph. cap. 7. qui forte etiam eam identitatem, qua aliquid dicitur idem sibi ipsi, non dixerunt absolutam, quia re vera conceptum absolutum dicat, sed quia non est inter extrema aliquo pacto ex natura rei distincta, sed tantum per opus intellectus, quo utimur ut pluribus, quod est unum, unde involvit aliquid rationis; alioquin secundum rationem illa identitas est relativa ea relatione, quia idem refertur ad semetipsum, Sed Dices, quælibet res se ipsa est idem cum seipsa, vel cum alia, seclusa quocumque accidente, vel modo superaddito, ergo non est necessaria relatio ad hanc denominationem. Respond. ut alias dictum est in Logica, assumptum verificari fundamentaliter tantum, non autem formaliter, sic album ex seipso seclusa quocumque modo superaddito est simile alteri, non quidem formaliter, sed tantum fundamentaliter; & sic etiam intelligendus est Arist. cum loc. cit. dixit, identitatem esse quamdam essentiæ unitatem, intelligi, inquam, debet fundamentaliter, non formaliter, & ideo non dixit absolute identitatem esse unitatem essentiæ, sed quod, *identitas est unitas quædam essentiæ*, 5. Met. 16.

Quæ autem identitas, & quando sit relatio realis, vel rationis, considerandum est ex conditione extremorum, inter quæ versatur, an nimirum sint realia, ac realiter distincta, ut relatio realis postulare videtur, ut dictum est disp. 8. Log. qu. 7. ex Scoto 1. d. 31. qu. un. & quol. 6. per totum, juxta quam regulam identitas generica, vel specifica unius rei cum alia erit relatio realis, & realis identitas, ut docet Doct. 2. d. 3. q. 1. ratione sexta pro sua conclusione, sicut enim distinctio, & diversitas generica, vel specifica est relatio realis, quia habet extrema realia (ait Doct.) ita identitas est ob eandem rationem. Identitas vero numeralis non est relatio realis, sed rationis, & ratio est, quia talis est relatio, qualis est distinctio extremorum, inter quæ versatur, cum relatio sit habitudo inter duo extrema, unde si extrema sunt realia, & a parte rei distincta, relatio erit realis, sin minus, erit relatio rationis; cum igitur in identitate numerali non habeantur extrema a parte rei distincta, sed tantum ratione, quæ unum apprehendit, ut duo, dicendum est, non importare relationem realem, sed rationis; & sic etiam discurrere videtur nobiscum sentiens Soncin. 5. Metaph. quæst. 36.

144 Obiicies, quicquid est idem a parte rei, habet in se identitatem realem, quia sicut album a parte rei est tale per albedinem realem, ita quicquid est idem a parte rei, est tale per identitatem realem, sed Petrus dicitur idem sibi ipsi a parte rei, ergo per identitatem realem. Deinde identitas numeralis censetur omnium perfectissima, & maxima ergo non est identitas rationis, sed realis. Rursus si unum contrariorum est reale, etiam & reliquum, at distinctio, & identitas opponuntur contrarie, & distinctio numeralis est relatio realis; ergo & identitas. Denique identitas, & distinctio aut sunt passiones entis, aut modi divisivi ejus, ergo aliquid reale importare debent. Resp. ad 1. & 2. identitatem ejusdem ad seipsum dicit realem, & omnium perfectissimam, non quidem quoad veritatem relationis formaliter importatæ, cum ejusdem ad se nequeat esse relatio realis, quæ possit extrema realiter distincta, sed dicitur omnium perfectissima quoad veritatem fundamenti; sicut enim nulla major, veriorque unitas, quam ejusdem ad se reperiri potest, ita nulla major, veriorque identitas, quam ejusdem ad seipsum, quam solutionem perspicue docuit Scot 1. d. 31. qu. un. & quol. 6. ubi agit de relationibus communibus identitatis, æqualitatis, & similitudinis in divinis, quæ simpliciter reales sunt ratione extremorum realiter distinctorum, esto ratio fundandi sit simpliciter eadem numero in illis. Ad 3. negandum est identitatem, qua Petrus dicitur idem sibi ipsi, & distinctionem, qua secernitur a Paulo, esse oppositas, quia conveniunt eidem subjecto, sed illi identitati opponitur distinctio Petri a seipso, quæ distinctio non solum non est realis, sed est prorsus impossibilis, tum quia non valet assumpta paritas, qua distinctio numeralis habet extrema actu distincta, non sic identitas. Ad ult. negandum est pariter distinctionem realem, quæ est ab altero, & relationem importat realem sive prædicamentalem, sive transcendentalem, opponi identitati rei ad seipsam, nam potius opponitur identitati alicujus rei cum alia in aliquo utrique communi, quæ pariter est relatio realis.

145 Quoad distinctionem movetur eadem difficultas, quæ de identitate, an dicat rationem positivam, vel negativam. Et quidem Pasqualig. disp. 47. cit. sec. 2. asserit distinctionem formaliter sumptam esse quid negativum, & consistere in ablatione identitatis, cum enim identitas sit ratio positiva reducens aliqua in unum esse, distinctio e contra debet esse negatio illius rationis, ex cujus ablatione remanent res distinctæ, quæ ex vi illius reducerentur in unum esse, ita quoque Suar. disp. 7. sec. 1. Arriag. disp. 2. Met. sec. 4. Ovvied. controv. 4. Met. punc. 1. sic etiam sentire videtur Hurt. disp. 6. Met. sect. 1. ubi inquit ab initio, quod distinctio est unum conceptum non esse alium, & §. 3. definiens distinctionem inquit, quod est *essentia cujuscunque rei explicata per negationem alterius conceptus*, v. g. distinctio substantiæ ab accidente est essentia substantiæ explicata per negationem accidentis, distinctio autem accidentis a substantia est accidentis essentia explicata per negationem substantiæ, per quod videtur velle distinctionem unius rei ab alia dicere principaliter, & in recto propriam illius rei essentiam, ac entitatem, & connotare negationem alterius conceptus. Sic etiam discurrit Pasqualig. ait enim, quod licet distinctio formaliter consistat in negativo, & negationem importet identitatis, adhuc tamen fundamentaliter debet esse quid positivum, & addit ipse quoque hoc positivum, in quo fundatur negatio per distinctionem importata, esse ipsam rei entitatem, quatenus ex sua limitatione excludit a se esse alterius rei; unde Auctores isti in hoc conveniunt, quod distinctio supra puram rei entitatem nihil prorsus positivum addat, sed solam negationem identitatis cum alia re, differunt autem in hoc, quod Pasqualig. vult negationem identitatis esse formale distinctionis, Hurt. autem videtur velle, quod sit connotatum. Hinc Pasq. resolvens difficultatem inquit, dupliciter posse considerari distinctionem, fundamentaliter, & formaliter, fundamentaliter dicit id, in quo fundatur distinctio, seu ipsam rationem formalem distinguendi, & hoc est positivum ipsa scilicet, rei entitas, formaliter vero dicit rationem illam, per quam tollitur identitas, & hæc est sola negatio.

Probat autem Pasqualig. distinctionem dicere formaliter negationem, & ablationem identitatis, quia identitas, & distinctio ita opponuntur, ut se invicem destruant, stante enim identitate nullo pacto concipi potest distinctio, & e contra stante distinctione nullo pacto potest concipi identitas inter ea, quæ distincta sunt, cum ergo per distinctionem debeat tolli identitas, & ex negatione identitatis absque alio concipiatur distinctio, sequitur distinctionem esse aliquid negativum consistens in ablatione identitatis, Et hic discursus confirmari potest, quia eo ipso, quod aliqua intelliguntur non esse idem præciso omni positivo superaddito, intelligitur esse distinctio inter illa, ergo distinctio formaliter consistit in negatione identitatis. Deinde alio discursu probat Hurtad. cit. distinctionem esse propriam rei entitatem, quia unaquæque res per eundem conceptum, per quem constituitur essentialiter, distinguitur ab aliis, sed constituitur per suam entitatem, ergo & distinguitur, major patet per id, quod communiter dicitur, eadem esse principia constituendi, & distinguendi, unde per eundem conceptum, per quem est creatura, non est Deus; tum quia res quælibet ex vi sui esse habet, quod non communicet cum esse alterius, & eo ipso quod non communicat, distinguitur, unde sicuti per suum esse non communicat, ita per suum esse distinguitur. Confirm. ab aliis, quia si una essentia non distingueretur ab alia seipsa præcise, sed per aliquem modum superadditum, inquiri potest de illo modo, an sit quid distinctum ab ipsis rebus, an non, si est quid distinctum, rursus inquirendum est, per quid res ab ipso modo distinguantur, & sic aut deveniendum est ad aliquid, quod seipso distinguatur, aut procedendum in infinitum, quod si semel concedatur aliquid seipso distingui ab alio, jam habetur intentum, unam essentiam seipsa distingui ab alia, quod si concedatur de una, eadem erit ratio de omnibus. Dices, distinctionem non consistere in sola rei essentia, sed in essentia, & negatione alterius rei, itaut per negationem illam constituatur formaliter in esse distincto. Hoc gratis concedit Pasqualig. sed non concedit Hurtad. quia distinctio non est formaliter negatio, & rem esse distinctam proprie non est negatio, immo potius talis negatio oritur ex distinctione, quod probat, eo enim quod Petrus est Petrus, non est Paulus, & ex Petreitate sequitur negatio Pauli, Petreitas autem secundum se est alia a Paulitate, & ab equinitate. Conf. nam ut subjectum est prius, quam negatio in eo fundata, & habitus est prior privatione, ita prius intelligitur aer, & lux, quam negatio lucis in aere, sed in illo priori intelligitur aerem, & lucem esse duo entia, ergo ut distincta, antequam intelligatur unum habere negationem alterius. Hinc concludit, quod distinctio non includit formaliter negationem, sicut cæcus, sed est positivus conceptus rei, ad quem sequitur negatio alterius conceptus, quia in una re fundatur negatio, & contradictio alterius, & per hanc negationem, ut manifestiorem, solet explicari distinctio rerum; unde Hurt. quamvis ab initio sectionis videretur sentire distinctionem esse formaliter negationem, tamen in processu declarat esse formaliter quid positivum, scilicet puram rei essentiam, negationem vero esse quid extrinsecum consequens ad illam.

146 Dicendum tamen est, distinctionem proprie sumptam, ut est entis affectio, dicere rationem aliquam positivam, & hanc non esse absolutam rei essentiam præcise sumptam, sed relationem ipsi superadditam, vel realiter, vel formaliter, secundum quod est relatio prædicamentalis, vel transcendentalis. Conclusio colligitur ex Doct. 2. dist. 3. qu. 1. ubi in ratione sexta pro conclusione palam docet, distinctionem, & diversitatem esse quid positivum, & in entibus realibus dicere relationem realem, & sequuntur passim Formalistæ nostri in tract. Formalit. Dixi autem hoc intelligendum esse de distinctione proprie dicta, quia ut passim docent Formalistæ, distinctio potest dupliciter accipi, primo negative, ut coincidit cum non identitate, nam distinctio proprie est inter positiva extrema, ut enim nega-

negationes proprie non sunt, ita neque proprie distinguuntur, quia licet inter ens, & non ens sit maxima distinctio, nam opponuntur contradictorie, tamen quia non fundatur in uno extremo positivo, non dicitur positiva, sed negativa; secundo potest sumi distinctio positive, & sic est ratio positiva, sive realis, sive rationis inter duo extrema positiva, unde privatio distinguitur ab habitu negative, non positive. Hinc dicebat Tromb. in suis Formalit. ab initio § *ulterius est advertendum*, quod omnis distinctio est non identitas, & non e converso, quia non identitas latius patet, quam distinctio, cum etiam conveniat non enti, distinctio vero cum sit relatio positiva, præsupponit extrema positiva, & convenit tantum enti; ex quo deducit, quod inter negationem, & affirmationem, privationem, & habitum non potest intercedere distinctio, sed tantum non identitas, unde si quandoque invenitur, quod habitus distinguatur a privatione, aut affirmatio a negatione, hoc solum debet intelligi negative, quo etiam modo conceditur Sortem a Chimæra distingui negative, scilicet quatenus non est idem Chimæræ, sed positive nequaquam; Hinc ergo probatur distinctionem proprie dictam dicere rationem positivam, nec sufficienter explicari per puram negationem identitatis, quamvis hæc negatio supponatur distinctioni, nam distinctio solum convenit enti, illa vero negatio competit tam enti, quam non enti, ut dictum est, ergo distinctio non est pura non identitas.

Respond. Pasqualig. concedendo distinctionem, qua scilicet ens distinguitur a non ente, seu negationibus non esse veram distinctionem, hoc autem inquit non ex eo provenire, quod formalitas distinctionis proprie dictæ sit positiva, sed quia ad constituendam distinctionem non sufficit una res, sed requiruntur saltem duo extrema, quorum utrumque habeat proprium distinctivum, ratione cujus incommunicabilia quoad esse reddantur, at si aliquod extremum positivum cum non ente, aut negatione comparetur, aut duæ negationes inter se, tunc extrema illa negativa nullum habent esse, secundum quod distinguantur, & consequenter non habent formale distinctivum, unde nullo modo potest intervenire propria distinctio. Hæc solutio, si bene expendatur, concedit totum, quod intendimus, cum enim inquit ad constituendam distinctionem proprie dictam duo extrema positiva requiri, per hoc manifeste concedit habitudinem unius ad aliud importatam per distinctionem esse habitudinem positivam, & non simplicem negationem identitatis, quia hæc simplex negatio identitatis bene reperitur inter ens, & non ens, ut omes concedunt. Tum quia si conceptus formalis, & essentialis distinctionis est negativus, non autem positivus, ut contendit Pasqualig. ad quid versari debet inter extrema positiva? cum ergo nequeat intercedere, nisi inter extrema positiva ex ipsius confessione, argumento est distinctionem dicere conceptum positivum, & non solam rationem negativam. Conf. quia habitudo, quæ necessario petit extrema positiva, est habitudo positiva, si ergo distinctio suapte natura postulat versari inter extrema positiva, concludendum est distinctionem importare habitudinem positivam, non autem negativam explicatam per solam non identitatem.

147 Deinde principaliter arguitur ad idem, dissimilitudo præter negationem unitatis in qualitate est ratio positiva consequens ad negationem illam, ergo a pari in proposito distinctio præter negationem identitatis unius essentiæ cum alia addit aliquid positivum, antecedens patet, quia negatio similitudinis inter album & nigrum non sufficit ad formalem denominationem dissimilitudinis inter illa, quia talis negatio etiam reperitur inter albedinem, & chimæram, albedo siquidem non est similis chimæræ, non tamen dicitur dissimilis ab ea, sicut dissimilis dicitur a nigredine; Probatur consequentia, nam distinctio opponitur identitati, ut dissimilitudo opponitur similitudini, & sicut præter unitatem in qualitate datur similitudo, ita præter unitatem in substantia, seu essentia datur identitas. Conf. quia non identitas non est formaliter distinctio, ergo hæc non sufficienter explicatur per illam etiamsi illam præsupponat, probatur assumptum, quia non identitas in aliquo signo alicui competit, pro quo non competit ei distinctio, nam idem, & non idem sunt contradictoria, idem autem, & diversum contraria, at oppositio contradictoria, est prior oppositione contraria, cum ab ipsa præsupponatur, & per consequens potest alicui competere esse idem, vel non idem prius, quam esse idem, vel diversum. Tum quia si humanitas abstrahatur ab omni entis passione, & ab omnibus propriis passionibus, certum est quod humanitas sic abstracta, seu in tali statu præcisionis non dicitur formaliter distincta a lapide, quia hic est status puriſſimæ quidditatis, unde in eo signo nequeunt de ipsa enunciari, nisi prædicata per se primi modi, & ideo distinctio, cum sit entis passio, nequit ei pro eo signo convenire, sed adhuc tamen in ea præcisione, & abstractione humanitas dicitur non eadem lapidi, ergo distinctio non est formaliter non identitas unius rei cum alia, esto eam præsupponat. Dices, humanitatem in tali statu præcisionis sicut dicitur non eadem lapidi, ita pariter dici posse distinctam ab ea. Contra, quia jam oppositum probat argumentum, nam de re in tali statu præcisionis enunciari nequeunt, nisi prædicata primi modi, qualis non est distinctio, & ne fiat cavillatio de humanitate in abstracto, accipiamus chimæram, chimæra namque non est eadem Petro, & tamen nequit dici differre, seu distingui a Petro, ergo non identitas non est formaliter distinctio, & alicui potest illa competere, cui non convenit ista. Dices rursus, chimæram, sicut dicitur non eadem Petro, ita dici posse ab ipso differre, vel esse distinctam. Hoc refutatur ex parvis logicalibus in explicatione verbi *distinguitur*, seu *differt*, quia hæc propositio, Socrates differt a Platone, sic exponitur, Socrates est, & Plato est, & Socrates non est Plato, si ergo vera est hæc propositio, chimæra differt a Petro, sic explicari debebit ex regulis logicalibus, Chimæra est, & Petrus est, & Chimæra non est Petrus, ergo differt, & distinguitur a Petro, at evidenter constat falso dici de Chimæra, quod sit, ergo etiam falso dicitur Chimæram differre, seu distinctam esse a Petro. Hinc patet, quomodo distinctio se habeat ad negationem identitatis, nam non identitas latius patet distinctione, & est quid superius ad eam, nam omne distinctum est non idem, sed non e contra, chimæra namque est non idem Petro, & tamen proprie non distinguitur, vel differt a Petro,

148 Secundo probatur, distinctionem non esse puram rei essentiam absolutam præcise sumptam contra Hurtad. qui definiebat distinctionem esse formaliter cujusque rei essentiam explicatam per negationem alterius; Probatur (inquam) quia essentiæ rerum secundum se non sunt relativæ, & ideo debet addi forma relativa, per quam referantur ad aliud, sed per distinctionem una res refertur ad aliam, tamquam ab ea diversa, ergo distinctio formaliter non est absoluta rei essentia. Tum quia id, quod distinguitur ab alio, & id per quod distinguitur, tanquam per principium distinctivum, non est formaliter ipsa distinctio, nam quod distinguitur, est concretum habens ipsam distinctionem, non vero ipsa distinctio in abstracto, & id per quod distinguitur, est principium, & radix ipsius distinctionis, non autem ipsa distinctio, ergo neque essentia, nec principium formale constitutivum essentiæ est formaliter ipsa distinctio, nam essentia est concretum, quod distinguitur, & principium constitutivum ejus est radix, & origo distinctionis, & ratio fundandi ipsam distinctionem, non autem ipsa distinctio. Demum essentia secundum se neque præcise fundat distinctionem, neque identitatem, sed hanc, vel illam fundat ex comparatione ad diversos terminos, quia respectu termini, cum quo convenit in aliquo, fundat identitatem, & respectu alterius distinctionem, ergo essentia formaliter non est distinctio, nam quæ conveniunt essentiæ secundum se, semper ei conveniunt, cuicumque termino comparetur.

Respond. Hurtad. essentiam non esse distinctam, nisi connotata negatione identitatis unius cum alio, per quam explicatur distinctio, nam substantiam ab accidente distingui explicatur per hoc, quod substantia non est accidens. Contra, si substantia se concepta non explicat, nec importat distinctionem sui ipsius a quocumque alio, sed tantum ut subest negationi identitatis, ergo non essentia, sed negatio ipsa erit formaliter distinctio, probatur consequentia, quia illa est ratio formalis rei, qua posita, & omni alio ablato, ponitur res, & qua ablata, omni alio ablato posito aufertur, sed posita negatione ablato per impossibile omni alio ponitur distinctio, & contra ablata negatione posito omni alio non ponitur distinctio, ergo ratio formalis distinctionis erit negatio identitatis, non autem ipsa rei essentia sub negatione concepta. Conf. quia negatio non explicat rationem formalem essentiæ, ut sic, sed ut distinctæ, ergo negatio potius erit formaliter distinctio, probatur consequentia, nam quia disgregativum visus non explicat essentiam hominis, ut sic, sed ut albi, ideo dicitur esse ratio formalis non hominis, sed albi. At inquit Hurtad. negationem non esse rationem formalem distinctionis, sed potius ab ea oriri, & esse effectum ejus, ex eo enim quod Petrus est Petrus, sequitur non esse Paulum. Contra, quia potius oppositum est verum, nimirum negationem identitatis præsupponi distinctioni, ut supradictum est, non e contra, & licet verum sit, negationem illam oriri, & fundari in principio constitutivo, & distinctivo, non tamen oritur ex ipsa formali, & actuali distinctione, neque id probant ejus rationes, ut mox dicemus.

149 Tertio probatur distinctionem esse rationem positivam respectivam, quæ erat alia conclusionis particula, ex Mair. 1. dist. 8. quæst. 1. art. 1. & tract. Formalit. quia per suam rationem formalem est ad aliud, cum sit ratio formalis distinguendi, non quidem idem a seipso, sed ab alio; quod adeo verum est, ut Hurtad. ipse hoc tandem fateatur loc. cit. dicens vehementer inclinare in sententiam asserentem distinctionem formaliter consistere in duobus entibus, nam distinctio est ad aliud, nil enim distinguitur a seipso, sed ab alio, unde concludit ratiocinandum esse de illa, sicut de relatione. Tum quia, quando opposita possunt alicui convenire in ordine ad diversa, tunc illa sunt relativa, ut patet de magno, & parvo, nam faba respectu milii est magna, respectu nucis parva, sed talis est distinctio opposita identitati, nam rationale est idem realiter cum animali, & est realiter distinctum a lapide. Tum quia distinctio oppositur identitati non pure contradictorie, quia contradictio non exigit extrema positiva, ut postulat distinctio, neque contrarie in rigore, quia contraria sunt invicem activa, vel ex activis oriuntur, ergo relative. Tum quia hic concurrunt omnia ad relationem requisita, concurrunt enim utrinque extrema positiva, ratio fundandi, quæ est negatio unius ab alio, vel potius pluralitas rationum in utrisque, & tandem relativa denominatio, ergo nihil deest ad relationem requisitum. Tum demum, quia ita se habet distinctio ad extrema pluralitas, ut dissimilitudo ad extrema pluralitas secundum qualitatem, sed hæc est ratio respectiva, ergo

ergo &c. Dixi autem hujusmodi relationem importatam per distinctionem esse realiter, vel formaliter dumtaxat superadditam, nam datur aliqua distinctio, quæ est relatio transcendentalis, ac rei realiter identificata, & talis præsertim est distinctio, quæ dicitur entis passio; datur etiam distinctio, quæ est relatio prædicamentalis, & purum rei accidens, quia adest & abest præter subjecti corruptionem, ut distinctio, qua ego distinguor a Petro verbi gratia existente, quo defuncto, præne etiam illa distinctio, & talis distinctio dicitur esse aliquid superadditum essentiæ rei, nedum formaliter, sed etiam realiter. Demum pro complemento nostræ conclusionis addendum est ex Mairon. cit. distinctionem esse relationem disquiparantiæ, sicut enim similitudo, æqualitas, & identitas dicuntur relationes æquiparantiæ, quia in utroque extremo fundamentum habent ejusdem rationis, ita dissimilitudo, inæqualitas, & distinctio dici debent relationes disquiparantiæ, quia in utroque extremo fundamentum habent diversæ rationis. Dices individua, quæ sunt sub eadem specie, esse ejusdem rationis, & tamen inter ea est distinctio, ergo non est relatio disquiparantiæ. Resp. ex Mairon. cit. individua, ut sunt ejusdem speciei, non fundare relationem distinctionis abinvicem, sed identitatis specificæ, fundant autem distinctionem, ut sunt diversa individualiter.

150 Ex dictis autem hactenus patet, quid dicendum ad rationes Pasqualig. & Hurtad. positas num. 145. falsum enim est, quod assumebat Pasqualig. in suo discursu, negationem scilicet non identitatis solam posse præstare effectum formalem distinctionis, ut enim constat ex dictis num. 147. quibusdam competere potest non identitas, quibus non convenit distinctio nec distinctionis effectus, qui est positivus, nec illa negatio sufficit ad denominationem formalem relativam distinctionis, sicut neque negatio pura similitudinis inter qualitates sufficit ad formalem denominationem dissimilitudinis, negatio namque bene præstare potest denominationem formalem negativam, non tamen positivam, cujusmodi est denominatio formalis facta per distinctionem, & dissimilitudinem; igitur eo ipso, quod intelliguntur aliqua non esse idem, intelliguntur quidem distincta, & fundamentaliter, & formaliter negative, non tamen formaliter positive. Facile etiam ex dictis, inquam, occurritur Hurtad. aliud enim est, ut ajebam num. 148. principium constitutivum rei esse quoque principium distinctivum, aliud autem, quod sit formalis, & actualis ipsa distinctio; primum est verum, & axioma in omni schola concessum, non autem secundum, unde totus, ac integer ille discursus Hurtadi nil aliud probat, quam unam rem ab alia distingui per suam essentiam, quatenus ipsa est origo ipsius formalis distinctionis, & distinctio in ipsa fundatur, non autem tamquam per ipsam formalem distinctionem. Confirmatio autem, quæ addebatur ex aliis, non facit specialem in hac re difficultatem, sed pariter militat contra omnes modos rebus superadditos, potest namque idem argumentum formari contra modum unionis, actionis, &c. nam vel unio seipsa unitur, media alia unione, & actio vel seipsa producitur, vel media alia productione, ad quod argumentum sæpius dictum est in Physicis ad habendas formales denominationes necessarios esse modos superadditos, nec dari posse processum in infinitum, quia in denominatis, & denominantibus tandem deveniendum est ad aliquid, quod sit ita Quo, ut nequeat esse Quod; & præsertim ad hanc rationem in terminis dictum est disp. 8. Log. quæst. 3. art. 2. respondendo ad 3. princ. deductum ex absurdis in solutione ad 4. absurdum de processu in infinitum in relationibus distinctionis, & diversitatis. Neque aliud argumentum cum Confirmatione, quo Hurtad. probare contendit negationem identitatis oriri ex distinctione, sufficienter probant, quamvis enim ex eo quod Petrus est Petrus, sequatur non esse Paulum, non tamen hinc bene deducitur, negationem oriri ex distinctione, sed tantum oriri ex principio constitutivo, & distinctivo rei, & in ipso fundari, non autem confundi debent, ut sæpe dictum est, principium essentiale distinctivum, & ipsa formalis distinctio, neque aliud probat argumentum Hurtad. Ad Conf. quoque patet ex dictis n. 147. duo entia invicem collata prius concipi, ut non eadem, quam ut distincta, quia idem, & non idem contradictorie opponuntur, idem autem, & diversum contrarie, oppositio autem contradictoria inter aliqua duo præcedit contrariam, atque ideo aer, & lux in illo priori concipiuntur, non eadem, & postea distincta.

151 Sed in contrarium duæ adhuc obstant difficultates, Una probat distinctionem non dicere formalitatem positivam, sed solam negationem identitatis, nam sicut identitas correspondet unitati, & in unitate fundatur, ita quoque distinctio divisioni ac multitudini, nam in multitudine fundatur, sed divisio ex dictis disp. 5. n. 50. non dicit aliquid positivum, sed solam negationem unitatis, ergo sic etiam in proposito distinctio non dicit aliquid positivum, sed solam negationem identitatis. Altera probat non esse formalitatem relativam, relatio namque supponit extrema distincta, quia idem ad seipsum non refertur, si ergo distinctio est relatio, supponit distinctionem extremorum, & sic dabitur processus in infinitum. Resp. ad 1. quod sicut identitas licet unitatem consequatur, & in unitate fundetur, longe tamen diversam habet ab unitate naturam, quia conceptus unitatis est absolutus, identitatis relativus, unitas ex sua ratione formali excludit pluralitatem, identitas plura supponit, & inter plura versatur, ut tamen in unum, & idem esse coadunata, sic pariter distinctio licet divisionem, & pluralitatem sequatur, & in pluralitate fundetur, non tamen est ejusdem omnino rationis, cum divisione, & pluralitate, quia distinctio proprie dicta importat diversitatem positivam inter aliqua plura in peculiaribus rationibus eorum fundatam, unde aliqua esse invicem distincta, vel diversa dicit formaliter positivum quid, quia in tali esse constituuntur per proprias rationes positivas; sed aliqua esse inter se divisa, & separata non dicit quid positivum, quia in tali esse sufficienter intelliguntur per solam ablationem unitatis, vel unionis inter illa, ut constat de partibus continui, quæ sufficienter intelliguntur abinvicem solutæ, & diversæ per solam ablationem indivisibilis continuativi. Vel brevius dicendum paritatem allatam de divisione, & distinctione convincere solum de distinctione negativa sumpta pro simplici non identitate, hæc enim utique imitatur omnino naturam divisionis, nam sicuti dicit solam unitatis negationem, ista distinctio in præsato sensu dicit solam, & simplicem negationem identitatis. Ad 2. inquit Mairon. sufficere, quod distinctio supponat extrema fundamentaliter distincta; quod si contendas, relationem supponere extrema formaliter, & actualiter distincta, & non fundamentaliter tantum, tunc dicendum, relationem vel supponere extrema ita distincta, vel saltem ipsa formaliter constituere in esse tali, & hoc peculiariter convenit relationi per distinctionem importatæ, quia ipsa constituit extrema, inter quæ versatur, formaliter, & actualiter distincta; eo fere modo, quo Doctor explicat propositionem illam quol. 4. quod actiones sunt suppositorum, vel quod actio præsupponit suppositum, unde deducebatur Patrem in divinis constitui non posse in esse Patris, per actionem generativam, inquit enim respondendo ad argumentum principale lit. Y. quod actio vel est suppositi præexistentis, vel suppositi per ipsam formaliter constituti.

Hinc tandem quæri solet, an inter idem, & diversum detur medium, & ratio dubitandi est, quia idem, & diversum ex 10. Metaph. tex. 11. non opponuntur contradictorie, si enim sic opponerentur, alterum eorum posset verificari de non ente, quod tamen falsum est, quia non ens non est idem, nec diversum, ut ibi exponit Alensis, quia ergo non contradictorie, sed potius contrarie opponuntur, quatenus utrumq; dicit rationem positivam, ut constat ex dictis, & inter contraria interdum solet dari medium vel per abnegationem extremorum, vel per participationem, ideo quæritur, an inter ea detur medium. Antequam veniam ad resolutionem quæsiti, præmittendum est P. Fabrum 10. Metaph. disp. 6. examinasse hanc quæstionem omnino coincidere cum illa: An inter distinctionem realem, & rationis detur distinctio media, quæ nec sit realis, nec rationis, & quia Scotistæ talem distinctionem mediam admittunt, quam appellant formalem, vel ex natura rei, Thomistæ vero negant, ideo facit in hoc quæsito Thomistas stare pro parte negativa, Scotistas autem pro affirmativa, quam etiam ipse postea amplectitur, & probat inter idem, & diversum dari medium, quia datur distinctio media inter distinctionem realem, & rationis. Cæterum toto, pace sua, aberrat Cælo, nam luce clarius constat, quæstiones illas esse prorsus diversas, & nequaquam coincidere, cum enim quæritur, an inter idem, & diversum detur medium, tunc comparantur ad invicem identitas, ut sic, & diversitas, seu distinctio, ut sic; sed cum quæritur, an inter distinctionem realem, & rationis detur distinctio media, tunc non confertur identitas cum distinctione vel e contra, sed confertur distinctio cum alia, una nempe distinctio realis cum distinctione rationis: Item cum quæritur, an inter idem, & diversum detur medium, sensus quæsiti est, an possit dari aliquid, quod cum alio comparatum, nec sit idem cum eo, nec diversum ab eo; & cum quæritur, num detur distinctio media inter realem, & rationis, sensus est, an detur aliqua distinctio, quæ proprie nec sit realis, nec rationis, sed minor illa, & major ista: ac ideo veluti media inter illas, ex quibus patet, revera Fabrum non percepisse statum quæstionis.

152 Pro decisione quæsiti plura forte, quam opus sit, dicunt Thomistæ, ut Soncin. 10. Met. q. 6. & Javell. ibid. q. 8. & alii passim. Breviter notandum est, quod differens, & diversum aliquando sumuntur in lata significatione, & sic invicem confunduntur, ac unum sumitur pro alio, alio modo sumuntur presse, & in rigore, & sic secernuntur eo modo, quo docet Aristot. 5. Metaphys. c. 9. & 10. Met. tex. 12. & cum ipso Scotus 1. d. 3. qu. 3. §. *ad quæstionem igitur*, nam differentia dicuntur, aliquid idem entia, idest, aliquo sui quidditative convenientia, & aliquo disconvenientia, ut homo, & equus, qui conveniunt in animali, & differunt per rationale, & irrationale; diversa vero dicuntur, quæ in nullo quidditative conveniunt, sed se totis differunt, quod præsertim intelligi debet de conceptu adæquato, & in aliqua realitate fundato, nam forte in conceptu aliquo inadæquato nil vetat convenire posse, quo pacto ultimæ differentiæ dicuntur primo diversæ, ne detur processus in infinitum, ut docet Doctor loc. cit. & Alensis 10. Met. in tex. cit. 12. Si ergo diversum proprie, & in rigore sumatur, tunc inter idem, & diversum datur medium veluti per participationem extremorum scilicet differens, etenim differens quodammodo mediat inter idem, & diversum in rigore sumptum participando utriusque rationem, quia aliquo sui convenit cum alio, & sic est idem cum eo, & aliquo sui discriminatur ab eo, & sic est ab illo diversum.

Si vero diversum fuse sumatur, ut in communi modo loquendi, quo pacto coincidit cum differenti, & distincto, tunc rursus distinguendum est, quod idem, & diversum, seu distinctum possunt simul dupliciter, vel positive, ut nimirum dicunt relationes oppositas identitatis, & diversitatis, vel pure negative, ut idem perinde sit ac non diversum, & diversum perinde, ac non idem; si secundo modo sumantur, cum in eo sensu opponantur contradictorie, & oppositio contradictoria nullum admittat medium, neque per abnegationem extremorum, neque per participationem, consequenter asserendum est inter idem, & diversum sic sumpta nullum prorsus dari medium, quia contradictio est oppositio, cujus secundum se non est dare medium, unde Petrus sive cum Paulo comparetur, sive cum chimæra, dicitur diversus ab illis, idest non idem, & omne ens respectu non entis, vel non ens respectu entis vel est idem, vel non est idem; si autem idem & diversum positive sumantur, tunc rursus distinguendum est, quia vel fit comparatio entis cum ente, vel cum non ente, in prima comparatione nullum potest dari medium; & ideo dixit Arist. 10. Met. tex. 11. omne ens alteri comparatum necessario vel esse idem cum eo, vel diverso ab illo, in secunda autem comparatione potest assignari medium per abnegationem extremorum, quia sumendo idem & diversum positive, Petrus respectu hircocervi nec est idem, nec diversum, ab eo, nec hircocervus est idem, vel diversum a Petro, sed tantum non idem, itaque constat in quo sensu dixerit Arist. 10 Met. 11. idem, & diversum immediate opponi, & omne ens alteri comparatum esse idem, vel diversum, loquitur enim de eodem, & diverso positive sumptis, & de comparatione unius entis ad aliud ens, non autem ad non ens.

153 Sed hic urgeri solet molesta difficultas, quia Petrus, & Paulus sunt inter se diversi, aut ergo eadem diversitate, aut diversi non eadem, quia alia est diversitas Petri a Paulo, & alia diversitas Pauli a Petro, cum habeant alios terminos, & alia fundamenta, si autem illæ diversitates sunt abinvicem diversæ rursus aliis diversitatibus erunt diversæ, & tunc redit idem argumentum de illis diversitatibus, ergo falsum est, quod omne ens alteri comparatum sit idem, vel diversum; Camerarius q. 9. log. ad evitandam hanc difficultatem negat distinctionem, & diversitatem dicere relationes reales asserens esse tantum negationes identitatis, quod satis constat ex dictis esse falsum; Qui negant unam relationem posse fundari super aliam, dicunt quod diversitas Petri non est diversitas Pauli, nec ipsæ sunt diversæ inter se per aliam diversitatem, ne detur processus in infinitum, sed sunt, quo Petrus est diversus a Paulo, & quo Paulus est diversus a Petro, unde dicunt, quod ad salvandum Arist. dictum sufficit, quod omne ens comparatum alteri enti sit idem, vel diversum, vel sit ipsa identitas, & diversitas, quo aliquid dicitur idem vel diversum, ita Javell. loc. cit. Nobis autem concedentibus unam relationem posse super aliam fundari disp. 8. Log. q. 5. art. 2. aliter dicendum est, nimirum diversitates illas Petri, & Pauli etiam inter se diversas esse aliis relationibus, quo pacto autem non detur processus in infinitum, dictum est ibi in solutione ad quintum, ubi propositum fuit, & solutum hoc argumentum in terminis; vide ibi, quia alias dicta repetere piget. Hic etiam quæri solet, utra sit prior identitas, vel distinctio; sed facile respondetur distinctionem esse posteriorem identitate, & unitate, ratio est, quia unitas, & identitas involvitur in ipso esse rei, & sicut distinctio supponit esse rei, quod distinguitur, ita etiam supponit unitatem, & identitatem.

ARTICULUS II.

De numero Identitatum, & Distinctionum.

154 TOt, adeoque variæ extant de hac re sententiæ, ut unaquæque schola peculiari idiomate de hac materia loquatur, nec una conveniat cum alia, unde cujusque scholæ sectatores proprium compilarunt tractatum de Identitatibus, & Distinctionibus juxta principia suæ scholæ; ita Bartholomæus Manzolius peculiarem edidit tractatum de formalitatibus ad mentem D. Thomæ, ac etiam Aquarius. Augustinus Musæus pariter tractatum fecit de distinctionibus ad mentem Ægidii, Antonius quoque Sirectus eruditissimum compilavit tractatum de formalitatibus ad mentem Scoti, quem commentando secuti sunt Tromb. Vallon. Maurit. Laurentius Brixiensis, Aretin. Doduer. Pistorines. Franciscus de Roy, & alii etiam de formalitatibus scripserunt in nostra schola Mairon. ad finem suæ Theologiæ, Bonet. lib. 3. suæ Met. Zarb. ad finem Metaph. Faber ad finem suæ Philosoph. Stephanus Burlifer in proprio de hac re tractatu; ac denique Petrus Thomas. Præterea Achillinus tractatum de Distinctionibus composuit ad mentem Averrois, cujus ipse sectator erat, & Nominales denique Ocham, Gabriel, Gregorius, & Aureolus peculiarem tradiderunt sententiam de Identitatibus, & distinctionibus, quarum scholarum varios dicendi modos in hac re breviter referre juvabit; resolvendo postea quid nobis videatur dicendum secundum veritatem, & Scoti doctrinam.

Thomistæ duo tantum assignant genera Identitatum, & Distinctionum, nimirum identitatem, & distinctionem realem, quæ talis est ut rebus conveniat a parte rei citra quodcumque opus intellectus, vel quia sunt una, & eadem res, vel quia important res diversas, quarum una non est alia; aliud genus est identitas, & distinctio rationis, quæ talis dicitur, quia non convenit rebus ex natura rei, sed per opus intellectus, quando scilicet intellectus circa idem objectum a parte rei in distinctum suo concipiendi modo format plures conceptus, & ratione talium conceptuum appellatur distinctio rationis; ita docent Hærvæus quol. 3. Cajet. 1. p. q. 54. ar. 2. Soncin. 7. Met. q. 36. Scot. in Log. q. 3. univers. & q. 2. de propr. Jand. 6. Met. q. 10. & alii Thomistæ passim, unde verum non puto, quod ait Zerbius loc. cit. referendo Thomistarum sententiam §. *Propter secundum*, dicens illos assignare multo plures modos identitatum, & distinctionum, quam realis, & rationis. Quamvis enim distinctionem rationis subdividant in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ fit ex mera intellectus negatione sine ullo fundamento ex parte objecti, ut cum idem distinguitur a seipso; & rationis ratiocinatæ, quæ fit cum fundamento a parte rei, quo pacto ajunt abinvicem distingui gradus Metaphysicos ut genus, & differentiam; attamen distinctionem realem non in alia subdividunt membra, ut bene adnotavit Averſa q. 5. suæ Philosoph. sec. 8. sed quicquid a parte rei distinguitur, quomodocumque distinguatur, dummodo sit actualis distinctio, & antevertens opus intellectus, dicunt distingui realiter, & quæcumque non ita distinguuntur, censent identificari a parte rei. Quinimo moderniores Thomistæ post Cajet. quamvis ut arguementis Scoticis, distinctionem formalem mediam inter realem, & rationis probantibus, satisfaciant, admittant distinctionem quandam virtualem, quæ licet non præcedat in rebus operationem intellectus formaliter, & actualiter, præcedit tamen virtualiter, ac fundamentaliter; non tamen admittunt hanc esse mediam inter distinctionem realem, & rationis immo nec pertinere volunt ullo pacto ad distinctionem realem, ut peculiare ejus membrum, sed omnino revocant ad distinctionem rationis, & volunt quod coincidat cum distinctione rationis ratiocinatæ, quare secundum Thomistas omnis distinctio vel est realis, vel rationis, nec aliud genus distinctionis, aut identitatis medium agnoscunt, quorum præcipuum fundamentum est, quia omne ens aut est reale, aut rationis, sed identitas, & distinctio sunt passiones entis, cum ergo passio proprium non excedat subjectum, omnis identitas, & distinctio vel erit realis, vel rationis. Conf. quia omnis distinctio vel est a parte rei præciso opere intellectus, & est realis, quia omne quod est a parte rei, est reale, vel non, sed ex vi intellectus cognoscentis, ergo est rationis, quia omne, quod non est, nisi per opus intellectus est ens rationis.

155 Nominales autem parum distant a Thomistis in hac materia de identitatibus, & distinctionibus, nam & ipsi dicunt omnem distinctionem vel esse realem, vel erationis; sicut omne ens vel est reale, vel rationis, ita conspicu docet Aureol. 1. d. 8. art. 4. §. *sexta autem*, & omnes unanimiter negant distinctionem Scoticam mediam inter realem, & rationis: imo ne argumentis Scoticis quicquam concedant, quidam eorum videntur expresse negare etiam distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ fit cum fundamento in re, cum nimirum formantur plures conceptus in mente, veluti dividendo objectum in plures formalitates, itaut non uno actu concipiatur adæquate quicquid est in objecto reali, sed tantum inadæquate, concipiendo unam rationem uno actu, & aliam rationem alio actu, quamvis tales rationes, quæ sic divisim concipiantur, sint a parte rei una simplex entitas; hanc, inquam, distinctionem rationis ratiocinatæ, quam ultro Thomistæ omnes admittunt, videntes negare, Nominales dicentes eam vel in solis nominibus, vel in solis quibusdam connotatis consistere, non autem in pluribus conceptibus objectivis de ipsa re, ita Ocham 1. dist. 2. qu. 3. Gabriel ib. Aliacens. qu. 7. art. 2. Andreas de Castronovo d. 32. q. 2. Gregorius 1. d. 8. q. 2. art. 1. & 2. ubi ait, quod cum aliquid per plures conceptus concipimus, pluralitas non est in objectis, sed in ipsis conceptibus, deinde subdit, quod distinctio attributorum non dicit id, quod supponitur in Deo, sed attenditur ratione extrinseci connotati; & sententiam Nominalium de distinctionibus in hoc sensu intelligunt, & amplectuntur Recentissimi Auctores Societatis, Hurtad. disp. 6. Met. sec. 4. quam etiam D. Tho. attribuit opusc 9. Arriag. disp. 5. Log. sec. 2. subsec. 2. Ovvied. controv. 4. Met. punc. 8. Pasq. tamen tom. 2. suæ Met. disp. 48. contendit mentem Nominalium non fuisse distinctionem rationis ratiocinatæ negare, de qua re nimis sollicitus esse nolo.

Ægidiani vero apud Aug. Musæum loc. cit. & Amicum trac. de variis Formalit. & Distinct. generibus diversa incedunt via, etenim primo dividunt distinctionem in genere in distinctionem innatam extremis, & distinctionem immediate fabricatam a ratione. Hæc dicitur, qua intellectus aut aliqua diversa diversis conceptionibus apprehendit, aut unum, & idem quasi diversa percipit, atque adeo utitur uno, ut pluribus, quæ non minus adæquatur enti, quam distinctio divisa, nam noster intellectus, ut potest ens reale, ita & ens rationis ad seipsum comparare, & sicut noster intellectus potest entia realia diversa, vel ut diversa apprehendere, ita potest entia rationis diversa. At distinctio innata est, quæ positis extremis statim innascitur, & desluit inter illa, ut v. g. posito Sorte, & Platone statim apparet inter eos distinctio, & similiter posita intentione generis, & speciei statim inter illa apparet distinctio. Deinde distinctio innata dividitur ratione extremorum, quibus innascitur, ut quædam sit consequens extrema realia, quædam extrema rationis, inter quæ hoc est discrimen, quod innata consequens extrema realia nullum supponit opus intellectus prævisum, vel concomitans, sed quæ consequitur extrema rationis, supponit opus rationis prævisum, per quod existunt extrema, sed non exigit opus concomitans, & immediate fabricans distinctionem, ut exigit distinctio fabricata, & hic dicitur esse a ratione mediate, scilicet per extrema, quæ sunt fundamenta,

& termini distinctionis. Tandem dividitur distinctio rationis in innatam extremis, vel fundamentis rationis, & immediate fabricatam a ratione, quæ conveniunt extremis, tam realibus, quam rationis.

156 Scotistæ veteres, qui & Formalistæ nuncupati sunt, hanc materiam de Identitatibus, & Distinctionibus profundius penetrantes septem assignarunt genera Distinctionum, ac totidem Identitatum. Prima dicitur distinctio rationis, quæ scilicet est ex vi intellectus, & fit per actum collativum rei vel ad seipsam, vel aliam, ut cum dicimus, Petrus est Petrus, Petrus a parte prædicari distinguitur a seipso a parte subjecti posito sola ratione, & non a parte rei. Secunda dicitur distinctio ex natura rei, & versatur inter ea, de quibus verificantur contradictoria ex natura rei, & præter opus intellectus, sic dicunt distingui definitionem, & definitum, nam unum est constitutum, aliud constituens superius, & inferius, nam superius præter opus intellectus est multiplicabile in plura, inferius vero non; multiplicabile autem, & non multiplicabile sunt contradictoria, sic etiam distinguunt modum intrinsecum a re cujus est modus, ut essentiam divinam ab infinitate, creatam a finitate, Petrum a sua differentia individuali, & albedinem a gradu intensionis ejus. Tertia dicitur distinctio formalis, & reperitur in unica re habente plures formalitates, quarum una diversam habet conceptibiliratem ab alia, & sic distinguunt plures potentias in eadem anima, subjectum, & passionem, perfectiones attributales in divina essentia, licet enim singulæ istæ formalitates sint in eadem re physica immersæ, quia tamen singulæ propriam habent conceptibilitatem sibi adæquatam, ideo inter se formaliter distingui dicuntur, quod de modo dici nequit respectu rei, cujus est modus, quia licet res sit conceptibilis sine modo, non tamen e contra, ut dictum est disput. 2. qu. 6. art. 1. Quarta distinctio dicitur realis, & est illa, quæ versatur inter plura, quorum unum entitative non est aliud, unde illa dicuntur distingui realiter, quæ sunt res, & res, & non aliquid rei, illa autem se habent, ut res & res, quorum unum existit sine alio, vel sic existere potest, vel saltem unum est producens, & aliud est productum, quia nulla res seipsam gignit, ut ait Aug. in lib. de Trin. illa autem dicuntur aliquid rei, quæ unica existunt existentia, nec se habent, ut producens, & productum, causa, & causatum, atque ideo fundare nequeunt realem distinctionem, sed tantum formalem, aut ex natura rei. Quinta distinctio dicitur essentialis, reperiturque inter illa, quæ vel diversas habent essentias, vel quorum unum non est de conceptu essentiali alterius; circa quam Formalistæ laborant, ut eam a distinctione reali secernant. Sexta distinctio dicitur subjectiva, sive se totis subjective, & versatur inter ea, quæ non conveniunt in aliqua realitate potentiali, & contrahibili per alias realitates ad ipsa, ut Deus, & creatura, cum enim Deus sit simplex, non est in eo ordo realitatum, quarum una contrahat aliam. Septima demum distinctio dicitur objectiva, sive se totis objective, & versatur inter ea, quæ in nullo conceptu reali quidditativo conveniunt, quo pacto ajunt distingui ultimas differentias. Hæ autem distinctiones sic se habent ad invicem, quod hæc ultima, cum sit major omnium, infert omnes alias, & penultima omnes alias præter ultimam, & sic ascendendo usque ad primam, non e contra. Contratio autem modo se inferunt identitates oppositæ præfatis distinctionibus, identitas namque rationis, ut major omnium, infert omnes alias, non e contra. Hic est communis dicendi modus Formalistarum antiquiorum, qui Magistro Formalit. adhæserunt.

157 Cæterum alii Scotistæ, & præsertim Recentiores militiam adeo copiosam Identitatum, & distinctionum reformarunt, & omnes ad ternarium numerum reduxerunt, nimirum ad distinctionem realem, formalem, & rationis, siquidem cæteræ faciles ad istas revocantur, nam distinctio ex natura rei, & modalis reducitur ad formalem, essentialis vero, subjectiva, & objectiva, ad realem; ita jam pridem docuit Burlifer in suo tract. Formalit. Bonet. loc. cit. Tatar. qu. ult. prædic. cap. 2. Faber tract. de Formalit. ubi probat ex Scoto distinctionem formalem non constituere genus distinctionis diversum a distinctione ex natura rei, ac ita passim sentiunt alii Recentiores Scotistæ Smisinch. p. 1. trac. 2. disp. 1. n. 58. Meuriss. lib. 2. suæ Met. cap. 3. 4. p. q. 4. Vulpes in summa to. 1. p. 1. disp. 8. art. 5. & 6. & tom. 3. disp. 59. art. 3. Poncius disp. ult. Met. tom. 3. sui Cursus. Saxius vero tom. 1. suæ Catast. disp. 7. q. 2. art. 4. inquit, quod si necessitatem usus spectemus, tria genera distinctionum tribus identitatibus correspondentium in rerum natura sufficiunt, nimirum distinctio rationis, ex natura rei, vel formalis, & realis; subdit tamen n. 67. quod si exactam rerum discriminationem spectemus, septem genera distinctionum, & totidem identitatum poni debent, quod probat reddendo sufficientiam illius septenarii num. hoc modo. Quæcumque differunt aut differunt penes rem, & rem, aut penes conceptum, & conceptum, penes rem, & rem hoc dupliciter, aut penes rem, & rem existentiæ, & sic est distinctio realis, aut penes rem, & rem essentiæ cum naturarum divisione, & sic est distinctio essentialis, si penes conceptum, & conceptum, hoc quidem dupliciter, aut penes conceptum tantummodo distinctum ex parte intellectus, & per ejus præcise actum collativum, sicque habemus distinctionem rationis, aut per conceptum ex parte rei, & hoc bifariam, aut ex parte rei absolute, & seipsa distinctæ, & hoc dupliciter, aut penes verificationem prædicatorum contradictoriorum præcise, & sic habetur distinctio ex natura rei, aut penes formalitatem, & formalitatem, vel quidditatem, & quidditatem, & hinc oritur distinctio formalis. Aut per conceptum ex parte rei per comparationem negativam ad aliquod commune, & hoc dupliciter, aut penes negationem convenientiæ in aliquo prædicato quidditative limitato, & ex hoc nascitur distinctio se totis subjective, aut penes negationem convenientiæ in aliquo prædicato quidditative sive limitato, sive illimitato, & hinc oritur distinctio se totis objective, quæ est inter illa, quæ sunt primo diversa in conceptu.

158 Recentiores autem Neutrales, qui tales appellantur, quia sunt alumni scholæ liberæ, & ut plurimum sunt Patres Societatis, triplex genus distinctionis assignant. Prima distinctio est realis, quæ aliter dici solet rei a re, & hæc est inter res omnino distinctas, quarum utraque simul, & actu possit conservari, rerum natura absque reali unione inter se, ut corpus, & anima, Petrus, & albedo illius, materia, & forma. Secunda distinctio est rationis, quæ non inest rebus, prout sunt in se, sed tantum prout substant conceptibus nostris, quam postea subdividunt in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ, ut faciebant Thomistæ. Tertia aistinctio est actualis a parte rei, & proprie dicitur modalis, quia scilicet reperitur inter entitatem rei, & modum illius, verbi gratia inter Petrum, & sessionem, inter accidens, & illius inhærentiam in subjecto, inter naturam, & subsistentiam, inter materiam, & unionem illius cum forma, dicunt enim præter entitates quasi radicales rerum dari modos aliquos positivos, qui entitatem præexistentem afficiant, ac determinent, non tamen addunt illi novam entitatem, cujus evidens signum est, quod per nullam potentiam esse possint in rerum natura, nisi actu conjuncti sint illi entitati, cujus sunt modi, adeout intrinsece, & essentialiter semper debeant esse alteri affixi, cui immediate uniuntur per se sine alio modo distincto, ut sessio sedenti, subsistentia naturæ. Constat autem hos modos actualiter distingui a parte rei, unde hæc distinctio modalis dici potest distinctio ex natura rei, non distinguuntur tamen, ut res a re, quia modi non sunt res, aut entitates, nisi late sumpto vocabulo rei pro omni eo, quod non est nihil; ubi nota modum hic non sumi generaliter, sic enim omne id, quod contrahit, vel determinat aliud, dici solet modus contracti, & determinati, & sic rationale dicitur modus animalis, sed accipitur pro imperfecta illa forma, quæ intime includit conjunctionem cum re, quam modificat; ita defendit Suarez disp. 7. Met. sec. 1. Aversa qu. 5. Philosoph. sec. 8. Morisan. disp. 1. Logic. quæst. 6. art. 1. Distinctionem postea realem varie subdividunt, sed præsertim in adæquatam, & inadæquatam; adæquate distinguuntur illa, quorum unum non includit aliud, non se habet ut totum, & pars, & ita secundum totam suam entitatem distinguuntur, inadæquate distinguuntur illa, quorum unum includit aliud, & se habent tanquam totum, & pars, & dicuntur distingui, tanquam includens, & inclusum, quia videlicet cum totum includat plures partes, distinguitur ab una parte ratione alterius partis, non vero ratio ne totius suæ entitatis, ideſt ratione cujuslibet partis, & hoc modo ajunt distingui compositum, & materiam, compositum, & formam, quantitatem bipalmarem, & palmum, & sic in aliis similibus. Itaque Auctores isti loco distinctionis formalis Scoticæ, quam non recipiunt, invehunt distinctionem hanc modalem, uti re vera mediam inter distinctionem realem, & rationis, ut enim bene notavit Pasq. disp. 51. sec. 1. n. 4. hanc distinctionem modalem agnoscunt, ut membrum immediate dividens distinctionem in communi, ut sic (sicuti Scotistæ agnoscere solent suam distinctionem formalem) non autem ut membrum quoddam distinctionis realis.

Alii vero Recentiores apud Amicum, quos ipse citat, & sequitur tract. de Dist. qu. 11. art. 3. libenter recipientes præter distinctionem realem, & rationis, distinctionem modalem in sensu Neotericorum jam explicatam, ac distinctionem etiam formalem Scotistarum, quatuor faciunt genera distinctionum. Prima dicitur distinctio rationis, secunda dicitur distinctio realis entitativa, tertia realis modalis, quarta realis formalis, quod probant a sufficienti divisione, nam omnia entia, quæ possunt distingui, revocantur ad quatuor genera rerum, quæ diverso modo participant existentiam, nam quædam licet nequeant participare realem, participant tamen objectivam, ut sunt entia rationis; quædam participant realem perfectam ex parte utriusque extremi, eo quod possint seorsim sumpta participare existentiam; quædam participant imperfectam ratione sui, non tamen ex parte extremorum, cum quibus identificantur, ut modi sive intrinseci, sive extrinseci rerum; quædam denique participare possunt existentiam imperfectam ex parte utriusque extremi, licet sit perfecta, ut sunt una entitas realis, & tales sunt plures formalitates metaphysicæ in eadem re physica per identitatem realem immersæ, ac imbibitæ, ergo erunt quatuor genera distinctionum; consequentia probatur, quia distinctio rerum sumitur in ordine ad existentiarum distinctionem, quia sic constituuntur omnia in ratione entis, ergo genera distinctionum debent sumi ex modis participandi existentiam; ita discurrit Amic. loc. cit. Restaret tandem referre modum dicendi Averroistarum, & aliorum Peripateticorum in hac materia de Identitatibus, & distinctionibus, sed quia nimia prolixitas in referendis aliorum placitis solet esse Lectoribus morosa, eos ad Achillinum remitto tra. præcit. & ad Pasq. tom. 2. Met. disp. 48. sect. 1. ubi varia Identitatum, & Distinctionum genera refert ex antiquorum Peripateticorum doctrina; tum quia quamplures sunt superfluæ, & reducuntur ad illas, quas mox assignabimus.

159 Pro resolutione quæsiti recolendum est, quod diximus disp.

disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. numerum distinctionum, ac identitatum dupliciter assignari posse, aut quoad capita generalia, aut quoad species, & gradus ad eadem genera reducibiles; si primo modo assignetur, nulli dubium est quod binarius numerus distinctionum, & identitatum, aut ad summum ternarius erit sufficiens, at secundo modo venando gradus distinctionum æque certum est esse multo plures, quam duas, vel tres; Sed quia cum quæritur in præsenti controversia, quot sunt genera identitatum, & distinctionum, sermo est de distinctionibus, quæ constituunt prima genera, & immediate dividunt identitatem, & distinctionem in communi, ut sic; & quia etiam rectus modus dividendi in scientiis est, ut prius ratio communis, in membra immediate se habentia distribuatur, deinde hæc ipsa membra subdividantur, si fœcunda fuerint, ideo diximus ibi, & idem nunc quoque confirmamus, duo dumtaxat esse prima genera distinctionum, ac identitatum, nempe identitatem, & distinctionem ex natura rei seu præter opus intellectus; & rationis, seu per opus intellectus, & hæc rursus subdividi in varias species juxta variam rerum, vel realitatum, aut conceptuum unitatem, vel pluralitatem, in quibus fundantur; itaque in proposito distinctio ex natura rei, seu præter opus intellectus subdividitur primo in distinctionem ex natura rei realem, & in distinctionem ex natura rei formalem, ut ex Scoto colligitur variis in locis 1. d. 2. q. 7. §. *sed hic restat*, & d. 8. q. 4. §. *ad quæstionem*, & 2. d. 1. q. 5. §. *ad quæstionem istam*, & d. 3. q. 1. & alibi frequenter, ratio hujus subdivisionis assignata est in Log. loc. cit. quia ex Arist. 5. Met. 18. identitas proxime fundatur super unitatem, & distinctio supra multitudinem, & pluralitatem; ergo tot modis dicetur distinctio ex parte rei, ac identitas, quot modis dicitur unitas, vel pluralitas, seu multitudo a parte rei; sed hæc est duplex ex Doct. 1. d. 13. qu. un. & 4. d. 46. qu. 3. ad 1 altera est pluraliras simpliciter, quia est pluralitas rerum, & super hanc fundatur distinctio ex natura rei realis, quæ talis dicitur absolute, & simpliciter; altera est pluralitas secundum quid, quia est pluralitas non rerum quidem, sed realitatum dumtaxat, seu formalitatum, & super hanc fundatur distinctio ex natura rei formalis, quæ nequit dici realis simpliciter, & absolute, sed tantum secundum quid.

160 Et quia tota difficultas, & dissensio Scholarum in hac materia de distinctionibus, & identitatibus orta ex varia acceptione Rei, & Realitatis, seu Formalitatis, quamvis hi termini fuerint sufficienter declarati in Logica, adhuc amplius illos enucleare placet, ut tollatur omnis abusus acceptionis illorum, & liquido constet, quomodo accipi debeant in sua propria significatione, & præsertim in Schola Subtilium, ut fundant distinctionem realem, & formalem. Variæ habentur acceptiones hujus termini Rei apud Scotum, & Formalistas, nam Doctor quol. 3. ab initio §. *De primo*, inquit hoc nomen *Res*, posse sumi tripliciter, communissime, & communiter, & strictissime, & in prima acceptione conveniunt etiam enti rationes, unde dici solet intentiones Logicas esse rationis, in secunda acceptione idem significat, quod ens reale, & absolutum; in tertia tandem significat ens reale, & absolutum & per se ens, quale est substantia. Deinde Trombet. ab initio sui Tract. Formalit. inquit, quod res tribus modis capi potest, scilicet pro re essentiæ, pro re existentiæ, & tandem pro re subsistentiæ. Rursus accipi potest res, ut contra modum rei distinguitur, quo sensu de re loquitur Doct. 2. d. 1. qu. 5. §. *quod si adhuc*, & quol. 3. loc. cit. in secunda acceptione rei, quam ibi meminit, ubi res accipitur pro ipsa veluti entitate radicali rei, quia dicit, & prædicat ipsum esse rei entitativum, modus autem est potius quædam circumstantia rei, & extrinseca ejus determinatio, quo pacto se habet sessio respectu sedentis, figura respectu quantitatis &c. & hanc solam rei acceptionem videntur Recentiores agnoscere. Demum res accipitur, ut distinguitur contra realitatam, & formalitatem, & in hoc sensu fundat distinctionem realem, prout a formali secernitur, sed adhuc dubium est, quid res significet in hoc ultimo sensu, prout a realitate, & formalitate (quas hic pro eodem accipimus dimittentes quorumdam subtilitares parum utiles) secernitur. Formalistæ passim per Rem, ut a realitate secernitur, intelligunt quamlibet entitatem per se primo, & immediate existentem, vel ita existere natam, & nomine Formalitatis intelligunt perfectionem, quæ est quidem conceptibilis sine alia formalitate, cum qua identificatur, ac neutra potest existere sine altera, quia integrant unam entitatem capacem existentiæ, qualis est perfectio generis, & differentiæ in homine, quæ ob identitatem realem in tertio nequeunt invicem separari, nec separata existere, quia neutra realitas propriam habet existentiam, sed ambæ existunt eadem hominis existentia.

Sed hæc explicatio rei, licet sit bona, & legitima, quia Res proprie dicitur in ordine ad existentiam, unde quicquid existit, vel existere potest per se, solitarie, & immediate, nulli dubium est, quod nomen Dei meretur in toto rigore, & realiter distinguitur a quocumque alio ente, quod sic se solo potest existere; immo hoc adeo verum est, ut Recentiores passim aliam legitimam Rei acceptionem non admittant, ut verum, & proprium fundamentum distinctionis realis. Attamen quia in schola nostra multa realiter distinguuntur, quæ non ita immediabemus, ut distinguitur contra formalitatem, & realitatem, quod autem in schola nostra multa realiter distinguantur, quæ non sunt apta immediate, & solitarie existere, constat de toto, & partibus, de relationibus prædicamentalibus in ordine ad fundamentum, item de materia, & forma in sententia Thomistarum, de subjecto, & passione, de anima suisque potentiis, nam juxta communem ipsorum hæc omnia abinvicem realiter distinguuntur, & tamen separari nequeunt, & separata seorsim existere. Tum quia si distinctio realis esset, quæ inter rem, & rem versatur in hoc sensu, tunc separatio vel separabilitas duorum, nedum esset sufficiens, sed etiam adæquatum signum distinctionis realis, quod falsum este constabit qu. seq. licet enim sit sufficiens signum realis distinctionis inter aliqua duo, non tamen est adæquatum, quia totum, & partes unitæ apud nos realiter distinguuntur, & tamen unum nequit fine alio existere, non ergo immediata, & solitaria existentia alicujus rei, quam in actu possideat, vel saltem per Dei potentiam possidere possit, constituit illam in esse rei, ut a formalitate, & realitate secernitur. Unde dicendum est, quemadmodum loc. cit. in Logica docuimus nomine Rei illud proprie intelligendum esse, quod per veram efficientiam, & physicam causalitatem accipit esse, sive solitarie possit existere, sive non, & ita se habent omnes physicæ entitates sivæ completæ, sive incompletæ, ut materia, & forma, omnia item accidentia, sive absoluta, sive respectiva, hæc enim omnia vere sunt entia in recto propriam essentiam, & existentiam habentia, etiam relationes ipsæ, ut Doctor ait 2. d. 1. quæst. 5. §. *quod si adhuc*, etiamsi non sint omnia solitarie existere apta, ut patet de relationibus, unio namque propriam terminat productionem, & per consequens propriam habet essentiam, & existentiam, quia causalitas physica ad existentiam rei terminatur, & tamen nequit immediate se sola existere, idemque est de aliis respectibus, ergo hæc omnia, etiam relationes ipsæ, sunt res, ut res distinguitur contra formalitatem, etiamsi res non dicantur, ut distinguitur contra modum ex Scoto loc. cit. Et nota, quod hæc explicatio rei, prout a realitate, & formalitate secernitur, maxime habet veritatem in reatis, ubi cuilibet rei propria correspondet productio, & causalitas, qua ponitur in esse existentiæ; in divinis autem res dicitur id, quod propriam habet essentiam, & existentiam directe, & per se primo præscindendo a quacumque productione, & causalitate, qualis est sola Deitas, non autem per solam identitatem cum alio, ut est de cæteris essentialibus, & notionalibus.

161 Realitas autem, quæ & formalitas appellatur, illa dicitur, quæ in se præcise considerata non est res, qua non habet talem essentiam, cui propria correspondeat existentia, & ideo neque etiam physicam potest terminare causalitatem, sed est aliquid rei, non quocumque modo ad modum partis, sicut materia, & forma dicuntur aliquid compositi, sed est aliquid rei per identitatem, quatenus est aliquis gradus essentiæ rei, cum enim essentiæ rerum, nedum Physice, sed etiam Metaphysice sint compositæ, & hæc compositio non sit omnino rationis, oportet in eadem re Physica plures gradus admittere essentiæ ejus quæ sunt realitates Metaphysicæ, inter se realiter identificatæ ratione tertii, cui identificantur, & in quo uniuntur per realem identitatem, quod magis infra constabit disp. 8. q. 6. art. 2. & 3. possunt etiam uniri hujusmodi realitates in aliquo per perfectam identitatem ex propria earum, vel illius in quo adunantur, infinitate ortam absque ulla prorsus compositione, quo pacto plures perfectiones attributales adunantur in Deo, ut dicitur in Theologia. Hac igitur de causa realitates vocantur diminutivo vocabulo, & non res, quia non sunt res in recto, sed tantum aliquid rei per identitatem, quatenus sunt varii gradus essentiæ ejus, ex quibus essentia Physica Metaphysice integratur, & completur, qua etiam ratione solent interdum aliquitates appellari. Istæ autem Metaphysicæ realitates a physicis entitatibus derivantur, ut v. g. in homine rationalitas, & animalitas a corpore, & anima, vel ab anima rationali, & sensitiva juxta opinionem admittentem pluralitatem formarum in composito; derivantur autem ab eis, non per veram causalitatem physicam, quia non habent propriam existentiam, ad quam terminari possit physica causalitas, sed per dimanationem quandam Metaphysicam, quæ inter sic causam, & sic causatum solam infert distinctionem formalem, ut dicimus nos Scotistæ de subjecto, & passione.

Et quia hæc est communis Scotistarum doctrina, quam semper habent in ore, sed nunquam satis sufficienter declarata, quia Adversarii percipere nequeunt hanc Metaphysicam causalitatem, quæ est propria realitatum Metaph. a rebus physicis dimanantium, ne videatur purum Scoti figmentum, aut aliquid sine ratione pronunciatum, nunc rem declarare intendo ex principiis etiam ab ipsis concessis; omnes concedunt demonstrationem propter quid procedere ex præmissis, quæ sint causæ conclusionis, nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo, & sic rationalitas dicitur esse causa risibilitatis, & hanc bene per illam propter quid demonstrari, quia rationalitas nedum est causa, ut cognoscatur risibilitas, sed etiam, ut sit, & existat in rerum natura. Hanc vero causam essendi inquiunt esse duplicem, una est, quæ vere influit in effectum, & ab eo distinguitur a parte rei, & ita se habet rationalitas respectu risibilitatis secundum Thomistas distinguentes passionem realiter a subjecto; altera est, quæ vere non influit in effectum, quia non distinguitur realiter ab illo, sed sola ratione, unde non tam dicitur causa, quam ratio prior respectu alterius, nam ubi non est distinctio, ibi non est vera causalitas, & sic dicunt in Deo immutabilitatem esse causam æternitatis, immaterialitatem in anima esse causam immortalitatis, quia unum est ratio alterius, & causa essendi ejus, licet non proprie phy-

sica, & realis; hæc igitur est causalitas Metaphysica, aut saltem ei omnino similis, quam nos Scotistæ dicimus subjectum exercere erga passionem suam, animam erga suas potentias, & universaliter entitates physicas circa realitates Metaphysicas, foletque in schola nostra appellari dimanatio, puraque pullulatio, ut distinguatur a Physica causalitate, & hæc est causalitas, quam immediate terminare possunt Metaphysicæ realitates, Physicam vero terminare nequeunt, nisi mediate, quatenus nempe sunt identificatæ rei, quæ per veram, & Physicam actionem posita est in rerum natura; quæ etiam doctrina confirmari potest per maxima Scoti quol. 1. lit. P. ubi ait, quod qualis ordo per se realis esset inter aliqua, si essent distincta realiter, talis per se ordo est inter illa correspondens illi distinctioni, quam habent, utpote rationis, si distinguantur ratione, & hoc sive ratione sumpta ex parte rei, sive mere per actum intellectus causata; ita autem se habet rationalitas v. g. ad animam rationalem, quod si esset ab anima realiter distincta, vere, & realiter ab ipsa causaretur, verseque flueret, igitur cum non adsit talis distinctio, sed tantum secundum proprias rationes formales citra quodcumque opus intellectus, causalitas Metaphysica inter illa est assignanda, & non tantum per opus nostri intellectus,

162 Sed præterea addendum est ad majorem hujus puncti intelligentiam, ad rationem realitatis, seu formalitatis non sufficere, ut sit ratio de se conceptibilis sine alia, & diverso omnino conceptu ab ea, ut passim ajunt Scotistæ, nam in hoc sensu etiam gradus Metaphysici transcendentes, ut ens, substantia, &c. dicunt distinctos conceptus objectivos, & ratio formalis unius non est ratio formalis alterius, sed aliquam perfectionem importare debet a parte rei citra opus intellectus in ipsa re repertam, & per identitatem realem in ipsa contentam, adeoque proprio conceptu, ac adæquato expressibilem, quo pacto in homine animalitas, & rationalitas sunt perfectiones, & realitates in ipso homine a parte rei actualiter inventæ, & actualiter distinctæ per proprias rationes formales, quia una quantumcumque expresse, ac distincte in se cognoscantur, non est alia, quod de ente, aliisque transcendentibus dici non potest, quia si ens in Deo perfecte, & adæquate cognoscatur, cognosci hoc pacto nequit, nisi concipiendo ipsam Divinitatem, quod pariter dicendum de ente, ut concipitur in ente creato, nam in substantia a parte rei importat ipsam realitatem substantiæ, & in accidente importat accidens, non autem realitatem aliquam ab ipsis distinctam; & hæc est ratio, cur gradus prædicamentales possunt inter se fundare distinctionem ex natura rei formalem, non autem transcendentales, quia isti non fundantur in aliqua realitate a parte rei inventa in Deo, vel creatura distincta a propriis eorum rationibus, sed important solos conceptus inadæquatos a propriis rationibus desumptos Dei, & creaturæ, sed gradus prædicamentales important veras realitates Metaphysicas a parte rei inventas in rebus citra quodcumque opus intellectus, & singuli sunt adæquatis conceptibus expressibiles, & declarabiles, nam si homo v. g. concipiatur sub ratione animalis, ut scilicet est substantia animata sensitiva, licet iste conceptus sit confusus, ac inadæquatus, si ad hominem referatur, ut sic, quia non exprimit totam hominis essentiam, sed partem, tamen si refertur ad ipsam animalitatem, est conceptus adæquatus, & distinctus, quia per ipsum explicatur quædam communis realitas, per quam homo a parte rei actualiter convenit cum equo, & cui ob talem indifferentiam, & communitatem non repugnat esse in equo, nisi obviaret realis identitas, quam in homine habet cum rationali, quod de conceptu entis, & substantiæ, aliorumque transcendentium asseri nequit, quia ut constat ex disp. 2. nulla realitas a parte rei invenitur in Deo, quæ quantum est de se, possit esse in creatura, aut e contra, & ideo gradus transcendentes non important, nisi puros, & inadæquatos conceptus cum fundamento in re, non autem realitatem aliquam illis conceptibus adæquatam, seu per illos conceptus adæquate expressibilem.

Hinc patet, quam male Pasqualig. d. 48. cit. sec. 3. ab initio referat modum, quo Scotistæ distinguant inter Rem, & realitatem, seu inter entitatem, & realitatem; inquit enim, quod nomine realitatis intelligunt omne id, quod se solo, & per se potest terminare aliquam productionem, ut est omne accidens, quod per suum esse proprium potest terminare productionem distinctam a productione substantiæ, & se solo etiam corrumpi; nomine vero entitatis ait ipsos intelligere aliquid minus realitate, quod oppositio modo se habeat respectu realitatis in ordine ad productionem, dicit enim aliquid, quod per seipsum non potest terminare aliquam productionem, nec se solo potest corrumpi, est tamen aliquid positivum, & ab iis distinctum, sine quibus nec produci, nec corrumpi potest, quod & formalitas appellari potest, sive etiam gradus. Quam declarationem subinde in eadem sectione num. 11. impugnat, quia magnum absurdum est terminorum, dum entitas transfertur ad significandas formalitates, entitas enim ex communi usurpatione, & modo loquendi significat rem aliquam in actu positam, atque adeo se sola habentem propriam existentiam; imo si adinvicem comparentur entitas, & realitas, magis proprie entitas significat rem per se solam producibilem, seu existentem, quam significet realitas. Sed admisso, inquit, etiam hoc abusu terminorum, adhuc falsitatis convincitur doctrina Scotistarum, nam quomodo fieri potest, quod in re aliquid sit ab alio distinctum præcisa quacumque operatione intellectus, & habeat propriam entitatem, nec tamem sit se solo producibile; aut si non est se solo producibile, quomodo potest habere propriam entitatem distinctam ab aliis absque operatione intellectus; Præterea si una formalitas in re est distincta ab alia, jam erit distincta secundum suam realitatem, quia est aliquid reale positum extra causas, cur ergo erit tantum entitas, & non realitas? Hujusmodi impugnationes validæ quidem essent, si quod refert Pasqualig. asseretent Scotistæ, at illud non asserunt; quia ut ipse bene arguit, esset manifestus terminorum abusus, immo totum oppositum, quia entitatis nomine rem ipsam intelligunt, quæ se sola existere potest, & propriam productionem terminare, & nomina realitatis intelligunt gradum aliquem essendi illius rei, quæ & formalitas appellatur, neque apud ullum Scotistam invenire potui declarationem illam Rei, & Realitatis, quam omnibus adscribit Scotistis, & ideo prima impugnatio nil urget contra Scotistas, sed tantum contra imposituram illis inustam; alia etiam impugnatio nil valet, quia non inquiunt Scotistæ formalitates, quas in eadem Physica entitate multiplicatas admittunt, habere proprias entitates, & existentias, nam inferius disp. 8. q. 4. a.n. 174. ostendo de mente Doctoris pluribus ejusdem rei formalitatibus non plures correspondere entitates, & existentias partiales, sed omnes & singulas unam integrare entitatem per realem identitatem, & omnes adæquate existere per unicam, & simplicem existentiam illius rei; quod si etiam singulis formalitatibus proprias concederemus entitates, neque hinc necessario sequitur, quod ipse deducit, posse singulas se solis produci, & solitarie existere, quia ut supradictum est, multa proprias habent entitates, & existentias, sed cum aliis adeo necessario connexas, ut cum illis produci petant, & corrumpi; maneat ergo formalitates in eadem re plurificatas non proprias habere entitates, & existentias, sed tantum proprias rationes formales, merito quarum dicuntur abinvicem distingui formaliter ex natura rei.

163 Ex hac igitur explicatione Rei, & Realitatis patet, quomodo distinctio ex natura rei, seu præter opus intellectus generalissime sumpta ut secernitur a distinctione rationis, & facta per opus intellectus, bene subdividatur in distinctionem ex natura rei realem, & ex natura rei formalem, & quomodo pluralitas rerum sit pluralitas simpliciter, ac proinde sufficiens ad fundandam distinctionem vere, & simpliciter realem; pluralitas vero realitatum sit pluralitas tantum secundum quid, ac proinde sufficiens tantum ad fundandam distinctionem formalem, quæ quidem major est distinctione rationis, cum antevertat opus intellectus, minor tamen distinctione reali propria dicta, quæ versatur inter rem, & rem. Dices, hanc subdivisionem non esse bonam, quia idem dividitur in seipsum, si quidem distinctio ex natura rei generalissime sumpta, ut a distinctione rationis secernitur, est realis. Resp. distinctionem ex natura rei generice sumptam, ut est communis ad omnes distinctiones a parte rei, posse dici realem, quia reale dicitur transcendentaliter quicquid est præter opus intellectus, at non est realis realitate perfecta, & rata, quo pacto realis dicitur distinctio, quæ est inter rem, & rem, quæ est quædam species distinctionis ex natura rei in communi. Confirmatur hæc subdivisio, quia non quicquid in rerum natura reperitur, immediate, & per se existit, vel tale est, ut possit propriam terminare productionem, sed quædam sunt entia participative tantum per entitatem alterius, quatenus sunt aliquitates illius, vel quidam gradus essentiæ illius, eique realiter identificati, & per ejus pariter existentiam in rerum natura consistunt, in se autem formaliter nil obtinent præter rationes proprias formales, quarum una est diversa ab alia citra quodcumque opus intellectus, ergo talis diversitas exinde exorta bene dici potest distinctio ex natura rei alterius omnino rationis a distinctione duarum rerum proprias entitates, & existentias habentium, consequentia patet, quia talis distinctio fundatur supra diversitatem rationum formalium eorum graduum, cum ergo hæc diversitas rationum formalium sit a parte rei, & non per opus intellectus, ut infra probabitur, plane sufficiens est ed inducendam distinctionem ex natura rei formalem inter illos gradus, assumptum vero probatur, quia in rebus non tantum datur esse Physicum, & existentiale, seu entitativum, sed etiam esse Metaphysicum prius, & magis defæcatum a conditionibus materialibus, licet non ab eo realiter discretum, unde in homine a parte rei non solum datur anima, & corpus, sed etiam animalitas, & rationalitas, quæ sunt duæ formalitates, & perfectiones alterius rationis in eadem Physica hominis entitate immersæ, ac imbibitæ per realem identitatem, unde sunt eadem omnino entitas realiter cum humanitate, nec aliud habent esse entitativum ab ea, bene tamen diversum esse formale, cumque inter se comparatæ sint alterius omnino rationis, & præter opus intellectus, quia una est potentialis ad aliam, non quia sic intellectus concipiat, sed quia sic inter se ordinantur a parte rei; hinc est ut inter se formalem distinctionem fundare dicantur præter opus intellectus.

164 Deinde, ut prosequamur alias subdivisiones, distinctio realis simpliciter dicta subdividi solet, ut dictum est in Logica loco citato in negativam, & positivam, negativa dicitur, quæ intercedit inter ens, & non ens, vel inter duo non entia, ut inter materiam, & privationem, vel inter duas privationes, unde quia non est proprie inter rem, & rem, dicitur distinctio realis imperfecta; positiva est, quæ versatur inter duo entia realia, quorum unum realiter non est aliud, & hæc

& hæc est duplex, alia essentialis, alia accidentalis; essentialis est, quæ oritur inter duo ex principiis eorum essentialibus, & ita distinguuntur, quæ habent essentias specie, vel genere diversas, unde etiam dividi solet in genericam, & specificam, & hanc distinctionem essentialem inter aliqua duo vocat Doctor distinctionem realem naturarum 1. d. 1. quæst. 7. lit. FF. quia natura, & essentia in rebus idem significant; distinctio autem realis accidentalis est, quæ per principia accidentalia causatur, quo pacto homo albus, & niger dicuntur abinvicem distingui realiter accidentaliter per diversas formas accidentales ipsis inhærentes, ad quam distinctionem reduci potest distinctio numerica individuorum, quia licet principium individuationis non sit accidens per accidens, & prædicamentale, potest tamen dici accidens sumendo accidens pro extraneo, quia esto pertineat ad substantiam individui, est tamen extra essentiam ejus, nam v. g. Petreitas non explicat quid sit Petrus, sed quis sit Petrus, unde cum non distinguat Petrum essentialiter ab aliis individuis humanæ speciei, potest in hoc sensu dici accidens, & distinctio ab ipsa causata accidentalis, quam Doctor loc. cit. appellat distinctionem realem suppositorum; Denique alii adhuc subdividunt distinctionem realem in mutuam, & non mutuam, & rursus utramque in actualem, potentialem & virtualem, ita plerique Scotistæ, & præsertim Meuriss. loc. cit. c. 3. quas subdivisiones improbavimus loc. cit. Log. d. 1. q. 5. art. 2. ut prorsus inutiles, immo & repugnantes.

Distinctio autem ex natura rei formalis, quæ scilicet versatur inter realitatem, & realitatem, habet ipsa quoque suas subdivisiones, alia enim est formalis actualis, alia formalis virtualis, vel fudamentalis, ut alii loquuntur, & licet non satis conveniens sit hic loquendi modus, quia formale opponitur virtuali, & fundamentali, unde distinctio ex natura rei formalis ex vi nominis significat distinctionem actualem, ut bene animadvertit Smisinch. cit. tract. 2. disput. 1. num. 40. attamen quia Cajet. de ente, & essentia quæst. 12. cum aliis Thomistis sic eam appellant, placuit & nobis eadem licentia uti, ut hanc virtualem distinctionem Thomistis adeo familiarem ostenderemus aliquo pacto sub formali contineri, quantum ad id quod dicit a parte rei fundamentaliter, & inchoative, licet quoad complementum, quod postea accipit ab intellectu, pertineat ad distinctionem rationis sub illo membro, quod dicitur rationis ratiocinatæ, ut postea dicemus. Distinctio itaque formalis actualis est, quæ versatur inter plures formalitates in eadem re Physica actu, & non virtute tantum contentas, quæ proinde a parte rei citra quodcumque opus intellectus diversas habent rationes conceptibiles, quo pacto dicimus nos Scotistæ formaliter actualiter distingui perfectiones attributales in Deo, potentias in anima, & gradus Metaphyficos prædicamentales in quacumque re creata, quia nimirum ifthæc omnia important perfectiones quasdam, seu realitates actu existentes in rebus, & non per meram nostri intellectus operationem, unde & earum distinctio non tantum virtualis esse debet, sed etiam formalis. Distinctio autem virtualis est, quæ versatur intes plures ejusdem rei formalitates, non actu, sed virtute tantum in ea contentas, quod præsertim contingit, cum eadem res simplicissima plures perfectiones continet, non formaliter, & actualiter, sed eminenter tantum, & virtualiter, quæ virtualis continentia fundamentum præbet intellectui nostro res imperfecte concipienti, formandi de illa eadem re plures conceptus inadæquatos singulis illis perfectionibus in ea re virtualiter contentis correspondente, illasque cogitandi inter se distinctas perinde, ac si actu in ea re reperirentur, qua de causa hæc virtualis distinctio dicitur etiam rationis ratiocinatæ, quatenus complementum, & actualitatem habet a negatione intellectus, & hoc pacto distinguuntur in Sole verbi gratia virtus calefactiva, defæcativa, liquefactiva, &c. quia tales virtutes non actu continentur in Sole secundum suum esse formale, ut reperiuntur in igne, sed virtualiter tantum, & eminenter, quia simplicissima forma Solis ob suam eminentem perfectionem æquivalet omnibus illis, unde dici potest, si non formaliter, & actualiter, saltem virtualiter multiplex.

165 Rursus, ut dictum est in Logic. loc. cit. identitas, & distinctio formalis tribus præsertim modis apud Scot. usurpari solet, quod maxime advertendum est, ne in vocabulo contingat æquivocatio; uno modo aliquid dicitur idem formaliter alicui, quando est de ratione formali illius, seu ingreditur conceptum ejus quidditativum, & e contra illud dicitur distingui formaliter ab aliquo, quod non est de ratione formali ejus, quia esse idem formaliter alicui est esse de essentia illius, & in hoc sensu loquitur Doctor de identitate, & distinctione formali 4. dist. 12. qu. 1. & coincidit com identitate, & distinctione essentiali, de qua loquitur Scot. quol. 1. D. Alio modo aliquid dicitur idem formaliter alicui, cum illud includit in sua ratione formali; distinctum vero, cum illud non includit, quo sensu de identitate formali loquitur Doct. 1. dist. 2. qu. 7. HH. cum inquit, voco autem identitatem formalem ubi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui dicitur sic idem in sua ratione formali, & per consequens in primo modo dicendi per se, & hic modus distinctionis, ac identitatis formalis est minus proprius, & frequens. Tertio tandem modo ea dicuntur idem formaliter, quæ eandem formalitatem habent, & eandem rationem conceptibilem, & e contra ea dicuntur distingui formaliter, quæ habent aliam, & aliam formalitatem, seu rationem conceptibilem, & hic est verus, & proprius modus identitatis, ac distinctionis formalis, de quo loquitur Doctor 1. d. 8. q. 4. cum ait, divina attributa ab invicem formaliter distingui, quia ratio bonitatis non est ratio sapientiæ. Hæc autem identitas potest esse duplex, ut bene notavit Faber in suis formalit. alia adæquata, alia inadæquata, adæquata est eorum, quorum nihil continetur in ratione formali alterius; & sic homo, & humanitas dicuntur formaliter idem; inadæquata vero est eorum quorum non omne, quod includitur in uno, in altero quoque includitur, quamvis aliquid unius includatur in altero, sic homo, & animal adæquate sunt idem, & inadæquate sunt diversa, quia homo dicit, quicquid dicit animal, & aliquid amplius. Denique distinctio rationis, quæ erat alterum membrum ex opposito condividens distinctionem, ut sic, cum distinctione ex natura rei, seu præter opus intellectus, subdividi solet in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ non habet fundamentum in re, & rationis ratiocinatæ, quæ habet fundamentum in re, ut infra magis declarabitur, quas omnes divisiones, & subdivisiones jam antea in Logica assignavimus, opus tamen fuit hic eas breviter rursus repetere, ut videretur an numerus distinctionum ab aliis assignatus deficiat, vel sit superfluus.

ARTICULUS III.

Censuræ aliarum opinionum.

166 EX dictis facile constare poterit, in quo deficiant opiniones singulæ superius relatæ ab initio articuli præcedentis circa numerum distinctionum. Thomistæ ponentes duo duntaxat genera prima distinctionum scilicet realis, & rationis, in hoc bene procedunt, quod faciunt divisionem bimembrem, nam omnis bona divisio, ut constat ex Logicis, vel debet esse bimembris, vel ad bimembrem reduci, si commode fieri potest, aut saltem ad pauciora membra, quantum est possibile, tum quia sic assignando numerum distinctionum bene coaptant, & coadæquant passionem cum proprio subjecto, ut sicut omne ens aut est reale, aut rationis, ita omnis distinctio sit aut realis, aut rationis, ut bene demonstrant rationes eorum. Cæterum in multis aliis deficiunt, nam cum res, & ens, ut distinguitur contra nihil, & contra ens rationis magnam habeat latitudinem; & diverso modo ad inferiora descendat, nam non quicquid a parte rei existit, eodem modo existit, ut supra dictum est, & adhuc magis infra patebit, nam aliquid existit, ut res habens in recto propriam essentiam, & existentiam, aliud ut realitas, & aliquitas isthæc tantum habens in obliquo, ac per identitatem maxima confusio generatur, dum distinctio realis assignatur, ut solum membrum infimum distinctionis, ut sic, & infecundum, nam per hoc significatur quicquid a parte rei distinguitur ab alio, quomodocumque distinguatur, dummodo distinctio sit actualis, & antevertens opus intellectus, distingui realiter, & ut rem a re, adeour vel sint actu separata, vel saltem separabilia, quod absolute falsum est, ut constat ex dictis, & dicendis. Conf quia non bene enunciatur uniformiter, & sine ullo discrimine distinctio realis de variis rebus, quæ essentiam, & existentiam diverso modo participant, nam facile poterit quisque decipi applicando eundem modum realis distinctionis diversis rebus existentiam diverso modo participantibus, ergo ad evitandam hanc confusionem, & ad cautius procedendum in rerum discretione, designari debent plures modi distinctionis a parte rei, quam si placet appellare realem, dici debebit dari plures modos distinctionis realis, melius tamen consultum erit cum Scotistis per appropriationem nominis illam tantum distinctionem simpliciter, & absolute realem vocare, quæ versatur inter rem, & rem, & aliam rursus admittere a parte rei, quæ in eo sensu non dicatur realis, & quia versatur inter realitatem, & realitatem, seu formalitatem, ac ratione proprio nomine dicatur distinctio formalis. Immo ipsa distinctio virtualis, quam, & Thomistæ admittunt, licet quatenus complementum a actualitatem ab intellectu recipit, bene ad distinctionem rationis pertineat; ea tamen ratione, qua fundamentaliter, ac veluti inchoate reperitur in rebus modo prædeclarato, poterit quoque pertinere aliquo pacto ad distinctionem ex natura rei.

Nominales vero adhuc magis deficiunt, quam Thomistæ, circa assignationem distinctionum, quia nedum distinctionem realem, seu a parte rei infimam ponunt, & infæcundam, seu in alia membra indivisibilem, ut faciebant Thomistæ, sed ipsam quoque distinctionem rationis, vel negant proprie de ipsa loquendo, vel saltem sterilem faciunt, & infæcundam, dum negant ipsam dividi in distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, vel si eam aliqui concedunt, adhuc non bene explicant per ordinem ad connotata extrinseca, ut postea patebit contra ipsos: errant ergo ex duplici capite, quia omnem distinctionem realem, & omnem quoque rationalem ponunt in omnibus ejusdem omnino rationis, nec assignant ulteriores gradus earum, quod adhuc majorem ingerit confusionem, quam modus dicendi Thomistarum, sed plura contra Nominales habebimus infra.

Ægidiani autem non satis exprimunt, quid intelligant per illam distinctionem innatam extremis, & per aliam, quam dicunt immediate a ratione fabricatam, si enim per primum genus distinctionis intelligunt distinctionem realem, seu a parte rei, ut sic, & per aliud ipsam distinctionem rationis, licet in explicanda distinctione a parte rei utantur peregrino vocabulo, & in aliis

Scholis inusitato, illa divisio admitti debet, ut legitima; at male postea dicunt distinctionem innatam extremis posse competere duobus entibus rationis, perinde ac duobus entibus realibus; ita nimirum distingui a parte rei genereitatem, & speciitatem, sicut Sortem, & Platonem, hoc enim falsum est, nam distinctio realis, quæ reperitur inter Sortem, & Platonem, inter equum, & hominem, est realis simpliciter, & omnino independens ab opere intellectus, sed quæ reperitur inter duas secundas intentiones, vel inter duo figmenta, ut hircocervum, & Sphyngem, dicitur distinctio realis tantum secundum quid, & proportionaliter, quatenus quicquid convenit simpliciter enti reali, hoc totum proportionaliter applicatur enti rationis, quatenus concipitur ad modum illius, unde duæ secundæ intentiones specie differentes dicuntur realiter distingui, quatenus concipiuntur ad modum duarum specierum realium, ac realiter differentium, re tamen vera distinctio, quæ inter illas versatur, est simpliciter rationis, quia non antevertit quodcumque opus intellectus, sed aliquo pacto ab ipso dependet mediate, vel immediate. Si dicas totum hoc gratis Ægidianos fore concessuros, quia inter distinctionem innatam consequentem extrema realia, ac extrema rationis hoc ponunt discrimen, quod illa nullum supponit opus rationis prævium, vel concomitans, sed quæ consequitur extrema rationis, supponit opus rationis saltem prævium. Si, inquam, ita dicatur, tunc per distinctionem innatam extremis, quæ contradistinguitur a distinctione immediate fabricata a ratione, nequibit intelligi distinctio ex natura rei antevertens quodcumque opus intellectus, sed aliqua distinctio talis, quæ sub se comprehendat etiam distinctionem supponentem opus rationis prævium, & contradistinguatur a distinctione immediate fabricata per rationem; & tunc illa non erit prima divisio distinctionis, ut sic, quæ talis esse debet, ut omnino prima genera distinctionum constituat, quod distinctio ex natura rei sit illa, quæ antevertit omne opus intellectus, nec ab eo dependet immediate, nec mediate, & distinctio rationis sit illa, quæ non antevertit omne opus intellectus, sed ab eo dependet immediate, vel saltem mediate; multa alia falsa continet ille dicendi modus, quæ sine gravi censura prætereunda non essent, sed quia non admodum viget in scholis, supersedeo.

167 Scotistæ antiquiores nimium augebant numerum distinctionum, ac identitatum, quia quædam illarum sunt superfluæ, & aliæ sunt reducibiles ad alias, tum quia in eo assignando regulæ bonæ divisionis non observantur, cum enim aliquod commune in inferiora dividitur, debent ea assignari, quæ immediate se habent ad rationem communem, nam si per membra mediata, & ultima fiat, divisio nimis confusa evadit, & pene infinita membra excogitari possent, ut si animal statim divideretur in animal rationale, rudibile, hinnibile &c, non est bona divisio, sed immediate dividi debet in rationale, & irrationale, & hoc rursus in alia membra per ordinem, nam membra communiora præcedunt minus communia. Quod autem quædam illarum distinctionum sint superfluæ, & una coincidat cum alia, probant id præsertim Burlifer in Formalitatibus, & Faber cit. cap. 9. de distinctione ex natura rei, & formali, quia dicebant Antiquiores Scotistæ illa distingui ex natura rei, de quibus prædicata contradictoria verificari possunt citra opus intellectus, & ita distinguebant definitionem, & definitum, superius, & inferius, subjectum, & passionem; cum igitur de illis tantum verificari possint contradictoria a parte rei, quæ diversas habent definitiones, & conceptibilitates, nam quæ in eodem conceptu conveniunt, eadem quoque habent prædicata, & quæ competunt uni, competunt etiam alteri, atque ideo contradictoria fundare non possunt, hinc clare deducitur eandem prorsus esse distinctionem ex natura rei, & distinctionem formalem, quæ constituitur per diversas conceptibilitates plurium realitatum, quæ ratio tenet ad hominem, non absolute loquendo ex dicendis num. 170. Conf. ex ipsis exemplis, quæ adducebantur pro distinctione ex natura rei de inferiori, & superiori, subjecto, & passione, nam isthæc re vera formaliter inter se distinguuntur, cum alia sit ratio formalis superioris, alia inferioris, alia subjecti, alia passionis, in qua alietate rationum formalium fundantur contradictoria de illis enunciabilia. Dices, saltem urgere exempla de modo intrinseco respectu rei, cujus est modus, & de definitione; ac definito, hæc enim minorem admittere videntur distinctionem, quam sit formalis, quia modus intrinsecus non est propriæ formalitas, cum non sit de se conceptibilis absque re, cujus est modus, ut dictum est cum Doctore disput. 2. quæst 6. artic. 1. pluribus in locis; sic etiam neque definitio, & definitum dicunt diversos conceptus objectivos, cum non differant, nisi secundum explicitum, & implicitum, cum ergo hæc non distinguantur formaliter, & adhuc distinguantur præter opus intellectus, & plusquam ratione, quia fundant prædicata contradictoria ex natura rei, restat, quod distinguantur distinctione minori, quæ pariter dicatur ex natura rei. Resp. neque ratione modi intrinseci, neque ratione definitionis, ac definiti assignari debere distinctionem ex natura rei, ut speciem contradistinctam a distinctione formali, quia distinctio modalis, qua modus intrinsecus distinguitur a re cujus est modus, bene reducitur ad distinctionem ipsam formalem, ut dictum est disput. 1. cit. Logic. quæst. 5. artic. 2. declarando distinctionem formalem, neque ex hoc, quod modus proprie non sit formalitas, quia non est seipso præcise conceptibilis, sed necessario petit concipi cum re, quam modificat, sequitur, quod distinctio modalis non sit formalis, sed tantum sequitur, quod non est formalis perfecta, sed quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione veræ formalitatis; qualis autem distinctio proprie versetur inter definitionem, & definitum, declaratum est disput. 1. Logic. quæstion. 4. artic. 2. nam ipsa quoque ad formalem reduci potest modo ibi explicato, vel est rationis ratiocinatæ.

168 Sed adhuc clarius, & evidentius juxta principia nostra potest hoc ipsum probari contra Scotistas, nimirum distinctionem ex natura rei non constituere speciem diversam a distinctione formali, quia proprie, & in rigore loquendo distinctio ex natura rei non est aliqua species infima distinctionis, ut sic, sed primum omnino genus contradistinctum a distinctione rationis; nam, ut diximus, distinctio generice sumpta dividitur primo, & adæquate in distinctionem ex natura rei, seu præter opus intellectus, & in distinctionem rationis, seu per opus intellectus, & hoc etiam fatetur Trombet. art. 2. Formalit. in fine §. *pro declaratione*, non ergo est species contradistincta a distinctione formali, sed potius genus ad eam, & ad distinctionem realem proprie dictam, & in utraque essentialiter inclusa, ut genus in suis speciebus. Tum quia contradictio verificata de duobus extremis ex natura rei, præter opus intellectus, sufficiens utique signum est ad arguendam similem distinctionem inter illa, non tamen determinate realem, vel formalem, sed indifferenter, quia sunt entia contradictoria inducentia distinctionem realem, ut contradictio constituens primum principium, scilicet esse & non esse, ergo contradictio ex natura rei, ut sic, non constituit determinatam speciem distinctionis contradistinctam a reali, & formali, ut dicebant antiquiores Scotistæ, sed potius genus ad utrumque indifferens, atque ita patet, identitatem, & distinctionem formalem reduci ad distinctionem ex natura rei, ut sic, veluti membrum eam condividens contra distinctionem realem proprie dictam, ita quod distinctio ex natura rei non ponit in numerum, sed est genus ad omnes distinctiones quomodocumque antevertentes opus intellectus, quod primo dividi debet in distinctionem ex natura rei realem, quæ versatur inter rem, & rem, & in distinctionem ex natura rei formalem, quæ versatur inter realitatem, & realitatem, & deinceps in alias, ut supra factum est tenendo totam seriem identitatum, & distinctionum. Dices cum quibusdam Scotistis, quod quamvis distinctio ex natura rei, ut sic, non ponat numerum cum distinctione formali, ut species ab ea condistincta, saltem distinctio modalis debet poni species ab ea distincta, nec dici potest cum ea coincidere, aut ad ipsam reduci, velut ejus membrum, quia distinctio formalis cadit inter duas formalitates, modus autem licet dicat realitatem, non tamen formalitatem, quia non habet rationem ex se præcise conceptibilem, tum quia distinctio modalis est minor distinctione formali, ut colligitur ex Scoto 1. d. 3. quæst. 2. lit. E. ergo distinctio modalis non potest ad formalem pertinere.

Resp, quod sicut distinctio modalis modi extrinseci a re, cujus est modus, ut figuræ a quantitate, sessionis a sedente &c. pertinet ad distinctionem realem, & dici debet realis distinctio, licet quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione rei, ut in Logica dictum est, & infra quæst. 10. dicemus contra Recentiores facientes eam speciem distinctam a distinctione reali; sic pariter in proposito distinctio modalis vertens inter rem, & modum ejus intrinsecum, ut inter essentiam, & existentiam, Deum, & infinitatem, poni debet formalis, licet quasi imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione vera formalitatis. Sed nec etiam multum curarem, si quis dividere vellet distinctionem ex natura rei, ut sic, in eam, quæ versatur inter rem, & rem, & in eam, quæ versatur inter realitatem, & realitatem, & hanc postea rursus in eam, quæ versatur inter realitatem, & realitatem, quæ etiam sunt formalitates, & proprie dicatur distinctio formalis, & in aliam, quæ versatur inter solas realitates, quantum una deficit a ratione formalitatis, & hæc dicatur distinctio modalis. Verum sic dividendo & constituendo seriem distinctionum ex natura rei, duo incurrimus incommoda, unum est, quod nomen non habemus ad explicandam illam distinctionem, quæ versatur inter realitatem, & realitatem, non enim dici potest distinctio ex natura rei, quia hoc est nomen generis, neque distinctio realis, quia hoc est nomen oppositæ speciei, quæ versatur inter rem, & rem, neque distinctio formalis, quia hoc est nomen unius speciei sub ipsa assignatæ, quæ dividebatur contra distinctionem modalem; alterum incommodum est, quia cum currat proportio inter distinctionem modalem tam modi intrinseci, quam extrinseci a re, cujus sunt modi, quia sicut intrinsecus deficit a ratione formalitatis, ita extrinsecus deficit a ratione rei proprie dictæ, sic hac de causa volumus nos Scotistæ distinctionem modi intrinseci a re, cujus est modus, constituere propriam speciem diversam a distinctione formali, eadem quoque ratione licebit Recentioribus distinctionem modi extrinseci a re, cujus est modus, ponere speciem distinctam a distinctione reali; sicut ergo hoc ipsis negamus, volumusque eam distinctionem modalem pertinere ad realem distinctionem licet imperfecta quadam ratione, sic pariter discurrere debemus de distinctione nostra modali, nempe modi intrinseci, quod possit, ac debeat ad formalem reduci, ut fusius infra qu. 10.

169 Quod autem pertinet ad alias tres species Identitatis, & Distinctionis,

ctionis, nimirum essentialis, se totis subjective, & se totis objective, quas vetustiores Scotistæ assignabant, ut species a cæteris condistinctas, jam ostensum est disp. 1. Log. cit. q. 5. art. 2. in fine reduci omnes ad realem, vel formalem; nam ut ibi dictum est, identitas, vel distinctio essentialis soler duplici modo usurpari, uno modo illa dicuntur eadem essentialiter, quæ in eadem natura, & essentia communicant, & e contra illa dicuntur essentialiter distincta, quæ habent diversas essentias, alio modo illud dicitur esse idem essentialiter alteri, quod ejus intrat essentialem conceptum, ejusque essentiam intrinsece constituit, & e contra illa dicuntur hoc pacto essentialiter distincta, quorum unum non est de essentia alterius, nec ejus formalem ingreditur conceptum, jam autem constat ex dictis art. præc. quod uno modo sumpta distinctio essentialis pertinet ad distinctionem realem, & alio modo ad formalem; primo quidem modo inspecta pertinet ad distinctionem realem naturarum genericam, vel specificam supra assignatam n. 164. quia natura, & essentia in rebus idem significant, unde quæ diversas habent naturas generice, vel specifice, diversas quoque habent essentias, & in hoc sensu distincta realiter, sunt etiam distincta essentialiter, nam unaquæque res propriam defert essentiam, unde diversæ res sunt quoque diversæ essentiæ. Dices, non omnia distincta realiter, distingui quoque essentialiter, nam divinæ personæ sunt inter se realiter distinctæ, non tamen essentialiter, quia idem identificatur uni essentiæ singularissimæ. Hoc parum urget, quia personæ in divinis distinguuntur realiter distinctione reali suppositorum, non autem distinctione reali naturarum, quam dicimus coincidere cum essentiali distinctione, imo ut sic sunt idem realiter, & quod distinctio essentialis in hoc sensu coincidit cum distinctione reali naturarum, nedum ex Scoto manifeste colligitur loc. cit. 1. d. 4. q. 7. FF. sed etiam docet ibidem Paulus Scriptor & 1. d. 11. q. 2. nam ibi distinguens cum Scoto distinctionem realem in distinctionem realem suppositorum, & naturarum, hanc vocat essentialem, & cum essentiali confundit, & sic etiam loquitur Tat. in 1. d. 1. q. 2.

Si vero identitas, vel distinctio essentialis secundo modo sumatur, ut nimirum illud dicatur essentialiter idem alteri, quod intrinsece constituit essentiam illius, & e contra essentialiter distinctum, quod non est de conceptu ejus essentiali, in hoc, inquam, sensu usurpata palam est, quod pertinet ad primum modum identitatis, & distinctionis formalis ex tribus assignatis supra n. 165. ubi illud dicebatur idem formaliter alicui, quando erat de conceptu ejus essentiali, ut animal, & rationale respectu hominis, & e contra illud sic dicebatur formaliter distingui ab eo, quando non erat de ejus quidditativo conceptu, & quidem si observetur modus philosophandi Scoti, nunquam ipse loquitur de distinctione, aut identitate essentiali, aut quidditativa, nisi istas confundendo cum identitate, & distinctione reali, aut formali, ita 2. d. 16. q. un. confundit distinctionem formalem, & quidditativam, & 1. d. 2. loc. cit. confundit identitatem essentialem cum identitate reali naturarum. Distinctionum vero se totis subjective, & se totis objective nunquam (quod viderim) meminit, & ideo istas quoque dicendum est ad illas reduci posse, & debere, nimirum vel ad realem, vel ad formalem, nam si esse idem se totis subjective est in aliqua realitate potentiali per differentias contrahibili convenire, profecto idemritas hæc, eique opposita distinctio pertinet ad identitatem, vel distinctionem realem naturarum, quæ potest esse generica, vel specifica loquendo de identitate, nam quæcumque conveniunt in aliqua communi realitate per differentias contrahibili, sunt idem ratione illius generice, vel specifice, & quæ ita non conveniunt, ut Deus, & creatura differunt plusquam specie, &genere, quæ est maxima omnium distinctio realitatis essentialis. Et pariter ad eandem identitatem, & distinctionem realem naturarum potest reduci identitas, & distinctio se totis objective, nam si aliqua conveniunt in aliquo communi conceptu objectivo, quantumcumque transcendenti, dummodo hic sit quidditativus, dici possunt esse ejusdem naturæ transcendenter, seu in prædicatis transcendentibus, quod si aliqua reperiantur adeo diversa, ut nec in conceptu ipso entis quidditative conveniant, quemadmodum Scotistæ de ultimis differentiis dicere solent, ista equidem distinctionem habebunt realem naturarum, & quidem in supremo omnium gradu, qua ratione sic differentia dici solent primo diversa, idest diversæ omnino naturæ, & in nullo prorsus quidditativa convenientia; possunt etiam hujusmodi distinctiones & identitates se totis subjective, & se totis objective ad identitatem, & distinctionem formalem modo declarato in Logic. loc. cit. reduci.

Hinc patet, frustra Saxium cit. nu. 157. laborare, dum insudat assignare sufficientiam illius septenarii numeri, veluti specierum abinviceni distinctarum, nam modo ostensum est distinctionem, & identitatem essentialem, subjectivam, & objectivam reduci ad realem, & formalem, & has tandem immediate contineri sub identitate, ac distinctione ex natura rei, veluti sub genere generalissimo cujuscunque distinctionis habentis esse præter opus intellectus, unde illa Saxii sufficientia non est bona, & fere in singulis combinationibus deficit, ut singulas percurrenti patebit, nam nolo in hoc conterere tempus, sed præsertim in prima combinatione invenitur vitiosa, quia prima omnino divisio distinctionis, & identitatis, ut sic, esse debet in realem, & rationis, sicut ens transcendentissime sumptum omnino prima divisione distribuitur in ens reale, & non ens rationis, talis autem distributio non habetur in prima combinatione illius sufficientiæ; unde magis obvia, & melior reddi potest sufficientia numeri identitatum, & distinctionum a nobis superius assignati hoc pacto, præter distinctionem, & identitatem rationis, omne aliud genus distinctionis, & identitatis debet antecedere operationem intellectus, alias non esset a distinctione rationis diversa, sed opus intellectus antecedere nequeunt, nisi distinctio realis rei, & rei, & distinctio formalis realitatis, & realitatis, ergo sub distinctione ex natura rei, seu præter opus intellectus hæc tantum duo genera, vel subalternæ species assignari debent, & non plures; probatur minor, quia quæcumque reperiuntur in rerum natura ante opus intellectus, aut sunt res, aut realitates rei, cætera namque aut sunt extrinsecæ denominationes, aut pura entia rationis, aut enim aliquid participat in recto essentiam, & existentiam in rerum natura, & sic est res, ut participat eam in obliquo dumtaxat, quia nempe est aliquid rei per identitatem, ut gradus quidam essentiæ illius, & sic est realitas, ergo omnis distinctio antecedens opus intellectus, aut erit rerum, ac ideo realis, aut realitatum, atque ideo formalis, & ad eas aliæ reduci debebunt, quæ remanent ex illo numero septenario modo jam declarato.

170 Scotistæ vero, illi, qui septenarium numerum Formalitatum ad ternarium reduxerunt diminuendo illum numerum bene fecerunt, quia non sunt entia sine necessitate multiplicanda, & ternarius ille numerus sufficiens est, scilicet, distinctio realis, distinctio formalis, & distinctio rationis, itaut formalis mediet inter utramque, quatenus est major ista, quia est præter opus intellectus, & major illa, quia non versatur inter rem, & rem, ut illa, sed inter realitatem, & realitatem, & reliquæ distinctiones jam pridem a Formalistis assignatæ facile ad istas reducuntur; Cæterum adhuc & ipsi in duobus deficiunt, primo deficiunt in hoc, quod hæc tria genera, vel species identitatum, & distinctionum assignant, ut membra immediate dividentia identitatem, & distinctionem in communi, ut sic, quod licet verum sit de identitate, & distinctione rationis, falsum tamen est de reali, & formali, quia istæ non immediate se habent ad identitatem, & distinctionem in communi, neque immediate opponuntur identitati, & distinctioni rationis, sed mediate, quatenus ambæ sunt distinctiones repertæ in rebus ex natura rei, & citra opus intellectus, unde distinctiones immediate dividentes distinctionem in communi sunt distinctio per opus intellectus, & distinctio præter opus intellectus, quæ postea dividitur in realem & formalem, ut genus in suas species, ut sæpe dictum est. Conf. quia si aliquod genus assignaretur, quod immediate divideret rationem communem, ut sic, aliud vero, quod non immediate divideret, nimis confusa esset divisio, & pene infinita membra dividentia excogitari possent, & esset contra leges bonæ divisionis, quæ sic procedere debet, ut prius ratio communis in membra immediate se habentia distribuatur, deinde hæc ipsa membra subdividantur, si fuerint fœcunda, talis autem est divisio facta identitatis, & distinctionis in communi per illum ternarium numerum, nam distinctio rationis utique immediate se habet ad rationem in communi dividendam, sed distinctio realis, & formalis non eam respiciunt immediate, sed mediate, ut nunc probatum est, ergo licet membra divisionis illius in se sint vera, quia sunt necessaria, modus tamen illa assignandi non est bonus.

Deinde errant in reductione illarum identitatum, & distinctionum, quas putant superfluere, & præsertim in hoc, quod distinctionem ex natura rei reducunt ad formalem, cum potius res e contra se habeat, quod distinctio formalis reducenda est ad distinctionem ex natura rei, veluti ipsius membrum, quia distinctio ex natura rei est genus supremum cujuscumque distinctionis, quæ habet esse in rebus præter opus intellectus, ut deductum est num. 168. unde & ratio, qua probant Burlifer, & Faber distinctionem ex natura rei coincidere omnino cum distinctione formali, absolute non tenet, sed tantum ad hominem, ut dictum est num. 167. ex hypothesi, scilicet quod distinctio ex natura rei constitueret speciem peculiarem ab aliis condistinctam, & constitueretur per verificationem duorum contradictoriorum de eadem re, ut dicebant Formalistæ, quorum utrumque est falsum, quia nec distinctio ex natura rei est peculiaris species distinctionis præter opus intellectus, sed genus supremum ad omnes tales, nec contradictio ex natura rei infert tantum distinctionem formalem, ut arguebant Fab. & Burlifer, sed indifferens est, ut judicant distinctionem realem, vel formalem juxta qualitatem contradictionis, nam contradictoria possunt esse talia, ut etiam inferant distinctionem realem, sicut esse, & non esse, esse productum, & non esse productum. Ex quo etiam fit, multas propositiones ab istis Scotistis assertas de distinctione ex natura rei esse falsas, ut cum Burlifer inquit, quæcumque distinguuntur ex natura rei, distingui formaliter, & e converso, quod ipse probat, quia quæcumque distinguuntur ex natura, rei dicunt aliam, & aliam rationem formalem, sed quæcumque dicunt aliam, & aliam rationem formalem distinguuntur formaliter, ergo quæcumque distinguuntur ex natura, rei distinguuntur formaliter; falsa, inquam, est illa propositio assumpta a Burlifero, quia numquam superius convertitur cum inferiori, unde licet verum sit, quod omnis homo est animal, non tamen e contra omne animal est homo, cum ergo distinctio ex natura rei ex dictis sit supremum genus ad distinctionem realem, & formalem, quia utraque habet esse præter opus intellectus, & est innata extremis

ex natura ipsorum, licet verum sit, quæcumque formaliter distinguuntur distingui ex natura rei, quia ab inferiori ad superius affirmative tenet, non tamen e contra quæcumque distinguuntur ex natura rei, distinguuntur formaliter ob rationem allatam; neque probatio a Burlifero ad hoc inducta valet, cum enim inquit, quæcumque distinguuntur ex natura rei, dicere aliam, & aliam rationem formalem, & omnia talia formaliter distingui, hoc non est absolute verum, si per aliam, & aliam rationem formalem intelligit, ut viderur ex ejus dictis, aliam formalitatem, nam distinctio ex natura rei, ut sic, ut est genus ad realem, & formalem, præscindit ab alietate rei, & rei, formalitatis, & formalitatis, & præcise dicit alietatem duorum extremorum præter opus intellectus, sive hæc alietas sit dumtaxat realitatum, vel formalitatum, quæ alietas constituit distinctionem formalem, sive etiam sit alietas rerum, quæ constituit distinctionem realem proprie dictam. His itaque Scotistis tria solum genera, vel species admittentibus identitatem, & distinctionem, nempe realem, formalem, & rationis, gratis concedimus nullam aliam distinctionem admitti debere antecedentem opus intellectus præter realem, & formalem, sic enim expresse docuit Scot. 1. d. 2. q. 7. GG. ubi præter distinctionem rationis in intellectu nullam aliam ponit distinctionem rationis antecedentem operationem intellectus, nisi unam, quam inquit esse manifestam, scilicet rei, & rei, & a nullo negatur, & aliam immanifestam, quæ est realitatis, & realitatis, & nullius alterius distinctionis mentionem facit; verum negamus has distinctiones immediate opponi distinctioni rationis, & immediate cum ipsa dividere distinctionem in commnni ad distinctionem per opus intellectus, & præter opus intellectus ob rationem allatam.

171 Neutrales, qui triplex quoque genus distinctionum, ac identitatum assignabant, scilicet rationis, realem, & modalem, per quam intelligebant distinctionem modi extrinseci, & physici a re modificata, non autem modi intrinseci, & metaphysici, ut loquuntur Scotistæ, errant & ipsi multipliciter. Primo quia hanc suam distinctionem modalem faciunt speciem distinctam, & disparatam a distinctione reali, quod falsum est, nam & hæc quoque distinctio realis est respiciendo naturam distinctionis in se, licet sumpta denominatione ab uno extremo dicatur modalis; hoc autem evidenter probatur ex præcipuo signo distinctionis realis, qui est separabilitas, modi enim isti, de quibus hic est sermo, sunt separabiles a subjecto absque eo, quod aliquid entitatis subjecti deperdatur, ergo vere distinguitur distinctione a parte rei reali, consequentia patet, quia quotiescumque aliquid separatur ab alio absque eo quod illud aliquid de sua entitate deperdat, signum est, id, quod separatur, distinctam habere entitatem ab eo, a quo separatur alioquin, de eo idem verificaretur contradictio; assumptum quoque non est minus evidens, nam sessio separatur a sedente sine amissione alicujus intrinsecæ entitatis ipsius sedentis, figura separatur a quantitate absque amissione alicujus partis quantitatis, ut de se patet in rebus fluidis. Et hac ratione, quæ mihi demonstrare videtur, convictus Pasqualig. tom. 2. Metaphysic. disput. 51. sec. 2. numer. 6. fatetur hanc distinctionem modalem, si consideretur secundum seipsam formaliter in ratione distinctionis esse aque realem, ac illa, quæ est inter rem, quod etiam concedunt Hurtad. disput. 6. Metaphysic. sec. 2. subsec. 1. & Arriag. disput. 1. Metaphysic. sec. 4. numer. 97. & infra quæst. 10. probabitur ex professo. Deinde quando concederetur etiam distinctionem hanc modalem constituere speciem condistinctam, & disparatam a distinctione reali, ut contendunt Suarez, Morisan. Averss. & alii, adhuc non bene distribueretur distinctio, ut sic immediate in illa tria membra, quia ut sæpe dictum est, cum aliquod superius in sua inferiora dividitur, debent ea assignari, quæ immediate habent ad rationem communem, sed distinctio realis, & modalis non immediate se habent ad distinctionem, ut sic, in sua tota communitate, sed immediatius ad eam se habet distinctio ex natura rei, prout contradistinguitur a distinctione rationis, nam valet dicere, quod tam distinctio realis, quam modalis est distinctio a parte rei, & præter opus intellectus, non e contra, cum ergo distinctio realis, & modalis sint species subalternæ distinctionis ex natura rei, sic non debent assignari, ut membra immediate dividentia distinctionem in tota sua amplitudine. Subdivisionem vero illam distinctionis realis in adæquatam, ac inadæquatam per modum includentis, & inclusi, quam Recentiores iidem assignabant, & præcipue ponebant inter totum, & partes, non inficior; addo tamen, quod cum non detur solum totum physicum, sed etiam Metaphysic. & Logicum, poterit hæc distinctio includentis, & inclusi ad varia genera distinctionum pertinere pro qualitate rutorum, atque ideo monui supra num. 165. hanc subdivisionem applicari quoque debere identitati, & distinctioni formali ad cognoscendam rite identitatem, & distinctionem vertentem inter gradus Metaphysicos superiores, & inferiores in serie prædicamentali, qui iuvicem ordinantur per modum includentis, & inclusi.

Postremo neque Neoterici illi, quos refert, & sequitur Amic. loc. cit. ponentes quatuor genera distinctionum, scilicet realem, rationis, modalem in sensu Recentiorum, & formalem in sensu Scotistarum, censuram omnino evadere possunt; deficiunt enim in primis admittendo distinctionem illam modalem Recentiorum, ut speciem condistinctam & disparatam a distinctione reali, quod diximus esse falsum, ut postea qu. 16. videbimus. Rursus cum cæteris deficiunt, quia tres illas distinctiones, quas ut reales agnoscunt, seu præter opus intellectus, assignant ut membra immediate dividentia distinctionem, ut sic, quod contra alios non semel impugnatum est. Et tandem sufficientia illa, ex qua colligunt quaternarium illum numerum, non satis legitima est, falso namque nititur fundamento, quod distinctio omnis rerum sumatur in ordine ad existentiarum distinctionem, quando enim id concederetur de distinctione reali, nequaquam tamen verificatur de distinctione rationis, immo nec de distinctione formali, etiamsi sit distinctio præter opus intellectus, quia hæc attenditur ut videbimus, penes varias rationes formales plurium formalitatum præscindendo ab existentia rei, cujus sunt formalitates, ut magis explicabitur infra.

QUÆSTIO VIII.

De natura Ident. & Distinct. realis.

172 Constituto numero Identitatum, & distinctionum secundum genera, & species, nunc specierum principalium, & quæ magis in scholis circumferuntur, explicanda est natura & conditio, & quia inter omnes distinctiones major, & magis obvia est distinctio realis, prius de ista tractabimus, mox de aliis. Quamvis autem identitas sit distinctione prior a toto genere, ut dictum est quæst. præc. artic. 1. in fine, tamen quia distinctio nobis manifestior est identitate, in explicanda natura cujuscumque Identitatis & distinctionis, semper prius de distinctione loquemur, quam de Identitate; adeout, quemadmodum unitas, esto sit divisione prior, tamen per negationem divisionis explicari solet, utpote quæ nobis est notior, sic etiam in proposito quælibet Identitas in particulari dignosci, & explicari debeat per negationem talis, vel talis distinctionis, etiamsi in se aliquid positivum importet, sicut unitas. Cum autem in hac quæstione naturam distinctionis realis vestigamus, non utique sumitur distinctio realis in tota sua amplitudine, prout secernitur a distinctione rationis, & coincidit cum distinctione ex natura rei, seu quæ habet esse præter opus intellectus, quia in hoc sensu non est species ab aliis condistincta, sed est genus ad omnes distinctiones, quæ habent esse præter opus intellectus, quomodocumque illud habeant; sed sumitur pro distinctione reali proprie dicta, quæ etiam dici solet distinctio realis entitativa, ut distinguatur a distinctione formali, quæ etiamsi reperiatur inter extrema sua ex natura rei, tamen non dicitur realis in hoc sensu, quia non versatur inter extrema, quæ sint res, ac entitates, sed puræ formalitates. Rursus cum de distinctione, ac identitate reali loquimur proprie dicta, quia de ea possumus loqui, & ratione relationis formaliter importatæ, & ratione fundamenti, supra quod cadit talis relatio distinctionis, aut identitatis, in præsenti non est sermo de hujusmodi genere distinctionis ratione relationis formaliter importatæ, tanquam sensus sit, an distinctio realis præseferat relationem realem inter distincta, non enim in præsenti refert, an hæc distinctio, & identitas realis relationem realem præseferant, certum siquidem est idem realiter esse, & tamen talem identitatem solam relationem rationis præseferre, solum ergo quæstio est de distinctione reali ratione fundamenti, ad quod potest consequi illa relatio, quia hæc distinctio non dicitur realis simpliciter, seu entitativa, quia ipsa sit relatio realis, sed quia extrema sunt vere res ratæ, & firmæ quoad existentiam, Deus dicitur distingui realiter a creaturis, cum tamen realationem realem ad illas non habeat. Hoc stante duo examinanda veniunt puncta in hac quæstione, primum est in quo consistat natura, & conditio distinctionis, ac identitatis realis, alterum est, quænam sint ejus sufficientia, ac legitima signa.

173 Quoad primum punctum Thomistæ, quemadmodum aliam distinctionem realem non agnoscunt præter illam, quæ immediate opponitur distinctioni rationis, & cum ipsa condividit distinctionem, ut sic, ita distinctionem realem definiunt esse illam, quæ oritur ex natura ipsorum extremorum, unde quæcumque habent, quod ex natura extremorum distinguantur, & non ab intellectu tantum, dicuntur apud ipsos realiter, ita Thomistæ omnes citati quæst. præced. artic. 2. ab initio, sequitur Hurtad. disput. 6. Metaphyc. sec. 3. & Arriag. disp. 5. sec. 1. Sed hoc facile rejicitur ex dictis ibidem, quia distinctio realis sic ample sumpta est genus ad omnem distinctionem a parte rei existentem, omnino enim necessarium est, ut constat ex ibi dictis, & postea dicendis distinguere plures modos, seu species distinctionis a parte rei, quarum una per appropriationem nominis dicatur distinctio realis, ut pote quæ inter omnes distinctiones a parte rei dicitur maxima, & perfectissima, ideoque dicitur per antonomasiam realis, & de hac in præsenti quæstione est sermo, ut eam secernamus nedum a distinctionibus omnibus, quæ fiunt per opus intellectus; sed etiam ab aliis omnibus, quæ inter extrema consurgunt ex natura rei præter quodcumque opus intellectus. Recentiores vero communiter, quia sub genere distinctionis ex natura rei, & quæ inter extrema oritur ex natura ipsorum, plures adhuc species, & gradus distinctionis agnoscunt, ut distinctionem realem proprie, de qua hic est sermo, secernant ab alia distinctione ex natura rei, quam ipsi modalem appellant, in hoc dicunt ejus essentiam consistere, quod sit rei a re, seu versetur inter rem, & rem, hoc est, inter res omnino diversas, quarum utraque simul, & actu possit conservari in rerum natura absque reali unione inter se, ut corpus & anima, Petrus, & Paulus, Petrus, & albedo illius, ac similia, ipsi enim per rem ratam, & firmam illud intelligunt, quod

quod habet tantam perfectionem, ut non indigeat altero, cui sit affixum, ad recipiendam existentiam; ita autem describunt hanc distinctionem realem, ut eam a modali secernant, quæ versatur inter rem, & modum extrinsecum, qui esto de novo adveniat, & recedat a re, cujus est modus, quia tamen se solo manere, & conservari nequit, non potest dici res proprie, neque realem fundare distinctionem; ita Suarez, Aversa, Morisanus, Amicus, & alii supracit. In hunc dicendi modum recidunt ex nostris Scotistis quamplures, qui ut hanc distinctionem realem a formali secernant, eodem modo eam describunt, ita præsertim Smisinch. tract. 2. de Deo uno disp. 1. qu. 2. nu. 50. ubi ait, quod signum ad cognoscendum in aliqua re an distinctio actualis in re sit tantum formalis, vel realis, est, quod distinctionis extrema non possint, vel possint reipsa separari, ac seorsim existere saltem per Dei potentiam, nam si priori modo se habeant, & tamen de illis verificentur contradictoria apud intellectum perfecte concipientem, formaliter, si posteriori modo realiter distinguuntur; ita etiam Tromb. art. 4. formal. p. 4. concl. 2. definit illa realiter distingui, quorum unum potest esse sine alio.

174 At neque isti rite explicant naturam distinctionis realis, quia ad distinctionem realem duorum sufficit, quod unum extremum possit ab alio divelli, & separari, nam omne ens est unum, ac per consequens indivisibile a seipso, & inseparabile, quare eo ipso quod aliqua sunt separabilia, jam non unum ens, sed duo entia realiter distincta censeri debent; neque ad rationem distinctionis realis exigitur, quod ista separabilitas sit mutua, itaut unum extremum sine alio reciproce existere possit, & conservari, nam dummodo illa extrema sint separabilia, sive hæc separabilitas sit mutua, sive non, ex ea sufficienter infertur, unum re vera non esse aliud, & reipsa esse inter se entitative diversa, quia si essent eadem entitas nec mutuo, nec non mutuo separari possent. Neque valet instantia de distinctione modali, immo hac de causa dictum est supra n. 171. & rursus infra dicemus qu. 10. distinctionem modi extrinseci a re, cujus est modus, quia potest ab eo separari, in ratione distinctionis esse vere, & proprie realem, nec constituere speciem a aliis condistincta. Scotistæ etiam illi, qui eodem modo distinctionem realem explicant non satis consequenter discurrunt ad Scori doctrinam, nam ut mox dicemus, licet separabilitas illa mutua sit sufficiens signum realis distinctionis, ut a formali secernitur, non tamen est adæquatum, & convertibile, ut videtur velle Smisinch. itaut quæcumque nequeunt sic mutuo separari, & seorsim existere, sint idem realiter, & solum distinguantur formaliter, tunc enim totum esset idem realiter cum suis partibus unitis, relationes item prædicamentales essent idem realiter cum fundamento, quia nequeunt ab eo avulsæ conservari, quæ omnia dissona sunt Scotistæ doctrinæ, ut facile constare illi potest, qui eam primoribus attigerit labiis.

175 His de causis Poncius noster disp. 20. tom. 3. cursus q. 1. nu. 10. in responsione ad quædam argumenta Suarez, quibus probabat distinctionem modi a re non esse realem, quia non est inter rem, & rem, negat distinctionem realem dici talem, quia est inter rem, & rem, sed propterea dicitur realis vere, & proprie, quia est inter positiva, & opponitur distinctioni formali, & distinctioni rationis, unde describit distinctionem realem propriam esse illam, quæ est inter extrema positiva, quæque opponitur distinctioni formali, & distinctioni rationis, & quia distinctio rei a modo est hujusmodi, contendit, & ipsam esse realem. Sed hæc definitio nihil exprimit distinctionis realis, ut a formali secernitur, per hoc enim quod distinctio realis opponatur distinctioni rationis, non opponitur distinctioni formali, cum talis oppositio sit utrique communis, quia utraque est præter opus intellectus; per hoc etiam quod versatur inter extrema positiva, non adhuc opponitur distinctioni formali, quia & hoc illi convenit, per quid ergo opponitur distinctioni formali? certe non alia ratione, nisi quia extrema positiva distinctionis formalis sunt realitates, & realitates, at extrema ipsius distinctionis realis sunt res, & res, & hoc ipsum discrimen assignat ipse postea quæst. seq. inter extrema positiva distinctionis realis, & distinctionis formalis; inconsulto igitur negavit distinctionem realem esse illam, quæ est inter rem, & rem, ut defenderet distinctionem modalem Recentiorum esse realem, potius enim negare debebat modum non esse rem, & rem, quatenus fundat distinctionem realem, dici solum illud, quod se solo existat, vel saltem existere potest, ut nos de facto negavimus quæst. præced.

Non ergo rejicienda est definitio illa distinctionis realis, quod est illa, quæ versatur inter rem, & rem, sed potius explicandum est, quid sit res, prout a realitate secernitur, & quidem Tromb. 5. Met. qu. 5. art. 4. & qu. 6. art. ultim. & 7. Met. quæst. 8. art. 4. & Bonet. lib. 3. suæ Met. inquiunt, distingui, ut rem a re, est distingui per varias existentias, quia non distinguuntur realiter, quæ habent eamdem existentiam, ut gradus metaphysici, quia non sunt capaces existentiæ, nisi tota entitas ex utraque formalitate conflata, ergo e contra quæ distinguuntur realiter, habent diversas existentias, videntur autem loqui de actuali existentia, quia sic explicat distinctionem realem in ordine ad existentiam Magister Formalit. art. 2. princip. part. 5. ejusdem articuli dicens, quod distinctio realis est illa, cujus extrema habent aliam, & aliam realitatem formaliter positivam actualis existentiæ, vel saltem substantiæ, quod addit propter divinas personas, quia tenet, in divinis esse tantum unam existentiam, licet sint tres substantiæ, ex quo deducit ibidem Doduer. lib. 3. formalit. cap. 21. cum aliis Formalistis non esse eadem realiter, neque realiter distingui illa, quæ sunt in potentia objectiva, veluti duæ rosæ futuræ, nec ens in potentia, & aliud in actu, ut Petrus existens, & Antichristus; quia distinctio realis ambo extrema actu existentia requirit. Sed neque etiam hanc explicationem realis distinctionis in ordine ad actualem existentiam extremorum satis libenter recipio, quia cum hic non sit sermo de distinctione reali ratione realis relationis, quam formaliter importat, quæque petit extrema actu existentia, cum est prædicamentalis, sed ratione fundamenti, cui convenit talis relatio, ut dictum est ab initio quæstionis, non videtur distinctio realis petere necessario extrema actu existentia. Tum quia distinctio realis tam esse potest inter essentias secundum se, quam ut existentes, quia utroque modo habent rationem entis, cujus passio est unitas, ac identitas, & distinctio, ergo res positivæ etiam non existentes possunt realiter distingui, atque ideo distinctio realis non necessario exigit extrema existentia, qua ratione etiam ipsemet Magist. Formalit. p. 1. princ. divis. 4. dixit Sortem, & Platonem in esse objectivo realiter distingui. Tum quia non minus distinguuntur homo, & asinus, dum non existunt, ac dum existunt, distinctio enim consequitur ad proprias quidditates illorum, quæ abstrahunt ab existentia. Tum quia distinctio consequens essentiam extremorum semper illis convenit, sive actu existant, sive non, & si non convenit illis dum non sunt, nec illis convenire poterit, cum postea existunt, nam prædicata necessaria non conveniunt rebus ex positione existentiæ, sed præscindendo ab existentia, distinctio autem, ut est passio entis, est prædicatum necessarium secundi modi. Demum existentia in creatis non est de ratione essentiæ, ut infra dicetur disp. 8. sed est illi accidentalis, ergo non potest addere, vel demere essentiis rerum secundum se consideratis vel identitatem, vel distinctionem realem essentialem.

176 Dices cum Manzolio tract. de distinct. cap. 5. creaturas ante creationem non fuisse entia realia intrinsece, & in se, sed extrinsece, & per denominationem extrinsecam, nam erant entia possibilia non per potentiam intrinsecam, sed per potentiam Dei potentis illas producere. Sed licet creaturæ dicantur objective possibiles per denominationem extrinsecam ab omnipotentia Dei loquendo, tamen de possibilitate logica ipsæ creaturæ futuræ dicuntur seipsis formaliter possibiles, & intrinsece, quia omnipotentia Dei non fertur in impossibile, sed supponit intrinsecam non repugnantiam ex parte rei producendæ, ut ostendam ex professo d. 8. qu. 1. art. 3. a num. 27. & ideo allata responsio omnino falsa est. Dices, inter illa entia impossibilia dari tantum negationem identitatis, non autem distinctionem, quæ dicit aliquid positivum. Contra, quia unitas consequitur ad quidditatem cujuscumque entis sive existat, sive non existat, at unitas est conjuncta cum distinctione ab alio, tum quia duo entia possibilia sunt extrema positiva, ergo non solum possunt dici non idem, sed etiam distincta. Dices essentiam rei possibilis in tali statu non posse dici ens reale positivum, sed potius non ens, & nihil, cum actu non existat, nisi admittantur res possibiles habuisse ab æterno esse reale actuale essentiæ distinctum ab esse existentiæ, quod Doctor impugnat 1. d. 36. contra Henricum. Contra, quia inferius loc. cit. disp. 8. num. 46. ostendam etiam in sententia negante esse reale actuale essentiæ rerum ab æterno, essentiam rei possibilis secluso existentia posse dici vere ens reale, seu veram rationem entis possidere, prout distinguitur a nihilo, per hoc quod illi ex sua ratione formali esse existentiæ in rerum natura non repugnat, quæ est ratio ipsissima entis realis, prout a nihilo distinguitur, & impossibili. Dices, sicut ens in potentia non est actu ens, sed potest esse ens, ita distinctio, quæ convenit enti in potentia, non est actualis, sed possibilis, sed ante existentiam nullum ens dicitur esse actu, cum omnis actualitas sit ab existentia, sed in potentia, ergo neque distinctio illis extremis conveniens in eo statu possibili est actualis, sed possibilis; & hac ratione Suarez disp. 4. Met. sect. 1. num. 16. dixit Deum ab æterno existentem non habuisse ab æterno hanc distinctionem a creaturis, quia creaturæ non fuere ab æterno, seu Deum ab æterno habuisse non identitatem cum creatura, nec potuisse habere distinctionem, nisi possibilem, ita etiam Ovvied. contr. 4. Met. punct. 1. ab initio, & Hurtad. loc. cit. & hac etiam ratione Vulpes noster tom. 1. p. 1. disp. 29. art. 8. concl. 2. ait, inter creaturas terminantes scientiam divinam secundum esse reale, quod eis non repugnat, reperiri dumtaxat distinctionem realem potentialem, sicut & ipsæ non sunt entia realia, nisi potentialia.

177 Sed contra istos Recentiores posset urgeri præsertim ad hominem, quia ipsi volunt distinctionem non dicere aliquid positivum, sed solam non identitatem unius rei cum alia, ut constat ex dictis quæst. præc. art. 1. ergo si Deus ab æterno non habuit identitatem cum creaturis possibilibus, habuit actualem, & formalem distinctionem, tum quia Deus ab æterno non erat actu creatura possibilis, ergo actu realiter ab ea distinguebatur. Quod si cum Ovvied. dicas nomine distinctionis non solum significari hoc non esse illud, sed relationem positivam diversitatis inter extrema, ad quam diversitatem requiritur utriusque extremi existentia; plane sic dicendo recedunt a sententia, quam profitebantur, ponente distinctionem in sola negatione identitatis, & in hoc puncto nobis dant manus. Vulpes autem esto distinctionem Petri, & Pauli, & possibilis dicat esse potentialem, illam tamen ibidem appellat distinctionem

realem

realem simpliciter quatenus est inter res natas, & firmas quoad existentiam saltem possibilem, quod est id, quod hic intendimus; & sic etiam significavit Vallon. 1. part. prin. Formalit. divis. 4. dum distinctionem realem dividit in actualem, & potentialem; quorum priorem inter res actu existentes posuit, posteriorem vero inter res habentes esse objectivum dumtaxat, unde etiamsi dicatur distinctionem Petri, & Pauli possibilis esse potentialem, quatenus illa extrema actu non existunt, adhuc tamen cum hoc stat, quod talis distinctio sit realis simpliciter, sicut cum hoc quod Petrus possibilis sit ens reale potentiale, adhuc stat, quod sit ens reale simpliciter, prout ens reale distinguitur a nihilo, & impossibili, ut infra dicetur disput. 8. num. 46. Addo adhuc tamen illam distinctionem realem inter entia possibilia posse etiam quoquo pacto appellari realem actualem, sicut & ipsum ens possibile posse dici ens actu actualitate, ut aliqui ajunt, complexa, quatenus essentia rei possibilis actu includit sua prædicata quidditativa, & non est in potentia ad talem inclusionem, alioquin esset nihil essentialiter; sicut ergo ens possibile per talem actualem inclusionem actu distinguitur ab omnino nihilo, & chimæra, ita quoque dici potest ens in actu, non quidem simpliciter, quia tale constituitur per solam existentiam actualem, sed tantum secundum quid, & eodem modo dici potest realiter actualiter distingui ab alio ente possibili; sed sive hæc distinctio dicatur realis actualis in præfato sensu, sive realis potentialis, nobis sufficit quod dici potest distinctio realis simpliciter, quatenus non est inter duo non entia, aut inter unum ens possibile, & aliud impossibile, sed inter duo entia possibilia, quæ vere participant rationem entis, ut distinguitur ab omnino nihilo, & impossibili.

178 Dicendum igitur est, distinctionem realem esse, quæ est inter rem, & rem juxta explicationem hujus vocabuli datam num. 160. ubi diximus illam tantum essentiam vere, & proprie dici posse rem, cui propria existentia correspondet actualis, vel possibilis, sive possit per se, & in se existere, sive solum cum alio, non enim quicquid suam habet existentiam potest confestim se solo existere, immo quædam propriam habent existentiam, quæ ob peculiarem dependentiam essentialem ab alio perunt necessario in eo, vel cum eo coexistere, ut constat de actibus vitalibus, respectu potentiæ vitalis in communi, & probabili sententia Thomistarum, de toto, & partibus, de relationibus in ordine ad fundamentum &c. Ex quo fit, distinctionem realem optime desumi ab essentia rei simul cum ordine ad existentiam, sive actualem, sive possibilem, sive perfectam, & solitariam, sive imperfectam, ac ab alio pendentem, cum quo necessariam, ac indispensabilem habet connexionem, unde versatur nedum inter duas res actu existentes, sed etiam existere possibiles, sive possint per se, & immediate produci, sive petant necessario produci cum alio, vel in alio, sicut universaliter est de omnibus relationibus prædicamentalibus, & modis, quæ licet per se esse, & produci non possint sine subjecto, & fundamento etiam per potentiam Dei absolutam, ex eo tamen quod eis de novo advenire possunt, ac destrui illis permanentibus, arguimus, quod ipsa quoque propriam habeant existentiam, licet imperfectam, & diminutam, secundum quam possunt produci saltem in alio, ac destrui illo remanente, atque ideo posse dici res, quatenus a realitate distinguitur, quæ nullam prorsus habet propriam existentiam, aut productionem physicam, sed existit omnino per existentiam rei, cui dicitur identificata. Et modus explicandi distinctionem realem hoc modo per ordinem ad varias existentias sive actuales, sive possibiles, sive perfectas, sive imperfectas, colligi potest, & comprobari ex Scoto 1. dist. 36. & Mag. Formalit. art. 1. ubi ait rem accipi posse vel prout dicitur a ratus, rata, ratum, idest firmum, quæ sic dicta solet appellari res simpliciter, alio modo, ut dicitur a reor, reris, idest, opinor, opinaris, quæ sic dicta solet appellari res secundum quid, quo pacto omnia a nobis opinabilia, etiamsi sint impossibilia, dicuntur res secundum quid, quia res opinabiles; res autem primo modo accepta ex Scot. 1. dist. 36. ad 1. princ. duplieiter dici potest ens ratum, aut quia habet actu esse firmum, & verum essentiæ, & existentiæ, vel etiam subsistentiæ, aut saltem quia tale esse sibi non repugnat, per quod distinguitur a figmentis, quæ neutro modo habent esse ratum, & firmum. Cum ergo dicitur distinctio realis simpliciter versari inter rem, & rem, hoc utique intelligi nequit de re, ut venit a reor, reris, sed ut venit a ratus, rata, ratum, & quia ratitudo, & firmitas non habetur in re nisi per ordinem ad existentiam, quod potest contingere dupliciter aut, per ordinem ad existentiam actualem, aut saltem possibilem, hinc fit, distinctionem realem simpliciter posse intercedere tam inter duo entia rata, & firma quoad existentiam actualem, quam quoad possibilem, quorum unum simpliciter non est aliud. Distinctio igitur realis, de qua hic est sermo, est illa, quæ versatur inter duo extrema, quæ sunt res, vel entia habentia esse ratum, & firmum modo explicato, idest existentiam actualem, vel possibilem, sive perfectam, sive imperfectam, qualis est modorum, & relationum, quæ aliis coexistere indigent, vel in aliis.

Sed obiiciunt aliqui Scotistæ distinctionem realem versari debere inter extrema positiva actu existentia, quia quod non est in se, non potest referri, & comparari ad aliud, sed entia quæ non existunt, non sunt in se, ergo neque possunt habere identitatem, neque distinctionem respectu aliorum, quia hæc dicunt comparationem quamdam unius cum alio. Conf. quia distinctio est relatio realis, at hæc exigit extrema realia, & existentia, quia non potest habere majus esse res, quæ est in alio, quam habet subjectum, vel fundamentum, in quo est. E contra vero Augustinus Musæus tract. suo de distinctionibus probat ad distinctionem realem nedum necessaria non esse extrema existentia, sed nec etiam positiva, nam eo ipso quod res habent proprium conceptum, sive sint positivæ, sive negativæ, distinguuntur ab aliis, quæ carent illo conceptu. Conf. quia ubi est maxima oppositio, ibi est maxima distinctio, sed inter extremum positivum, & negativum est maxima oppositio, quia opponuntur contradictorie, vel privative, ergo inter illa est maxima distinctio, atque ideo distinctio non exigit utrumque extremum positivum. Demum qu. præc. art. 2. recensendo genera, & species distinctionum, distinctionem realem subdivisimus in distinctionem realem positivam, & negativam, quæ intercedit inter ens, & non ens, vel inter duo non entia, ergo distinctio realis non potest ex sua natura versari inter extrema positiva, alioquin sic dividi non posset.

179 Resp. ad 1. cum conf. ut dictum est ab initio quæst. non esse hic sermonem de distinctione ratione relationis formaliter per ipsam importatæ, sed ratione fundamenti, cui convenit talis relatio, & ideo argumentum non est ad rem. Deinde si quid probat argumentum illud cum conf. probat solum super extrema non actu existentia, sed solum possibilia, fundari non posse distinctionem realem, ut dicit relationem prædicamentalem, quod gratis concedimus, quia talis relatio utique postulat extrema actu existentia, sed non probat, quin possit super illa fundari distinctio realis, ut dicit relationem transcendentalem, quo pacto est passio entis, sicut enim hæc non petit necessario terminum actu existentem, ita quoque fundari poterit in una re possibili ad aliam rem possibilem; & denique jam supra dictum est, entia possibilia aliquo pacto dici posse habere actu suum esse essentiæ actualitate non quidem incomplexa, sed complexa per inclusionem, scilicet actualem prædicatorum quidditativorum. Ad aliud argumentum pro parte opposita cum sua conf. dicendum est, concludere de distinctione negative sumpta, scilicet pro non identitate, hæc enim utique reperitur inter ens, & non ens, ut inter habitum, & privationem, ac etiam inter duas privationes, non autem de distinctione positive sumpta, scilicet pro diversitate, quo pacto est passio entis, hæc enim necessario versari debet inter duo extrema positiva, quæ taliter se habeant ut unum entitative sit extra aliud, neque cum illo communicare possit in esse, hoc autem modo negatio, & privatio nequit dici esse aliud quid ab ente positivo, & non communicare in esse cum ipso, quia non sunt capaces essentiæ, & existentiæ realis; unde etiam cum distinctio realis dividitur in positivam, & negativam, non est divisio univoci in sua univocata, sed potius æquivoci, ideoque superius tradendo illam subdivisionem diximus distinctionem negativam non esse proprie distinctionem realem, sed imperfecte, ac veluti similitudinarie, quatenus duæ privationes in suo ordine proportionaliter loquendo ita distinguuntur, sicut inter se distinguuntur habitus oppositi, & si essent aliquid positivum, non nisi distinctione reali distinguerentur.

Deinde obiiciunt alii non bene distinctionem realem peti ex pluralitate existentiarum, quia distinctio realis suppositorum non attenditur penes existentias diversas, nam contingere potest, quod aliqua sic realiter distinguantur, & tamen eamdem habeant existentiam, ut patet in divinis, ubi unica datur existentia, & tamen sunt tria supposita realiter personaliter distincta. Confir. quia Formalitates distinctæ habent distinctas existentias formaliter, ut quamplures Scotistæ docent, Lichet. 1. d. 8. qu. 3. §. *occurrit*, Smisinch. tract. 1. de Deo uno disp. 2. nu. 36. Faber 9. Met. disp. 2. cap. 2. Meurisf. 1. Met. qu. 20. concl. 5. & alii passim, quod colligunt ex Doctore pluribus in locis, sed præcipue 2. d. 3. qu. 1. §. *ad quæstionem*, & qu. 3. vers. *Præterea*, ubi docere videtur, naturam communem habere proprium esse reale extra animam distinctum formaliter ab esse naturæ singularis, sicut habet propriam quidditatem, & realitatem, ex quo etiam sequitur nullum esse discrimen suprapositum nu. 160. inter Rem, & Realitatem, quod illi propria correspondet existentia, & consequenter propria productio physica, quæ non nisi ad existentiam immediate terminatur, non autem isti; nullum, inquam, est, si etiam Realitatibus, & Formalitatibus propria correspondet existentia.

180 Respond. ad hanc difficultatem evitandam consulto dixisse Magistrum Formalit. distinctionem realem esse illam, cujus extrema habent aliam, & aliam existentiam, vel saltem subsistentiam, quod addidit (inquit) quia licet in divinis sit unica existentia, sunt tamen tres subsistentiæ, quam sequitur Vallo tract. Formal. pag. mihi 200. Vulpes d. 63. de Trin. art. ult. Sed non desunt insigniores Scotistæ oppositum docentes, & in divinis admittentes, nedum tres subsistentias, sed etiam tres existentias relativas realiter distinctas, ita Smisinch. loco nuper allegato, & Faber 1. sent. disp. 26. Lich. 1. dist. 1. qu. 1. art. 2. & alii, quam quoque sententiam late defendit Suarez lib. 3. de Trin. cap. 5. & tom. 1. 3. part. disp. 11. sect. 2. juxta quem dicendi modum nil prorsus urget argumentum. Ad Conf. licet opinio illa tribuens singulis quoque formalitatibus propriam existentiam sit valde communis inter Scotistas, & eam aliquando ego quoque sim obiter secutus, oppositam tamen valde probabiliorem puto, ac defendo cum Tromb. & aliis Scotistis inferius disp. 8. qu. 4. nu. 174. solis rebus propriam correspondere existentiam, realitates vero, & formalitates non ex se habere propriam existentiam, sed omnes, & singulas adæquate existere per eamdem existentiam illius rei,

rei, in qua sunt immersæ, & imbibitæ per realem identitatem, & ratio ibi assignatur, quia non est immediate, & formaliter existentiæ capax, nisi id, quod potest esse terminus, & effectus physicæ causalitatis, quandoquidem per talem causalitatem communicatur effectui entitas actualis, quæ est existentia, & quia formalitates non sunt effectus accipientes esse per aliquam physicam causalitatem distinctam ab ea, qua ipsa res producitur, cujus sunt formalitates, ideo sicut carent propria productione, ita etiam propria existentia. Accedit, quod existentia illi tantum existentiæ correspondet, quæ includit totam illam seriem rationum Metaphysicarum, quæ requiruntur ad descendendum a summa ratione entis usque ad aliquam rationem infimam alicujus speciei, quæ possit immediate individuari, itaut inter rationem entis, & infimam speciei individuabilem intercedant omnes aliæ rationes intermediæ, omnis enim talis essentia eo ipso, quod omnes istos gradus superiores, & inferiores includit, propriam sibi vendicat existentiam ab aliis distinctam, atque adeo propriam habet entitatem, quia habet sufficiens esse pro ipsa constituenda, adeo ut possit esse terminus immediatus causalitatis physicæ; satis autem de se constat, nullam realitatem Metaphysicam omnes illos gradus includere, cum ipsa sit gradus quidam integræ entitatis omnes illos gradus includentis; & ideo nullus gradus Metaphysicus, nullaque realitas seorsim sumpta est existentiæ capax, sed existit per existentiam integræ entitatis, quam Metaphysice constituit simul cum aliis, neque Doctor cit. oppositum docet, ut inferius disp. 8. loc. cit. ostendemus. Quod si opposita defendatur sententia singulis etiam formalitatibus propriam correspondere existentiam, adhuc aliquo modo, licet non ita commode, posset explicari distinctio realis per pluralitatem existentiarum, dicendo, realitates imperfectam importare existentiam ex parte utriusque extremi, adeout nec mutuo, nec non mutuo possint abinvicem separari, & una manere ab alia separata, at extrema distinctionis realis, vel ambo perfectam possident existentiam, ita quod mutuo separari possunt, & separata existere, vel saltem alterum illorum, ut dicitur de re respectu sui modi extrinseci, quod numquam evenit in extremis distinctionis formalis.

De signis, & regulis Distinctionis realis.

181 QUoad aliam partem quæstionis de signis, & regulis realis distinctionis, plura solent assignari, sed quia quædam sunt inutilia, ac insufficientia, quædam vero licet sint sufficientia, non tamen sunt adæquata, ideo breviter singula principalia, & magis frequentia in scholis percurrere juvabit. Primum signum investigandi realem distinctionem solet quibusdam assignari contradictio a parte rei, nam a parte rei nequeunt de eodem contradictoria verificari, quando ergo de duobus verificantur contradictoria a parte rei, hinc dicunt inferri posse realem distinctionem inter illa. Sed quamvis hoc signum sufficiens utique sit ad indagandam distinctionem ex natura rei, ut est genus ad omnes distinctiones præter opus intellectus, ut dictum est supra num. 168. minime tamen sufficiens est ad indagandam distinctionem realem, de qua hic est sermo, ut est species condistincta a distinctione formali, quia contradictio a parte rei de se indifferens est ad utramque inferendam, si enim est contradictio secundum esse reale, vel saltem secundum quædam prædicata spectantia ad esse reale, ut esse, & non esse, esse productum, & non esse productum, causatum, & non causatum, hæc, inquam, inferunt realem utique distinctionem inter ea, de quibus verificantur; at si est contradictio secundum esse formale tantum, infert tantum formalem distinctionem, non realem, nam multæ propositiones veræ sunt in sensu reali, & identico, quæ non admittuntur in sensu formali, ut in homine, quod cum equo conveniat per animalitatem a parte rei, & a parte rei differat per rationalitatem, hæc contradictoria inter animalitatem, & rationalitatem non inferunt realem distinctionem, sed tantum formalem; non ergo contradictio a parte rei simpliciter, & absolute sumpta sufficiens signum est realis distinctionis, sed debet esse contradictio secundum esse reale, aut secundum prædicata spectantia ad esse reale.

182 Secundum signum pro reali distinctione inferenda solet assignari existentiarum diversitas, quæ enim diversas habent existentias, utique distinguuntur realiter, quia distinctio realis præsertim attenditur, ut dicimus, penes diversas rerum existentias, ita Bonet. lib. 3. suæ Metaph. cap. 2. & hoc acceptatur a Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 64. sect. 4. nedum ut sufficiens, sed etiam ut adæquatum, & convertibile cum distinctione reali. Nihilominus hoc præsertim reiicitur a Suarez, ut inutile, disp. 7. Metaph. sect. 2. num. 14. ac veluti petitivum principii, quia non minus difficile est videre, ac discernere inter aliqua duo, quod habeant existentias distinctas, quam quod sint realiter distincta, imo in aliquibus idem videtur esse realiter distingui, & habere existentias diversas. Conatur Pasqualig. loc. cit. hanc impugnationem repellere, ut defendat diversitatem existentiarum esse sufficiens, & adæquatum signum pro distinctione reali; sed breviter dicendum est, rationem Suarez probare solum, quod diversitas existentiarum re vera non est aliquis effectus a posteriori realis distinctionis, quo uti possimus, veluti signo ad indagandam realem distinctionem, quia, ut supra diximus, potius est formale constitutivum illius; si enim verum est (uti est verissimum) existentiam non distingui realiter ab essentia, sed esse actualem rei entitatem, perinde est dicere, ut bene arguit Suarez, illa distingui realiter, quæ habent existentias distinctas, ac si diceretur, ea distingui realiter, quæ habent entitates distinctas, unde impugnatio Suarez potius est pro nobis, ostendit enim diversitatem existentiarum non esse signum a posteriori indagandi realem distinctionem, sed potius formale constitutivum ejus; alias etiam urget Suarez impugnationes, posse scilicet res realiter distinctas eadem indivisibili existentia existere, sed quia urget illas in sententia realiter distinguente essentiam ab existentia, nobis non officiunt.

183 Tertium signum, quod solet afferri pro distinctione reali, est oppositio producentis, & producti, causantis, & causati; ita Magist. formalit. art. 4. minus princ. & art. ult. princ. part. 1. cum omnibus Formalistis Mairon. 1. dist. 8. quæst. 1. art. 3. & tract. Formal. art. 2. §. *nunc autem*, & suscipit Fonsec. 5. Metaph. cap. 6. qu. 6. sect. 1. nedum pro signo sufficienti, sed etiam adæquato realis distinctionis. Attamen Suarez loc. cit. num. 19. nedum damnat hoc signum, ut inadæquatum, sed etiam ut sufficiens, quem sequitur Amic. trac. Formalit. quæst. 12. dub. 2. art. 2. quia si productio sit accidentalis, & terminetur ad aliquid, quod uniatur, & conjungatur producenti, potest aliquando ad modum aliquem ejusdem producentis terminari, ideoque ad aliquid, quod solum modaliter a producente distinguatur; probatur assumptum, nam utique potest aliqua res producere modum suum, sic quod est ab intrinseco mobile producit in se motum localem, & præsentiam in loco, item res est causa sui modi in genere causæ materialis, & tamen inter rem, & modum non adest distinctio realis, sed modalis; Immo etiamsi productio sit substantialis, licet non possit idem seipsum omnino prima productione ponere in esse, potest tamen id facere secundaria productione, quæ se habeat veluti per modum conservationis, quemadmodum de facto opinatur ipse de Christi humanitate in Eucharistia seipsam conservante; quare putant hanc regulam coarctari debere tum ad productionem primam substantialis suppositi, non secundariam, tum ad productionem accidentis non uniti ipsi producenti, quia hoc accidens existit seorsim a producente; Objicit etiam Achillin. contra hanc regulam tract. de dist. cap. 23. quia passiones originantur a subjecto, & tamen non distinguuntur realiter ab ipso; & alii rursus quod totum essentiale causatur a partibus unitis, & tamen realiter non distinguitur ab illis.

Nihilominus fatendum est hoc esse verum, & sufficientissimum signum realis distinctionis, quia ut ait Augustin. 1. de Trinit. cap. 1. nihil potest seipsum gignere, quod nedum verum est de productione primaria, ut ajunt Amic. & Suarez, sed etiam secundaria, alioquin enervaretur argumentum, quo Patres utuntur ad probandam distinctionem personalem in Trinitate contra Sabellium, ut fuse contra ipsos demonstravi disp. 8. Physic. quæst. 2. art. 1. quod adhuc evidentius est de oppositione relativa causantis, & causari, quia ut notat Doctor 2. dist. 25. quæst. unic. §. *ad primam*, licet relationes producentis, & producti repugnent in eadem persona, non tamen in eadem natura, sicut patet in divinis; sed relationes causæ, & causati, quia dicunt dependentiam essentialem, repugnant non solum in eadem persona, sed etiam in eadem natura. In productione item accidentali hoc signum verum est ad realem distinctionem inferendam inter producens, & productum, dummodo productio sit realis, & physica, & ratio est, quia si intervenit verus influxus physicus, debet per hunc influxum poni in actu aliquod esse, ut terminus ejus, ergo erit aliquod esse distinctum realiter ab eo, a quo est influxus, influens enim, & communicans esse sive substantiale, sive accidentale, antequam communicet, supponitur habere proprium esse præsertim in creatis, qua ratione negandum est motum non distingui realiter a potentia motiva, & universaliter quemlibet modum extrinsecum a re cujus est modus, ut inferius patebit, ubi probabimus distinctionem hanc modalem pertinere ad distinctionem realem, nec speciem ab ea condistinctam constituere, ut opinatus est Suarez, & ideo limitationes adductæ ab ipso pro hac regula verificanda vanæ sunt, & inanes; quia universaliter vera est ob rationes allatas; cujus quoque universalem veritatem minime labefactat argumentum Achillin. de subjecto, & passione, ac aliorum de toto, & partibus, quia regula intelligitur de originatione, & productione physica, & reali, non vero de simplici emanatione metaphysica, quo solo modo dicitur passio originari a subjecto ex dictis in log. disput. 5. quæst. 4. art. 1. & superius disput. 4. num. 14. totum vero physicum, & essentiale, sicut vere causatur a materia, & forma in genere causæ materialis, & formalis intrinsecæ, ita pariter ob hanc rationem distinguitur realiter ab illis, ut dictum est disp. 5. Physic. quæst. 13. art. 1. Hoc igitur signum distinctionis realis sufficiens est, ac universaliter verum, addo tamen non esse adæquatum, & convertibile cum reali distinctione, ut putavit Fonsec. neque ut tale affertur a Scotistis, nam ratio in oppositum est evidens, homo enim, & equus realiter distinguuntur absque tali oppositione relativa causæ, & effectus, producentis, & producti, sic etiam duo individua ejusdem speciei, & ut exemplum afferamus etiam in conjunctis in eodem subjecto, & dulcedo in lacte realiter distinguuntur, & tamen inter ipsa nec est alietas producentis, & producti, causæ, & causati, & alia hujusmodi exempla sunt passim obvia; quod autem Scotistæ signum illud non afferant, ut

adæqua-

adæquatum pro distinctione reali, ex eo liquet, quod ultra illud alias quoque addunt regulas.

184 Quartum signum, vel regulam afferunt Formalistæ nostri ex Sirect, tract. formalit. artic. ultim. quod ea sunt distincta realiter, quæ sunt in pluribus rebus, vel subjectis realiter distinctis, quod signum est adeo evidens, ut nulla videatur egere probatione, quia nihil potest a seipso dividi, & separari, si ergo aliqua reperiuntur in pluribus rebus realiter distinctis, signum evidens est illa realiter distingui; Adhuc tamen contra hoc duæ afferri solent difficultates. Prima est de modis, nam si modi comparentur inter se, non distinguuntur realiter, cum extrema non se habeant, tamquam res, & tamen possunt esse in rebus realiter distinctis, non ergo est universalis hæc regula, quod realiter distinguantur, quæ sunt in rebus realiter distinctis; Altera difficultas est de anima rationali, quæ est in diversis partibus corporis, & tamen servat suam identitatem. Prima difficultas de modis parum nos urget, quia cum loquatur de modis rerum extrinsecis, dicimus, illos modos tam inter se, quam a re, cujus sunt modi, realiter distingui, imo præsertim plures modi invicem comparati dici debent inter se realiter distincti, quia neuter respectu alterius habet rationem modi, & cum alioqui quilibet modus extrinsecus in se sit res, ut a realitate distinguitur, ut inferius dicemus loquendo de distinctione modali, consequenter dici debent inter se distingui realiter; Ad aliam difficultatem de anima rationali ait Poncius cit. subjectatum in uno subjecto non necessario realiter distingui ab eo, quod subjectatur in altero subjecto realiter distincto, si illa duo subjecta constituant unum per se sive physicum, sive integrale, sicut contingit in proposito de anima rationali, quæ licet subjectetur in diversis partibus corporis, istæ tamen sunt inter se continuatæ, & constituunt unum per se physicum, & integrale; si vero subjecta sunt abinvicem discreta, & discontinuata, utique quæ subjectantur in ipsis sunt realiter distincta; Sed hoc difficultatem evacuare non videtur, quia continuatio illorum subjectorum adinvicem non videtur afferre posse majorem unitatem subjectatis, quam ipsis subjectis, sed sic est, quod ipsis subjectis non affert unitatem identitatis, sed solum continuitatis, & integritatis, ergo tantam unitatem, & non majorem poterit quoque præstare formis subjectatis in ipsis; Accedit, quod Deus est in omnibus mundi rebus, quantumcumque dissitis intime per illapsum generalem, non minus quam anima partibus corporis per informationem, & sic etiam Angelus potest esse præsens pluribus partibus dissitis, & discontinuis intra sphæram sui loci adæquati, & tamen talis discontinuatio non infert aliquam realem distinctionem in substantia divina, aut Angelica hic, & ibi existentem, ergo aliunde provenit, quam ex continuatione, quod anima informet plures partes corporis inter se realiter distinctas retinendo adhuc suam unitatem, ac identitatem.

Itaque dicendum ideo animam servando suam identitatem in diversis partibus corporis subjectari, quia ob sui illimitationem in nulla illarum adæquate reperitur, qua etim de causa eadem Angelica substantia esse potest in pluribus partibus sui loci adæquati etiam dissitis, & discontinuis, & eadem substantia divina in omnibus mundi rebus; unde ut regula allata veritatem habeat, ita intelligi debet, ut ea intelligantur realiter distincta, quæ sunt in pluribus rebus realiter distinctis totaliter, & adæquate, quo pacto non est anima in pluribus partibus corporis; qua autem de causa nulla forma etiam anima rationalis possit naturaliter informare plures materias inadæquatas abinvicem divisas, & discontinuas, dictum est disput. 5. Physic. num. 73. Hoc tamen signum realis distinctionis, licet cum allata declaratione sit verum, adhuc tamen mihi videtur superfluum, quia coincidit cum signo separationis actualis, secundum unionem, de quo postea, quæ enim præfato modo sunt in diversis subjectis, sunt separata, atque ideo realiter distincta, non ergo hæc regula habet ex se aliquam efficaciam, sed tantum ab actuali separatione secundum unionem.

185 Quintum signum assignari solet ex generatione, & corruptione, ut scilicet illa censeantur eadem realiter, quæ eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, & illa e contra realiter distincta, quæ diversis generationibus generantur, & diversis corruptionibus corrumpuntur; hoc signum præcipue assignant nostri Formalistæ cum Sirecto, & desumunt ex Arist. 4. Metaph. tex. 3. ubi docet ens, & unum eamdem dicere naturam, qui eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, & 7. Topic. cap. 1. ait, *quæcumque simpliciter eadem, etiam generationes, & corruptiones eadem*. Et probari potest ex superius dictis, dictum est enim, illa realiter distingui, quæ important diversas res, idest diversas essentias, ac existentias, & rem proprie dici, quæ potest esse terminus ad quem physicæ productionis, vel terminus a quo corruptionis, cum ergo generatio terminetur ad existentiam rei, & hæc eadem sit terminus a quo corruptionis, plane sequitur, quæ habent diversas generationes, & corruptiones, habere quoque diversas essentias, & existentias, & sic optime ex diversa generatione, & corruptione rerum deduci potest realis distinctio illarum, qua de causa Pasqual. loc. cit. hoc signum recipit, nedum ut sufficiens, sed etiam ut adæquatum, & convertibile cum distinctione reali, itaut quoties adsunt distinctæ generationes, & corruptiones, adsint etiam distinctæ res, & e contra; sed hæc regula licet sit universaliter vera in creatis, tamen nequit dici universalis simpliciter, quia inter divinas personas est realis distinctio, ubi tamen locum non habet generatio, & corruptio, & licet sint ibi duæ personæ productæ, scilicet Filius, & Spiritus Sanctus, quarum realis distinctio bene venari potest ex diversis earum productionibus, quarum una est per intellectum, alia per voluntatem, adhuc tamen est etiam ibi persona improducta ab illis realiter distincta, scilicet Pater æternus, & omnes sunt incorruptibiles, & prorsus indefectibiles.

At contra hanc regulam solet obiici, quod forma substantialis, ejusque connaturales proprietates accidentales, ut ignis, & calor, aer, & levitas &c. eadem generatione generantur, ac eodem pereunt interitu, & nihilominus realiter distinguuntur; sic etiam forma substantialis, & totum substantiale, quæ tamen sunt realiter distincta, ergo &c. Resp. negando assumptum, aliud siquidem est aliqua simul generari, & corrumpi, aliud vero eadem actione generari, & corruptione corrumpi, primum significat naturalem, & necessariam connexionem generationis, & corruptionis plurium ob aliquam essentialem dependentiam, vel resultantiam unius ab alio, secundum significat aliqua per eamdem indivisibilem actionem recipere esse, vel amittere; forma ergo, ejusque connaturales proprietates, similiter totum, & partes dicuntur una, & eadem actione produci, at etiam corrumpi, non unitate indivisibilitatis, quia diversa est actio, qua producitur totum, & qua producitur forma ex dictis disp. 2. Physic. num. 145. diversa item actio, qua producitur forma substantialis, & qua producuntur ejus connaturalia accidentia ex dictis disp. 5. de gener. & corrupt. num. 23. sed unitate connexionis, quatenus proprietates naturales connaturaliter comitantur formam substantialem, & quodammodo ab ea resultant, & compositum substantiale necessario resultat ex productione formæ in materia; & in hoc sensu explicat Tromb. hanc regulam in Formalit. p. 4. art. 4. ac Arist. dictum 4. Met. 3. quæ una productione generantur esse idem, debet enim intelligi de his quæ per se fiunt, ac immediate unica reali actione, quæ autem dicuntur una actione produci vel potius comproduci eo præcise, quia unum ex alio resultat, minime opus est, ut sint realiter idem, sed solum idem subjecto dicuntur, vel connexione quadam, quia re vera immediate, & proxime non fiunt una, & indivisibili actione reali. Dices, nos potius solere ex distinctione terminorum arguere distinctionem actionum, quia actiones distinguimus per terminos, & præsertim, quando actiones sunt connexæ, & una necessario ex alia resultat, tunc meliori via uti non possumus ad dignoscendam earum distinctionem, quam ex distinctione terminorum, cum ergo non sit minor difficultas, immo major in agnoscenda distinctione actionum, & terminorum, hæc via non erit bona. Resp. ex hoc non probari hanc viam non esse bonam, sed esse obscuram, ac inutilem, præsertim quando generationes, vel corruptiones plurium sunt simul connexæ; poterit tamen esse utilis, quando non simul fiunt, & inveniuntur separatæ, unde cum hujusmodi regula non habeat aliquam efficaciam ad inducendam cognitionem distinctionis realis, vel identitatis, nisi mediante separatione quoad existentiam, quando nimirum unum corrumpitur, vel generatur alio non genito, vel corrupto, sequitur, hoc signum coincidere cum regula separationis quoad existentiam, & non esse peculiare signum ab eo condistinctum, de quo statim agemus.

Dices neque generationes separatas esse sufficiens signum realis distinctionis, nam si ex temporis successione, vel ex diverso modo, quo res fit, actiones, seu productiones plurificentur, non est necesse, ut termini realiter diversificentur, unde idem Petrus genitus potest creari, & si creetur non distinguitur a seipso genito. Conf. quia ad eumdem terminum possunt diversæ actiones terminari, si sint a diversis agentibus, vel distinctis temporibus, & tamen opus non est terminum realiter diversificari. Resp. ut optime notavit Suarez cit. num. 18. hanc regulam intelligendam esse de distinctione actionum, quam termini per se, & ex natura sua requirunt, quia si actiones solum distinguuntur, vel ex temporis successione, vel ex diverso modo, quo fiunt, non est necesse, ut ex distinctione actionum aliqua distinctio in termino colligatur, nam sicut eidem rei possunt modi distincti inesse præsertim successive, ita ad eumdem terminum possunt distinctæ actiones terminari, si sint a distinctis agentibus, vel distinctis temporibus.

186 Sextum, & ultimum signum, quod Recentiores assignant, nedum ut sufficiens ad arguendum realem distinctionem inter aliqua plura, sed etiam ut adæquatum, & convertibile, est mutua separatio, aut separabilitas, vel quoad realem unionem, idest, si utrumque extremum simul, & actu possit conservari in rerum natura absque unione reali inter se, vel quoad existentiam, idest, quod unum possit conservari alio intereunte, aut e contra, sic enim separari dicuntur quoad existentiam; quæ ergo ita separata inveniuntur, vel ita separari possunt, sunt realiter distincta, & e contra, quod signum manifeste traditur ab Arist. 7. Topic. cap. 1. loc. 15. ubi ait *amplius si potest unum sine altero esse, non erit idem*, & ex hoc eodem probat D. August. 6. de Trin. cap. 6. magnitudinem distingui a figura, & colore, quia variato colore, vel figura potest manere eadem magnitudo. Ajunt autem, hanc separabilitatem debere esse mutuam, ut signum sit realis distinctionis, quia si non est mutua, dicunt inferre tantum distinctionem modalem, in quo cum alterum extremorum sit modus, non potest existere separatum a re, cujus est modus, ita Suar. & Aversa loc. cit. & alii Recentiores passim. Equidem negari nequit hæc esse legitima, & sufficientissima signa realis distinctionis, nam sepa-

separatio actualis inter aliqua duo quoad unionem sufficienter indicat illa esse realiter distincta, ut separatio animæ a corpore, & unius partis continui ab alia, & ratio est, quia nihil a seipso potest esse divisum, nam unitas constitit in indivisione sui, imo hæc sola separatio quoad unionem sufficit ad arguendam realem distinctionem inter aliqua duo, etiamsi separari non possent quoad existentiam; relativa namque ut Pater, & Filius, ac duo similia, quamvis quoad existentiam separari nequeant, ut relativa sunt, quia relativa sunt simul naturali existentia, quia tamen non sunt unita, ac intime conjuncta, censentur realiter distincta; de separatione etiam, vel separabilitate quoad existentiam adhuc est magis evidens esse sufficientissimum signum realis distinctionis, ac valde utile, ut probat Doct. 2. d. 1. qu. 5. quia quod idem ens realiter sit, & non sit, est oppositum primi principii, tum quia si hoc signum negetur sufficiens esse, non videtur, ait Doct. unde distinctio entium possit probari, dicetur enim a protervo, non tantum quod in uno supposito plures naturæ, ut substantia, & accidens sint eadem, sed quod Sortes, & Plato, vel Sortes, & lapis non differunt realiter; unde hæc regula fundamentum habet in primo principio, quod implicat idem esse, & non esse, nam si unum existit non existente alio, quod est separari secundum existentiam, necessario realiter distinguuntur, alioquin idem esset, & non esset.

Sed quamvis hoc signum separationis sive secundum unionem, sive secundum existentiam sit sufficiens, non tamen est adæquatum distinctionis realis inditium, & cum ea convertibile, ut dicunt Recentiores cit. nam relativa universaliter abinvicem distinguuntur realiter, & tamen unum non potest esse sine alio, cum sint simul naturali existentia; relatio prædicamentalis realiter distinguitur a fundamento, ac quilibet modus extrinsecus a re modificata, ut inferius ostendam, & tamen nec relatio potest existere sine fundamento, nec ab illo separari quoad realem unionem, nec modus sine re modificata, aut extra rem modificatam, item in divinis tres relationes suppositales nec separari possunt quoad existentiam, nec quoad identificationem cum essentia, nam nec paternitas potest esse sine filiatione, nec realiter identificari essentiæ, quin etiam filiatio identificetur eidem, & tamen certum est inter se realiter distingui. Tum quia secundum nos compositum realiter distinguitur a materia, & forma, & tamen nequit existere sine illis, aut ab illis disjungi, & separari. Tum quia in communi, & probabili sententia actus vitalis realiter distinguitur a potentia vitali, & tamen existere nequit sine potentia vitali, nec nisi in potentia vitali. Tum quia secundum Thomistas materia, & forma realiter distinguuntur, item subjectum, & passio, & tamen nec materia potest esse sine forma, nec nisi formæ uniatur, nec affectio sine subjecto esse potest, nec nisi in subjecto. Et denique cum in materia, & forma unitis detur uniuscujusque propria unio, hæc est inseparabilis etiam divina virtute ab unione alterius extremi, a qua tamen distinguitur realiter, sicut extrema in quibus sunt, nam implicat unionem esse in uno extremo, & non esse in alio, cum ambo dicantur intrinsece unita, ut dictum est in Physic. ergo hoc signum separationis sive actualis, sive aptitudinalis tam secundum unionem, quam secundum existentiam est quidem sufficiens pro reali distinctione, non tamen adæquatum, & cum ea convertibile, quia multa sunt utroque modo inseparabilia, quæ adhuc sunt realiter distincta.

187 Deinde etiam falsum est, quod Recentiores addebant, hanc separabilitatem, ut sit sufficiens realis distinctionis signum, debere esse mutuam, nam sive sit mutua, sive non, semper eam infert ex dictis num. 171. & amplius infra dicendis num. 200. & ratio est, eodem modo, quo contradictoria verificantur de pluribus, ita distinguuntur, quia contradictio commensuratur distinctioni, & e contra, sed contradictio secundum esse, & non esse, infert distinctionem realem, & hæc pariter dicitur de eis, quæ actu separantur in esse, sive mutuo separentur, sive non, ergo etiam separatio non mutua quoad existentiam, sufficit ad inferendam realem distinctionem. Tum quia mutua separabilitas quoad existentiam non magis facit, quod unum extremum non sit aliud a parte rei, quam separabilitas non mutua, statim enim ac unum potest esse sine alio, intelligitur esse diversum ab illo, etiamsi illud aliud per se conservari non possit, ergo tam separabilitas mutua, quam non mutua est idoneum, ac sufficiens signum realis distinctionis. Tum quia cum Arist. 7. Topic. cap. 1. & D. August. 6. de Trin. cap. 6. ex separabilitate duorum arguunt realem eorum distinctionem, non loquuntur de separabilitate mutua determinate, sed indifferenter de utraque. Tum quia sequeretur contradictio primi principii *idem esse, & non esse*, si ex separabilitate non mutua non sequitur realis distinctio inter illa, quorum unum destruitur, & aliud remanet; esset enim unum extremum, quia supponitur remanere ad destructionem alterius; non esset, quia identificatur realiter cum eo, nec est realiter diversum ab eo; sed de hoc rursus agemus infra tractando de distinctione modali.

Sed obiicies hoc non esse sufficiens signum, nam eadem est natura humana in Petro, & Paulo, & tamen remanet natura Petri pereunte natura Pauli, ergo aliqua sunt separabilia, etiamsi realiter non distinguantur. Et adhuc augetur difficultas ex actibus Dei liberis, nam isti realiter identificantur cum entitate necessaria divinæ volitionis, & tamen secundum suam formalem rationem definere possunt, non definente entitate divinæ volitionis. Prima difficultas Metaphysica procedit in sententia Scotistarum admittentium a parte rei naturam communem sin singularibus, quorum aliqui dicunt esse unam, & eamdem in omnibus per inexistentiam; & isti vix, aut ne quidem vix respondere possunt, alii vero rectius cum Doctore dicunt esse unam, & eamdem in singularibus per solam indifferentiam, quam unitatem fuse explicabimus infra disp. 9. & in hac sententia difficultas non urget, quia cum tali unitate indifferentiæ, ac identitate stat realis, ac entitativa distinctio naturæ Petri, & Pauli, ut ibi videbimus. Altera vero Theologica difficultas urget in omni schola, & est communis Theologorum tortura, cujus exacta solutio ad Theologiam pertinet, & tota difficultas consistit in explicanda libertate actus divini, quid addat supra entitatem necessariam ipsius; & quidem ego censeo explicandam esse, sicut explicari solet libertas voluntatis nostræ ad opposita simul pro eodem instanti disjunctive, inquit enim Doctor 1. d. 39. lit. E. quod libertatem voluntatis nostræ concomitatur una potentia ad opposita manifesta, scilicet ad velle post non velle, sive ad successionem oppositorum actuum; est & alia potentia non ita manifesta absque omni successione, ponendo enim voluntatem creatam tantum habere esse in uno instanti, & quod ipsa in eo instanti habeat hanc volitionem, non necessario tunc haberet eam, actus enim primus consideratus in illo instanti, in quo est prior naturaliter actu secundo, ita ponit illum in esse, tamquam effectum suum contingenter, quod ut prior naturaliter posset æque ponere aliud oppositum in esse; sicut ergo voluntas nostra ratione istius potentiæ immanifestæ potest in se sola in eodem instanti actum elicere, vel suspendere absque ulla successione, ita ab æterno actus divinæ voluntatis, etsi in se necessario existens, potuit ratione suæ libertatis ad extra tendere, vel non tendere; unde ad argumentum dicendum est, quod sicut voluntas nostra ratione talis potentiæ immanifestæ potest actum suum ponere, vel non ponere, & ex eo quod illum ponit, vel non ponit, nihil amittit suæ entitatis intrinsecæ, vel acquirit; ita actus divinæ voluntatis, quamvis sit entitative necessarius, quia tamen ad extra est terminative liber, ratione consimilis potentiæ immanifestæ potest ad extra tendere, & non tendere absque aliqua immutatione in sua intrinseca entitate aliquid acquirendo de novo per tendentiam, vel amittendo per non tendentiam. Dices, voluntatem nostram, dum ponit actum, acquirere in se novam entitatem actus. Resp. hoc esse, quia ob suam finitatem, & limitationem non sibi identificat suum proprium actum, ut facit divina voluntas, quæ proinde absque additione novæ entitatis, aut alicujus deperditione potest per suum actum sibi identificatum tendere, & non tendere ad extra, & hoc innuisse sufficiat pro solutione difficultatis, quæ, ut dixi, pertinet ad Theologiam.

188 Cum ergo nullum ex assignatis signis sit adæquatum singulis per se, ac seorsim sumptis, ad inveniendum universale, & adæquatum, debemus cum Doctore in 2. d. 2. qu. 2. A. inadæquata simul conjungere, sic enim conjuncta unicum, & adæquatum integrabunt, quare inquit Doctor, quod separatio aliquorum in esse aut actualis, aut potentialis, aut saltem proportionalis conjunctim sumpta integrant adæquatum, & universale signum realis distinctionis, adeout ea universaliter dicantur realiter distingui, quæ vel sunt separata in esse vel separari possunt, vel saltem ita se habent proportionaliter, (sic enim explicari debet separatio proportionalis) sicut illa quæ sunt separata, vel separabilia, quia nimirum se habent sicut producens, & productum, causa, & causatum, & unum essentialiter dependet ab alio, aut alio consimili modo, ratione enim talis originis, & dependentiæ talia contradictoria nata sunt verificari de istis (etiamsi sint inseparabilia in esse) quæ verificantur de illis, quæ re vera sunt actu separata, aut separabilia, & in hoc consistit separatio proportionalis, ut fusius explicatum est disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. ubi ex professo explicatum est hoc signum adæquatum realis distinctionis. Quod adhuc probari potest, quia omnia, quæ distinguuntur realiter, aut actu sunt separata in esse, aut separari possunt per Dei potentiam, aut saltem proportione correspondent his, quæ possunt separari in esse, modo explicato; propterea quod actu separantur, dicimus substantiam a quantitate realiter distinctam, propterea quod possunt separari, dicimus formam a materia distinctam; & demum quia proportione correspondet iis, quæ possunt separari, dicimus tria supposita divina realiter distincta, relationes oppositas realiter distinctas, compositum a materia, & forma distinctum, & alia hujusmodi, in quibus cum actualis separatio, aut potentialis non appareat, recurrendum est ad proportionalem, ut nimirum talem oppositionem inter se habeant, quod possint de ipsis verificari talia contradictoria, qualia verificari nata sunt de ipsis rebus, quæ sunt actu separatæ, vel separabiles. Conf. quia ut dictum est, distinctio realis est talis conditionis, ut petat esse inter rem, & rem, quæ nimirum habent diversas essentias, & existentias, sed illa dumtaxat habent diversas essentias, & existentias quæ vel sunt actu separata, vel separari possunt, vel saltem proportione correspondent his, quæ possunt separari, quia nimirum vel se habent, ut producens, & productum, ut causa, & causatum, aut consimilem habent oppositionem, ergo omnes isti modi separabilitatis integrant adæquatum, & convertibile signum realis distinctionis, & hunc dicendi modum amplectitur Amicus tract. de Distin. quæst. 12. dub. 2. art. 3.

Objiciunt tamen aliqui separabilitatem extremorum possibilem

lem secundum divinam virtutem non esse utilem ad cognoscendam realem distinctionem, ac proinde integrare non posse adæquatum signum realis distinctionis, probatur assumptum, quia præter separationem humanitatis a personalitate in Incarnatione, & accidentium a subjecto in Eucharistia, non sunt alia per divinam virtutem separata, ergo cum nesciamus in aliis, quæ sint per divinam virtutem separabilia, hoc signum nobis est inutile. Deinde in nostra schola, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, adhuc realiter distingueretur ab eo ex Doctore 1. dist. 11. qu. 2. sed in tali casu nullum interveniret signum ex allatis, quia nec actu esset ab eo separatus in esse, neque separabilis, neque proportione corresponderent iis, quæ possunt separari, quia non se haberent, ut producens, & productum, ergo singula hæc signa etiam simul, & conjunctim sumpta non integrant adæquatum realis distinctionis signum.

Resp. negando assumptum, ad probationem negatur sequela, in qua male supponitur prius aliqua cognosci debere separata, quam cognoscantur separabilia per divinam virtutem, quamvis enim aliqua non sint adhuc a Deo ad actum separationis reducta, adhuc tamen possunt nobis innotescere, ut separabilia a Deo, vel arguendo ex his, quæ jam sunt separata ad similia ratione consimilis dependentiæ, vel arguendo ex destructione implicationum, ut solemus in aliis quæstionibus ad divinam virtutem pertinentibus. Ad aliud respondet Poncius, quod adhuc in tali casu distingueretur realiter Filius, & Spiritus Sanctus, quia licet Filius tunc actu non produceret Spiritum Sanctum, posset tamen producere, quæ productio possibilis sufficeret ad realem distinctionem unius ab alio, deinde inquit, descriptam esse per ea signa omnem distinctionem realem possibilem, non vero distinctionem omnem, quæ daretur in casu impossibili, qualis est casus jam propositus. Utraque responsio falsa est, prima quidem, quia in eo casu supponitur non esse Filio communicatam virtutem spirativam, scilicet, voluntatem fœcundam, ergo in eo casu nedum actu non produceret Spiritum Sanctum, sed nec etiam producere posset, quod si dicat, quod posset saltem illum producere in alio casu, scilicet in eo, qui de facto datur, hoc non sufficit, quia licet id juvare possit ad realem distinctionem in casu, qui de facto datur, minime tamen juvare potest ad distinctionem realem, quæ daretur inter illas personas in casu illo impossibili, quia talem potentiam producendi Spiritum Sanctum tunc Filius non haberet, in qua realis illa distinctio fundari posset; tum quia quando Adversarii urgent, quod in divinis non est realis distinctio, nisi ubi obviat relationis oppositio, seu producentis, & producti, facile potuisset Doctor respondere adhuc in eo casu obviare aliquo modo inter Filium, & Spiritum Sanctum talem oppositionem producentis, & producti, quia unus potest alium producere in alio casu, & tamen Doctor ad hoc non recurrit, sed inquit adhuc in eo casu distingui per relationes disparatas incompossibiles unius cujuscumque constituti va. Tum quia ex hoc quod Filius posset Spiritum Sanctum in alio casu producere, nimirum in eo qui de facto datur, deduceret Thomista in hoc tantum casu posse distingui, & non illo, de quo fit disputatio. Tum tandem quia cum Doctor assignat, ut signum realis distinctionis, oppositionem producentis, & producti, causantis, & causari, re vera intelligit de oppositione actuali, non autem etiam de possibili, ut inquit Poncius, quia oppositio possibilis posset ad summum inferre distinctionem possibilem inter causam, & effectum possibiles, non autem distinctionem actualem, at quando quæritur, num casu quo Spiritus Sanctus non procederet a Filio, distingueretur ab eo, quæritur de distinctione actuali, quia illæ duæ personæ supponuntur actu existere, non autem de distinctione possibili. Sed & alia quoque responsio falsa est, quia distinctio, quam adhuc Scotus admittit inter Filium, & Spiritum Sanctum, in eo casu non esset fictitia, & commentitia, sicut ille casus, sed vera, & realis, nam esset distinctio orta ex relationibus disparatis utriusque constitutivis, quæ est vera, & realissima distinctio, immo quæ etiam de facto reperitur inter Filium, & Spiritum Sanctum, & adhuc remaneret in eo casu impossibili, licet alia periret, quæ modo de facto datur, & oritur ex oppositione relativa, quæ modo inter eos versatur, producentis, & producti.

Respondetur itaque quod in eo casu adhuc Filius, & Spiritus Sanctus correspondereat proportione his, quæ sunt actu separata, vel separari possunt, cum enim constituerentur per relationes disparatas incompossibiles, & omnino alterius rationis, quia unius processio esset per intellectum, alterius vero per voluntatem, talia adhuc in eo casu verificarentur de illis contradictoria, qualia nata sunt verificari de actu separatis, vel separabilibus, quod est proportione illis correspondere, ut explicatum est; ait etiam Doctor loc. cit. quod aliquæ relationes in divinis non tantum habent distinctionem, sed etiam incompossibilitatem, sive incompossibilem rationem in eodem supposito, quales sunt relationes disparatæ accipiendi naturam, ut generatio, & spiratio passiva; quia ergo adhuc Filius, & Spiritus Sanctus in eo casu talibus relationibus constituerentur, & distinguerentur realiter, posset ea relationum incompossibilitas vocari separatio quædam in esse supposituali, atque ideo ad argumentum illud neganda est minor, quod in eo casu nullum daretur signum ex allatis realis distinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum.

189 Ex dictis de reali distinctione facile est deducere, quænam sit natura, & conditio realis identitatis, nam oppositio modo de ipsa discurrendum est, unde sicut distinctio realis formaliter fundabatur in pluralitate rerum existentium, & constituebatur præcipue in ordine ad diversas existentias præsertim in creatis; ita identitas realis fundatur super unitatem essentiæ, & existentiæ, unde quæ reantur, seu realizantur per unicam essentiam, & per unicam pariter existentiam existunt, dici debent eadem realiter, & ita se habent gradus Metaphysici, ut genus, & differentia in communi constituto, quia in se considerati sunt quidem rationes essentiales, seu prædicata quidditativa, non tamen sunt essentiæ, quia essentia ex propria sua significatione dicit naturam integram ordinatam ad existentiam, formalitates vero sunt tantum constitutiva essentiæ, nec ex se immediate sunt capaces existentiæ, sed adæquate existunt per existentiam totius entitatis constatæ ex ipsis; sic etiam se habent subjectum, & passio, & perfectiones attributales in Deo, & alia quæcumque realiter identificantur. Et sicut signum sufficiens, & adæquatum realis distinctionis erat actualis separatio duorum, aut potentialis, aut saltem proportionalis, ita e contra signum sufficiens, & adæquatum realis identitatis erit inseparabilitas tam actualis, quam potentialis, & proportionalis, adeout inquit Magist. Formal. tract. Formal. art. 2. prin. p. 4. art. 4. illa sunt idem realiter, quæ sic se habent, quod unum non est sine alio, & impossibile est esse sine alio, ita quod talis impossibilitas sit ab intrinseco (nam si esset a causa extrinseca, non liceret ex ea inferre identitatem inter inseparabilia, ut patet de Cœlo, quod secundum Philosophum implicat esse sine motu, nec tamen cum eo identificatur, quia hæc impossibilitas provenit ex causa extrinseca, scilicet ab intelligentia necessario movente) nec se habent ut producens, & productum, causa, & causatum, nec sunt in pluribus rebus realiter distinctis, ubi etiam notat Sirectus omnes istas particulas esse accipiendas copulative, ita quod una conditio non sufficiat sine alia, unde non valet consequentia, hoc non potest esse sine illo, ergo sunt realiter idem, quia multa sunt inseparabilia quoad esse, quæ adhuc sunt realiter distincta, quia se habent ut producens, & productum, causa, & causatum, aut alia consimili ratione correspondent iis, quæ possunt separari; ubi e contra signa illa, separationis nimirum actualis, vel potentialis, vel proportionalis quoad distinctionem inferendam sigillatim, ac seorsim sumpta erant sufficientia. Unde colligitur quoad distinctionem realem inferendam posse quidem dari signa sufficientia, quæ tamen non sint adæquata, ut supra discussum est, at quoad identitatem minime, quia nullum potest assignari signum ejus sufficiens, quin simul sit adæquatum, ac cum ea convertibile, ac eo ipso quod est inadæquatum, est etiam insufficiens. Colligitur secundo inconsulto a Recentioribus pro adæquato signo realis identitatis assignari inseparabilitatem actualem, & potentialem, quia multa sunt inseparabilia etiam per potentiam Dei absolutam tam in sententia Thomistarum, quam Scotistarum, quæ adhuc realiter distinguuntur. Colligitur tandem immerito Pasqual. disput. 44. sect. 2. impugnare has conditiones a Scotistis requisitas ad realem identitatem, quia inseparabilitas (inquit) nequit esse constitutivum hujus identitatis, sed potius est quid consequens, itaut ex illa tamquam ex signo a posteriori colligatur identitas, sicut ex separabilitate colligitur distinctio; tum quia valet argumentari, ideo implicat talis separatio, quia extrema invicem identificantur realiter, ergo inseparabilitas supponit identitatem constitutam in suo esse, & non eam constituit. Immerito, inquam, Pasqualig. ita urget Scotistas, quia nequaquam ipsi intendunt identitatem realem per eas conditiones formaliter constitui, sed mens eorum fuit per eas insinuare naturam identitatis realis, tamquam per signa a posteriori, sicut per conditiones oppositas pariter a posteriori naturam distinctionis realis indicabant, & quidem in hoc sensu Magist. Formal. loc. cit. identitatem realem per eas describpit conditiones, cum ait illa esse realiter eadem, quæ nec sunt separata, nec separabilia &c. Solent etiam hic ab Auctoribus assignari varii gradus distinctionis realis, qui aliud non important, quam varias ejusdem realis distinctionis subdivisiones, quas jam dedimus in Logica loc. sæpe cit. & supra n. 164.

QUÆSTIO IX.

De natura Identitatis, ac Distinctionis essentialis.

190 PEculiare instituimus quæsitum de Identitate, & Distinctione essentiali, non quia hæc constituat peculiarem speciem Identitatis, & Distinctionis ab aliis condistinctam, & disparatam, sed quia variis modis ab Auctoribus explicatur; licet in hac re non possit esse dissensio, nisi in verbis, ut bene notavit Meuriss. lib. 2. Met. cap. 3. quæst. 5. Formalistæ nostri, ut supra dictum est, cum Sirect. artic. 2. princ. & 5. partiali ajunt, Identitatem essentialem bifariam sumi posse, primo pro identitate, qua aliqua identificantur uni essentiæ singulari, & juxta hanc acceptionem concedunt identitatem essentialem cum reali coincidere, quia unaquæque res propriam habet essentiam, præterquam in divinis, ubi cum tres personæ uni essentiæ singulariſſimæ identificentur, sunt idem essentialiter, & tamen inter se realiter distinguuntur. Alio modo sumitur identitas essentialis, cum aliqua dicuntur de essentia alterius, sicut rationalitas est de essentia hominis; unde ea dicuntur esse idem essentialiter primo modo, quæ identificantur uni essentiæ singulari; secundo autem modo illud dicitur idem essentialiter alicui, quod concurrit intrinsece ad constituendam ejus essentiam; & hunc ajunt esse modum identitatis essentialis constituentem speciem distinctam ab aliis, quia primus modus coincidit cum identitate reali præsertim in creatis. Hoc tamen adhuc negat Tromb. art. 2. prin. Formal. & 5. partiali, ratio ipsius est, quia esse de essentia alterius est esse idem formaliter cum illo, ac proinde identitas essentialis secundo modo coincidit cum formali. E contra vero duplicem quoque assignant modum distinctionis essentialis oppositum duplici modo identitatis, primus modus distinctionis oppositus primo modo identitatis, est diversitas essentiarum, unde hoc modo dicuntur essentialiter distingui, quæcumque habent aliam naturam, & essentiam, ut homo, & Leo; secundus modus distinctionis oppositus secundo modo identitatis, est, quando unum non est de essentia alterius, quo pacto accidens dicitur essentialiter diversum a subsantia, quia non pertinet ad intrinsecam ejus constitutionem, & hunc secundum modum distinctionis ajunt constituere peculiarem speciem distinctionis essentialis ab aliis condistinctam; hæc in summa est doctrina, quam passim tradunt Formalistæ nostri de Identitate, ac Distinctione essentiali.

Fonseca 5. Met. cap. 6. qu. 6. sect. 2. negat Identitatem, & Distinctionem essentialem constituere speciem ab aliis condistinctam, eamque reducit ad formalem, unde ponit duplicem identitatem, & distinctionem formalem, unam essentialem, & alteram pure formalem, Achillin. autem tract. de Distinct. cap. 24. ultra modos identitatis a Scotistis assignatos, addit alium identitatis modum, quod videlicet ea sunt idem essentialiter, quæ conveniunt in una natura essentiali, aut quidditate, qui modus identitatis omnino videtur necessarius, quia Scotistæ dicebant illa esse idem essentialiter, quæ communicabant in una essentia singulari, at hæc communicatio plurium nedum contingere potest in una essentia singulari, sed etiam communi, nam hac ratione plura individua ejusdem speciei sicut dicuntur eadem specifice, ita quoque dici debent eadem essentialiter, quia identitas specifica est identitas essentialis. Conf. ex opposito modo distinctionis, quia Scotistæ explicando primum modum distinctionis nedum appellant essentialiter distincta, quæ habent diversas naturas singulares, sed absolute dicunt essentialiter distingui, quæ habent diversas naturas, & essentias, tales autem habent homo, & Leo, ergo sicut dicuntur essentialiter distingui præsertim, quæ habent diversas naturas communes, sic etiam dici debent essentialiter eadem, quæ conveniunt in eadem natura communi specifica, ac etiam generica; quia quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum. Distinctionem autem essentialem ait Achillin. ibidem esse diversitatem in natura, ac definitione, adeo quod illa sint essentialiter distincta, quæ sunt alterius rationis, hoc est, definitionis, cum definitio explicet essentiam rei, sic etiam loquitur Meuriss. loc. cit. Pasqualig. tandem disp. 62. Metaph. reiicit primum modum identitatis essentialis assignatum a Scotistis, utpote, quia explicat solam identitatem realem rerum, non vero essentialem, & retinet solum secundum, utpote qui constituat propriam speciem identitatis essentialis ab aliis condistinctam, quam ita explicat, ut identitas essentialis formaliter dicat unitatem, ac simplicitatem essentiæ, quod probat ex proportione ad alias identitates, identitas enim realis dicit simplicitatem secundum esse reale, ergo servata proportione identitas essentialis dicit simplicitatem secundum essentiam. Præterea, ubi est eadem natura, ibi debet esse etiam identitas, posita autem simplicitate naturæ, & essentiæ, est eadem natura, & essentia, quia ubi est simplicitas, ibi non potest esse diversitas, & ubi non est diversitas naturæ, est eadem natura, ergo posita in essentiæ simplicitate habetur identitas essentialis formaliter. Ex quo postea deducit e contra distinctionem essentialem dicere formaliter multiplicitatem secundum essentiam, dum enim identitas essentialis dicit indivisibilitatem secundum essentiam, distinctio debet dicere multiplicitatem secundum essentiam, in hoc enim consistit oppositio inter distinctionem, & identitatem, quod distinctio dicat multiplicitatem secundum illud, secundum quod identitas dicit simplicitatem; quod etiam confirmat ex proportione ad alias distinctiones, sicut enim distinctio realis dicit multiplicitatem secundum esse reale, & formalis secundum esse formale, ita essentialis debet dicere multiplicitatem secundum esse essentiale.

191 In hac re, ut dixi, esse nequit, nisi controversia de nomine, & de modo loquendi, si bene intelligitur, & quia tota contentio oritur ex diverso modo loquendi Auctorum de hac identitate, & distinctione essentiali; ut tollatur omnis confusio, & æquivocatio, quæ contingere potest in vocabulis identitatis, & distinctionis essentialis, clare, & distincte procedeudum est declarando varias earum acceptiones, juxta quas pertinent ad identitatem, & distinctionem realem, & formalem, quia, ut dixi, non constituunt speciem ab aliis condistinctam. Primo itaque statuendum est duplicem illam acceptionem identitatis, & distinctionis essentialis a Scotistis assignatam esse legitimam, itaut uno modo de constitutivis dicatur, alio modo de rebus ipsis constitutis; & hoc satis probatur per communem usum loquendi apud omnes, solet enim dici animal, & rationale identificari essentialiter cum homine, quia cum essentialiter constituunt, ut prædicata quidditativa, ac in primo modo dicendi per se, risibilitatem vero distingui essentialiter ab homine, quia est extra essentiam ejus, nec enim constituit in primo modo dicendi per se, sed ita constitutum supponit, cum illi conveniat tantum in secundo modo dicendi per se, & in eodem sensu a fortiori accidentia communia dicuntur distingui essentialiter ab homine, vel alia quacumque re, cui mere accidentaliter, & extrinsece superveniunt; neque in probatione hujusmodi identitatis, & distinctionis essentialis opus est amplius laborare, quia de se adeo evidens est, ut & eum gratis admittat Pasqual. Solum advertere oportet, quod identitas, & distinctio essentialis in hoc sensu non sunt relationes mutuæ, quia partes v. gr. sunt de essentia totius, & consequenter in hoc sensu essentialiter illi identificatæ, ut constat tam in toto physico, quam metaphysico, nam materia, & forma sunt de essentia compositi naturalis, genus, atque differentia de essentia compositi metaphysici, totum autem non dicitur identificari essentialiter cum suis partibus, quia non est de essentia illarum, seu earum essentiam non constituit; Et hac de causa e contra totum dicitur essentialiter distingui a suis partibus constitutivis, non autem e contra, ratio hujus est, quia identitas, & distinctio in hoc sensu fundantur super rationem constituentis, & constituti, quia si est constituens identificatur essentialiter cum constituto, si non constituens, distinguitur essentialiter ab eo, sed impossibile est idem esse constituens, & constitutum respectu ejusdem, seu plura seinvicem essentialiter mutuo constituere, ergo implicat identitatem, & distinctionem essentialem in hoc sensu importare relationes mutuas ex peculiari natura, & conditione earum, probatur minor; quia principia constitutiva, ut sic, respectu constituti sunt priora saltem natura respectu constituti, constitutum vero posterius illis, ergo nequeunt plura mutuo seinvicem constituere, quia simul, & semel unum esset prius, & posterius alio.

192 Secundo deinde probatur contra Pasqual. aliam quoque acceptionem identitatis, & distinctionis essentialis, ut dicitur de rebus constitutis, esse legitimam, immo magis propriam, quam sit præcedens, nam, ut Pasqualig, ipse concedit, illa proprie dicuntur idem essentialiter, quæ participant eamdem essentiam, & in eadem essentia communicant, illa vero dicuntur essentialiter distincta, quæ habent plures essentias, & naturas, ergo hæc acceptio est vera, & legitima, & magis propria, quam præcedens, probatur consequentia, quia juxta hanc acceptionem illa dicebantur secundum Scotistas eadem essentialiter, quæ uni essentiæ singulari identificabantur, unamque essentiam participant, & e contra essentialiter distincta, quæ non eamdem participabant essentiam, sed aliam, & aliam; Ex quo patet, quod identitas, & distinctio essentialis, ut explicatur a Pasqual. non coincidit cum secundo modo identitatis, & distinctionis essentialis a Scotistis assignato ab initio articuli, ut ipse ait, sed cum primo, quem tamen ipse condemnabat, nam eodem prorsus modo explicat ipse identitatem, & distinctionem essentialem, sicut eam Scotistæ explicabant in primo sensu captam, ut dicitur de rebus constitutis, quæ habent eamdem essentiam, vel diversam. Est autem advertendum identitatem, & distinctionem essentialem in hoc sensu esse mutuas, quia implicat in hoc sensu hoc esse idem alicui, & non e contra, nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt quoque eadem inter se, implicat etiam hoc esse distinctum essentialiter ab ipso, & non e contra, quia si hoc non communicat in eadem natura, & essentia cum alio, neque illud aliud communicabit cum illo; ratio a priori est, quia identitas, & distinctio essentialis in hac acceptione sunt relationes primi modi ex assignatis 5. Metaph. quæ fundantur super unitatem, & pluralitatem, seu multiplicitatem essentiarum, & ideo quæ habent, vel participant eamdem essentiam, reciproce dicuntur eadem, quæ vero participant diversam, reciproce quoque dici debent essentialiter distincta; ex quo tandem confirmatur, quod nuper dicebatur identitatem, & distinctionem essentialem in hac acceptione, ut dicitur de constitutis, esse magis propriam, quam sit præcedens, ut dicitur de constitutivis, quia illa proprie non fundatur super unitatem, & pluralitatem essentiæ constitutæ, sicut ista; sed quamvis ista sit magis propria, quam præcedens, adhuc tamen illa frequens est, ac consueta in scholis, ut diximus d. 5. Physic. quæst. 13. art. 1. num. 164. loquendo de toto, & partibus.

193 Tertio insuper addendum est, identitatem, & distinctionem essentialem in prima acceptione Scotistarum, ut scilicet dicitur de rebus ipsis constitutis, non esse restringendam ad communicationem dumtaxat in eadem essentia singulari, aut diversitatem in ea, ut Scotistæ ajebant, quia communicatio plurium nedum contingere potest in eadem essentia singulari, quo pacto omnes gradus metaphysici ejusdem individui in eadem essentia sic communicare dicuntur, & e contra in ea diversificari dicuntur plura individua ejusdem speciei, ut Sortes, & Plato, sed etiam contingere potest communicatio in eadem natura, seu essentia communi, quo pacto plura ejusdem speciei individua in eadem essentia specifica communicant, ob quam communicationem dicuntur eadem specie, & e contra dicuntur diversa essentialiter, si habent diversas essentias, vel naturas specificas, ut Petrus, & Bucefalus, hoc manifeste convincunt rationes a nobis ex propriis paulo supra adductæ pro opinione Achillin. concedendum itaque est, modum illum primum identitatis, ac distinctionis a Scotistis assignatum habere latitudinem, posseque dupliciter contingere, primo in una numero essentia, aut numero multiplicata, secundo in una essentia specifica, vel generica, aut sic multiplicata, sicut enim hac ratione individua diversarum specierum, vel generum essentialiter

liter differre dicuntur, quia participant essentias, & naturas specie, vel genere multiplicatas, ita dici possunt eadem essentialiter individua ejusdem speciei, quatenus eamdem naturam, & essentiam specificam participant. Dices cum Meurisse, aliud esse aliqua esse unum essentialiter, & aliud esse idem essentialiter, nam aliqua esse unum essentialiter est illa convenire in aliqua una ratione essentiali, quo pacto duo individua alicujus mutuæ specificæ, ut Petrus, & Paulus, dici possunt unum essentialiter, quia conveniunt in una natura specifica; aliqua vero esse idem essentialiter, est, illa identificari uni, & eidem essentiæ singulari, unde convenientia, & coadunatio tantum in una essentia, & natura singulari facit identitatem essentialem juxta primam acceptionem, non autem convenientia in aliqua natura communi, & sic etiam loquitur Pasqualig. disp. 62. cit. sect. 1. num. 8. ubi ait, quod si unitas essentiæ consideretur prout est multiplicata in pluribus, tunc non adest identitas, sed tantum convenientia in eadem natura specifica. Sed plane responsio ista est prorsus inanis, & voluntaria, quia sicut unitas, ut sic, fundat identitatem, & multitudo diversitatem, & distinctionem 5. Metaph. 15. ita quælibet unitas propriam fundare potest identitatem, & multitudo diversitatem, cum ergo non tantum detur unitas essentiæ singularis, quo pacto una dicitur essentia cujuscumque individui, ut est contracta a differentia individuali, sed etiam unitas naturæ communis, ut a tali contradictione præscindit, quæ dicitur unitas formalis, de qua dicemus disp. 9. ita etiam concedi debet nedum identitas essentialis singularis fundata supra primam unitatem, sed etiam alia identitas communis fundata supra secundam unitatem communem. Conf. quia illi Scotistæ gratis concedunt distinctionem essentialem per participationem diversarum naturarum inter individua alterius, ac alterius speciei, ut constat apud Meuris. & Sirect. ac alios loc. cit. ergo tenentur etiam admittere oppositum modum identitatis, quo eadem essentialiter dicantur individua ejusdem speciei, quatenus coadunantur in una natura, & essentia communi. Immo id manifeste concedit Pasqualig. cit. num. 9. immediate sequenti, ubi ait quod identitas essentialis duplici modo considerari possit, nimirum prout consistit in natura præcisa conditionibus individuantibus, & tunc erit identitas essentialis communis, quia habebit aptitudinem ad se communicandam multis, vel prout consistit in natura determinata ad tale, vel tale individuum, & tunc dicit identitatem essentialem singularem, quomodo ergo numero immediate præcedenti negat Pasqual. talem identitatem in eadem natura communi specifica, & ait esse tantum convenientiam, non identitatem?

194 Quarto tandem addendum est, neutrum modum identitatis, ac distinctionis essentialis constituere peculiarem speciem ab aliis condistinctam, ut supra dictum est quæst. 7. art. 3. num. 169. & quidem primus modus identitatis, & distinctionis a Scotistis assignatus, ut dicitur de constitutis, etiam ex confessione ipsorum Scotistarum pertinet ad realem distinctionem, vel identitatem, & in creatis præsertim omnino eum ea coincidere fatentur, quia quælibet res propriam secum defert essentiam, & diversæ diversas, unde quæ uni essentiæ singulari identificantur, sunt eadem realiter, & e converso, sicut e contra quæ diversas habent essentias distinguuntur quoque realiter, & e converso, solum in divinis disiungi videntur, quia personæ ibi sunt realiter distinctæ, & essentialiter eædem, cum identificentur uni essentiæ singularissimæ; sed ad hoc etiam num. cit. responsum est neque in divinis disiungi, si res bene perpendatur (quamvis id passim concedant Scotistæ) quia personæ divinæ distinguuntur quidem realiter formaliter, non tamen distinctione reali naturarum, cum qua præsertim dicimus coincidere distinctionem essentialem ex supradictis num. 164. immo ut sic sunt realiter idem. Dices neque etiam in creatis coincidere, quia materia, & forma sunt idem essentialiter compositi, cum sint de ejus essentia, & tamen non sunt idem realiter cum ipso ex dictis disp. 5. Physic. quæst. 13. art. 1. Hæc instantia non valet, quia fit transitus ab identitate essentiali primo modo sumpta, quam solam dicimus cum reali identitate coincidere, ad identitatem essentialem secundo modo sumptam, quæ quidem non cum reali identitate, sed cum formali coincidit in sensu mox explicando. Dices coincidere solum realiter, non autem formaliter, quia adhuc habent fundamenta diversa, nam distinctio realis attenditur penes existentias diversas, distinctio vero essentialis penes essentias, aliud autem est essentia ab existentia. At neque hæc instantia valet, quia ex dictis quæst. præced. distinctio realis non attenditur præcise penes varias rerum existentias, sed etiam penes ipsas essentias præsertim in creatis, licet cum ordine ad existentias, quia est inter res, & res vel existentes, vel saltem existere possibiles, & sic etiam in proposito falsum est, distinctionem essentialem juxta primam acceptionem attendi præcise penes essentias rerum ab existentia prorsus præscindentes, sed attenditur penes ipsas cum ordine ad existentiam vel actualem, vel saltem possibilem, unde ex hoc potius confirmatur nostrum assertum, quod identitas, & distinctio essentialis in hoc sensu coincidit omnino cum identitate, & distinctione reali, quia habent idem omnino fundamentum, & eodem prorsus modo explicantur. Dices cum Pasqualig. ex hac explicatione sequi, quod inter naturas universales præcisa existentia, & individuatione non esset distinctio essentialis, quod tamen est falsum, cum una natura universalis sit diversæ essentiæ ab alia. Tum quia distinctio essentialis attenditur penes diversitatem definitionum essentialium, sed definitio explicat quiditatem rei, ut ab existentia præscindit, ergo fundatur super essentiam rei præcise sumptam. Negatur sequela, quia natura universalis, & essentia rei, prout per definitionem explicatur, licet præscindat ab actuali existentia, non tamen a possibili, quia hæc non est prædicatum contingens, sicut illa, unde rerum essentiæ quoad fundandam inter se realem, & essentialem distinctionem pari passu gradiuntur, eo quod illæ distinctiones inter se omnino coincidant, si essentiæ rerum sunt actu existentes in rerum natura, sicut fundant inter se distinctionem essentialem actualem, ita quoque realem actualem, si vero sub statu possibilitatis præcise concipiuntur, sicut fundant adinvicem distinctionem essentialem potentialem, ita quoque realem potentialem, unde manifeste deducitur, identitatem, & distinctionem essentialem juxta primam acceptionem omnino coincidere cum reali distinctione.

195 Quod autem identitas, & distinctio essentialis juxta aliam acceptionem coincidat cum identitate, & distinctione formali, concedit Trombet. loc. citat. & satis patet ex dictis num. 169. etenim tres modi identitatis formalis assignati fuere num. 165. & primus erat quo aliquid dicitur formaliter identificari alicui, quia est de essentia ejus, vel intrinsecum constitutivum ejus, & e contra illud dicitur ab alio formaliter distingui, quod non est de essentia ejus, at hæc est ipsissima notio, & explicatio identitatis, & distinctionis essentialis juxta secundam acceptionem, a Scotistis assignatam, ergo hic modus identitatis, & distinctionis essentialis coincidit omnino cum identitate, & distinctione formali illo primo modo sumpta. Dices, identitatem formalem non stare cum distinctione reali, ut in sequentibus dicemus, sed identitas, & distinctio essentialis juxta secundam acceptionem stat cum distinctione reali; ut constat de materia, & forma, quæ in hoc sensu identificantur essentialiter cum toto, & tamen ab eo realiter distinguuntur, ergo hic modus identitatis, & distinctionis essentialis reduci nequit ad formalem. Respond. identitatem formalem proprie dictam nempe tertio modo ex illis tribus assignatis numer. citat. 165. quo pacto eadem formaliter dicuntur, quæ habeant eamdem omnino formalitatem, & rationem conceptibilem, & e contra distingui formaliter dicuntur quæ habent aliam, & aliam rationem conceptibilem, utique non stare cum distinctione reali, implicat enim res diversas in eadem omnino conceptibilitate convenire; at identitas formalis primo modo sumpta ex illis tribus assignatis loc. citar. bene secum compatitur realem distinctionem, ut bene ostendit instantia de materia, & forma respectu compositi naturalis, cum quo identificantur formaliter juxta illum primum modum formalis identitatis, & adhuc realiter distinguuntur a toto, ut probatum est in Physic. Dices rursus, ergo etiam identitatem, ac distinctionem essentialem juxta primam acceptionem pertinere ad identitatem, & distinctionem formalem proprie dictam, idest, tertio illo modo ex tribus superius assignatis num. 165. probatur consequentia, quia juxta illum tertium modum illa dicuntur eadem formaliter, quæ important eamdem prorsus rationem conceptibilem, & illa dicuntur formaliter distingui, quæ habent diversas rationes conceptibiles, at hæc est ipsa notio, & explicatio identitatis, & distinctionis juxta primam acceptionem; sic enim illa dicuntur eadem essentialiter, quæ sunt ejusdem omnino rationis, & definitionis, illa vero dicuntur essentialiter distincta, quæ habent diversas definitiones, cum enim definitio explicet naturam rei, & essentiam, sequitur, quæ habent diversas definitiones, habere quoque diversas essentias, & consequenter distingui essentialiter.

196 Respond. hac de causa Fonsec. identitatem, & distinctionem essentialem reducere ad formalem; si tamen explicetur, quid dicat nomen *essentiæ*, a qua dicitur identitas, & distinctio essentialis prout differt a *formalitate*, a qua denominatur identitas, & distinctio formalis, videbimus potiori jure ad realem pertinere, quam ad formalem; notandum igitur est, quod cum dicimus identitatem essentialem juxta primam acceptionem dicere simplicitatem, vel unitatem plurium secundum esse essentiale, hoc esse essentiale dupliciter sumi potest, vel pro quacumque formalitate, vel pro aliqua integra essentia ver. gr. pro natura humana; & quidem essentia, ut fundat identitatem, vel distinctionem essentialem, non debet sumi primo modo, quia essentia ex propria sua significatione dicit naturam integram, quæ includit totam illam seriem rationum metaphysicarum (loquendo de essentia creata) in prædicamento ordinatarum ex dictis numer. 180. & dicit aliquid quod potest esse a parte rei in recto, estque immediate capax propriæ existentiæ, sive perfectæ, itaut se solo existere possit, sive imperfectæ, quod non competit formalitatibus, quæ in seipsis proprie nequeunt dici essentiæ, sed potius varii essentiæ gradus, neque ex seipsis ordinantur ad existentiam, quarum sint immediate capaces, sed realizantur ex ratitudine essentiæ, cui identificantur, & per ejus existentiam dicuntur existere; definitio etiam proprie dicta, ut constat ex genere, & differentia, non convenit formalitatibus metaphysicis, sed rebus dumtaxat propriam essentiam, ac existentiam habentibus, & hæc enim proprie constat ex diversis gradibus metaphysicis, unde quæ habent diversas definitiones in hoc sensu, vere distinguuntur realiter distinctione reali naturarum; neque

forma-

formalitates in hoc sensu habent definitionem, quia non constant ex genere, & ex differentia, sed habent definitionem late sumptam pro quocunque conceptu quidditativo, seu ratione conceptibili sive rei, sive realitatis, & sic patet ad argumentum, quod identitas, & distinctio essentialis potius ad realem reduci debet, quam ad formalem, quia definitio essentialis proprie dicta importat, & declarat varias essentias proprie dictas ordinatas nimirum ad existentias, quarum sunt immediate, & formaliter capaces, omnis autem talis essentia potest, ac debet dici res, atque ideo fundare potest realem identitatem, vel distinctionem; at definitio late sumpta prout etiam formalitatibus convenit, non explicat essentiam proprie dictam, & ex se directe ordinatam ad existentiam, sed solum gradum ejus, & aliquam ejus formalitatem, & ideo identitas, & distinctio essentialis melius reducitur ad identitatem, & distinctionem realem, quam ad formalem, quia definitio, supra cujus unitatem, vel diversitatem fundatur identitas, vel distinctio essentialis integram, & totam rei essentiam, ut pote, quæ constat ex genere, & ex differentia, non autem solum gradum ejus, ut explicat definitio formalitatum.

In oppositum arguit Pasqualig. citat. probans primum modum identitatis essentialis assignatum a Scotistis, quando nimirum aliqua identificantur uni essentiæ singulari, esse prorsus ineptum ad explicandam identitatem essentialem, vel prorsus coincidere cum secundo identitatis modo, quod ita probat; quando aliqua identificantur uni essentiæ singulari, vel quæ sic identificantur, sunt constitutiva illius essentiæ, vel non; hoc secundum dici non potest, sicut enim aliquod realiter identificatur alicui, quia imbibitur realiter in ejus entitate, sic aliquid dicetur essentialiter alicui identificari, quia in ejus essentia intime imbibitur, nam si excluditur ab ea, jam non est essentialiter identificatum; si primum, tunc primus modus identitatis essentialis coincidit cum secundo. Tum deinde quia juxta illam acceptionem fieri posset, ut quæ sunt alterius prædicamenti, dicerentur inter se identificari essentialiter, quod est falsissimum; probatur sequela, nam hac ratione Scotistæ affirmant juxta illam acceptionem identitatis subjectum, & passionem essentialiter identificati, cum tamen passio pertineat ad prædicamentum qualitatis. Tum 3. identitas essentialis est major, quam realis, quia realis dicit identitatem solum secundum entitatem, essentialis vero etiam secundum essentiam, quæ sicut est aliquid magis intimum rei, ita dicit etiam intimiorem identitatem, si autem identitas essentialis consisteret in eo, quod aliquid identificaretur cum aliqua essentia, nulla major identitas, quam realis, ex hoc intelligi posset. Tom. 4. identitas essentialis debet dicere unitatem secundum esse essentiale, vel ergo, quæ identificantur cum aliqua essentia, sunt unum in essentia, vel non; si primum, ergo sunt de essentia illius, & primus modus coincidet cum secundo; si secundum, ergo non dicunt identitatem essentialem, quia non aderit unitas secundum essentiam. Denique cujuscunq; rei una est tantum ratio formalis, quæ consistit in indivisibili, ergo male assignatur duplex modus identitatis essentialis, vel saltem dari deberet una ratio communis illis duobus modis, quæ se haberet, ut genus, ad suas species, quæ tamen assignari non potest.

Deinde sect. 2. impugnat modum distinctionis essentialis præfato modo identitatis oppositum, ut nimirum distinctio essentialis sit illa, qua natura realiter diversæ distinguuntur, quia hoc nullo modo explicat rationem distinctionis essentialis, sed realis, quid enim spectat ad distinctionem essentialem, quod essentiæ sint realiter distinctæ? licet enim ad distinctionem essentialem consequatur distinctio realis, nihil tamen facit hujusmodi distinctio ad constitutionem essentialis distinctionis, immo sequeretur, quod duæ naturæ ejusdem speciei solo numero distinctæ distinguerentur inter se essentialiter, quod est falsum. Et tandem impugnat modum secundum distinctionis essentialis, quo aliquid dicitur ab alio essentialiter distinctum, quando est extra essentiam ejus, quia licet ex eo, quod unum sit intra essentiam alterius, ut constitutivum talis essentiæ, recte inferatur esse idem essentialiter, non tamen ex opposito, quod unum sit extra essentiam alterius, infertur quod sit distinctum essentialiter, ratio discriminis est, quia non omne, quod est extra essentiam, se habet, ut quædam essentia, quo pacto se habere debet quicquid essentialiter ab alio distinguitur, sed potest se habere, ut proprietas, ut modus, aut aliquid aliud; quare concludit Pasq. primum modum identitatis, & distinctionis essentialis explicare solum identitatem, ac distinctionem realem, non autem essentialem.

197 Resp. Scotistas gratis concedere per illum primum modum identitatis, & distinctionis essentialis non explicari, nisi identitatem, & distinctionem realem naturarum, & ex hoc ajunt explicari etiam identitatem, & distinctionem essentialem proprie dictam, qua hæc omnino cum illa coincidit, ut probarum est, cum distinctio essentialis non sit, nisi distinctio realis naturarum, & cum quæritur, an quando aliqua identificantur uni essentiæ singulari, sint constitutiva illius essentiæ nec ne, respondetur interdum ita esse; nam gradus metap. ejusdem individui communicant in eadem singulari essentia, quam etiam intrinsece constituunt; interdum vero non; nam plures passiones ejusdem subjecti, & plures personæ, ac attributa in divinis dicuntur identificari uni essentiæ singulari, & tamen non sunt de illius quidditate, quia supponunt essentiam illam constitutam, quod etiam concedit Pasqual. ibi. sect. 1. n. 5. neque implicat hoc pacto aliqua identificari uni essentiæ singulari, nec tamen illam intrinsece constituere, quia identificatio essentialis juxta primam acceptionem non significat constitutionem illius essentiæ, in qua plura communicant, sed significat, quod illa plura non importent aliam essentiam, idest naturam integram ordinatam ad existentiam præter illam; in hoc sensu juxta primam acceptionem passio dicitur essentialiter identificari subjecto, non quia intrinsece constituat essentiam subjecti, ut risibilitas humanitatem, neque quia participent eandem essentiam, idest quidditatem, vel rationem conceptibilem, sed quia risibilitas ulteriorem essentiam non addit humanitati, sed simplicem quandam formalitatem, quæ per eandem essentiam subjecti ratificatur, & realizatur, & per eandem existentiam existit, qua de causa passio, & subjectum dicuntur essentialiter identificari juxta primam acceptionem absque ulla contradictione. Ad 2. negatur sequela cum ejus probatione, quia passio secundum Scotistam non est in prædicamento qualitatis, ut supponit Pasqualig. sed in prædicamento sui subjecti reductive ob realem identitatem cum ipso, quæ etiam dicitur identitas essentialis juxta primam acceptionem. Ad 3. negatur assumptum cum probatione, quæ potius oppositum probat, quia entitas, & essentia rei idem prorsus significant, sicut enim entitas dicitur ab ente, ita essentia ab esse, unde utrumque significat vel rem ipsam existentem, vel saltem existere possibilem, & ideo una non est intimior alia, sed pari passu gradiuntur; videtur tamen identitas essentialis intimior, quam realis, quatenus magis abstrahere videtur ab existentia actuali, quam illa, re tamen vera essentia sub puro statu possibilitatis æque bene potest fundare identitatem, vel distinctionem realem possibilem ab alia essentia possibili, sicut fundare potest identitatem, vel distinctionem essentialem. Ad 4. quæ identificatur in una essentia dicitur unum in essentia, seu unam importare essentiam, etiamsi non sint constitutiva illius, aut de ejus quidditate; hac ratione passio dicitur identificari essentialiter cum subjecto, etiamsi non sit de ejus quidditate, sed illud supponat essentialiter constitutum, quia nimirum aliam essentiam, ac entitatem non dicit præter essentiam subjecti, sed aliam solum addit formalitatem, sic etiam ex ipso Pasqualig. personæ divinæ identificantur essentialiter divinæ essentiæ, quam tamen essentialiter non constituunt, sed constitutam supponunt, non ergo implicat plura identificari in una essentia, seu aliam illi non addere essentiam, nec tamen illam intrinsece constituere, sed potius constitutam supponere. Ad ult. negatur consequentia quia licet duplex ille modus assignetur essentialis identitatis, & distinctionis, diximus tamen primum esse magis proprium modum identitatis, quia identitas ex vi nominis significat unitatem essentiæ, distinctio diversitatem ejusdem, sive multiplicitatem.

198 Ad aliud argumentum, quo impugnatur distinctio essentialis opposita primo modo identitatis, nescio qua ratione obiiciatur Scotistis a Pasqualig. cum & ipse declaret distinctionem essentialem per diversitatem, & multiplicitatem essentiarum, unde etiam contra ipsum reduci posset; negatur itaque assumptum, quod per talem diversitatem, & multiplicitatem essentiarum, ac naturarum non rite explicetur distinctio *essentialis*, immo distinctio essentialis aliud non est ex Scot. 1. d. 2. q. 7. FF. ut supra diximus n. 164. quam ipsa distinctio realis naturarum; & cum ait ex hoc sequi duas naturas ejusdem speciei solo numero distinctas distingui inter se essentialiter, negatur sequela, quia ut docet Doctor ibidem, duæ naturæ ejusdem speciei solo numero differentes, si sint substantiales, cum suis hæccecitatibus constituunt diversa suppositа, & sic distinctio inter illas non potest, nec debet dici distinctio essentialis, sed tantum suppositalis. Ad ult. minus etiam est, quomodo Pasqualig. neget distinctionem essentialem juxta secundam acceptionem, cum concedat modum identitatis ei oppositum; & sane si rite aliquid dicitur alicui essentialiter identificari, quia est intra rationem, ac essentiam ejus, pari ratione, quod est extra ejus essentiam, dicetur distingui essentialiter ab eo; distinctio enim commensuratur identitati, quam negat, si negat identitatem realem, est realis; si formalem, formalis; cum ergo in proposito, quod est extra essentiam alicujus, distinguatur ab eo, & non nisi negando identitatem essentialem, consequens est, ut talis distinctio, non nisi essentialis dicatur, etiam si, quod sic distingui dicitur, non sit proprie essentia, sed proprietas, vel modus; quia denominatio hujus distinctionis essentialis non sumitur ex hoc, quod intrat essentiam alterius, a quo ob talem exclusionem dicitur distingui, & ideo disparitas ad hoc adducta a Pasq. nulla est.

QUÆSTIO X.

De natura Identitatis, & Distinctionis modalis.

199 Sicut duo dantur genera modorum ex dictis disputatione secunda, quæstione sexta, articulo primo, quorum aliqui dicuntur extrinseci, & physici, quia nimirum extrinsece, & veluti accidentaliter res ipsas physicas determinant, quo pacto se habet figura respectu quantitatis, sessio respectu sedentis, &c. aliqui vero intrinseci, & metaphysici, quia magis intrinsece intrinsecas rerum essentias determinant, quo pacto se habet existentia respectu essentiæ, finitas respectu creaturæ, infinitas respectu Dei, de quorum modorum natura, & conditione l. cit.

T fuse

fuse diximus; ita quoque duplex identitas, vel distinctio modalis assignari potest, alia nimirum modi extrinseci a re, cujus est modus, & alia modi intrinseci: & de utraque in præsenti agendum nobis est, licet Recentiores de sola distinctione modali extrinseca agant, ut pote qui non alios modos rerum agnoscere videntur præter extrinsecos, & Scotistæ e contra de sola modali intrinseca, ut pote, qui non alios modos rerum agnoscunt præter intrinseca; sed loc. jam cit. ostendi hos, & illos pari passu errare, & necessarios esse in rerum natura modos utriusque generis, tam scilicet extrinsecos, quam intrinsecos, illos quidem pro rebus physicis determinandis, istos vero pro realitatibus metaphysicis; unde consequenter dabitur distinctio modalis utriusque generis in rerum natura circa operationem intellectus, atque ideo de utraque in hac quæstione agemus, & primo quidem de distinctione modali extrinseca, deinceps vero de modali intrinseca.

Recentiores passim hanc distinctionem modalem extrinsecam, seu modi extrinseci a re cujus est modus, assignant quidem, ut distinctionem præcedentem omne opus intellectus, nolunt tamen coincidere cum distinctione reali proprie dicta, quæ est inter rem, & rem, quia modus non est res, cum se solo existere nequeat, sed modificatio, & circumstantia rei, atque ideo eam constituunt, ut speciem distinctionis mediam quodammodo inter distinctionem proprie realem, & distinctionem rationis, quam placuit Suarez disp. 7. Met. sect. 1. appellare distinctionem ex natura rei, ut a proprie reali eam condistingueret, & a distinctione rationis, quam sequuntur Morisan. disp. 1. Log. qu. 6. art. 1. Aversa qu. 5. Philosoph. sec. 8. Amic. tract. de Distinct. qu. 13. & alii quamplures, quam distinctionem modalem versari dicunt nedum inter rem, & ejus modum, sed etiam inter plures modos sive ejusdem rei, sive diversarum invicem comparatos, ut inter ambas uniones materiæ, & formæ. Addunt denique proprium, & adæquatum signum hujus distinctionis modalis esse separabilitatem quoad existentiam in individuo non mutuam, sive separabilitas illa sit per potentiam naturalem, sive supernaturalem, ita Suar. cit. n. 6. & Amic. nu. 8. ratio est (inquit Suar.) quia ex hujusmodi separatione non mutua recte convincitur eam rem, quæ potest manere destructo alio extremo, habere per se suam realitatem entitative, & essentialiter independenter ab alio extremo, quod destrui potest ipsa manente, non vero potest inde concludi aliud extremum, quod potest destrui, habere ex se propriam entitatem, quia illud extremum tale est, ut manere non possit sine altero, sed ad hoc sufficit, ut sit modus ejus, immo hoc est intrinsecum entitati modali, ut per se manere non possit, nec separari actu ab eo, cujus est modus, ergo ex prædicta separatione non potest concludi major distinctio, quam modalis. Conf. nam ita comparatur motus localis ad mobile, sessio ad sedentem, actio ad terminum, inter quæ nullus, qui recte sentiat, majorem distinctionem ponit, quam modalem.

200 Dicendum est hanc distinctionem modalem sive sit inter rem, & modum extrinsecum ejus, sive inter plures modos invicem comparatos contineri quidem sub distinctione ex natura rei, ut fecernitur a distinctione rationis, non tamen constituere speciem disparatam, & condistinctam a distinctione reali, sed ad ipsam pertinere, & reduci. Conclusio est Scoti 3. quol. art. 1. & 2. d. 2. quæst. 5. *quod si adhuc*, ubi ait hanc esse contentionem de nomine, quia juxta varias acceptiones entitatis, & rei potest hujusmodi distinctio vocari realis, & modalis, quam amplectuntur etiam nonnulli ex Recentioribus melioris notæ, unde Arriag. disp. 1. Metaph. sec. 4. num. 97. inquit, distinctionem realem dividi in realem simpliciter, idest eam, quæ est inter duas res simpliciter, & in realem secundum quid, idest modalem, non quia hæc secunda in ratione distinctionis sit minor, sed quia unum extremum est modus alterius, dico modum alterius (inquit) nam licet ambo extrema sint modi, dummodo unum non sit modus alterius absolute dicuntur realiter distingui, & non modaliter, sic duæ uniones realiter distinguuntur, quia inter se non sunt modi, a subjectis tamen solum modaliter distinguuntur, quia sunt illorum modi; ita Arriag. loc. cit. & sic etiam loquitur Pasqualig. disp. 51. sec. 2. num. 6. ubi ait, si distinctio modalis consideretur secundum seipsam formaliter in ratione distinctionis esse æque realem, ac est illa, quæ est inter rem, & rem, licet modalis dicatur sumpta denominatione ab alio extremo, qui habet rationem modi respectu alterius, sic tandem loquitur etiam Hurtad. disp. 6. Met. sec. 2. subsec. 1. §. 3. ubi ait hanc distinctionem sub reali contineri, quia existit a parte rei, & sic modus simpliciter est ens reale, ita & ejus distinctio realis, vocatur autem modalis, quia alterum, vel utrumque est modus de quo ait late egisse dispur. 2. sect. 5. ibique ostendisse modum esse rem, vocari autem modum, quia non tam videtur novam afferre entitatem, quam novam determinationem entitatis præexistentis quod & ego quoque late ostendi superius disp. 2. Metaph. qu. 6. art. 1. ubi egi ex professo de modis extrinsecis, & intrinsecis rerum, unde sicut ibi dixi modum esse rem loquendo de modo extrinseco (nam intrinsecus neque est res, neque formalitas proprie loquendo, ut ibi explicatum est) ita hic consequenter asserendum ejus distinctionem a re esse talem in ratione distinctionis, & alteratis, & solum dici modalem ex parte sui sumpta denominatione a munere modificandi, quod gerit circa rem ipsam, cujus dicitur modus.

Potest autem probari conclusio ex dictis supra num. 171. ex præcipuo signo distinctionis realis, quod est separabilitas, modus enim intrinsecus separabilis est a re, cujus est modus, absque eo quod res illa aliquid suæ entitatis intrinsecæ amittat, ergo re vera distinguitur realiter ab ea; Probatur consequentia, quia separabilitas duorum, sive sit mutua, sive non mutua, est sufficiens signum realis distinctionis inter aliqua duo, ut probatum est num. 187. Quod rursus confirmari potest; quia quando videmus aliqua duo ita separari, ut unum destruatur, aliud vero remaneat integrum, & illibatum in sua intrinseca entitate, tunc arguimus illa duo diversas habere entitates, immo & existentias, nam si unum haberet eandem prorsus entitatem, & existentiam cum alio, vel tunc utrumque desineret, vel neutrum, quia nihil desinere potest, nisi etiam ejus entitas desinat, ac existentia, ergo etiam hæc separabilitas non mutua sufficiens signum est realis distinctionis. Tum quia D. Aug. 6. de Trin. cap. 6. ex hac separabilitate non mutua arguit realem distinctionem inter magnitudinem, & figuram; & Arist. etiam 1. Phys. ex hac separabilitate non mutua distinctionem realem deduxit inter materiam, & formam, quia nimirum videbat materiam manere, & formam destrui, neque ipse cogitavit unquam posse formam saltem per Dei potentiam a materia separatam conservari, cum ergo res, & modus sint ita abinvicem separabilia, concludendum est, eorum distinctionem dici posse, ac debere realem. Tum quia distinctio realis a toto genere in minus se habet, quam separatio, vel separabilitas sive sit mutua, sive non mutua, non enim quæcunque sunt realiter distincta, sunt separabilia cum separabilitas non sint adæquatum, & convertibile signum cum distinctione reali, bene tamen e contra, quæcumque sunt separabilia, sunt realiter distincta, cum ergo res, & modus separari possint, sufficit hæc separabilitas etiamsi non mutua ad inferendam talem distinctionem.

201 Resp. Pasqualig loc. cit. quod licet hæc distinctio modalis in se formaliter considerata, & in ratione distinctionis sit æque realis ac illa, quæ est inter rem, & rem, subdit tamen num. 8. quod si distinctio consideretur ex parte extremorum, & ut qualificata per ipsa, distinctio hæc non potest dici realis, quia modus deficit a ratione rei, cum nec habeat propriam entitatem, nec propriam existentiam, distinctio autem realis versatur inter rem, & rem. Hæc responsio plane admittit, quantum hic probare intendimus, nempe distinctionem modi extrinseci a re, cujus est modus, esse realem respiciendo naturam distinctionis in se, sed ulterius nunc pergo, & probo, posse dici realem etiam ex parte extremorum, quia etiam modus est res, quantum sufficit ad denominandam distinctionem realem ex parte utriusque extremi, nam dici potest ens, & res eo modo, quo hoc descendit in decem prædicamenta, & licet modus non sit res, sicut illa, cujus est modus, non tamen nulla res est, sicut nec ullum ens, inquit Scotus loc. cit. quol. 3. & 2. d. 1. qu. 5. Conf. quia licet modus petat semper esse connexus cum re, cujus est modus, adhuc tamen dici potest, ac debet res, ut a realitate distinguitur, & quantum sufficit ad denominandam distinctionem realem ex parte sui, quia res dicitur, quod habet propriam entitatem, & existentiam, secundum quam immediate potest esse terminus causalitatis physicæ, ut supra dictum est, sed modus habet sic propriam entitatem, & existentiam, ergo potest dici res absolute loquendo, licet dicatur modus per comparationem ad rem, quam modificat, probatur minor, quia incipit modus de novo in subjecto, & desinit, non incipiente, vel desinente subjecto, sed hoc prorsus impossibile foret, si modus eandem prorsus haberet entitatem, ac existentiam cum re, cujus est modus, quia nequit aliquid incipere, vel desinere, nisi quoque desinat ejus entitas, vel existentia; tum quia D. Aug. loc. cit. ex hoc probat figuram non identificari realiter cum quantitate, nec habere eandem entitatem, ac existentiam cum ipsa, quia potest esse quantitas sine figura, quod evidens signum est unum non esse idem cum alio, nec habere eandem entitatem, vel existentiam cum illo.

Respondent Recentiores illud proprie dici rem, quod se solo existere potest non indigens altero, cui sit affixum, modus autem se solo existere nequit, sed postulat esse perpetuo affixum rei, quam modificat, & ideo nequit dici res, nec distinctio realis ex parte ipsius. Addunt distinctionem realem esse talis naturæ, ut versari debeat inter extrema, quorum utraque simul, & actu possint conservari in rerum natura absq; reali unione inter se, ut corpus, & anima, Petrus, & albedo, quo pacto non se habent res, & modus, quia licet quantitas possit esse sine figura hac, & illa, non tamen e contra; unde cum dicitur separabilitatem esse infallibile signum distinctionis realis, ajunt id debere intelligi de separabilitate mutua, & cum retentione propriæ existentiæ, itant unum possit ab alio separatum conservari, & consistere saltem per Dei potentiam, quo pacto non se habet modus respectu rei, cujus est modus. Sed hæc responsio difficultatem non evacuat, quia ad rationem Rei simpliciter, & absolute loquendo, ut realem fundat distinctionem, minime requiritur, ut se sola existere possit, sed sufficit, quod per veram efficientiam, & physicam causalitatem accipiat esse per se, sive solitarie existere possit, sive non, ut dictum est n. 160. ita autem se habet modus, quia de novo producitur in re, quam modificat, & destruitur sine productione, & desitione rei, cujus est modus, ut patet de unione respectu subjecti, sessione respectu sedentis, præsentia respectu rei locatæ, sed propria rei essentia, & existentia est terminus ad quem productionis, & ter-

terminus, a quo desitionis, & destructionis, ergo modus proprie potest dici Res, ut res a realitate distinguitur. Neque refert modum non produci in seipso, nec in seipso desinere, sed in alio; id enim non infert, quod propria careat essentia, & existentia, sed solum, quod non habeat suam essentiam, & existentiam solitariam, seu se sola existere natam, sed necessario alteri associatam, quemadmodum ipsi Adversarii dicere solent de actu vitali respectu potentiæ vitalis, quod ob intrinsecam, ac essentialem ab ipso dependentiam neque per Dei potentiam potest ab ipsa sejunctim conservari, neque ob id dicunt esse modum potentiæ vitalis, sed adhuc est vera res, & entitas. Neque tandem verum est, quod dicebatur, ad distinctionem realem necessariam esse separabilitatem mutuam extremorum, itaut unumquodque reciproce possit separatum ab alio conservari, non inquam, id necessarium est, ut sæpius inculcavimus, sed sufficit, quod unum remanere possit in sua entitate integrum alio destructo, cum ergo possit modus a subjecto separari, & destrui absque eo, quod aliquid entitatis subjecti deperdatur, argumento est realiter inter se distingui, & hæc est separabilitas, quæ dicitur esse signum distinctionis realis inter aliqua duo, ut scilicet unum remaneat integrum, & illæsum in sua entitate absque alio, sive hoc pariter separatum ab eo conservetur, sive destruatur, unde per accidens est ad realem distinctionem, quod utrumque extremum possit separatum conservari, ut dictum est qu. 8. loquendo de signis distinctionis realis.

202 Ex qua doctrina labuntur fundamenta Recentiorum ab initio quæst. relata, quibus probabant, distinctionem rei, & modi non posse dici realem, quia res non est modus, & adæquatum signum distinctionis modalis esse separabilitatem non mutuam; non inquam, hoc dici potest adæquatum ejus distinctionis signum, & cum ea convertibile, quasi quæcumque sunt sic separabilia, non realiter distinguantur, sed tantum modaliter, quia inseparabilitas duarum entitatum cum retentione propriæ existentiæ ex parte utriusque potest ex aliis oriri capitibus, scilicet ratione intrinsecæ, & essentialis dependentiæ unius ab alio, qualem dicunt Thomistæ intervenire inter actum vitalem, & potentiam, & nos inter totum, & partes unitas, & inter duo relativa, quorum neutrum potest sine alio existere, & conservari, ut relativa sunt, & tamen adhuc in ratione relativorum realiter distinguuntur, quia fundant correlationes realiter distinctas. Præterea principaliter posset adhuc probari distinctionem rei, & modi extrinseci posse dici realem ex tertio signo realis distinctionis assignato sub nu. 183. quod erat oppositio productoris, & producti, causantis, & causati, cum nihil possit causare seipsum, cum ergo res causet suum modum ad minus in genere causæ materialis, immo & interdum efficientis, consequenter dicendum est, quod etiamsi ex separabilitate rei, & modi non sufficienter colligeretur distinctio realis inter illa, quia non est separabilitas mutua, adhuc tamen sufficienter colligi posset ex oppositione producentis, & producti, causantis, & causati, quod erat signum realis distinctionis, ergo distinctio rei, & modi extrinseci re vera est realis, neque speciem constituit disparatam a distinctione reali.

Oppositum tamen contendunt probare Recentiores citat. & Primo probat Amic. ex Arist. 3. Phys. 21. ubi motum, actionem, & passionem ait esse idem subjecto, & differre ratione, quod utique nequit intelligi de sola distinctione rationis, idest facta per intellectum, sed majori, quæ cum non sit realis, debet dici modalis. Resp. motum realiter distingui ab actione, & passione ex dictis disp. 15. Phys. qu. 3. & sic etiam distingui inter se actionem, & passionem, ut ostensum est supra in hac ipsa disp. qu. 1. art. 6. §. 59. quid autem intendat Aristot. 3. Phys. 21. cum ait motum, actionem, & passionem esse idem subjecto, seu materialiter, & differre ratione, seu formaliter, jam explicatum est loc. cit. ac etiam in expositione textus lib. 3. Phys. ex Scot. 4. dist. 13. quæst. 1. L.

Deinde obiicit Suarez disp. 7. Met. sect. 1. num. 21. necessario admitti debere distinctionem modalem modi extrinseci a re, cujus est modus, ut speciem disparatam, & condistinctam a distinctione reali, quæ est inter rem, & rem, & ut distinctionem minorem illa præter opus intellectus, quia separabilitas mutua, qualis est inter Petrum, & Paulum, vel esse potest inter animam, & corpus, arguit majorem distinctionem, quam separabilitas non mutua, qualis est inter rem, & modum, separabilitas mutua non arguit nisi distinctionem realem propriam, ergo separabilitas non mutua non arguit talem, aut tantam distinctionem. Conf. quia distinctio realis propria debet esse inter rem, & rem, sed distinctio, quæ est inter rem, & modum non est distinctio rei a re, sed rei a modo, ergo non est realis. Demum modus tam intime includit conjunctionem cum re, cujus est modus, ut per nullam potentiam sine illa esse possit, ergo signum est, illam conjunctionem esse quemdam modum identitatis, est ergo minor distinctio inter modum, & rem, quam inter duas res.

Resp. Poncius tom. 3. sui Cursus d. 20. quæst. 1. num. 10. negando majorem, nam quod modus non possit existere sine modificato, non provenit ex defectu distinctionis, sed ex natura particulari sua, quæ cum sit essentialiter determinativa modificati, non potest sine ipso existere, quam solutionem confirmat, ac simul objectionis infirmitatem ostendit, quia si mutua separabilitas argueret majorem distinctionem, quam separabilitas non mutua, etiam separabilitas mutua naturalis qualis est inter Petrum, & Paulum, argueret majorem distinctionem, quam separabilitas non mutua naturalis, qualis est inter Petrum, & albedinem, vel inter intellectum, & intellectionem, & consequenter non daretur distinctio realis propria inter Petrum, & albedinem, sicut datur inter ipsum, & Paulum, ergo mutua separabilitas non arguit majorem distinctionem, quam non mutua. Ad Conf. negat pariter majorem, non enim distinctio dicitur realis propria, quia sit inter rem, & rem, sed quia est inter extrema positiva, & est opposita distinctioni formali, & distinctioni rationis, & quia distinctio rei a modo est hujusmodi, ideo est distinctio realis propria, quamvis non sit inter extrema mutuo separabilia. Sed hanc solutionem simul cum instantia illa adducit Suarez loc. cit. sec. 2. num. 7. & reiicit dicens aliud esse loqui de inseparabilitate naturali, aliud vero de inseparabilitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, nam ex priori sola non potest sufficiens argumentum sumi indistinctionis realis proprie, & in rigore sumptæ, ut convincit argumentum de subjecto, & accidente, de materia, & singulis formis materialibus, materia enim potest a qualibet individua forma separari, & sine illa conservari; nulla vero talis forma potest naturaliter separari a materia, ita ut sine illa conservetur, at vero si sit sermo de inseparabilitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, inquit valde probabile argumentum sumi, ea, quæ prædicto modo comparantur, & conservari non possunt mutuo separata, tantum distingui modaliter, ratio est, quia si alterum extremum ex illis duobus tale est, ut per potentiam Dei absolutam non possit sine alio conservari, magnum argumentum est illud essentialiter tantum esse modum quendam, & non veram entitatem, quia si esset vera entitas, non posset habere tam intrinsecam dependentiam ab alia entitate, ut non possit Deus illam supplere sua infinita potentia, ergo solum id provenire potest ex eo, quod illud extremum in sua intrinseca essentia non est entitas, sed tantum modus, ita Suarez cit. quibus an re vera illi istantiæ satisfaciat, nolo sollicitus esse, id enim Poncio incumbebat, qui eam adhibuit. Solutio vero, quam Poncius adhibet ad Conf. minime placet, dum negat distinctionem realem proprie dictam esse illam, quæ versatur inter rem, & rem, & inquit esse illam, quæ est inter extrema positiva, & opponitur distinctioni formali, & distinctioni rationis, hoc enim nihil est dictu, peto namque per quid opponatur distinctio realis proprie dicta distinctioni formali, plane non illi opponitur, quia sit inter extrema positiva quomodocunque, nam in hoc sensu etiam formalis distinctio inter positiva versatur, sed quia positiva, inter quæ versatur distinctio realis, sunt res, illa vero, inter quæ versatur distinctio formalis, non sunt res, sed realitates, sive formalitates, quam doctrinam postea tradit ipse Poncius immediate post q. seq. ex communi Scotistarum ponens discrimen inter extrema positiva distinctionis realis, & distinctionis formalis, male ergo negat distinctionem realem proprie sumptam esse illam, quæ est inter rem, & rem, & potius negare debebat modum non esse rem, quantum sufficit, ut possint fundare realem distinctionem.

203. Itaque ad argumentum negandum est, inseparabilitatem illam non mutuam arguere minorem distinctionem inter rem, & modum, quam faciat separabilitas mutua, contingere enim potest, ut illa inseparabilitas, quæ est ex parte alterius extremi, non oriatur ex identitate aliqua, vel minori distinctione, sed ex aliquo modo dependentiæ magis intrinseco, ac insuperabili etiam per potentiam Dei absolutam, ut Adversarii quamplures dicere solent de actu vitali v. gr. intellectione respectu intellectus, a quo non posse ajunt separatam conservari nec naturaliter, nec supernaturaliter, cum essentialem dependentiam dicat a potentia vitali, & nos Scotistæ potiori ratione asserimus de toto essentiali physico respectu suarum partium unitarum, & tamen certum est, intellectionem non minus realiter ab intellectu distingui, quam distinguatur albedo a Petro, tum quia in ratione distinctionis, & alietatis tam est verum dicere sessionem esse aliud a sedente, figuram a quantitate, a parte rei, quam intellectionem ab intellectu, & ideo illa inseparabilitas non arguit minorem distinctionem. Vel dicendum, quod si aliquo pacto minorem arguit distinctionem, non tamen talem, ut non possit, ac debeat adhuc dici realis; quia ut supra dictum est, modus est res, quantum sufficit ad fundandam realem distinctionem proprie dictam, & separabilitas cum amissione propriæ existentiæ absque præjudicio existentiæ alterius extremi est sufficiens indicium realis distinctionis ab eo. Ad Confir. si per rem & rem intelligantur extrema, quæ possint abinvicem separata manere, & conservari, negatur major, hoc enim non est necessarium, sed sufficit, quod extrema ita sint res, quod unumquodque possit produci, vel corrumpi absque desitione, & corruptione alterius, res enim physica dicitur, prout a realitate Metaphysica distinguitur, quicquid potest terminare causalitatem agentis Physicam, & realem, quia hoc necessario terminatur ad essentiam rei, prout existens est, sive solitarie in seipsa, sive cum alio associata, quo sensu intellecta, & concessa majori, negatur minor, quod modus non sit res, & distinctio inter ipsa non sit veluti rei, & rei, quantum sufficit ad fundandam distinctionem realem proprie dictam. Ad ult. negatur prima consequentia, & consequenter etiam secunda, & ratio negationis est, quia conjunctio duorum non opponitur, vel excludit distinctionem, ut constat de materia, & forma unitis in composito, & adhuc realiter inter sese distinctis, sed opponitur divisioni, eamque excludit, nam si conjunctio esset quidam modus identitatis, non ita realiter distinguerentur anima, & corpus in nomine quando sunt conjuncta, ac postea quando post obitum sunt di-

disuncta, quod si conjunctio minuit distinctionem unitorum (quod tamen absolute falsum est proprie de distinctione loquendo) non tamen ita minuit, ut adhuc distinctio inter illa nequeat dici realitas.

Sed adhuc instat Suarez, si modus intrinsecus esse vera res, & entitas, non posset habere tam intrinsecam dependentiam ab alia entitate, ut non posset saltem Deus illam supplere sua infinita potentia, ergo solum id provenire potest ex eo, quod illud extremum in sua intrinseca essentia non est entitas, sed tantum modus. Resp. negando assumptum; potest enim interdum unum ens adeo essentialem dependentiam habere ab alio, & necessariam conexionem cum ipso, ut ejus indigentia nec etiam a Deo suppleri possit, quemadmodum dicunt Adversarii de actu vitali, qui adeo necessario in suo esse, & fieri dependet a potentia vitali, ut nec a Deo ejus indigentia supplerí possit, nec tamen dicunt illum esse modum. Accedit, quod ratio modi non tollit ab eo, quod non sit res, & entitas realis absolute loquendo, sed solum, quod non sit res eo pacto, quo res dicitur illud, cujus est modus, ut docet Scot. loc. cit. 1. non est res sumendo rem pro illo, quod se solo existere, & conservari potest, neque ex sua ratione intrinseca petit esse alteri affixum per modum determinationis, & modificationis. Denique ratio a priori cur modus extrinsecus per se existere nequeat, & petat affixum esse rei, quam modificat, itaut nec per Dei potentiam se solo conservari possit, non est quia non sit res, nec entitas relativa, ut constat de unione, ubi, actione, passione, &c. ut dixi disp. 2. qu. 6. art. 1. num. 143. repugnat autem omnino respectum, qualiscunque sit conservari separatum a fundamento, cum essentialiter sit habitudo quædam unius ad aliud, ut dictum est disput. 3. Phys. num. 146.

204 Circa aliam distinctionem modalem scilicet modi intrinseci a re, cujus est modus, ut existentiæ ab essentia, infinitatis a Deitate, &c. aut plurium modorum inter se, ut existentiæ, actus, & potentiæ, & hujusmodi, nonnulli Scotistæ eam constituunt speciem distinctionis ab aliis condistinctam, & disparatam, quibus præiviſſe videtur Mairon. 1. d. 8. quæst. 1. artic. 2. ubi quatuor species distinctionis præter opus intellectus proponit ab invicem distinctas, inter quas distinctionem præsertim modalem enumerat. Alii vero Scotistæ passim eam reducunt ad distinctionem ex natura rei, quam supponunt speciem ab aliis condistinctam, & minimam inter omnes distinctiones antevertentes opus intellectus, ita Formalistæ apud Sirect. art. 2. quos refert, & sequitur Franc. de Roy lib. 2. Formalit. cap. 13. sec. 2. Alii tandem eam reducunt ad formalem distinctionem, sed quia modus intrinsecus proprie non importat aliquam formalitatem, ideſt rationem de se conceptibilem seorsim a re, cujus est modus, ut diximus disput. 2. quæst. 6. art. 1. vocant eam distinctionem formalem negativam, vel non identitatem formalem, ita Meurisſ. lib. 2. suæ Metaph. cap. 3. qæst. 4. conclus. 4. Poncius tom. 3. cursus disp. 20. num. 80. Faber. tract. Formalit. & alii quamplures.

Et hæc ultima sententia placet, quam jam in Logica dedi disp. 1. qu. 5. art. 2. declarando distinctionem formalem, & superius in hac disp. num. 168. quia ut constat ex ibid. dictis, nulla est ratio convincens, ut ponatur species quædam distinctionis ab aliis condistincta, & separata; debet ergo ad alias reduci, quæ veram speciem constituunt distinctionis a parte rei, talis autem esse nequit distinctio realis, quia modus intrinsecus non potest dici res, immo neque formalitas in rigore loquendo; neque reduci potest ad distinctionem ex natura rei, ut ponitur a Formalistis, quia falsum est, hanc distinctionem ex natura rei constituere speciem ab aliis condistinctam, cum potius sit genus ad omnes distinctiones præter opus intellectus, ut dictum est supra qu. 7. art. 2. remanet ergo, ut reducatur ad distinctionem formalem. Conf. ex proportione, quæ currit inter distinctionem modalem extrinsecam, seu modi extrinseci a re cujus est modus, & distinctionem modalem intrinsecam, sicut enim de illa concluſum est pertinere ad distinctionem realem, nec constituere speciem ab ea condistinctam, quia ad distinctionem realem sufficit, quod habeat extrema positiva, quorum alterum possit esse sine alio, etiam si non e contra, ita etiam in proposito concludendum est, istam distinctionem modalem intrinsecam, seu modi intrinseci pertinere ad distinctionem formalem, nec constituere speciem ab ea condistinctam, quia ad distinctionem formalem sufficit, quod extrema sint positiva, & quamvis realiter identificata, unum tamen ex illis non est formaliter aliud, quod non tantum de duabus formalitatibus verificatur, sed etiam de formalitate, & modo ejus intrinseco. Addo tamen, quod sicut distinctio modalis modi extrinseci, quamvis pertineat ad distinctionem realem, tamen dicitur distinctio realis veluti imperfecta ratione alterius extremi deficientis a ratione rei, capiendo rem in rigore pro entitate, quæ se sola existere potest, nec indiget esse alteri affixa, ut existat; ita in proposito distinctio modalis intrinseca seu modi intrinseci a re, cujus est modus, dici potest distinctio formalis, veluti imperfecta, ratione alterius extremi deficientis a ratione formalitatis capiendo formalitatem in rigore pro ratione se sola conceptibili, quia modus intrinsecus necessario petit concipi cum re, quam modificat.

205 Sed instant Formalistæ, non posse hanc distinctionem modalem pertinere ad formalem, quia distinctio formalis ea dicitur, quæ versatur inter formalitatem, & formalitatem, sed modus intrinsecus non est formalitas, cum non sit ratio præcisibilis, & ex se conceptibilis sine re, cujus est modus, ergo, &c. Tum quia distinctio hæc modalis est minor distinctione formali, ergo ad ipsam pertinere non potest, sed propriam speciem constituit, probatur assumptum ex Scoto 1. d. 3. qu. 2. E. ubi loquens de conceptu rei cum modo in comparatione ad conceptum alicujus rei sub aliqua formalitate diversa, inquit, quod ille est simplicior, quam iste, & ejus verba sunt hæc, loquendo de conceptu Dei infiniti iste est simplicior, quam conceptus entis boni, vel entis veri, vel aliquorum similium, & reddit rationem, quia infinitum non est quasi attributum, vel quasi passio ejus, de quo dicitur, sed dicit modum intrinsecum illius entitatis, ita quod cum dico ens infinitum, non habeo conceptum quasi per accidens ex subjecto, & passione, sed conceptum per se subjecti in certo gradu perfectionis scilicet infinitatis, sicut albedo intensa non dicit conceptum per accidens, sicut albedo visibilis, immo intensio dicit gradum intrinsecum albedinis in se, & ita patet simplicitas hujus conceptus scilicet ens infinitum; unde tale conficiunt argumentum. Quandocumque aliqua duo ita se habent, quod simpliciorem conceptum faciunt, quam alia duo, illa minori diversitate sunt alia, nam major alietas majorem compositionem facit saltem in conceptibus, sed res, & modus simpliciorem conceptum faciunt ex Scoto, quam res una cum alia formalitate, sicut Deus cum bonitate, quæ distinctione sola formali distinguuntur, ergo &c. Denique distinctio modalis stat cum identitate formali, ergo non coincidit cum distinctione formali, sed est minor illa, quia ea est minor distinctio alia, quæ secum compatitur identitatem oppositam illi distinctioni, probatur assumptum, quia res, & modus eandem habent formalitatem, pro quanto modus nequit seorsim a re concipi, ideoque habent identitatem formalem oppositam distinctioni formali. Nec satis est, si dicatur, rem, & modum esse idem formaliter sola identitate negativa formali, pro quanto non habent distinctas formalitates, non autem esse idem identitate formali positiva, quia utrumque non præsefert propriam formalitatem. Non, inquiunt, satisfacit, tum quia illud sufficit ad inferendum distinctionem modalem esse minorem distinctione formali, tum quia identitas formalis negativa opponitur distinctioni formali positivæ saltem privative.

Resp. ad distinctionem formalem sufficere, quod extrema sint positiva, & quod licet sint realiter identificata, unum tamen ex illis non sit formaliter aliud, ut patebit quæst. seq. quod verificari potest de formalitate, ac ejus modo intrinseco perinde ac de duabus formalitatibus. Ad 2. ideo inquit Doctor distinctionem modalem esse minorem formali, quia distinctio formalis sumitur absolute pro illa, quæ versatur inter formalitatem, & formalitatem, in quo sensu, ut diximus, distinctio modalis deficit a distinctione in rigore formali, & distinctio formalis quasi imperfecta, quatenus modus intrinsecus deficit a ratione veræ formalitatis. Ad ult. concedo gratis illam solutionem inter arguendum allatam non plene satisfacere, quia extrema hujus modalis distinctionis sunt positiva, quorum unum formaliter non est aliud, & ideo non est tantum non identitas formalis inter ea, sed vera, & propria formalis alietas, qua de causa neque probandus est modus eorum, qui hanc distinctionem modalem appellant formalem negativam, cum enim extrema talis distinctionis sint positiva, ipsa quoque distinctio in suo genere poterit dici positiva; itaque ad argumentum potius negandum est assumptum cum ejus probatione, quia ex hoc, quod modus non est per se conceptibilis seorsim a re, cujus est modus, non sequitur, rem, & modum eandem habere formalitatem, ac esse idem positive, cum hoc enim stat adhuc, quod unum non sit formaliter aliud, immo ex hoc ipso, quod modus non est per se conceptibilis sine re, cujus est modus, sequitur rem, & modum diversas habere rationes conceptibiles, & quod unum non est formaliter aliud; & ad summum inde deduci potest inter rem, & modum versari distinctionem formalem imperfectam, quatenus manca est ex parte unius extremi deficientis a propria ratione formalitatis.

QUÆSTIO XI.

De natura Identitatis, & Distinctionis formalis ejusque utilitate.

206 Hæc est illa distinctio media inter simpliciter realem, & simpliciter rationis, adeo celebris, & famigerata in Scotistarum schola, quam omnes fere extra scholam nostram aversantur, & acriter impugnant; sed ut bene notavit Ovviedo controvers. 4. Met. punct 2. totus eorum labor est in hac distinctione impugnanda, sed nullus eorum insudat in assequenda mente Scoti, & Scotistarum, quid per hanc distinctionem intellexerint mediam inter realem, & rationis, unde factum est, ut plerique impugnent, quod non intelligunt, nec umquam somniavit Scotus. Pro recta igitur hujus indentitatis, & distinctionis formalis intelligentia, supponendum in primis est per distinctionem formalem a Scoto, & Scotistis assertam, veluti mediam inter simpliciter realem, & simpliciter rationis, hic non intelligi diversitatem inter ea repertam, quæ habent dissimiles essentias, & naturas, quo sensu homo, & asinus formaliter abinvicem

vicem differre dicuntur, quia similes habent essentias, & quidditates, non inquam, sic intelligenda venit, quia in hoc sensu, ut sæpius ait Doctor, potius est distinctio formarum, ideſt, naturarum, & essentiarum integrarum, quam differentia formalis plurium graduum ejusdem essentiæ totalis, qui & formalitates appellari solent, (qua de causa distinctio inter eas formalis appellari consuevit; unde distinctio formalis in eo sensu re vera est distinctio essentialis, seu distinctio realis naturarum, de qua supra diximus num. 164. & 169.

Rursus supponendum est per distinctionem formalem mediam inter realem, & rationis Scotum non intelligere distinctionem illam, quam Recentiores vocant virtualem, vel rationis ratiocinatæ, ut eum siniſtre interpretantur Suarez disp. 7. Met. sect. 1. num. 13. & lib. 4. de Trin. cap. 4. Hurtad. disp. 6. Met. sec. 3. Salas p. 2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 3. & alii nonnulli, quibus (quod pejus est) ex nostris adhæsit Herrera 1. tom. disp. 8. qu. 13. & disp. 14. qu. 1. quasi hæc distinctio non antevertat omnino formaliter, & actualiter opus intellectus, sed virtualiter tantum, & fundamentaliter, formaliter vero, & actualiter compleatur per opus intellectus; hoc siquidem repugnat expreſſis Scoti verbis, nam in 1. d. 8. qu. 4. §. *ad quæstionem respondeo*, de hac ipsa distinctione loquens, quam inter divina attributa reponit, sic loquitur, *dico quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, quæ est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, talis enim distinctio est inter sapiens, & sapientiam, & utique major inter sapientiam, & veritatem; nec est ibi tantum distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argumentum est prius illa nunquam est in cognitione intuitiva, niſi sit in objecto intuitive cognito: est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo*, & ne quis exponere possit, quod hæc distinctio sit solum virtualis, statim addit, *& est ista; quod sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est in re ex natura rei, sapientia autem in re formaliter non est bonitas in re* quod adhuc paulo inferius magis exprimit dicens, *& intelligo sic, quod intellectus componens istam, sapientia non est bonitas formaliter, non causat actu suo collativo veritatem istius compositionis, sed in objecto invenit extrema, ex quorum compositione fit actus verus*, quid clarius dicere poterat ad innuendam hanc distinctionem formalem esse actualem, & non virtualem tantum, & antevertere omne opus intellectus? Accedit quod 2. d. 3. qu. 1. directe docet naturæ entitatem a singularitate ex natura rei formaliter actualiter distingui, ideoque communitatem naturæ realem esse, & singularitatem vere a parte rei naturam communem contrahere, ac cum ea veram compositionem metaphyſicam efficere, quod cum semper repetat, quotieſcunque de hac distinctione media loquendum occurrit, non est cur dubitemus, hanc distinctionem apud Scotum esse omnino actualem, & non tantum virtualem, & fundamentalem, adeout opere intellectus egeat pro ejus complemento. Accedit tandem unanimis, & perpetuus omnium Scotistarum consensus, tam veterum, quam Recentiorum, qui in hoc sensu mentem Doctoris intellexerunt de hac distinctione formali mediam inter realem, & rationis; unde inconsulto satis Amicus tract. de Distinct. qu. 14. art. 1. notab. 3. inquit, controversiam esse apud Scotistas, an hæc distinctio sit actualis præciso opere intellectus, hoc enim apud nullum Scotistarum video controversum, uno Herrera excepto, de quo non est mirum, quia veluti doctrina Thomistica imbutus plerumque etiam in aliis a recta Scotistarum exorbitat.

207 Sed quod adversarios decepit in intelligentia opinionis Scoti est quidam discursus, quem habet 1. d. 2. q. 5. §. *sed hic restat*, ubi agens de hujusmodi distinctione, quam ibi reponit inter essentiam, & relationes, & explicans, quo sensu possit dici realis, habet hæc verba, non est proprie realis actualis, intelligendo sicut communiter dicitur actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu, quia in una persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem divinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia nihil est ibi in potentia, quod non sit in actu; potest autem vocari differentia rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipiatur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus; vel alio modo vocari potest differentia virtualis, quia illud, quod habet talem distinctionem in se, non habet rem, & rem, sed una res habens virtualiter, sive eminenter duas realitates quia utique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista esset una res, & illa alia; ita Doctor loc. cit. ex quo discursu deducit Hurtad. Scotum per hanc distinctionem formalem ex natura rei aliam non intellexiſſe, quam distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ virtualiter solum præcedit in objecto opus intellectus, non autem actualiter. Rursus urget Herrera, quod Doctor loc. cit. paulo infra explicat hanc distinctionem per non identitatem, quærens enim, an concedi debeat aliqua distinctio inter relationes, & essentiam; *Respondeo* (inquit) *melius est uti ista negativa, hoc non est formaliter idem, quam hoc est sic, vel sic distinctum*, quo loquendi modo significat talem distinctionem formalem non esse positivam, sed negativam, & proinde non esse actualem, sed virtualem.

Cæterum, si præcitatus textus attente legatur, Doctor ibi diserte docet hanc distinctionem, quam ibi agnoscit inter essentiam, & relationem, esse formalem actualem, & omne opus intellectus præcedentem, non vero virtualem, vel rationis tantum ratiocinatæ, at exponit Hurtad. ut jam innuimus disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. nam ab initio §. *Sed hic restat*, inquit, *dico sine assertione, & præjudicio sententiæ melioris, quod ratio qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, ut essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati*, ergo hæc distinctio formalis, de qua ibi loquitur, esse nequit solum virtualis, aut rationis ratiocinatæ, ut exponit Hurt. quia hæc licet præcedat omne opus intellectus secundum fundamentum non tamen præcedit secundum rationem distinctionis, ut sic, quemadmodum vult Doctor. Deinde paulo inferius inquit, divinum intellectum videre essentiam, & relationes, eoque intueri, ut duo objecta formalia per se terminantia cognitionem intuitivam; unde includit hanc distinctionem non esse ab intellectu, sed in objecto præcedere omnem actum intellectus, ergo hæc distinctio formalis, de qua ibi loquitur, est actualis, non virtualis tantum, aut rationis ratiocinatæ, quia vult totam illam distinctionem, quam intellectus percipit, reperiri in objecto a parte rei. Et quamvis paulo infra dicat, illam vocari posse distinctionem rationis, ibidem tamen explicat, quo sensu id dici possit, non quidem itaut ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipiatur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus; & cum rursus ibi vocat illam virtualem, statim explicat, quo sensu id asseri possit, quia nempe illud quod habet talem distinctionem in se, non habet rem, & rem, sed est una res habens virtualiter, sive eminenter plures res, unde vocat illam virtualem, non quia accipiat esse actuale ab intellectu, sed propter æquivalentiam, quia cum dicat solum plures formalitates ex natura rei distinctas, seu plures realitates, æquivalet tamen pluribus rebus distinctis realiter, unde intelligi debet de virtualitate, qua una res continet in se duas formalitates, quibus competunt proprietates illius rei, ac si essent distinctæ, sicut duæ res, quemadmodum ibidem se Doctor explicat. Immo paulo inferius subdit, Hh. ut magis mentem suam aperiret, & ne confuſio contingeret ex vocabulis distinctionis rationis, & virtualis, ait melius esse omittere illa, & hanc distinctionem potius apppellandam esse distinctionem ex natura rei, quam rationis, nec proprie virtualem sed formaliter his verbis, *Breviter igitur dico omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, quod in essentia divina ante actum intellectus est entitas A, & est entitas B, & hæc non est formaliter illa, ita quod intellectus paternus consideratur A, & considerans B, habet ex natura rei, unde ista compositio sit vera A, non est formaliter B, non autem præcise ex aliquo actu intellectus circa A, & B*, constat igitur apud Doctorem per hanc distinctionem ex natura rei formalem non intelligi aliquam distinctionem, quæ fiat, & compleatur ab intellectu in esse distinctionis, ut est distinctio virtualis, vel rationis cum fundamento, sed aliud genus distinctionis, quæ secundum se totam præcedat actum intellectus.

208 Quare vero dixerit Doctor ibidem hanc distinctionem formalem potius explicandam esse per negationem identitatis formalis, ait Bargius ibidem ita Doctorem loqui, quia nondum determinaverat, an relationes haberent suas proprias formalitates, vel potius essent modi divinæ essentiæ. Tataret. autem, & Vigerius ibid. ac etiam Bassol. 2. d. 22. qu. 4. art. 2. Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 8. art. 6. Meurisſ. lib. 2. suæ Metaph. c. 3. qu. 4. concl. 4. ajunt, Doctorem sic loqui, ut ostenderet distinctionem formalem non importare veram relationem realem inter extrema sic distincta, quæmadmodum importat distinctio realis, quia distinctio formalis ex natura rei non est censenda actualis ratione relationis formaliter importatæ per distinctionem, sed materialiter solum ratione extremorum, quæ sic a parte rei distincta ita habent in eadem re proprium esse actuale, extra nihil, ut esse formale unius non sit esse formale alterius. Smiſinch. vero tract. 2. de Deo uno disp. 1. qu. 2. n. 40. ait, Doctorem ita loqui, quia negativa identitas potest habere sensum præcisivum, itaut ratio unius proprietatis intelligatur non intellecta ratione alterius, affirmativa autem distinctionis videri potest habere sensum exclusivum, quia positive opponit unum alteri, divinæ autem perfectiones non seinvicem simlipciter excludunt, sed potius postulant inclusionem in eadem re, seu identitatem realem, quia ergo exclusio positiva videtur excludere etiam identitatem realem, ideo inquit Doctor melius esse uti ista negativa, hoc non est formaliter illud, quam affirmativa dicendo hoc est sic, & sic distinctum; his ergo de causis usus est Doctor voce non identitatis potius, quam distinctionis, non autem quia vox distinctionis sit penitus abiicienda, aut quia distinctio formalis, de qua loquimur, sit negativa, & non positiva, ac virtualis solum, non autem actualis. Addo tandem, quod dixi disp. cit. Log. potiſſimam causam, cur Doctor hanc distinctionem formalem maluerit appellare non identitatem potius, quam absolute distinctionem ex natura rei, esse, quia ex communi modo loquendi præsertim tunc temporis distinctio ex natura rei pro vera, & rigorosa distinctione reali usurpari solebat, ut ibi Doct. innuit vers. *sed numquid hæc distinctio dicetur realis?* Et quia primus ipse fuit, non qui hanc distinctionem excogitavit (ut male inquit Meurisſ. nam aperte habetur apud Arist. pluribus in locis, ut postea dicemus) sed qui illam in divinis perfectionibus invexit, valde sobrie ac modeste loquitur, ne distinctionem realem inter eas ponere videatur, & divinam lædere simplicitatem.

His itaque suppositis, ut de communi mente Scoti, & Scotistarum, duplex solet esse modus explicandi hanc identitatem, & distinctionem formalem in via Doctoris. Primus est antiquiorum Scotistarum, qui Formalistæ vocantur, & dicunt identitatem formalem esse eorum, quorum unum alterum includit in sua ratione formali, & in primo modo dicendi per se, quo sensu definitio est eadem formaliter suo definito, & genus speciei, & differentia formaliter suo constituto; distinctio vero formalis e contra est eorum, quorum unum non est de conceptu formali alterius, sic quod unum absque alio distincte concipi possit; addunt præterea identitatem formalem esse duplicem, nempe mutuam; mutua versatur inter illa, quorum unum identificatur alteri formaliter, & e contra, ut homo, & animal rationale; non mutua est inter illa, quorum unum est de conceptu formali alterius, non e contra, quo sensu animal dicitur esse idem formaliter homini, quia ingreditur conceptum quidditativum ejus, non e contra; & hanc explicationem identitatis, & distinctionis formalis deducunt ex verbis Doctoris 1. distinct. 2. quæst. 7. §. cit. *sed hic restat*, cum ait, *voco identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur, sic idem, includit illud, cui sit est idem, in sua ratione formali, & per consequens per se primo modo*, ex quibus verbis postea orta est acris contentio inter eosdem Formalistas de identitate formali inter inferius, & superius, nam ex modo loquendi Doctoris contendunt Sirect. Maurit, Vallon, & alij inferius, esse idem formaliter suo superiori, quia illud includit sua ratione formali, non e contra. Trombeta vero cum cæteris vult superius identificari formaliter suo inferiori, quia ingreditur conceptum ejus quidditativum in primo modo dicendi per se, non e contra.

209 Hunc explicandi modum, velut omnium Scotistarum communem refert, ac impugnat Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 61. sect. 1. Primum autem, quod impugnat, est ipsa explicatio identitatis, & distinctionis formalis, nam ex tali explicatione sequitur in ipsamet identitate formali, esse distinctionem formalem, quod repugnat; probat sequelam, quia identitas formalis ex allata explicatione dicit inclusionem alterius in primo modo dicendi per se, ergo in ipsa identitate formali datur includens, & inclusum, includens autem, & inclusum distinguuntur saltem formaliter. Præterea ubi sunt diversæ rationes objectivæ, sunt etiam diversæ formalitates, & consequenter distinctio formalis, sicut ubi sunt diversæ entitates, est distinctio entitativa; sed cum unum includit alterum in primo modo dicendi per se, sunt diversæ rationes objectivæ, nempe ratio objectiva prædicati, & ratio objectiva subjecti. Tum quia homo includit in primo modo dicendi per se animalitatem, & rationalitatem, & tamen neutra ex his realitatibus formaliter identificatur cum homine, siquidem homo totam naturam humanam importat, rationalitas vero, & animalitas partem. Conf. quia ubi est aliquid includens alterum in primo modo, adest compositio rationis secundum diversas rationes objectivas, ar ubicunque est compositio, est etiam distinctio saltem formalis quoad partes componentes. Deinde impugnat identitatem formalem non mutuam, ut prorsus imperceptibilem, quomodo enim fieri potest, ut unum identificetur cum alio, & hoc non identificetur cum ipso? Tum quia identificatio ab extremis tollit multiplicitatem, sed si unum identificaretur cum alio, & hoc non identificaretur cum illo, adesset multiplicitas, quod est contra naturam identificationis. Tum quia posito, quod unum distinguatur ab alio, hoc quoque distingui deber ab illo ex vi distinctivi, quod est in ipso, ergo omnino implicat identitas formalis non mutua. Denique illud corollarium impugnat, quod deducunt, nimirum quod superius sit idem formaliter cum inferiori, aut inferius cum superiori, quia hæc semper comparantur, ut pars, & totum, sicut ergo implicat partem totius physici identificari realiter, ac entitative cum toto physico, ita etiam implicat partem totius metaphysici identificari formaliter cum toto metaphysico, aut e contra totum cum parte; Præterea illa sunt idem formaliter, quorum unum non potest concipi seorsim ab alio, & in quo non possunt distingui diversæ formalitates, statim enim ac distinguuntur, habetur distinctio formalis; sed sive superius comparetur cum inferiori, sive inferius cum superiori, habentur diversæ formalitates, & unum potest concipi sine alio, superius enim concipi potest sine inferiori, ut animal sine homine, & alia est formalitas animalis, alia hominis, quomodo ergo invicem formaliter identificari possunt?

210 Alter tamen modus, & magis proprius explicandi identitatem, & distinctionem formalem est aliorum Scotistarum, & præsertim Recentiorum, ut illa dicantur eadem formaliter, quæ habent eandem formalitatem, & rationem conceptibilem ex natura rei, & illa e contra formaliter distincta, quæ habent aliam, & aliam formalitatem, sive rationem conceptibilem ex natura rei, quo sensu superius, & inferius sunt formaliter ex natura rei distincta, quia ratio humanitatis alia est a ratione animalitatis, esto eam includat, immo per hoc quod eam includit, & non ab ea includitur, dicitur habere distinctam rationem formalem ab ea; ita ex vetustioribus Scotistis hanc distinctionem explicant Tatar. Bonet. Burlifer. allegati disp. cit. log. in explicatione distinctionis formalis, & in hoc sensu explicat mentem Scoti Rubion. 1. d. 8. qu. 3. in fine, & passim cæteri Recentiores Scotistæ Faber tract. formalit. Vulpes tom. 1. p. 1. disp. 8. artic. 6. & tom. 3. disp. 49. artic. 2. Meuriss. lib. 2. Metaph. cap. 3. qu. 4. Smising. tract. 2. de Deo uno disp. 1. qu. 2. Poncius tom. 3. sui Cursus disp. 20. qu. 2. Rada 1. p. controv. 4. Mercen. in log. cap. 1. de univer. disp. 1. qu. 2. sec. 1. num. 13. Posnan 1. d. 8. disput. 1. Barthol. de Sosa 1. d. 2. qu. 7. art. 3. Aret. in Formalit. com. 35. ubi pro sedanda Scotistarum in hac re controversia assignant tres illas acceptiones identitatis, distinctionis formalis a nobis supra ex Scoto assignatas num. 165. & in Logica loc. cit. & denique identitatem, & distinctionem formalem hoc secundo modo explicatam recipiunt etiam nonnulli ex exteris Fonsec. 5. Met. cap. 6. qu. 6. sect. 2. Achillin. tract. de distinct. cap. 20. 23. & 26. Amic. tr. 4. Log. qu. 3. dub. 3. & 4. & 11. de distinct. qu. 14. Gillius lib. 2. de essent. Dei tract. 5. cap. 2. Ægid. de præsent. lib. 5. de visione Dei qu. 5. art. 4. Conimb. in præfat. Porphyrii qu. 4. art. 2. Bonherba in Concord. Ægid. tract. 3. de passionibus entis art. 3. dub. 1. & alii nonnulli. Quamvis autem primus modus explicandi identitatem, & distinctionem formalem fundamentum habeat in doctrina Scoti, ac etiam sit in usu apud Scotistas, & alios, attamen hic secundus magis frequens est, & proprius, ut dictum est in Log. & supra num. 165. & ratio deducitur ex 5. Metaph. 20. quia si omnis identitatis fundamentum est unitas & distinctionis pluralitas, consequens est, ut quæcumque unam, & eandem habent formalitatem, sive rationem conceptibilem, sint formaliter eadem; quæ vero aliam, & aliam, sint formaliter diversa. Et quidem de identitate, & distinctione formali in hoc sensu loquitur Doctor 1. 8. qu. 4. cum ait, divina attributa abinvicem formaliter distingui, quia ratio bonitatis non est ratio sapientiæ, & 2. d. 1. qu. 5. §. *ad quæstionem istam*, cum ait, relationem transcendentalem, quamvis sit realiter eadem fundamento, adhuc tamen formaliter ex natura rei ab ipso distingui, quia respectus non includit formaliter rationem absoluti, nec absolutum includit rationem respectus; & 2. d. 3. qu. 1. cum ait, differentiam individualem, & naturam communem, licet realiter identificentur, adhuc tamen formaliter ex natura rei distingui, quia natura est per se, & intrinsece communicabilis, hæcceitas autem incommunicabilis, & sic etiam alibi frequenter loquitur de hac distinctione media in realem, & rationis.

Ex dictis facile est dilucre, quæ Pasqualig. num. 209. obiciebat contra primum explicandi modum identitatis, & distinctionis formalis a nostris Formalistis assignatum, ejus namque rationes probant solum ultra illum modum identitatis, & distinctionis formalis, alium adhuc assignari debere magis proprium, & frequentem in scholis, illum nimiram, qui ab aliis Scotistis assignabatur sub num. 210. & cum inferebat ex prima illa explicatione sequi in ipsa identitate formali distinctionem formalem reperiri, quia includens, & inclusum diversas dicunt formalitates, ac rationes conceptibiles; hoc probat solum distinctionem formalem juxta secundam explicationem reperiri cum identitate formali juxta primam explicationem, quod non inconvenit, quia identitas, & distinctio formalis non invicem opponuntur, nisi sint ejusdem modi, & acceptionis, alioquin identitas formalis in una acceptione stare potest cum distinctione formali in alia acceptione, quod minime repugnat, nec aliud probant omnia illa Pasqualig. argumenta, Quo etiam pacto non repugnet dari identitatem formalem, ac etiam distinctionem non mutuam in prima acceptione jam declaratum est supra num. 191. dum explicaremus idenitatem, & distinctionem essentialem, ut dicitur de constitutivis, quæ cum identitate, & distinctione formali in hoc sensu prorsus coincidit, ratio enim hujus est, ut ibi dicebamus, quia identitas, & distinctio formalis in hoc sensu non fundantur super unum, & multa, nec pertinent ad primum modum relativorum, sic enim bene concluderent argumenta Pasqualig. nam relationes illius modi utrumque extremum eodem modo denominant, sed fundantur super rationem constituentis, & constituti, quia si est constituens in primo modo, identificatur formaliter cum constituto, si non constituens, distinguitur formaliter ab eo, unde potius pertinere videntur ad relationes secundi modi, quare argumenta illa concludunt solum de identitate, & distinctione formali juxta secundam explicationem, in quo sensu utique pertinent ad relationes primi modi, & fundantur super unum, & multa, atque ideo sunt relationes mutuæ, ac eodem modo utrumque extremum denominantes; quamvis autem identitas, & distinctio juxta secundam explicationem in mutuam, & non mutuam distingui nequeat, adhuc distingui potest, ac deber in adæquatam, ac inadæquatam, prima est, quæ inter ea versatur, quorum unum non includitur in alio essentialiter, nec e contra; altera est, quæ reperitur inter ea, quorum unum includitur in alio, in quo aliquid aliud etiam includitur. Ex dictis autem solvuntur, quæ contra hanc distinctionem formalem non mutuam veterum Scotistarum objiciunt Faber tract. Form. cap. 8. & Poncius disp. cit. num. 75.

ARTICULUS I.

Resolutio quæstionis.

211 Dicendum itaque pro resolutione quæsiti, quod licet primus modus explicandi identitatem, & distinctionem formalem sit bonus, & legitimus, alter tamen potior est, & magis propitius, ac frequentior in Scholis, quod satis constat ex torrente Doct. tum nostrorum tum exterorum hujus sæculi, qui in hunc

hunc modum; & juxta eam acceptionem de identitate, & distinctione formali loquuntur. Et ratio hujus est, quia in communi modo loquendi prima acceptio identitatis, & distinctionis formalis explicari solet sub nomine identitatis essentialis, ut constat ex dictis qu. 9. hujus Disp. dicimus enim animal esse de essentia hominis, & cum homine essentialiter identificari, & hic est communior, ac usitatior loquendi modus; e contra vero, quando plura diversis definitionibus explicantur, & diversos habent objectivos conceptus, dicimus illa plures habere formalitates, & formaliter distingui, cum vero in eodem communicant objectivo conceptu, dicimus illa eandem habere formalitatem, seu formaliter a parte rei identificari, & solum per intellectum distingui, quomodo se habent apud Scotum quol. 4. generativitas, generatio, & paternitas in eadem relatione constitutiva primæ personæ, virtus calefactiva, & desiccativa in Sole, &c. cum ergo dicimus aliqua plura formaliter abinvicem distingui ex natura rei, vel identificari absolute loquendo, accipienda est identitas, ac distinctio formalis juxta secundum modum assignatum num. 210. ut nimirum ea dicantur formaliter ex natura rei distingui, quando ratio objectiva unius est alia a ratione objectiva alterius, non autem juxta primum modum, quia modus ille assignari solet in communi modo loquendi sub nomine identitatis, & distinctionis essentialis. Hactenus constat in quo sensu præcipue asseratur in schola nostra hæc distinctio formalis ex natura rei; tota autem difficultas hujus asserti consistit, in ostendendo, quo pacto distinctio formalis in hoc sensu sumpta, & explicata secernatur a reali, & rationis; cum enim versetur inter extrema a parte rei actu diversa, & ante omne opus intellectus, videtur esse realis; & cum inter illa extrema non sit separabilitas a parte rei, sed solum secundum nostros conceptus, videtur potius distinctio rationis, quam ex natura rei.

Primo igitur solet id ita explicari a Recentioribus Scotistis supra relatis, illa, quæ ex natura rei absque ulla fictione distinguuntur, in duplici sunt differentia, quædam, quæ de potentia Dei absoluta possunt mutuo, vel saltem non mutuo separari, & extrema sic separabilia realiter distinguuntur, alia sunt extrema distincta ex natura rei, quorum neutrum adhuc divinitus nec mutuo, nec non mutuo separari possunt, & hæc est distinctio formalis ex natura rei, quæ compossibilis est cum identitate reali, ita apud Ovvied. explicant quidam Scotistæ Hispani superius citati distinctionem formalem, ut secernitur a reali; & sic etiam loquitur Smisinch. tract. 2. cit. n. 50. dum inquit, signum ad cognoscendum in aliqua re, an distinctio actualis in re sit tantum formalis, vel realis, esse, quod distinctionis extrema non possint, vel possint reipsa separari, ac seorsim existere saltem per Dei potentiam, nam si priori modo se habeant, & tamen de illis verificentur contradictoria apud intellectum perfecte concipientem, formaliter, si posteriori modo, realiter distinguuntur; sic etiam discurrit Amic. cit. tract. de distin. q. 14. art. 2. n. 3. ubi definit distinctionem formalem esse illam, quæ est inter duos conceptus objectivos, qui dicuntur formalitates, quorum neuter est sufficiens per se separatim existere, sed existunt in re, quam constituunt; dicitur esse inter duos conceptus objectivos, ut distinguatur a distinctione reali, quæ est inter res; dicitur quorum neuter, &c. ut distinguatur a modali in sensu Recentiorum; & tandem dicitur, quod existunt in re, ut distinguatur a distinctione rationis, quæ nunquam existit, nisi objective in intellectu. Hic modus declarandi distinctionem formalem, prout secernitur a reali, facile reiicitur ex dictis supra n. 186. ubi ostensum est, quod licet separatio actualis, vel possibilis duorum extremorum adinvicem sit sufficiens signum realis distinctionis inter illa, non tamen est adæquatum, & convertibile, quia multa sunt abinvicem inseparabilia etiam per potentiam Dei absolutam, quæ adhuc realiter distinguuntur, ut constat de toto, & partibus in sententia Scoti, de materia, & forma, subjecto, & passione in sententia Thomistarum. de singulis unionibus materiæ, & formæ, quibus invicem connectuntur, nam una unio nequit ab altera divelli, aut sine illa existere, ergo non bene constituitur distinctio formalis, nec a reali rite secernitur per inseparabilitatem omnimodam extremorum, quia etiam extrema realis dinstinctionis sic esse possunt inseparabilia a parte rei, ut dictum est loc. cit.

212. Poncius disp. 20. cit. q. 2. ut ostendat possibilitatem formalis hujus distinctionis, ut secernitur a reali, & rationis distinguit tria genera positivorum, quæ sunt a parte rei independenter ab operatione intellectus, nam quædam sunt, quæ per se sine ullis aliis rebus existere possunt, ut Petrus, & Paulus; quædam quæ licet sine aliis esse non possint, tamen de novo advenire possunt alicui rei per se potenti existere, ut relationes omnes realiter distinctæ a suis fundamentis; & denique quædam alia, quæ neque per se existere possunt, neque de novo alicui advenire, quia sunt talis naturæ, ut nec illa res, in qua simul existunt, unquam esse possit sine ipsis, nec e contra, & hos ait esse omnes gradus metaphysicos, qui dici solent formalitates, unde formalitatem definit esse aliquid positivum, quod secundum se non potest existere per ullam potentiam, includitur tamen in re potente existere secundum se; distinctionem igitur formalem, prout a reali secernitur, ait esse illam, quæ versatur inter extrema positiva tertii generis, & possibilitatem talis distinctionis ex eo deducit, quia nequit assignari repugnantia aliqua, cur hujusmodi positiva tertii generis non possint poni a parte rei. Hic quoque dicendi modus coincidit cum præ-

cedenti, quia ut discernat distinctionem formalem a reali, recurrit ad separabilitatem, vel inseparabilitatem extremorum, ait enim distinctionem formalem inter ea extrema versari, quæ invicem necessario petunt semper esse connexa, nec unum ab alio separari potest etiam per Dei potentiam, atque ideo reiiciendus est, sicut præcedens. Accedit specialiter contra Poncium falsam esse definitionem formalitatis ab ipso traditam, dum ait formalitatem esse aliquid positivum, quod secundum se non potest existere per ullam potentiam, includitur tamen in re potente existere secundum se, plane tota hæc definitio convenit relationibus prædicamentalibus a fundamento realiter distinctis quæ tamen etiam secundum ipsum sunt res, & non realitates, aut formalitates, consequentia probatur, quia paternitas, vel similitudo est aliquid positivum, quod secundum se non potest existere per ullam potentiam, includitur tamen in re potente sic existere, quæ est definitio formalitatis tradita ab ipso.

Ut igitur ostendamus, quo pacto secernatur distinctio formalis a distinctione reali, & rationis, ac etiam virtuali, dicendum est, distinctionem formalem per hoc præcise distingui a reali proprie dicta, quia extrema hujus sunt res, quæ nimirum sunt propriæ existentiæ capaces, & physicam causalitatem terminare possunt; sive solitarie, sive cum aliis conjunctæ; extrema vero illius sunt realitates, seu formalitates, idest varii gradus essentiæ ejusdem rei, qui nec propriam possident existentiam, nec physicam causalitatem terminare possunt, sed omnes, & singuli existunt existentia illius integræ essentiæ, cujus sunt gradus essendi, & ad ejus productionem consequi intelliguntur sequela quadam, sive emanatione Metaphysica, quod totum satis constat ex declaratione, & discrimine nominum Rei & Realitatis, sive Formalitatis assignatis supra num. 160. & seq. quod adhuc amplius declarari potest, quia in homine v. g. ultra res physicas, quæ sunt ejus physicæ partes, nempe corpus, & anima, reperiuntur etiam realitates Metaphysicæ, quæ sunt varii gradus essentiæ ejus, ut v. g. realitas animalis rationalis, risibilis, &c. quæ quidem rationes non pluralitantur per solas præcisiones formales, ut solent dicere Nominales, idest per solam pluralitatem, & distinctionem conceptuum formalium mentis, quia intellectus non producit per actionem suam has rationes in homine, sed illas jam formatas, & pluralitatas reperit, alioquin homo non esset animal rationale, nec risibile a parte rei, sed tantum per opus intellectus. Neque hujusmodi rationes pluralitantur, vel distinguuntur in homine per solas præcisiones objectivas, idest per conceptus objectivos inadæquatos, quibus partiri potest mentaliter intellectus rem a parte rei penitus indistinctam, ut solent dicere Thomistæ, quasi gradus illi dicant plures rationes inadæquatas tantum apud intellectum hominem imperfecte, & inadæquate concipientem, qui si actu adæquato intelligeretur, unica tantum ratio conceptibilis in ipso apprehenderetur ei adæquate correspondens; Hoc enim falsum est, quia nec homo, nec angelus, nec alia quælibet creatura est simplex aliqua entitas a parte rei, nedum enim physice ex variis partibus essentialibus, aut accidentibus, sed etiam metaphysice ex variis gradibus essendi est composita, & ideo quantumcunque adæquate concipiatur concipi nequit nisi sub variis, & distinctis rationibus; quæ licet sint adæquatæ in ordine suo, quatenus singulæ proprias præseferunt realitates, in ordine tamen ad integram, & totam essentiam, quam constituunt, sunt inadæquatæ.

213 Hinc apud Scotistas Formalitas definiri solet *esse rationem objectivam conceptibilem in re aliqua conceptu perfecto, & adæquato distincto a conceptu quo concipitur alia formalitas ejusdem rei*. Ex quo deducitur de ratione Formalitatis esse, quod sit immersa per identitatem realem in re proprie dicta, sitque ejus aliquitas, quatenus est quidam gradus essendi ejus, unde licet humanitas, & equinitas sint rationes objectivæ conceptibiles sine seinvicem conceptu perfecto, & adæquato, non tamen Formalitates, aut realitates appellari debent, quia non sunt aliquitates rei, sed potius ipsa tota res, ac essentia; dicitur autem *conceptu perfecto & adæquato*, quia ratio objectiva inadæquate conceptibilis proprie nequit dici Formalitas, ut ratio entis, boni, & cujuscumque gradus transcendentis, istæ enim rationes non sunt conceptibiles in re conceptu perfecto, & adæquato, sed tantum inadæquato, neque obversantur, nisi intellectui rem inadæquate, & confuse concipienti, qua etiam ratione modus intrinsecus apud Scotistas assequi nequit nomen formalitatis proprie dictæ, quia non est ratio objectiva conceptibilis conceptu perfecto, & adæquato sine re, vel quidditate, cujus est modus. Ex his deducitur male a quibusdam Formalistis distingui Formalitatem in totalem, & partialem, seu adæquatam, & inadæquatam, ut humanitas respectu hominis est formalitas totalis, quia dicit totum illius esse, animalitas vero est formalitas partialis, quia dicit partem, sicut, & rationalitas, hoc, inquam, non bene dicitur, quia cum Formalitas sit aliquitas rei, & quidam gradus essendi ejus, nunquam importare potest totam rei essentiam, sed tantum partem; unde sicut alio nomine dicitur Realitas, quod est diminutivum rei, ut ostendatur non importare totam rem, sed aliquid rei, ita etiam dicitur Formalitas, quod est diminutivum formæ, ut indicetur non dicere totam formam, seu totam rei essentiam, & quidditatem, sed tantum aliquitatem formæ, & essentiæ, seu aliquem gradum ejus in primo, vel saltem secundo modo dicendi per se. Et hæc tandem est ratio, cur quæ formaliter tantum distinguuntur, appellatæ sint formalitates

diminutivo vocabulo, & non formæ, quia nimirum sunt aliquitates, & gradus formæ, seu essentiæ rei, non autem tota ipsa rei essentia, unde nomen Formalitatis derivatum est non a forma partis, sed a forma, quæ solet appellari totius, & importat ipsam rei quidditatem, & essentiam; adhuc tamen distinctio inter hominem, & animal dici solet formalis ratione unius extremi, quod est proprie formalitas.

214 Secundo principaliter variis viis ostendi solet necessitas hujus mediæ distinctionis a Scotistis, quæ aliqua indigent declaratione, ut bene concludant; & quidem prima est via definitionis, nam multa realiter identificantur, quæ tamen variis definitionibus explicantur, ut docet Arist. de genere, ac differentia 3. Met. 10. de actione, & passione 3. Phys. 22. cum igitur definitio explicet esse formale, & quidditativum, quod habent res a parte rei antecedenter ad quodcunque opus Intellectus, concedenda est inter illa plura aliqua distinctio actualis a parte rei, quæ sit major distinctione rationis, & virtualis, & minor reali. Conf. quia separabilitas indicat proportionatam distinctionem in extremis separabilibus, sicut ergo separabilitas secundum rem arguit inter extrema sic separabilia distinctionem realem, ita separabilitas secundum conceptibilitatem exigita actu ex natura rei arguit actualem distinctionem ex natura rei majorem distinctione rationis, & minorem reali inter rationes sic conceptibiles. Verum ut hac via recte incedamus ad ostendendam necessitatem formalis distinctionis, advertendum est, id intelligendum esse de definitione, quæ traditur per conceptus adæquatos; hæc enim est, quæ vere rem exprimit omnino, ut se habet a parte rei ante quodcumque opus intellectus, definitio autem, quæ traditur per conceptus inadæquatos, non exprimit rem omnino, ut se habet a parte rei formaliter, & actualiter sed tantum fundamentaliter, & virtualiter, & ideo pluralitas talium definitionum non arguit inter illa plura distinctionem formalem, & actualem, sed tantum virtualem, & fundamentalem, & ideo supra diximus distinctionem formalem sumi ex separatione conceptibilitatum in ordine ad intellectum perfecte concipientem, si enim talis intellectus dicit unam rationem non esse aliam, non utique possunt tales rationes objectivæ a parte rei esse omnino idem, alas cognitio illa non esset vera, & perfecta; Sed licet id intelligi debeat de definitione, quæ datur per conceptus adæquatos, nequaquam tamen hoc debet intelligi de definitione proprie dicta quæ datur per conceptus adæquatos importantes genus, & differentiam, quia ut dictum est supra in hac disp. n. 196. definitio proprie dicta, ut constat ex genere, & differentia, non convenit formalitatibus metaphysicis, sed essentiis rerum integris, & rebus dumtaxat propriam essentiam, & exiltentiam habentibus, & ideo ex diversitate talium definitionum non solum inter definita infertur distinctio ex natura rei formalis, sed distinctio essentialis illa, quæ coincidit cum distinctione reali naturarum ex dictis n. 195. hic ergo sumitur definitio pro solo conceptu objectivo, adæquato tamen, & perfecto, quia hic etiam formalitatibus convenit, & earum naturam exprimit ut sunt a parte rei, ut etiam dicemus infra d. 8. n. 204. Rursus, ut ibidem dicemus n. 205. & 214. non ex quibuscunque definitionibus rerum, ac descriptionibus colligi rite potest distinctio formalis, præsertim vero quando assignantur in ordine ad operationes, dantur enim plerumque tales definitiones potius ad insinuanda varia ejusdem rei munera, quam ad explicandam ejus essentiam, & formalitatem, ut constat de intellectu, qui secundum eandem formalitatem a parte rei, & per eandem prorsus virtutem, & facultatem est principium simplicis apprehensionis, judicii, & discursus, & quatenus consideratur in ordine ad simplicem apprehensionem, non eodem modo definitur, sicut quando consideratur in ordine ad alias operationes.

His ergo observatis optima est via adducta ad ostendendam necessitatem formalis distinctionis, & facile eliduntur quæcunque adducunt Adversarii ad hanc viam præcludendam; quod enim dicere solent definitionem non explicare res secundum esse reale, & subjectivum, quod habent a parte rei, sed tantum secundum esse objectivum, quod habent in intellectu, licet id in aliquo sensu possit admitti de definitione tradita per conceptus objectivos inadæquatos apud intellectum confuse concipientem; hoc tamen omnino falsum est de definitione tradita per conceptum objectivum adæquarum, ut dictum est disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. & rursus infra dicetur disp. 8. n. 204. definitio enim sic tradita exprimit naturam rei, & per talem definitionem exprimitur esse rei quidditativum, & formale, ut notat Scot. quol. 1. lit. E. non autem esse, quod accipit per apprehensionem intellectus, quia tale esse non est reale, sed rationis, neque est essentiale rei, aut realitati, sed adventitium & accidentarium. Quod etiam dicere solent Nominales ex diversis definitionibus non recte inferri inter aliqua distinctionem ex nat ra rei formalem, quia eadem res omnino simplicissima potest habere diversas definitiones, secundum quod respicit diversas operationes, vel connotata extrinseca, hic, inquam, Nominalium occursus argumentum allatum non enervat, quia non sit in eo sermo de quibuscunque definitionibus, & descriptionibus ut cunque datis in ordine ad diversas operationes, & connotata extrinseca, sed de definitionibus quidditativis, quibus res secundum se consideratæ definiunt, & non per ordinem ad extrinseca, tunc enim proprie definitio exprimit conceptum essentialem, & quidditativum rei, ex his, inquam, definitionibus falsum est, non rite colligi formalem distinctionem inter definita, quando eorum definitiones sunt diversæ, ut magis explicabitur infra disput. 8. num. 205. agendo de distinctione formali graduum prædicamentalium.

215 Tertio solet quoque ostendi a Scotistis necessitas hujus distinctionis ex via contradictionis, nam de quibusdam a parte rei realiter identificatis verificantur contradictoria quædam ex natura rei, ut constat de animalitate, & rationalitate realiter identificatis in homine, nam animalitas hominis a parte rei convenientiam aliquam habet cum animalitate bruti, non tamen rationalitas, cum ergo prædicata contradictoria eidem omnino a parte rei competere nequeant nullam in se habenti distinctionem, vel non includenti in se aliqua sic distincta, fatendum est animalitatem, & rationalitatem in homine ex natura rei distingui, & ante omnem intellectus operationem, cumque hæc non sit distinctio realis, ac entitativa, fatendum est esse genus quoddam distinctionis minoris quidem distinctione reali, sed majoris distinctione rationis, & virtuali, ut pote, quæ actualiter antevertit omne opus intellectus. Sed ut hac quoque via recte procedamus ad concludendam formalem distinctionem, advertendum est ex dictis disp. cit. Log. & superius etiam in hac eadem disp. num. 181. non posse hanc distinctionem inferri ex quacumque contradictione absolute sumpta, quia contradictio infert distinctionem præcise cum ipsa commensuratam, non majorem, neque minorem; si est contradictio facta per intellectum, & secundum diversum esse rationis, infert solam distinctionem rationis, ut constat in propositione identica de Petro posito a parte subjecti, ac etiam a parte prædicati; si est contradictio secundum esse reale, ac entitativum, ut esse, & non esse absolute sumpta, aut saltem secundum prædicata ad tale esse spectantia, ut esse productum, vel non productum, causatum, vel non causatum, infert realem, ac entitativam distinctionem inter extrema, de quibus verificatur; si denique est contradictio secundum esse formale, aut prædicata ad tale esse spectantia, infert tantum formalem distinctionem, non vero realem, multæ namque propositiones veræ sunt in sensu reali, & identico, quæ in sensu formali non verificantur, sicut v. g. in divinis in sensu identico admitti potest essentiam esse incommunicabilem, quatenus essentia est eadem res cum paternitate, quæ est incommunicabilis, at falsa est in sensu formali, qui exprimit in re rationem per se primo significatam, nam per essentiam in divinis per se primo importatur entitas communicabilis; & sic esse communicabile, quod in sensu formali verificatur de essentia, & esse incommunicabile, quod in sensu pariter formali verificatur de paternitate, infert inter illa distinctionem ex natura rei formalem, non majorem, neque minorem; hæc igitur est contradictio, ex qua rite infertur distinctio formalis ex natura rei.

216 Responsio communis Thomistarum est ad verificandum contradictoria a parte rei sufficere, quod ante actum intellectus in quo est contradictio formalis, in objecto sit distinctio virtualis, seu eminentialis, quod apertis ostendunt exemplis, quia inter definitionem, & definitum objective spectata non est distinctio actualis, & tamen de illis verificantur contradictoria, ut quod definitio potest prædicari de definito, non e contra, quod definitio potest esse medium in demonstratione, non vero definitum absque manifesta principii petitione; similiter intellectus creatus non est alius, & alius actu, quatenus practicus, & speculativus, quatenus apprehensivus, & discursivus, & tamen inquantum practicus non est speculativus, & inquantum apprehensivus non est discursivus, sola ergo virtualis distinctio sufficit in objecto, ut contradictoria actu de ipso verificentur a parte rei. Hæc tamen communis evasio fuse impugnata est disp. 1. Log. q. 5. art. 2. §. *altera quoque solutio*, & rursus disput. 9. Log. qu. 1, art. 2. ubi ex professo probatum est, distinctionem solam virtualem, seu rationis ratiocinatæ non sufficere, ut duo contradictoria a parte rei actu verificari possint; quod & rursus probari potest, quia hæc distinctio virtualis non ponit actu aliquid diversum in extremis ante operationem intellectus, ergo fundare non potest veritatem actualem utriusque partis actualis contradictionis, sed poterit tantum fundare, quando accedente opere intellectus advenit distinctio actualis inter extrema actu multiplicata per intellectum. Conf. quia non obstante virtuali distinctione adhuc est omnimoda identitas actualis ex parte subjecti, copulæ, & prædicati, ergo ratione illius distinctionis adhuc verificari nequit utraque pars contradictionis, quia idem simul esset, & non esset, quod est contra rationem primi principii. Demum extrema contradictionis ita inter se pugnant, & opponuntur, ut unum directe destruat aliud, ergo si duo extrema sunt omnino eadem a parte rei, sane contradictionem fundare nequeunt a parte rei, nec simul poni, quia positio unius destruit directe positionem alterius, si ergo simul ponuntur, debent aliquam habere inter se distinctionem a parte rei, ratione cujus tollatur contradictio, neque se invicem destruant. Neque exempla in evasione adducta urgent, nam quoad illud de definitione, & definito, negaret in primis Scotista nullam prorsus intercedere distinctionem opus intellectus antevertentem inter definitionem, & definitum, de quo diximus dist. 1. Log. qu. 4. art. 2. & Doctor 1. d. 2. qu. 2. quo etiam concesso dicemus, contradictiones illas de diversis solum verificari apud intellectum imperfecte concipientem, intellectus namque intuitivus, & rem clare percipiens non magis concipit definitionem, quam definitum, ut medium, & rationem passionis. Et aliud exemplum de intellectu practico, & speculativo adhuc minus urget, cum enim dicimus intellectum practicum, ut sic, non esse speculativum, neque e contra, non verificatur contradictio de facultate intellectiva nude sumpta, sed considerata sub illa reduplicatione practici, vel speculativi, & sic geminantur extrema quantum sufficit ad tollendam contradictionem, quod idem dicendum est de intellectu discursivo, & apprehensivo; vide Mairon. 1. d. 8. qu. 3. §. *sed hic sunt*, ubi quamplures solvit consimiles instantias, & inferius num. 291. ubi rursus de hac re.

217 Quarto probatur, quia dantur conceptus diversi quorundam, quæ ex natura rei distinguuntur, cum ergo non distinguantur ex natura rei realiter, ac entitative, quia nec separari possunt, nec se habent ut producens, & productum, causa, & causatum physice loquendo, consequens est, ut alio genere distinctionis abinvicem ex natura rei distinguantur, quam vocamus formalem. Probatur assumptum primo ex divinis relationibus cum essentia comparatis, cui quantumvis sint realiter idem, adhuc tamen aliquo pacto ab ipsa ex natura rei debent distingui, ut salventur contradictoria a parte rei, quæ de ipsis enunciantur citra quamcunque intellectus operationem, nam essentia divina est communicabilis, & de facto communicatur Filio a Patre, paternitas vero est incommunicabilis, item paternitas est realiter distincta a Filio, essentia vero est illi realiter identificata, & hæc omnia sunt vera ante quancunque intellectus operationem, ergo ad verificanda hæc contradictoria admitti debet inter illa aliqua distinctio ex natura rei actualis media inter distinctionem realem & rationis. Et quidem si divina essentia, & paternitas in Deo Patre sunt omnino indistincta a parte rei, nunquam assignabitur sufficiens ratio, cur Pater communicaverit Filio essentiam, & non potuerit communicare paternitatem. Si recurris ad distinctionem virtualem, hæc evasio jam impugnata est, tum quia si hæc distinctio sufficit ad salvanda contradictoria a parte rei, poterit protervus affirmare animam suam esse unitam corpori, & non esse unitam corpori, Angelum esse corporeum, & incorporeum, & alia hujusmodi absurda, quia hæc omnia salvabit per solam distinctionem virtualem, quod est ridiculum. Si recurras ad infinitatem, nec adhuc argumentum evadis, nam adhuc ostendere teneris, quomodo fieri possit, ut eadem ratio formalis rei infinitæ sit formaliter entitas relativa, & absoluta, communicabilis, & incommunicabilis, realiter ab alio distincta, & non distincta. Tum quia infinitas non tollit veritatem primi principii, quod quidem ratione suæ primitatis verificari debet in omnibus, ergo nequit esse in causa, ut de eodem omnino in re indistincto verificentur in re duo contradictoria, ut communicabile, & incommunicabile, esse ad se, & non esse ad se, inveniri in tribus suppositis, & non inveniri. Tum tandem quia infinitas identificat quidem omnia realiter, ac entitative, quæ in ente infinito reperiuntur, non tamen ea identificat formaliter, quia non destruit rationes formales eorum, ut ostendit Doctor 1. disp. 8. quæst. quart. §. *ad quæstionem*, & quol. 5. per totum; sed hanc probationem ulterius prosequi est negotii Theologici; vide Fabrum, Radam, Smisinch. Vulp. & alios loc. cit. ubi etiam cum Scoto eandam statuunt distinctionem nedum inter relationes, & essentiam, sed etiam inter ipsa divina attributa, quod argumentum tactum est a nobis disput. 1. logic. cit. in declaratione distinctionis formalis.

218 Deinde probatur quoque illud assumptum ex distinctione graduum metaphysicorum prædicamentalium, qui aliquo pacto ex natura rei actualiter inter se distinguuntur, non tamen realiter, nec entitative, cum singuli identificentur in tertio, quod constituunt; quod autem ita distinguantur gradus genericus, & differentialis, gradus specificus, & differentia individualis ipsum contrahens probabitur infra ex professo disp. 8. qu. 6. ar. 2. & disp. 9. per totam, & nunc etiam obiter probatur, nam Adversarii concedunt posse reperiri distinctionem a parte rei inter illa, quæ habent diversam conceptibilitatem adæquatam, non autem quæ habent inadæquatam, sed ita se habent gradus genericus, & differentialis quod diversam habent conceptibilitatem adæquatam, ergo &c. Probatur minor, nam animal quod est in homine ex natura sua est unius, & ejusdem rationis cum eo, quod est in equo, & adæquate concipi potest secundum totam suam propriam perfectionem actualem absque eo quod concipiatur rationalitas, si enim ita adæquate concipi non posset, jam in sua perfectione aliquid includeret ipsum determinans, & sic non posset esse ejusdem omnino rationis intrinsece in equo, & aliis speciebus. Neque dicas animal illam unitatem conceptus habere ab intellectu, nam infra disp. 9. probabitur cum Doctore 2. d. 3. quæst. 1. dari in rebus citra quamcunque operationem intellectus unitatem formalem, quæ est propria naturarum communium prædicamentalium, probatur etiam eadem minor, quia Deus non cognoscit res, nisi adæquate, & distincte, sed Deus cognoscit convenientiam, & differentiam inter hominem, & brutum, non enim concipit illa in tota essentia differre, quia vel homo, vel brutum non esset animal, neque in tota essentia convenire, quia tunc cognosceret brutum non minus esse animal rationale, quam sit homo: ut ergo cognoscatur a Deo convenientia, & differentia hominis, & bruti, plane concipere debet gradus illos, ut ex natura rei, & adæquate distinctos, quod si eos non ita concipit, certe discrimen inter hominem, & brutum, nec convenientiam inter illa attingit, quod est absurdum; Posset etiam probari distinctio ex natura rei inter gradum genericum, & differentialem ex compositione metaphysica, quæ ex illis resultat, & talis est, quod divinæ simplicitati repugnat, atque ideo est aliquo modo realis, & non rationis tantum, ex professo proba-

tum est disp. 5. Log. q. 3. art. 2. componentia autem debent eo modo inter se distincta, quo compositionem efficiunt, unde si conficiunt compositionem ex natura rei, sic etiam distingui debent, cum distinctio compositioni commensuretur, unde quando etiam Adversarii talem distinctionem ex naturâ rei formalem inter divinas perfectiones admittere nollent ob summam Dei simplicitatem; eam tamen negare non debent in essentia creaturæ, quæ exigit compositionem non solum accidentium, & modorum, sed etiam intrinsecam, & essentialem, cum nequeat secundum essentiam adæquare perfectionem divinæ simplicitatis, quæ etiam diversis conceptibus inadæquatis concipi potest, ut dicunt de essentia creata, unde divina, & creata essentia æquales forent in simplicitate, & quoad compositionem ex his.

Rursus probari potest primum illud assumptum, ex subjecto, & passione, hæc enim realiter non differunt, ut probatum est contra Thomistas d. 5. Log. q. 4. ar. 1. quod etiam & ipsi concedunt de affectionibus saltem transcendentibus entis, & tamen non possunt sola ratione ratiocinante, aut ratiocinata distingui, ergo necesse est admittere distinctionem quandam mediam actualem in rebus minorem distinctione reali, ac entitativa, & majorem distinctione rationis ratiocinantis, vel ratiocinabilis; quod vero non possint tantum ratione distingui, probatum etiam est loc. cit. & rursus suadetur, quia scientia realis est cognitio rei per causam propter quam res est, & quoniam illius causa est, ergo necesse est quod affectiones ex natura rei a subjecto pullulent, ideoque ex natura rei ab ipso discernantur; tum quia si per solam illam habitudinem extrinsecam hæc distinguerentur, ut v. g. homo, & risibile, cum demonstramus risibilitatem de homine per rationale animal, demonstraremus hominem potius sic concipi pura sub risibilitate, quia concipitur hoc alio modo, puta quia concipitur sub conceptu rationalitatis, quam vere hominem esse hoc per hoc; unde & ulterius sequitur, quod omnis quæstio esset de modo, quo res concipitur, & per quid concipitur, nulla autem de modo, quo res est, & de causa propter quam res est, & sic nulla esset scientia realis. Posset denique illud idem primum assumptum probari ex anima, & potentiis ejus, quas necessario distingui debere hac distinctione media satis abunde demonstratum est disputat. 2. de Anim. quæst. 1. cum nec realiter, nec sola ratione distingui possint, quod & Arist. expressit 3. de Anim. text. 11.

219 Quinto, quia indecorum esset Metaphysico distinctionem hanc mediam in Scholam invehere absque Ar. beneplacito, probatur ulterius necessitas hujus distinctionis ex variis ejus locis, quorum aliqui licet exponi possent de distinctione rationis ratiocinantis vel ratiocinatæ, quidam tamen non nisi cum violentia textus talem suscipere possunt expositionem; 4. Met. tex. com. 3. ait, quod ens, & unum sunt una natura, & hoc idem dicit 4. Topic. cap. 1. distincta vero ratione quidditativa, & per consequens sunt eadem realiter, & distincta formaliter. Et 3. Met. 10. ait genus esse extra rationem differentiarum, itaut formaliter seinvicem excludant secundum proprias rationes formales, ex quo sequitur genus, & differentiam hac distinctione media secerni, si enim a parte rei essent prorsus idem, plane differentiæ participarent genus. Et 5. Ethic. inquit, virtutem, & justitiam esse eandem rem, esse tamen distincta secundum rationem quidditativam, quod est esse distinctum formaliter; & 3. Phys. 21. ait, actionem, & passionem esse idem realiter, sed ratione distingui, quia habent aliud, quod quid est, quod est distingui formaliter, ubi nota ex Scot. 4. d. 13. quæst. 1. quod cum ait Arist. actionem, & passionem esse realiter idem, non loquitur de actione, passione pro respectu, sic enim realiter distinguuntur, cum diversa constituant prædicamenta, & sint in subjectis realiter diversis, sed loquitur de actione pro re acta, eadem namque actio acta, ut forma producta, nempe caliditas in aqua per habitudinem, quam habet ad agens, scilicet ad ignem, appellatur actio, & per habitudinem ad passum in quo recipitur, nempe ad aquam, dicitur passio, & ideo eademmet forma, quatenus est ab agente, dicitur actio, & quatenus in patiente recipitur, passio appellatur. Nec sufficit, quod inquit Suar. cit. disp. 7. sec. 1. distinctionem nempe per inadæquatos conceptus ejusdem motus satis esse ad distinguendam actionem, & passionem; nam ratio actionis, & passionis vere in re sunt, quarum, una non est in re alia, quia motus a parte rei habet habitudinem ad agens, a quo est, & ad passum, in quo est, & harum habitudinum una non est in re altera; tum quia hinc sequeretur, quod dempta omni habitudine, ad intellectum inadæquate concipientem nulla esset actio, & passio in rebus, unde Deus, qui adæquate omnia intelligit, cum ignis aquam calefacit, nesciret agens a passo discernere; tum tandem quia Ar. ibi addidit, & quod quid erat esse, ut explicaret genus distinctionis, distingui autem definitione, & ratione essentiali non est tantum ratione distingui per conceptus inadæquatos, sed per earum formalitates ex natura rei.

Item 3. de Anim. tex. 9. habet, quod aliud est magnitudo, & aliud magnitudinis esse, caro, & carnis esse, & vult quod magnitudinis esse alia virtute cognoscatur, & alia virtute magnitudo, esse enim magnitudinis apprehenditur per intellectum, & magnitudo per sensum; palam autem est quod magnitudinis esse non distinguitur realiter ab ipsa magnitudine, sicut nec quidditas ab eo cujus est quidditas ex eodem 7. Met. 20. palam item est non sola ratione distingui, quia illa extrema nempe

pe magnitudo, & magnitudinis esse non habent esse rationis, quod necessarium est ad distinctionem rationis; tum etiam quia dicit hæc duo per aliam, & aliam virtutem apprehendi, objecta autem apprehensa ab alia, & alia potentia non possunt sola ratione distingui, cum ergo secundum Ar. magnitudo, & magnitudinis esse distinguantur non nisi distinctione, ita media distingui possunt. Demum id aperte docet 7. Met. 20. 21. & 41. 1. ubi habet, quod in abstractis a materia idem est quod quid est cum eo cujus est, idest idem est natura, & habens naturam; in conceptis vero cum materia non est idem quod quid est cum eo cujus est, idest natura, & habens naturam, quod idcirco verificari docet Scot. 2. d. 3. q. 6. & 3. d. 22. q. 1. quia secundum Ar. sententiam in abstractis a materia natura est de se hæc sine differentia addita, in conjunctis vero cum materia natura non est de se hæc, sed fit hæc per differentiam individualem contrahentem, tunc sic, sed in conjunctis cum materia natura, & habens naturam nec realiter, nec sola ratione distingui possunt etiam ratiocinata, ergo secundum Ar. hac distinctione media distingui debent, probatur minor, quod enim realiter non distinguantur, apud omnes exploratum est, quod vero neq; sola ratione etiam ratiocinata, probatur omnibus illis rationibus, quibus probari solet in schola nostra differentiam individualem a natura communi, quam contrahit, ex natura rei actualiter distingui; ac etiam suadetur ex eo quod ait Ar. loc. cit. inquit enim, hæc duo distingui in conjunctis cum materia, minime tamen in abstractis ab ea, tunc subinfero, sed in abstractis a materia hæc duo possunt ratione distingui, esto non sint distincta ex natura rei, ergo in conjunctis cum materia concedit Ar. inter hæc duo majorem distinctionem, quam sit distinctio rationis, & erit hæc distinctio media, de qua hic est sermo; his, & consimilibus auctoritatibus probat Bon. trac. Formalit. hanc distinctionem, ex Ar. de distin. ex natura rei, & alii Formalistæ passim.

220 Sexto tandem nonnulla signa formalis distinctionis propria solent a Formalistis assignari trac. Formalit. ar. ult. ubi Sirect. pro prima regula ad inveniendam formalem distinctionem assignat viam exclusionis, omnia enim quæ sic se habent quod unum non est de conceptu quidditativo alterius illa formaliter distinguuntur, atque ita e contra via inclusionis indicabit identitatem formalem. Verum licet hæc regula deservire possit ad vestigandam identitatem, & distinctionem formalem in eo primo sensu, quo explicabatur ab antiquioribus Formalistis cit. nu. 208. tamen in hoc deficit, quod neq; propria est distinctionis formalis in eo sensu, cum æque bene deservire possit ad indagandam identitatem, & distinctionem essentialem, neque conducere potest ad inveniendam identitatem formalem in sensu, quo explicabatur ab aliis Scotistis nu. 210. qui est magis proprius, frequentior, & hic magis intentus, nam quantumcumque inferius includat superius, & superius includatur in inferiori, adhuc tamen in eo sensu dicuntur formaliter distingui etiam in ratione includentis, & inclusi, quia alia est formalitas, & conceptus objectivus hominis v. gr. includentis animal, & alia est formalitas animalis inclusi in homine, ergo tam includens formaliter distinguetur ab incluso, quam etiam inclusum ab includente, atq; ita ea regula inutilis est ad hanc identitatem inveniendam. Deinde inquit Mag. Form. posse hanc distinctionem vestigari via definitionis, vel descriptionis, si tamen hæc constituta sit ex genere, & propria passione, quæcumq; enim habent sic diversas definitiones, vel descriptiones, illa formaliter distinguuntur. Sed hæc regula, nisi melius explicetur, ad neutrum identitatis, & distinctionis formalis modum inveniendum deservit; non ad primum, quia juxta primum explicandi modum animal dicitur identificari formaliter cum homine, quia est de conceptu ejus quidditativo, & tamen distinctas habet definitiones; neq; deservit ad alterum distinctionis formalis modum inducendum, quia si definitio, & descriptio constat ex genere, & differentia, vel ex genere, & propria passione, deservit ad indagandam distinctionem essentialem, vel realem naturarum integrarum, non autem formalem realitatum, quia ut dicebam n. 214. definitio, & descriptio, ut constant ex genere, & differentia, vel propria passione, non conveniunt formalitatibus Met. sed essentiis rerum integris, & rebus propriam essentiam, & existentiam habentibus, & ideo ex talium diversitate definitionum non solum infertur distinctio formalis ex natura rei, sed etiam distinctio essentialis, vel realis naturarum, ut ergo hæc regula bona sit, intelligenda est juxta doctrinam traditam prædicto n. 214.

221 Aliud quoq; signum pro formali distinctione vestiganda assert Amicus trac. 1. de distinc. q. 14. art. 5. & est diversitas essentiæ cum identitate reali, nam constat (inquit) illam diversitatem petere distinctionem in rebus, non realem, ut supponitur, neq; rationis, quia rerum essentiæ non pendent a ratione. Et ad hoc signum ait revocari relata signa a Scotistis posita, viam nempe definitionis, & descriptionis. Sed neque hoc placet, quia ut dictum est supra d. 3. n. 4. nomen essentiæ proprie loquendo illam significat naturam, cui non repugnat esse existentiæ, unde bene notavit Tromb. 5. Met. q. 6. ar. 2. latius patere nomen quidditatis nomine essentiæ, quia dicitur de pluribus formalitatibus in eadem re identificatis, quæ unam solam dicuntur habere essentiam, ut constat in divinis, ubi est unica tantum essentia, sed plures quidditates, & formalitates in ea identificatæ, ut quidditas intellectus, voluntatis, justitiæ, sapientiæ, &c. cum ergo nomen essentiæ rem proprie importet, & integram naturam ad existentiam ordinatam, diversitas essentiarum induceret distinctionem essentialem, ac realem naturarum, & non formalem ex natura rei dumtaxat. Aliud etiam signum formalis distinctionis Tromb. art. ult. Formalit. adducit ex Mairon. & est via replicationis, ut quando aliquid convenit alicui subjecto, ut est tale, non autem tale, ibi inter tale, & tale est distinctio ex natura rei. Sed falsum est quotiescumque aliquid alteri tribuitur cum reduplicatione ex ea induci universaliter loquendo formalem distinctionem, licet enim hoc contingere possit, ut cum dicimus hominem esse risibilem, quatenus rationalis est, non quatenus sensibilis, tunc enim, ex tali reduplicatione non nisi formalis distinctio inducitur inter rationale, & sensibile, tamen etiam fieri potest, quod inferatur major, vel etiam minor distinctio juxta conditionem reduplicationis; cum enim dicitur parietem disgregare visum, quatenus album, non quatenus quantum, tunc reduplicatio stat cum distinctione reali, & cum dicitur genus prædicari de pluribus speciebus quatenus genus, non quatenus speciem universalis, tunc reduplicatio stat cum distinctione rationis, adeo quod reduplicatio non minus stare potest cum distinctione reali, aut rationis, quam cum formali, & ideo inutilis est ad inducendam distinctionem formalem. Quare concludendum est, quod sicut potior via ad vestigandam realem distinctionem erat separatio aliquorum in esse actualis, vel potentialis, vel saltem proportionalis, ita in proposito potior via, ad dignoscendam formalem distinctionem, est separabilitas duorum secundum conceptibilitatem ex natura rei exigitam in ordine ad intellectum perfecte, & adæquate concipientem, si enim talis intellectus dicit unam rationem non esse aliam, & quidpiam de una affirmat, quod de altera negat, plane nequeunt tales rationes objective a parte rei esse omnino idem, alioquin cognitio non esset vera, & perfecta, nam ex eo, quod res prout concipitur, est vel non est, cognitio dicitur vera, vel falsa ex capit. de subst. & 4. Met. 27. & 1. de interpret. cap. 8. De hac distinctione formali ex natura rei præcipue videndus est Bonet. trac. Formal. ubi ejus possibilitatem, & necessitatem optime deducit, & eleganter declarat, in quo proprie differat formalitas a re, & quomodo in eadem re plures formalitates eadem realitate reari possunt, ac eadem existere eo fere modo, quo plura realiter distincta possunt eadem quantitate extendi, ut patet de materia, & forma in composito.

ARTICULUS II.

Argumenta ad oppositum soluta.

222 PRimo contra statutam distinctionem formalem in schola Scotistarum invehitur Aureol. quol. 1. art. 2. probans impossibile esse distinguere ex natura rei in eadem re plures formalitates, realitates, vel aliquitates, quin proportionaliter sint plures, res, & essentiæ, quandocumque enim aliqua sunt idem, multiplicato uno de necessitate, multiplicatur & reliquum, alioquin idem esset simul plurificatum, & non plurificatum, sed ista quatuor idem sunt, aliquid, res, ens, & essentia, ut docet Avicen. 1. Met. cap. 5. & Arist. 3. Met. dicit, quod solum nihil effugit rationem entis, cum igitur tales formalitates sint aliquid extra intellectum, alioquin non ex natura rei distinguerentur, sane opus est, quod sint res, essentiæ, & entitates quædam, & cum ponantur plures erunt plures res, & plures essentiæ, sed ponebantur simpliciter una res, igitur erunt una res, & plures, quod impossibile est. Deinde impossibile est propriam passionem reperiri extra proprium subjectum, cum hæc sint convertibilia ex 1. Post. sed proprietates rei, essentiæ, & entis insunt hujusmodi formalitatibus, & realitatibus, si ponantur: nam est una proprietas essentiæ, quod opponitur formaliter nihilitati, unde sunt extrema contradictionis ens, & nihil, cum igitur istæ formalitates suis distinctis rationibus sint extra nihil, & opponantur nihilitati formaliter, opus est, quod infra ens claudantur, & competat eis proprietas distinctarum essentiarum. Rursum, unum, & multa sunt de proprietatibus entis, & rei, istæ autem rationes reales ponuntur multæ, & per consequens quælibet ponitur una, necesse ergo est, quod cuilibet illarum distincte competat ratio entis, essentiæ, & rei.

Et si dicatur, quod istæ rationes formales non sunt formaliter ens, sed fundamentaliter tantum, ac identice, nec tamen sequitur, quod sint formaliter nihil, sicut nec superficies est formaliter alba, aut formaliter non alba, sed ista est concedenda, quod non formaliter alba, & hæc similiter, quod hujusmodi rationes formales non sunt formaliter ens, nec formaliter nihil. Contra instat Aureol. quia sunt formaliter quid, cum sint quidditates, ergo & aliquid, cum ista convertantur, tum quia hæc, non est formaliter nihil, æquipollet huic, est formaliter aliquid, nam duæ negationes affirmant. Præterea si istæ formalitates ponuntur distinctæ ex natura rei, aut illud, quo formaliter sunt extra nihil, est ipsum fundamentum simpliciter indistinctum, seu res ipsa, cui ducuntur immersæ per identitatem, aut ipsæmet formalitates distinctæ; itaut seipsis formaliter sint extra nihil, si secundum, jam habetur propositum, quod sunt formaliter ens, res & essentia; si primum, igitur inquantum distincta ab illa re remanent infra nihil, & per consequens eorum distinctio erit unum nihil, & ita nulla; repugnat igitur ponere in eadem re plures formalitates imbibitas, quin necessario ponantur in ea plures essentiæ, & plures res inter se distinctæ.

223 Resp. quod licet quædam formalitates metaphysicæ includant formaliter rationem entis, ut constat de omnibus gradibus genericis, nam substantia est ens quidditative, sic etiam quantitas qualitas &c. adhuc tamen nequeunt dici res, & essentia proprie loquendo, & in rigore metaphysico, nam res ut a realitate distinguitur, dicitur illa quæ est capax propriæ existentiæ, secundum quam terminare potest propriam causalitatem physicam loquendo in creatis, ut constat ex discrimine supra posito n. 160. inter rem, & realitatem, essentia item ex nu. 221. significat naturam integram, cui non repugnat propria existentia, & quæ includit totam seriem graduum prædicamentalium, loquendo de essentia creata, & ratio hujus est, quia hæc vocabula *Rei*, & *essentiæ* ex vi nominis dicunt totalitatem, ac integritatem essendi, sed formalitas, & realitas partialitatem essendi, ac quemdam gradum metaphysicum ejus; & hoc satis constat ex divinis, ubi dicitur esse tantum una summa res, & unica essentia divina, plures autem formalitates, ac realitates tam absolutæ, quam relativæ cum ipsa identificatæ; quod si formalitates metaphysicæ includentes formaliter rationem entis participare nequeunt nomen rei, & essentiæ proprie loquendo, tanto minus id convenire potest aliis formalitatibus non quidditative rationem entis includentibus, ut est de multis gradibus differentialibus, passionibus, & modis; cum ergo ex vi nominis idem non importent res, & realitas, essentia, & formalitas, minime sequitur ad multiplicationem formalitatum, & realitatum, plurificari quoque res, & essentias; & cum dicebatur, quando aliqua sunt idem, multiplicato uno plurificari & reliquum, si ergo formalitates in eadem re plurificantur, rem quoque ipsam opus erit plurificari; verum est, rem quoque ipsam debere plurificari, non quidem realiter, sed formaliter, quia sicut distinctio formalis stat cum identitate reali, ita pluralitas formalitatum stat cum unitate rei, & ratio est, quam Doct. assignat 1. d. 13. q. un. & 4. d. 46. q. 3. ad 1. quia pluralitas rerum est pluralitas simpliciter, pluralitas autem formalitatum, & realitatum est pluralitas secundum quid, unde cum unitate simpliciter stare potest pluralitas secundum quid, & in hoc nulla est repugnantia. Et hinc patet ad alias duas Conf. sequentes, ubi tamen notandum est id quod dictum est d. 2. n. 204. ens quod nihili immediate opponitur, comprehendere tam illud, quod directe, & formaliter est ens, quam id, quod est identice tantum ens, & realiter, quia negationibus, & entibus rationis repugnat esse ens utroque modo, qua de causa etiam formalitates illæ metaphysicæ, quæ non includunt quidditative rationem entis, adhuc possunt formaliter opponi nihilitati, & aliquo pacto proprietates entis participare, quatenus identificantur realiter cum eo, quod est formaliter, ac quidditative ens, quæ est responsio facta inter argumentandum; Ad cujus primam impugnationem satis dictum est loc. cit. disp. 2. nu. 204. quantum spectat ad formalitates metaphysicas ens quidditative, & formaliter non includentes, quæ nec etiam concludit de aliis formalitatibus ens quidditative includentibus, quod ob id dici debeant res, & essentiæ in rigore metaphysico ob rationem allatam. Ad alteram impugnationem dicendum formalitates ens quidditative includentes seipsis formaliter esse extra nihil, alias vero non seipsis formaliter, sed identice tantum ratione illius, cui identificantur realiter; nec ob id sequitur illas esse res, & essentias formaliter ob rationem allatam: neque istas, ut distinctas ab illa re remanere infra nihil, & per consequens nullo modo distingui ex natura rei; quia cum tota hac distinctione formali stat realis identitas, nam quatenus formaliter ab illa re distinctæ adhuc retinent realem identitatem cum ea; ratione cujus identitatis non remanent infra nihil, sed sunt aliquid rei realiter, & identice, licet ab ea formaliter distinctæ; pro cujus adhuc doctrinæ majori intelligentia, & argumenti solutione videre juvabit Mairon. 1. d. 8. q. 5. §. *bis visis*.

Secundo ex Recentioribus arguit Ovvied. controv. 4. Met. punct. 2. nu. 11. & seq. probans hanc distinctionem formalem ex natura rei non nisi verbis differre a reali, nam eo ipso quod duæ formalitates ante omnem intellectum distinguuntur, datur hæc formalitas quæ non est illa, & illa quæ non est ista, ergo distinguuntur eadem distinctione, qua distinguuntur de facto materia, & forma, ergo distinguuntur realiter; probatur consequentia, materiam realiter distingui a forma nil aliud est, quam materiam non esse formam neque e contra, sed idem haberent illæ formalitates, ergo simili distinctione distingnerentur. Dices, distingui realiter dicere non esse idem realiter, quod non haberent illæ formalitates, quæ tantum non essent idem formaliter, & tamen essent idem realiter. Contra instat Ovvied. non esse idem realiter nil aliud est, quam non esse idem ante omnem operationem intellectus, sed formalitates illæ ante omnem operationem intellectus non sunt idem, ergo non solum carent identitate formali, sed etiam reali.

224 Resp. in argumento adducta optima est, & instantia valde frivola, quia ut etiam prævidit Ovvied. ipse, statim Scotista negabit antecedens absolute prolatum, quia non esse idem realiter non tantum dicit utcunque non esse idem ante operationem intellectus, sed ita non esse idem, ut sint vel actu separata, vel separabilia mutuo, vel non mutuo, vel saltem proportione correspondeant his, quæ possunt separari, ut nimirum ita se habeant, quod unum dependeat ab alio, & se habeant per modum producentis, & producti, causantis, & causati, quod erat adæquatum, & convertibile signum, unde agnosci debet realis distinctio; quando vero ante operationem intellectus non sunt idem, & talis non identitas non arguitur ex tali separatione actuali, vel potentiali, vel saltem proportionali, sed ex sola separabilitate secundum conceptibilitatem ex natura rei exigitam

apud intellectum perfecte, & adæquate concipientem, hæc non identitas realis non est, sed tantum formalis. Sed adhuc instat Ovvied. probans ex his capitibus non sufficienter distingui distinctionem ex natura rei realem a distinctione ex natura rei formali. Separatio unius entitatis ab alia formaliter non constituit distinctionem realem, sed illam supponit, & ideo hæc entitas ab alia potest separari, quia ab illa distinguitur, ergo dicendum non est, entitatem non distingui realiter, quia non potest separari, neque realiter distingui, quia potest separari, sed potius inferendum, distinguitur realiter, ergo potest separari, non distinguitur realiter, ergo non potest separari, ergo distinctio realis in ratione realis, prout distinctæ a distinctione ex natura rei formali, non potest ex hoc capite constitui, ergo nullum est caput, ex quo secernatur distinctio ex natura rei realis a distinctione formali. Conf. Petrus potest dependere a Joanne, ab illo separari, distinctam productionem, & corruptionem terminare ex eo præcise, quod ante operationem intellectus est distinctus ab eo, & ideo animal a rationali separari non potest, nec distinctam productionem, aut corruptionem terminare, nec unum ab alio dependere, quia ante operationem intellectus non distinguuntur, ergo distingui realiter nil aliud est, quam distingui ante operationem intellectus. Si dicas non ex eo præcise posse Petrum separari a Joanne, quia distinguitur ab eo ante operationem intellectus, sed quia distinguitur realiter ante operationem intellectus. Contra instat, tum quia hæc est petitio principii, tum quia distingui realiter nil addit super hoc, quod est distingui ante operationem intellectus. Quod si dicas addere unum posse separari ab alio, vel ab alio dependere &c. En iterum petitio principii, distingui realiter unum ab alio dicit formaliter posse separari ab illo, ergo cum dicis, Petrum posse separari a Joanne, quia realiter ab illo distinguitur, dicis posse separari Petrum a Joanne, quia potest ab eo separari, & idem reddis per idem; Hanc, inquit Ovvied. esse validam impugnationem formalis distinctionis a priori desumptam ex destructione differentiarum, quas assignant Scotistæ inter distinctionem realem, & formalem.

Hæc tamen ratio, si bene perpendatur, semper peccat fallacia consequentis, dum ex ratione communi vult inferre particularem, sicut si ex animalitate inferretur homo, nam ad distinctionem realem inter aliqua duo præter discretionem ante opus intellectus, quæ est ratio communis, & generica ad omnem distinctionem ex natura rei, requiritur quod sit inter rem, & rem, idest inter talia extrema, quibus singulis propria correspondeat existentia, ac etiam singula possint propriam terminare physicam productionem in creatis, quod nequaquam convenire potest extremis, inter quæ versatur distinctio formalis, cum enim important solas formalitates, & gradus diversos ejusdem essentiæ totalis, non habent proprias existentias, neque propria productione producuntur, sed existunt existentia illius essentiæ, in qua sunt per realem identitatem immersæ, ut constat ex dictis supra n. 178. & ab ea pullulant dimanatione metaphysica; unde ad novam instantiam Ovvied. contra allatam solutionem concedo, separationem unius entitatis ab alia non constituere distinctionem realem, cum potius sit effectus ejus, atque ideo eam supponit, & sic etiam concedo primam consequentiam ut fiat propositio causalis, melius *dici* hoc posse separari ab illo, quia distinguitur realiter ab illo, quam e contra, licet etiam recte dici possit, hoc distingui realiter ab illo, quia potest separari ab eo, ut *ly quia* notat illationem a posteriori, & tanquam ab effectu, valet enim hæc consecutio a posteriori, hoc potest separari ab illo, ergo distinguitur realiter ab illo, quia separatio in esse est sufficiens signum a posteriori investigandi distinctionem realem, cum vero infert in alia consequentia, non posse ex hoc capite nempe separationis actualis, aptitudinalis, vel proportionalis distinctionem realem a formali secerni; tanquam per rationem a priori concedo, tanquam per signum a posteriori nego; & sic tandem negatur ultima consequentia nullum remanere caput, ex quo hujusmodi distinctiones secernantur abinvicem, nam ex separatione in esse jam explicata distinctio realis sufficienter secernitur a formali, tanquam per signum a posteriori, & per diversitatem existentiarum, tanquam per rationem a priori, quia diversitas existentiarum est veluti formale constitutivum realis distinctionis ex n. 175. Ad Conf. negatur assumptum quoad utranque partem, neque enim Petrus potest separari a Joanne præcise, quia distinguitur ab illo ante operationem intellectus, nec ideo animal separari nequit a rationali, quia non distinguatur ab eo ante operationem intellectus, sed ideo hæc separari nequeunt, quia sunt idem realiter a parte rei, & illa separari possunt, quia distinguuntur realiter propter diversitatem existentiarum, neque in hoc ulla committitur petitio principii. Et ad replicam nego, distingui realiter nil addere supra hoc, quod est distingui ante operationem intellectus, addit enim diversitatem existentiæ extremorum, ut differentiam contrahentem distinctionem ex natura rei ad constituendam distinctionem realem simpliciter, quam dicere solent entitativam, & posse separari entitative, ut differentiam contrahentem a posteriori, & sic e contra distinctio formalis supra distinctionem ex natura rei in communi, addit ut differentiam a priori contrahentem diversitatem conceptuum adæquatorum, & tanquam differentiam a posteriori separabilitatem in conceptibilitate ex natura rei exigitam, neque in hoc ulla committitur petitio principii, quod videam, & sic patet remanere differentias tam a posteriori, quam a priori discernentes distinctionem realem a formali.

225 Tertio argumentatur sic, supponere materiam, & formam per se ipsas unitas absque unione superaddita, itaut non possint

de po-

de potentia Dei absoluta existere non unitæ, in quo nulla est repugnantia, tunc materia, & forma realiter distinguerentur, & non posset una ab alia separari, nec una produci sine alia, aut jam producta sine alia corrumpi, neque una ab alia per causalitatem dependere, quia utraque crearetur, ergo distinctio realis non dicit formaliter rem una posse separari ab alia, vel ab illa dependere, nec capita assignata erunt sufficientia, & adæquata ad dicendam distinctionem realem. Resp. assumptum non posse sine repugnantia admitti; quia si materia, & forma supponuntur realiter distinctæ, nequeunt supponi unitæ sine unione, & repugnat per potentiam Dei absolutam materiam a forma non posse separari; omne enim prius realiter distinctum a suo posteriori, saltem per Dei potentiam potest ab eo separari, ut Doct. arguit 2. d. 12. q. 2. quod etiam tenet Ovvied. ipse, ergo suppositio illa est impossibilis. Sed etiam ea admissa, adhuc negatur consequentia, quia licet data hypothesi nullum remaneret signum a posteriori dignoscendi realem distinctionem inter materiam, & formam; adhuc remanet differentia a priori eam constituens, scilicet diversitas existentiarum, ratione cujus diversitatis, licet ex hypothesi una non posset existere sine alia, tamen singulæ propria productione producerentur a Deo, & productio unius esset distincta a productione alterius, licet ex hypothesi sint connexa. Sed contra hoc urget Ovvied. argumentum supra factum, ideo materia, & forma assignatæ possent distinctis productionibus produci, quia realiter distinguerentur, ergo prius est realiter distingui, quam diversis productionibus produci. Tum quia sumendo creationem materiæ, & formæ in eo casu sic arguitur, creatio unius separari nequit a creatione alterius, neque una creatio dependeret ab alia, neque produceretur per distinctam aliam creationem, ergo ex nullo capite a Scotistis assignato possent hæ rationes realiter distingui, ergo neque in eo casu materia, & forma realiter distinguerentur, ex eo quod creationes illarum realiter distinguerentur. Resp. neque nos dicere in eo casu materiam, & formam fore realiter distinguendas per diversas productiones, tanquam per differentias a priori, sed veluti a posteriori, & per extrinseca, a priori vero distinguerentur per diversitatem existentiarum, quæ est veluti formale constitutivum realis distinctionis; & sic etiam in eo casu creationes materiæ, & formæ essent productiones abinvicem realiter distinctæ, quia terminantur ad entitates habentes diversas existentias.

Quarto argumentatur, quia hæc distinctio formalis a Scot. præsertim excogitata est ad explicanda difficillima quædam de Trinitatis mysterio, quomodo scilicet essentia, & relationes sint idem realiter, tamen ita inter se comparantur, ut essentia sit ex natura rei actu formaliter communicabilis, & de facto communicetur & formalitas relationis sit incommunicabilis, & de facto non communicetur, similiter filiationis relatio de facto producitur, & essentia non producitur, quæ facile explicantur admissa distinctione formali inter essentiam, & relationes, & sunt prorsus incapibilia ea negata. Sed sic est, ait Ovvied. quod hæc formalis distinctio nil juvat mysterium Trinitatis, immo lædit, ergo &c. Probat minorem; Primo, quia tunc in Deo paternitas, & Deitas erunt duplex entitas, quarum una non est alia ante operationem intellectus, quod si distinguuntur, ut duæ entitates ex natura rei, ergo distinguuntur realiter, ac entrative, quia distinctio sequitur conditionem extremorum. Deinde, quia duæ entitates non possunt coalescere in unam rem, quæ simpliciter sit una, nisi una se habeat ut actus, & altera ut potentia, si enim utraque esset actus, non efficeret unum simpliciter, & per se unum, sed unum per accidens constans ex rebus, quasi congregatis, & coacervatis; si ergo Deitas, & paternitas ante operationem intellectus sunt duæ entitates, ut faciant per se unum, seu rem unam simpliciter, necesse est aut Deitatem se habere, ut potentia ad paternitatem, vel e contra, vel utranque entitatem mutuo esse sibi actu integrantem ut cernitur in partibus integrantibus continui. Tum 3. quia unaquæque ut distincta ab alia erit entitas incompleta, quia cum alia veluti comparte constituit ens integrum, & unum simpliciter, quod ante operationem intellectus erit veluti compositum; Tum 4. quia si hujus distinctionis beneficio possent rebus realiter identificatis duo contradictoria competere, de facto possent convenire animalitati, & rationalitati in homine identificatis realiter, quæ in sententia Scoti hac distinctione gaudent, & ita possemus dicere producti rationem animalis hominis, non producta rationalitate cum ea realiter identificata, & unam sine alia corrumpi, quia talis distinctio sufficiens est ad hanc contradictionem salvandam, ut dicitur in divinis. Tum demum, quia tunc mysterium Trinitatis non esset supra naturam rerum creatarum, siquidem in illis invenitur distinctio, ratione cujus in eisdem possint componi illa, quæ in hoc mysterio miramur, scilicet essentiam realiter identificatam cum paternitate communicari non communicata paternitate, & filiationem identificatam cum essentia produci non producta essentia; atque ita hæc distinctio adæquaret tantum mysterium cum natura rerum creatarum.

226 Resp. quamvis Doct. hanc distinctionem utilem, ac idoneam judicaverit ad mysterium Trinitatis capiendum, tamen non ea præcise de causa ipsam invenit, sed ex manifesta necessitate illius etiam in creatis ad salvandam præcipue metaphysicam compositionem in creaturis, unde qui eam negaret in divinis, adhuc admittere cogeretur in creatis; sed admissa majori negatur adhuc minor; ad cujus primam probationem negatur assumptum, nam Scot. quol. 3. agens de realitate personalium relationum determinat art. 1. ex multiplici acceptione vocabuli rei, quod quamvis communissime accepto pro omni illo scilicet quod aliquo modo extra intellectum habet esse, relationes personales possint appellari res, accepto tamen vocabulo communiter, ut res distinguitur contra modum rei, relationes personales non sunt res, unde ex Doct. ibidem colligitur expresse, personalitates divinas in seipsis spectatas, quatenus ab essentia præscindunt, nec rem, nec ens, nec entitatem appellari, sed solas circumstantias, seu habitudines rei, vel entis existentis, tum quia insigniores Scotistæ negant illas esse formaliter entia, & in recto, quia sunt ultimo constitutiva divinarum personarum, & de ultimo constitutivis docet Scot. 1. d. 3. q. 3. E. non esse formaliter entia, & quidditative, sed tantum realiter, ac identice; quia ergo paternitas proprie loquendo, non est una res, vel entitas, vel unum ens ab ipsa Deitate ex natura conditinctum, sed quædam tantum ejus formalitas, & realitas in ipsa immersa per realem identitatem, distinctio inter ea reperta non realis, vel entitativa, sed tantum formalis dici potest, ac debet. Ad 2. probationem illius minoris occurritur ex Scot. 1. d. 5. q. 2. §. *Tertio principaliter*, ubi optime declarat, quo pacto divina persona sit omnino una unitate simplicitatis, & non compositionis, quantumvis essentia, & paternitas sint realitates ex natura rei formaliter adinvicem distinctæ, dummodo sint perfecta identitate invicem realiter identificatæ, hæc enim perfecta identitas ex infinitate unius extremi, vel amborum soborta impedit omnimodam compositionem, & facit personam ex essentia, & relatione constitutam esse per se unam unitate simplicitatis, & identitatis, non autem unitate unionis, & compositionis; quare assumptum illud valet de duabus entitatibus, vel potius realitatibus finitis, & limitatis ad unius rei constitutionem coeuntibus, cum enim ex utriusque finitate, & limitatione neutra habeat totalitatem essendi, nequit alterius entitatem radicaliter continere, ac sibi realiter identificare, quare ut unum per se constituant, opus est, ut simul concurrant per modum per se actus, & potentiæ, quod si non habent rationem actus, & potentiæ, sed ambo sunt actus, tunc unum efficiunt unitate aggregationis, hoc autem contingere nequit de deitate, & paternitate in constitutione divinæ personæ, quia neutra realitas est finita, vel limitata, & ideo non constituunt unum unitate unionis, vel compositionis, sed simplicitatis, & identitatis, quæ solutio maxime notanda est, quia hoc argumentum valenter urgent Recentiores Ruisius, Alarcon, & alii in materia de Trinitate, ut distinctionem formalem ab ea eliminent. Ad 3. probationem respondetur per idem negando assumptum, ac etiam consequentiam inde deductam, quia pars in ratione partis ab eo exceditur, cujus est pars, & ideo ex se dicitur incompleta, essentia autem divina ex se ponitur formaliter infinita, unde omnino ei repugnat habere rationem partis, ac entis incompleti, tum quia in constitutionem veniunt divinæ personæ essentia, & relatio potius ut realiter identificata, quam ut formaliter distincta, & ideo neutra habet rationem incompleti. Dices, compositio est distinctorum unio, ergo si persona in divinis constituitur ex essentia, & relatione ex natura rei distinctis, necessario erit composita ex ipsis. Negatur assumptum, ut insufficiens absolute prolatum, nam compositio non est unio distinctorum utcunque, sed distinctorum vere componibilium, quæ ea ratione, qua finita, & limitata sunt, ordinatur ad perfectionem alicujus tertii constituendam. Dices, ut duo extrema sint vere componibilia, sufficere hanc distinctionem formalem ex natura rei, ut constat de realitatibus metaphysicis, quæ veram faciunt compositionem ob talem distinctionem in sententia Scoti. Negatur assumptum, ideo enim realitates metaphysicæ compositionem efficiunt, quia una est potentialis ad aliam, quod dici nequit de essentia, & personalitate in divinis, cum ambo sint in ultima actualitate. Dices ex realitatibus Metaphysicis unam esse potentialem ad aliam, quia ex natura rei formaliter distinguuntur, atque ideo idem erit de divina essentia, & relatione, si ita ponantur distinctæ. Negatur rursus assumptum, potentialitas namque realitatis generice ad differentialem non provenit ex distinctione earum formali, sed ex imperfecta earum identitate reali, quia habent identitatem realem mendicatam a tertio, a quo si abstrahantur, non sunt amplius realiter idem, ut docet Doct. 1. d. 8. quæst. 3. infra I. non sic est de divina essentia, & relatione, quæ inter se identificantur ratione infinitatis, ideoque earum realis identitas est perfectissima, & summa, & consequenter tollit omnimodam potentialitatem unius realitatis ad aliam, quia nulla res est in potentia ad seipsam, nec a seipsa perfectibilis.

227 Ad 4. probationem minoris principalis argumenti concedo hanc eandem distinctionem, multa quoque contradictoria salvare in realitatibus creatis, ut constat de animalitate, & rationalitate, quia per animalitatem a parte rei homo actu convenit cum bruto, & non convenit per rationalitatem; advertenda tamen est regula superius tradita n. 215. quod hæc distinctio non sufficit ad salvanda quæcunque contradictoria, sed tantum illa, quæ concernunt esse formale rei, non autem esse reale, ac entitativum simpliciter, & absolute sumptum, qualia sunt produci in esse, & non produci, corrumpi, & non corrumpi; talia enim contradictoria cum respiciant esse rei simpliciter, & absolute sumptum, non videntur posse salvari per solam distinctionem extremorum, de quibus verificantur, formalem, & ex natura rei, sed necessaria quoque videtur pro tali contradictione vitanda distinctio realis, ac entitativa; ut enim docet Bonet. trac. Formalit. cap. de dist. ex natura rei, & lib. 3. suæ Met. cap. 8. sequitur Lichet. 1. d. 8. q. 3. solvendo rationes Ocham, sunt aliqua prædicata, quæ adæquate insunt ipsi toto, & aggregato, quod dicitur res, sicut sunt esse, & non esse secundum adjacens, & existere, & esse actu, & contradictoria de talibus prædicatis concludunt distinctionem realem, cujus ratio est, quia talia prædicata, quibus insunt, insunt ratione rei, & non ratione alicujus formalitatis in ea inclusæ; sunt autem alia contradictoria, quæ non omnino insunt simul toto, & aggregato, quod est res, nec ipsi rei insunt, sed insunt formalitati, & ratione ejus præcise conveniunt ipsi rei, ut velle, & intelligere, quæ animæ conveniunt ratione voluntatis ac intellectus, & talia contradictoria non inducunt necessario distinctionem realem, sed tantum formalem illorum, quibus applicantur, quæ doctrina maxime notanda est, ut habeatur certa regula dignoscendi, qualis, & quanta distinctio deduci potest inter aliqua duo ex prædicatis, contradictoriis de illis verificatis, & colligitur ex Scoto 2. d. 1. q. 5. Dices, produci, & non produci esse prædicata, quæ competunt ipsi rei existenti, quia productio terminatur ad ipsam rem existentem; ergo distinctio formalis non sufficit ad verificandum in divinis quod essentia non producitur, & filiatio producitur, vel si sufficit in divinis, erit etiam sufficiens in creatis & cum veritate dici possit animal in homine produci non producta rationalitate, vel e contra non obstante reali eorum identitate. Hæc est difficilis objectio, tamen dici potest quod licet filiatio in divinis sit entitas producta, tamen non producitur a divina essentia, sed a patre, & ideo a paternitate dicitur realiter distingui, & cum ipsa habere oppositionem relativam, non autem a divina essentia, a qua solum pullulare dicitur, & emanare emanatione quadam metaphysica, ut realitas a re cui identificatur; ratio autem cur in divinis eadem entitas realiter dici possit producta, & improducta, & contradictio salvetur per solam distinctionem formalem filiationis ab essentia, non autem in creatis, est, quia in divinis terminus formalis non producitur de novo in supposito producto, sed ei a producente communicatur idem numero, quem in se præhabebat, quia est unica natura in tribus divinis suppositis, at in generatione creata terminus formalis habetur in producto per veram productionem, & non per simplicem communicationem ob alietatem naturæ producentis, & producti, hoc, inquam, in causa est, ut ratione solius formalis distinctionis multa contradictoria in divinis salvari possunt, quæ nequeunt ita bene salvari in creatis.

228 Ad ultimam probationem ejusdem minoris negatur consequentia, quia licet ratione distinctionis formalis nonnulla contradictoria verificentur in divinis, quæ pariter verificantur in creatis beneficio ejusdem distinctionis, ut quod eadem realiter entitas sit absoluta, & relativa, sit communicabilis, & incommunicabilis, nam v. g. in Petro eadem realis ejus entitas dicitur communicabilis, & incommunicabilis, ratione naturæ est communicabilis, ratione hæcceitatis est incommunicabilis, tamen, ut dicebam, ejusdem distinctionis beneficio nonnulla adhuc contradictoria verificantur in divinis, quæ verificari nequeunt in creatis, v. g. eandem numero naturam esse in tribus, non tamen eandem personalitatem cum ipso identificatam, item filiationem identificatam cum essentia produci, non producta essentia, quæ quidem sunt prorsus mirabilia, & omnino superant captum nostrum, & conditionem creatæ naturæ, quæ necessario plurificatur numero ad plurificationem suppositorum, unde contradictoria quædam videmus ibi componi ob distinctionem ex natura rei formalem, quæ hic in creatis componi omnino nequeunt, nisi beneficio distinctionis realis. Neq; male actum est a Scoto, dum conatus est explicare mysteria Trinitatis per distinctionem ex natura rei formalem in creatis repertam inter realitates metaphysicas, nam ut inquit Apost. Rom. 1. *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, unde quia videbat Doct. per hanc distinctionem formalem inter realitates metaphysicas positam multa contradictoria hic componi in creatis cum reali earum identitate, consulto sibi quoque visa est idonea hæc distinctio formalis ad explicanda arcana Trinitatis, ut pote quæ stare potest cum omnimoda identitate reali; neque in hoc majorem sibi fecit licentiam Doct. quam fecerint Adversarii, sicut enim ipsis licet illa explicare mysteria interventu distinctionis virtualis, quam agnoscunt inter gradus metaphysicos, sic etiam Doctori licebit eadem declarare arcana per eandem distinctionem, quam ipse inter eosdem gradus reponit, quæ est formalis actualis ex natura rei Dices hujusmodi formalitates non esse ponendas in divinis, quia illud non est ponendum in divinis, quod non habetur a ratione naturali, vel a fides, vel a sacra Scriptura, vel sanctis Patribus, sed istæ formalitates non habentur ab aliquo istorum, quod debeat poni in divinis, ergo &c. Resp. Doctorem 1. d. 8. q. 4. has firmare auctoritate PP. inter quas conspicua est illa Damasceni lib. de fide cap. 4. *si dixeris bonum, justum, &c. non naturam Dei, sed quæ circa naturam sunt dixeris*, quibus verbis innuit divina attributa esse formalitates divinam naturam circumstantes, & modificantes. Addit Mair. tract. suo formalit. c. de distinct. formali, quod sicut ex una de necessario & una de contingenti infertur una de contingenti ex 1. Priorum, ita ex una credita, & ex alia naturaliter cognita per bonam consequentiam potest inferri una credita; sed sic est, quod credimus & catholice confitemur, quod essentia divina est communicabilis tribus, & de facto communicatur tribus personis, & est absolutissima, paternitas nec est communicabilis, neque communicatur, neque est ens absolutum; ergo huic propositioni creditæ addi potest hæc naturaliter evidens, quod quandocumque aliqua sic se habent, quod aliquod convenit uni ex natura rei, seclusо opere intellectus, quod non convenit alteri, est ibi distinctio ex natura rei; & quando unum a partei rei est absolutum formaliter, & quidditative, & aliud non, sed est formaliter relatum, illa dicunt distinctas formalitates; & sic tandem ex illa credita, & hac naturaliter nota concludes, quod in divinis sunt plures formalitates ex natura rei distinctæ.

Quinto contra distinctionem formalem arguit etiam Blasius a Concep. disp. 22. Metaph. q. 1. ubi esto argumenta urgeat contra ipsam quatenus ponitur inter divina attributa, ego tamen ea præsertim referam, quæ universaliter eam excludunt tam a divinis attributis, quam a gradibus metaphysicis, quia probant eam coincidere cum reali: nam illa distinctio, quæ causatur a principiis realibus, est realis, sed hæc distinctio sive inter attributa divina ponatur, sive inter gradus metaphysicos, causatur ex principiis realibus, quia causatur ex iis, quæ sunt actu, & formaliter a parte rei ante omnem operationem intellectus, ergo cum illud quod est a parte rei ante omnem operationem intellectus, sit quid reale, si talis distinctio datur, debet necessario esse realis. Deinde omnis distinctio formalis dicit alietatem formalem eorum, inter quæ datur distinctio, ergo distinctio formalis, & actualis, quæ est ante omnem operationem intellectus, dicit alieratem formalem, & actualem eorum, quæ sunt ante operationem intellectus, atqui realitas, quæ non est actu, & formaliter alia realitas, distinguitur realiter ab ipsa, ergo &c. Conf. quia distinctio ex natura rei sequitur naturam illius rei, quam distinguit, ergo distinctio, quæ est ex natura rei inter aliqua, debet esse distinctio realis, quia termini, qui adduntur distinctioni, modificant, & determinant distinctionem, & extrema distinctionis suam denominationem illi applicant. Conf. rursus, quia modus sequitur naturam illius rei, quam modificat, ergo cum distinctio ex natura rei sit modus rerum, quas distinguit, debet sequi naturam illarum, ergo si res, quas distinguit ex natura rei, sunt reales, debet distinctio esse realis; alias falso ex natura rei diceretur distinguere, quia non distinguit res ad modum naturæ earum. Demum saltem tali distinctio non videtur possibilis in divinis, quia omnis distinctio, quæ est ex natura rei inter aliqua ante omnem intellectus operationem, provenit ex limitatione, & finitate extremorum, unde videmus, quod quanto magis res sunt elevatæ, & perfectæ, tanto plures uniunt, & continent in se perfectiones, ergo saltem in divinis locum habere non potest.

229 Resp. hæc, & similia argumenta procedere ex æquivocatione illius verbi *reale*, quod sumi potest prout derivatur a re proprie dicta, quatenus res opponitur formalitati, ac realitati, vel pro omni illo, quod opponitur enti rationis, & tantum dicit id, quod existit in rebus dependenter ab intellectu, sive formaliter, & in recto, sive indentice, & in obliquo ratione alterius, cui identificatur, quod Scotistæ non vocant reale, sed ex natura rei, illudque subdividunt in esse ex una natura rei reale, & ex natura rei formale. Itaque ad 1 dico distinctionem esse realem eo pacto, quo ejus principia realia sunt, si principia sunt realia primo modo, distinctio ex illis orta est realis simpliciter, quia fundatur super pluralitatem simpliciter extremorum, quæ sunt res proprie dictæ, si vero sunt realia tantum secundo modo, quo pacto reales dicuntur formalitates supra quarum pluralitatem fundatur distinctio formalis, distinctio inde suborta dicitur realis secundum quid, unde inquit Doctor 4. disp. 46. qu. 3. ad 1. quod pluralitas, & numerus eorum, quæ ex natura rei tantum distinguuntur, non est numerus, & pluralitas simpliciter, sed tantum secundum quid, & quia talis est distinctio qualis est multitudo, super quam fundatur ex 5. Met. 18. ideo cum multitudo realitatum, & formalitatum sit tantum pluralitas secundum quid, talis erit quoq; distinctio super ipsam fundata. Ad 2. negatur subillata minor, quod una realitas distinguatur realiter ab alia realitate, sive re, cum qua identificatur, quia fundamentum realis, ac entitativæ distinctionis est res dumtaxat proprie dicta. Ad Conf. dico distinctionem formalem dici debere formalem, quia versatur inter formalitates, & ex natura rei quia versatur inter eas independenter ab intellectu; non autem realem, nisi secundum quid, sicut extrema ejus non sunt realia, nisi secundum quid Ad aliam, distinctio formalis non est modus rerum, sed potius formalitatum, quia non res, sed realitates, & formalitates ejusdem rei secernit abinvicem, ideoq; petita denominatione ab extremis debet dici distinctio formalis, non vero realis. Ad ult. assumptum verum est de distinctione reali proprie dicta, non autem formali (si tamen eam excipias, quæ fundatur in oppositione relativa, qualis est illa, quæ inter divinas personas reperitur) hæc enim utiq; procedit ex limitatione, & finitate extremorum, quæ quia non habent totalitatem essendi, neutrum valet alterius entitatem, & perfectionem identice continere; distinctio vero formalis præsertim in divinis nequaquam in extremis suis ralem inducit perfectionem, quia ratione infinitatis divina essentia omnia attributa, ac relationes personales, a quibus ponitur formaliter ex natura rei distincta, sibi formaliter identificat, ut probat Doctor quol. 5. per totum; in gradibus vero Metaphysicis cernitur aliqualiter hæc imperfectio, quia eorum realis identitas attenditur penes tertium, a quo si semel abstrahantur, non amplius habent sufficientem causam identitatis.

Sexto arguit Suarez disp. 5. Metaph. sect. 2. num. 11. & sect 1. num. 20. omnis distinctio præter realem, & modalem est per intellectum, ergo non datur distinctio formalis ex natura rei distincta ab aliis; probatur antecedens, quia vel extrema sunt in re se-

re separabilia mutuo, vel non mutuo, & est distinctio realis, vel modalis, vel non sunt separabilia, & tunc non sunt ex natura rei distincta, quia nullum signum talis distinctionis appareret. Conf. quia frustra multiplicantur formalitates ex natura rei, cum omnia possint salvari per pauciora, scilicet per unam rationem realem, & per plures rationes solum objective diversas, ex eo quod diversis conceptibus concipitur eadem res habere diversas perfectiones inadæquate, ut omnes concedere debent de ratione entis, & substantiæ, quare idem dicendum de genere, & specie, quæ comparantur, ut totum, & pars, & de genere, & differentia, quæ comparantur, ut compartes ejusdem essentiæ, non enim est ratio, cur ens, & substantia ratione distinguantur, & non animal, & homo, ac rationale, cum utrobique sit diversa conceptio ex parte intellectus, & diversa conceptibilitas ex parte objecti. Deinde quia si talis distinctio formalis antevertit omne opus intellectus, & versatur inter duas entitates, habentes esse in rerum natura, quarum una non est altera, plane nihil ei deficit, quin sit distinctio realis, quia talis distinctio entitatum supponit utramque entitatem in se constitutam, & existentem, ideoque unamquamque unam, & singularem, sed omnis distinctio cadens inter res existentes, & singulares est distinctio realis cadens inter rem, & rem, ergo &c. Denique omnis realis entitas ex natura rei intelligitur esse extra suas causas, ergo & habere realem actualitatem, & existentiam propriam, ideoque si ab alia realitate ex natura rei distincta est, ut res a re distinguetur, prima consequentia deducitur, quia nihil terminare potest actionem causarum secundarum, ideoque esse extra causas, quin actualitatem realem habeat, & propriam existentiam, ideoque sit res; altera consequentia clara est, quia quæ existentias diversas dicunt, & res diversæ sunt, non possunt distingui distinctione minori distinctione reali, quæ cadit inter rem, & rem, ita discurrere videtur Suar. loc. cit.

230 Resp. negandum assumptum cum ejus probatione, quia non sola separabilitas secundum existentiam est signum distinctionis ex natura rei, ut sic, sed etiam diversitas definitionis datæ per conceptus adæquatos, item contradictio fundata, & reperta in eadem re ob diversas ejus realitates, ut supra explicatum est; unde falsum est, quod inquit Suarez nullum dari signum distinctionis ex natura rei, ut sic, præter separabilitatem secundum existentiam, immo qu. 8. dictum est nec tale signum esse adæquatum, & convertibile cum reali distinctione proprie dicta, quia nonnulla distinguuntur realiter, ac entitative, ut res, & res, quæ tamen nec mutuo, nec non mutuo sunt separabilia, ut constat de toto, & partibus apud nos, de subjecto, & passione, materia, & forma apud Thomistas. Ad conf. negatur frustra multiplicari formalitates, ac realitates metaphysicas præsertim in rebus creatis, quia essentia creata exigit compositionem non solum accidentium, & modorum, sed etiam intrinsecam, & essentialem cum secundum essentiam adæquare non possit perfectionem simplicitatis divinæ essentiæ, quæ etiam concipi potest diversis conceptibus inadæquatis, falsum ergo est omnia salvari posse præsertim in creatis per unam rationem realem, & per plures rationes solum objective diversas, ut Suarez ajebat; quamvis enim id concederetur, quando natura rei, sicut est simplex, ita exigit concipi uno conceptu simplici, & si pluribus concipitur, id provenit ex defectu intellectus non potentis totam perfectionem objecti concipere, vel medii ordinati ad cognitionem, ut dicunt quamplures de divina natura, tunc enim recte diceretur non esse inter illas rationes distinctionem ex natura rei, sed rationis, hoc tamen dici non potest, quando natura rei exigit sic concipi diversis conceptibus adæquatis, ut contingit de natura creata; unde ex sola diversitate conceptuum non statim inferri debet sola distinctio rationis, sed spectari debet qualis sit natura eorum conceptuum; quando enim sunt conceptus adæquati, & talis conditionis, ut in una ratione formali convenire nequeant, ut v. gr. esse communicabile pluribus speciebus, & non esse communicabile, quæ actu conveniunt animali, & differentiis ejus a parte rei tunc ex talium conceptuum diversitate colligi potest inter illos distinctio ex natura rei, & non tantum rationis. Et cum dicebat Suar. id omnes fateri debere de conceptu entis, & substantiæ etiam in creatura, hoc negant Scotistæ etiam gradibus transcendentibus tribuentes proprias realitates; sed consultius est negare paritatem de gradibus transcendentibus, & prædicamentalibus ob rationes assignatas tota disp. 2. quia prædicamentales solum nati sunt concipi diversis conceptibus adæquatis, utpote qui proprias præferunt realitates, & deserviunt pro metaphysica compositione in creaturis peragenda, non autem transcendentes, qui sunt communes Deo, & creaturæ. Ad aliud occurrendum, quod quamvis hæc distinctio supponat utramque entitatem, inter quas versatur constituta in ratione entitatis, non tamen supponit utramque existentem propria existentia, sed supponit potius eas esse aliquid existentis, & aliquid alicujus, quod propriam, & veram habet existentiam, ideoque nunquam sequitur talem distinctionem esse rerum, sed esse eorum, quæ sunt aliquid rei. Ad ult. assumptum non est universaliter verum in recto, sed vel in recto, vel in obliquo, ut sensus sit omnem entitatem realem ex natura rei intelligi esse extra causas, quia vel seipsa directe, & per propriam existentiam est extra causas formaliter, vel ratione alterius, & per existentiam illius, cui identificatur realiter, in quo duntaxat sensu formalitates dicuntur esse extra causas, & actionem causarum terminare, non enim eam terminant immediate, & directe, sed mediate, & concomitanter, & ideo negatur utraque consequentia cum ejus probationibus.

231 Septimo Recupitus p. 1. disp. de distinctione attributorum ab essentia divina ingenti rationum agmine distinctionem formalem Scoticam aggreditur plus numero, quam pondere valentium, quia tamen eam præcipue impugnat, ut a nobis ponitur in divinis, argumenta illa parum faciunt ad rem nostram, qui hic intendimus necessitatem demonstrare hujus distinctionis in creatis, etiam quando nullo modo poneretur in divinis; atque ideo unam, vel alteram tantum ejus rationem adducam, quæ distinctionem formalem, ut sic, impugnare videntur: prima est, quod si daretur distinctio formalis, tunc tolleretur distinctio rationis, quia distinctio rationis fit formando de re aliqua indistincta a parte rei plures conceptus objectivos, si ergo ex diversitate conceptuum objectivorum bene deducitur distinctio formalis ex natura rei, ergo tollitur omnis distinctio rationis. Altera est, quia non repugnat identitas formalis attributorum in divinis, & graduum Metaphysicorum in creatis, quod deinde probat pluribus instantiis, quibus omnibus ostendere conatur, posse diversitatem conceptuum haberi de simplicissima formalitate, ut patet de potentia calefactiva, & exsiccativa in Sole, & de essentia divina, in qua ratio substantiæ viventis spiritualis coincidunt in unam indivisibilem formalitatem, idem ergo dici potest de omnibus attributis, & gradibus Metaphysicis. Resp. ad 1. negando consequentiam, constat enim ex proxime dictis, qualis sit diversitas conceptuum quæ facit distinctionem formalem ex natura rei, & quæ facit solam distinctionem rationis, vel virtualem; si enim conceptus singuli sunt adæquati, & diversitas eorum procedit ex natura rei petentis sic concipi, tunc ex tali conceptuum diversitate optime infertur distinctio ex natura rei formalis, si vero conceptus sunt inadæquati, & eorum diversitas non provenit ex natura rei petentis sic concipi, sed potius ex defectu intellectus non potentis unico actu totam perfectionem objecti percipere, vel ex parte medii ordinati ad cognitionem, puta quia species rem repræsentat inadæquate, tunc utique ex tali conceptuum diversitate non licet inferre, nisi solam rationis distinctionem. Ad alteram rationem negatur assumptum, & quando identitas formalis non repugnaret inter divina attributa, adhuc tamen repugnaret in creatis inter gradus Metaphysicos præsertim prædicamentales ad compositionem Metaphysicam ordinatos, ad illas vero instantias constat rursus tum ex nunc dictis, tum ex dictis num. 214. quando liceat ex conceptuum diversitate distinctionem ex natura rei deducere, & quo genere definitionis possit eadem simplicissima formalitas pluribus definitionibus explicari; præterquamquod non desunt, qui ponant in Sole virtutem calefactivam, & exsiccativam formaliter distinctas, & si non realiter, & similiter rationes substantiæ, vitæ, & spiritus in Deo, sed cum hæc sint prædicata Dei quidditativa non autem attributalia, gratis concedi potest non nisi inter se virtualiter distingui, & in unam indivisibilem formalitatem a parte rei coincidere, si enim dicerent diversas realitates a parte rei in Deo existentes, quia se habent ut superius, & inferius, tunc realitas communior esset aliqualiter in potentia ad minus communem, & sic faceremus propriam Metaphysicam in Deo compositionem, quæ ratio, ut patet, non militat de divinis attributis, quæ se habent veluti perfectiones disparatæ, & omnes sunt in ultima actualitate, nec una subordinatur ad aliam, suntque invicem ratione infinitatis perfecte inter se realiter identificatæ, atque ideo facere nequeunt compositionem Metaphysicam.

Octavo arguit Cajet. lib. de ente, & essentia cap. 6. qu. 12. quia hæc distinctio formalis, ut explicatur a Scoto, non solum est realis proprie dicta, verum etiam major illa, quod ita probat, nam illa est major distinctio, quæ fit per intimiora rei, quam illa, quæ fit per minus intima, sed distinctio formalis fit per intimiora magis, quam ipsa distinctio realis, ergo &c. major patet quia distinctio per differentias essentiales major est distinctione per differentias accidentales & magis extrinsecas, probatur minor, quia distinctio formalis est per prædicata essentialia, quæ sunt magis intima rebus, cum conveniant in primo modo dicendi per se, quam realia, quæ conveniunt ratione entitatis, cum qua identificantur plures formalitates, nam illa entitas sumitur in ordine ad existentiam, quæ non est prædicatum quidditativum, & essentiale. Deinde urgent passim alii Thomistæ, quod quando etiam hæc distinctio formalis ex natura rei daretur in creaturis, saltem in divinis admitti non potest inter divina attributa, aut relationes originis, & essentiam, quia tunc sequeretur compositio in Deo, quantum sufficit ad destruendam summam ejus simplicitatem, si non Physica, saltem Metaphysica, probant consequentiam, quia compositio est distinctorum unio; quæ si sint distincta realiter, erit compositio physica per se, vel per accidens, aut saltem per aggregationem; si vero sunt distincta tantum formaliter, compositio erit Metaphysica, qualis est inter animalitatem, & rationalitatem, & humanitatem, & risibilitatem, animam, & suas potentias in nostra sententia. Neque dicas, huic compositioni obstare identitatem realem divinorum attributorum, & relationum cum essentia, & summam omnium actualitatem, ad compositionem vero hæc duo requiri, ut scilicet extrema componentia, vel componibilia realiter distinguantur, & quod unum sit in potentia ad aliud. Falsum enim est, hæc duo obstare compositioni, nam realitates Metaphysicæ compositionem efficiunt non obstante reali earum inter se identitate, & quæ coadunantur adinvicem, tanto minus per se unum efficiunt, quanto magis sunt in ultima actualitate, unde tunc non effi-

efficiunt unum, nisi quasi per aggregationem, unde divina attributa, & relationes, si a parte rei sunt ab essentia distincta, magis conferrent ad unitatem Dei, si se haberent per modum actus, & potentiæ, quam omnia ponendo in ultima actualitate, & hoc est Achilles Thomistarum in hac materia.

232 Resp. negando hanc distinctionem esse majorem distinctione reali, & ad probationem rursus negatur major, quia causa cur una distinctio sit major alia, non ex eo attendi debet, quod sit per magis, vel minus intima, alias distinctio specifica major esset generica, quia illa fit per differentias essentiales magis proprias, & intimas, ista vero per communiores, & remotiores, sed absolute loquendo illa est minor distinctio, quæ non infert aliam, seu quæ est compossibilis cum identitate opposita illi distinctioni, ita passim Formalistæ nostri; quia igitur in proposito distinctio formalis ex natura rei non potest sufficienter inferre distinctionem realem, & compossibilis est cum identitate reali, opposita distinctioni reali, ideo minor distinctio erit; tum quia distinctio realis sumitur ex realitate perfecta, quæ est capax existentiæ independenter ab alia entitate, formalitates vero dicunt entitatem imperfectam in ordine ad capacitatem existentiæ, quæ autem differunt per entitates perfectas, magis distinguuntur, quam quæ per entitates imperfectas; tum quia cum distinctio aliquo pacto unitati opponatur, ut pote quæ super pluralitatem fundatur, illa erit major distinctio, qua res magis ab unitate recedit, illa minor, quæ minus ab ea recedit, minus autem ab unitate recedit distinctio formalis, quam realis, quia cum illa stat unitas realis, cum solum fundetur super pluralitatem realitatum & formalitatum, non autem cum ista, quia fundatur super pluralitatem rerum, atque ideo destruit unitatem realem; alia habet Lichet. 1. d. 8. qu. 3. ad arg. Cajet. sed solurio data est sufficientissima. Ad aliud licet non sit præsentis instituti tueri hanc distinctionem inter divina attributa, & relationes originis ab essentia, sed solum ipsam esse possibilem, & non esse merum Scoti figmentum, ut autumant Thomistæ, tamen occurrere libet, ut argumenti imbecillitas detegatur, quod adeo ex aggerant Adversarii; breviter ergo respondent Scotistæ cum Doct. 1. d. 8. qu. 4. quod licet compositio distinctionem inferat necessario, quia pars ut componens debet esse diversa ab alia comparte, non tamen distinctio infert compositionem, nisi distinctio sit realis, nam distinctio formalis est cum summa simplicitate compossibilis, & ratio est, inquit Doct., quia cum ipsa stat summa identitas realis, & summa, & ultima actualitas eorum, quæ distinguuntur, cum summa autem identitate reali, & summa actualitate non est compositio; nam ad compositionem opus est, ut alterum sit potentia & alterum actus, & quod unum realiter distinguatur ab alio, vel saltem non sit perfecte idem cum ipso, quia nihil est in potentia ad seipsum: unde falsum est, quod in argumento assumebatur, distinctionem scilicet formalem sufficere ad compositionem metaphysicam; non enim ideo realitates generica, & specifica faciunt compositionem metaphysicam, quia abinvicem distinguantur formaliter, sed quia non sunt perfecte idem realiter inter se, cum tantum ratione tertii identificentur, in quo coadunantur; unde cum identitas relationum, & attributorum in divinis cum divina essentia sit perfectissima ratione infinitatis, cujus munus est in ente infinito identificare illi omne realiter identificabile, ut docet Doct. quol. 5. optime, ut dicebatur in responsione allata inter argumentandum, talis summa identitas omnem compositionem excludit, aut componibilitatem, & demum quando dicebatur, quæ coadunantur ad invicem tanto minus per se unum efficere, quanto magis sunt in ultima actualitate, hoc verum est de per se uno unitate unionis, & compositionis, non autem unitate identitatis, & simplicitatis, quo pacto relationes, & attributa in Deo dicuntur facere, & constituere per se unum.

233 Sed contra hanc communem doctrinam Scotistarum, quæ etiam est Scoti loc. cit. adducit Poncius tom. 3. sui Cursus d. 20. n. 57. duas difficultates; Prima est, quod licet ex ea sequeretur, quod unio essentiæ cum attributis, & attributorum inter se non involvat compositionem imperfectam quia utrumque extremum est infinitum, & consequenter imperfectibile, tamen non sequitur quin gradus, aut formalitas entis, ut sic, communis univoce Deo, & creaturis, sit perfectibilis, per differentiam, aut modum, quo contrahitur ad Deum, quia illa formalitas non est infinita, alias quælibet creatura esset infinita, quia quælibet includit illam formalitatem, ergo adhuc remanet compositio imperfecta in Deo. Altera difficultas est, quod licet verum sit, quod omne perfectibile debeat esse limitatum, & finitum, quandoquidem debeat habere ex se negationem illius perfectionis, per quam est perfectibile, & licet sit verum consequenter, quod ens infinitum sit imperfectibile, tamen quandoquidem in nostra sententia ens infinitum v. g. essentia potest recipere perfectionem a se formaliter distinctam, ex hoc capite videtur sequi, quod sit ens finitum, licet ex hypothesi deberet esse infinitum, & ita ex nostra doctrina, sequitur contradictio, nimirum quod sit finitum, & infinitum; probatur sequela, quia optime colligitur animal esse perfectibile per rationalitatem, quia est conjungibile cum rationalitate a se distincta formaliter, & mediante rationalitate potest formaliter aliquid facere, quod per se formaliter non posset facere absque rationalitate, ergo quandoquidem essentia divina potest facere formaliter per misericordiam, & intellectum aliquid, quod nequit facere formaliter absque ipsis, & quandoquidem sit conjungibilis cum illis, seu potius de facto conjungatur cum illis, sequitur quod sit perfectibilis per intellectum, & misericordiam, si hæc distinguantur formaliter ab illa.

Et si dicatur, quod non propterea præcise colligatur animal esse perfectibile per rationalitatem, quod sit conjungibile cum illa, & quod possit per illam facere aliquid, quod non possit facere sine illa; sed quia ulterius non continet virtualiter, nec eminenter rationalitatem, essentia vero divina continet eminenter, & virtualiter perfectiones attributorum, & propterea non est perfectibilis per eas. Contra instat primo, quia aliquid continens virtualiter aliud potest cum illo facere compositionem imperfectam tam physicam, quam Metaphysicam, aqua enim continet virtualiter frigus, & tamen facit cum frigore compositum physicum per accidens; homo continet virtualiter risibilitatem, & tamen facit cum illa compositionem metaphysicam imperfectam, ergo quod essentia contineat virtualiter attributa, non impedit, quo minus faciat cum attributis compositionem; Instat deinde secundo, quia licet hinc sequeretur, quod essentia non faciat compositionem cum attributis; sicut animal facit cum risibilitate, tamen non sequitur, quin gradus, seu formalitas entis faciat compositionem cum modo, seu formalitate contractiva ipsius ad Deum, quia certum est, quod ens, ut sic, non contineat virtualiter illum modum, seu formalitatem illam plus quam animal continet rationalitatem.

Propter has difficultates aliter respondet Poncius ad illud argumentum Thomistarum a compositione deductum, & inquit illam solam formalitatem unionem esse imperfectam, & arguere compositionem, quæ habet dependentiam in esse reali existentiæ a causa extrinseca, unde quandoquidem unio, seu identificatio realis, & entis, ut sic, cum Deo, ac modo, seu formalitate contrahente ipsum ad Deum, & essentiæ divinæ cum attributis, & attributorum inter se non habet talem dependentiam, propterea illa unio, seu identificatio non arguit imperfectionem, nec compositionem, quæ negari debet Deo; nec opponitur simplicitati summæ, quæ tribuenda est Deo; quia vero identificatio animalis cum rationalitate, & hominis cum risibilitate habet dependentiam a causa efficienti extrinseca quantum ad realem existentiam, itaut non possit realiter existere animal rationale, aut homo risibilis absque influxu causæ efficientis, ideo illa unio, ac identificatio est imperfecta compositio, & opponitur simplicitati perfectæ. Et juxta hanc doctrinam ait defendi posse & explicari allatam communem responsionem Scoti, & Scotistarum, dum dicunt illud solum esse perfectibile, & potentiale perfectibilitate, & potentialitate imperfecta, quod est finitum, quia revera solum illud potest habere hujusmodi dependentiam a causa extrinseca in esse realis dependentiæ. Et hinc etiam occurrit ad duas illas difficultates; & ad 1. negat antecedens, quia licet gradus entis non sit infinitus secundum se, tamen ut reperitur in Deo, redditur infinitus, & independens in reali existentia a causa extrinseca propter identitatem, quam habet cum modo, seu formalitate contrahente ipsum ad Deum; Ad aliam negat sequelam, quod scilicet sequatur, essentiam divinam esse perfectibilem, & potentialem, ac consequenter finitam, ad cujus probationem negat antecedens loquendo de perfectibilitate, & potentialitate imperfecta arguente limitationem, ac finitatem, sed ideo colligitur, quia identificatio animalis cum rationalitate habet præterea dependentiam a causa extrinseca quantum ad realem existentiam.

234 Equidem hæc Ponciana speculatio minime necessaria erat pro solutione illius argumenti contra distinctionem attributorum in Deo a divina essentia, neque pro tuenda communi illa doctrina Scotistarum, quæ tam imbecillibus non indiget fulcris, immo falsitas ejus constat ex dictis disp. 2. n. 133. & 134. ubi satis impugnata est, & rursus hic impugnari potest, quia quod aliqua duo invicem identificentur realiter, non habent a causa extrinseca, sed ex suis rationibus formalibus, ergo quod eorum identitas sit ita perfecta, ut excludat compositionem, quæ divinæ simplicitati opponitur, vel non adeo perfecta, ut eam excludat, non oritur ex dependentia, vel independentia a causa efficienti extrinseca, ut ait Poncius, sed vel ex infinitate extremorum, vel ex eorum limitatione, ratione cujus non identificantur nisi in tertio, ut ait Doctor; Conf. quia causa extrinseca efficere nequit, ut dum duo extrema conjungit, faciant talem, vel talem compositionem ad ejus libitum, sed qualis solum ex eis nata est fieri, ut v. g. si conjungit accidens cum subjecto, nequit efficere, ut faciant compositionem per se, sed solum per accidens, qualis nempe ex eis nata est fieri, ergo nec etiam efficere potest, ut duo extrema faciant compositionem absolute sumptam, si compositio ex illis non est nata fieri, atque ideo parum refert ad hoc dependentia, vel independentia ad causam extrinsecam, unde tam bene faceret anima rationalis compositionem per se cum corpore, si posset semetipsam illi unire absque dependentia a causa efficienti extrinseca, perinde ac si illi uniretur dependenter ab ea. Conf. adhuc, quia vel gradus entis natus est facere compositionem cum suo modo ipsum contrahente, vel non; si primum, ergo etiam in Deo faceret compositionem; si non, ergo nec eam faciet in creatura merito dependentiæ a causa extrinseca, quia causa extrinseca quando extrema conjungit, & copulat, ut materiam cum forma, accidens cum subjecto, genus cum differentia, non immutat naturam

ram illorum, & ideo si sunt componibilia, compositionem faciunt, si sunt incomponobilia, quia v. g. sunt in ultima actualitate, minime; frustra ergo recurritur ad dependentiam, vel independentiam a causa extrinseca, ut ostendatur, cur identificatio aliquorum faciat compositionem, vel non faciat, & ideo per hanc doctrinam Poncius nec bene solvit argumentum illud Thomistarum; neque difficultates ab ipsomet adductas in ejus confirmationem.

235 Sistendum igitur est in solutione illa communi Scotistarum quam tradit Doctor expresse 1. distinct. 5. quæst. 2. L. his verbis, qualiter autem stat, quod ratio relationis in re non sit formaliter eadem rationi essentiæ, & tamen in eodem concurrentes non constituunt compositum, vel compositionem, hoc est, quia ista ratio est eadem perfecte illi, propter enim infinitatem unius rationis quicquid potest esse cum ea, est idem perfecte sibi, perfectio enim identitatis excludit omnem compositionem, & quasi compositionem, quæ identitas est propter infinitatem, & tamen infinitas non tollit formaliter rationes, quin hæc formaliter non sit illa; non est igitur ex istis quasi compositum, & ideo nihil est ex eis quasi compositum ex actu, & potentia, sed est unum simplicissimum ex istis, quia una ratio est perfecte, immo perfectissime eadem alteri, & tamen non est formaliter eadem, non enim sequitur, sunt perfecte eadem etiam identitate simplicitatis, ergo sunt formaliter eadem, & eadem perfecta identitas excludit omnem aggregationem, quia idem non aggregatur cum seipso: idem repetit inferius distinct. 8. quæst. 4. ad arg. princ. dicens, in divinis autem est vera prædicatio per identitatem in abstracto, & tamen non est formalis, ratio hujus differentiæ est, quia concipiendo abstractum ultimata abstractione concipitur quidditas absque habitudine ad quodcunque, quod est extra propriam rationem quidditativam, sic igitur concipiendo extrema nulla erit veritas uniendo ea, nisi præcise quidditas unius extremi sit eadem quidditati alterius extremi, hoc autem non contingit in creaturis, quia ibi abstrahendo illas realitates, quæ sunt in eodem, puta realitatem generis, & differentiæ, & considerando eas præcisissime, utraque est finita, & neutra est perfecte eadem alteri, non enim sunt modo eadem inter se, nisi propter tertium, cui sunt eadem, & ideo si abstrahantur a tertio, non remanet causa identitatis eorum, & ideo nec causa veritatis propositionis unientis extrema illa; hæc igitur est falsa, animalitas est rationalitas, & e converso, & hoc quacunque prædicatione, quia non tantum extrema non sunt formaliter eadem, nec vere eadem, quidditas enim hæc præcise est potentialis ad quidditatem illam, & non est eadem illi, nisi propter identitatem ad tertium, a quo abstrahuntur, ergo abstractio illa tollit causam veritatis affirmativæ unientis ea; oppositum est in Deo, quia abstrahendo sapientiam a quocunque, quod est extra rationem sapientiæ, & bonitatem similiter abstrahendo a quocunque quod est extra ejus rationem formaliter, remanet utraque quidditas præcise sumpta formaliter infinita, & ex quo infinitas est ratio identitatis eorum facta tali abstractione præcisissima remanet ratio identitatis extremorum, non enim hæc erant eadem præcise propter identitatem eorum ad tertium a quo abstrahuntur, sed propter infinitatem formalem utriusque, ita Doctor loc. cit. & alibi frequenter.

Ex qua quidem Scoti doctrina bene intellecta, nedum adamussim solvitur argumentum Thomistarum ex compositione deductum contra distinctionem formalem attributorum ab essentia, sed etiam duæ illæ difficultates, quas Poncius urget num. 233. contra communem Scotistarum solutionem, prima quidem difficultas facillime solvitur ex dictis disp. 2. qu. 5. art. 2. præsertim in sol. ad 4. ubi dictum est gradum entis nec in Deo, nec in creatura proprie facere compositionem, quia nullam dicit realitatem potentialem vere contrahibilem per differentias, sed purum conceptum inadæquatum per modos contrahibilem a posteriori, ut ibi explicatum est, unde ad summum facere nequit, nisi compositionem rationis cum fundamento in re, quam difficultatem Poncius evitare non potest, quia vult conceptum entis propriam realitatem perseferre potentialem per aliam realitatem contrahibilem, atque ideo cum ipsa ex natura rei componibilem, ut loc. cit. ostensum est; Neque responsio, quam affert ad hanc difficultatem, sufficit, dum ait ens non facere compositionem in Deo, quia licet iste gradus non sit infinitus secundum se, tamen ut reperitur in Deo, redditur infinitus, & independens in reali existentia a causa extrinseca propter identitatem, quam habet cum modo, seu formalitate contrahente ipsum ad Deum: non inquam, sufficit, quia nec modus, nec differentia addita variat naturam realitatis, cui advenit, unde si illa de se est communis, potentialis, & componibilis, talis intrinsece remanet ubicumque ponatur & semper habebit rationem partis per modum determinabilis, ut d. 2. dicebamus a n. 74. & 131. tum quia Poncius in hac solutione non sibi constat, quia paulo supra dixerat reiiciendo communem Scotistarum doctrinam infinitatem non sufficere ad perfecte identificandas realiter formalitates in Deo repertas, quantum sufficit ad tollendam compositionem, sed requiri independentiam a causa extrinseca in reali existentia, & ab hac præsertim oriri perfectam identitatem realem plurium formalitatum in Deo; in hac autem solutione ad infinitatem ipse quoque recurrit simul cum independentia, & non amplius inquit talem perfectam identitatem oriri ab infinitate, aut independentia in reali exsistentia a causa extrinseca, immo contrarium affirmat scilicet, infinitatem, & independentiam entis in Deo provenire ab identitate, quam habet cum modo, seu formalitate contrahente ipsum ad Deum.

236 Neque etiam recte respondet ad 2. difficultatem, qua probatur attributa facere compositionem cum essentia divina, quia illa recipit, tanquam perfectiones a se formaliter distinctas, sicut animal facit compositionem cum rationali, quia recipit illam differentiam, ut perfectionem a se formaliter distinctam, non, inquam, recte respondet, dum inquit, ideo animalitatem facere compositionem cum rationalitate, quia identificatio animalitatis cum ea fit cum dependentia a causa extrinseca, quantum ad realem existentiam, non sic identificatio divinæ essentiæ cum attributis; quia, ut dictum est talis dependentia vel independentia omnino materialiter se habet quantum ad hunc effectum identificandi perfecte, vel imperfecte plures formalitates adinvicem, sed ratio præcisa, cur animalitas cum rationalitate compositionem faciat, non sic essentia cum attributis, est, quam Doctor assignat loco citato, quia genus, & differentia identificantur solum ratione tertii, in quo uniuntur; a quo si abstrahantur, non amplius habent sufficientem causam identitatis, unde quia eorum identitas realis est imperfecta, & veluti ab extrinseco emendicata, hinc est quod compositionem faciunt Metaphysicam per modum actus, & potentiæ Metaphysicæ; at essentia, & attributa identificantur realiter ob infinitatem, atque ideo eorum identitas perfectissima est, unde consequenter nullum locum compositioni relinquit etiam Metaphysice, & omnem aggregationem excludit, quia nihil est in potentia ad seipsum, nec idem aggregatur cum seipso. Ubi etiam nota instantiam, quam adducit hic Auctor n. 58. veluti tacitam Scotistarum responsionem ad 2. difficultatem, nec bene nec fideliter adduci, dum inquit pro ipsis, quod animal non ideo præcise facit compositionem cum rationalitate, quia sit utcunque perfectibile per eam, sed quia ulterius non continet virtualiter, nec eminenter rationalitatem, essentia vero divina continet eminenter, & virtualiter perfectiones attributorum, & propterea non est perfectibilis per illas, quam solutionem ipse postea confutat. Neque enim Scotus, neque Scotistæ dicunt hac de causa essentiam non facere compositionem cum attributis, quia illa virtualiter contineat, & eminenter, quia perfectiones simpliciter, quales sunt attributales, formaliter in summo ente continentur, non virtualiter solum, vel eminenter, hic enim modus continentiæ scilicet virtualis & eminentialis convenit solum perfectionibus secundum quid, hoc enim modo dicimus perfectiones creaturarum in Deo reperiri, virtualiter nimirum, ac eminenter; sed ratio, quam Scotus, & Scotistæ adducunt, cur essentia non faciat compositionem cum attributis, est perfectissima identitas cum eis, ut patet 1. d. 5. q. 2. L. & 8. q. 4. ad 1. & per consequens continentia identica, & unitiva, non autem virtualis, ac eminentialis, quæ sunt continentiæ alterius, & alterius rationis.

237 Addit Doctor 1. d. 8. qu. 4. X. quod quamvis divina essentia dicatur quodammodo perfici, & perfectibilis ab attributis in esse secundario, hæc tamen perfectibilitas non dicit potentialitatem in ipsa, quia non est perfectibilis, veluti per informationem, sed per identitatem; unde notat, quod forma in creaturis habet aliquid imperfectionis, scilicet quia est forma informans aliquid, & pars compositi, aliquid etiam habet, quod non est imperfectionis, sed consequitur eam secundum suam rationem essentialem, sive formalem, scilicet quod ipsa fit, quo aliquid est tale, exemplum, sapientia in nobis est accidens, hoc est imperfectionis, sed quod ipsa fit, quod aliquid est sapiens, hoc non est imperfectionis, sed essentialis rationis sapientiæ; in divinis autem nihil est forma secundum illam duplicem rationem imperfectionis, quia nec informans, nec pars, est tamen ibi sapientia, in quantum est, quod illud, in quo ipsa est, est sapiens, & hoc non per aliquam compositionem sapientiæ ad aliquid quasi subjectum; nec quod sapientia illa sit pars alicujus compositi, sed per veram identitatem, qua sapientia propter sui infinitatem perfectam perfecte est idem cuilibet, cum quo nata est esse; ita Doctor loc. cit. Sed obiicies, quomodo aliquid est formaliter sapiens sapientia, si sapientia non est forma ejus? Respondet Doctor ibidem quod corpus est animatum, quasi denominative, quia anima est forma ejus, homo dicitur animatus non denominative, sed essentialiter; quia anima est pars ejus, & aliquid ejus; non igitur requiritur aliquid esse formam informantem aliquid, ut ipsum sit tale per ipsum, quia forma non est forma informans totum, quod tamen dicitur formaliter tale per ipsam; si igitur verori identitate esset aliqua forma idem alicui, quam sit identitas ejus ad informatum, vel totum, cujus est pars, sufficeret, inquit Doctor, illa identitas ad hoc, quod illud tali forma esset tale, & ita est in proposito; ex quibus verbis Doctoris patet essentiam divinam perfici per attributa absque interventu alicujus potentialitatis, vel imperfectionis, quia non perficitur, nec denominatur ab eis per informationem, sed per perfectissimam identitatem, quæ tollit omnem compositionem, & componibilitatem.

Denique Bonet. lib. 1. Theol. naturalis cap. 1. bene ostendit a priori, cur in Deo nequeat esse compositio, quia (inquit) prima radix componibilitatis est ratio partis, quoniam nihil potest componi cum aliquo, nisi habeat rationem partis respectu totius resultantis ex illa parte, & alia comparte; radix autem, quod aliquid habeat rationem partis, dependet ex hoc, quod sit finitum; quia nullum infinitum potest habere rationem partis, cum omne totum sit majus sua parte, nihil autem est majus infinito; quia ergo quidquid positivum est in Deo, est infinitum, vel saltem non est finitum, ideo nihil est ibi habens rationem partis, nec consequenter ullam compositionem facere potest. Ex quo patet, rationem propriam, & præcisam componibilitatis, vel incomponibilitatis non ex dependentia, vel independentia, sed ex finitate, & infinitate peti debere, ut omnes Scotistæ docent cum Scoto 1. distinctione octava, quæstione prima, & quol. 5. Alia argumenta contra hanc distinctionem ex natura rei mediam urget Pasqualig. tom. 2. Metaphysic. disputatione sexta, sectione secunda, quæ jam adducta sunt, ac soluta disputatione prima Logica quæstione quinta, articulo secundo, in declaratione distinctionis formalis §. *secundo obiicitur*, & adhuc alia quædam argumentula levioris armaturæ videri possunt apud Formalist. ad initium Formal.

QUÆSTIO XII.

De natura Identitatis, & Distinctionis virtualis, ejusque utilitate.

238 HÆC est illa distinctio adeo celebris, & famigerata apud Thomistas, non minus quam distinctio formalis actualis apud Scotistas, circa cujus explicationem non multum insudabimus, quia eodem fere modo ab omnibus explicatur. Illa igitur dicitur distinctio virtualis, quæ inter plures ejusdem rei perfectiones versatur, non tamen actualiter a parte rei, quasi antecedenter ad omne opus intellectus in esse distinctionis sit completa, sed tantum fundamentaliter, quatenus res eadem intellectui objecta præstat ei occasionem ob ejus eminentiam, ac illimitationem quandam distinguendi in ipsa plures perfectiones, per plures conceptus inadæquatos, qua de causa talis distinctio in esse distinctionis dici nequit ex natura rei actualis, & completa, sed tantum virtualis, & inchoata, quæ inde compleri petit per intellectum inadæquate concipientem, qua ratione solet etiam alio nomine vocari distinctio rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in re. Unde hæc distinctio non ex eo attendi debet, quod in re ante opus intellectus pluralitas realitatum, vel formalitatum reperiatur, quarum una non est alia; quia ex tali diversitate distinctio ex natura rei formalis actualis fumitur, ut declaratum est quæstione præcedenti sed ex eo attendi debet, quia res a parte rei ita eminenter se habet, ut possit diversos conceptus inadæquatos terminare, & quia res ob sui illimitatam perfectionem ita eminenter, ac virtute se habet, ac si formaliter plures res, vel realitates contineret, ideoque appellari solet distinctio ex natura rei, non quidem formalis actualis, sed eminentialis, & virtualis propter fundamentum immediatum repertum in re in ordine ad diversos conceptus causandos in intellectu inadæquate concipiente: sic exempli gr. dici solet virtutem calefactivam, & exsiccativam in Sole ex natura rei virtualiter distingui, quia hujusmodi virtutes non actu continentur in Sole secundum suum esse formale, sed virtualiter tantum, & eminentialiter, quatenus Sol per unicam, & simplicissimam virtutem eminentioris ordinis æquivalet illis duabus, ex qua eminentia occasionem sumit intellectus distinguendi ex natura rei actualiter has virtutes in Sole, sicut distinguuntur in his inferioribus, cum tamen a parte rei unica sit, ac simplicissima virtus, licet eminentioris ordinis; ita distinctionem hanc virtualem explicant passim Thomistæ cum Cajetan. 1. part. quæst. 39. articulo primo, §. *ad evidentiam*, & in lib. de ente, & essentia.

Et quidem distinctionem virtualem in hoc sensu explicatam, nedum Thomistæ, sed etiam Scotus ipse agnovit, ejusque conceptum, tamquam possibilem admisit; tale namque nomen distinctionis virtualis memorat 1. d. 2. quæst. 7. §. *sed hic restat*, aitque, talem distinctionem poni posse inter relationes originis, ac divinam essentiam, licet postea subdat, hanc non sufficere ad componenda contradictoria, quæ de illis enunciari solent a parte rei citra quamcumque intellectus operationem, ut quod essentia communicatur, relatio non communicatur &c. Deinde prima distinctione octava, quæstione quarta, §. *ad quæstionem*, assignat notionem, & conditionem talis distinctionis virtualis, ut enim declararet qualis distinctio ponenda sit inter divina attributa, inquit, *non est tantum differentia rationis, hoc est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, talis enim distinctio est inter sapiens, & sapientiam; nec est ibi tantum distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argutum est prius, illa numquam est in cognitione intuitiva, est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo*, tres itaque gradus distinctionis hic assignat, qui cogitari possent versari inter divina attributa, primus gradus est rationis ratiocinantis, qui non attenditur penes diversos conceptus objectivos, sed penes diversum modum concipiendi idem objectum formale, sive grammatice, ut homo hominis, sive Logice, ut homo, & humanitas, sapiens, & sapientia per modum abstracti, & concreti; secundus gradus est distinctionis virtualis, sive rationis ratiocinatæ, ut alii loquuntur, quæ cum ab intellectu completur in esse distinctionis prævio in re fundamento, quia ex conceptibus intellectus inadæquatis resultant diversi conceptus objectivi, non quidem in esse rei, vel realitatis, sed in esse objecti, & repræsentati, ideo ait esse diversorum objectorum formalium in intellectu; tertius tandem gradus est distinctionis formalis ex natura rei, quam declaravimus quæst. præced. & Doctor ibi statuit inter divina attributa; unde falsum est, quod quidam Scotizantes ajunt, Doctorem non agnovisse hujusmodi distinctionis genus, ut a cæteris condistinctum, & omnem distinctionem cum fundamento in re posuisse actualem, & completam citra intellectus opem, falsum id, inquam, est, quia loc. cit. diserte fecernit tres illos gradus distinctionum, & secundum gradum, qui erat distinctionis virtualis, declarat ut a cæteris condistinctum, & ponentem in numerum, unde in hoc mihi bene Scotizare videntur Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 6. art. ultim. & Posnan. 1. d. 8. q. 4. disp. 1. conclus. 4. qui de mente Scoti distinctionem hanc virtualem distinguunt a formali actuali. Sed de hoc sermo redibit inferius, cum de distinctione agemus rationis ratiocinatæ paulo infra q. 15. art. 1. n. 272.

239 Hanc quoque discretionem distinctionis virtualis a formali suadet manifesta ratio, quia distinctio formalis fundatur, & radicatur supra pluralitatem realitatum in eadem re physica, non virtute tantum, aut eminentialiter, sed actualiter existentium, & ideo dicitur distinctio formalis actualis, distinctio vero virtualis fundatur super pluralitatem rerum, vel realitatum in una re supereminenti, ac aliqualiter illimitata contentarum, non quidem, ut actu plures, sed virtute tantum, quatenus eadem simplicissima forma æquivalet pluribus rebus, vel realitatibus, & se sola præstat ea munera, quæ præstare solent illæ res, vel realitates abinvicem ex natura rei actualiter diversæ, qua de causa dicitur distinctio virtualis, & eminentialis, non autem formalis, & actualis, ergo re vera distinctiones istæ non coincidunt, sed sunt diversæ rationis, & conditionis. Conf. & adhuc magis ostenditur possibilitas distinctionis virtualis; ejusque discretio a distinctione formali actuali, nam quando res est eminentior, & superioris ordinis, plures in se coadunat perfectiones, & simpliciori modo, quam in inferioribus reperiantur, dupliciter autem possunt perfectiones in inferioribus disperse, atque realiter diverse in re superioris ordinis coadunari, primo quidem possunt coadunari realiter solum, & tunc est, quando in re superiori ita adunantur, ut adhuc in ea contineantur secundum suas proprias rationes, seu formalitates, unde licet ob illius rei illimitationem transeant perfectiones in ea contentæ in eandem rem, non tamen in eandem formalitatem, & sic dicuntur in ea contineri formaliter actualiter, & non virtualiter, aut eminentialiter tantum, ita dicimus contineri in Deo perfectiones attributales, justitiam, misericordiam, &c. ubi enim sunt in creaturis perfectiones accidentariæ inter se realiter diverse, in Deo ob ejus infinitatem realiter adunantur, & quia important singulæ perfectionom simpliciter, extant in eo formaliter, & non virtualiter tantum, & ideo juxta proprias formalitates fundant adinvicem distinctionem formalem actualem, alio modo possunt perfectiones in inferioribus diversæ ita coadunari in re superiori, ut virtualiter tantum, & eminenter in ea contineantur, vel secundum entitatem, vel saltem secundum pluralitatem, unde nec tanquam res diversæ, aut saltem diversæ formalitates in ea extant, ideo nec fundare possunt ad invicem distinctionem realem, nec formalem; sed tantum distinctionem virtualem huic, vel illi æquivalentem, ita in vulgari, & consueto exemplo a Thomistis adducto contineri in Sole dicuntur virtus calefactiva, & exsiccativa ubi, enim istæ virtutes in igne qualitates important inter se diversas, ac realiter distinctas, calorem nempe, & siccitatem, in Sole coadunantur omnino, & in eo contineri dicuntur virtualiter solum, & eminenter, caliditas enim, & siccitas in luce sunt ipsa lux omnibus modis, unde non nisi virtualiter inter se distingui possunt, quod si caliditas, & siccitas in luce continerentur formaliter, seu secundum proprias rationes formales, sine dubio essent distinctæ non tantum virtualiter, sed etiam formaliter actualiter. Quando igitur intellectus distinguit in luce solari caliditatem, & siccitatem manifestando illas diversis conceptibus, lucem ipsam inadæquate concipiendo, tunc illas distinguit in esse objecti, cum tamen in esse rei, ac realitatis distincta non sint, sed unum. Unde ex duplici capite constat discretio distinctionis virtualis a formali actuali, primo ex parte fundamenti, quia fundamentum distinctionis virtualis est eminentia rei virtualiter continens plures perfectiones in inferioribus disperšas, fundamentum autem distinctionis formalis est pluralitas realitatum in eadem re physica actualiter imbibitarum, deinde ex parte intellectus, quia distinctio formalis antevertit omne opus intellectus, nec intellectus circa illam versatur, nisi adæquate concipiendo ejus extrema, quia singula per conceptus adæquatos exprimuntur, at distinctio virtualis completur per intellectum, & hunc quidem rem inadæquate concipientem, ac veluti in plura conceptibiliter dividentem eandem rem realiter, & formaliter.

340 Ex dictis infertur, hanc distinctionem virtualem non esse veram, ac propriam distinctionem, quod quidem satis evidenti convincitur ratione, rem enim virtualiter, aut eminenter esse aliquid, non est formaliter esse tale, sed virtute continere proprietates alterius, itaut eadem possit obire munera, proinde ac si esset formaliter tale; sic dicimus Solem esse virtualiter, & eminenter ignem, vel aliam causam particularem, quia eosdem effectus producere potest unus, ac idem Sol, quos diversæ causæ particulares efficere possunt, & in hoc sensu dicimus sensum internum esse virtua-

tualiter, ac eminenter omnes externos, quia unus, & idem sensus internus attingit quæcumque objecta attinguntur a diversis externis. Sic igitur in proposito distinctio virtuali non potest dici proprie distinctio, nec virtualiter tantum distincta dici possunt absolute distincta ex natura rei, sed tantum æquivalenter, idest ita se habere virtualiter, ac si forent distincta, forent formaliter, sicut Sol, qui est virtualiter ignis, non est simpliciter, & sine addito ignis, sed virtualiter tantum, & eminenter: itaque juxta allegatam distinctionis virtualis notionem illa extrema dicentur virtualiter tantum distincta, quæ in re nullam prorsus habent actualem distinctionem, sed sunt omnino idem ex natura rei, præstant tamen idem, quod præstarent si ex natura rei distincta forent. Ex quo rursus constat hoc genus distinctionis confundendum non esse cum distinctione formali ex natura rei; quia hæc est distinctio actualis, omnemque intellectus operationem antevertens, ac proinde in ordine suo dici potest vera, & propria distinctio, non sic autem distinctio virtualis. Ac denique constat duplicem posse assignari modum distinctionis virtualis, ut dicam infra in fine quæstionis.

Major extat difficultas circa utilitatem hujus distinctionis virtualis, Thomistæ namque passim adeo illam extollunt, ut ea mediante præsumant, nedum præcipuas solvere difficultates contingentes circa distinctionem graduum Metaphysicorum, sed declarare quoque ipsius mysterii Trinitatis arcana, unde in creatis dicunt dari hanc distinctionem virtualem inter animalitatem, & rationalitatem æquivalentem reali, quatenus etiamsi a parte rei sint omnino idem, una tamen potest terminare cognitionem, altera vero non, quod est æquivalere duabus rebus distinctis; sic pariter in divinis, licet divina essentia sit idem realiter cum paternitate, tamen essentiæ convenit communicari tribus personis, non vero paternitati ratione ejusdem distinctionis virtualis, quæ inter ea versatur, quia ex vi hujus essentia, & paternitas cum summa identitate reali, & absque ulla distinctione formali, habent in ordine ad hoc, quod est communicari, & non communicari eandem capacitatem, quam in ordine ad hæc contradictoria haberent, si in re realiter distincta forent; unde sicut posita distinctione reali inter essentiam, & relationes, vel saltem formali Scotica, absque ulla contradictione posset essentia communicari, & paternitas non communicari, sic negata prorsus omni tali distinctione in re in divinis, ratione tantum hujus distinctionis virtualis potest essentia communicari, & paternitas non communicari in divinis; potest animalitas in homine per intellectum attingi, & non rationalitas, quamvis sint idem realiter a parte rei non secus ac si a parte rei realiter distinguerentur, ad eum modum, quo causa potens producere plures effectus dicitur virtualiter multiplex, quia ipsa sola potest efficere, quæ plures illæ causæ, & singulis æquivalet.

241 At Recentiores Societatis Patres e contra tantam utilitatem hujus distinctionis negant, unde Arriag. disputat. 5. Logica sec. 2. negat in creatis hanc distinctionem utilem esse ad componenda illa contradictoria quæ dicebant Thomistæ, puta ratione ipsius posse ab intellectu in homine præscindi animalitatem a rationalitate, & cognosci ista non cognita, quia non minus contradictorie opponuntur cognosci, & non cognosci, respondere, & non respondere ex parte objecti, quam existere, & non existere, produci, & non produci, sed repugnat animalitatem hominis existere, & non existere ejus rationalitatem, item produci animalitatem, & non produci rationalitatem, quantumvis virtualiter distingnantur, ergo etiam implicabit cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem, si eandem prorsus rem, & formalitatem important a parte rei, quod argumentum late prosequitur Arriag. loc. cit. subsec. 2. Hanc tamen distinctionem concedit esse utilem in divinis ad hæc, & similia contradictoria componenda, non quidem ex vi ipsius distinctionis, ut sic, nam tunc eandem quoque utilitatem in creatis obtineret, sed ratione infinitatis, nam plura Deo convenire possunt propter summam ejus infinitatem, quæ repugnat creaturæ propter ejus limitationem; Deo enim convenit intelligere per suam substantiam sine actu distincto, quod creaturæ repugnat, Deo repugnat moveri, mutari, & similia, quæ non repugnant creaturis. Ex hoc ergo quod hæc distinctio juvet ad declarandum arcanum Trinitatis mysterium, & componenda contradictoria de divina essentia, & relationibus pronunciata, judicandum non est eandem habere virtutem in creatis ob rationem allatam, quia non ex vi talis distinctionis præcise ea contradictoria componuntur in divinis; sed quia talis distinctio reperitur in re infinita, talis autem distinctio augeri videtur, quanto magis augetur rei illimitatio, quia talis distinctionis fundamentum, ut diximus, est ipsa illimitatio, & eminentia. Tum quia si ex divinis liceret argumentari ad creata, etiam posset inferri animalitatem posse produci, quin producatur rationalitas, quia in divinis hæc duo prædicata prodnci, & non produci conveniunt uni entitati indivisibili Filii, nam producitur secundum filiationem, & non secundum essentiam divinam. Immo etiam posset inferri, res omnes creatas esse idem realiter inter se, & virtualiter solum distinctas, & quando una illarum perit, altera producitur, una movetur, altera quiescit, id fieri secundum diversas formalitates ejusdem entitatis, quia tam prædicata contradictoria sunt cognosci, & non cognosci, quam produci, & non produci, moveri, & non moveri, & similia; ita discurrit Arriag. loc. cit.

Ovvied. autem controv. 4. Metap. punct. 4. ulterius pergit, & asserit hanc distinctionem virtualem esse prorsus inutilem, nedum in creatis, sed etiam in divinis ad componenda contradictoria, quæ de essentia, & relationibus pronunciari solent; inutilitatem ejus in creatis ostendit eisdem fere rationibus, quibus utitur Arriag. in divinis vero ex capite ostendit, quia eisdem omnino argumentis impugnari potest distinctio virtualis, quibus impugnari solet mysterium Trinitatis, & æque difficilis captu est ipsa distinctio virtualis pro eis contradictoriis componendis, ac sit ipsa Trinitas, unde talis distinctio nullam prorsus potest afferre lucem ad illud mysterium explicandum, quod ita suadet; Distinctio virtualis in Deo importat æquivalere Deum in ordine ad hæc prædicata communicari, & non communicari, duplici entitati distinctæ, quod formaliter dicit posse habere in se summe simplici hæc duo prædicata communicari, & non communicari, produci & non produci; communicari ratione essentiæ, non communicari ratione relationis identificatæ cum essentia; produci ratione filiationis, non produci ratione essentiæ identificatæ cum filiatione, quæ in quacumque alia entitate simplici dicerent contradictionem; ergo distinctio virtualis dicit posse Deo convenire hos conceptus communicari, & non communicari, qui ex se sunt contradictorii, in quo est tota mysterii difficultas, eadem omnino in hac distinctione virtuali, ac in ipso mysterio. Confirm. quia dari hanc distinctionem virtualem in Deo est Deum esse talis naturæ, ut ipsi eidem omnino simplici possunt convenire hi duo conceptus communicari, & non communicari, sed hi duo conceptus sunt contradictorii, ergo dari hanc virtualem distinctionem in Deo dicit Deum esse talis naturæ, ut ipsi possint convenire duo conceptus contradictorii, quod horret Metaphysica, & naturæ lumen.

242 Media via a nobis capienda est, dicendo, hanc distinctionem virtualem non habere tantam utilitatem, ut præsumunt Thomistæ, nec adeo inutilem esse, ut contendunt Recentiores citati, sed esse suo modo utilem tum in creatis, tum in divinis modo nunc explicando. Et quidem non tantam esse utilitatem illius distinctionis, quantam jactant Thomistæ, ut nimirum ratione ipsius componi possint contradictoria explicata ex natura rei verificata citra quodcumque opus intellectus tam in creatis, quam in divinis, puta verbi gratia essentiam in divinis communicari, non vero filiationem, hominem ratione animalitatis convenire cum brutis, non autem per rationalitatem, & similia; non, inquam, sufficere hanc distinctionem ad hæc contradictoria componenda constat ex disputatione prima Logica quæstione quinta, articulo secundo, §. *altera quoque solutio*, & disputatione nona Logica quæstione prima, articulo secundo, & supra in hac disputatione numero 216. ubi ostenditur, distinctionem solam virtualem non sufficere, ut duo contradictoria a parte rei verificari possint, & quia qualis est contradictio, talem etiam distinctionem ex ipsa inferimus; si est contradictio rationis, solam infert quoque rationis distinctionem, si est contradictio realis, & actu a parte rei verificata, infert pariter distinctionem ex natura rei actualem, & non tantum virtualem inter extrema de quibus verificatur. Tum quia contradictoria a parte rei enunciantur de illis, quæ habent esse distinctum, & plurificatum a parte rei, quia de uno, & eodem, ac secundum idem contradictoria verificari minime possunt, sed distincta virtualiter nequeunt proprie dici distincta a parte rei, sed ita se habent, ac si essent distincta, re tamen vera sunt omnino idem tam realiter, quam formaliter, quia distinctio virtualis non est proprie, & formaliter distinctio, sed tantum æquivalenter, ut dictum est in ejus explicatione, ergo contradictoria a parte rei de virtualiter tantum distinctis, & plurificatis verificari actu non possunt, quia contradictio inventa in re supponit extrema, de quibus enunciatur plurificata realiter, vel saltem formaliter juxta conditionem contradictionis enunciatæ.

Dices distinctionem virtualem æquivalere distinctioni reali, & actuali ex natura rei, quatenus eadem simplicissima entitas æquivalet pluribus rebus, vel formalitatibus inter se ex natura rei distinctis ob sui eminentiam, atque ideo talem distinctionem fundare potest, qualem fundant plures illæ res, vel formalitates, itemque talia de illa eadem re possunt enunciari contradictoria, qualia verificari possunt de illis pluribus rebus, seu formalitatibus, quibus æquivalet, ad eum modum, quo causa potens producere plures effectus dicitur æquivalere pluribus causis, quia se sola potest efficere, quæ plures causæ. Contra quia, hinc evidenter constant abusus distinctionis virtualis, si enim ob talem æquivalentiam sufficit ad componenda quæcumque contradictoria, poterit affirmare proterves eandem animam esse corpori unitam, & non unitam, posse destrui hominem, quatenus animal, & non quatenus rationale, posse me existere Romæ, quatenus animal, & non ibi existere, sed alibi quatenus rationale, & alia innumera absurda, quæ omnia salvabit merito distinctionis virtualis; & sic non tantum salvabitur hujus distinctionis ope posse animal cognosci non cognita rationalitate, ut ajebant Thomistæ, sed etiam existere animalitatem hominis non existente ejus rationalitate, item destrui posse ejus animalitatem non destructa rationalitate, ut contra ipsos urgebant Recentiores præcitati, quæ quidem consequentia tenet contra Thomistas, non quia illa prædicata cognosci, & non cognosci, eodem modo contradicant, ut ista existere, & non existere, produci, & non produci, ut dicebant Arriag. & Ovvied. hoc enim est prorsus falsum, ut postea dicam; sed ex eo capite tenet, quia juxta Thomistarum explicationem, & solutionem allatam hæc virtualis distinctio adeo ampla est, ut omnino æquivaleat distinctioni reali, & fundare possit talem contradictionem, qualem fundare possunt extrema realiter, ac entitative distincta; unde quia de distinctis realiter verificari possunt prædicata illa contradictoria existere, & non existere, produci, & non produci, hinc recte inferri potest posse pariter verificari de extremis tantum virtualiter distinctis, ut sunt animal, & rationale, quia hæc distinctio omnino æquivalet distinctioni reali, & adamussim præstat quemcumque potest præstare distinctio realis. Neque ita sentiendo de distinctione virtuali possunt Thomist. ullo pacto hanc paritatem evadere de prædicatis contradictoriis, dicendo quædam concernere existentiam physicam rei, ut produci, & non produci, destrui, & non destrui, quædam vero spectare tantum ad esse intentionale rei, ut esse cognitum, & non esse cognitum, & hujus generis contradictoria tantum componi posse beneficio virtualis distinctionis, non autem contradictoria primi generis. Non, inquam, Thomistis talis responsio suffragari potest, quia si juxta eorum doctrinam distinctio virtualis æquivalet omnino distinctioni reali, & ea omnia potest ad unguem præstare, quæ ipsa distinctio realis, nulla potest afferri ratio, cur possit componere contradictoria secundi generis tantum, & non primi; atque ideo optime contra ipsos tenet illa consequentia ad hominem, quod si sola distinctio virtualis sufficit, ut homo cognoscatur conveniens cum bruto per animalitatem, non vero per rationalitatem, sic idem sufficiens erit, ut dicatur produci secundum animalitatem, non vero rationalitatem.

243 Ne igitur abutamur distinctione virtuali, utque pateat quantum valeat, & quæ contradictoria componere possit, & quomodo, advertendum est duplex esse contradictionis genus, unam formaliter, & actualiter veram a parte rei citra quodcumque opus intellectus, aliam virtualiter solum, & fundamentaliter; exemplum primæ, ut cum dicimus hominem actu a parte rei convenire cum bove in animalitate, & per rationalitatem actu a parte rei ab ipso differre; exemplum alterius contradictionis est, cum dicimus in sole v. g. idem esse principium proximum calefaciendi, & exsiccandi, & non esse idem, hæc namque contradictio non verificatur a parte rei actualiter de Sole, quia a parte rei in ipso idem est principium utriusque, sed tantum virtualiter, & fundamentaliter, quatenus unica illa virtus duplici virtuti æquivalet; cum igitur distinctio, & contradictio sint invicem commensurata, ut qualis est contradictio, talis sit quoque distinctio, quam infert, & e contra, sane virtualis distinctio non quamcumque contradictionem componere valebit, sed tantum contradictionem ei proportionatam, nempe contradictionem secundi generis, virtualem scilicet, & fundamentalem, non autem realem actualem; ideoque Thomistæ prorsus abutuntur distinctione virtuali, dum illam inducunt ad componendam quamcumque contradictionem, tam actualem, quam virtualem, quia revera non nisi istam componere valet. Hinc Doctor 1. d. 2. qu. 7. §. *Sed hic restat*, eruditissime dixit ad componenda illa contradictoria de essentia divina, & relationibus originis communicari, & non communicari, &c. non sufficere virtualem distinctionem inter illa, sed requiri majorem, & talem, quæ antevertat omne opus intellectus, sicut & ante omne opus intellectus actu verificantur contradictoria illa de essentia, & relationibus, atque ideo dixit necessariam esse inter illa ad componenda istæc contradictoria distinctionem formalem ex natura rei actualem majorem distinctione virtuali, & rationis, minorem vero distinctione simpliciter reali, quæ est inter rem, & rem; merito cujus distinctionis etiam absque contradictione poterit ab intellectu cognosci animalitas hominis, non intellecta ejus rationalitate, vel e contra, itemque homo actu a parte rei cum bruto in animalitate convenire, non vero in rationalitate. Neque ex hoc contra nos urgere valebunt Recentiores illam suam paritatem, quod eodem pacto verificari poterit merito distinctionis formalis posse animalitatem hominis existere, & non existere ejus rationalitatem, item produci animalitatem, & non rationalitatem quemadmodum urgebant contra Thomistas ponentes etiam distinctionem virtualem. Non, inquam, contra nos urget illa instantia, tum quia nos non dicimus distinctionem ex natura rei formalem æquivalere prorsus distinctioni reali, atque ideo componere posse omnia contradictoria, quæ componere valet distinctio realis, aut realis, ut Thomistæ dicebant de distinctione virtuali; tum quia absolute loquendo contradictoria illa cognosci, & non cognosci, convenire, & non convenire, differre, & non differre, non sunt ejusdem rationis cum illis existere, & non existere, produci, & non produci, destrui, & non destrui, licet enim æque repugnent, quoad veritatem, non tamen quoad distinctionem inferendam, siquidem hæc contradictoria secundi ordinis pertinent ad esse existentiale, ac entitativum rei, atque ideo inferunt distinctionem realem inter extrema de quibus verificantur, ac contradictoria primi ordinis non semper tantam inferunt distinctionem, quia interdum verificari possunt præcise ratione diversarum formalitatum ejusdem rei, ut declaratum est supra n. 227.

244 Cum autem dicebant Thomistæ distinctionem virtualem æquivalere reali, ideoque posse præstare quæcumque præstat realis distinctio, & consequenter etiam eadem contradictoria componere, sicut Solem æquivalere dicimus igni, quia æque bene potest producere calorem perinde, ac si esset formaliter ignis. Sane cum mica salis hæc æquivalentia est intelligenda, non autem sic absolute, ut intelligunt Thomistæ, ut nimirum hæc æquivalentia sit virtualis tantum, & non formalis, quatenus eminentia, vel illimitatio rei præbere potest occasionem intellectui eam inadæquate confideranti cogitandi in ea plures veluti res, aut realitates abinvicem condistinctas, ideoque inter eas fingere distinctionem quandam veluti realem, aut formalem ex natura rei actualem, adeout talis distinctio virtualis compleatur in esse distinctionis, & fiat actualis accedente opere intellectus, & in hoc sensu tantum citra errorem intelligi potest distinctionem virtualem æquivalere reali, vel formali, si enim diceretur æquivalere formaliter ante opus intellectus, & non virtualiter tantum, tunc ante opus intellectus faceret extrema, inter quæ cadit, realiter actualiter distincta, & non tantum virtualiter, & sic esse distinctio actualis ex natura rei, & non virtualis tantum. Et cum affertur exemplum de Sole, qui calorem producit, ac si esset formaliter ignis, unde deduci videtur distinctionem virtualem, ita in rigore, & ex natura rei distinguere debere extrema, inter quæ cadit, ut distinctio ipsa realis, cui æquivalet contradictoria ejusdem rationis compouere. Resp. utique, distinctionem virtualem consideran posse tum in ordine ad effectus extra productos, vel producendos, tum in ordine ad prædicata, quæ independenter ab hac virtuali distinctione sine contradictione verificari non possunt eidem entitati convenire, & quidem in ordine ad effectus videmus causam universaliorem, puta Solem, eundem specie calorem producere, quem producerer ignis, & ad hoc ejus eminentia sufficit, ut ostendit experientia ipsa; cæterum non sufficit, ut ita distingui possint a parte rei virtus calefactiva, & exsiccativa in ipso, quemadmodum distinguuntur in igne, quantumvis ejus eminentia æquivaleat igni, & distinctio virtualis actuali, & hoc etiam ostendit experientia ipsa, vel manifesta ratio a posteriori, & ideo virtus productiva, & distinctiva in rebus superioris ordinis pari passu quantum ad hoc procedere non videntur, unde ab una ad aliam arguere non valet.

Hinc etiam gratis concedendum est Recentioribus supractat. num. 241. distinctionem virtualem nequaquam utilem esse in divinis ad explicandum Trinitatis mysterium, & contradictoria componenda de essentia, & relationibus pronunciata, quia contradictoria illa verificanrur actu a parte rei, & ideo extrema, de quibus verificantur, supponunt a parte rei aliquo pacto actu distincta, & plurificata, & ideo non sufficit sola distinctio virtualis inter illa, sed debet esse major, nempe actualis ex natura rei formalis, qualem ponit Scotus. Et eadem ratione non sufficit distinctio virtualis inter gradum genericum, & differentialem ad compositionem metaphysicam constituendam, & convenientiam fundandam unius speciei cum alia, vel differentiam unius ab alia, quia talis convenientia, & disconvenientia est actualis, & a parte rei, nam actu a parte rei homo per animalitatem cum equo convenit, & per rationalitatem differt ab ipso, & ideo verificari debent hæc, & similia contradictoria merito plurium formalitatum ex natura rei in homine imbibitarum, non autem plurium dumtaxat conceptuum ab intellectu pendentium. Neque argumenta, quæ urgebant Recentiores contra distinctionem virtualem, possunt urgeri ita commode contra nostram formalem distinctionem, quia hanc non dicimus æquivalere reali, ut dicebant Thomistæ de virtuali, tum quia cum hæc nostra distinctio formalis sit actualis ex natura rei opus omne intellectus antevertens, bene sufficit ad componenda prædicata contradictoria de eadem re, dummodo non sint contradictoria prima, quæ respiciunt esse, & existere rei, nam ad hæc componenda utique requiritur distinctio realis simpliciter inter extrema, de quibus verificantur, verum adhuc tamen est majorem vim habere distinctionem formalem in divinis ratione infinitatis, quam in creatis, unde ratione ipsius contradictoria nonnulla verificari possunt in divinis, quæ nequeunt verificari in creatis, ut verbi gratia eandem numero naturam esse in tribus suppositis realiter distinctis, non tamen eandem personalitatem cum ipsa realiter identificatam, item filiationem identificatam cum essentia produci non producta ipsa essentia, quæ quidem contradictoria hic in creatis distinctionem realem inferre solent inter extrema, de quibus verificantur; sed in divinis non inferunt, nisi solam formalem ob illimitationem divinæ naturæ, quæ una numero, & simplicissima est in tribus, ac etiam quia aliter fit productio in creatis, aliter in divinis, nam in creatis terminus formalis productionis habetur in producto per veram productionem naturæ, & totum productum acquirit novum esse tam essentiæ, quam existentiæ, sed in divinis terminus formalis non producitur in supposito producto, sed ei a producente communicatur idem numero, quem in se præhabebat, quia est unica natura in tribus divinis suppositis, & totum productum acquirit solum distinctum esse subsistentiæ incommunicabile, non autem distinctum esse essentiæ, & existentiæ, & ideo a divinis ad creata argumentari non valet, quod sicut Filius in divinis producitur secundum filiationem, non tamen secundum essentiam, cum qua realiter identificatur, ratione distinctionis formalis verssantis inter essentiam, & relationes, ita in homine possit produci animalitas non producta rationalitate ratione ejusdem formalis distinctionis, quod adnotare volui ad solvenda argumenta illo-

illorum Recentiorum, si fierent contra nostram formalem distinctionem,

245 Verumtamen quamvis non sit tanta utilitas distinctionis virtualis, quantam jactitabant Thomistæ, ut hactenus visum est, nihilominus neque adeo inutilis est, ut sit prorsus abigenda & a creatis, & a divinis, ut volebat Oyvied. nam utrobique suo modo necessaria est, quam necessitatem ex nostris agnovit Vulpes p. 1. tom. 1. disp, 6. art. ult. n. 2. & ibi probat ex distinctione inter gradus metaphysicos necessaria, constat (inquit) prædicata transcendentia, & prædicamentalia, quæ enunciantur de eadem re, ut sunt ratio entis, ratio substantiæ, spiritus, &c. corporis &c, non distingui ratione ratiocinante tantum, quia vere ex natura rei dicitur ens, substantia, corpus, &c. alio, & alio modo comparatione intellectus inadæquate concipientis, neque distingui possunt ex natura rei actualiter, quia ejusmodi distinctio expostulat formaliter plures, realitates, ut monet Scot. 1, distinct. 8. quæstione 4. lit. Q. & 2. d. 2, quæstione 7. FF. unde sequitur manifeste prædicta prædicata distingui distinctione rationis ratiocinatæ. At quamvis hic Auctor recte fateatur necessitatem distinctionis virtualis etiam in schola nostra, non tamen recte eam deducit ex distinctione graduum metaphysicorum promiscue sumptorum, quia longe diversa est ratio de gradibus transcendentibus, & prædicamentalibus; cum enim transcendentes proprias non præseferant realitates, sed tantum conceptus inadæquatos ejusdem rei, & realitatis, ut constat ex tota disp, 2. de natura entis, non nisi virtualiter, ac distinctione, ut inquiunt, ratiocinata inter se differre possunt; cum autem ex alia parte gradus prædicamentales proprias præseferant realitates, quarum singulæ propriis conceptibus adæquatis explicari valent, ut docet Doctor ex professo 2. d. 3. quæst. 1. & seq. & nos infra disp. 8. qu. 6. art. 2. ac etiam disp. 9. per totam, plane non tantum virtualiter, seu distinctione ratiocinata petunt abinvicem distingui, sed etiam distinctione formali ex natura rei actuali omne opus intellectus antevertente; bene ergo inducitur necessitas, & utilitas distinctionis virtualis in creatis ex distinctione graduum transcendentium, non tamen prædicamentalium ob assignatum discrimen inter illa; cumque hoc quoque discrimen Vulpes ipse alibi inter prædicta prædicata non semel agnoverit, barde nimis loc. cit. ex utriusque promiscue necessitatem distinctionis virtualis deducit, cum præcise ex distinctione graduum transcendentium eam deducere debuerit; utilis ergo, immo necessaria est in creatis distinctio ista virtualis ob distinctionem graduum transcendentium, & si sic jamdudum notavimus disp. 1. Log. quæst. 5. art. 2. declarando distinctionem rationis in solutione ad 2.

246 Sed in divinis quoque utilis est, ac necessaria hæc distinctio, non quidem ob distinctionem relationum originis, aut attributorum a divina essentia, vel abinvicem, quia satis constat apud Doctorem hæc omnia inter se, & ab essentia distingui formaliter actualiter ex natura rei distinctione illa mediante inter distinctionem simpliciter realem, & rationis, quam declaravimus quæst. præced. ut constat ex 1. d. 2. quæst. 7. & d. 8. quæstione 4. & alibi frequenter, sed necessaria est ob distinctionem prædicatorum quidditativorum tum inter se, tum a divina essentia, qualia sunt ens, substantia, spiritus, &c. hæc enim nequaquam poni possunt inter se, vel ab essentia ex natura rei actualiter distincta; sicut ponuntur attributa, quia cum se habeant sicut superius, & inferius, vel sicut magis commune, & minus commune, si proprias præseferrent realitates inter se ex natura rei formaliter distinctas, plane concurrendo ad constitutionem divinæ essentiæ facerent compositionem Metaphysicam, quia tunc una esset potentialis ad aliam, quando de divinis attributis invicem comparatis, etiamsi proprias dicant realitates, minime sequitur, quia non se habent sicut superius, & inferius, sed veluti perfectiones disparatæ, & unaquæque in actu ultimo constituta. Et hoc etiam palam deducitur ex ipso Doctore, ut bene Vulpes notavit loc. cit. nam 1. d. 8. quæst. 3. lit. F. & ad 1. princip. ait, quod cum intellectus Deum concipit sub conceptibus entis, substantiæ, spiritus, qui sunt sibi communes cum creaturis, non ejusmodi conceptus abstrahit a diversis realitatibus, quibus innitantur, sed ab eadem omnino realitate, quatenus est imperfecte, seu inadæquate concepta, cum ergo ens, substantia, spiritus, non dicant in Deo proprias realitates, sed solos conceptus inadæquatos ejusdem realitatis, certe prædicata quidditativa Dei distinctionem formalem ex natura rei actualem fundare nequeunt, sed tantum virtualem. Hinc quol. 1. vocat Doctor naturam divinam simpliciter unicam non unitate solum reali, quia sic in divinis omnia sunt realiter unum, sed unitate formali, quam cum ea, & inter se habent omnia prædicata, quæ nostro intelligendi modo eam quidditative constituunt, & secundum hanc unitatem formalem distinguitur ex natura rei actualiter ab attributis, & relationibus divinis, cum ergo prædicata quidditativa Dei constituant unum formaliter, vel potius sint formaliter unum, & idem cum divina essentia, quo sensu non sunt idem cum ipsa relationes, & attributa, concludendum est, prædicata quidditativa non posse fundare distinctionem illam formalem actualem, a divina essentia, aut inter se, quam fundant attributa, & relationes divinæ, sed tantum virtualem, seu fundamentalem.

Hic ulterius disputari solet, num distinctio virtualis sufficiat ad componenda contradictoria de eadem re a parte rei pronunciata, an potius requiratur etiam distinctio aliqua actualis præcedens omnino opus intellectus. Capreolus 1. d. 8. quæst. 1. art. 2. ad. 6 resolvens hoc quæsitum inquit, tunc contradictoria præexigere in subjecto distinctionem a parte rei, quando singula extrema verificantur de subjecto toto, & totaliter, at vero quando verificantur de toto, sed non totaliter, tunc non præexigi distinctionem ex natura rei actualem, sed sufficere virtualem, & fundamentalem, secundum quam una res propter suam illimitationem æquivalet multis perfectionibus limitatis, de quibus verificari possunt illa extrema contradictoria, qui modus dicendi communis est & frequentissimus in Schola Thomistarum. Hinc solvit Capreol, argumentum de essentia, & relationibus in divinis deductum ex contradictoriis, quod essentia communicatur, relatio non communicatur &c. quia hæc, & similia prædicata non sunt contradictoria, cum non sumantur respectu ejusdem subjecti totius, & totaliter, sed totius, & non totaliter, & sic etiam respondent Thomistæ ad idem argumentum ex contradictoriis, cum fit in creatis de gradibus Metaphysicis, puta quod homo convenit cum bruto in animalitate, non vero in rationalitate, id enim ajunt non convenire humanitati secundum se totam, & totaliter, quia non convenit animalitati, ut est idem cum rationalitate.

247 Oppositum tamen constat ex dictis in superioribus, nempe contradictoria a parte rei de eodem subjecto verificari non posse, nisi præcedat aliqua distinctio actualis a parte rei, sive realis, sive saltem formalis, & nequaquam ad hoc sufficere distinctionem rationis sive ratiocinantis, sive ratiocinatæ, aut virtualem, ita jandudum resolvimus hoc quæsitum in termino disput. 9. Logica quæst. 1. articul. 2. §. *Quoad tertium*, & ita expresse docuit Doct. 1. dist. 2. quæst. 7. §. *sed hic restat*, & dist. 8. quæstion. 4. ubi Licher. Varg. Vig. Posnaniens. & alii expositores Bassol. 1. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Bonet, lib. 3. Metaph. cap. 8. Fotmalistæ passim tract. formalit. art. de distinctione ex natura rei, Mairon. 1. dist. 8. quæst. 5. §. *hic sunt octo*, ubi modum dicendi Thomistarum, ad salvandas contradictiones in divinis impugnat ex professo, & more suo quadrupliciter probat ad salvandam contradictionem ex natura rei non sufficere in subjecto distinctionem virtualem. Primo quia ubicumque sunt extrema contradictionis formaliter, ibi sunt fundamenta contradictionis formaliter, sed in divinis ponuntur extrema contradictionis formaliter, ergo & fundamenta; tunc arguitur sic, illud fundamentem, quod est formaliter in Deo, aut est penitus idem, aut non; si non, habetur propositum; si sic, ergo in eodem formaliter omnino indistincto fundabuntur extrema contradictionis formaliter, quod est impossibile. Secundo quandocumque aliqua contradictio salvatur in aliqua natura secundum aliquem modum fundamenti quomodo ponitur ibi fundamentum, & contradictio ibi ponetur, si ergo fundamentum istius contradictionis non est ibi, nisi virtualiter, ergo & contradictio non erit ibi, nisi virtualiter, quod est falsum, quia contradictoria enunciantur in divinis ex natura rei actualiter, de essentia, & relationibus. Tertio quod inest virtualiter alicui est tale secundum quid, & quod inest formaliter, est tale simpliciter, ut constat de Sole, & igne respectu caliditatis, tunc sic arguitur, illud quod est alicui formaliter, & per consequens simpliciter, non potest inesse per illud, quod inest illi secundum quid, sed affirmatio, & negatio, & extrema multarum contradictionum sunt in Deo formaliter, & per consequens simpliciter, ergo non possunt sibi inesse per illud, quod convenit Deo virtualiter, quod est solum secundum quid, nam ut dictum est, distinctio virtualis non est proprie distinctio, & formaliter, sed tantum æquivalenter, & ubicunque est invenire formaliter terminos primi principii, ibi est invenire veritatem ejus, sed in Deo formaliter invenitur ens, & affirmatio, & negatio, quæ sunt hujusmodi termini, ergo, & veritas ejus, quæ est, quod non convenit omnino idem affirmare, & negare de eodem secundum idem. Demum, hoc ipsum probari potest ex illamet solutione data a Capreol. ad argumentum ex contradictoriis deductum, cum enim inquit hæc non esse prædicata vere contradictoria, essentia communicatur, relatio non communicatur, quia non sumuntur respectu ejusdem totius, & totaliter, sed totius, & non totaliter, est perinde ac si diceretur, quod illa prædicata enunciantur utique a parte rei de eodem subjecto toto, sed non totaliter, idest, non secundum idem, seu secundum eandem formalitatem, sed diversas, unde patet distinctionem extremorum, quæ contradictoria componit, esse actualem ex natura rei, seu actu versari inter diversas formalitates, nam si talis formalitatum pluralitas in divina essentia non daretur, eo ipso quod illa prædicata enunciarentur de tota essentia, enunciaretur quoque de tota, & totaliter sumpta, quia esset entitas omnino indivisibilis a parte rei in plures formalitates. Vide Aureol. quol. 3. art. 2. ubi ipse quoque probat hanc distinctionem virtualem in divinis non sufficere ad tollendas contradictiones, & ejus præcipuum fundamentum est, quia causa in actu, & effectus in actu simul sunt, non sunt ex 2. Phys. & 5. Met. sed radix, & causa contradictionis est distinctio, unde contradictio signum est distinctionis, velut ejus effectus, ergo contradictio formaliter, & actualiter vera, qualis est illa, essentia communicatur, relatio non communicatur, arguere debet distinctionem formalem actualem, & non virtualem tantum, quod argumentum amplius profequor contra Cajet. disp. 1. Log. q. 5. art. 2.

248 Forte dices cum Nominalibus, posse per distinctionem virtualem contradictoria componi tum in divinis, tum in creatis, si ex-

explicetur per connotata extrinseca diversa, nam, in divinis v. g. essentia divina dicitur sapientia, misericordia, justitia, & justitia non dicitur sapientia, quia hæc nomina non sunt imposita ad significandam essentiam secundum se, sed ut connotat diversos actus, & effectus, nam justitia denominat essentiam, ut habet actum puniendi, sapientia eam denominat, ut habet actum cognitionis, & sic de aliis; quod si præscindas illa connotata, ibi nulla est distinctio, & nulla negatio unius de altero, sed essentia est justitia, & justitia est sapientia, quia omnia sunt una simplex perfectio, ita significat Gabriel 1. distinct. 2. q. 1. & qu. 11. & sic pariter dicunt de contradictoriis in creatis, quod homo dicitur animal, quatenus connotat actum sentiendi, rationalis vero quatenus connotat actum intelligendi, vel discurrendi, & ratione horum connotatorum verificari contradictoria de homine, quod per animalitatem convenit cum bruto, non vero per rationalitatem, quibus connotatis præcisis animalitas in homine est formaliter rationalitas, & e contra. Cæterum ad hanc doctrinam Nominalium eliminandam recolendum est, quod diximus disputat. 8. Logic. quæst. 3. artic. 1. in fine, & 1. part. Inst. tact. 1. capit. 4. connotationem proprie pertinere ad modum significandi, & ideo potius in nominibus reperiri, quam in rebus, ut ibi explicatum est, cum ergo contradictio nedum in nominibus, sed proprie, rebus reperiatur in frustra ad connotata recurritur ad componenda contradictoria, licet enim id juvare posset ad componendas contradictiones in nominibus, non tamen in rebus. Tum quia justitia in Deo est perfectio quædam attributalis, & ut principium justa faciendi non est purum nomen, sed res significata per illud nomen formaliter in Deo existens, sed perfectio formaliter in Deo existens non est ens connotativum, quia esset ordinatum ad aliud, a quo in sua ratione intrinseca, & quidditativa extrinsece penderet. Tum quia non omnia entia sunt connotativa, & tamen de quolibet verum est affirmare, vel negare, ergo recursus ad connotata esto juvare posset ad componenda contradictoria in entibus connotativis, non tamen in aliis. Tum quia connotare hunc actum v. g. sentiendi, & non connotare sunt contradictoria, quæ a parte rei verificantur in homine de animali, & rationali, quæro igitur quare a parte rei unum de uno verificetur, & non de alio, & quidem ad connotata alia recurrere non potes, quia tunc in connotatis in infinitum abiretur, ergo dicere teneris hoc esse, quia non sunt omnino idem a parte rei. Et quidem hac via nempe per diversitatem connotatorum componi non posse contradictiones in divinis gratis concedit, & probat Aureol. cit. §. *secundam propositionem*. Quare ex dictis concludendum est ad componendas contradictiones a parte rei enunciatas, & verificatas non sufficere distinctionem rationis, sive ratiocinantis, sive ratiocinatæ, de quibus statim quæstion. seqent. nec distinctionem virtualem etiam per connotata explicatam), sed omnino necessariam esse distinctionem ex natura rei actualem, sive realem simpliciter, sive solum formalem secundum qualitatem, & conditionem prædicatorum contradictoriorum juxta regulam traditam superius in hac disp. n. 227. Vide Mair. loc. cit. 1. dist. 8. qu. 3. §. *hic sunt octo*, ubi omnem viam præcludit salvandi contradictiones in divinis præter assignatam a Doctore 1. d. 2. qu. 7. & d. 8. qu. 4. & alibi frequenter. Hic declarandum superesset, quid dicat identitas virtualis, ut opponitur virtuali distinctioni; sed quia facillimum est ex doctrina jam tradita de hujusmodi distinctione oppositam quoque identitatem dignoscere, ad alia pergo.

In fine hujus quæst. rem non parvi momenti velim advertas, non esse universaliter verum, quod ajunt Thomistæ, extrema distinctionis virtualis habere esse actu in re, quæ sic distinguitur, licet non sint actu distincta, unde existentia eorum est actualis, sola vero distinctio, & pluralitas est virtualis, & eminentialis, licet enim sit hoc aliquando verum, ut constat de prædicatis Dei quidditativis, & gradibus transcendentibus; nam re vera cum distinguimus in Deo entitatem, substantiam, spiritum &c. in Deo a parte rei inveniuntur ratio spiritus, & substantia, & solum intellectus eas partitur in duplicem rationem objectivam, atque ideo non dat illis existentiam, sed distinctionem; non tamen est universaliter verum, ut dicebam, quia contingere potest, quod extrema hujus distinctionis contineantur virtualiter tantum in re sic distincta, nedum quoad pluralitatem, sed etiam quoad entitatem, & existentiam, ut patet in consueto exemplo de calore, & ficcitate in Sole, in quo virtualiter, ac eminenter contineri dicuntur, nedum quoad distinctionem, & pluralitatem, ut dicitur de gradibus transcendentibus, & prædicatis Dei quidditativis, sed etiam quoad entitatem, & existentiam, quia non existunt a parte rei actualiter in Sole, alioquin Sol diceretur formaliter calidus, & siccus, sed tantum virtualiter, & sic patet, quomodo duplex modus assignari potest distinctionis virtualis, unus est, quo sola distinctio est virtualis, non autem continentia distinctorum; alter est, in quo tam distinctio, quam continentia distinctorum est virtualis, ut patet in allatis exemplis de gradibus transcendentibus pro primo, & de calore, & ficcitate Solis pro secundo.

QUÆSTIO XIII.

De Identitate, ac distinctione rationis quid sit, & quotuplex.

249 PRo tituli quæstionis intelligentia notandum ex Scoto 1. d. 2. qu. 7. §. *sed hic restat* identitatem, & distinctionem rationis bifariam usurpari posse, primo sumendo rationem pro ratione formata ab intellectu, secundo sumendo rationem pro quidditate rei secundum quod quidditas est objectum intellectus, quo sensu sæpius dixit Arist. aliqua esse idem subjecto, & differre ratione, ut 1. Phys. 60. & 68. de materia, & privatione, & 4. Met. tex. 3. de ente, & uno, & 3. Phys. tex. 21. de motu, actione, & passione, & 10. Met. tex. 2. de igne, & elemento, quibus in locis apud Arist. distingui ratione non utique significat secerni per intellectum, sed ratione formali objecti, seu definitione, quæ potest esse distinctio omnino a parte rei, & ante quodcumque opus intellectus, præsertim si definitio constet ex genere, & differentia, vel saltem tradatur per conceptum rei, vel realitatis adæquatum, non ergo hoc secundo modo sumitur hic distinctio rationis, sed primo modo dumtaxat prout a toto genere secernitur a distinctione ex natura rei, quo pacto dividunt distinctionem, ut sic, communem ad realem, & rationis, quam quoque doctrinam tradit Mag. Sirectus cum cæteris Formalistis tr. de formal. in præsenti art. de identitate, & distinctione rationis. Rursus adnotandum, quod cum distinctio rationis formaliter præseferat relationem quandam rationis eorum, quæ plura esse habent per rationem considerantem, dupliciter considerari potest, eo modo quo hactenus de aliis distinctionibus diximus servata proportione, primo ratione relationis importatæ, secundo autem ratione fundamenti, vel extremorum, quæ plura esse habent per rationem considerantem, & ad quæ præfata relatio consequitur; hic non est sermo de distinctione rationis primo modo inspecta, quia in eo sensu etiam distinctio formalis ex natura rei, & realis negativa dici possent relationes rationis, cum singulæ istarum relationem rationis importent secundum probabiliorem Scotistarum ob defectum conditionum necessario requisitarum ad relationem realem, sed loquimur de distinctione rationis secundo modo sumpta, quo sensu specialiter dicitur rationis, quia versatur inter ea, quæ plura esse habent per rationem considerantem. Et tandem de ista loquimur non præcise, ut stat pro distinctione rationis ratiocinantis, quæ non habet fundamentum in re, sed pro distinctione rationis communis ad distinctionem rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, quæ dicitur habere fundamentum a parte rei, de qua duplici rationis distinctione postea dicam, quare hic intendimus explicare notionem identitatis, & distinctionis rationis communissime sumptæ, quod advertendum est, ne in communem incidamus errorem nostrorum Formalistarum, qui definiendo distinctionem rationis absolute sumptam assignant definitionem distinctionis rationis ratiocinantis, dum ajunt illa distingui ratione, quæ per actum collativum intellectus distinguuntur præcise, & postea distinctionem rationis dividunt in distinctionem rationis ratiocinantis, ac rationis ratiocinatæ, qui forte tamen per hoc excusari possunt, quia distinctionem rationis ratiocinatæ non putant esse veram, & propriam speciem distinctionis rationis, sed pertinere prorsus ad distinctionem ex natura rei, vel formalem, omnem vero distinctionem rationis concludunt intra genus illius distinctionis, quæ fit per actum collativum, ut Mag. Sirectus palam se explicat in textu §. *secundo sequitur*, dum inquit, quod ubi alii distinctionem rationis cum fundamento in re vocant rationis ratiocinatæ, vel ratiocinabilis, formalizantes vocant distinctionem ex natura rei, & quod ipse sumit distinctionem rationis pro ea, quæ est præcise, & solum a potentia ratiocinante, unde illam divisionem ipse putavit esse æquivoci in equivocata.

250 Quia ergo Formalistæ nullam agnoscunt distinctionem, quæ proprie possit dici rationis præter distinctionem rationis ratiocinantis, quod non omnino verum arbitramur; definitionem, quam assignant identitatis, & distinctionis rationis, huc adducere opus non erit, quia solum convenit identitati, & distinctioni rationis ratiocinantis, sed eam art. sequenti examinabimus, ubi præcise vestigabimus notionem distinctionis ratiocinantis; hic autem inquirere debemus definitionem distinctionis rationis, ut sic, quo pacto secernitur immediate a distinctione ex natura rei actuali, & præter quodcumque opus intellectus, & sub se comprehendit, velut ejus species, tam distinctionem rationis ratiocinantis quam distinctionis ratiocinatæ; hæc namque quamvis habeat fundamentum, & motivum a parte rei ad eam fabricandam, totam tamen actualitatem suam, ac complementum accipit ab intellectu cogitante, & sic in esse distinctionis pendet ab intellectu, & ideo proprie censeri debet species distinctionis rationis, non autem distinctio ex natura rei actualis, ut inferius contra nostros Formalistas probabitur, ex quo tandem palam deducitur non bene ab ipsis definiri distinctionem rationis absolute sumptam, dum inquiunt illa distingui ratione, quæ distinguuntur per actum collativum intellectus præcise, quia hæc definitio non nisi distinctioni rationis ratiocinantis convenire potest, quam etiam forte nec explicat adæquate, ut mox videbimus. Communis itaque modus definiendi distinctionem rationis, ut a toto genere distinguitur a reali, seu ex natura rei, est, quod sit distinctio, quæ suum esse actuale habet per opus intellectus, & ideo dicitur rationis, quia sicut illa distinctio censetur realis, vel ex natura rei quæ invenitur in

rebus præter opus intellectus, ita illa est rationis, quæ habet suum esse actuale in esse distinctionis per intellectum, per quod insinuatur sub hac definitione distinctionis rationis, ut sic nedum comprehendi distinctionem rationis ratiocinantis, sed etiam rationis ratiocinatæ, quia esto hæc habeat aliquale esse in rebus, in esse distinctionis tamen non habet illud actualiter, & formaliter, sed tantum virtualiter, & fundamentaliter, unde in esse distinctionis actualis perficitur solum, & actuatur ab intellectu, ita Recentiores passim assignant notionem distinctionis rationis, ut sic, ut videre est apud Suarez disputation. 7. Metaph. sectione 1. Fonsec. 5. Metaph. quæstion. 6. section. 3. ita etiam frequenter loquuntur Formalistæ nostri, dum distinctionem rationis dividunt a toto genere a distinctione reali, vel ex natura rei, quia illa fit per opus intellectus, hæc vero habet omnino esse præter opus intellectus, immo sic etiam loquitur Scotus loc. cit. dum ait, distinctionem rationis proprie sumi pro differentia formata a ratione, hoc est ab intellectu.

251 Cæterum, ut bene Pasqualig. advertit tom. 2. Metaph. disput. 53. section. 2. quamvis verum sit per hoc bene fecerni distinctionem ex natura rei a distinctione rationis, quod videlicet hæc habet esse in rebus per operationem intellectus, illa vero antecedenter ad omne opus intellectus, re tamen vera non explicat rationem formalem distinctionis rationis, quia procedit per causam effectivam distinctionis, non per formalem, ut ergo per causam formalem, quantum fieri potest, procedamus ad vestigandam notionem distinctionis rationis, de ipsa discurrere debemus per analogiam ad distinctionem realem, vel ex natura, rei cujus ratio a priori est, quia cum quicquid ab intellectu molitur non nisi cum ordine quodam, & proportione ad id, quod est a parte rei fabricetur, ut constat in formatione entis rationis, quod cum ordine ad ens reale fabricatur, quemadmodum dictum est disp. 3. Logic. quæst. 2. art. 2. §. *quarto statuendum est*, consequenter in proposito dicendum est, quod distinctio quoque rationis cum proportione ad realem distinctionem debet formari, & per analogiam ad ipsam declarari, sicut ergo in præcedentibus dictum est distinctionem ex natura rei fundari super pluralitatem, & multiplicitatem ex natura rei, quæ si fuerit pluralitas rerum, fundabit distinctionem realem simpliciter, si fuerit pluralitas realitatum, fundabit distinctionem formalem, ita in proposito dicendum est, distinctionem rationis fundari super plura esse rationis, seu super extrema diversa per intellectum tantummodo, sed eadem prorsus a parte rei; Et sicut non possumus habere distinctionem realem, nisi duo extrema habeantur inter se nullo cogitante diversa, itaut unum a parte rei non sit aliud; ita nec haberi potest distinctio rationis, nisi habeantur duo extrema per intellectum distincta secundum diversum esse rationis, itaut apud intellectum inadæquate concipientem verum sit dicere, quod ratio objectiva uniùs non est ratio objectiva alterius; dixi apud intellectum inadæquate concipientem, quia si talis discretio fieret ab intellectu per diversas rationes objectivas inadæquatas quidem respectu totius entitatis, quam partialiter exprimunt, adæquatas tamen in ordine suo (quo sensu nos Scotistæ dicimus animalitatem, & rationalitatem importare in homine diversas rationes inadæquatas quidem respectu totius humanitatis, singulas tamen in suo ordine adæquatas, quia singulæ important propriam realitatem adæquato conceptu expressibilem, tunc talis distinctio rationis non esset, quia interveniret ratio ad illam utique cogitandam, non tamen ad illam faciendam, quia rationes objectivæ adæquatæ non fiunt ab intellectu in rebus, sed tantum rationes objectivæ inadæquatæ, ut notat Doctor quol. 1. lit. Q. cum ait esse in intellectu non dare objecto rationem quidditativam.

Hoc etiam confirmari potest per viam contradictionis, qua etiam utuntur Formalistæ ad investigandam distinctionem rationis, nam ut sæpius dictum est, quælibet contradictio semper infert aliquam distinctionem, & quidem talem, qualis est conditio contradictionis, cum de eodem secundum idem contradictoria verificari non possint, cum igitur distinctio rationis vestiganda sit, & declaranda per analogiam ad realem, sicut quæ fundant omnino primam contradictionem, ut esse, & non esse, secundum rem distinguuntur, seu distinctione reali entitativa, & quæ fundant contradictionem a parte rei secundum diversa tantum prædicata formalia, fundant distinctionem tantum formalem; ita, quæ contradictionem fundant secundum diversum esse rationis dumtaxat, ut cum de Petro in propositione identica verificatur, quod sit subjectum, & non sit subjectum, quod sit prædicatum, & non sit prædicatum, solum ratione distinguuntur, ita quod distinctio inter illa actu versatur, quamdiu intellectus operatur non aliter, nec alio modo, qua operatione cessante sunt idem prorsus actu a parte rei, quæ antea erant ratione distincta. Ex quo constat distinctionem rationis non per id secerni a distinctione ex natura rei, eo quia distinctio ex natura rei importet relationem realem, & distinctio rationis solam relationem rationis, tum quia falsum est distinctionem ex natura rei, ut sub se comprehendit etiam formalem distinctionem, importare realem relationem, quia ut sæpius dictum est, nullam talem relationem importat formalis distinctio, ut præstantiores Scotistæ docent, & Deus realiter distinguitur a creaturis, & ipsæ creaturæ possibiles inter se, cum tamen inter illa non ut relatio realis, tum quia in hac disputat. de identitatibus, & distinctionibus numquam de distinctione locuti sumus ratione relationis formaliter importatæ per ipsam, sed de distinctione ratione fundamenti, seu extremorum, ad quæ talis relatio nata est consequi, & ideo distinctio realis, & rationis differunt ratione extremorum, quia distinctio ex natura rei exigit extrema realia, & pluralitatem rerum, vel saltem realitatem, sed distinctio rationis exigit extrema, vel quæ sint entia rationis, ut sunt duæ secundæ intentiones, vel quæ saltem habeant pluralitatem ex vi intellectus rem inadæquate concipientis, ut cum gradus entis, substantiæ, & spiritus in Deo concipiuntur, ut plures realitates, & formalitates ipsum quidditative constituentes, ex quo tandem constat distinctionem rationis non sic appellari, quia semper versetur inter entia rationis præcise, ut multi sunt opinati.

252 Ex dictis de distinctione rationis facile erit colligere, quid sit identitas rationis, quia oppositorum proportionate est eadem doctrina, quatenus oppositio modo de ipsis philosophari debemus, unde sicut distinctio rationis dicit diversitatem secundum plura esse rationis, ita identitas dicit negationem talis diversitatis, vel per talem negationem explicari debet, unde identitas rationis erit, qua aliqua sunt idem omnino, vel aliquid est idem sibi ipsi etiam in ordine ad intellectum concipientem; atque ita signum dignoscendi identitatem rationis erit, quando aliqua secundum diversum esse rationis non possunt fundare contradictionem, quia si fundare contradictionem in aliquo esse rationis est signum distinctionis rationis, ut dictum est, ergo secundum tale esse rationis non fundare contradictionem est signum evidens identitatis rationis. Conf. a simili, quia sicut nullam fundare contradictionem ex natura rei est signum identitatis ex natura rei, ergò pariter nullam fundare contradictionem in aliquo esse rationis arguet identitatem rationis.

Contra prædicta arguitur. Primo probando distinctionem rationis non bene describi per ordinem ad intellectum, nam ibi cadere opus est distinctionem rationis, ubi plura esse rationis interveniunt, quia distinctio rationis ex dictis fundatur super pluralitatem ipsorum esse rationis, sed possunt plura esse rationis intervenire, ubi nulla sit denominatio a conceptu mentis, ergo distinctio rationis poterit cadere inter aliqua, quæ nullum ordinem habeant ad diversas denominationes derelictas a conceptibus mentis, minor probatur, quia cum eadem columna est mihi dextera, & tibi sinistra, tum plura esse rationis interveniunt, cum tamen nulla sit denominatio extrinseca derelicta ab aliquo conceptu mentis; sic etiam color quatenus visus, & sonus quatenus auditus, ut substant illis extrinsecis denominationibus, abinvicem ratione secernuntur, & tamen non sunt denominationes pendentes a diversis conceptibus mentis. Conf. quia sæpe inquit Doctor aliqua distingui ratione, quæ tamen esse diversum denominationis non habent a conceptibus mentis, sed ex eo, quod alias, & alias habitudines terminant, hoc pacto ait, Deum Creatorem distingui a Deo conservatore, & Deum justificatorem a Deo glorificatore.

Resp. quod sicut denominationes extrinsecæ aliunde, quam ab intellectu provenientes, sunt materialiter entia rationis, eo quod cum nihil sint in re, per rationem tamen possunt concipi ad modum verorum entium realium absolutorum, vel respectivorum, & sunt formaliter entia rationis, cum per rationem ad hunc modum actu concipiuntur, ut declaratum est disputatione tertia Logica quæstione quarta, articulo primo, sic etiam in hoc eodem sensu dici possunt extrema rationis, atque ideo apta fundare distinctionem rationis, & sic dicemus columnam dexteram ratione distingui a seipsa sinistram, & Deum creatorem a seipso conservatore. Dices, hac ratione non videri sufficienter salvari rationem nominis hujus distinctionis, quæ eatenus rationis videtur dici, quia est a ratione, & petitur penes denominationes extrinsecas derelictas a conceptibus mentis. Resp. concedendo eatenus dici rationis, quia est a ratione, & per rationem, sed negando quod hoc sit, quia attenditur solum penes denominationes extrinsecas derelictas a conceptibus mentis, sed hac ratione præcisa solum, quia scilicet illud plurificatum esse denominationis, undecumque illa sit, non est ens rationis, nisi vel quia per rationem concipitur ad modum veri esse, vel saltem ita natum est concipi, ideoque plurificatum esse per rationem est, & in ordine ad rationem.

253 Secundo arguitur, quod non bene dicatur distinctio rationis versari necessario inter extrema rationis, versari enim potest inter extrema realia, ut constat de prædicatis Dei quidditativis, & gradibus transcendentibus in sententia nostra hæc omnia inter se distinguente distinctione rationis ratiocinatæ, cum tamen hæc non sint entia rationis, sed realia; sic enim distinguuntur plures Ideæ in divina essentia, quæ tamen non sunt entia rationis, sed res ipsæ possibiles ad extra, ut stant sub esse cognito divino. Deinde talis etiam rationis distinctio intervenit, quando unum extremum est reale, & alterum rationis, unde Formalistæ dicunt inter animal, & genus intervenire distinctionem rationis, & non majorem. Demum distinctio realis infert distinctionem rationis, quia major infert minorem, ergo possunt aliqua distingui ratione, quæ realiter distinguuntur, & sunt extrema realia, & realiter distincta.

Resp. quod distinctio rationis in hoc sensu, ut explicatum est, dicitur exigere extrema rationis, quia exigit extrema, vel quæ sint entia rationis, vel quæ habeant pluralitatem ex vi intellectus rem inadæquate concipientis, ac conceptibiliter dividentis in plu-

res, vel realitates, licet ergo prædicata Dei quidditativa non sint entia rationis, vel secundæ intentiones, sed habeant esse reale, non tamen habent esse reale multiplicatum, vel plurificatum, adeout inter se distinctionem ex natura rei fundare queant, sed plurificatio fit ab intellectu divinam essentiam in suo esse quidditativo inadæquate concipiente, & in hoc sensu prædicata Dei quidditativa dici possunt extrema rationis, quia habent plurificatum esse rationis, secundum quod fundant distinctionem rationis. Quod vero spectat ad res possibiles objective existentes in mente divina, præscindendo modo a quæst. num ipsis competat ratio Ideæ, vel conceptibus earum formalibus, vel potius essentiæ divinæ sub diversis respectibus imitabilitatis, de quo dictum est disp. 8. Phys. quæst. 7. art. 1. quomodo abinvicem distinguantur, discrepantia est inter Scotistas, nam aliqui volunt sola ratione distingui, alii formaliter, & ex natura rei, ut Saxius tom. primo suæ Catast. disput. 8. quæst. 4. art. 3. alii tandem realiter non quidem distinctione reali actuali, quia hæc non versatur, nisi inter res actu existentes, sed potentiali, utpote proportionata esse possibili ipsarum, ut Vallo tract. formalit. 1. part. princip. disp. 4. quem sequitur Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 29. art. 8. Sed breviter dicendum est, creaturas possibiles divino intellectui objectas ab æterno dupliciter considerari posse, ut Doctor insinuat 1. d. 36. infra lit. E. & ex professo declarabitur infra disp. 8. quæst. 1. primo secundum esse veluti denominationis extrinsecæ, quod habent quatenus objiciuntur divinæ cognitioni; vel secundum esse reale, quod eis non repugnare novit divinus intellectus in rerum natura; secundum primam considerationem dici possunt ratione distingui, quia sic præcise considerantur in esse cognito, quod est esse diminutum, & materiale rationis, & in secundo sensu dici possunt distingui realiter distinctione reali saltem potentiali, ac etiam actuali in sensu declarato superius num. 177. quia adhuc sub tali statu possibilitatis actualiter participant rationem entis realis nominaliter sumpti, prout distinguitur a nihilo, & impossibili, ut infra dicam disp. 8. num. 46. unde Petrus, & Paulus adhuc sub tali statu possibilitatis, sunt extrema realia, quantum sufficit ad fundandam realem distinctionem; neque ob id in Deo constituitur distinctio aliqua realis divinam inducens simplicitatem, quia non ob id ponuntur plures res divinæ essentiæ realiter inexistentes inter se, & ab ipsa realiter distinctæ, ut ajebat Gilbertus Porretanus de divinis relationibus, cujus error damnatus fuit in Concil. Rhemens. quoniam creaturæ possibiles non sic inexistunt realiter divinæ essentiæ, sed objective tantum dicuntur esse in Deo, ut objecta secundaria divini intellectus, quod divinæ simplicitati minime adversatur, non enim obest simplicitati divini intellectus plura simpliciter, ac inter se realiter distincta intelligere, sic enim modo intelligit Petrum, & Paulum nunc existentes in rerum natura, suntque duo objecta secundaria in divino intellectu objective existentia, ut realiter distincta absque detrimento divinæ simplicitatis.

254 Ad 2. distinctio præsertim quoad denominationem sequi videtur semper debiliorem partem, unde sicut distinctio formalis, quæ inter formalitates versari solet, adhuc formalis dicitur, si versatur inter rem, & realitatem, ut inter animalitatem, & humanitatem, quia ad hoc sufficit unum dumtaxat ex extremis esse realitatem; sic in proposito distinctio rationis etiamsi regulariter extrema rationis petat, adhuc tamen intra limites remanet distinctionis rationis, etiamsi sit inter ens reale, & rationis, ut inter animal, & genus, quoniam ad hoc sufficit, ut alterum extremorum sit ens rationis, vel aliquo pacto habeat esse rationis, cujus ratio esse potest, quia sicut malum dicitur ex singulis defectibus, bonum aurem ex integra causa, ita ens reale dicitur, quod omnes suas partes habet reales, quod si habeat aliquid rationis, totum dicitur esse rationis. Ad ultimum licet regula illa apud Scotistas sit famosa satis, quod major distinctio infert minorem, tamen ut bene notavit Magister Sirectus art. ultim. formalit. non est universaliter vera, immo in eo sensu, quo capitur a Scotistis, quod scilicet distinctio realis inferat formalem, & rationis, puto nullatenus esse veram, quod plane ostenditur evidenti ratione, nam illa distinguuntur realiter, quæ distinguuntur ante opus intellectus, & illa distinguuntur ratione, quæ distinguuntur per opus intellectus, sicut ergo implicat aliqua duo abinvicem distingui per opus intellectus, & præter opus intellectus, ita implicat, quæ distinguuntur realiter distingui quoque ratione. Confirm. hæc doctrina, nam ad fundandam aliquam relationem exiguntur extrema proportionata, talisque relationis capacia, ergo ad fundandam distinctionem realem, requiruntur extrema, quæ sint res; ad fundandam formalem requiruntur extrema, quæ sint formalitates, ac denique ad fundandam distinctionem rationis, quæ est minima inter omnes requiruntur extrema rationis, si ergo aliqua duo distinguuntur, ut res, & res, jam dici nequeunt distincta quoque formaliter, & ratione, quia non sunt extrema talium distinctionum capacia. Dices, quæ distinguuntur realiter, non sunt idem formaliter, nec ratione, ergo sunt formaliter, & ratione distincta. Negat Doctor 1. dist. 2. quæst. 7. Hh. §. *Sed hic restat*, consequenitam, quia formalitas in antecedente negatur, quod verum est, quia realiter distincta eamdem formalitatem non important, sed in consequente affirmatur, quod est falsum, quia res non est formalitas, sed aliquid plus, neque est ens rationis, & ideo nec distinctionem formalem, nec rationis fundare valet. Quando ergo passim dicitur major distinctio inferre minorem, hoc præsertim dicitur, & verificatur in serie prædicamentali, quatenus, quæ genere distinguuntur, distinguuntur etiam specie, & numero, & sic distinctio generica, quæ est major in cathegoria, infert specificam, & numericam, non autem verificatur de distinctione reali, formali, & rationis, nisi in hoc sensu, quod quæ realiter distinguuntur, distinguuntur plusquam formaliter, & ratione, quia distinctio realis est major illis, non tamen absolute valet inferre, quod distinguantur formaliter, & ratione prædictis de causis; in serie autem identitatum videntur bene inferri posse ex identitate rationis, quæ est major inter omnes, identitas formalis, & realis, nisi etiam de identitatibus discurrere velis, sicut de distinctionibus. Et hanc cautionem in illatione distinctionum notavit quoque Zerbius quæst. de identitatibus, & distinctionibus prope finem, ubi ait, quod illa regula, major distinctio infert minorem, fallit in multis, & exemplificat de distinctione ex natura rei, ex qua non valet inferre distinctionem rationis dicendo, hæc duo sunt distincta realiter, ergo sunt distincta ratione, nisi per esse distincta ratione intelligamus esse distinguibilia ratione, utique enim valet inferre, hæc sunt distincta realiter, ergo possunt distingui ratione, non autem, quod sint actu distincta per rationem, nam consequens directe destruet antecedens, in quo asseritur illa esse distincta, secluso omni actu intellectus.

Tertio arguit Pasqualig. tom. 2. Metaph disputat. 57. sectione quarta probando minime opus esse distinctionem rationis fingi ad similitudinem distinctionis realis, ut supradictum est, quæ fuit opinio Soncin. 4. Metaph. quæst. 29. Capreol. 1. dist. 8. quæst. 4. Hurtad. disput 6. Metaph. sect. 5. & aliorum; nam posita multiplicitate in objecto ponitur etiam distinctio, quia hæc fundatur in illa, sed eo ipso quod objectum per conceptus partiales objectivos subest diversis actibus, aut idem comparatur cum seipso, ponitur in ipso aliqua multiplicitas, quia uni conceptui correspondet aliquod esse partiale objecti, & alteri correspondet aliud esse partiale, ergo ponitur etiam distinctio. Tum 2. ut habeatur distinctio rationis non est necesse, ut ipsi applicetur formale distinctivum distinctionis realis, ergo neque ratio distinctionis realis, quia tunc distinctio rationis esset distinctio realis, quale enim est distinctivum, talis quoque debet esse distinctio. Tum 3. quia si distinctio realis applicaretur distinctioni rationis, deberet ipsamet distinctio rationis talis esse, ut caderet super extrema, quæ se haberent, ut res, & res, nam tunc distinctio rationis esset ad similitudinem distinctionis realis. Tum 4. nam ens rationis dum concipitur ad modum entis realis se habet omnino, ut ens reale, ergo si distinctio rationis formaretur ad similitudinem realis, se haberet omnino ad modum illius, quod est falsum, quia sunt genera distinctionum prorsus diversa. Tum 5. ideo ens rationis fingi petit ad modum entis realis, quia non habet propriam, & peculiarem rationem, secundum quam concipiatur, sed distinctio rationis propriam habet rationem distinctionis, statim enim ac objectum secundum conceptus inadæquatos per diversos actus objicitur, habet diversas rationes formales, quarum unaquæque habet proprium esse rationis, per quod a cæteris condistinguitur, si ergo habet propriam rationem, opus non est ipsi applicare rationem distinctionis realis, itaut ad ejus similitudinem concipiatur. Denique arguunt alii, quia si intellectus nullam cognovisset distinctionem realem, posset adhuc formare hanc propositionem *homo est homo*, *animalitas non est rationalitas*, ergo potest conficere distinctionem rationis tum cum fundamento, tum sine fundamento absque eo, quod illam conficiat ad similitudinem distinctionis realis. Confirmatur, quia posset saltem intellectus per cognitionem infusam, si non per acquisitam, habere plures conceptus de eadem re, tunc autem haberet distinctionem rationis absque aliqua comparatione, & similitudine ad distinctionem realem.

255 Respond. Pasqualig. in hac re non satis sibi constare, quia disputatione 53. sectione 3. numero 2. ex professo probat distinctionem rationis concipi debere, & efformari servata proportione ad realem, quia inquit, quicquid per intellectum fingitur, cum ordine quodam, & proportione ad id, quod est a parte rei, fabricatur, ut constat, in formatione entis rationis; ita Pasqualig. ibidem, ex quo sic arguere licet, ideo ens rationis concipi debet ad modum entis realis, quia de se est non ens; ergo pariter cum distinctio rationis re vera de se non sit distinctio, sed potius putata distinctio, debet se habere ad modum distinctionis realis. Conf. quia sicut distinctio realis ad plurificationem realem numericam, specificam, & genericam dividitur in distinctionem realem numericam, specificam, & genericam, ut patet ex 5. Met. cap. de eodem, & diverso; ita servata proportione dividitur distinctio rationis, quod utique fieri non posset, nisi conciperetur ad instar distinctionis realis, quæ sic dividitur; probatur assumptum, nam si attente rem consideremus, videbimus non esse eundem gradum distinctionis rationis in omnibus intentionibus, sicut nec idem est gradus distinctionis realis in rebus; etenim homo, & equus in ratione speciei minus differunt, quam homo in ratione speciei, & animal in ratione generis, & hac ratione adhuc minus differunt, quam animal in ratione prædicati, & leo in ratione subjecti, quod tamen alia ratione non est, nisi quia secunda intentio speciei in homine, & equo solo numero differunt; intentio vero speciei in homine, & generis in animali sunt specie diversæ, & tandem ratio subjecti, & prædicati in leone, & ani-

malis genere diversificantur, unde opus est hominem, & equum, ut substant secundæ intentioni speciei esse distincta ratione, sed distinctione numerica; hominem vero in ratione speciei, & animal in ratione generis esse distincta ratione, sed distinctione specifica; leonem tandem, & animal in ratione subjecti, & prædicati ratione distincta esse, sed distinctione generica; at quis non videt hæc omnia intantum verificari, & locum habere in distinctione rationis, quatenus concipitur ad instar realis distinctionis.

Ad hoc argumentum (absque confirmatione tamen, quæ urgentior est ipso) conatur occurrere Pasqualig. licet fateatur esse difficile loc. cit. disput. 57. sect. 4. numer. 6. dicens magnam esse disparitatem inter ens rationis, & distinctionem rationis, quod enim de se est non ens, nullum statum habere potest, in quo acquirat aliquod esse reale sibi proprium, & ideo semper, ut aliquo pacto habeat esse, debet concipi ad modum entis; non sic autem contingit in distinctione rationis, nam tunc objectum, quod habet identitatem secundum esse reale, acquirit alium modum existendi, nempe intentionalem, dum autem habet hunc modum existendi, dividi potest ab intellectu in partes, dum autem sic dividitur in partes, unaquæque pars ex vi sui esse intrinseci objectivi habet suum formale distinctivum, & ideo opus non est recurrere ad realem distinctionem, quasi debeat ad modum ejus fingi. Sed plane hæc paritas ab ente rationis desumpta evitari minime potest, quia sicut non ens nullum statum habere potest, in quo acquirat aliquod esse reale sibi proprium, sic neque distinctio rationis, & sicut hæc per intellectum acquirit modum existendi intentionalem, sic etiam & non ens, cum sit ens rationis, sed sicut talem statum non acquirit ens rationis, nisi cum concipitur ad modum entis realis, sic etiam pariter dicendum de distinctione rationis non acquirere talem statum intentionalem, nisi cum concipitur ad modum distinctionis realis, & dum objectum dividitur ab intellectu intentionaliter in partes, talis quoque discretio intentionalis fit per imitationem ad partitionem realem plurium rerum, vel realitatum in alio objecto, quod talem in se distinctionem patitur a parte rei, & sane si talis partitio in objecto omnino simplici a parte rei fieri posset absque aliqua fictione, & similitudine ad distinctionem realem, intellectus quoque divinus posset ratione distinguere, quæ sunt omnino idem a parte rei, quod constat esse falsum, quia non intelligit res aliter, quam sint, nec res concipit, nisi clare, & adæquate, ergo distinctio rationis non fit, nisi interveniente aliqua fictione, & similitudine ad distinctionem realem, quod plane, & Arist. ipse significat 5. Metaph. 16. ubi docet intantum posse mentem nostram distinctionem rationis efficere, quatenus potest uti uno, ut pluribus, dividendo nempe objectum omnino idem in diversos conceptus objectivos partiales, vel geminando, ac [reduplicando idem objectum diversimode comparando illud cum seipso, quod fieri nequit, nisi præcognita fuerit distinctio ex natura rei inter illa plura, ad quorum instar objectum omnino idem concipitur discretum. Conf. tandem, quia intantum distinctio rationis ponitur passio entis rationis, quatenus distinctio realis ponitur passio entis realis, & ens rationis concipitur ad modum entis realis, ergo & distinctio rationis suapte ingenio petit concipi ad instar distinctionis ex natura rei.

256 Argumenta vero a Pasqualig. in oppositum adducta solvi possunt, ut ipse dissolvit illud ultimum ab aliis adductum cum sua confirmatione, quod inquit non sufficienter probare, quia implicite petit principium assumendo id, quod erat probandum, cum enim formatio propositionis supponat distinctionem terminorum, æque facile negabitur ignorata distinctione reali posse intellectum illas propositiones efficere, *homo est homo*, *animalitas non est rationalitas*, ac negetur posse efficere distinctionem rationis absque prævia notitia distinctionis realis, ut enim intellectus illas propositiones efficiat, debet uti uno, ut duobus realiter distinctis, sicut ajebat Arist. loc. citat. nequit autem intellectus uti uno, ut duobus realiter distinctis, nisi prænoverit distinctionem illorum realem, ad cujus instar unum, & idem a seipso discernit, præterquamquod cum dicimus, animalitas non est rationalitas, nulla hic intervenit distinctio rationis, quia nos rationem genericam ex natura rei discernimus a ratione differentiali; ex hac itaque doctrina etiam ab ipso Pasqualigo approbata solvuntur ejus rationes. Ad primum potest concedi totum, probat enim solum, quod posita multiplicitate conceptuum objectivorum inadæquatorum de eadem re, statim ponitur in ea aliqua distinctio, quæ est rationis, quod gratis conceditur, sed non probat talem partitionem objecti intentionalem fieri ab intellectu sine ulla imitatione ad distinctionem, & partitionem realem, in quo consistit punctum difficultatis. Ad secundum, & tertium neque nos dicimus formale distinctivum distinctionis realis applicari debere distinctioni rationis per proprietatem, sed solum per imitationem, ex quo non sequitur distinctionem rationis futuram esse realem, quia quod est tale per imitationem, semper deficit ab eo, quod est tale per essentiam, vel proprietatem. Ad quartum argumentum æque concludit de ente rationis, & distinctione rationis, tam enim distat distinctio rationis a distinctione reali, quam ens rationis ab ente reali, atque ideo si nequit distinctio rationis concipi, & efformari ad modum realis distinctionis, quia sunt genera distinctionum valde diversa, idem pariter dicetur de ente rationis, quod nequeat ad modum entis realis concipi, quia sunt genera entium nimis diversa; sicut ergo hoc non implicat non obstante adhuc tali diversitate, ita neque illud, nimirum distinctionem rationis concipi, & efformari ad similitudinem distinctionis realis. Ad 5. negatur minor in sensu, quo assumitur, quia distinctio rationis in esse distinctionis non magis habet propriam rationem, quam habeat ens rationis in esse entis, unde sicut hoc habet propriam rationem utique, sed dependentem ab ente reali, ad cujus instar concipitur, ita pariformiter dicendum de distinctione rationis in ordine ad distinctionam realem. Ad ultimum cum sua confirmatione patet ex modo dictis.

257 Circa aliam quæsiti partem quotuplex nimirum sit distinctio rationis, valde celebris, & famosa est in omni schola, præsertim vero Thomistica, divisio illa distinctionis rationis in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ nullum dicitur habere fundamentum in re, sed solam non repugnantiam, oritur solum ex negatione, & operatione intellectus, & in distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ dicitur habere fundamentum in re ipsa; quam distinctionem etiam Scotus agnovit 1. dist. 8. quæst. 4. §. *ista tamen positio*, ut ibi notat Bargius, & §. *ad quæstionem*, & quol. 1. art. 2. & alibi frequenter, & cum eo Magister Formalit. art. de distinctione rationis cum cæteris Formalistis, unde miror, Ruiz tract. de scientia Dei disp. 8. sect. 6. num. 3. dixisse, hanc divisionem inter antiquos Scholasticos fuisse inauditam, semper enim nota fuit antiquioribus Scholasticis tam Thomistis, quam Scotistis, eamque non semel significarunt eorum Principes Scotus, & D. Thomas; quamvis verum sit non eodem modo ab eisdem explicari distinctionem rationis ratiocinatæ, nam Scotistæ antiquiores ita etiam explicarunt, ut in esse distinctionis sit actualis, & perfecta ante quamcumque intellectus operationem, ideo potius sub distinctione ex natura rei, ut sic, fit reponenda, quam sub distinctione rationis, & cum distinctione formali penitus confundenda, adeout rationis ratiocinatæ dicatur, quia in ipsa re existit, antequam ratiocinetur, ut quasi ex se ratiocinata dicatur, solumque requiratur ratio ad illam cognoscendam, non vero faciendam, solumque dicatur distinctio rationis, & non realis, quia non est tanta, neque ex se tam patens, sicut realis, ut Scotus ipse significasse videtur 1. dist. 2. quæst. 7. §. *sed hic restat*, & ideo requirat attentam rationis operationem ad eam dignoscendam, unde consequenter volunt, hanc divisionem distinctionis rationis in ratiocinantem, & ratiocinatam non esse vere generis in species, vel univoci in univocata, sed æquivoci in æquivocata, quia distinctio rationis ratiocinatæ est distinctio ex natura rei.

Thomistæ e contra ita explicant distinctionem rationis ratiocinatæ, ut in esse distinctionis non sit actualis ante quamcumque intellectus operationem, sed virtualis ad summum, & fundamentalis, & inquiunt vocari distinctionem rationis ratiocinatæ, non quasi in reipsa existat, antequam ratiocinetur, solumque requiratur ratio ad illam cogitandam, non faciendam, ut Scotistæ dicebant, sed quia cum actu, & formaliter non sit in rebus, sed per rationem fiat, unde distinctio appellatur rationis, non tamen est omnino ex mera intellectus operatione, sed ex occasione, quam res ipsa, circa quam mens operatur, præbet, vel propter sui eminentiam, quam mens inde distinguit, & partitur in varias formalitates, vel propter habitudines varias ad alias, & alias res, sub quarum modo una, modo altera potest intellectus rem illam concipere, & sic mentaliter dividere, ideoque ajunt, talem distinctionem rationis ratiocinatæ fieri solum per conceptum inadæquatum ejusdem rei, tunc enim distinctio dicitur formaliter fieri per conceptus inadæquatos rei, & rem ipsam præbere talem occasionem; quia ergo hæc distinctio, quamvis sit veluti inchoata a parte rei ob fundamentum in re repertum, tamen actuationem in esse distinctionis, & complementum recipit ab intellectu, ideo volunt Thomistæ eam proprie contineri sub distinctione rationis, ut sic, tamquam propriam ipsius speciem, ideoque allatam divisionem esse generis in species, ac univoci in univocata. Ex Recentioribus tandem non desunt, qui hanc divisionem non recipiunt, eo quia putant distinctionem rationis ratiocinantis non esse proprie distinctionem, sed potius ejusdem omnino conceptus geminationem, & repetitionem, ita de distinctione rationis ratiocinantis discurrere videntur Suar. disp. 7. Met. sect. 1. Vasquez 1. part. disp. 117. cap. 3. num. 8. Hurt. disp. 6. Met. sect. 5. Alarcon tract. 9. disp. 2. cap. 8. Ruiz loc. cit. & alii Recentiores Societatis, sed quia hæ omnes difficultates longiorem perunt discussionem, præstabit sejunctim in sequentibus de unaquaque harum distinctionum rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ proprias instituere quæstiones, ex quibus palam constabit, quæ, & qualis sit assignata divisio, quam præ manibus habemus.

QUÆSTIO XIV.

De identitate, & distinctione rationis ratiocinantis.

258 Hic tria veniunt explicanda pro exacta hujus distinctionis intelligentia, primo quid sit, & in quo ejus formalitas consistat, deinde an proprie inter genera distinctionum connumerari possit, denique an habeat gradus aliquos. Quod primum Suarez disputatipne 7. Metaphysica sect. 1. cum Recentioribus citat. inquit distinctionem rationis ratiocinantis esse ejusdem omnino conceptus generationem, ac

ac receptionem, sic enim distinguitur Petrus a seipso vel in ratione subjecti, & prædicati, quando de ipso enunciatur dicendo, Petrus est Petrus, vel in ratione termini, & subjecti relationis, quando idem sibi dicitur; in his enim, & similibus distinctionibus rationis idem est, atque integer conceptus Petri, solumque fit quædam repetitio, & comparatio ejus, quod explicat Hurtad. disp. 6. Met. sect. 5. exemplo hominis secum loquentis, & interrogantis se, qui non seipsum a seipso distinguit, sed secum ipso quem a se indistinctum apprehendit, eadem modo se gerit, ac si esset distinctus. Formalistæ nostri cum Magistro Formalit. in hoc articulo dicunt illa distingui ratione, quæ distinguuntur per actum collativum intellectus præcise, quatenus idem diversimode ad seipsum comparatur, ut constat in prædicatione identica, cum idem de seipso prædicatur, tunc enim idem sub ratione subjecti a seipso distinguitur sub ratione prædicati, unde consequenter volunt distinctionem rationis fieri per actum collativum intellectus præcise, & hinc inferunt inter entia rationis adinvicem, ut inter genus, & speciem, vel inter ens reale, & ens rationis, ut inter animal, & genus, esse distinctionem rationis, quia non fit, nisi per solam intellectus comparationem, e contra vero illa dicunt esse eadem ratione, quæ habent eundem omnino conceptum indistinctum a parte rei, ac etiam ex parte intellectus, quo sensu homo dicitur idem sibi ipsi; idem sentire videtur Pasqualig. disp. 54. sect. 1. ab initio, ubi ait intellectum per solam virtutem collativam hanc distinctionem efficere.

Neuter dicendi modus sufficienter rem explicat, & uterque unum falsum supponere videtur, nempe distinctionem rationis haberi tantum per actum collativum intellectus idem sibi diversimode comparantis, hoc enim falsum est (nisi per actum collativum intelligatur ille, quo intellectus aliqua distinguendo unum necessario confert ad aliud in ratione distincti; sic enim necessario in quacumque distinctione, nedum rationis, sed etiam reali talis actus collativus intervenit, quo intellectus unum extremum confert ad aliud ratione distincti) quia ut docet Scot. 1. dist. 2. part. 2. qu. 7. §. *sed hic restat*, & 1. dist. 8. qu. 4. §. *ad quæstionem*, ad hoc, ut aliqua sint distincta ratione, sufficit diversus modus concipiendi idem objectum grammaticalis, vel logicalis, ut homo, & humanitas distinguuntur ratione ob diversos modos concipiendi logicales, scilicet abstracti, & concreti, & homo hominis distinguuntur ratione ob diversos modos concipiendi grammaticales in recto, & in obliquo, & tamen isti modi non videntur esse per actum collativum intellectus, ut bene advertit Bargius ibid. Aretin. art. 2. Formalit. com. 5. & Meurisl. lib. 2. Met. cap. 3. q. 3. nam distinctio abstracti a concreto fit præsertim per actum præcisivum; ergo distinctio rationis inter aliqua restringi non debet ad actum collativum intellectus, præsertim quo idem ad seipsum comparatur sub ratione subjecti, & prædicati, vel aliarum secundarum intentionum, se haberi etiam potest per actum absolutum, & rectum, cum idem prorsus objectum diversimode concipitur logicaliter, vel grammaticaliter modo jam explicato & hoc ipsum videtur concedere Sirectus art. ult. princ. Accedit, ut dictum est disp. 1. Logic. quæst. 5. art. 2. quod quando etiam per actum collativum in proportione identica idem ad seipsam comparatur sub ratione subjecti, & prædicati, falsum est tunc intervenire tantum ejusdem nominis, & conceptus repetitionem, & non propriam rationis distinctionem ejusdem a seipso, repetitio enim solum est, cum idem nomen vel conceptus, & eodem prorsus modo semel, & iterum concipitur, & nominatur, ut si dicatur homo, & iterum homo, tertio denique homo, hæc enim est vera, & proprie repetitio ejusdem nominis, & conceptus, quia in hac repetitione, & non replicantur homini diversæ denominationes subjecti, & prædicati, neque concipitur ad modum duorum, ut fit in propositione identica dicendo homo est homo; aliud siquidem est rem aliquam pluries concipere, aliud vero concipere ut plures, primum quidem in repetitione contingit, secundum vero in propositione identica, cum idem ad seipsum comparatur in ratione subjecti, & prædicati, atque ideo per talem actum collativum non fit sola repetitio ejusdem conceptus, sed etiam aliqua distinctio ejusdem a seipso, quia in ea propositione nedum hominem, vel Petrum semel atque iterum præcise concipimus, sed etiam ad modum distinctorum concipimus, & diversas eidem objecto denominationes tribuimus, quia ante copulam dicitur subjectum, post copulam prædicatum. Tum quia si idem objectum bis cognoscere sufficerer ad hanc distinctionem efficiendam, tunc oculusbis videndo Petrum faceret hanc distinctionem.

Respondent Vasquez, & alii id probare solum, distinctionem ipsam cadere inter conceptus ipsos formales, quibus idem in propositione identica subjicimus, & prædicamus, aut inter ipsas secundas intentiones subjecti, & prædicati, quas eidem v. g. Petro tribuimus, non autem cadit distinctio inter Petrum, & seipsum, sed sola cadit repetitio. Contra, quia per talem actum collativum habetur aliqua distinctio, hæc autem non est illa, quæ cadit supra conceptus formales, quia isti conceptus distinguuntur realiter, non ratione, neque hæc distinctio facta per actum collativum cadit inter ipsas secundas intentiones subjecti, & prædicati, nam licet hæ intentiones sint a ratione tanquam ab efficiente causa, seipsis tamen formaliter sunt diversæ, & alterius rationis absque quod per rationem aliud quid diversum esse illis superadditum concipiatur, ergo distinctio illa rationis vere cadit supra rem ipsam conceptam, quatenus secundum esse objectivum veluti geminatur in intellectu, quia simul objicitur, & sub ratione subjecti, & sub ratione prædicati, & sic sub una intentione concepta distinguitur a seipsa sub alia intentione concepta, non quidem tanquam secundum rationes diversas ipsi objecto intrinsecas, & ex parte ipsius fundatas, sed ex comparatione extrinseca, resultantes in ipso. Conf. quia ut ait Arist. 5. Metaph. capit. de eodem in propositione identica intellectus utitur uno, ut duobus, dum idem subjicit, & prædicat, & sic illud unum a seipso ratione distinguit faciens illud æquivalere duobus ex natura rei distinctis, ergo distinctio illa proprie cadit super idem objectum in esse objectivo, & intentionali geminatum, non autem supra conceptus formales, aut ipsas secundas intentiones. Tum quia super illud cadit distinctio super quod cadit contradictio, sed contradictio cadit super objectum, quod diversas fundando intentiones fundat etiam contradictiones, ergo &c. Denique licet idem nequeat a seipso realiter, vel ex natura rei distingui, nil tamen obstat, quin a seipso distingui possit secundum aliquod esse intentionale, quod de novo acquirit ex eo, quod comparatur cum seipso per intellectum, & suo modo afficit objectum, ergo in propositione identica distinctio rationis tangit objectum, illudque a seipso intentionaliter distinguit.

259 Dicendum igitur est distinctionem rationis ratiocinantis non consistere in sola repetitione ejusdem conceptus de eadem re diversimode comparando idem sibi ipsi, quia non hoc duntaxat modo frabicatur distinctio rationis, sed etiam diversimode concipiendo idem objectum, adeout tota diversitas se teneat, non ex parte objecti, sed præcise ex parte modi concipiendi, vel grammaticaliter, ut in recto, aut in obliquo, vel logicaliter per modum abstracti, & concreti, quo sensu ratione differunt sapiens, & sapientia, & universaliter abstractum, & concretum, vel tandem Met. penes explicitum, & implicitum seu per majorem, & minorem explicationem ejusdem conceptus, quo sensu secundum communiorem definitio, & definitum distingui dicuntur; non ergo in sola repetitione ejusdem conceptus consistit distinctio rationis ratiocinantis, cum aliis modis contingere possit. Tum quia adhuc in propositione identica, quando idem sibimet comparatur, ostensum est, non contingere solam repetitionem ejusdem conceptus, sed propriam distinctionem rationis cadere in objectum sub diversis intentionibus conceptum. Ex quo etiam sequitur non fieri hanc distinctionem rationis per solum actum collativum, & per solam virtutem collativam intellectus, quia cum eidem objecto aliquam distinctionem rationis appingit, illud diversimode concipiendo grammaticaliter, vel logicaliter, aut metaphysice, non necessario utitur virtute collativa intellectus, sed potius præcisiva, & abstractiva, nam præscindendo naturam a subsistentia distinguit abstractum a concreto, & per eundem actum pariter præcisivum, non quidem objective, sed formaliter, fit distinctio rationis penes majorem, vel minorem explicationem ejusdem conceptus.

Itaque distinctio rationis ratiocinantis attendi præcise debet penes diversum modum concipiendi idem objectum formale, adeout tota diversitas se teneat ex parte modi concipiendi idem objectum grammaticaliter, vel logicaliter, nullatenus autem ex parte objecti, ita expresse eam notificavit Doctor 1. dist. 2. qu. 7. §. *sed hic restat*, & dist. 8. qu. 4. §. *ad quæstionem*, ex quo sequitur, hanc distinctionem nullam prorsus tollere identitatem ex parte objecti, sed relinquere illud omnino idem tam realiter, quam formaliter, & virtualiter, quod dici nequit de distinctione rationis ratiocinatæ, cum enim hæc supponat objectum, supra quod cadit, virtualiter distinctum, quando reducitur ad actum ea virtualis distinctio per operationem intellectus, tunc unam formalitatem objectivam actu præscindit ab alia diversis actibus, quibus singulis diversæ correspondent formalitates, unde illa diversitas non procedit solum ex parte intellectus diversimode eandem rem concipientis grammaticaliter, logice, vel metaphysice, ut evenit distinctione rationis ratiocinantis, sed etiam ex parte ipsius objecti, quod ob sui eminentiam existens virtualiter multiplex occasionem offert intellectui, ut cum fundamento in re positit attingere diversis cognitionibus inadæquatis diversas formalitates objectivas; quem modum explicandi distinctionem rationis ratiocinantis, ut a ratiocinata differt, nedum Thomistæ unanimiter docent, sed etiam illi Scotistæ, qui admittunt distinctionem rationis ratiocinatæ, ut diversam a distinctione formali ex natura rei, ac etiam Recentiores quamplures, ut Pasqualigus disputat. 54. citat. Amic. tractat. Formalitat. quæstion. 15. dub. 7. & alii.

260 Dices, si ergo tota diversitas in distinctione rationis ratiocinantis se tenet ex parte modi concipiendi idem objectum, & nullo pacto ex parte ipsius objecti, sequitur, distinctionem istam non cadere super objectum, sed solum supra conceptus formales, quibus idem objectum concipitur, vel supra secundas intentiones, sub quibus concipitur, ut Suarez, & Vasquez dicebant; vel si distinctio rationis ratiocinantis aliquo pacto objectum tangit, & afficit, etiam ex parte objecti attendi debebit talis distinctio, & sic ruit discrimen assignatum inter ipsam, & distinctionem rationis ratiocinatæ. Resp. etiamsi concedatur distinctionem rationis ratiocinantis cadere aliquo modo super objectum, quatenus diversimode concipitur, adhuc bene stare discrimen ipsius a distinctione rationis ratiocinatæ, quia hæc scilicet ratiocinata ita tangit objectum, quod non omnia, quæ exprimunt, uno conceptu exprimuntur & alio, sed singulis conceptibus singulæ correspondent formalitates objectivæ exprimendæ, quæ in eodem objecto eminenter continen-

ban-

bantur; at non est ita de distinctione rationis ratiocinantis, non enim ita tangit objectum, ut quod uno conceptu exprimitur, non item & alio manifestetur, immo quicquid se tenet ex parte objecti intrinsece tam bene uno conceptu manifestatur, quam altero, nam si aliquid objecti per unum conceptum manifestaretur, quod non exprimeretur per alium, tunc extrema talis distinctionis plusquam ratione distinguerentur, nimirum vel formaliter, vel saltem virtualiter; non ergo distinctio rationis ratiocinantis ita tangit objectum intrinsece, quia tunc non differret a ratiocinata, sed tangit illud extrinsece, quatenus diversus modus cognitionis refunditur etiam, atque redundat in objectum, quatenus intellectui offertur sub ratione subjecti, vel prædicati, sub ratione abstracti vel concreti, in recto, vel in obliquo, nam isti quoque modi peculiari ratione afficiunt objectum, & ex parte ejus se tenent, quantum sufficit, ut distinctio rationis dicatur quoquo modo attingere objectum, non tamen sicut distinctio rationis ratiocinatæ, quæ licet versetur circa eandem rem, quia tamen non adæquate omnes ipsius rationes repræsentat, quilibet conceptus respiciens distinctam rationem in ipso objecto, format distinctam rationem objecti, quasi intrinsecam, quia ex his, quæ ipsi objecto intrinsece conveniunt, accipit unum, & relinquit aliud, & ita in esse objecti quasi intrinsece sit ista distinctio, quia fundatur in rationibus, quæ in ipso objecto saltem virtualiter ante operationem intellectus inveniebantur, quod adhuc magis quæst. sequent. explicabitur. Hic tamen retinere nolo non deficere modum probabiliter tuendi solam pluralitatem conceptuum formalium circa idem objectum sufficere ad distinctionem rationis ratiocinantis, si nimirum dicatur non sufficere pluralitatem conceptuum absolute sumptam, quia tunc sequeretur eandem rem eadem ratione cognitam a diversis, vel ab eodem diversis temporibus distingui ratione a se ipsa, sed exigi quamdam subordinationem, vel comparationem ejusdem ad seipsum diversimode consideratum, scilicet per modum subjecti, vel prædicati, in abstracto, vel concreto, in recto vel in obliquo, tunc enim intellectus utitur una re, ut pluribus, nam sic concipiendo, quasi dividit rem a seipsa, & in hoc sensu tuentur nonnulli Recentiores modum dicendi Suarez, & Vasquez, quod distinctio rationis ratiocinantis nullo modo cadat super objectum, juxta quem adhuc aptius secernitur distinctio ratiocinans a ratiocinata, & perspicue cernitur, quo pacto distinctio ratiocinatæ se teneat ex parte objecti, sed distinctio ratiocinans præcise ex diverso modo concipiendi idem objectum; juxta quam doctrinam etiam solvi possent impugnationes factæ supra contra illum dicendi modum.

Quoad alteram quæsiti partem, an distinctio rationis ratiocinantis sit proprie distinctio, & inter genera distinctionum connumeranda, Auctores illi, qui dicebant distinction. rationis ratiocinantis non tam esse distinctionem ejusdem a seipso, quam ejusdem omnino conceptus, & de eadem re repetitionem, hic consequenter negant hanc esse proprie distinctionem, & inter distinctionum genera connumerandam, cui opinioni favere videntur Nominales negantes idem proprie posse a seipso distingui etiam ratione, ut Greg. 1. dist. 8. qu. 2. art. 1. Ocham 2. dist. 2. quæst. 3. Gabriel ibi. Aliacens. qu. 6. art. 2. ac etiam nonnulli a Sirecto relati in hoc art. qui dicebant, hanc distinctionem esse omnino fictitiam, ac commentitiam, & prorsus inutilem.

261 Dicendum tamen est admitti posse, ac debere distinctionem rationis ratiocinantis, ut veram, & propriam distinctionem in suo ordine, dixi in suo ordine, quia in se, & absolute loquendo non est vera distinctio, sed concepta solum, seu ratione conficta ad instar distinctionis ex natura rei, nam alioqui absolute loquendo sunt idem a parte rei, quæ dicuntur ratione distincta. Hæc est communissima sententia recepta in omni schola Realium, ac etiam Nominalium, nam neque ipsi absolute negant distinctionem rationis in universum, sed solum idem posse a seipso distingui ratione, ita Arim. loc. cit. ubi expresse concedit duas secundas intentiones inter se ratione distingui v. g. rationem subjecti, & prædicati in propositione identica, & solum negat subjectum, cui conveniunt, secundum illas distingui a seipso, sed quicquid sit de intentione Nominalium in hac re, certum est a cæteris scholis hanc distinctionem admitti, ut veram, & propriam in suo ordine, idque expresse significavit Arist. 5. Metaph. cap. de eodem, ubi explicans identitatem esse uno quidem modo, quando intellectus utitur uno, ut duobus, loquitur in hunc modum, *quare palam, quia identitas unitas quædam plurium essendi, aut quando utitur uno, ut pluribus, veluti quando dixerit ipsum ipsi idem, nam ut duobus utitur eodem*, ex quibus verbis colligunt Expositores omnes distinctionem rationis ejusdem a seipso; Confirmat. hoc idem ex Aristot. pluribus in locis Vallo tractat. Formalit. artic. ultim. princ. apud quem videri possunt in conformitate hujus distinctionis cum Arist. Et etiam probari potest evidenti ratione, quia præter esse reale vere admittimus esse rationis, ergo præter distinctionem realem, vere debemus admittere distinctionem rationis, consequentia deducitur, quia omne esse sequitur unum, vel multa esse, ideoque idem, vel diversum esse, cum idem, & diversum ex 5. Metaphysic. fundentur super unum, & multa, unum autem, & multa sit passio entis, ergo si concedimus esse rationis, debemus pariter admittere unum, & multa rationis esse, ideoque identitatem, & distinctionem rationis. Probatur insuper a posteriori, quia videmus aliqua distingui, nec alio genere distinctionis posse distingui, nisi distinctione rationis, ut constat de his, quæ solum in modo significandi distinguuntur logicali, vel grammaticali, aut per solam intellectus collationem.

Conf. quia dantur entia rationis, ut in Logica probatum est, hæc autem abinvicem non nisi distinctione rationis secerni possunt, non autem distinctione ex natura rei, quia non sunt ex natura rei, distinctio autem cum sit accidens extremorum, nequit habere firmius, & perfectius esse, quam habeat fundamentum, vel subjectum, in quo est. Dices cum quibusdam etiam ex Scotistis hanc rationem non valere, quia licet entia rationis effective dependeant a ratione, non tamen sola ratione distinguuntur, sed seipsis formaliter ex natura rei, nam posita ratione subjecti, & prædicati per intellectum, vel generis, & speciei, consurgit negatio identitatis inter illa absque ulla negatione intellectus circa illam negationem, ergo distinctio rationis non habet esse objectivum, sed subjectivum in extremis. Contra, quia licet verum sit in latitudine distinctionis rationis servata proportione assignari debere omnes gradus, qui inveniuntur in latitudine distinctionis realis, nam utique majori distinctione differt intentio generis ab intentione speciei, quam intentio unius speciei ab intentione alterius, ut postea dicemus, tamen omnes istæ distinctiones majores vel minores continentur infra latitutidem distinctionis rationis, nam quicquid continetur in ente rationis est ens rationis, & sic omnes illæ distinctiones habent esse præcise objectivum saltem ex vi illius cognitionis, per quam existunt extrema, dans enim esse, dat etiam consequentia ad esse præsertim quando consequentia sunt negativa, ut in proposito est distinctio sumpta pro negatione identitatis, quæ ex natura rei videtur convenire duabus intentionibus disparatis, v. g. generis, & speciei, subjecti, & prædicati, cum enim dicitur talis distinctio convenire illis ex natura rei, ly *ex natura rei*, non excludit operationem intellectus, sed significat illis convenire ex conditione, & naturali constitutione ipsorum; unde præciso opere intellectus ea negatio dici potest convenire illis extremis fundamentaliter solum, & radicaliter, non autem formaliter, nisi actu cognoscatur, & objiciatur intellectui, & sic adhuc habebit esse objectivum, si non formaliter, saltem radicaliter in entitate, vel pluralitate extremorum; posset etiam dici convenire formaliter præciso opere intellectus, quod enim regulariter dicitur existentiam objectivam entis rationis non haberi, nisi per opus intellectus, id verum est, quando distinctio sumeretur, ut positiva habitudo inter extrema, aut negatio concideretur ad modum positivi, ac sumendo negationem præcise sub ratione negationis sufficit, quod habeat existentiam objectivam ratione extremorum.

262 Dices rursus argumentum probare solum intentionem subjecti v. gr. ratione distingui ab intentione prædicati, non autem subjectum, cui conveniunt in propositione identica, a seipso distingui ratione merito illarum; quia res, quæ est a parte rei in se indistincta prorsus realiter, formaliter, & virtualiter, non potest per intellectum dividi, & distingui, cum nequeat intellectus immutare rerum entitates, ac identitates. Contra quia cum quæritur, an idem secundum rationem possit a seipso distingui, sensus non est, an per ejusmodi actum collativum intellectus ponatur aliqua vera distinctio a parte rei in ipsa entitate rei, tunc enim esset implicantia in adjecto, & sensus esset, an id quod est idem sibi ipsi realiter, & formaliter, quatenus tale a seipso realiter distinguatur, cum quia certum est, intellectum per suam operationem talem distinctionem in rebus causare minime posse, sed sensus est, an id, quod est omnino idem a parte rei secundum diversum esse objectivum, ac intentionale, quod ab intellectu suscipere potest, possit veluti cogitari a se ipso distinctum, adeout secundum diversa illa esse rationis contradictionem fundare possit, quod nimirum idem Petrus in propositione identica possit dici subjectum, & non subjectum, prædicatum, & non prædicatum juxta diversas intentiones, quas fundat, in quo quidem nolla cernitur implicantia, & ratio est, quia potest res omnino eadem cum retentione suæ entitatis, ac realis identitatis acquirere novum esse objectivum, itaut rationes distinctivæ sint secundæ intentiones; & talis distinctio rationis utique cum identitate reali compossibilis erit, quia sumitur penes denominationes rationis, quæ nequeunt intrinsece, ac realiter immutare entitatem objecti.

Denique distinctio ista rationis, quamvis non habeat fundamentum in re, ut distinctio rationis ratiocinatæ, adhuc tamen est prorsus inutilis, & a scholis eliminanda, immo valde confert ad explicandas varias objectorum conceptibilitates in ordine ad intellectum nostrum imperfecte concipientem, ad dignoscendas prædicationes identicas, ut a formalibus secernuntur, ut enim conficiat hanc prædicationem, homo est homo, opus est, ut hominem quasi a seipso disponat concipiendo illum nunc per modum subjecti, nunc prædicati, & utendo illo, veluti duobus, ut docet Aristot. loc. sæpe cit. 5. Metaphysic. capit. de eodem; conducit tandem ad exactam rerum notionem habendam, ut sciamus quæ ex natura rei discreta sunt, & quænam beneficio dumtaxat intellectus.

Contra prædicta arguitur, quod hæc distinctio rationis sit vana, nec inter distinctiones proprie connumeranda; omnis distinctio, quæ non fortitur robur a re, nec ullum habet fundamentum, & occasionem a parte rei, est vana & chimærica, sed distinctio rationis ratiocinantis est hujusmodi, quia ipsa nullum habet fundamentum a parte rei, & per hoc præsertim secernitur

nitur a distinctione rationis ratiocinatæ, ergo &c. Conf. quia ex vi hujus distinctionis intellectus rem intelligit aliter, quam sit, & consequenter fallitur, ac decipitur, ergo hæc distinctio est falsa, ac deceptoria, quia intellectus rem intelligens aliter, quam sit, est falsus; probatur assumptum, quia ex vi hujus distinctionis intelligit eam rem esse distinctam, quæ a parte rei est omnino indistincta tam realiter, quam formaliter, ac virtualiter. Neque dicas, tunc intellectum esse falsum, cum intelligit res in se, & aliter ac sunt in se, ex vi autem hujus distinctionis intelligere res, ut sunt in esse cognito, & objectivo, ac proinde non falli, quia secundum tale esse objectivum res est distincta. Nam contra est, quod juxta hanc responsionem numquam intellectus falleretur, quia omnia, quæ intellectus in re intelligit, illi conveniunt in esse cognito.

Resp. Magister Formalit. & cum eo cæteri Formalistæ negando minorem, quia ista distinctio rationis fortitur robur a re, idest a non repugnantia rei ad sic concipi, & ideo non est pure fictitia, & chimærica, quod adhuc magis declarando Formalistæ ajunt, quod originative accipit robur a re eo modo, quo declarat Doctor universale habere fundamentum in rebus qu. 4. Univers. quia causatur a proprietate reperta in re, a quo intellectus movetur occasionaliter ad ipsum causandum; ita in proposito intellectus facit hujusmodi distinctionem ex aliqua occasione reperta in re, quia enim regulariter in propositione subjectum dicit diversam rationem objectivam a prædicato, & significat rem, vel saltem formalitatem diversam, hac occasione motus intellectus in propositione identica quoque per suam operationem distinguit Petrum ratione subjecti a seipso in ratione prædicati, & utitur uno, ut duobus. Sed plane ita dicendo videtur poni ista distinctio cum fundamento in re, atque ita destrui discrimen inter ipsam positum, & distinctionem ratiocinatam, patet assumptum, quia ut constat ex dictis disp. 3. Logic. qu. 7. per fundamentum entis rationis illud intelligitur, quod est specialis quædam occasio, ac veluti motivum urgens intellectum ad excogitanda entia rationis, & tali, vel tali modo fingenda, itaut intellectus non temere, & mere gratis, sed ex ipsis rerum proprietatibus occasione desumpta efficiat entia rationis, & per hoc præcise discrevimus ibi entia rationis fundata a non fundatis, quæ dicuntur mere figmenta, ac entia prohibita; si igitur distinctio rationis ratiocinantis talle habet fundamentum in rebus, jam & ipsa quoque erit distinctio rationis cum fundamento in re, quod tamen solius distinctionis ratiocinatæ proprium esse solet. Conf. quia distinctio rationis ratiocinantis, quæ versatur inter ipsa entia rationis, proprie habet fundamentum in rebus, circa quas versatur, quia necessitatur intellectus ad illam sic vel sic effingendam, & non aliter, nam si distinguit duas intentiones ejusdem rationis, ut duas specieitates, vel genereitates, distinctionem rationis numericam inter ea machinatur, si vero distinguit duas intentiones alterius, & alterius rationis, ut genereitatem, & specieitatem, fingit inter eas distinctionem specificam, ergo talis distinctio vere habet fundamentum in re, & est ens rationis fundatum, & quodcumque aliud, quod fundatum dicatur.

263 Quare dicendum est, quod loquendo de fundamento entis rationis in hoc sensu, non minus est eus rationis fundatum distinctio ratiocinans, quam ratiocinata, unde cum hæc distinguatur ab illa per hoc, quod una habet fundamentum in re, alia non habet, non est sermo de fundamento in hoc sensu, nec de fundamento earum in ratione entis rationis, sed in ratione distinctionis, quatenus nempe distinctio ratiocinata versatur circa rem, quæ licet a parte rei sit una, & eadem tam realiter, quam formaliter, tamen ob sui eminentem naturam æquivalet pluribus rebus, ac formalitatibus, & ideo dicitur virtualiter multiplex, & hæc virtualis multiplicitas præcedens in objecto distinctionis ratiocinatæ dicitur fundamentum, unde movetur intellectus ad formandos diversos conceptus inadæquatos de illa re, quibus singulis diversæ correspondeant formalitates, perinde ac si in illa re proprie extarent a parte rei, quod quidem fundamentum objectivum multiplicitatis virtualis non habet distinctio rationis ratiocinantis, quia versatur circa objectum, quod a parte rei est unum, & idem tam realiter, quam formaliter, & virtualiter, adeout tota distinctio proveniat ex parte intellectus illud idem objectum diversimode intelligentis, non autem ex parte objecti, ut magis explicabitur quæst. sequent. artic. 2. & ideo hæc distinctio nullum dicitur in hoc sensu fundamentum habere a parte rei, neque ob id dici debet omnino vana, & chimærica, ut urgebatur in argumento, quia licet non habeat fundamentum in hoc sensu, habet tamen fundamentum in alio sensu, quod satis est, ne dicatur prorsus vana, & chimærica.

Ad Conf. respondet idem Sirectus, intellectum duobus modis posse rem intelligere aliter, quam sit, primo sub modo suæ naturæ non repugnanti, veluti si abstrahat a materia lineam eam consideraado præcise non considerata materia, & sic intelligendo non fallitur intellectus; secundo sub modo, repugnanti, compositive scilicet, & divisive, hoc est, tribuendo rei per affirmationem, quod re vera ipsi non convenit, vel negando, quod convenit, & sic intelligendo rem aliter quam sit, fallitur intellectus. Et est, quod alii dicunt, intelligere rem aliter, quam sit, posse intelligi dupliciter, præcisive, vel divisive; intellectio præcisiva est, secundum quam aliquid includens plures rationes potest præcise concipi secundum unam illarum, alia non concepta, per quam intellectionem nihil affirmatur, vel negatur, quia fit per primam intellectus operationem, & ideo in ea non contingit falsitas, qua de causa dicebat Aristot. 2. Physic. 18. abstrahentium non esse mendacium; intellectio autem divisiva est, qua aliquod ab aliquo separatur intellectu dividente per secundam operationem; ex quo sequitur multa esse inseparabilia in re, quæ tamen per intellectum separari possunt absque mendacio per actum præcisivum spectantem ad primam operationem, quo consideratur unum alio non considerato, & ita est in proposito, cum enim intellectus concipit unum, & idem a seipso ratione distingui, non affirmat in re esse distincta, quæ sic concipit, sed simpliciter, & absque compositione, seu affirmatione, aut negatione ea concipit, ut distincta per abstractionem præcisivam, per quam quasi efficit hujusmodi distinctionem. Dices saltem per actum reflexum posse componere, & de rebus sic conceptis distinctionem prædicare, & tunc falsus erit. Negatur iterum consequentia, quia adhuc in tali reflexione non affirmant simpliciter illas esse distinctas, sed tantum secundum quid, idest secundum rationem, unde non affirmat eas esse distinctas distinctione opposita eorum indistinctioni, tunc enim utique falleretur, & sic neque in actu reflexo intelligit rem aliter, quam sit, modo fallaci, ac deceptivo.

Deinde arguunt Nominales probando idem a seipso, nec etiam ratione distingui posse, quia quod est distinctum ab altero, non debet esse illud, a quo distinguitur, cum ergo in distinctione ejusdem a seipso debeant concipi duo extrema distinctionis, atque adeo duo distinctiva, sequeretur, quod idem non esset seipsum, quod est implicatorium. Tum 2. implicat eandem rem fieri non ipsam, sive realiter, sive ratione, sed si distingueretur ratione a seipsa, jam ipsa fieret non ipsa, quia si distingueretur a seipsa, esset alia a se ipsa, & sic esset non ipsa, ergo &c. Tum 3. cum distinctio sunder contradictionem, si idem distingueretur a seipso, aliqua ratio esset ejusdem, & non esset ejusdem, quod implicat, consequentia patet, quia quatenus idem esset unum extremum, haberet aliquam rationem, ut esset contradictorium positivum, quatenus vero in hac distinctione esset alterum extremum, illam non haberet. Tum 4. vel in intellectu nostro sunt eadem extrema, quæ præsupponuntur, & sic cum in se non sint distincta, neque erunt distincta in nostro intellectu, vel non sunt eadem, & sic jam non intelligimus illa, atque adeo neque ponitur distinctio inter illa. Tum 5. idem per rationem non evadit multiplex, quod autem distinguitur, evadit multiplex, quod si dicas idem evadere multiplex objective, hoc indicat solum distinctionem inter ipsos conceptus formales, non autem ejusdem a se ipso. Tum 6. nam hæc distinctio rationis ejusdem a seipso vel oritur ex diversis conceptionibus ejusdem rei, vel ex diversis intentionibus eidem rei applicatis ab intellectu; non primum, quia sicut ex eo, quod objectum per visiones aliter, & aliter videatur, vel audiatur, non multiplicatur, neque distinguitur ratione, vel sensatione a seipso, ita nec ex eo, quod eadem res concipiatur diversis conceptibus, vel diverso modo, multiplicari potest, vel distingui, neque secundum, quia non magis ex rationibus causatis in eadem re potest oriri distinctio in illa, quam ex realitatibus causatis per causam physicam circa eandem, sed ex causatis realibus non ponitur distinctio in subjecto, sed solum inter realitates ipsas causatas, ergo pariter in proposito nequit causari distinctio ex illo capite, nisi inter ipsa entia rationis, vel secundas intentiones eidem rei applicatas. Tum 7. si idem realiter muretur, ut si homo ex calido frigescat, hoc non facit, quod ille homo distinguatur a seipso, ergo multo minus id præstabit operatio intellectus, cum ponat minorem mutationem. Tum 8. implicat aliquid dividi a seipso etiam per potentiam Dei, ergo tanto minus per intellectum, quia distinguere est dividere. Tum 9. extrema habentia relationem identitatis non possunt acquirere relationem distinctionis, nisi variato fundamento, & termino, quia manentibus eisdem extremis, semper eadem permanet relatio, sed extrema habentia identitatem a parte rei non mutantur ex vi intellectus, ergo &c. Tum 10. quia sicut ens rationis non potest distingui per ens reale, ita neque ens reale poterit distingui per ens rationis. Tum tandem, quia licet intellectus rem compositam possit dividere in partes, non tamen rem simplicem vel compositam a seipsa dividere, ut tota sit in uno extremo, & tota in altero.

264 Respond. ad 1. in distinctione reali simpliciter, & absolute dicta utique verum est, quod unum extremum non debet esse alterum, sed in aliis distinctionibus minoribus opus non est, quod unum non sit totaliter alterum, sed satis est, quod non sit alterum secundum illam rationem, secundum quam distinguitur, sic enim habetur adhuc sufficiens ratio distinctionis, & sufficiens constitutivum extremorum; potest igitur idem a parte rei per opus intellectus acquirere plura esse rationis, & secundum illa fundare contradictionem, & ut subsistat uni secundæ intentioni distingui a seipso, ut subsistat aliteri, itaut rationes distinctivæ sint ipsæ secundæ intentiones, eo fere modo, quo dicimus lac, ut dulce, distingui accidentaliter a seipso, ut albo, quatenus concretum ex lacte, & dulcedine distinguitur a concreto ex lacte, & albedine; quare cum dicimus idem a seipso ratione distingui, sane sensus non est, idem quatenus realiter, & formaliter sibi ipsi idem, a seipso distingui, hoc enim utique implicatorium esset, sed solum distingui a seipso secundum aliquod esse rationis, quod de novo acquirit ex eo, quod per intellectum cum seipso comparatur, quod est secunda intentio. Ad 2. patet per idem, eadem enim

nim res non fit per rationem non ipsa secundum rem, adeo ut Petrus fiat non Petrus secundum rem, sed solum fit non ipsa secundum rationem, quia sicut una ratio objectiva, vel secunda intentio per rationem non est alia, ita Petrus v. gr. substractus in identica propositione illis secundis intentionibus secundum unam rationem non est ipse secundum aliam, sicut lac dulce non est ipsum quarenus album, eo pacto quo dicebat Aristot. 1. Physic. 62. Sortem, ut in domo, esse a seipso diversum, ut in foro. Ad 3. eadem ratio dicitur, & non dicitur de eodem, non quidem quatenus idem sibi ipsi, sed quatenus fundat plures secundas intentiones, secundum quas veluti rationes distinctivas potest fundare contradictionem; sic punctum in linea dicitur habere rationem principii, & finis, non quidem secundum suam entitatem nude sumptam, sed dicitur principium, ut consideratur in ordine ad lineam sequentem, & finis ut consideratur in ordine ad lineam præcedentem, & ut habet rationem principii distinguitur a seipso, ut habet rationem finis, & ratio principii est puncti, ut consideratur in ordine ad lineam sequentem, & non est ejus, ut consideratur in ordine ad præcedentem, e contra autem ratio finis, & sic dicendum de aliis, quæ sunt idem realiter, & distinguuntur ratione secundum diversas rationes convenientes eidem rei materialiter acceptæ, sed non eidem formaliter objective sumptæ. Ad 4. dicitur esse quidem eadem extrema in intellectu, quæ extra intellectum, sed adhuc negatur consequentia hinc deducta, quia in intellectu habent quædam respectu rationis, quem non habent in se extra, & ideo possunt per intellectum distingui. Ad 5. utique per intellectum nequit aliquid evadere multiplex a parte rei, quia intellectus non immutat physice res ipsas, sed sicut illas potest immutare intentionaliter, ita quoque potest in illis causare multiplicitatem secundum esse objectivum, & intentionale, neque ex hoc sequitur sola distinctio in conceptibus formalibus, sed etiam quoquo pacto redundat in objectum saltem per extrinsecam denominationem, ut ab initio quæsiti monstratum est.

265 Ad 6. dico ex utroque illo capite originari distinctionem rationis ejusdem a seipso, nimirum tum ex diversis conceptionibus ejusdem rei, tum ex diversis intentionibus ab intellectu eidem applicatis, ab illis quidem quasi in genere causæ efficientis, ab istis vero, veluti in genere causæ formalis, quia objectum formaliter afficiunt ut formalia distinctiva rationis: ex primo quidem capite originari potest, quia ita objectum esse cognitum refertur ad unum actum, ut quatenus ad ipsum refertur non referatur ad alterum, adeout secundum ista diversa esse cognita possit fundare contradictionem, cum ergo concedenda sit distinctio, ubi est contradictionis fundamentum, secundum illam rationem, quæ fundat contradictionem, plane cum idem ad seipsum refertur per comparationem intellectus in ratione prædicati, & subjecti, concedenda est distinctio rationis juxta diversitatem harum denominationum in eo, de quo verificatur contradictio; posset etiam dici rem non distingui intentionaliter præcise ex multiplicitate cognitionum, sed ex diverso modo, quo cognoscitur, quia cognoscitur sub diversa ratione formali, scilicet in recto, vel in obliquo, in abstracto, vel in concreto sub ratione subjecti, vel prædicati, per quod patet ad impugnationem assumpti ex isto capite, quia esse visum, vel auditum non tantam diversitatem secum afferunt in objecto viso, vel audito. Ex alio etiam capite originari potest distinctio rationis in objecto, scilicet ex diversis intentionibus eidem applicatis ab intellectu, ex hoc enim, quod est fundamentum diversarum intentionum sundat etiam contradictionem, scilicet subjecti, & non subjecti, prædicati, & non prædicati, quia quatenus est fundamentum unius secundæ intentionis, non est fundamentum alterius, & sic quodammodo distinguitur a seipso, ut substat illis, & sic distinctio reperta inter illas redundat etiam in objectum, ut ab illis afficitur; per quod patet ad aliam impugnationem ex isto capite, nam etiam in subjecto causatur aliqua distinctio ex diversis denominationibus accidentalibus, quia eadem res, ut subjectum unius præcise conceptum non est subjectum alterius, licet adæquate conceptum idem sit subjectum utriusque, ut dictum est de lacte respectu albedinis, & dulcedinis. Ad 7. negatur, quod dum homo ex calido fit frigidus, non causetur aliqua distinctio, & diversitas secundum esse accidentale ejus, quia concretum ex homine, & calore differt a concreto ex homine, & frigore, unde sicut dicimus hominem senem differre a seipso puero, ita dicere possumus hominem nunc frigidum differre a seipso antea calido sub illa reduplicatione, unde constat eandem rem diverso modo conceptam distingui posse a se ipsa secundum rationem. Ad 8. negatur consequentia, quia in antecedente manifesta est implicantia, quia tunc idem realiter, ut sic, distingueretur a seipso realiter, at non in consequente, quia res eadem retinendo suam realem identitatem potest acquirere plura esse intentionalia, & secundum hanc pluralitatem intentionalem fundare ad seipsam distinctionem rationis modo jam explicato. Ad 9. extrema habentia identitatem a parte rei utique non mutantur realiter ab intellectu, & ideo ex actione ipsius non amittunt realem identitatem, mutantur tamen intentionaliter, & ut terminus cognitionis, quod satis est ad fundandam distinctionem rationis minime repugnantem identitati reali. Ad decimum non valet paritas, ens enim rationis nequit distingui per ens reale, quia ens reale fundare non potest, at ens reale fundare potest ens rationis, & diversas secundas intentiones per actum collativum intellectus, ac merito illarum a se ratione distingui. Ad ultimum negatur non posse intellectum applicando eidem rei diversas secundas intentiones ita ipsam a seipsa distinguere, ut tota sit in uno extremo, ac etiam tota in altero, quia ratio distinctiva, & formaliter constitutiva extremorum distinctionis rationis est aliquid secundæ intentionis, quod res acquirit ab intellectu illam cum seipsa comparante; eadem ergo res cum tota sua realitate est in utroque extremo, vel sub utroque extremo distinctionis, alioquin non conciperetur idem a seipso distingui, sed quia quatenus fundat unam secundam intentionem, non fundat alteram, ideo secundum rationem distinguitur a seipsa, neque hinc fit idem a seipso dividi, ut adæquate dicit utramque rationem, in duo adæquata extrema, sicut compositum non dividitur a seipso, ut compositum, in duo composita, sed dividitur in duas rationes inadæquate contentas, tanquam in duas partes illius.

266 Quoad ultimam quæstionis partem, an scilicet in distinctione rationis sint assignandi gradus. Saxius tom. 1. suæ Catast. disp. 8. qu. 2. partem amplectitur negativam, etiamsi cum Doctore qu. 6. Univers. ad 4. in entibus rationis gradus admittat; Movetur, quia quæ sunt minimæ entitatis non bent gradus majoritatis, vel minoritatis, sed distinctiones rationis sunt minimæ entitatis, ergo &c. patet major, quia alioquin daretur minus minimo. Probat. min. nam distinctio rationis minoris entitatis est quam ens rationis, ut per se constat, cum sit ejus passio, ergo est in infimo gradu minoritatis intra coordinationem entium rationis, aliter enim esset processus in infinitum, nisi deveniendum esset ad unum ens rationis minimæ entitatis, & hoc dubio procul erit distinctio rationis. Deinde probat, quia si bene res perpendatur, inquit, nedum in distinctionibus rationis hic ordo graduum non reperitur, sed nec etiam in aliis distinctionibus; de distinctione reali patet, quia non magis distinguitur homo ab equo, quam a lapide planta, quia semper est distinctio inter rem, & rem, ita pariformiter in distinctione formali non magis distinguuntur passio, & suum subjectum, quam potentiæ animæ, & ipsa anima &c. ergo tanto magis id asserendum erit de distinctione rationis, nam si de quo magis videtur inesse, & non inest, ergo & de quo minus. Denique probat, quia omnis distinctio, cum sit relatio, consistit in indivisibili, nec suscipit magis, & minus, ergo distinctio rationis non potest habere gradus, ita quod una sit major alia.

Dicendum tamen est, nedum distinctionem realem, seu ex natura rei, sed distinctionem quoque rationis habere graduum latitudinem in suo ordine. Hic est communis omnium sensus in omni schola, & quidem de distinctione reali, seu ex natura rei, ut secernitur a distinctione rationis, negari non potest, hac enim via nempe ex latitudine graduum in distinctione præter opus intellectus assignabili vestigavit Doctor distinctionem ex natura rei formalem mediam inter realem simpliciter, & simpliciter rationis, ut videre est apud ipsum 1. d. 2. qu. 7. §. *Sed hic restat*, cum enim ex Arist. 5. Met. identitas fundetur super unitatem, & distinctio supra pluralitatem, ibi Doct. assignat sub lit. Hh. varios gradus unitatis, ut hinc colligeret varios gradus distinctionis realis, quia illa est major distinctio, quæ stat cum minori unitate, & illa est minor distinctio, quæ stat cum majori unitate, unde infert, quod cum distinctio formalis ex natura rei stet cum unitate, & identitate reali, concedendum est, quod sit minor distinctione reali, atque ideo, quod dentur gradus majoritatis, & minoritatis intra ambitum distinctionis præter opus intellectus, & major dicatur esse inter rem, & rem, minor vero inter realitatem, & realitatem. Quod adhuc etiam confirmari potest evidenti ratione de ipsa distinctione reali proprie dicta, quot modis dicitur unum oppositorum, tot dicitur & reliquum, sed dantur varii gradus identitatis realis, ergo etiam & varii gradus distinctionis, probatur minor ex Arist. loc. cit. 5. Met. cap. de eodem, cum enim identitas super unitatem fundetur, quot dantur gradus unitatis, totidem quoque assignari debent identitatis, atque ideo sicut datur unitas numerica, specifica, & generica, sic etiam & identitas, unde a primo ad ultimum infertur, quod intra ambitum realis distinctionis dari debent diversi gradus distinctionis realis, quorum unus sit major alio, plus enim realiter distinguuntur, quæ abinvicem sunt genere discreta, quam quæ specie, & amplius quæ differunt specie, quam quæ solo numero; nam si solam numeralem diversitatem dicamus esse realem ait Doct. d. 3. q. 1. D. quod cum omnis diversitas numeralis, inquantum numeralis, sit æqualis, omnia forent æqualiter distincta, & sic non magis differrent Sortes, & lapis, quam Sortes, & Plato, quod gratis concedere videtur Saxius d. cit. n. 26. dum inquit non magis distingui lapidem a planta, quam hominem ab equo, quod quam falsum sit, etiam rudis quisque dignoscere potest, quia homo, & equus conveniunt in genere proximo, non tamen lapis, & planta. Et sane si distinctio, ut sic, consistit in indivisibili, nec patitur graduum latitudinem majoritatis, vel minoritatis, nec specificam, nec individualem, ut asserrit Saxius, non solum una distinctio realis, vel rationis non erit major alia, vel minor intra suum ordinem, sed neque distinctio realis erit major distinctione rationis simpliciter, & absolute loquendo, sed omnes distinctiones sive reales, sive rationis erunt æquales, quia distinctio

ctio ut sic consistit in indivisibili, & gradus non admittit neque specificos, neque individuales, & quicquid ipse dicet ad hanc rationem, hoc ipsum dissolvet argumenta sua, quibus probat non dari gradus nec distinctionis realis, nec rationis intra propriam earum lineam, & quidem graduum latitudinem in distinctione reali clare Doct. ostendit quol. 2. in fine.

267 Ex hoc vero, quod dentur gradus in distinctione reali, seu ex natura rei, statim deducitur dari quoque suo modo in distinctione rationis ob regulam generalem assignatam disp. 3. Log. q. 7. quod nimirum quicquid simpliciter invenitur in ente reali, hoc ipsum invenitur secundum quid in entibus rationis, cum ens rationis omnino concipiatur ad instar entis realis, & ideo determinatum est ibi cum Scot. q. 6. Univers. ad 4. quod sicut intra lineam entis realis dantur varii gradus essendi simpliciter, ita quoque secundum quid in entibus rationis; sic igitur & in proposito, cum distinctio rationis concipiatur ad modum distinctionis realis, quot gradus simpliciter assignantur in distinctione reali, totidem secundum quid assignari debent in distinctionibus rationis; sicut ergo distinctio realis ad pluificationem realem, numericam, specificam, & genericam, dividitur in distinctionem realem, numericam, specificam, & genericam, ut patet ex 5. Met. cap. de eodem, sic etiam cum gradus isti pluralitatum reperiantur in entibus rationis, licebit distinctiones rationis ita multiplicare, ut omnino pluralitatibus correspondeant, Conf. quia tot modis dicitur unum oppositorum, quot dicitur reliquum, sed dantur plures gradus identitatis rationis, ergo & plures gradus distinctionis; Prob. min. quia tot modis dicitur idem, quot modis dicitur unum, quia identitas fundatur supra unitatem, sed unitas rationis est triplex, numerica, specifica, & generica ex Doctore qu. 9. Univers. ergo &c. Conf. rursus, quia non omnium entium rationis æqualis est identitas, vel distinctio, ut discurrenti patebit, etenim minus differunt homo, & equus in ratione speciei, quam homo in ratione speciei, & animal in ratione generis, & adhuc minus differunt, quam animal in ratione prædicati, & Leo in ratione subjecti, & non alia ratione, nisi quia species in homine, & species in equo solo numero differunt, cum omnes specieitates sint intentiones ejusdem rationis, ratio vero speciei in homine, & generis in animali specie differunt, quia genereitas, & specieitas sunt intentiones alterius, & alterius rationis, & sic de aliis; ergo dari debent varii gradus distinctionis rationis, cum non omnia entia rationis sint æqualiter eadem, Conf. adhuc, quia species minus differt a seipsa in ratione subjecti, & prædicati in propositione identica, quam a sua propria passione, & adhuc minus differt a propria passione, quam differat a genere, & ideo dicimus differre a genere realiter secundum quid, a propria passione formaliter secundum quid servata proportione ad ens reale, & tandem a seipsa in propositione identica distingui ratione, ergo re vera in distinctione rationis graduum latitudo admitti debet, cum non sit æqualis omnium entium rationis identitas, & distinctio. Et quidem hanc doctrinam non obscure significavit Doctor quol. 6. art. 2. princ. sicut notavit Laurentius Brixiens. tract. formal. art. 1. part. 2. princ. ibi enim satis aperte docet in entibus, & relationibus rationis, nedum esse pluralitatem, sed etiam oppositionem, & distinctionem correspondentem illi pluralitati, & sic etiam discurrit Bargius 1. d. 2. q. 2. ubi loquendo de definito, & definitione formaliter sumptis inquit, quia pro formali sunt duæ intentiones disparatæ, realiter differunt eo modo, quo distinctio realis ibi reperitur.

268 Neque rationes adductæ a Saxio in oppositum nu. 266. sunt alicujus momenti; prima quidem si concluderet, nedum a distinctione rationis graduum latitudinem excluderet, sed etiam a toto genere entis rationis, cum sit omnium entium minimum, nam infra ens rationis aliud non remanet, quam nihil, quod tamen est contra ipsum admittentem in ente rationis varios gradus essendi cum Doctore loc. cit. sicut ergo in ente rationis, etiamsi sit minimæ entitatis, gradus admittuntur absque eo, quod detur ens minus minimo, quia ens rationis dicitur ens minimum per comparationem ad ens reale, cum quo adhuc stat, quod intra lineam suæ minimitatis sit graduum latitudo, ita quoque in distinctionibus rationis gradus admitti debent, cum non omnia æqualiter distinguantur intra lineam distinctionis rationis; unde licet concedatur esse minoris entitatis, quam sit ens rationis, cum ponatur ejus passio, adhuc tamen negatur, quod sit in infimo gradu minoritatis, quia adhuc cogitari potest alia secunda intentio, super eam fundata, quæ erit minoris entitatis ea, si verum est universaliter, quod fundamentum est majus ens fundato, neque processus in infinitum inconvenit in entibus rationis, ut docet Scot. 4. d. 6. q. 10 lit. E. & alibi frequenter, id enim aliud non significat, quam intellectum posse successive in infinitum intelligendo reflectere se supra objecta cognita, & invicem illa comparare in attributo rationis, quod si etiam daretur status in secundis intentionibus, ut nonnulli Scotistæ contendunt, qui tantum tres gradus assignant in illis, adhuc falsum est, distinctionem rationis contineri in ultimo & infimo gradu illarum, quia in primo gradu ponunt secundas intentiones fundatas in primis, in secundo passiones fluentes ab ipsis, & in tertio modos, sub quibus concipiuntur; distinctio autem rationis est passio, non modus entis rationis, & ideo continetur in secundo, non in tertio, & ultimo gradu; & adhuc quando in ultimo & infimo gradu entium rationis contineretur, ut contendit Saxius, distinctio rationis, non obstat, quin possit in ea assignari graduum latitudo, quia omnes distinctiones rationis, quæ assignarentur majores, vel minores, clauderentur singulæ sub illo tertio gradu, qui dicitur infimus inter omnes, & in illo ipsomet gradu posset assignari distinctionum latitudo, & varietas, pro quo vide dicta de secundis intentionibus disp. 3. Log. qu. 8. art. 2. in fine. Ad 2. jam constat falsum esse in distinctione reali non dari graduum latitudinem, & non magis distingui plantam a lapide, quam hominem ab equo, qui in genere proximo conveniunt; & hæc graduum latitudo notari etiam potest in distinctione formali, quia in divinis v. g. tam relationes, quam attributa ex natura rei formaliter a divina essentia secernuntur, & tamen intra latitudinem ejusdem formalis distinctionis major est distinctio relationum ab ea, quam distinctio attributorum, quia hæc sunt essentialia, illa vero notionalia, qua ratione ajebat Aug. 7. de Trin. cap. 5. non eo Pater, quo Deus, eo tamen sapiens, quo Deus, quia sapientia est aliquid essentiale, paternitas vero notionale. Ad ult. jam dictum est, quod si illa ratio concludit, probat etiam absolute loquendo distinctionem realem non esse majorem distinctione rationis, quia distinctio, ut sic, consistit in indivisibili, nec patitur graduum latitudinem; negatur itaque relationem omnem consistere in indivisibili, & non suscipere magis, & minus ratione saltem fundamenti; immo ut dictum est disp. 8. log. qu. 11. valde probabile est, quasdam relationes nedum fundamentaliter sed etiam formaliter in sua entitate suscipere magis, & minus, & tales præsertim dicebamus esse inæqualitatem, & dissimilitudinem, unde cum distinctio quoque sit quædam dissimilitudo, idem etiam judicium de ea ferendum est, quod magis, & minus formaliter suscipere possit. Quod si hoc concedere quispiam recuset, sat nobis erit ad concludendum intentum concedere, quod saltem ratione fundamenti possit distinctio suscipere magis, & minus, eo vel maxime, quia ut sæpius est inculcatum, hic non est sermo de distinctione rationis ratione relationis formaliter importatæ, sed ratione fundamenti, ad quod consequitur talis relatio.

De identitate rationis ratiocinantis pro complemento quæstionis remaneret agendum, sed paucis rem expediemus; nam ex distinctione opposita colligitur identitatem rationis esse illam, qua aliqua sunt omnino idem, vel aliquid est idem sibi ipsi, etiam in ordine ad intellectum concipientem, quæ ultima particula consulto additur, quia cum identitas rationis ratiocinantis sit summa identitas, non ipsi sufficit, quod res in seipsa habeat identitatem, nisi etiam habeat in ordine ad intellectum. Unde non credo esse omnino verum discrimen, quod hic ponunt Formalistæ inter identitatem, ac distinctionem rationis, nimirum quod distinctio rationis fit ab intellectu, non autem identitas rationis, sed hæc supponitur, & solum dicitur rationis, quia in ordine ad cognitionem retinet secundum esse objectivum omnimodam indistinctionem, qua ratione vocant identitatem rationis absolutissimam, hoc est, omnino idependentem ab actu intellectus; hoc, inquam, non credo omnino verum; quia ut, dixi, cum sit summa omnium identitas, non ei sufficit quod res in seipsa habeat identitatem, nisi præcipue eam habeat in ordine ad intellectum. Tum quia unitas esse objectivi, in quo talis fundatur identitas, est unitas rationis, & habet esse dependenter ab intellectu, ergo etiam & identitas super ipsam fundata. Tum tandem quia loquendo præsertim de identitate hac ratione relationis per ipsam formaliter importatæ, identitas rationis est ejusdem ad se, sed nulla relatio est ejusdem ad se, nisi sit per actum collativum intellectus, ergo identitas rationis necessario dependet ab actu collativo intellectus.

QUÆSTIO XV.

De Identitate, & Distinctione rationis ratiocinatæ.

MEmbrum aliud, quod dividebat distinctionem rationis, ut sic, erat distinctio rationis ratiocinatæ, quæ oritur ex vi præcisiva intellectus, & habet fundamentum a parte rei; in hac igitur quæstione natura hujus distinctionis, quæ adeo frequens est apud Philosophos, & Theologos, exponenda est, & ne rerum ac difficultatarum copia in hac materia emergentium confundamus eam in tres articulos secabimus, in quorum primo ejus notionem explicabimus, & a distinctione formali secernemus, in altero autem, quale debeat esse ejus fundamentum, declarabitur, & demum in tertio, an ista distinctio sufficiat ad contradictionem tollendam.

ARTICULUS I.

Quid sit ista distinctio, nec ipsam cum formali coincidere.

269 DIstinctio rationis ratiocinatæ, quæ alio nomine vocatur distinctio rationis cum fundamento in re, a Thomistis, aliisque Auctoribus extra nostram scholam passim sic definiri solet, ejusque notio tradi, ut sit illa, cujus beneficio rem unam, & eandem a parte rei, tum realiter, tum formaliter, mente partimur in plures formalitates, quarum neutra seorsum sumpta totam ejus dicit essentiam, sed quælibet exprimitur per conceptum inadæquatum, & talem facimus partitionem objectivam non temere, & ut ajunt ex mero nostro cerebro, sed cum fundamento in re, seu occasione desumpta ex

parte

parte ipsius rei, quia licet actualiter a parte rei sit realiter, & formaliter una, & indivisibilis, est tamen ob sui eminentiam virtualiter multiplex, & pluribus æquivalens a parte rei distinctis, ex quibus movetur intellectus ad fabricandos plures illius ejusdem rei conceptus tum formales, tum objectivos inadæquatos, qui tamen simul sumpti totam exhauriunt objecti cognoscibilitatem: unde dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, rationis quidem, quia formaliter, & actualiter non est in rebus, sed in esse distinctionis fit, & actuatur per rationem; ratiocinatæ vero, quia ob prævium fundamentum in re est quasi inchoata a parte rei, etsi complementum ab intellectu recipiat. Unde fundamentum, quod dicitur esse in re ad hanc distinctionem, ut bene notavit Suarez disp. 7. Met. sect. 1. n. 4. non est vera, & actualis distinctio inter eas res, vel formalitates, quæ sic distingui dicuntur, alias non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa antecederet, sed esse debet vel eminentia ipsius rei, quam sic mens distinguit, quæ a Thomistis appellari solet virtualis distinctio, vel certe habitudo aliqua ad res alias vere, & in reipsa distinctas, penes quas talis distinctio excogitatur, vel concipitur, ut ajunt Nominales, juxta varios dicendi modos de prævio fundamento hujus distinctionis, de quo postea. Et hoc genere distinctionis Thomistæ, & Nominales distinguunt in creatis varios gradus metaphysicos superiores, & inferiores abinvicem, ut animalitatem, & rationalitatem, esse vivens, esse corpus in homine, nam ex ordine ad diversos effectus intelligendi, sentiendi, vegetandi &c. conceptibiliter partiuntur eandem humanitatem, quatenus omnes illos effectus eodem simplici, & indivisibili principio potest se sola producere ob sui eminentiam. Et sic etiam pariter in Deo distinguere solent varia ejus attributa sapientiam, justitiam, misericordiam &c. quia enim creatus intellectus nequit ob suam imperfectionem in intelligendo totam exhaurire divinam naturam quoad ejus cognoscibilitatem, eam veluti virtualiter multiplicem conceptibiliter partitur in plures partiales perfectiones ex ordine quodam ad diversos effectus, quos potest producere, vel per habitudinem ad easdem perfectiones in homine, in quo ut accidentia diversa realiter distinguuntur.

270 Ex his constat, falsum esse, quod dicit Magister Formalit. cum cæteris Formalistis in artic. de distinctione rationis, quod hæc distinctio rationis ratiocinatæ posita a Thomistis coincidat omnino cum distinctione nostra Scotica formali, quod nuper mordicus defendit Saxius tom. 1. suæ Catast. disp. 8. qu. 3 nam nostra distinctio formalis est omnino actualis, & præcedit in re omnem intellectus operationem, sed distinctio rationis ratiocinatæ, licet præcedat virtualiter ob fundamentum in re repertum, actualiter tamen fit per opus intellectus, & ab eo recipit complementum, ut modo declaratum est, ergo distinctio rationis ratiocinatæ, saltem ut a Thomistis explicatur, cum distinctione nostra formali nequaquam coincidere potest, ut satis accurate ex nostris notarunt Vulpes tom. 1. part. 1. disp. 6. art. ult. & tom. 3. ejusdem part. disp. 59. art. 3. Posnan. 1. dist. 8 qu. 4. disp. 1. & Meurisl. lib. 2. suæ Met. cap. 3. qu. 4. tum quia valde improprie, & abusive distinctio formalis ex natura rei actualiter præcedens quamcumque operationem intellectus diceretur distinctio rationis, cum nullo modo a ratione pendeat, unde ait Doct. 1. dist. 2. qu. 7. §. *sed hic restat*, quod potest vocari differentia rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus. At respondet Saxius loc. cit. nu. 40. distinctionem formalem ex natura rei optime dici rationis ratiocinatæ, quia in reipsa præexistit, antequam ratiocinetur, ut quasi ex se ratiocinata dicatur, solumque requiratur ratio ad illam cognoscendam, non vero faciendam, solumque dicatur distinctio rationis, & non realis, quia non est tanta, neque per se tam patens, si cut realis, & ideo requirit attentam operationem rationis ad illam distinguendam, & ait hujus quoque opinionis fuisse Suarez loc. cit. disp. 7. sec. 1. cum enim ibi sic explicuisset distinctionem rationis ratiocinatæ subjungit, quod coincidit cum distinctione ex natura rei. Sed toto, ut ajunt, iste aberrat cœlo, quia Suarez ibi duas dat acceptiones distinctionis ratiocinatæ; prima est modo relata, & ait esse valde impropriam; nec vere dici posse distinctionem rationis cum præcedat omnino operationem intellectus, neque cum ait distinctionem ratiocinatam sic explicatam coincidere cum distinctione ex natura rei per talem distinctionem, ex natura rei intelligit distinctionem nostram formalem, seu distinctionem modalem, quam ipse ponit inter rem, ac modum ejus extrinsecum, ut ipse infra se explicat num. 16. quæ est longe diversæ rationis a distinctione nostra formali, ut in superioribus dictum est; in alio deinde sensu magis proprio, inquit posse accipi distinctionem rationis ratiocinatæ, ut scilicet dicatur rationis, quia actu, & formaliter non est in rebus, sed per rationem fit, & excogitatur, ratiocinatæ vero quia non est omnino ex mero opere intellectus, sed ex occasione, quam res ipsa præbet, circa quam mens operatur, & hanc secundam ait esse propriam acceptionem distinctionis ratiocinatæ, ut secernitur a distinctione ratiocinante,

271 At denuo respondet Saxius loc. cit. nu. 43. non hanc posteriorem esse propriam acceptionem distinctionis ratiocinatæ, sed illam priorem, itaquod in re, antequam intellectus aliquo modo ratiocinetur, realitatum diversitas actualis reperiatur, & sic accipi a Scot. & Scotistis formalizantibus. Sed Contra in primis ostendo Scotum, quicquid sit de Scotistis formalizantibus, agnovisse, & approbasse acceptionem distinctionis ratiocinatæ posteriorem, in sensu scilicet, quo de ea loquuntur Thomistæ, nec unquam eam confudisse cum distinctione sua formali ex natura rei, immo utramque diserte discrevisse, licet dicat non eam sufficere inter relationes, & essentiam in divinis, nec inter divina attributa ad invicem, nec inter gradus Metaph. prædicamentales, ut inter animalitatem & rationalitatem, sed amplius inter ista admitti debere distinctionem formalem ex natura rei actu præcedentem omne opus intellectus, quæ utique est major distinctione rationis ratiocinatæ, quam solam inter illa Thomistæ admittebant; unde talem distinctionem non reiicit, quia ejus conceptus sit implicatorius, aut quia sit omnino inutilis, sed quia non est sufficiens inter divina attributa, & gradus metaphysicos prædicamentales, sed requiritur major ex naturali eorum conditione, hoc, inquam, ostendo ex variis ejus doctrinæ locis. Primo itaque hujus distinctionis meminit 7. Metaph. quæst. 19. §. *quarto videndum est*, ubi distinctionem rationis ratiocinatæ appellat differentiam intentionis, & ait esse illam, quæ nullam differentiam, nec compositionem actu ponit in re, sed tantum potentialem, & virtualem, sic quod ipsa nata est facere de se diversos conceptus inadæquatos in intellectu, ita quod ista differentia actu est solum in intellectu concipiente; distinctionem vero rationis ratiocinantis vocat differentiam rationis proprie dictam, quæ est quando res non est nata facere, nisi unum conceptum, qui tamen potest concipi sub diversis modis concipiendi; & quamvis differentiam illam intentionis ibidem nonnihil impugnet, statim tamen argumentum dissolvit infra §. *potest dici sustinendo differentiam intentionis*, & dat modum illam sustinendi, quemadmodum se docuisse ait in Logica in quæst. de universali, licet tandem concludat hanc solam non sufficere inter realitates generis, & differentiæ, de quo erit ibi quæstio, sed necessariam esse distinctionem ex natura rei formalem; non ergo negat Doctor conceptum illum dari, quem Thomistæ distinctionem ratiocinatam appellant, neque ait conceptum illum, si datur, distinctionem formalem esse dicendum; sed præcise ait talem distinctionem non sufficere inter conceptum generis, & differentiæ, sed adhuc requiri majorem; ut ibidem notavit Maurit.

272 Secundus locus habetur 1. d. 2. q. 7. §: *sed hic restat*, ubi investigans distinctionem vertentem inter essentiam, & relationes originis in divinis inquit, quod extra intellectum manifesta est differentia, quæ versatur inter rem, & rem, quæ est duplex scilicet suppositorum, & naturarum; item in intellectu manifesta est differentia duplex modorum, scilicet concipiendi, & objectorum formalium, & ex his concludit differentiam formalem ex natura rei inter relationes, & essentiam, quæ est immanifesta, quia est minima in suo ordine idest inter omnes, quæ præcedunt intellectionem; hæc ibi Scot. ubi extra intellectum, ut liquido constat, duplicem assignat distinctionem, unam manifestam, quæ est inter rem, & rem, alteram immanifestam, quæ est minima inter omnes actuum intellectus præcedentes, & versatur inter realitatem, & realitatem; & rursus in intellectu duplicem assignat distinctionem, veluti manifestas, unam, quæ fit per diversos modos concipiendi idem objectum grammatice, vel logice, alteram quæ fit per repræsentationem diversorum objectorum formalium per diversos conceptus inadæquatos, prima dicitur distinctio rationis ratiocinantis, altera vero rationis ratiocinatæ, non enim per illam differentiam objectorum formalium intelligere potest distinctionem formalem actualem, ut quidam exponunt interpretes, quia hæc non est differentia in intellectu, sed extra intellectum omnino, tum quia de hac differentia formali, quam inquit esse immanifestam, immediate post mentionem facit, ut de differentia omnino diversa ab illa objectorum formalium, ergo per illam differentiam objectorum formalium proprie intelligit distinctionem rationis ratiocinatam, quam postea ait non sufficere inter essentiam, & relationes originis, sed debere poni formalem actualem ex natura rei; Et quod per talem differentiam objectorum formalium non intelligat ibi distinctionem formalem ex natura rei, ut ex nostris quidam interpretantur, colligitur ex alio loco evidentissimo, quem nunc subjicio.

273 Tertius itaque locus habetur 1. d. 8. q. 4. §. *ad quæstionem*, ubi investigans distinctionem pariter vertentem inter divinam essentiam, ac attributa, ac etiam inter attributa adinvicem inquit. Dico quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, hoc est, diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, talis enim distinctio est inter sapiens, & sapientiam, & utique major inter sapientiam, & veritatem: nec est ibi tantum distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argumentatum est prius, illa numquam est in cognitione intuitiva nisi sit in objecto intuitive cognito; ista etiam duo membra probantur per rationes facti contra præcedentem opinionem, est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni &c. quibus verbis iterum Doctor assignat, & approbat distinctionem rationis ratiocinatæ, ut membrum distinctum a distinctione rationis ratiocinantis, quam ibi attendit penes diversum modum concipiendi idem objectum, & a distinctione ex natura rei formali, quam ait omnino præcedere intellectum, eamque constituit penes diversitatem plurium objectorum formalium in intellectu, ut fecerat supra 1. d. 2. q. 7. §. cit. unde ex his duobus locis unus declarat alium, quod nequeat Doct. per eam intelligere distinctionem ex natura rei formalem, quia hæc non est distinctio objectorum formalium in intellectu tantum, sed etiam extra intellectum, tum quia

quia utrobique loquitur de ipsis tanquam de duabus distinctionibus alterius rationis, quia licet ambæ se teneant ex parte objecti, & non tantum penes diversitatem modorum concipiendi, una tamen actuatur, & perficitur per intellectum, alia vero est perfecta, & completa ante omnem actum intellectus. Conf. quia inquit Doctor loc. cit. non esse inter essentiam, & attributa, vel inter ipsa adinvicem distinctionem tantum objectorum formalium in intellectu, quia illa nunquam est in cognitione intuitiva, quia nimirum hæc est cognitio clara, & adæquata, distinctio vero illa plurium objectorum formalium in intellectu habetur per conceptus inadæquatos, & ideo nunquam est in cognitione intuitiva, & distinctio formalis ex natura rei actualis haberi potest per cognitionem intuitivam, cum fiat per conceptus adæquatos, ergo per talem differentiam objectorum formalium intelligere nequit distinctionem formalem actualem, ut aliqui Expositores interpretantur. Ideo Saxius quæst. cit. in fine aliter respondet dicens, Doctorem ibi nequaquam illis verbis innuere velle distinctionem rationis ratiocinatæ, sed ipsam distinctionem rationis ratiocinantis, dum enim distinctio objectorum illorum manet in intellectu, non est major distinctio quam rationis ratiocinantis. Quæ solutio prorsus insulsa est, tum quia tunc bis enumeraret distinctionem rationis ratiocinantis, cum immediate antea mentionem de ipsa fecisset, tum quia negatur distinctionem objectorum formalium in intellectu esse distinctionem rationis ratiocinantis, quia talis distinctio non attenditur penes diversitatem objecti etiam in intellectu, sed penes duntaxat diversitatem modi concipiendi idem objectum, & per hoc præcipue distinguuntur abinvicem hæc duo genera distinctionum rationis ratiocinantis, ac ratiocinatæ.

Quartus locus fumitur ex quolib. 1. §. *de secundo articulo*, ubi duplicem assignat rationis distinctionem, una quarum fumitur a parte rei, idest habet fundamentum in re, altera vero est mere causata per actum intellectus, certe clarioribus verbis distinctionem istam rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ significare non poterat; sed quia quis evadere posset contendendo, quod per distinctionem rationis sumptam a parte rei intelligat Doctor distinctionem formalem sumendo rationem pro ipsa ratione formali, & quidditativa rei, ut ipsemet explicare videtur in simili proposito 2. dist. 16. qu. unic. §. *ideo dico aliter*, vis mihi facienda videtur in tribus locis jam allegatis, nam in primo loco desumpto ex 7. Met. quæst. 19. loquitur de distinctione vertente inter conceptum genericum, & differentialem; in secundo loco desumpto ex 1. d. 2. qu. 7. loquitur de distinctione vertente inter essentiam divinam, & relationes originis, & denique in tertio loco adducto ex 1. d. 8. qu. 4. loquitur de distinctione divinorum attributorum ab essentia, & a se invicem; in omnibus (inquam) his locis Doctor memorat hanc distinctionem ratiocinatam, utpote quam Adversarii ponebant inter conceptum genericum, & differentialem, inter relationes, & divinam essentiam, ac inter ipsa divina attributa, nec unquam (quod est valde notandum) reiicit opinionem illorum ex hoc quod non detur ista distinctio rationis ratiocinatæ, ut ponitur in se, quasi conceptus ejus ut sic, sit implicatorius, neque ex hoc quod talis distinctio coincidat cum distinctione formali ex natura rei, sed præcise ex hoc, quod non est sufficiens distinctio inter illa, sed adhuc debet admitti major, & præcedens omnem actum intellectus; ergo re vera apud Scotum ista distinctio datur, ut membrum condistinctum a distinctione formali, neque cum ipsa coincidit, licet veram sit ipsam non sufficere pro distinctione realitatis genericæ a differentiali, ac divinæ essentiæ ab attributis, & relationibus.

274 Deinde ostendo possibilitatem distinctionis hujus ratiocinatæ, ex virtute præcisiva intellectus, qua uti solet, dum in rebus unam rationem objectivam ab alia præscindit, tunc enim consurgit distinctio per virtutem præcisivam, quæ dicitur esse cum fundamento in re, quia unum extremum dicit aliquid desumptum ex re ipsa, quod non dicit alterum; potest autem intellectus dupliciter has objectivas rationes, vel formalitates præscindere, vel nimirum per conceptus adæquatos, vel inadæquatos, tunc præscindit per conceptus adæquatos, quando in re, quam conceptibiliter partitur, reperit plures realitates adæquate expressibiles, & ex natura rei formaliter distinctas, & ita in Deo in schola nostra præscindit plures perfectiones attributales abinvicem, & in composito Metaphysico rationem genericam a differentiali, & ex tali præcisione non habetur distinctio rationis ratiocinatæ, sed vera distinctio formalis ex natura rei; tunc vero præscindit per conceptus inadæquatos, cum plures rationes objectivas non reperit distinctas a parte rei formaliter, sed virtualiter tantum, & fundamentaliter, quia nimirum eadem res, vel forma a parte rei unica, & simplex ita eminenter se habet, ut possit diversos conceptus reales inadæquatos terminare, quia virtute se habet, ac si plures realitates in se contineret, ut constat de luce solari respectu qualitatis calefactivæ, & exsiccativæ, quas in ea distinguit intellectus, tanquam si essent plures facultates ex natura rei distinctæ, & ex tali præcisione consurgit distinctio rationis ratiocinatæ. Quia igitur habet virtutem præscindendi rationes rerum objectivas nedum per conceptus adæquatos, sed etiam inadæquatos, concedi debet ultra distinctionem formalem, etiam distinctio rationis ratiocinatæ. Insuper ostendi potest possibilitas hujus distinctionis ratiocinatæ ex possibilitate distinctionis virtualis jam probata supra ex professo quæst. 12. nam distinctio illa virtualis coincidit prorsus cum distinctione rationis ratiocinatæ, aut certe est fundamentum ejus, dicitur distinctio virtualis, quatenus præcedit hujusmodi fundamentum in re; dicitur vero ratiocinata, quando per actum intellectus inadæquate concipientis, & præscindentis ista virtualitas distinctionis reducitur ad actum formando de eadem re simplici plures conceptus inadæquatos, quod autem distinctio virtualis a formali distincta sit possibilis, probat non inepte Caj. lib. de ente, & essentia hoc discursu, quia aliud judicium ferendum est de rationibus formalibus rerum, ubi in propriis naturis formaliter reperiuntur: aliud vero de iisdem, ut virtualiter tantum reperiuntur in re aliqua superioris ordinis, nam res in propriis naturis secluso actu intellectus formaliter distinguuntur, quia se mutuo non includunt in suis rationibus formalibus, ut patet de virtute calefactiva, & exsiccativa, quia in propriis naturis distinguuntur formaliter, vel interdum realiter, ut in igne, quia una alteram non includit formaliter, quando autem uniuntur hæc in aliqua re superiori, conveniunt in una ratione formali, sic quod sunt idem realiter, & formaliter a parte rei, & solum virtute distinguuntur; ut patet de virtute calefactiva, & exsiccativa in luce Solis, sicut enim in una lucis natura conjunguntur, ita in Lucis ratione formali sunt indistincta, & omnino eadem formaliter. Sed quamvis sint ita indistinctæ a parte rei hujusmodi virtutes in Luce solari, quia tamen eadem Lux virtualiter æquivalet duplici illi virtuti, quas in igne distinctas videmus, ac proinde dici potest virtualiter multiplex, hinc occasionem sumit intellectus formandi de eadem Luce solari duos conceptus inadæquatos ad ejus integram expressionem, quorum unus correspondeat virtuti calefactivæ, alter vero exsiccativæ; & hoc pacto conficit distinctionem rationis ratiocinatæ, patet ergo, qualiter, & quomodo conceptus istius distinctionis non sit impossibilis.

275 Præterea ostendo; hujusmodi distinctionem non coincidere cum distinctione formali ex natura rei, quia ut docet Doctor loco cit. & patet ex quæst. 11. de ratione distinctionis formalis est, quod antequam intellectus ratiocinetur, seu intellectui consideranda objiciatur realitatum diversitas, actualis reperiatur, de quarum singulis distinctos, & adæquatos conceptus efficiat; de ratione vero distinctionis ratiocinatæ est, ut nequaquam a parte rei exigat extrema actualiter plura, & distincta, sed virtualiter solum, ac æquivalenter, ut constat in exemplo allato de virtute calefactiva, & exsiccativa in Luce solari; quæ solum plurificantur per opus intellectus lucem solarem inadæquate concipientis nunc per modum calefacientis, nunc vero exsiccantis, ergo sunt genera distinctionum diversa, nec una coincidit cum alia. Conf. quia illa distinguuntur ex natura rei formaliter, de quibus verificantur contradictoria a parte rei actualiter secluso quocumque opere intellectus, sed de extremis distinctionis rationis ratiocinatæ contradictoria hoc modo verificari nequeunt, ergo non sunt distincta ex natura rei actualiter, major constat ex dictis qu. 11. minor autem ex qu. 12. nu. 247. & adhuc rursus probatur, quia extrema distinctionis ratiocinatæ antecedenter ad opus intellectus non habent rationem plurium, ac distinctorum, sed unius omnino tam realiter, quam formaliter, quod sit solum multiplex virtualiter, ergo de illis contradictio actualis ex natura rei verificari non potest, alioquin verificarentur de uno, & eodem a parte rei, nec ulla adesset multiplicitas extremorum ad eam componendam contradictionem sufficiens, quia licet adsit multiplicitas virtualis, hæc tamen non sufficit ad componendam contradictionem ex natura rei actualem, sed necessario requiritur multiplicitas formalis, & actualis ex natura rei, ut loco cit. dictum est, & rursus inferius demonstrabitur. Conf. rursus sola distinctio facta per conceptus inadæquatos non sufficienter indicat distinctionem formalem ex natura rei in formalitatibus ita conceptis, sed debet esse distinctio facta per conceptus adæquatos, sed distinctio rationis ratiocinatæ fit per conceptus inadæquatos, de eodem objecto formatos ab intellectu inadæquate rem concipiente, distinctio vero formalis fit, vel potius facta a parte rei explicatur per conceptus adæquatos, quibus singulis singulæ correspondent in re realitates adæquate expressibiles. ergo istæ distinctiones non coincidunt, probatur major, quia conceptus inadæquati non supponunt plures res, vel realitates a parte rei, de quibus formentur, alioquin non forent inadæquati conceptus, sed adæquati, nam ille dicitur conceptus adæquatus, cui correspondet realitas per ipsam adæquate expressibilis, ut conceptus animalitatis, & rationalitatis, licet enim singuli istorum seorsim sumpti non adæquate humanitatem exprimant, sed partialiter, & inadæquate, tamen conceptus generico-adæquate, & distincte exprimit ipsam realitatem genericam, cui innititur, & differentialis exprimit adæquate differentialem, at conceptus inadæquati virtutis v. g. calefactivæ, & exsiccativæ in Luce solari non sunt ita expressivi, quia nulli ipsorum correspondet realitas adæquate expressibilis in Sole, quia non sunt ibi virtutes illæ secundum proprias realitates, vel formalitates, sed eminenter tantum, & virtualiter contentæ in una, & eadem indivisibili Luce solari, minor patet ex discrimine sæpius inculcato inter has distinctiones.

Respondet Saxius q. 3. cit. art. 4. quod distinctio conceptuum quibus aliqua concipimus, altero de duobus modis considerari potest, aut per actum collativum intellectus, quo circa eandem omnino rem diversas secundas intentiones concipimus, atque formamus, ut de eodem homine subjectum, & prædicatum, hominem, hanc humanitatem, aut per actum rectum, quo circa eandem rem realiter, & essentialiter unam

existen-

existentem diversas conceptibilitates, & conceptus formamus objectivos, quorum objecta sunt realitates ex natura rei concepta; conceptuum primi generis diversitas utique non indicat in objecto distinctionem ex natura rei actualem, bene tamen diversitas conceptuum secundi generis, & talis est diversitas conceptuum, penes quam attenditur distinctio rationis ratiocinatæ, ideoque *coincidit cum distinctione ex natura rei formali*. Contra, quia falsum est, objecta conceptuum formalium, quibus aliqua distinguuntur ratione ratiocinata, esse realitates ex natura rei *conceptas*, quia distinctio rationis ratiocinatæ non supponit distinctionem aliquam ex natura rei actualem ex parte objecti; sed quando actualiter fit ista distinctio ab intellectu, tunc ex conceptibus formalibus intellectus resultant diversi conceptus objectivi non in esse rei, sed in esse objecti, & repræsentati, & ideo ait Doctor hanc diversitatem formalium objectorum, penes quam attenditur distinctio rationis ratiocinatæ, esse solum in intellectu, quia si esset extra intellectum, jam non foret amplius distinctio rationis ratiocinatæ, sed distinctio formalis, ex natura rei actualis.

276 Postremo ostenditur utilitas, & necessitas distinctionis hujus rationis ratiocinatæ, quamvis enim necessaria non sit ad distinguendam divinam essentiam a relationibus, & attributis, ac etiam ipsa attributa *invicem in divinis*, nec *non ad distinguendos* gradus metaphysicos prædicamentales in creatis, quia hæc omnia in schola nostra distinguuntur distinctione formali ex natura rei, quæ omnem actum intellectus præcedit, ut patet de quibuscumque in propriis locis, attamen gradus transcendentes in creatis, & prædicata Dei quiddirativa tantam distinctionem subire non possunt, & cum alioquin sola ratione ratiocinante distingui nequeant, remanet, ut secernantur sola distinctione ratiocinata; probatur assumptum quoad secundam partem, nam gradus transcendentes vere existunt in rebus, nam a parte rei Deus dicitur ens, substantia &c. sic etiam creatura, ergo hi gradus non sola ratione ratiocinante distinguuntur, nam ut constat ex numer. 270. extrema distinctionis ratiocinantis fiunt ab intellectu, neque extant in rebus a parte rei; sed neque *isti* gradus transcendentes distingui possunt ex natura rei actualiter, quia ejusmodi distinctio exposcitulat plures realitates in re, quas secernat abinvicem; at gradus transcendentes non proprias dicunt realitates, ut dicunt prædicamentales, sed solos conceptus inadæquatos, ut ex professo probatum est tota disput. 2. de natura entis, ne sequatur compositio, & potentialitas in Deo, & alia innumera absurda; restat ergo, ut distingui debeant sola ratione ratiocinata; de prædicatis autem Dei quidditativis hoc ipsum probatum est superius in hac disp. n. 246. Conf. quia distingui hac distinctione est distingui secundum extrema inter se ex natura rei identificata, ut terminant diversas cognitiones secundum diversam rationem objectivam explicite, sed multa sunt, quæ ita distinguuntur, ergo hujusmodi distinctio utilis est, ac necessaria ad ista distinguenda; major patet ex explicatione jam assignata distinctionis ratiocinatæ, probatur minor, nam quando objectum cum *simplicitate æquivalet multis* perfectionibus ex natura rei distinctis, & non cognoscuntur per unum conceptum adæquatum ob aliquod impedimentum, sed per plures *inadæquatos non sinonimos*, ibi necessario debent apparere plures rationes objectivæ in tali objecto virtualiter contentæ, nam quælibet cognitio necessario exigit objectum, & cum fit distincta *non solum* numero, sed veluti specie ab alia, necessario in objectis illarum debet esse diversa ratio objectiva, quia si esset una, & eadem, cognitiones non essent diversæ rationis, cum distinctio cognitionum sumatur ex distinctione objectorum formali, vel saltem virtuali.

Aliis præterea rationibus suadere solent Thomistæ hanc distinctionem rationis ratiocinatæ, nimirum ex præcisione naturæ a conditionibus individuantibus, ex multiplicitate graduum prædicamentalium, qui concurrunt ad constituendam unicam naturam, ex multiplicitate perfectionum attributalium in Deo, ex compositione metaphysica, a quibus abstineo, quia non concludunt, cum hæc omnia inter se majorem petant distinctionem, quam solius rationis ratiocinatæ, ut inferius propriis locis monstrabitur. Unde Scotista in approbanda, *ac recipienda* hujusmodi distinctione ratiocinata valde caute, ac sobrie procedere debet, quia ejus significatum, ac notionem gratis admittimus cum Thomistis, sed in applicatione hujus distinctionis valde discrepamus ab ipsis, nam ipsi eam promiscue applicant gradibus omnibus metaphysicis tam prædicamentalibus, quam transcendentibus, item prædicatis Dei, tam quidditativis, quam attributalibus, quod nos non facimus, nam eam solum agnoscimus inter prædicata Dei quidditativa, & inter gradus transcendentales; at inter gradus prædicamentales, ac perfectiones Dei attributales ponimus distinctionem ex natura rei formalem, ut suis locis patebit.

Solvuntur objectiones.

IN oppositum arguit Saxius *loc. cit.* probans hanc distinctionem in schola nostra admitti non debere, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hæc distinctio rationis ratiocinatæ non est necessaria, ergo &c. prob. minor, quia omnis distinctio aut est per opus collativum intellectus tantum, aut est præter ejusmodi actum, nec datur inter hæc medium; si detur primum, est distinctio rationis ratiocinantis, si secundum, est distinctio ex natura rei. Tum 2. quæ hac distinctione distinguuntur, aut per opus intellectus præcise distinguuntur, aut prius distincta supponuntur; si primum, illa distinctio erit præcise distinctio rationis ratiocinantis, non autem ratiocinatæ; si des secundum, erit distinctio ex natura rei. *Si* dicas, non præsupponuntur distincta sed distinguibilia. Contra sic, distinguibilia a quo reducuntur ad actum distinctionis? dubio procul ab intellectu negoriante, ergo a *negatione ipsius intellectus* præcise *dependet*, ergo est præcise rationis ratiocinantis. Tum 3. aut talis distinctio est rationis ratiocinatæ, itaut *ly* ratiocinatæ, determinet illud, rationis, aut illud, rei ratiocinatæ; non primum quia inde non petitur aliqua distinctio, sed tantummodo reflexio super potentiam ratiocinantem, ergo rei ratiocinatæ, ideſt, intellectæ, & hoc nihil est ad institutum, non enim quærimus de intellectione, sed de distinctione, ergo rei distinctæ, & consequenter ante intellectus operationem ibidem est distinctio illa. Tum 4. de extremis hujus distinctionis verificantur contradictoria ex natura rei secluso quocunque opere intellectus, ergo hæc distinctio coincidit cum formali ex natura rei, nam qualis est contradictio, talis ex ea arguitur distinctio, probat assumptum de prædicatis tam prædicamentalibus, quam transcendentibus, hæc enim adinvicem fundant contradictionem, nam ratio entis transcendens ex natura rei, ratio autem substantiæ est non transcendens, *ratio substantiæ est prædicamentalis, ratio entis* est non prædicamentalis, quæ ut patet, sunt contradictoria. Tum 5. plura ex natura rei sunt distincta ex natura rei, sed distincta ratione ratiocinata sunt plura ex natura rei, ergo &c. prob. min. quia rationes entis substantiæ, corporis, animati, &c. sunt plures realitates ex natura rei, & tamen a nobis ponuntur distingui tantum ratione ratiocinata. Denique urget auctoritatem Scoti 1. d. 2. q. 7. §. *sed numquid hæc*, ubi loquens de distinctione vertente inter essentiam, & relationes, inquit posse dici differentiam rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, & patet, quod loquitur de illa distinctione rationis, quam Thomistæ appellant distinctionem rationis ratiocinatæ.

277 Resp. ad 1. negando minorem, ad probationem dicitur intellectum duplicem vim habere & collativam, & præcisivam, & secundum hanc duplicem virtutem posse dupliciter distinguere; concipiendo enim aliquid, & per *vim collativam* illud secum diversimode conferendo consurgit distinctio rationis ratiocinantis; si autem utatur virtute præcisiva, vel ea utitur præscindendo per conceptus adæquatos, quorum nempe singuli propriis innitantur realitatibus adæquate expressibilibus, vel præscindendo per conceptus inadæquatos, qui nimirum ab eadem re, ac realitate sumuntur inadæquate concepta; ex prima præcisione arguitur quidem distinctio ex natura rei actualiter præcedens actum intellectus inter objecta præcisa, sed ex secunda præcisione arguitur tantum distinctio virtualis inter illa, quæ postea actuatur, & completur per ipsum actum intellectus inadæquate præscindentem, quare falsum est, omnem distinctionem, quæ non fit per *actum collativum intellectus*, esse ex natura rei *actualem*, quia præter actum collativum intellectus datur etiam abstractivus, vel præcisivus, quem si distinctio requirit, ut actuetur, & compleatur in esse distinctionis, hoc sufficit ut possit denominari rationis, licet cum fundamento in re, nec sequitur esse distinctionem ex natura rei, nisi virtualiter, & fundamentaliter; accedit nec omnem distinctionem rationis ratiocinantis fieri per actum collativum, ut dictum est num. 258. ergo omnino falsum est omnem distinctionem, quæ non fit per actum collativum intellectus, esse actualem ex natura rei. Ad 2. quæ hac distinctione distinguuntur, per opus intellectus præscindentis actualiter distinguuntur; ac etiam prius distincta supponuntur, non quidem actualiter, sed virtualiter, quæ virtualis distinctio reducitur ad actum ab intellectu non mere negotiante, sed secundas intentiones fabricante, sed præscindente inter plures rationes objectivas cum fundamento in re, & ideo ista distinctio non est rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ. Ad 3. ubi fit vis in verbis, jam supra n. 271. dictum est, hanc distinctionem non ideo dici rationis ratiocinatæ, quia in *re actualiter* præexistat, nec rationem requiri, nisi ut *eam* a parte rei inventam cogitet, sed dicitur rationis, quia actu, & formaliter fit per rationem; ratiocinatæ vero, quia non est ex mero opere intellectus, sed ex occasione, quam res ipsa præbet, circa quam mens ratiocinatur, & per actum præcisivum complet distinctionem quam veluti inchoatam reperit a parte rei. Ad 4. negatur assumptum, ut constat ex dictis numer. 247. ad cujus probationem dico, quod sicut conceptus entis, & cujuscunque alterius transcendentis propriam non dicit realitatem in Deo, vel creatura ab aliis prædicamentalibus ex natura rei distinctam, ut dicitur de animalitate, & rationalitate in homine, ita neque de ipso ex natura rei secluso quocunque opere intellectus verificari potest, quod ut distinguitur a substantia, aliisque gradibus prædicamentalibus, sit transcendens, sed oportet prius talem conceptum præscindere; & postea de ipso enunciare quod sit transcendens, ex quo fit non omnino ex natura *rei* esse *extremum illius* contradictionis, sed in hoc aliqualiter pendere ab opere intellectus. Ad 5. constat ex dictis n. 270. quo pacto extrema hujus distinctionis licet dicantur esse a parte rei, & non omnino fieri per intellectum, ut fiunt entia rationis, tamen quoad pluralitatem pendent ab intellectu præscindente unam rationem objectivam ab alia, nam ante actum intellectus præscindentis erant omnino una, & eadem entitas a parte rei tam realiter, quam formaliter, & ideo

ideo negatur gradus transcendentes esse plures realitates ex natura rei, quod tamen gratis concedimus de gradibus prædicamentalibus, inter quos consequenter gratis quoque concedimus distinctionem ex natura rei formalem. Ad locum ex auctorit. Scot. deductum negant Doctorem ibi loqui de distinctione rationis ratiocinatæ, sed loquitur de distinctione formali, quam ait dici posse differentiam rationis, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei.

Secundo arguunt alii Scotistæ, ubicumque est distinctio, ibi est aliqua pluralitas, si ergo aliqua distinguuntur ratione cum fundamento in re, vel hæc pluralitas est entium rationis, & sic erit distinctio rationis ratiocinantis, vel est entium realium, & hæc erit distinctio ex natura rei actualis. Deinde si aliqua res, quæ est una, & simplex, distingueretur in plures rationes objectivas, sequeretur quod aliquid ei conveniret, quod non conveniret, quod implicat, probatur sequela, quia quod distinguitur ab aliquo habet rationem distinctivam, quæ non convenit extremo, a quo distinguitur, ergo hæc ratio convenit, & non convenit eidem rei, quia eadem res est in utroque extremo. Denique nulla res, quæ est ipsa, fit non ipsa, si autem distingueretur in plures rationes, fieret non ipsa, quia divideretur in seipsa.

278 Respond. pluralitatem extremorum intervenientem in distinctione rationis ratiocinatæ non esse rerum, vel realitatum, sed rationum objectivarum inadæquatarum, unde non multiplicantur per talem distinctionem res, vel realitates, sed una & eadem res: ac realitas per plures actus consideratur ipsam inadæquate concipiendo, & sic singulis actibus plures respondent rationes objectivæ inadæquatæ, quæ inadæquatæ dicuntur non solum, quia non dicunt totam rei essentiam, sed etiam quia non exprimunt proprias realitates illis correspondentes, quia omnes, & singulæ ab una, & eadem sumuntur inadæquate concepta, quare in distinctione rationis ratiocinatæ adest pluralitas non secundum esse reale, vel formale, sed secundum esse objectivum. *Dices*, vel ista pluralitas objectiva, seu rationum objectalium præcedit pluralitatem conceptuum formalium, vel subsequitur; si primum jam ista pluralitas erit ex natura rei, & sic distinctionem fundabit ex natura rei; si secundum, jam non actus distingueretur per objecta ex 2. de Anim. sed e contra, vel dabitur circulus, quod conceptus objectivi distinguantur per formales, & e contra. Resp. pluralitatem rationum objectalium præcedere virtualiter pluralitatem conceptuum formalium, adeout ante positionem conceptuum formalium pluralitas rationum objectalium est solum virtualis, fit autem actualis ex terminatione plurium conceptuum formalium, neque hinc sequitur actus distinguere objecta, non e contra, aut circulum committi, quia conceptus formales distinguuntur ex diversis objectivis non actualiter, sed *virtualiter diversis*, actu tamen in ipsa apprehensione diversificatis. Ad 2. posset argumentum ex integro retorqueri contra distinctionem formalem nostram, cum eam dicamus consistere cum perfecta identitate reali, tunc enim idem prædicatum conveniret, & non conveniret eidem rei; sed ficut a Scotistis facile respondetur in tali casu bene contradictoria componi, quia conveniunt quidem eidem rei, sed non secundum eandem formalitatem, ita in proposito dicendum est, nullam sequi implicantiam, quia idem prædicatum eidem rei conveniret, & non conveniret, sed non secundum eandem rationem objectivam; & sicut beneficio formalis *distinctionis* eadem *res* dividitur metaphysice in plures formalitates, ideoque quod ei convenit secundum extremum unius formalitatis, non reperitur formaliter *in alio extremo*; sic in proposito, quia merito distinctionis ratiocinatæ per intellectum inadæquate concipientem res proportionaliter dividitur objective, quod convenit uni rationi objectivæ non reperitur in extremo alterius rationis objectivæ. Dices, si ergo bene contradictoria componuntur per hanc distinctionem ratiocinatam, frustra ponitur distinctio ex natura rei formalis, quam non alia de causa Scotus posuit, nisi ad salvanda contradictoria enunciata in divinis de essentia, & relationibus, & increatis de gradibus metaphysicis præsertim prædicamentalibus. Negatur sequela, quia ut dictum est n. 247. & rursus dicetur art. seq. distinctio virtualis, vel rationis ratiocinatæ non sufficit ad verificanda contradictoria a parte rei enunciata formaliter, sed tantum virtualiter, aut per intellectum, & adeo ad ea componenda necessaria est aliqua distinctio, quæ sit omnino actualis ante quemcunque actum intellectus, qualis est distinctio formalis nostra. Ad ult. negatur, dum res objective dividitur in plures rationes, fieri non ipsam, quia integra manet secundum totum suum esse reale, & formale; non itaque per talem distinctionem fit non ipsa, sed objective dividitur in partes, seu in partiales formalitates: ex quibus inadæquate cogitatur constitui cum fundamento in re.

Tertio arguitur ratione Scoti 7. Metaphysic. qu. 19. quia licet probare intendat ibi hanc distinctionem rationis ratiocinatæ inter conceptum genericum, & differentialem non sufficere, ita tamen argumentum conficit, ut universaliter hanc distinctionem impugnare videatur, nisi ponatur coincidere cum formali, arguit autem sic, quia concipiendo genus, ut concipitur aliquid rei in specie, aut nihil, similiter de differentia, si nihil isti conceptus videntur fictitii, non reales, nec dicentur in quid de specie, si aliquid, aut aliquid idem: & tunc erit idem conceptus, aut aliquid aliud, & tunc erit in re aliqua differentia prior differentia conceptuum. Si dicas, quod aliquid rei concipitur, & idem nec sequitur ergo idem conceptus, quia eadem res nata est facere diversos conceptus, contra instat Doct. una res nata est formare unum conceptum sibi adæquatum, quia alias non esset cognoscibile unum, quia nec unico actu cognoscibile; sed illum sibi adæquatum conceptum formando, videtur immutare intellectum, quantum nata est ipsum immutare, aut si dicatur quod propter suam perfectionem præter istum adæquatum nata est res immutare intellectum ad conceptus non adæquatos, quis erit ordo in imputando ad illos, & ad illum inadæquatum; numquid facit primo notitiam propriam, vel confusam? & quodcumque prius facit, si non tantum prius natura, sed tempore videtur quod nihil amplius facit, quia agens naturale præsente passo statim facit, quod potest. Confirmatur prima ratio, nam species formando duos conceptus generis, & differentiæ, non tamen causat duos actus *in intellectu distinctos numero*, *sed* causat duas notitias actuales, vel habituales habentes propria objecta distincta, sicut si illa duo objecta essent duæ res extra, quæro igitur an istis notitiis cognoscat intellectus objective aliquid in re, si nihil, fictio est, si idem, ergo objectum idem est, nisi dicas, quod una res extra facit formaliter duo objecta in intellectu, & tunc non videtur, quod res, vel aliquid rei sit objectum, sed aliud factum a re; si aliud, habetur propositum, quia differentia ante conceptus. Demum omnis differentia prior naturaliter omni actu rationis videtur differentia realis, objecta naturaliter præcedunt actus, & distinctio objectorum distinctionem actuum, maxime quando hæc illam causat, ut hic ponitur, ergo differentia intentionis, quæ est in conceptibus, concludit priorem in objectis, quæ erit realis.

279 Resp. hoc esse argumentum, quo utitur Trombet. ad hanc distinctionem impugnandam tract. Formalit. p. 2. ar. 2. §. *pro intelligentia quæ sit distinctio rationis naturæ rationabilis*, quod jam adductum est, ac solutum disp. 1. Log. qu. 5. art. 2. & quidem juxta subjectam materiam, in qua illud conficit Doctor bene concludit, quia re vera talis distinctio non sufficit inter conceptum genericum, & differentialem, tamen absolute loquendo non tenet, & illud diluit Doctor ipse loc. cit. ar quia ejus solutio aliquid obscuritatis habet, adhibenda est solutio jam data in Logica, itaque ex suppositione, quod genus, & differentia non nisi ratione ratiocinata distinguereturur, respondetur quod concipiendo genus concipitur aliquid rei in specie, cum quæritur, an concipiatur aliquid idem cum differentia, vel aliquid aliud, respondetur concipi aliquid idem realiter, ac entitative cum differentia, & aliquid aliud virtualiter; & sic non sequitur aut dari unitatem conceptus, aut *differentiam* priorem differentia conceptuum, quia talis alietas in re non est actualis, sed tantum virtualis, & cum illa res ex genere, & differentia constans sit virtualiter multiplex potest facere *diversos* conceptus. Et cum id impugnatur, quia una res non est nata formare, nisi unum conceptum sibi adæquatum intellectus &c. jam dictum est in Log. loco cit. id verum esse, si illum immutet, quantum potest, & per propriam speciem, at si adest impedimentum aliquod, & intelligendo cogitur uti alienis speciebus, cum istæ seorsim sumptæ non repræsentent totum objectum adæquate, pluribus uti debet, ut rem adæquate intelligat, & sic per plures conceptus formales distinguit in ea plures objectivos inadæquatos, & eam partitur conceptibiliter, esto a parte rei sit una, & eadem realiter, & formaliter, & hoc ipsum in argumento concedi videtur, dum dicitur rem tunc formare in intellectu conceptum unum sibi adæquatum, quando immutat intellectum, *quantum nata est immutare*, *nam aliter immutando* potest causare plures inadæquatos. At instat Saxius loc. citat. qui etiam urget idem argumentum, parum referre illos conceptus esse adæquatos vel inadæquatos, sufficit enim, ut sint distincti, ut inter illa objecta arguatur distinctio ex natura rei præcedens actum intellectus. Resp. negando id sufficere, quia conceptus inadæquati, quantumvis sint inter se distincti, quia non sumuntur a diversis rebus, vel realitatibus, quas adæquate exprimant, sed ab eadem inadæquate concepta, ideo non arguunt in objectis repræsentantis distinctionem ex natura rei formalem, sed virtualem ad summum. Ad Conf. patet per idem; Ad ult. respondetur in distinctione rationis ratiocinata conceptus formales distingui quidem per objectivos actualiter quidem diversos in intellectu, sed virtualiter tantum extra intellectum, unde differentia illorum objectorum ante omnem actum rationis non est realis actualiter, sed virtualiter tantum.

Denique sic arguunt alii, vel talis distinctio *rationis ratiocinatæ* est formaliter, aut subjective in ipso objecto, super quod cadit distinctio, vel in ipso intellectu dumtaxat, aut subjective, quatenus consistit in actibus ejus, aut objective, quatenus cogitatur ab intellectu, si primum, habetur intentum, quod sit aliqua distinctio ex natura rei reperta in objecto, si secundum, quomodocumq; dicatur, erit distinctio rationis ratiocinantis, non autem ratiocinatæ, cum ejus structura spectet ad intellectum. Resp. argumentum petere solutionem illius quæsiti, an distinctio rationis ratiocinatæ ponat distinctionem in objecto, vel solum in intellectu, aut in conceptibus formalibus ejus, ut sustinent Nominales, de quo infra; interim nunc dicimus talem distinctionem esse in objecto virtualiter, quatenus fundatur in ipso, & esse in intellectu objective, quatenus cogitatur ab eo; ita tamen ut etiam in ipsum objectum refundatur, & dicantur conceptus objectivi distincti, quia ergo fundatur in objecto, & est virtualiter in ipso, ac veluti inchoata ante actum rationis, ideo non est pura distinctio rationis ratiocinantis.

ARTICULUS II.

De fundamento hujusmodi distinctionis eam secernente a distinctione rationis ratiocinantis.

280 Distinctio rationis ratiocinatæ passim distingui solet a distinctione rationis ratiocinantis per hoc, quod habet fundamentum in re, non autem illa, quæ communis doctrina absolute prolata est falsa, nisi melius explicetur, quia distinctio quoque rationis ratiocinantis habet suo modo fundamentum in rebus, ut dictum est supra numer. 262. & 263. non enim temere omnino, & absque ulla prorsus occasione ab intellectu fabricatur, cum ergo hæc quoque non omni prorsus careat fundamento, non erunt hujusmodi distinctiones rationis ex hoc capite absolute abinvicem discernendæ, quod una sit cum fundamento, & alia sine fundamento, ut passim fieri solet, sed potius vel ratio fundandi est diversa, vel certe distinctio rationis ratiocinatæ majus habet fundamentum in rebus, quam distinctio rationis ratiocinantis, etiamsi hæc non sit omni prorsus fundamento destituta; unde in præsenti articulo vestigandum est, quale, & quantum debeat esse hoc fundamentum in rebus, quod constituit distinctionem rationis ratiocinatæ, ipsamque secernit a distinctione rationis ratiocinantis.

Prima opinio est Scotistarum confundentium distinctionem hanc cum distinctione formali ex natura rei, unde cum ex eo attendant distinctionem rationis ratiocinatæ, quod in re, antequam intellectus ratiocinetur, realitatum diversitas reperiatur, consequenter dicunt fundamentum distinctionis ratiocinatæ, quo sufficienter constituitur, & distinguitur a distinctione ratiocinante, esse plurium realitatum, vel formalitatum actualem diversitatem. Verum hic dicendi modus ex præcedenti articulo abunde rejicitur, ubi demonstratum est distinctionem rationis ratiocinatæ, si de ea loqui velimus proprie, & non abusive, nequaquam cum nostra formali coincidere, tum quia si talis distinctio formalis esset prævium fundamentum distinctionis ratiocinatæ, ut a ratiocinante distinguitur, tunc hæc non omnino coincideret cum distinctione formali, sed differrent ut fundatum, & fundamentum; tum tandem, quia si hæc distinctio formalis, & actualis plurium realitatum est fundamentum distinctionis ratiocinatæ, tunc utique non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa actualis antecederet; & distinctio rationis superveniens non tam esset distinctio, quam præcedentis distinctionis; aç in re ipsa inventæ cognitio.

Secunda opinio est Vasquez 1. p. disput. 117. cap. 3. ubi docet, fundamentum hujus distinctionis non sumi ex reipsa, quæ denominatur distincta, sed ex aliis, quæ sunt vere ex natura rei distincta, ad quorum similitudinem concipitur distinctio in re, quæ denominatur distincta. Movetur ad hoc dicendum, quia fundamentum sumi non potest ex ipsa re, quæ denominatur distincta ob ejus simplicitatem, & quia ex duplici capite oritur, ut res simplex a nobis distinguatur, primo ex imperfectione nostri intellectus non potentis rem simplicem concipere ut est in se, deinde ex modo cognoscendi per species perfectionum, vel effectuum inter se distinctorum, & ideo dum rem simplicem cognoscit, non potest intellectus circa illam ferri, nisi respiciendo perfectiones ex natura rei distinctas, quarum habet species; sic in divinis, quia non potest creatus intellectus ob suam imperfectionem unico conceptu adæquare totam divinam naturam ob ejus infinitam perfectionem, eam conceptibiliter partitur ex ordine quodam ad diversos effectus, quos potest producere, vel per habitudinem quandam ad virtutes, vel attributa, quæ in homine videmus realiter distincta; sic etiam in creatis distinctione ratiocinata distinguit gradus metaphysicos idest prædicata superiora, & inferiora relate ad aliqua distincta realiter, verbi gratia intelligimus animal relate ad sensationes, rationale relate ad intellectiones, & discursus, & cum videamus has operationes distingui realiter, & in equo separari sensationes ab operationibus ratiocinandi, fundamentum desumimus ad distinguendum per intellectum animal a rationali, & concipiendum animal, ut prædicatum quoddam commune homini, & equo, quia homini, & equo communes sunt sensationes similes, in ordine ad quas prædicatum animalis percipimus; Unde putat Vasquez fundamentum hujus distinctionis ratiocinatæ non esse intrinsecum rebus ratione distinctis, sed extrinsecum in aliis rebus actu distinctis, ad quarum similitudinem concipit distinctionem in rebus simplicibus imperfecte, & inadæquate cognitis, eo quod intellectus noster concipit simplicia per species rerum distinctarum; nam sicut quia concipit spiritualia per species rerum corporearum, concipit illas ad modum corporum, ita quia concipit simplicia per partes ad modum rerum distinctarum, concipit illa, ut distincta; neque hic modus dicendi est novus, sed eum refert Scotus 1. d. 8. qu. 4. ab initio §. *in ista quæstione*, & est communis Nominalium, dum docent distinctionem attributorum in divina essentia esse solum desumenda ex diversis effectibus connotatis, quos in creaturis experimur, ut Major 1. q. 4. Greg. ibid. d. 8. q. 2. art. 2. Gabriel juxta doctrinam Ocham d. 2. q. 1. art. 3. dub. 4. Durand. 1. d. 2. qu. 3. quam opinionem ibi fuse refutat Doctor.

Alii vero, licet non dicant hoc esse unicum, & necessarium fundamentum distinctionis ratiocinatæ, ut contendebat Vasquez, putant tamen esse sufficiens se solo ad eam inducendam, itaut sola extrinseca connotata absque intrinseco fundamento distinctionis in objecto sufficiant ad constituendam inter aliqua distinctionem ratiocinatam, quatenus intellectus ex illis motus supposita sua imperfectione eandem omnino rem, in qua nulla est actualis, aut virtualis intrinseca distinctio, concipit pluribus conceptibus inadæquatis eam dividendo in plures rationes conceptas; ita Ovvied. controv. 4. Metaph. punct. 7. & Pasqual. tom. 2. Metaph. disputat. 57. sec. 2. numer. 5. quod probat, quia quæ in aliquibus inferioribus disperſa sunt, possunt in aliquo superiori, non quidem formaliter, sed eminenti modo contineri, ergo tunc aliquid, quod ex intrinseco suo non erit distinguibile, poterit distingui tantum ratione connotatorum, antecedens ostendit in sensu communi interno, hic enim unica simplici virtute eminenti modo elicit actus omnium sensuum externorum, itaut sensatio interna non formaliter, sed per æquivalentiam sit quælibet sensatio externa, consequentia probatur, quia tunc id, quod continet eminenter plura, potest recipere distinctionem in ordine ad illa, quæ tamquam eminenter contenta connotat, atque adeo tunc potest dividi in plures conceptus partiales. Confirmat, quia hæc distinctio non potest fundari in intrinseca natura objecti, quia illæ rationes inferiores, quæ eminenti modo continentur in aliqua superiori, licet prout formali modo possunt existere, sint ex natura sua separabiles, illa tamen eminentialis continentia illas unit in unica simplici formalitate, & tollit separabilitatem, unde tandem infert Pasqu. necessario concedendam esse hujusmodi distinctionem, quæ oriatur tantum ex connotatis absque intrinseco vestigio distinctionis in ipsa re, quæ distincta denominatur.

281 Cæterum solam distinctionem connotatorum non sufficere ad constituendam distinctionem ratiocinatam absque fundamento intrinseco distinctionis in objecto iam dictum est disput. 1. Log. quæst. 5. art. 2. declarando hanc distinctionem. Fateor quidem fundamentum illud in re extrinsecum objecto multum juvare ad concipiendam distinctionem extremorum, quia sicut imperfectio nostri intellectus facit, ut una, & simplex res concipiatur diversis conceptibus, ita assuetudo concipiendi aliquas perfectiones distinctas, facit, ut concipiantur ad similitudinem illarum distinctarum etiam in objecto, in quo non sunt distinctæ, quia illarum species cum acquisiverit, iisdem utitur ad concipiendas similes in objecto, ubi non sunt distinctæ; Verumtamen adhuc jure negatur sola connotata sufficere ad fundandam distinctionem ratiocinatam, ut distinguitur a ratiocinante, & ratio est, quia tale fundamentum distinguendi ratione, quæ in re sunt indistincta solum per ordinem ad extrinseca connotata, quantum est de se commune est tam distinctioni ratiocinatæ, quam ratiocinanti, ut etiam concedit ipse Vasquez, nam entia rationis ab intellectu concipiuntur ad modum entium realium, ergo etiam distinctionem rationis eodem modo concipiet, qualiscumque ea sit; sive rationis ratiocinantis, sive ratiocinatæ; hoc patet in propositione identica, cum idem prædicatur de seipso, ubi idem concipitur ad modum subjecti, & prædicati, sicut concipiuntur extrema aliarum propositionum, quæ sunt distincta ex natura rei; vel cum comparatur ad diversa accidentia realiter, ut idem, quatenus refertur ad accidentia debita juventuti distinguitur a seipso, ut refertur ad accidentia debita senectuti, in quibus casibus certum est non formari nisi distinctionem rationis ratiocinantis; ergo ad fundamentum distinctionis ratiocinatæ, ut distinguitur a ratiocinante, non sufficit distinctio earum rerum, ad quarum instar fit distinctio, sed in ipso objecto requiritur fundamentum distinctionis, seu ut res quæ distinctas habet rationes, sit ex sui natura æquipollens diversis perfectionibus, nam alioqui non haberet diversas intelligibilitates inadæquatas; hinc intellectus apprehendit unum objectum sub diversa ratione inadæquate, & non potest aliud apprehendere eodem modo, quia in re est fundamentum talium conceptuum inadæquatorum, quale non est in alia re. Conf. exemplo de distinctione secundum rationem dextri, & sinistri in columna, quæ sumitur per respectum ad distinctionem realem eorum in animali, similiter de distinctione rationis in puncto, ut est principium, & finis, quæ distinctio sumitur per respectum ad lineas realiter distinctas, & tamen hæc distinctio non est, nisi ratiocinantis, ergo hoc fundamentum non est sufficiens ad constituendam distinctionem ratiocinatam, ut a ratiocinante distinguitur. Accedit urgens ratio, quam adduximus disput. cit. Logic. quia vel in ipso objecto, quod distinguitur, est aliqua proportio, seu fundamentum, ut ad instar connotatorum extrinsecorum realiter distinctorum concipiatur, vel non; si primum habetur intentum, quia statim sequitur totam rationem distinguendi non sumi ex parte eorum, ad quorum instar concipitur, sed etiam ex parte ipsius objecti, quod hanc proportionem, & fundamentum habet ob sui eminentem naturam, & pluribus æquivalentem; si secundum, dum sine ullo fundamento ex parte ipsius rei, quam distinguimus, eam concipiamus in ordine ad ea, quæ sunt distincta, sequitur nos eam ad libitum nostrum, & sine fundamento distinguere, quod est facere distinctionem rationis ratiocinantis.

Neque ratio, qua oppositum tentavit probare Pasqualig. aliquid soliditatis habet, immo potius nostram comprobat sententiam non sufficere extrinseca connata absque intrinseco fundamento distinctionis in objecto ad hanc distinctionem inducendam; dum enim enim concedit objectum distinguibile a ratione per ordinem ad extrinseca connotata eminenti modo contenere illa in inferioribus disperſa, & ab invicem realiter distincta, concedit consequenter distinctionem, seu multiplicitatem virtualem intrinsecam objecto, nam per hanc distinctionem, virtualem intrinsecam objecto, ut præcisum fundamentum distinctionis ratiocinatæ, aliud non intelligunt assertores ejusdem, quam eminentiam ipsius rei, per quam æquipollet diversis perfectionibus disperſis in his inferioribus, ut Scotus docet 7. Metaphysic. quæst. 19. §. *alia opinio*, & declarat Cajet. pro omnibus Thomistis 1. part. quæst. 39 art. 1. §. *ad* 2. Et quidem hoc palam ostendit exemplum ab ipso adductum de sensu communi interno, quem dicit elicere actus omnes sensuum externorum unica simplici virtute eminentioris ordinis, itaut sensatio interna non formaliter, sed per æquivalentiam sit quælibet externa sensatio; nam hæc ipsa eminentia, & æquivalentia est virtualis multiplicitas, & distinctio intrinseca objecto, ratione cujus accedente opere intellectus fundare valet distinctionem rationis ratiocinatæ; Ex hoc tandem satis impugnata manet opinio Vasquez, si enim diversitas connotatorum non est sufficiens fundamentum distinctionis ratiocinatæ sine virtuali distinctione intrinseca objecto, plane sequitur a fortiori nec esse unicum, nec adæquatum fundamentum ejus, ut ajebat Vasquez: num vero sit necessarium fundamentum in hoc sensu, saltem, ut necessario concurrere debeat cum distinctione virtuali intrinseca ex parte objecti ad constituendum integrum, ac adæquatum fundamentum distinctionis ratiocinatæ, mox discutiemus. Et cum dicebat Vasquez nullum posse sumi fundamentum ex parte objecti secundum se ob suam simplicitatem, quia simplex non potest esse fundamentum plurium, repugnat enim aliquid esse simplex, & plura continere; facile respondetur simplicitati repugnare compositionem, & multitudinem secundum eam rationem, secundum quam res est simplex; objectum autem, in quo fundatur distinctio rationis ratiocinatæ, est simplex simplicitate a parte rei, & ideo illi repugnat multitudo a parte rei, & non tamen per intellectum, sicut neque repugnat illi intelligibilitas inadæquata per intellectum imperfectum.

282 Sed instat Pasqual. probans solam diversitatem connotatorum esse sufficiens fundamentum distinctionis ratiocinatæ absque intrinseco fundamento distinctionis in objecto, quia illud est fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, quod se tenens ex parte objectorum præbet motivum intellectui adhibendi suam virtutem præcisivam, & partiendi res in plures rationes objectivas, quæ se habeant ut extrema distinctionis in ordine ad rationem, hoc vero motivum præbent diversa connotata, quatenus sua diversitate inducunt quandam virtualem distinctionem in ipsum connotans saltem in ordine ad habitudinem, movent enim intellectum, ut faciat quandam reduplicationem, & consideret objectum tantum, quatenus correspondet tali connotato, non vero quatenus correspondet cæteris. Confirmat hoc, quodlibet enim connotatum supponit aliquid in connotante, in quo fundetur connotatio, & quando id, in quo fundatur connotatio, dicit perfectionem, unum connotatum non correspondet adæquate toti perfectioni connotantis, si connotans habeat plura connotata; sic opera misericordiæ, quæ sunt a Deo, non manifestant adæquatam perfectionem Dei, sicuti etiam neque opera justitiæ, & tamen indicant aliquam perfectionem. Resp. argumentum minime probare diversitatem connotatorum esse se sola sufficiens fundamentum distinctionis ratiocinatæ, sed probat solum vel partialiter concurrere distinctione intrinseca virtuali se tenente ex parte objecti ad constituendum integrum, & adæquatum fundamentum distinctionis ratiocinatæ, vel valde saltem juvare ad manifestandam distinctionem virtualem latentem in eminentia objecti, ut supra gratis concessum est, unde falsum est, quod in minori assumebatur, diversa connotata inducere virtualem distinctionem in ipsum connotans; aliud enim est connotata inducere virtualem distinctionem in ipsum connotans, aliud est inducere in cognitionem distinctionis virtualis in ipso latentis, hoc etenim est verum illud autem omnino falsum. Confirmatio autem illa longe plus probat, quam velit arguens, probat enim diversitatem connotatorum supponere distinctionem intrinsecam objecto connotanti, nedum virtualem, sed etiam formalem, & actualem, quia quælibet connotatio supponit in objecto suam peculiarem formalitatem, & perfectionem, in qua fundetur, unde potius probat oppositum, quam propositum, & intentum ab ipso; nam inde sic arguere licet, quotiescumque aliquid distinguitur per ordinem ad diversa connotata, habet ex intrinseco suo, quod respiciat illa connotata, ergo ex intrinseca sua natura habet, quod sit distinguibile in ordine ad diversa connotata, & consequenter secundum suum esse intrinsecum fundat distinctionem rationis.

Tertia opinio est communis Thomistarum, qui plane fatentur fundamentum distinctionis ratiocinatæ se tenens ex parte potentiæ esse imperfectionem intellectus non adæquate concipientis omnes rationes objecti, sed diversis conceptibus eas attingentis; at aliud se tenens ex parte objecti nullatenus esse connotatorum diversitatem, sed esse virtualem aliquam distinctionem ipsi objecto intrinsecam, seu eminentiam rei, quæ unica existens plures rationes, seu perfectiones continet in aliquo esse, præcindendo a quibuscumque connotatis; hoc, inquam, ajunt Thomistæ esse unicum, & adæquatum fundamentum ex parte objecti distinctionis ratiocinatæ, prout a ratiocinante distinguitur; ita Joann. de S. Thom. par. 2. Log. q. 2. art. 3. ex D. Th. 1. sent. d. 2. q. 1. & ex Cajet. 1. p. q. 39. art. 1. Capreol. 1. d. 8. quæst. 4. Soncin. 4. Metaph. quæst. 29. videtur sequi Hurtad. disputat. sect. 5. Metaph. immo hi ultimi Auctores dicunt nedum opus non esse recurrere ad extrinseca connotata ad formandam distinctionem rationis, sed nec etiam requiri intellectum respicere ad aliquam distinctionem realem, ad cujus instar eam efficiat, quia si nullam unquam intellectus agnovisset distinctionem realem, adhuc distinctionem rationis efficere posset. Pasq. autem loco cit. concedit quidem dandam esse distinctionem ratiocinatam, quæ habeat fundamentum in intrinseca natura objecti absq; recursu ad extrinseca connotata, & hoc ait esse sufficiens fundamentum hujus distinctionis, negat tamen esse unicum, & necessarium, quia ut supra dicebat, potest quoque dari sufficiens fundamentum hujus distinctionis per sola extrinseca connotata. Amicus tandem trac. 1. de dist. qu. 15. dub. 8. concedit & ipse distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ solum fundatur in intrinseca natura objecti, & inquit diversitatem connotatorum absolute necessariam non esse pro fundamento distinctionis ratiocinatæ. Probat id Amicus, quia si intellectus nullam aliorum cognitionem habuerit, si illi præsentatur objectum imperfecte, adhuc concipiet illud imperfecte, ut verbi gratia etiamsi nunquam sciverit calorem esse diversum a siccitate, si illi præsentetur lux, ut productiva caloris, illam concipiet sub illa perfectione inadæquata præscindendo a virtute exsiccativa, & e contra, ergo poterit virtutes illas ratione distinguere absque similitudine, & experientia habita quoad eas perfectiones in aliis. Confirmat Pasqualig. quando objectum ex intrinseco suo fundat distinctionem, & est aliquid absolutum, potest sufficienter distinctio formari absque eo, quod intellectus respiciat extrinseca connotata, ergo datur distinctio rationis, quæ habet fundamentum in sola natura intrinseca objecti, consequentia paret, prob. assumptum, quia objectum secundum suum intrinsecum esse est distinguibile ab intellectu in plures formalitates, ergo si intellectus respiciat tantum naturam objecti, jam distinguet in plures formalitates cum fundamento absque eo, quod respiciat ad aliquod extrinsecum. Oppositum tamen docent alii ex Durand. distinct. 2. quæst. 3. numer. 15. ubi probat distinctionem virtualem in objecto non esse hujus distinctionis sufficiens fundamentum, sed necessario recurrendum esse ad extrinseca connotata, quod probat Durand. quia si præter albedinem non esset alius color, non cognoscerемus rationem coloris posse esse sine albedine, & sic etiam contingit in reliquis, circa quæ formatur distinctio rationis, ergo per hoc, quod color reperitur sine albedine, colligitur genus, & speciem differre ratione, ergo distinctio fit cum ordine ad extrinseca connotata, quæ differunt realiter.

283 Media via nobis capienda est, ut scilicet dicamus cum Thomistis pro fundamento distinctionis ratiocinatæ necessariam quidem esse ex parte objecti virtualem aliquam distinctionem, seu eminentiam rei, non tamen omnino spernendam esse diversitatem extrinsecam connotatorum, quia ut diximus, talis extrinseca diversitas saltem valde conducit a posteriori ad dignoscendam rei eminentiam, & virtualem distinctionem in ea latentem, imo in aliquo sensu hæc quoque diversitas connotatorum potest dici in suo genere necessaria ad fundandam distinctionem rationis ratiocinatæ, quatenus ipsa rei eminentia, in qua Thomistæ dicunt unice fundari distinctionem ratiocinatam, quandam necessariam connexionem cum pluralitate connotatorum habere videtur, nam talis eminentia signincat virtualem æquipollentiam ejusdem formæ simplicis diversis perfectionibus disperſis in rebus inferioris ordinis, in quibus cernuntur realiter distinctæ, ut liquet in consueto exemplo caloris, & siccitatis in luce solari: si ergo eminentia, & æquivalentia rei connexionem necessariam habet, seu necessario respicit plures illas perfectiones, vel effectus, quibus æquivalet, plane hæc quoque connotatorum diversitas suo modo necessaria erit ad integrandum fundamentum distinctionis ratiocinatæ, ut a ratiocinante distinguitur; palam igitur est, quomodo sententia nostra mediet inter placita Thomistarum, ac Nominalium, quia nec cum Thomistis asserimus eminentiam rei unicum, & præcisum fundamentum distinctionis ratiocinatæ absque ullo prorsus recursu ad extrinseca connotata; neque cum Nominalibus dicimus hoc unicum fundamentum esse puram, & solam connotatorum diversitatem, sed dicimus utrumque in suo concurrere ad constituendam adæquatum hujus distinctionis fundamentum, adeout unum sine alio non sufficiat, eminentiam quidem rei principaliter, connotatorum vero diversitatem minus principaliter, utpote quæ ortum ducit ab ea, hæc enim causalis est vera, ideo lux solis respicit diversa connotata ut v. g. calorem, & siccitatem, quia ob sui eminentem naturam æquivalet illis qualitatibus, easque virtualiter continet in sua simplici entitate. Unde nec opus erit solvere rationes pro partibus oppositis productas, sed concedendum erit, omnes non quidem ex toto, sed ex parte probare, & singulas aliquid veri continere, quatenus utrumque tam scilicet rei eminentia, quam connotatorum diversitas necessaria est modo explicato in suo genere ad fundandam hanc distinctionem; atque ita singulis ex illis opinionibus est aliquid concedendum, & permittendum.

Nequaquam tamen ob id permitti debet, quod illi Thomistæ dicebant, non solum ad formandam distinctionem rationis non es-

se opus recurrere ad extrinseca connotata, sed neque etiam requiri quod intellectus respiciat ad aliquam distinctionem realem, ad cujus similitudinem effingat distinctionem rationis, in quo puncto eis dat manus Pasq. disput. 57 cit. sec. 4. Non, inquam, id permittendum est, quamvis enim concederemus, posse in aliquo casu haberi distinctionem rationis ratiocinatæ absque ullo recursu ad extrinseca connotata, ut videtur ipse concedere Doctor, 1. d. 8. qu. 4. §. *contra istam positionem*, lit. E. ubi non vult absolute admittere illam propositionem, quod distinctio rationis sumitur semper per comparationem ad distincta realiter, & extrinseca connotata; quia bonum, & verum, ait, in creatura distinguuntur distinctione rationis (intellige ratiocinatæ, & nota hic Doctorem manifeste docere inter transcendentia non dari distinctionem formalem ex natura rei, ut in gradibus inferioribus, sed solum distinctionem ratiocinatam, quæ est peculiaris sententia nostra inter Scotistas) & tamen a nullis in re distinctis sumitur hæc distinctio, sed a bono, & vero in Deo, quæ ratione differunt. Quamvis, inquam, concederetur ad distinguenda aliqua plura ratione v. g. calorem & siccitatem in luce solari, semper opus non esse recurrere ad extrinseca connotata, sed sufficere qualemcumque inadæquatam apprehensionem lucis solaris, ut dicebant Amic. & Pasq. hoc enim non omnino inficior; adhuc tamen nequaquam concedi debet posse formari *distinctionem rationis quantum* ad relationem formaliter importatam absque ordine ad distinctionem realem, ad cujus instar concipiatur; cum enim quicquid intellectus sua *negotiatione* molitur, non nisi cum ordine quodam, & proportione ad ens reale machinetur, ut dictum est de ente rationis in universum disp. 3. Log. q. 2. art. 2. §. *quarto statuendum*, sic etiam nec ens rationis absolutum, nec respectivum moliri poterit, nisi per comparationem, & similitudinem ad ens reale absolutum, vel respectivum; cum igitur distinctio rationis sit ens rationis respectivum, nempe relatio quædam fundata supra plura esse rationis, consequenter fatendum est, efformari non posse, nisi cum proportione quadam ad distinctionem realem. Ratio est, quia aliud est distinguere aliqua duo per ordinem ad extrinseca connotata, ut v. gr. animalitatem, & rationalitatem in homine per ordinem ad sensationem, & discursum; aliud vero distinctionem illam rationis in ratione relationis efformare absque ordine ad distinctionem realem, ad cujus instar concipiatur; ad primum enim sufficit concipere extrema illa esse ratione distincta sumendo distinctionem rationis negative pro sola negatione identitatis rationis inter illa; at in secundo casu sumitur distinctio rationis positive, pro habitudine quadam diversitatis rationis inter illa extrema; & ideo sicut nequit relatio rationis concipi sine proportione, & ordine ad relationem realem, ita neque concipi potest, vel efformari distinctio rationis per modum positivæ habitudinis inter extrema absque ordine ad distinctionem realem, ut dictum est supra n. 255. ubi & rationes Pasqual. ad oppositum solutæ sunt.

284 Quarta opinio est Pasqualig. disp. 57. cit. qui supposito necessitatem formandi distinctionem rationis provenire ex imperfectione intellectus nostri, ut ex fundamento extrinseco, qui non valet rem unico conceptu intelligere, vel cogitur uti alienis speciebus objectum totum adæquate non repræsentantibus; ex parte *rerum duplex distinguit fundamentum*, *primum* est diversitas connotatorum, cum videlicet eadem res simplex habet diversas connotationes, quibus correspondent diversi termini præbentes intellectui fundamentum, & motivum, ut possit rem diversis conceptibus intelligere in ordine ad ejusmodi connotata; alterum fundamentum, inquit, non est penes aliquod connotatum, sed est intrinsecum ipsi objecto, in quo fundatur distinctio, & solet communiter dici virtualis distinctio, & utrumque fundamentum putat se solo esse sufficiens ad fundandam distinctionem rationis ratiocinatæ absque altero, adeout dari possit, & debeat aliqua distinctio, quæ habeat fundamentum tantum in connotatis, non vero in intrinseca natura objecti, in quo puncto favet opinioni Nominalium; & e contra dari possit, ac debeat distinctio rationis ratiocinatæ, quæ non sit cum ordine ad extrinseca connotata, sed fundetur solum in intrinseca natura objecti, in quo favet Thomistis; unde consequenter assignat duplex genus *distinctionis* ratiocinatæ, unum quod constituitur per sola extrinseca connotata, aliud vero, quod solum fundatur in intrinseca natura objecti absque ullo recursu ad extrinseca connotata; quem dicendi modum pluribus ibi suadere, & comprobare conatur. Hoc tamen placitum facile reiicitur ex dictis, nam primo contra Nominales ostensum est, solam connotatorum diversitatem non sufficere ad constituendum proprium distinctionis hujus fundamentum; deinde contra Thomistas ostensum est, solam virtualem distinctionem objecto intrinsecam non sufficere, sed regulariter utrumque concurrere, unde cum hæc duo fundamenta distinguendi ex parte objectorum non sint separabilia, utut possit dari aliqua distinctio, quæ fundetur in uno ex illis fundamentis, & non in alio, & e contra, consequenter multiplicanda non erunt genera distinctionis ratiocinatæ; si enim hoc genus distinctionis multiplicari posset, non nisi ex isto capite multiplicari posset, ut & ipse fatetur, *nimirum ex separabilitate* istorum fundamentorum, ita quod unum esse posset sufficiens absque alio.

285 Quinta, & *novissima* opinio est Ovvied. cit. controv. 4. Met. punct. 7. num. 5. ubi ait fundamentum ex nostro imperfecto modo cognoscendi desumptum, & ab omnibus concessum, esse sufficiens, ad hanc præcisionem, seu distinctionem præcisivam prædicati realiter cum alio identificari independenter a quibuscumque connotatis, & a fundamento aliquo ex reipsa desumpto. Probat hoc exemplo sensationis externæ coloris albi longe distantis, ex vi cujus adeo imperfecte hic cernitur color, ut sensatio illa non discernat *speciem coloris*, sed illa cum aliis speciebus confundat, non quia actu sensatio illa species alias coloris attingit, sicuti intellectus dicitur confundere distinctas species animalis, cum illa omnes conceptu quodam confuso cognoscit instar unius animalis; sed quia etsi tantum speciem illam coloris præsentem agnoscit, adeo imperfecte illam attingit, ut ex vi illius sensationis non possit sensus discernere inter illam speciem, & aliam, quam tunc sentit, vel quam posset sentire; neque hujusmodi sensatio fundamentum dat intellectui ad discernendam speciem coloris ex vi illius cognitam ab alia specie coloris, quam potest cognoscere, vel tunc cognoscit. Itaque hujusmodi sensatio, & cognitio, quæ illam consequitur, ita est præcisiva, ut tantum attingat unum objectum singulare, & non alia, cum quibus illud confundit; dicuntur tamen sensatio, & cognitio, quæ illam consequitur, suum objectum confundere, quia ita illud attingunt, ut si postea sensatio illa perfecte attingeret alium colorem specie distinctum, & cognitio quæ hanc sensationem consequeretur, eundem colorem distingueret ab aliis, quos expresse cognosceret *sub determinantis* speciebus constitutos, non valeret discernere inter hunc colorem modo perfecte cognitum, & illum imperfecte cognitum, sed dubius maneret, an esset idem in specie color modo perfecte cognitus, quem scit ad hanc speciem pertinere, & color alius imperfecte agnitus, atque sensatus, cujus speciem imperfecte valde cognovit. Sed plena hujus opinionis confutatio pendet ex inferius dicendis, supponit enim cum Nominalibus hic Auct. distinctionem rationis ratiocinatæ nullam ponere distinctionem in objecto, sed tantum in conceptibus formalibus, item in distinctione ratiocinata dari tantum præcisiones ex parte actus, non autem ex parte objecti, quæ omnia esse falsa in sequentibus mox patebit; interim hic dicendi modus ex eo impugnari potest, quod imperfectio nostri intellectus in concipiendo non potest esse *proprium fundamentum* distinctionis ratiocinatæ, quod hic inquirimus, ut distinguitur a distinctione ratiocinante, quia id etiam in commune est distinctioni rationis ratiocinantis, nam & ipsa ex nostro imperfecto concipiendi modo originem ducit, ut apud omnes exploratum est, ergo tale fundamentum assignatum ab Ovvied. non est sufficiens pro distinctione ratiocinata, ut a ratiocinante distinguitur, quia utrique ex æquo convenit. Conf. quia si illa præcisio, quam ipse ostendit fieri in illo suo exemplo sensationis externæ, sufficeret ad fundandam distinctionem ratiocinatam, tunc nedum intellectus, sed sensus quoque quilibet posset distinctionem rationis ratiocinatæ efficere, quod tamen falsum arbitror, quia sicut nullus sensus ens rationis efficere potest proprie de ipso loquendo, ut disp. 1. Logicæ dictum est, ita nequit efficere distinctionem rationis ratiocinatæ, præsertim quæ habet fundamentum in re.

286 Dicendum itaque remanet ex dictis discrimen distinctionum rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ petendum non esse nec ex fundamento extrinseco sumpto ex nostro imperfecto concipiendi modo, neque ex extrinseco sumpto ab aliis rebus distinctis, ad cujus similitudinem intelligit ea, quæ non sunt distincta, quia hæc fundamenta utrique distinctioni sunt communia, sed sumi debet ex fundamento intrinseco rei ex sui natura æquivalentis pluribus, unde immerito dixit Vasquez ex parte objecti nullum adesse vestigium distinctionis, nam cum in se contineat perfectionem æquivalentem pluribus, sufficiens fundamentum præbet intellectui, ut possit illud cognoscere diversis cognitionibus, quia cognoscibilitas adæquatur perfectioni entitativæ objecti, neque eadem cognoscibilitas reperitur in objecto, cui appingitur distinctio rationis ratiocinantis, sed totum suum fundamentum sumitur ab intellectu diverso modo concipiente idem objectum & secundum eandem rationem intrinsecam, & licet aliquale eam habeat ex parte rei, hoc tamen non est ejusdem rationis cum fundamento distinctionis ratiocinatæ, nam in ea non continentur *rationes illæ* objectivæ, secundum quas fit distinctio, sed adveniunt illi ex eo præcise, quod cognoscitur ab intellectu, quod dicitur propter varias relationes rationis, quæ habent fundamentum, & illi tribuuntur ab intellectu, sed non esse fundamentum objectivum, quod est, quando diversæ rationes objectivæ sunt reales perfectiones objecti inter se identificatæ; qua de causa distinctio rationis ratiocinantis carere dicitur fundamento diversæ intelligibilitatis objectivæ saltem virtualis; unde fit, quod licet relatio prædicabilitatis, & subjicibilitatis fundamentum aliquod remotum habeat in natura specifica, tamen quia non sunt rationes aliquo pacto reales, sed mere intentionales, non distinguuntur ratione ratiocinata, sed ratiocinante, siquidem illæ rationes non sunt in ipsa re, sed illi tribuuntur ab intellectu cum aliquo fundamento in re, quæ solet dici a nostris non repugnantia. Itaque distinctio rationis ratiocinantis per hoc differt a ratiocinata, vel quia non habet fundamentum in ipsa re, sed solum in modo cognoscendi, vel si habet, illud non est ex continentia perfectionis extremorum, sed ex capacitate, & non repugnantiæ, ut illi tribuantur in intellectu plures relationes rationis, at distinctio rationis ratiocinatæ non solum in objecto habet capacitatem, ut illi tribuantur perfectiones extremorum, sed vere illas in se continet.

Confirmatur hoc, & amplius declaratur ex Amic. loc. cit. quia ut objectum habeat distinctionem rationis, necessario debet esse terminus duarum cognitionum, cum enim fundetur super plura esse rationis, fundatur consequenter super plures cognitiones, hoc autem *dupliciter* contingere potest; *primo* ex sola aptitudine objecti potius extrinseca, quam intrinseca scilicet ut denominetur intelligibile a potentia intellectiva, quæ ut potest idem objectum concipere duobus conceptibus, sive synonimis, sive non synonimis, ita objectum dicitur aptum concipi duobus conceptibus; secundo non solum ex aptitudine objecti, sed etiam ex rationibus formalibus contentis in objecto indivise, secundum quas aptum est terminare duas cognitiones non synonimas, proinde ac si illæ rationes formales essent in re distinctæ; ex prima igitur conditione objecti oritur distinctio rationis ratiocinantis, & ex secunda distinctio rationis ratiocinatæ, quia licet objectum, ut fundat utramque distinctionem, habeat aptitudinem, ut duplici intellectione intelligatur, tamen hæc aptitudo non variat speciem distinctionis; sed quæ ingreditur significatum objecti cogniti, & repræsentati, quæ aptitudo cum non sit in distinctis ratione ratiocinante, merito distinguitur ab illa, in qua est, Ex hoc autem oritur proxima ratio discriminis inter has distinctiones, quia etiamsi distinctio rationis ratiocinantis habeat fundamentum, quatenus duplici cognitioni respondet objectum reale, non tamen respondet in re, vel fundamentum pluralitatis, sed hæc solum habet fundamentum in operatione intellectus: vel si aliquando pluralitas entium rationis habet fundamentum in re, non tamen illæ rationes, quæ sunt plures, sunt in ipsa re, ut subjicibilitas, & prædicabilitas in natura humana remote habent fundamentum, tamen quia subiicibilitas & prædicabilitas non sunt in re, sed ab intellectu illæ relationes rationis naturæ tribuuntur, ideo distinctio hominis, ut prædicabilis, & subiicibilis non dicitur rationis ratiocinatæ, sed ratiocinantis: at vero in distinctione rationis *ratiocinatæ non solum* est *fundamentum* in re, & pluralitas, sed etiam ipsæ rationes, quæ sunt plures objective, sunt in ipsa virtualiter contentæ.

287 Ex hactenus autem dictis de natura distinctionis rationis ratiocinatæ facile deducitur explicatio oppositæ identitatis, quando enim res non habet tale fundamentum, ut possit secundum diversas rationes objectivas terminare diversos conceptus inadæquatos modo explicato, sed nata tantum est facere unum conceptum sui adæquatum, & licet possit diversis modis concipi, & sub diversis secundis intentionibus, tamen semper secundum eandem rationem objectivam concipitur ipsi intrinsecam, tunc nata est fundare identitatem rationis ratiocinatæ, unde in propositione identica subjectum, & prædicatum non distinguuntur *distinctione* ratiocinata, quia Petrus v. grat. ex parte subjecti, vel prædicati est aptus concipi diversis conceptibus, non quia dicat diversas rationes, sed quia intellectus habet vim sæpius concipiendi eandem rem, & sub diversis secundis intentionibus; & Petrus a parte subjecti non distinguitur ratione ratiocinata a seipso a parte prædicati, quia tam ex parte subjecti, quam prædicati habet eandem rationem formalem significatam, & est tantum diversitas in modo significandi grammaticali, vel logicali, ut supra explicatum est; Neque contra hanc doctrinam aliqua difficultas afferri potest, quæ ex antea dictis facile non solvatur, & adhuc magis ex dicendis quæst. seq. ubi ostendemus, ex vi hujus distinctionis poni quoque distinctionem in objecto, quatenus intentionali modo existit in intellectu.

ARTICULUS III.

An hæc distinctio sufficiat ad contradictoria componenda.

288 MOvent hoc quæsitum Thomistæ, ut amplius ostendam utilitatem distinctionis ratiocinatæ, cumque Scotistas adducant pro parte negativa, ipsi tandem quæsitum resolvunt amplectendo partem affirmativam; pro cujus probatione notant contradictionem non esse in rebus ante opus intellectus, si formaliter eam accipiamus, est enim in rebus fundamentum, in quo radicatur alterum ex contradictoriis, contradictio vero formalis haberur tantum per intellectum, cum enim consistat in affirmatione, & negatione, quatenus sunt enunciativæ, ut docet Arist. c. de *oppositis*, & consequenter sit oratio quædam enunciativa, ut ibidem docet Arist. constat non posse habere esse, nisi per intellectum, quia affirmatio, & negatio seu oratio enunciativa *est tantum* per intellectum aliquid de altero enunciantem. Tum quia, quando etiam concederetur, unum extremum contradictionis, puta affirmationem, esse a parte rei, non tamen est a parte rei negatio: sed tantum habet esse per rationem, unde cum tota contradictio sit per rationem, non potest inferre inter extrema distinctionem a parte rei, nisi fundamentaliter, & in potentia, sed sufficit illis distinctio rationis, atque ideo sola distinctio rationis cum fundamento in re sufficit ad contradictoria componenda, ita discurrit Soncin. 4. Met. q. 30. Capreol. 1. dist. q. 4. ad 6. Soto vers. *sciendum*, & cum ipsis alii Thomistæ.

Hanc quoque sententiam ex Recentioribus sequitur Pasqualig. tom. 2. Metaphysic. d. 50. pro cujus majori intelligentia notat

sec. 2. n. 2. quod cum in præsenti quæritur, an distinctio rationis sufficiat ad tollendam contradictionem, quæstio intelligi debet, an ea, quæ sunt contradictoria, reddat non contradictoria respectu objecti, non prout est in se, sed prout subest distinctioni rationis; potest enim objectum considerari dupliciter, primo prout est extra intellectum, terminans tamen cognitionem, deinde prout habet esse objective in intellectu; prout habet esse extra intellectum, servat identitatem, nec in ipso ponitur distinctio aliqua; prout vero habet esse objectum, recipit in se distinctionem; contradictoria ergo comparari debent ad objectum, non prout habet esse extra intellectum, sed prout objective existit in ipso. Et hoc sensu inquit distinctionem rationis sufficere ad salvanda contradictoria; & ratio est, quia sicut distinctio, quæ est a parte rei, ponit unum extremum extra aliud a parte rei, ita distinctio rationis cum fundamento ponit unum extremum extra aliud in esse objectivo, ergo quæ erant contradictoria respectu objecti considerati secundum identitatem rei, desinunt esse contradictoria respectu ejusdem, prout secundum esse objectivum dicit distinctionem, consequentia probatur, tum quia distinctio realis tollit contradictionem secundum esse reale, ergo distinctio rationis debet tollere contradictionem secundum illud esse, quod involvit hujusmodi distinctionem, hoc autem esse non est aliud, quam objectivum; tum quia contradictoria, ut sint talia, debent comparari ad aliquod, quod sit omnino unum, & idem; quod si se habet, ut multiplex, desinunt esse contradictoria, at ex vi distinctionis rationis objectum se habet, ut multiplex, & dicit plures formalitates, itaut quæ sunt propria unius, non sint propria alterius. Confirmat hoc, quia contradictio formaliter sumpta contingit per intellectum tantum, & consequenter cadit tantum supra objectum, prout intellectui obiicitur, ergo si objectum, prout objicitur intellectui, est capax prædicatorum contradictoriorum, poterunt de ipso contradictoria prædicari cum veritate; posita autem distinctione rationis objectum est capax contradictoriorum, prout objicitur intellectui, tunc enim se habet, ut multiplex, unde quod convenit uni extremo distinctionis, non convenit alteri.

Quid sibi velint Thomistæ in hujus quæsiti decisione non satis mihi constat, si enim intendunt hanc distinctionem rationis sufficere ad verificanda contradictoria de eodem objecto, non quidem prout est a parte rei, sed prout existit objective in intellectu, quemadmodum explicat Pasqualig. verum utique dicunt, sed male in hoc sensu intelligendo quæstum adducuntur Scotistæ pro parte opposita, & ipsi etiam libenter fatentur distinctionem rationis sufficere ad componenda contradictoria rationis, sicut enim contradictio fundata in entibus realibus concludit realem distinctionem, ita si fundetur in entibus rationis, dicunt concludere distinctionem rationis, immo nedum hoc concedunt de distinctione rationis cum fundamento in re, verum etiam de *ipsa* distinctione rationis ratiocinantis, unde de eodem Petro posito in prædicatione identica semel a parte subjecti, & rursus a parte prædicati, inquiunt contradictoria enunciari posse, prout est objective in intellectu, & subsistat illis secundis intentionibus subjecti, & prædicati, quatenus enim substat uni, utique non substat alteri. Sed ex modo loquendi Thomistarum vereor, ne tantum in hoc sensu intelligant sufficere distinctionem rationis ad componenda contradictoria, verum etiam simpliciter, & absolute loquendo; moveor ad hoc judicium ex doctrina, quam tradunt de contradictione, & negatione, quod non detur in rebus formaliter neque verificetur, nisi per opus intellectus, si enim hæc doctrina vera est, sequitur, distinctionem rationis sufficientem esse ad componenda quæcumque contradictoria absolute loquendo, quia contradictoria non dantur a parte rei, neque de rebus enunciantur, nisi prout objective existunt in intellectu.

289 Sed hanc Thomisticam doctrinam falsam esse, ostensum est alibi, nam disp. 4. Physic. q. 1. art. 1. probatum est, negationes reales dari suo modo a parte rei formaliter, & non fundamentaliter tantum, citra quamcumque intellectus operationem, & propositionem negativam ita esse actu veram a parte rei formaliter, sicut est affirmativa, tam enim verum est a parte rei hominem non esse asinum, quam quod sit animal, vel corpus; ergo vere dari possunt contradictoria a parte rei, & non tantum per intellectum. Tum quia etiamsi concederetur contradictoria complexa, seu propositiones contradicentes non esse in rebus antecedenter ad opus intellectus, adhuc tamen contradictoria incomplexa actu dantur a parte rei independenter ab intellectu, nam, ut dixi, independenter ab opere intellectus dantur negationes, & privationes reales in rerum natura, ut loc. cit. concedit ipsemet Sonc. Tum quia etiamsi contradictoria complexa enuncientur de rebus media secunda operatione intellectus *componentis*, *vel dividentis*, non inde sequitur, eorum veritatem formalem, & actualem ab intellectu pendere, & ratio est, quia veritas, & falsitas propositionum non consistit in conventia ipsarum cum re, ut habet esse objectivum in intellectu, sed ut habent esse reale, & ut secundum illud terminant cognitionem; qua de causa ipsemet quoque Cajet. 1. part. quæst. 39. art. 1. hanc Thomisticam doctrinam inficiatur ut inutilem ad salvandas contradictiones per distinctionem rationis. Stante ergo, quod dari possint contradictoria a parte rei, & non tantum per opus intellectus, sane resolutio affirmativa, & absoluta a Thomistis data pro præsenti quæsito, quod distinctio rationis sufficiat ad componenda contradictoria, non est bona; licet enim talis distinctio sufficere

possit ad componenda quædam contradictoria rationis, & quæ nequeunt de re verificari, nisi prout habet esse objectivum in intellectu, nequaquam tamen sufficere potest ad componenda contradictoria realia, seu a parte rei verificata; & ratio est, quia hæc distinctio rationis ratiocinatæ supponit omnimodam identitatem objecti a parte rei tam realem, quam formalem, & solum infert multiplicitatem objectivam, & intentionalem; unde licet in esse objectivo res illa sit multiplex, quia tamen in esse reali est una, jam de eodem contradictoria verificarentur, & secundum idem; nec multiplicitas objectiva sufficeret ad contradictionem tollendam, quia talia contradictoria enunciantur de objecto secundum esse reale, quod habet in se, non autem secundum esse objectivum, & intentionale, quod habet in intellectu.

290 Ut igitur propositi quæsiti rectam habeamus resolutionem, distinguenda sunt varia contradictoriorum genera juxta regulam jam traditam disp. 1. Logic. qu. 5. art. 2. & non semel superius inculcatam in hac disput. n. 215. & 227. & 243. & 247. quædam enim sunt contradictoria rationis, & fundata supra diversum esse rationis, ut cum de eodem Petro in propositione identica verificatur, quod est subjectum, & non subjectum, prædicatum, & non prædicatum, & ad hæc contradictoria componenda sufficit distinctio rationis ratiocinantis; quædam sunt contradictoria secundum esse reale, ac entitativum, quæ nempe rei conveniunt ratione totius essentiæ, & existentiæ, qua de causa unum de re absolute negatur, & aliud absolute affirmatur absque aliqua reduplicatione, & citra quodcumque opus intellectus, ut esse, & non esse, generari, & non generari, & alia hujusmodi prædicata spectantia ad esse identicum, ac entitativum rei, & ad hæc contradictoria verificanda requiritur distinctio realis, ac entitativa, qualis est inter rem, & rem, aut inter rem, & modum ejus extrinsecum. Quædam vero sunt contradictoria secundum esse formale tantum, quæ nempe non absolute rei attribuuntur, sed cum reduplicatione scilicet illius formalitatis, cui immediate conveniunt, & ratione ipsius toti rei, ut esse sensitivum, & discursivum in homine, nam dicitur sensitivus quatenus animal, & discursivus quatenus rationalis, & ad hæc contradictoria verificanda, licet non requiratur distinctio realis, ac entitativa, exigitur tamen distinctio formalis actualis ex natura rei, quia illa contradictoria, quod nempe homo per rationalitatem est discursivus, & non per animalitatem, actu verificantur de ipso ex natura rei citra quodcumque opus intellectus ex supra num. 277. quædam tandem sunt contradictoria, quæ partim verificantur per opus intellectus, & partim præter opus intellectus, ut cum in sole dicimus idem esse principium calefaciendi, & exsiccandi, & non esse idem; hæc enim contradictio a parte rei non verificatur actualiter, & formaliter, quia a parte rei idem est utriusque proximum principium, scilicet lux simplicissima solaris, sed tantum virtualiter, & fundamentaliter, quatenus unica illa virtus duplici virtuti æquivalet, verificatur autem actualiter per opus intellectus, quando nempe intellectus eandem lucem solarem conceptibiliter partitur in duas virtutes, quarum una sit calefactiva, & altera exsiccativa, & ratione unius inquit lucem esse calefactivam, non exsiccativam; unde ad hæc, & similia contradictoria componenda sufficit distinctio rationis ratiocinatæ, vel virtualis distinctio, quæ cum ipsa coincidit; at minime sufficit ad componenda contradictoria actu a parte rei verificata, sive secundum esse reale, ac entitativum, sive secundum esse formale dumtaxat, quod rebus ipsis inest secundum varias formalitates imbibitas per realem identitatem cum ipsis, ut ex professo probatum est supra in hac disput. num. 247. & disp. 9. Log. quæst. 1. art. 2. §. *quoad tertium*, ac ita expresse docuit Scot. 1. d. 2. qu. 6. §. *sed hic restat*, & d. 8. quæst. 4. & alibi frequenter, & Formalistæ passim tract. form. videantur probationes hujus asserti loc. cit. quia semel dicta pluries repetere piget.

Sed objicies, distinctionem rationis ratiocinatæ sufficere ad verificanda contradictoria etiam enunciabilia ante intellectus negotiationem, quod quidem manifestis ostenditur exemplis: nam intellectus est eadem prorsus potentia, quatenus apprehensivus, judicativus, ac discursivus, & tamen inquantum apprehensivus, non est judicativus, & e contra; pariter eadem Lux solaris est deficcativa luti, & liquativa ceræ; & tamen quatenus deficcativa non est liquativa; eadem albedo per eandem suam entitatem assimilatur alii albedini, & dissimilatur, vel non assimilatur nigredini, & quatenus est assimilativa, non est dissimilativa; eadem differentia est divisiva generis, & constitutiva speciei, & inquantum constitutiva non est divisiva, nec e contra, & sic in multis aliis componuntur contradictoria actualia a parte rei per solam distinctionem rationis ratiocinatæ; certo enim certius est non intervenire distinctionem ex natura rei formalem, nam intellectus, ut apprehensivus, judicativus, & discursivus est una potentia, non plures; eadem virtus est in Sole, qua resolvit, & restringit; eadem prorsus entitas, qua albedo est assimilativa, & dissimilativa, ac eadem tandem realitas, qua differentia est divisiva generis, & constitutiva speciei, unde quamvis ad evitandam difficultatem ab his, & similibus exemplis deductam non vereantur aliqui distinguere vim apprehensivam, judicativam, & discursivam in intellectu, liquativam, & constrictivam in luce solari, tanquam diversas formalitates in ea existentes, adhuc tamen convincuntur aliis exemplis de albedine, & differentia, in quibus tergiversari non potest; cum igitur prædicata illa contradictoria non sint synonima, componi debent per distinctionem rationis raticinatæ.

291 Respondet Mairon. 1. d. 8. q. 3. §. *sed hic sunt*, ad hæc, & similia exempla, quod ibi non sunt contradictoria, quia Sol eadem virtute deficcat, & humectat, & per humefactivam deficcat, & per deficcativam humectat, nec est ibi contradictio, nec distinctio, & sic pariter ad alia exempla de albedine, & differentia. Sed dices Lux solaris inquantum humectat, non deficcat, quia sic deficcaret ceram, & humectaret lutum. Resp. Mairon. ly *inquantum*, vel posse reduplicare virtutem, seu principium proximum agendi, & sic concedit Solem inquantum humectat, etiam deficcare, non ullum hinc sequitur inconveniens; alio modo potest reduplicare actionem ipsam humectandi, aut deficcandi, & sic concedit, Solem, inquantum humectat, non deficcare, quia tunc sequeretur inconveniens illatum, & sic pariter dici potest ad similes instantias, si fierent in aliis exemplis. Sed dices rursus, si ergo stante eodem prorsus principio, ac realitate verificatur, quod Sol inquantum humectat, non deficcat, & differentia inquantum dividit, non constituit, & albedo inquantum assimilat, non dissimilat, quare ita non possumus dicere de Deo, quod inquantum intelligit, non vult, & e contra, per eandem tamen prorsus virtutem, & potentiam. Resp. Mairon. id concedi in exemplis allatis propter diversas actiones fundatas in eodem principio, vel propter diversas relationes, in Deo autem respectu ejusdem principii non sunt diversæ actiones; quæ solutio etiam a nobis data fuit supra num. 216. ubi ad exemplum de intellectu diximus, quod cum dicitur intellectum apprehensivum, ut sic, non esse discursivum, nec e contra, non utique contradictionem verificari de potentia intellectiva nude sumpta, sed considerata sub illa reduplicatione operationis apprehensivæ, vel discursivæ, & sic geminantur extrema, quantum sufficit ad tollendam contradictionem, quia concipiuntur plures actiones plurificatæ in eodem principio proximo agendi; patet ergo qualiter in præfatis reduplicativis sit contradictio, & distinctio inter extrema, & quomodo non, quia quoad principium agendi nulla est ibi contradictio actualis, nec distinctio, sed tantum quoad diversas actiones, vel relationes super idem proximum principium fundatas.

Et pro hujus solutionis majori intelligentia advertendum est, quod notavimus disp. 2. de Anim. q. 1. art. 2. ad 1. princ. ex Scoto 1. dist. 13. N. non semper penes diversitatem effectuum multiplicari quoque debere principia agendi, quia opus non est, tantam distinctionem esse in principiis, quanta est in principiatis, sed tunc tantum multiplicari debere, quando effectus ab eadem causa provenientes requirunt ex suis rationibus aliquam priorem distinctionem in principiis, seu diversum operandi modum, ut ibi dictum est de agere naturaliter, & libere, qui sunt modi operandi adeo oppositi, ut nequeant eidem omnino principio convenire absque aliqua distinctione; & ideo idem Doct. consulto dixit 1. d. 1. quæst. 4. §. *ista quæst.* ut ibi Bargius advertit, quod diversi modi operandi arguunt diversas potentias, sed non diversi actus, quia actus distincti specie ex distinctione objectorum diversorum possunt esse ab eadem potentia, ut patet de velle, & nolle; & sic patet, cur per eandem virtutem possit Sol humectare, & deficcare, non autem Deus per eandem prorsus virtutem intelligere, & velle. Accedit notabilis doctrina ad hanc rem, quam Scot. habet 7. Met. qu. 19. §. *alia est opinio*, ubi docet, quod continentia virtualis, vel eminentialis non pertinet ad perfectiones simpliciter, quia tales actualiter continentur, & secundum proprias formalitates in ente perfecto, quemadmodum & ipsum formaliter denominant, quod etiam repetit 1. dist. 8. qu. 4. I. sed pertinet ad perfectiones limitatas, & in genere; ex quo sufficiens colligitur ratio, cur intellectus, & voluntas secundum proprias formalitates reponantur in Deo, ut perfectiones ex natura rei formaliter distinctæ, non ita calor, & siccitas in Sole, quia illæ sunt perfectiones simpliciter, quæ formaliter poni debent in ente summe perfecto, istæ vero sunt perfectiones secundum quid, & in genere, atque ideo eminenter solum, & virtualiter in luce solari contentæ; & hinc tandem deduci potest regula discernendi qualis, & quanta distinctio versetur inter plures ejusdem rei perfectiones, si namque sunt perfectiones simpliciter, ac proinde in aliqua re secundum proprias formalitates contentæ, ut dicitur a Theologis de perfectionibus attributalibus in Deo, tunc necessario reperitur inter eas distinctio formalis ex natura rei; at si sunt perfectiones dumtaxat in genere, & in aliqua re virtualiter solum, vel eminenter contentæ, tunc inter eas ingenue major admitti non potest distinctio, quam virtualis, aut rationis ratiocinatæ. Dices, si hæc doctrina est vera, ergo etiam gradus transcendentales, ac prædicata Dei quidditativa distinguuntur inter se ex natura rei formaliter, quia cum importent perfectionem simpliciter, debent in Deo reponi formaliter, & non virtualiter tantum. Resp. ex hoc, quod sunt perfectiones simpliciter, utique in primo ente debere contineri formaliter, & non virtualiter tantum, vel eminenter; hinc tamen non bene deduci, quod distinguantur formaliter ex natura rei, nisi formalis illa continentia talis sit, ut formaliter contenta proprias importet realitates, quas non important gradus transcendentes; unde consulto dixi supra q. 12. in fine, nedum contingere virtualiter distinctionem, quando aliqua plura virtualiter solum continentur in re superioris ordinis, ut constat de calore, & siccitate in Sole, sed etiam quando continentur formaliter, ut dicitur de gradibus transcendentibus, ideoque etiam præfata regula cum mica salis est intelligenda, ac pariter, quod in simili dictum est supra disp. 4.

disp. 4. n. 8. & disp. 1. Log. q. 5. art. 2. in prima ratione, qua ibi probatur necessitas formalis distinctionis.

QUÆSTIO XVI.

Num præter precisiones formales etiam objectivæ sint admittendæ.

292 Quia distinctionem rationis ratiocinatæ ita explicuimus, ut ex vi ipsius ponatur aliqua distinctio rationis in objecto, supra quod cadit, quatenus per eam intellectus inadæquate concipiens indivisibile prorsus a parte rei dividit conceptibiliter in plures partes, seu formalitates, & unam objective præscindit ab alia, quia uno actu repræsentatur una, quo non repræsentatur alia, in quo consistit præcisio unius ab alia; ne videamur supponere id quod est in controversia; pro complemento hujus tractatus de identitatibus, & distinctionibus, opus est proposito examinare quæsitum, quod quidem apud Antiquiores in terminis motum non reperitur, eo quia piaculum fuisset tunc temporis præcisiones negare objectivas; omnes namque unanimiter, paucis quibusdam Nominalibus exceptis, vim intellectui tribuebant præscindendi ex parte objecti formalitates realiter identificatas, ut v. g. in homine animalitatem a rationalitate, in Deo relationes originis ab essentia. At Recentiores Societatis Patres semper aliquid novi afferre cupientes, quo doctrinam Scoticam, & Thomisticam impugnet, quæ semper petipaterica fuit, cum id assequi non possent, in præcipuis tamen tum philosophicis, tum metaphysicis controversiis Nominalissimum contra Scotum, & S. Thomam erigere, & propugnare tentarunt; unde in præsenti negant præcisiones omnes objectivas, quibus innixa erat tota metaphysicalis doctrina Scoti, & D. Thomæ, & solas admittunt præcisiones formales, quæ se tenent ex parte actus præscindentis; ita Hurtad. disp. 6. Metaph. sect. 4. subsec. 3. Arriag. disp. 5. Log. sec. 2. Ovvied. controv. 4. Metaph. punc. 8. & alii ejusdem Societatis Recentiores in Theologia, qui ultro fatentur hanc non esse sententiam ab ipsis inventam, sed Nominalium longa oblivione sepultam, & obsoletam, quia igitur ex hoc principio metaphysico negandi, vel admittendi præcisiones objectivas pendent præcipue resolutiones tam in Metaphysica, quam in Theologia, hic pro dignitate examinandus est hic punctus.

Quia vero nedum quæstionis titulus, sed etiam fortasse termini ipsius in nostris scholis sunt ignoti, pro majori ejus intelligentia notandum est, duplicem excogitari posse præscindendi modum inter formalitates identificatas, unum ex parte actus, alium ex parte objecti; tunc fit præcisio ex parte objecti, quando intellectus ita versatur circa eamdem rem plures formalitates unitive continentem, ut eas intelligibiliter abinvicem separet, & uno actu unam formalitatem attingat, quo non exprimitur alia, qua de causa actus illi dicuntur inadæquati, quia sicut neutra illarum formalitatum seorsim sumpta totam rei essentiam dicit, ita singuli actus tangentes singulas formalitates seorsim sumpti inadæquate solum, & confuse rem exprimunt, quia unam tantum formalitatem ejus declarant; quia igitur hoc præscindendi modo intellectus rem physice, ac entitative unam partitur in duplicem formalitatem, quarum una exprimitur per unum actum, & alia per alium, talis præcisio dicitur objectiva, quamvis partitio, & præcisio etiam super objectum cadit; quod quidem potest dupliciter contingere, quia vel illæ plures formalitates in eadem re formaliter continentur, & secundum proprias rationes formales, quomodo animalitas, & rationalitas dicuntur esse formaliter in homine, ac attributa in Deo, vel virtualiter solum, & eminenter, quo pacto calor, & siccitas dicuntur contineri in luce solari, vegetiva, ac sensitiva in anima rationali in opinione multorum. Quando intellectus diversis actibus attingit formalitates diversas ejusdem rei in ipsa primo modo contentas, nimirum unitive, & per solam identitatem realem, talis præcisio est objectiva ex natura rei independenter ab intellectus negotiatione, ideo enim intellectus in eo casu unam formalitatem intelligit sine alia, vel alia non intellecta, quia a parte rei una est actualiter distincta, & præcisa ab alia; & talis præcisio licet fiat ab intellectu per conceptus inadæquatos respectu totius essentiæ, quæ ex illis diversis formalitatibus integratur, illi tamen conceptus in suo ordine dici possunt adæquati, quia singulis correspondent in re propriæ realitates, in quibus fundantur, & quas adæquate exprimunt, quod declarari posset exemplo animalitatis, & rationalitatis respectu totius hominis. Quando autem intellectus diversis actibus attingit formalitates diversas ejusdem rei secundo modo in ipsa contentas, scilicet virtualiter, vel eminenter, talis præcisio non est objectiva omnino ex natura rei, quasi intellectus attingat illas, ut objecta ex natura rei distincta, immo actualem illam partitionem facit intellectus, licet cum fundamento in re quæst. præcedenti explicato, & tunc varii conceptus intellectus, quibus conceptibiliter partitur eandem rem in plures formalitates, dicuntur prorsus inadæquati, nedum quia rem totam singuli seorsim sumpti inadæquati explicant, sed etiam quia neuter sumitur, aut fundatur in propria realitate ei in re correspondente, sed omnes, & singuli sumuntur ab eadem prorsus re, & realitate inadæquate concepta; præcisiones objectivas primi generis admittunt Scotistæ; Thom. vero admittunt solum præcisiones objectivas secundi generis; Nominales tandem utrasque negant, & solas admittunt præcisiones formales, & ex parte actus.

Potest item idem indivisibile objectum ita attingi, ut licet totum formaliter per quemlibet actum attingatur, neque ex parte objecti aliquid correspondeat alteri, tamen ita confuse cognoscatur, ut apparere videatur solum secundum unum prædicatum, non vero secundum aliud, v. g. viso coloris e longinquo aliquando ita est confusa, ut possimus discernere esse colorem, non vero utrum sit albedo, rubedo, nigredo &c. qui actus cum sit a potentia materiali, & intuitivus non præscindit, nihilominus tamen totum illud objectum ita imperfecte cognoscit, ac si solum cognovisset rationem coloris, non vero rationem albedinis; hic secundus modus cognoscendi objectum confuse dicitur a Recentioribus præcisio formalis tantum, quia præcisio illa, & confusio omnino se tenet ex parte actus, ut explicat Arriag. disp. 5. Log. nu. 23. nullatenus autem ex parte objecti. Conveniunt igitur in hoc præcisio formalis, & objectiva, quod utraq; est imperfecta cognitio objecti, at objectiva differt a formali, quia hæc attingit totum objectum, illa vero inadæquatæ solum secundum unam formalitatem, seu secundum unum gradum; solas igitur hujusmodi præcisiones formales admittunt Nominales, & in eis casibus, in quibus Thomistæ, & Scotistæ assignant præcisiones objectivas, censent tantum dari formales v. g. in distinctione graduum Metaphysicorum, ac divinorum attributorum, vel relationum ab essentia; verum tamen est, nonnullos ex citatis Recentioribus saltem in divinis præcisiones admittere objectivas ultra formales, ut Arriag. loc. cit. alii vero universaliter eas negant tam in creatis, quam in divinis.

ARTICULUS I.

Præter formales præcisiones, dari quoque objectivas.

293 Dicendum tamen est tam in divinis, quam in creatis præter præcisiones formales admittendas etiam esse objectivas, immo formales nunquam dari sine objectivis. Hæc est communis sententia Realium tam Thomistarum, quam Scotistarum contra Nominales, & quamvis hæc quæstio a veteribus Scholasticis non reperiatur in terminis agitata, id non est, quia hæc veritas ipsos latuerit, sed quia potius erat apud illos ita explorata, ut nunquam fuerit in dubium revocata. Probatur itaq; primo dari debere præcisiones objectivas primi generis, quæ nimirum fundatur supra plures realitates ejusdem rei ab invicem ex natura rei distinctas, quæ quidem præcisiones receptissimæ sunt in schola Scotistarum, & probatur omnibus illis rationibus, quibus supra in hac disp. q. 11. probata est necessitas distinctionis formalis ex natura rei, & quibus infra probatur disp. 8. q. 6. art. 2. tali genere distinctionis abinvicem secerni omnes gradus metaphysicos prædicamentales, ut v. g. genericum, ac differentialem, animalitatem scilicet, & rationalitatem; admissa namque tali distinctione inter illos ex natura rei, plane sequitur, cum intellectus unum gradum præscindit ab alio, ut cum hominem intelligit in ratione animalis, non vero rationalis, aut e contra, tales præcisiones esse objectivas ex natura rei, quatenus actus intellectus feruntur super objecta ex natura rei formaliter inter se distincta antecedenter ad illos. Quod si cum Thomistis sola virtualis distinctio inter gradus admittatur antecedenter ad opus intellectus, cum postea intellectus utendo sua facultate præcisiva unum gradum præscindit ab alio, ratione illius fundamenti præcedentis in re, saltem inferre licet præcisiones objectivas factas per opus intellectus cum fundamento in re; Conseq. patet, quia una, vel altera distinctione admissa inter gradum genericum, & differentialem, sequitur gradum genericum posse concipi sine differentiali præcisione se tenente ex parte objecti, natura enim potest concipi sine eo, quod est extra ejus essentiam, cum ergo differentia sit extra essentiam naturæ genericæ, ut dictum est in Logica disputatione 5. quæstione 3. articul. 2. sequitur istam posse concipi illa non concepta, quod est objective ab illa præscindi.

Respondet Arriag. cit. numer. 47. differentias esse de essentia rationis communis, non tamen, ita ut quælibet differentiæ sint de essentia cujuslibet rationis communis, sed hæc differentia de hac ratione communi, seu de hac animalitate, & illa de illa ratione communi, quare hæc ratio communis verbi gratia animalitatis hominis bene potest concipi sine differentia equi, quæ non est de ejus essentia, non tamen sine rationalitate, a qua nullo modo distinguitur. Sed hæc solutio solide expliditur infra disp. 8. nn. 204. quia si per eandem prorsus formalem rationem animalitatis in homine constituitur, qua rationalitas, tunc ratio animalis concipi non posset, ut communis equo, & homini magis, quam rationalitas. Tum quia ratio animalis etiam in homine est ex natura sua in plures species plurificabilis, non vero rationalitas, ergo non est eadem ratio formalis utriusque. Tum quia cum conceptus animalis abstrahatur ab homine, & ab equo, quæro an de ratione talis conceptus, ut est communis omnibus speciebus, sint differentiæ contractivæ;

quod si non sunt de ratione illius, ut sic, sane nec erunt distributive in hac, vel illa specie, quia dum ad inferiora contrahitur, suum formale constitutivum non mutatur. Tum quia totum, quod est de essentia superioris, est etiam de essentia cujuscumque individui, si ergo differentia non est de essentia animalis, ut sic, abstracti ab hac, & illa specie, neque etiam erit de essentia animalis contracti ad hanc, vel illam speciem, quod est individuum animalis, ut sic. Respondet rursus Arriag. non esse de ratione cujuscumq; individui totam rationem superioris secundum quod dicit ex parte objecti, sed secundum id, quod dicit ex parte actus. Contra, actus ille confusus, in quo confunduntur omnes species in ratione animalis, vel exprimit, seu repræsentat solum id, in quo conveniunt illæ species, vel etiam id, in quo differunt; si primum, habetur intentum, quod nec ex parte objecti, nec ex parte actus, differentiæ sunt de essentia rationis communis, si secundum, ergo actus ille non erit omnino confusivus specierum, sed etiam distinctivus, quia species nequeunt confundi in illis rationibus, per quas distinguuntur abinvicem; itaque animal, quod est in homine, est solum rationale per identitatem, & realem ejus unionem cum illa differentia in illo tertio, non autem per formalem inclusionem unius in alio, nam si in conceptu essentiæ animalis includeretur rationale, non posset abstrahi ab illo, seu præscindi nec præcisione se tenente ex parte objecti, ut ipsi concedunt, neque ex parte actus, quia hoc ipso quod actus ille non repræsentaret rationalitatem, consequenter neque repræsentaret animal hominis, quia in ejus ratione formali includitur rationalitas ex Adversariis, & per hoc etiam reiicitur prolixa, ac tædiosa solutio Ovvied. ad idem argumentum, quæ omnino coincidit cum responsione Arriagæ.

294 Confirmatur totum argumentum cum sua replica, quia ratione distinctionis formalis inter animalitatem, & rationalitatem vertentis secundum Scotistas, aut saltem virtualis secundum Thomistas, potest unum ex illis esse objective in intellectu absque eo, quod adsit alterum, ergo objective præscindunt abinvicem, cum secundum esse objectivum unum separetur ab alio. Respondet Hurtad. ex Nominalibus cognitioni de animali ex parte hominis respondere in recto animal rationale, & omnia quæ sunt idem realiter cum illis, itaut ille actus nulli formalitati det denominationem cogniti immediate, & formaliter, quin formaliter, & immediate eandem non det toti entitati ejus objecti, sic qua ratione animal terminat cognitionem illam, eadem eandem terminat rationale, Petreitas, & cæteræ formalitates, itaut nulli ex illis conveniat carentia terminationis formalis, & immediatæ; at vero cognitioni animalis respondent ex parte obliqui connotati sensiones, quæ sunt causa objectiva, ob quam cognitio illa totum objectum denominat animal, quia penetrans sensiones esse effectus vitales ejus objecti cognoscit illud esse animal, quod penetrat ex effectibus, qui in solo reperiuntur animali; cognitio ergo de animali ex parte objecti habet idem omnino in recto, nempe totum Petrum, ac cognitio de rationali, sed hæc attingit in obliquo discursum, illa vero sensionem.

Sed facile reiicitur ex nostris principiis hæc Nominalium doctrina, primo quia distinctio per connotata est extrinseca, & regulariter loquendo supponit aliquam priorem intrinsecam in connotante, quotiescumque enim aliquid distinguitur per ordinem ad diversa connotata, ex intrinseco suo habet quod respiciat illa connotata, ergo ex intrinseca sua natura habet, quod sit distinguibile in ordine ad diversa connotata, & consequenter secundum suum esse intrinsecum fundat aliquam distinctionem saltem rationis, ut constat ex dictis supra nu. 248. ergo in proposito ideo homo per animalitatem connotat sensiones, & per rationalitatem discursus, quia sunt formalitates alterius rationis, nam si essent omnino ejusdem rationis nulla posset afferri causa, cur potius per animalitatem connotentur sensiones, quam per rationalitatem, & cur per istam discursus potius, quam per illam. Deinde falsum est cognitionem de animali, & de rationali convenire omnino in objecto directo, & solum differre in obliquo per connotationem sensionum, vel discursuum, probatur assumptum, quia unum illorum in sensu formali negatur de altero, itaut negatio cadat, nedum supra connotata in obliquo, sed etiam supra ipsas formalitates in recto, non solum enim dicimus sensiones non sunt discursus, sed dicitur etiam quod animalitas non est rationalitas; Præterea extrema illa fundant diversas habitudines, quia unum fundat rationem genericam, & aliud differentialem, unum est radix unius proprietatis & aliud alterius, quæ quidem omnino salvari non possunt, nisi extrema illa ex sua ratione intrinseca dicant formalitates diversas, & abinvicem præcisas vel ex natura rei, ut nos dicimus, vel saltem per opus intellectus cum fundamento in re, ut dicunt Thomistæ; quod etiam an sufficiat, patebit disputatione octava, quæstione sexta, articulo secundo. Tum quia distinctio optime convincitur ex eo, quod unum extremum ex se habeat aliquid, quo alterum careat, at illa extrema ita se habent, ut secundum propriam formalitatem unum habeat aliquid, quo alterum careat, nam rationalitas v. gr. ex se habet quod sit propria unius speciei, animalitas vero, quod sit communis pluribus; & ut eorum utamur exemplis, animalitas secundum propriam rationem habet, quod connotet sensiones, & rationalitas discursus, necessario igitur distinctionem aliquam admittunt in propriis formalitatibus, si enim sunt omnino idem ex parte objecti, plane quicquid connotabitur ab uno, connotabitur & ab alio, nec sufficiens ratio afferri potest, cur illa cognitio animalis sit potius cognitio illius objecti in ordine ad operationes animalis, & cur explicet illud objectum per vocem *animal*, potius, quam per vocem *rationale*, cum utrumque eodem modo attingatur. Respondet Arriag. cit. nu. 45. causam illius efficientem esse imperfectam speciem illius objecti desumptam ex operationibus communibus omnibus animantibus, causam vero intrinsecam, & formalem esse ipsam differentiam specificam cognitionis, quæ ex se habet repræsentare objectum cum hac potius claritate, quam cum alia. Contra, neutra causa sufficienter assignatur, non quidem efficiens, quia per Nominales eadem prorsus entis, & formalitas in homine est principium efficiens sensionis, & discursus, ergo non est major ratio, cur species ex sensionibus desumpta pariat cognitionem animalis, ut sic, quam rationalis, nec etiam bene assignatur causa formalis intrinseca, quia differentia specifica cognitionum sumi solet ex diversitate objectorum ex 2. de Anim. 33. aut saltem ex aliqua differentia se tenente ex parte objecti, quæ in proposito assignari nequit; tum quia una cognitio dicitur clarior alia respectu ejusdem objecti, quatenus plura, vel minora prædicata illius manifestat, quorum singulas proprias important formalitates objecto intrinsecas. Forte dices, sensiones ideo potius in homine ducere in notitiam animalis, quam rationalis, quia sunt communes omnibus animalibus, non sic discursus. Contra, quia id alia de causa contingere nequit, nisi quia formalitas animalis de se communis est omnibus sentientibus, immo hæc est ratio a priori, cur sensiones sint operationes omnibus sentientibus communes, non ita discursus, quia nimirum animalitas est communis omnibus animantibus sed rationalitas est propria hominis.

295 Secundo principaliter probatur nostra Conclusio ex via Metaphysicæ compositionis, quando namque intellectus distinguit inter rationem genericam, & specificam, sane ita illas distinguit, aut ex natura rei ita distinctas reperit, ut ex illis duabus rationibus concipiat confici compositum unum metaphysicum, tamquam ex actu, & potentia metaphysicis, & hanc compositionem ita concipit, ut se teneat ex parte objecti, ergo vel distinctio eorum præcedit in objecto, vel saltem ab intellectu causatur in ipso, quia compositio consistere nequit, nisi inter componentia aliqua distinctio intercedat. Respondet Arriag. compositionem ex genere, & differentia non esse in objecto, sed provenire extrinsece ab uno actu, quo confunditur cum pluribus; & ab alio, quo ab illis distinguitur, unde eadem disp. 5. n. 10. inquit hominem non componi vere ex genere, & differentia, quia cum genus, & differentia formaliter non sint a parte rei, non potest realiter genus, & differentia componere, sed illa compositio est solum per intellectum, quatenus cognoscitur homo, & per actum, qui tendit ad plures species, & per actum, qui tendit ad differentiam illarum. Hæc solutio explodituer ex dictis disp. 5. Log. q. 3. art. 2. ac dicendis infra disp. 8. n. 197. quibus in locis ostenditur compositionem metaphysicam non esse omnino rationis, sed aliquo pacto realem, vel saltem cum fundamento distinctionis in re, & ex parte objecti inter rationem genericam, & specificam. Tum quia si compositio metaphysica provenit extrinsece ab uno actu, quo homo v. g. confunditur cum pluribus speciebus, & ab alio, quo ab eis distinguitur, ut ait Arriag. plane nulla reddi potest ratio, cur hæc compositio ipsi quoque Deo cum omni proprietate applicari non possit, quia etiam ipse concipi potest aliquo actu, quo confunditur cum creatura in aliquo prædicato transcendenti, & alio actu, quo secernatur ab illis. Nec valet cum ipso dicere, talem compositionem non admitti in Deo, quia in Deo non admittitur communiter ratio univoca ipsi, & creaturis, ut requiritur communiter ad genus. Non valet, quia modo fere apud omnes talis ratio univoca admittitur communis ipsi, & creaturis, & hoc tenet ipse Arriag. disp. 11. Log. sec. 4. de ratione communi entis, immo admittit posse dici genus, quod si ita est, plane in ejus sententia sequitur, Deum esse compositum ex genere, & differentia cum omni proprietate, perinde, ac creatura, quod hactenus nemo sanæ mentis admisit.

296 Tertio probatur ex dicendis disp. 9. de naturis communibus, hæc enim vox *homo* non immediate significat Petrum, & Joannem, sed aliquam naturam communem ambobus saltem per indifferentiam, ut ibi explicabitur, ergo ex parte objecti significati correspondet illi aliquod commune Petro, & Joanni, quod sit objectum cognitionis, cui correspondet, & erit objective præcisum a differentiis Petri, & Joannis. Respondet Ovvied. controv. 4. cit. n. 32. conceptum respondentem huic voci *homo*, & ipsam vocem respicere ex parte objecti Petrum, Joannem, Franciscum, & alia individua contenta sub specie hominis, quæ repræsentantur per conceptum quendam confusum respondentem huic voci *homo*, ex vi cujus intellectus non discernit inter plura illa, quæ per talem cognitionem attingit, etiamsi illa attingat ex parte objecti secundum differentias, ex vi quarum inter se discernuntur, sicut viso coloris viridis valde distantis calorem attingit secundum differentiam specificam, adeo tamen confuse, ut ex vi illius non discernat sensus, neque fundamentum tribuat intellectui discernendi inter colorem viridem, & nigrum. Hæc Nominalium doctrina jam impugnata est disp. 8. Log. q. 1. art. 1. disputando contra Arriag. & Hurtad. utentes illa ad solutionem ejusdem argumenti, & adhuc impugnabitur infra disp. 9. nam licet homo mediate significet Petrum, Paulum, Joannem &c. immediate tamen illa significare non potest, quia objectum immediate significatum per hanc vocem *homo* prædicatur de Petro, & Paulo, ergo dicit aliquid commune utique objective præcisum a differentiis utriusque, alioquin sensus illius propositionis *Petrus est homo*, esset hic, Petrus est Petrus, Paulus, Joannes &c. Respondet Ovvied. objectum significatum per hanc vocem *homo*, quod prædicatur de Petro, & Joanne, non verificari de Petro, quatenus verificatur de Joanne, quia de Petro verificatur quatenus in illo objecto, quod continet collectionem individuorum, continetur Petrus, ad quem tamquam ad subjectum verificationis totum prædicatum contrahitur, cum dicimus *Petrus est homo*, & de Joanne verificatur, quatenus in illo objecto continetur ipse Joannes, ad quem tamquam ad subjectum verificationis contrahitur objectum significatum ex parte prædicati, cum dicimus, Joannes est homo.

Hæc etiam Nominalium doctrina ibidem impugnatur, quia ut arguit Lichet. 2. d. 3. q. 1. §. *ad responsionem* ex ea sequeretur in qualibet propositione superioris de inferiori propriam naturam prædicari de proprio individuo, & sic cum dicimus, Petrus est homo, non esset prædicatio superioris de inferiori, nec universalis de singulari, sed ejusdem de seipso; consequentia patet, quia prædicatum non haberet majorem latitudinem subjecto, si de se non est communius illo. Conf. quia cum dicimus, Petrus est homo, vel ly homo ut dicitur de Petro, significat totam collectionem individuorum humanæ speciei, vel hoc præcise individuum; non primum, ut & ipsi concedunt, ergo secundum, & sic prædicatio erit ejusdem de seipso. Tum quia cum dicimus in prædicatione signata, homo prædicatur de pluribus numero differentibus, & deinde inferimus per exercitam, ergo Petrus est homo, illud idem objectum quod prædicabatur signate, prædicatur etiam exercite a parte rei, sed id quod fundabat prædicationem signatam, erat natura humana communis pluribus numero universis, ergo eadem quoque prædicatur exercite, licet sub diversis terminis primæ vel secundæ intentionis, quæ objectum non variant a parte rei. Tum quia si prædicatum *homo*, non eodem modo verificatur de Petro, ac de Joanne, jam in eo non erunt similes. Confirmatur hoc argumentum cum replica, quia implicat manifeste, quod in sua responsione assumebat Ovvied. conceptum respondentem huic voci *homo* attingere immediate omnia individua speciei humanæ etiam secundum proprias differentias ex parte objecti, at ex parte actus esse adeo confusum, ut ex vi illius nequeat discernere inter illa plura. Hoc, inquam, mihi palam implicare videtur, quia cognitio illa tantum objecta attingit, quæ repræsentat, & manifestat, & e contra, si ergo conceptus respondens huic voci *homo* attingit immediate omnia individua, & omnes eorum formalitates ex parte objecti; utique per talem cognitionem sciet intellectus inter illa plura discernere: quod si inter ea discernere nequit, signum est intellectum non attingere rationes differentiales eorum, nec tales per conceptum hominis repræsentari, aut explicari. Neque exemplum ab Ovvied. adductum de visione coloris viridis longe distantis suffragatur, nam falsum est, talem visionem attingere in eo casu colorem viridem, ut sic, tunc enim discerneret illum a nigro; quod si adeo confuse illum repræsentat, ut sensus eum discernere nequeat a nigro, hoc manifestum inditium est, per talem visionem non attingi colorem viridem in tali specie, ut existit a parte rei; neque tamen ob id dico in tali casu videri colorem, ut sic, quia universale non videtur, nec esse potest objectum sensus; quod igitur videtur est color ille viridis, sed ratione distantiæ ita modificatur per medium, ut appareat illius coloris confusi, qui tamen est aliquis color in specie infima, unde etiam dari posset color a parte rei, qui talis de propinquo appareret, ut adhuc paulo infra magis explicabitur.

297 Quarto probatur ex vi illativa discursus, nam in discursu aliquid infertur de aliqua re, quod non erat antea notum, ut cum ex eo, quod Deus est æternus, infertur esse immutabilem, ex hoc quod Angelus est intellectivus, infertur esse volitivum, & universaliter una ratio metaphysica infertur ex altera; sed certe id fieri non posset, nisi adesset aliqua distinctio a parte objecti noti, & ignoti, ut nimirum notum sit quoad unam formalitatem, non quoad aliam, ergo &c. Major patet, probatur minor, quia discursus est a re nota ad ignotam progressio, in quo sane insinuatur aliqua distinctio inter inferens, & illatum se tenens ex parte objecti, alioquin in quolibet discursu committeretur petitio principii. Conf. tenet hæc consequentia, animal est sensitivum, ergo homo est sensitivus, equus est sensitivus, leo est sensitivus &c. ergo illud antecedens, & hoc consequens non dicunt omnino idem ex parte objecti, quasi animal esse sensitivum sit formalissime idem, quod hominem esse sensitivum, equum esse sensitivum &c. ut opinatur Ovvied. sed esset manifesta petitio principii. Confirmatur adhuc, nam in conceptu animalis affirmantur prædicata superiora saltem implicite, nam valet arguere ab inferiori ad superius affirmative, Petrus est animal, ergo vivens, ergo corpus &c. & tamen non affirmantur prædicata inferiora, quia a superiori ad inferius, non tenet affirmative, est animal, ergo rationale; ergo animal, & rationale omnino distinguuntur ex parte objecti, nam si forent omnino idem, utique dici posset, hoc est animal, demonstrando hominem, ergo est rationale.

Ad hanc ultimam Conf. respondet Arriag. cit. nu. 42. circa idem indivisibile objectum posse esse plura nomina, non ad significandum res diversas, sed ad significandum diversum modum idem objectum cognoscendi v. gr. vox *homo*, & vox *animal rationale* idem prorsus significant in omnium sententia, & totum quod concipitur per unam concipitur per aliam, cum h. differentia quod per unam concipitur clare, per aliam confuse; ita similiter vox *animal*, & vox *rationale* respectu hominis significant quidem eandem omnino indivisibilem entitatem, & formalitatem, sed cum hac differentia, quod vox *animal* significat hominem, ut confuse cognitum cum aliis animantibus, at vero vox *rationale* significat eundem clare tamen cognitum, & ut distinctum ab irrationali, seu bruto; ex quo infert non esse bonam consequentiam, ego scio illud esse animal, & non scio esse rationale, ergo aliquid cognosco ex parte objecti, & aliquid ignoro; sicut pariter nec est bona hæc consequentia, rusticus scit Petrum esse hominem, & non scit eum esse animal rationale, ergo aliquid ex parte Petri cognovit, & aliquid non, non tenet hæc consequentia, quia ex antecedenti solum inferre licet rusticum non cognovisse clare Petrum, & ideo non sciisse illum explicare per voces *animal rationale*, quæ significant hominem non utcumque, sed ut clare cognitum, quod contingit sine ulla prorsus præcisione objectiva; ita similiter quod quis possit dicere *illud est animal*, non vero possit *illud est rationale*, non oritur ex eo, quod aliquid cognoscat ex parte objecti, & aliquid ignoret, sed quia non habet conceptum clarum ipsius objecti, qui explicatur per vocem *rationale*, etiamsi habeat circa illud idem objectum conceptum internum minus clarum, qui explicatur per vocem *animal*.

Sed certe hoc exemplum de definitione, & definito, cui adeo fidit Arriag. valde absimile est a re nostra, quia definitio, & definitum, ut homo, & animal rationale comparantur, ut totum, & partes simul sumptæ, seu ut idem totum confuse cognitum per nomen, & distincte cognitum per partes, at animal, & rationale comparantur ut compartes ejusdem compositi metaphysici, quarum proinde una petit esse distincta ab alia, & esse objective extra aliam, unde falsum omnino est, hanc vocem *animal* fuisse impositam ad significandam eandem omnino formalitatem, quam significat rationale, & solum importare diversum modum cognoscendi idem objectum, quia re vera important diversas partes, & formalitates ejusdem compositi metaphysici. Conf. quia si vera esset hæc doctrina, posset pariter defendi corpus, & animam non dicere diversas partes compositi physici, sed significare eandem prorsus rem physicam, & solum importare diversum modum idem objectum cognoscendi, & quod per hoc prædicatum *corporeum* significatur compositum animatum, ut confuse cognitum cum aliis rebus corporeis, at vox *animatum* significat idem clare tamen cognitum, & ut distinctum ab inanimatis, unde nisi videremus separationem corporis ab anima, numquam quis convinci posset, ut fateretur corpus, & animam dicere diversas partes compositi animati; semper afferendo proterve hæc nomina importare eandem rem, & solum significare diversum modum ipsam cognoscendi. Deinde illo eodem exemplo potest Arriag. revinci, quando enim duo termini ita se habent, quod important idem omnino objectum, & non differunt, nisi per explicitum, vel implicitum, aut magis, vel minus clare cognitum, tunc ab uno ad aliud tenet consequentia affirmative, ut verbi gratia Petrus est homo, ergo est animal rationale, vel e contra, est animal rationale, ergo homo, bene enim arguitur a definitione ad definitum, & e contra: at non ita valet arguere, est animal, ergo rationale, signum ergo evidens est, majorem distinctionem intercedere inter animal, & rationale, quam inter hominem, & animal rationale, adeo ut important diversas formalitates objectivas, & non tantum diversum modum cognoscendi idem objectum; quo autem pacto teneat consequentia a definitione ad definitum etiamsi non dicant diversas formalitates in re absque præjudicio istius quarti argumenti, declaratum est disput. 1. Log. quæst. 4. artic. 2. quatenus magis, & minus explicitum, seu confusio, & claritas, penes quas differunt, non tantum se tenet ex parte intellectus cognoscentis, sed etiam objecti cogniti. Denique realitas generica, & differentialis adeo inter se differunt, ut Doctor docet 1. dist. 8. qu. 3. ad 1. argument. quod non differunt solum per explicitum, & implicitum, seu magis, vel minus clare cognitum, quia quantumcumque clare, & explicite concipiatur genus, numquam in ipso invenitur differentia, aut e contra, ergo animalitas, & rationalitas vere differunt ex parte objecti, & penes diversas formalitates, assumptum sic declaratur a Scoto loc. cit. si ponamus aliquem intellectum perfecte moveri a colore ad intelligendam realitatem coloris, & realitatem differentiæ, quantumcumque habeat perfectum conceptum adæquatum primæ realitati, non tamen habet in hoc conceptum realitatis, a quo accipitur differentia, nec e converso, sed habet ibi duo objecta formalia, quæ nata sunt terminare conceptus proprios distinctos.

298 Quinto adhuc specialiter probatur, nedum ex vi distinctionis nostræ formalis admittendas esse præcisiones objectivas, quibus correspondeant diversæ realitates a parte rei præcisæ abinvicem ex suis rationibus formalibus, verum etiam ex vi distinctionis rationis ratiocinatæ in præcedentibus explicitæ; admitti debere præcisiones objectivas per intellectum factas cum fundamento in re, quoniam intellectus habet vim nedum collativam, sed etiam præcisivam, nedum ergo distinguere potest idem omnino objectum a seipso penes diversum modum concipiendi illud magis, vel minus clare, sed etiam potest illud in seipso distinguere cum fundamento in re, ac in diversas formalitates mentaliter partiri, formando nempe conceptus inadæquatos circa rem, quam intelligit, ita ut partem

tantum ejus essentiæ attingat, quod præsertim contingit, quando cognitione præcisiva aliquid novimus, cujus essentia non est nobis adæquate explorata, ergo ex vi distinctionis rationis ratiocinatæ concedendæ sunt præcisiones objectivæ, seu admitti debet aliqua distinctio in objecto, antecedens patet, cum nulla afferri possit implicantia, cur intellectus non eo modo uti possit virtute sua præcisiva in rebus cognoscendis quoad suos gradus, consequentia probatur, quia distinctio rationis ratiocinatæ fit, quando concipitur res aliqua per conceptus inadæquatos, sed conceptus inadæquatus ponit tantum partem rei cognitæ in intellectu, ita quod divisio cadat supra ipsum objectum quatenus habet esse intentionale ergo &c. Conf. quia licet calor, & ficcitas in Luce solari sint eadem prorsus entitas Lucis a parte rei, tamen perfectiones illæ secundum se non sunt eadem, quia separatim possunt separari in diversis, vel saltem in eodem habent diversum munus, & ideo dum in Sole concipiuntur diversis conceptibus, oritur distinctio rationis ex parte sui, eo quod ex vi rationis, dum non cognoscitur simplicitas entitatis solaris Lucis, nec earum identificatio cum Luce fit, ut maneant per rationem secundum se distinctæ.

Respondet Arriag. cit. num. 48. negando distinctionem rationis ratiocinatæ esse illam, quæ distinguit objectum indivisibile in duas partes, sed ait esse illam, per quam objectum distinguitur a pluribus, vel paucioribus rebus, ideo enim animal distinguitur ratione ratiocinata a rationali, quia per animal cognoscitur homo adeo confuse, ut non distinguatur a brutis, a quibus distinguitur per rationale; distinctio vero rationis ratiocinantis est illa, per quam objectum licet diverso modo cognoscatur, non tamen distinguitur a pluribus per unum actum magis, quam per alium. At distinctionem ratiocinatam esse illam, ex vi cujus intellectus rem inadæquate concipiens eam in plures partitur formalitates ex fundamento in re reperto, conflat ex præcedentibus; neque notio distinctionis ratiocinatæ ab Arriag. assignata, quod sit illa, qua objectum distinguitur a pluribus, vel paucioribus rebus, est apta, quia etiam apud ipsum intellectus, & voluntas in anima, potentia remota, & proxima in materia, distinguuntur ratione ratiocinata, nec tamen per intellectum anima a pluribus secernitur, quam per voluntatem, aut è contra, ergo non est illa legitima notio distinctionis ratiocinatæ, sed assignata superius, neque hujusmodi distinctio attenditur penes conceptum implicitum, & explicitum ejusdem omnino objecti, hoc enim potius pertinet ad distinctionem ratiocinantem, sed sumitur ex duplici conceptu explicito, quo scilicet repræsententur duæ rationes formales objective ejusdem rei.

299 Sexto ulterius probatur in divinis præsertim has præcisiones objectivas negari non posse, quia si quando dico, *paternitas non communicatur*, correspondet in conceptu paternitatis essentia, affirmarem de illa non communicari, quia de toto illo, quod correspondet ex parte subjecti, affirmatur illud prædicatum; affirmare autem de essentia divina non communicari est hæreticum, ergo illa non correspondet in conceptu paternitatis; idem est de his propositionibus, relatio est triplex, essentia est unica, & aliis similibus, in quibus si relatio, & essentia correspondeant ex parte objecti, est idem absurdum quod in præcedentibus, ergo negari nequit præcisio objectiva inter essentiam, & relationes, ita discurrit Arriag. disp. 3. Loc. cit. sec. 4. subsec. 2. Cujus argumenti robur ad probandas præcisiones objectivas in divinis, ut magis ostendat, adducit solutionem quandam, quam aliquando satisfacere putavit, videlicet quod quotiescunque quis dicit *essentia divina communicatur*, affirmat etiam ex parte objecti *non communicari*, non quidem adæquate, quia hoc est omnino impossibile, sed solum inadæquate, quod non repugnat. Sed postea re melius considerata ait se comperisse eam solutionem non satisfacere, quia si ea propositio *essentia communicatur*, significat communicationem inadæquatam, & idem significat ex parte objecti essentia, quod relatio, ergo tam vera erit a parte rei hæc propositio, *relatio communicatur*, quam hæc *essentia communicatur*, quod est erroneum; similiter tam erit hæc vera, essentia producitur, quam est vera, relatio producitur; rursus idem erit dicere relatio est triplex, ac dicere, essentia est triplex, *relatio est una*, ac *essentia est una*, quia idem significat ex parte objecti relatio, ac essentia in sententia negante præcisiones objectivas etiam in divinis, hoc autem est erroneum, ergo non potest dici ex parte objecti idem eodem modo significari in conceptu essentiæ, ac in conceptu relationis, ergo præscinditur. Ex quo, inquit Arriag. evidenter reiicitur solutio supra data, ostenditur enim non posse per eam inadæquatam communicationem mysterium hoc explicari, quia tunc sequeretur tam vere posse dici, essentiam distingui, & produci, quam hoc ipsum dicatur de relatione.

Hunc totum Arriagæ discursum, quo probare contendit saltem in divinis admitti debere præcisiones objectivas ad salvandum Trinitatis mysterium, undequaque approbo, sed addo per ipsum non probari tantum dari in divinis præcisiones objectivas per intellectum factas sine correspondentia distinctarum realitatum, de quibus ipse loquitur cum Thomistis, sed etiam præcisiones objectivas primi generis, quibus nimirum correspondent formalitates ex natura rei formaliter distinctæ, quod etiam ex ipsis suis dictis sic probari potest, si enim illæ propositiones sunt veræ a parte rei, essentia communicatur, relatio non communicatur, essentia est unica, relatio triplex, si, inquam, sunt ita veræ a parte rei, ut nullatenus earum veritas pendeat ab intellectu nostro, quia tunc etiam Trinitatis mysterium aliquo pacto ab intellectu nostro penderet, ergo admittendæ erunt in divinis, nedum præcisiones objectivæ Thomisticæ, verum etiam Scoticæ, probatur consequentia, quia præcisiones objectivæ Thomisticæ, factæ nimirum per conceptus inadæquatos sine correspondentia distinctarum realitatum, pendent ab intellectu nostro, etiamsi habeant aliquod in re fundamentum, quia habentur beneficio distinctionis rationis ratiocinatæ, quæ in esse distinctionis, & in sua actualitate ab intellectu pendet; cum ergo propositiones illæ sint omnino veræ antecedenter ad opus intellectus, plane virtute ipsarum in divinis admitti debent nedum præcisiones objectivæ Thomisticæ ortæ ex distinctione rationis ratiocinatæ, sed etiam Scoticæ ortæ ex distinctione formali actuali inter essentiam, & relationes, ut Doctor ostendit 1. dist. 2. quæst. 7. §. *sed hic restat*. Conf quia veritas illius propositionis, *essentia communicatur*, non sumitur in ordine ad intellectum, vel in ordine ab objectum, ut existens tantum intentionaliter in cognitione, sed in ordine ad objectum, ut existens a parte rei, & idem dicendum de alio, *relatio non communicatur*, ergo dicendum est, verificationem illius propositionis a parte rei, *essentia communicatur*, desumi a natura, & non a relatione, & e contra veritatem illius *filiatio non communicatur*, desumi a relatione, & non a natura; sed hoc non est, præcisiones tantum objectivas, seu formalitates per intellectum tantum præcisas admittere, sed etiam formalitates ex natura rei præcisas, & rem explicare, prout existentem a parte rei. Conf. tandem, quia tam præcisio formalis, quam objectiva pendens ex distinctione ratiocinata, de qua loquitur Arriag. formaliter, & actualiter consistit in nostra cognitione, sed totum Trinitatis mysterium independens omnino est a nostra cognitione, ergo parum juvat ad illud salvandum mysterium, sive præscindas formaliter tantum essentiam a relationibus, sive etiam objective, quia antecedenter ad quascunque has præcisiones veræ sunt actualiter, & formaliter propositiones illæ, essentia communicatur, relatio non communicatur, ergo ex discursu Arriag. & contradictoriis prædicatis de essentia, & relatione verificatis actu a parte rei, nedum deduci debent præcisiones objectivæ, seu formalitates per intellectum præcisæ, sed etiam formalitates ex natura rei distinctæ, ut notavit Doctor loc. cit. 1. distinct. 2. quæst. 7.

Præterea dico ex hoc Arriag. discursu nedum probari in divinis dari debere præcisiones objectivas inter essentiam, & relationes, sed in creatis quoque inter gradus prædicamentales, ut inter genus, & differentiam, inter potentias animæ intellectum, & voluntatem &c. quod sic ostendo, nam Arriag. ex consradictoriis, a parte rei verificatis de essentia, & relatione deducit præcisionem objectivam eorum ad invicem, ita quod ex parte objecti in conceptu formali unius non inveniatur aliud involutum, alioquin de eodem omnino verificarentur contradictoria a parte rei: sed talia quoque contradictoria a parte rei verificantur de ratione generica, & differentiali, de intellectu, & voluntate, de subjecto, & passione &c. ergo ex tali via contradictionis nedum admitti debent præcisiones objectivæ in divinis, sed etiam in creatis, patet consequentia, probatur minor, nullo enim considerante intellectu homo, & leo in animalitate conveniunt, & assimilantur, ob similes sensiones elicitas, in rationalitate vero non assimilantur, intellectus naturaliter operatur circa suum objectum, & cum determinatione ad unum, at voluntas libere operatur, ac indeterminata indeterminatione dominii, vel ad utrumlibet, & hæc contradictoria verificantur de ipsis independenter a cognitione nostra, nam illa prædicata conveniunt ipsis ex intrinseca eorum natura, & constitutione, ergo sicut hæc contradictoria arguunt in divinis præcisiones objectivas inter essentiam, & relationes, sic etiam arguere debent in creatis inter rationem genericam, & differentialem, & inter intellectum, & voluntatem; immo nedum arguere debent præcisiones objectivas ortas tantummodo ex distinctione rationis ratiocinatæ, sed etiam illas, quæ oriuntur ex distinctione formali actuali, quæ est major distinctione rationis ratiocinatæ, & minor distinctione reali simpliciter dicta.

300 Septimo ulterius probari solent a præscindentibus præcisiones objectivæ etiam in creatis experientia, quando enim eminus video animal se movens, cognosco clare esse animal, & non cognosco esse rationale, ergo præscindo animal a rationali; antecedens, ut dixi, experientia constat, probatur consequentia, quia tunc cognitio fertur in rationem genericam, & non attingit rationem specificam, ergo tunc una præscindit ab alia, hoc enim est præscindere objective unam rationem ab alia, eam intelligere sine alia, seu alia non intellecta. Verum Arriag. & Ovvied. argumenti imbecillitatem ostendunt per instantiam in sensationibus, quia quando eminus video colorem aliquem, possum illum adeo confuse cognoscere, ut nequeam affirmare, an sit albedo, vel nigredo, sed solum esse colorem, & tamen in præscindentium sententia iste actus visionis non est præcisivus ex parte objecti, quia sensus non præscindit, nec oculus videt universale sine particulari; explicent igitur mihi, qua ratione id contingat sine præcisionibus in visione (inquit Arriag.) & eadem ratione dicam ego contingere in actibus abstractivis intellectus etiam sine ulla præcisione objectiva; Immo ex hoc desumit argu-

argumentum Ovvied. ad impugnandas præcisiones objectivas, quia totum fundamentum præscindentium sumitur ex eo, quod intellectus discernat rationem genericam, & non specificam, sed idem contingit in sensibus, & tamen in sensibus hæ præcisiones non admittuntur, ergo neque ex hoc fundamento præcisiones objectivæ sunt in intellectu admittendæ, sed tantum formales.

Fateor & ego hanc septimam rationem non recte procedere, falsum enim est, quod cum eminus video animal se movens, nec distincte cognosco, an sit homo vel equus, tunc ita præscindam rationem genericam a specifica, ut cognoscam universale sine particulari, & ratio est, quia ut dictum est disp. 6. de Anim. q. 7. art. 1. intellectus in cognoscendo manuducitur a sensu, & ideo sicut species, quæ imprimitur in sensu, est semper alicujus singularis, non autem universalis, quia sensus est singularium, nec naturam communem attingit, nisi conditionibus individuantibus involutam, sic etiam prima species, quæ immediate post sensationem imprimitur in intellectu, est species singularis sensati, & ratio est, quam ibi attuli num. 201. quia species intelligibilis ex primo congressu intellectus agentis cum phantasmate procedit similis objecto repræsentato per phantasma, quia non producit speciem, nisi secundum exigentiam phantasmatis, & objecti per ipsum repræsentati, cum igitur phantasma repræsentet naturam cum conditionibus individuantibus, similis quoque species quantum ad repræsentationem ex eo abstrahitur ab intellectu agente imprimenda intellectui possibili; sicut ergo in visione objecti a longe, puta albedinis, vel hominis, ita tamen confuse, ut discernere nequeat oculus, an color aut animal visum sit albedo, vel nigredo, homo vel equus, visus non percipit colorem, ut sic, aut animal quia, visus non videt universale, ut sic, sine particulari, ut ait Doctor 4. d. 8. qu. 2. lit. O. sed ex accidentibus genericis, vel specificis imperfecte cognitis ob improportionatam distantiam percipit singulare sensatum magis universalis, aut alicujus speciei innominatæ, ita quoque intellectus immediate post talem sensationem non percipit universale sine conditionibus individuantibus, sed attingit totum id, quod attingit sensus, & sicuti sensus in tali casu non præscindit objective attingendo nimirum rationem universalem sine particulari, ita nec intellectus cognoscendo totum id, quod cognoscit sensus. Quamvis autem hoc ita se habeat, adhuc tamen instantia in sensationibus facta non tenet, nec inde bene deducitur absolute intellectum præscindere non posse rationem universalem a particulari, quamvis enim hoc facere nequeat sensus ob suam materialitatem, hoc tamen potest facere intellectus, ut notat Doct. q. 22. de Anim. in corpore quæsiti, dum nempe virtute illius speciei impressæ naturam cum conditionibus individuantibus repræsentantis unum contemplatur alio non considerato, idest naturam ipsam singularitate relicta, & hæc est vera, & propria abstractio, & præcisio, nam abstrahere, vel præscindere unum ab alio, aliud non est, quam quod cum potentia abstrahens possit utrumque cognoscere, unum cognoscit alio non cognito, ut colligitur ex lib. 2. Phys. 18. cum ait Arist. abstrahentium non esse mendacium.

301 Hinc etiam patet solutio ad argumentum Ovvied. quod inde faciebat contra præcisiones objectivas, nam concessa majori, negatur omnino minor, quod cum oculus videt a longe colorem viridem itaut discernere nequeat, num sit viridis, vel niger, tunc attingat rationem coloris genericam sine specifica minime gentium, nam cum sensus sit singularium, sive eminus moveatur ab objecto, semper ab aliquo singulari movetur, quod est alicujus determinatæ speciei; unde cum oculus colorem aliquem attingit a longe, sed non apparet num sit viridis, vel niger, non inde licet inferre, quod præcise percipiat colorem, ut sic; nam adhuc in tali casu non dico me videre colorem absolute loquendo, sed quendam colorem, nescio tamen cujus determinatæ speciei, unde ut ajebat Doctor cit. quod tunc videtur, est singulare sensatum magis universalis, scilicet hic color, vel etiam dici potest cum Pasqualig. tom. 2. Met. disp. 58. sec. 3. n. 2. esse colorem determinatæ speciei, licet innominatæ, quod ex eo constare ait, quia potest dari aliquis color, qui talis omnino de propinquo appareat, qualis apparet albedo, vel viridis color, cum a longe videtur. Quod etiam evidenti potest exemplo confirmari, cum enim alicui offertur herba, quam numquam antea vidit, nescit assignare cujus sit determinatæ speciei, an scilicet sit lactuca, cicorea, aut alia species herbæ notæ, & tamen in tali casu non dicitur præscindere nec formaliter, nec objective rationem genericam a specifica, quia si de illa herba solum haberet conceptum generis, utique eam discernere non posset ab aliis herbis, & tamen ex collectione accidentium videt eam herbam nec esse lactucam, nec cicoream, sed alterius diversæ speciei, quam tamen distincte assignare nescit; quia adhuc ejus principia ignorat; sic itaque ex allato exemplo de aliquo colore viso a longe inferri non debet oculum attingere illum præcise sub ratione coloris, quia licet determinate non videat, num sit albus, vel niger, videt tamen esse cujusdam determinatæ speciei quasi mixtæ, quam tamen distincte assignare nequit. Ratio autem, cur albedo visa a longe in improportionata distantia non appareat, ut talis, hoc inde procedit, ut dictum est disp. 6. de Anim. q. 8. n. 255. quia species illius coloris simul unit tucum specie medii, quæ cum sit virtutis longe efficacioris, absorbet efficaciam speciei coloris, quæ debilis est, & facit, quod confuso modo repræsentet illum colorem, ex quo fit, quod color alius appareat, ac est; quia cum species debilis sit, afficitur a medio, ut tali pacto repræsentet, quod etiam adnotavit Pasqual. cit. Et hinc tandem infertur, neque valere illam Ovvied. consequentiam, ex hoc, quod nequeat visus colorem a longe conspectum discernere a viridi, & nigro, non sequitur ipsum præscindere objective rationem genericam a specifica, sed tantum formaliter, itaut tota confusio se teneat ex parte actus, ergo pariter ex eo, quod intellectus nequeat ex vi alicujus cognitionis discernere inter species coloris, vel animalis, inferri non debet ipsum præscindere objective rationem genericam a specifica, sed tantum formaliter. Hæc, inquam, consequentia non valet, quia valde dissident virtute potentia intellectiva, & sensitiva, sensus enim ob suam materialitatem caret virtute præcisiva, & abstractiva unius formalitatis ab alio, & præsertim universalis a singulari, qua tamen non caret intellectus, & ideo postquam semel a sensibus recepit speciem naturam repræsentantem cum conditionibus individuantibus, potest naturam contemplari singularitate postposita; immo ex hoc quod virtus intellectus est major in rebus penetrandis, & ejus actio subtilior in dividendis, ac discernendis rerum formalitatibus, quam sit virtus, & actio sensus, potius inferri debet, quod esto sensus nequeat præscindere, potest tamen intellectus præscindere inter rerum formalitates.

302 Postremo probatur dari non posse præcisiones formales sine objectivis, quæ erat altera pars conclusionis, ex dictis disp. 2. de natura entis num. 10. & 13. ubi ostensum est cuicumque conceptui formali in mente nostra correspondere proprium objectivum, ac unitatem, & præcisionem illius dependere ex unitate, & præcisione istius, cum actus suam unitatem, ac distinctionem accipiant ab objectis ex 2. de Anim. quæ omnia ibi fuse probata sunt. Tum quia hic dicendi modus distinctionem effectivam cum formali confundit, dum ait cognitiones ipsas esse præcisiones formales formaliter distinguentes unam rationem ab alia, quod satis inconsulto dicitur, quia formalis distinctio, vel ratio formaliter præscindens unam rationem ab alia non est ipsa cognitio, sed ipsa negatio, per quam una formalitas non est alia, vel ipsa relatio media inter duo extrema, quæ si fuerint a parte rei, distinguuntur formaliter ex natura rei; si vero sunt ab intellectu quasi effective mediante cognitione, erit distinctio rationis, & inde extrema ratione dicuntur distincta, ergo cognitio non est ipsa præcisio formalis, aut formalis distinctio, sed potius effectiva præsertim in distinctione rationis ratiocinatæ, nam inter ea, quæ distinguuntur formaliter ex natura rei, non efficit cognitio distinctionem, sed factam reperit, & agnoscit. Præterea has præcisiones formales sine objectivis implicare ostenditur ex ipsa earum explicatione ab Adversariis data, ut enim constat ab initio quæstionis præcisionem formalem sine objectiva explicant exemplo visionis albedinis a longe, quæ sit ita confusa, ut solum discernere possim esse colorem, non vero esse albedinem, aut alterius determinatæ speciei; in hoc enim casu talis visio attingit albedinem nedum secundum rationem genericam coloris, sed etiam secundum specificam, itaut ex parte objecti nihil attingendum remaneat, alioquin sensus præscindere posset rationem communem a particulari, & universale efficere, nihilominus totum illud objectum ita imperfecte cognoscit, ac si solum cognovisset rationem coloris, non vero rationem albedinis; & hanc dicunt esse præcisionem formalem prout distinguitur ab objectiva, in qua non attingitur totum objectum, & secundum omnem sui formalitatem, sed tantum secundum aliquam, quem quidem præscindendi modum non admittunt. At nunc ostendo illum potius præscindendi modum impossibilem esse, quia si visio albedinis a longe attingit ipsam nedum sub ratione generica coloris, sed etiam sub specifica, ut ipsi asserunt, ergo poterit per talem visionem albedo videri sub ratione albedinis, & a quocumque alio discerni colore, hoc enim est aliquid attingi per visionem, nimirum per ipsam exprimi, & repræsentari, unde si per talem visionem nequit albedo discerni a quocumque alio colore, signum est, per eam visionem non attingi secundum rationem specificam, & distinguentem; hoc, inquam, est id, quod implicat rationem differentialem albedinis per talem actum attingi, & tamen non discerni, quomodo enim non discernitur si repræsentatur, & exprimitur per eam?

Dices per eam non exprimi, vel repræsentari rationem differentialem albedinis, licet attingatur ex parte objecti, ex quo fit hic tantum præscindi ex parte actus. Contra, objectum attingi ab aliquo actu est per ipsum exprimi, & repræsentari, & secundum illam rationem exprimitur, secundum quam attingitur, ergo si per eam visionem albedo attingitur secundum rationem differentialem, secundum eam quoque exprimitur, & repræsentatur, & sic ex vi illius visionis poterit a quocumque alio colore discerni, quod est contra suppositum. Dices attingi quidem per eam visionem rationem differentialem albedinis, implicite tamen, & confuse, ideoque ab aliis coloribus per eam discerni non posse. Contra, quæro quid sit hoc implicite, & confuse attingi, & repræsentari, vel enim per eam visionem attingitur albedo confuse secundum rationem differentialem, quia non attingitur, nisi in suo universali, puta sub ratione coloris, & talis confusio, & præcisio esset objectiva, vel cum hac confusione stat, quod & attingatur etiam secundum rationem differentialem, & hoc non, quia notitia differentiæ specificæ eam tollit confusionem, & eo ipso quod aliquid secundum se relucet in cognitione, jam per eam distincte cognoscitur, & explicite, non autem implicite, & confuse. Dices cognosci confuse confusione se tantum tenente ex parte actus,

non

non objecti, & ideo hanc esse formalem præcisionem, non objectivam. Contra, quia rursus a capite redit difficultas, quomodo dari possit confusio, & præcisio ex parte actus, non autem ex parte objecti, ut enim dictum est disp. 6. de Anima quæst. 8. num. 247 cognitio ex duplici tantum capite dici potest confusa, vel quia explicat tantum quid nominis objecti, non autem quid rei, aut si explicat quid rei non tamen secundum omnem sui formalitatem, sed tantum per rationes universales, ac inadæquatas, istud vero genus confusionis se tenentis tantum ex parte actus nullo modo explicari posse videtur, ut etiam dictum est disp. 2. de natura entis n. 58. si autem non datur talis confusio, nec etiam dabitur præcisio formalis tantum super ipsam fundata; sed jam examinemus pondus adversantium rationum.

ARTICULUS II.

Argumenta non præscindentium diluuntur.

303 PRimo arguit Hurtad. contra præcisiones objectivas disp. 6. Met. sec. 4. subsec. 4. ubi non est ratio per quam aliquid constituitur distinctum, non potest esse distinctum, quia distinctum est formaliter a distinctione, sicut album albedine, & ubi non est albedo, non potest esse formaliter album, sed distinctio rationis non est formaliter in objecto, ergo illius effectus formalis non potest esse in objecto, ergo esse distinctum non est formaliter in objecto: atque ita non datur distinctio, seu præcisio ex parte objecti, major patet, probatur minor, omnis actus intellectus est in intellectu, sed distinctio rationis est actus intellectus, quia distinctio est consideratio unius sine alio, quæ formaliter in actu intellectus consistit, ergo distinctio rationis est in intellectu. Dices distinctionem, quæ est formaliter in intellectu, communicare etiam objectis suum effectum formalem, scilicet esse distinctum, sicut cognitio est formaliter in intellectu, a qua tamen objectum dicitur cognitum, formæ enim intentionales extrinsece communicant objectis formales suos effectus. Contra instat Hurtad.; ergo illa distinctio non attingit duas formalitates distinctas in objecto, nam objectum ut adæquate distinguitur a cognitione, & quocumque actu intellectus, non habet formalitates distinctas. Et quod affertur de cognitionis effectu formali, est ad oppositum, quia cognitio denominat objectum cognitum, sed non terminatur ad illud, ut cognitum, sed ut est a parte rei, tum quia sicut esse cognitum non dicit aliquid intrinsecum in objecto, sed solum intellectui, ita etiam esse distinctum non dicet aliquid in objecto, sed solum in intellectu.

Ovvied. contr. 4. cit. punct. 8. quamvis sit ejusdem opinionis cum Hurtad. ait tamen hoc argumentum non urgere contra præscindentes; & sufficienter dilui per ipsammet solutionem inter arguendum allatam, & ad primam Hurtad. instantiam contra eam respondet in objecto, ut distincto a cognitione, non esse plures formalitates pluralitate distincta a cognitione, hoc est non plures formalitates, quæ antecedenter ad ipsam cognitionem sint plures, esse tamen rationem illam, quæ per ipsam cognitionem dividitur seu partitur in plura non physice, sed intentionaliter. Et ad aliam instantiam de esse cognito inquit, quod sicut cognitio constituit objectum cognitum, non quia terminetur ad cognitionem, sed quia terminatur ab objectum, quod ex eo præcise, quod cognitio terminetur ad illud, constituitur cognitum, sic divisio, seu pluralitas intentionalis constituere potest objectum plura formaliter, etiamsi objectum antecedenter ad eam non sit plura, & cognitio illius, quæ formaliter est divisio, non ad seipsam, sed tantum ad objectum terminetur. At plane Ovvied. sic respondendo concedit quicquid prætendit Hurtad. solum enim ipse contendit ex vi distinctionis ratiocinatæ nullam poni distinctionem rationis in objecto, quæ, sit subjective in ipso, sed illi intrinseca, quia cum talis distinctio sit formaliter actus ipse intellectus, est subjective in intellectu ipso duntaxat, nec potest objectum ipsum denominare, & afficere, nisi terminative, & per extrinsecam denominationem, unde consequenter deducitur non dari præcisiones objectivas ex vi distinctionis ratiocinatæ, sed tantum formales in intellectu, cum ergo hæc omnia concedat Ovvied. sane argumentum Hurtad. manet in toto suo robore Sed & in alio etiam peccat ista solutio, quia male concedit argumento cognitionem esse formaliter ipsam distinctionem, hoc enim, ut supra dixi, falsum omnino est, quia formalis distinctio non est ipsa cognitio, sed ipsa negatio, per quam unum non est aliud, vel ipsa relatio media inter extrema, quæ non sunt idem, unde cognitio non est ipsa formalis distinctio, sed effectiva distinctio, & sic quamvis effectiva distinctio sit formaliter in intellectu subjective, distinctio tamen formalis non est in ipso subjective, sed solum objective, & in objectio est formaliter per quasi inhærentiam eo modo, quo inhærentia entibus rationis convenire potest.

304 Resp. itaque argumentum in primis non probare contra præcisiones objectivas, quas ponimus ex vi formalis distinctionis, quia cum ista distinctio antevertat omnino opus intellectus, nec formaliter, nec effective dependet ab ipsa cognitione, sed cognitio ipsam jam factam reperit, & innatam ex natura rei, inquantum vero tendit contra præcisiones objectivas, quas dicimus fieri actualiter in objecto ex vi distinctionis ratiocinatæ, dicendum est antecedenter ad actum rectum, quo intellectus partitur idem objectum in plures formalitates, præcedere in objecto distinctionem virtualem, & fundamentalem, quæ ad actum reducitur, & completur per ipsam cognitionem, & sicut quando erat virtualis, dicebatur esse subjective in re, & in objecto, sic etiam ratione talis fundamenti postquam facta est actualis, dici debet esse subjective in re, & objective solum in intellectu; verum est tamen per illum actum rectum non attingi formalitates illas, ut actualiter plures, immo potius per ipsum fiunt actualiter plures, sed hoc habetur solum ex vi actus reflexi, quo cognoscuntur illæ formalitates, ut actualiter plures, & distinctæ, ex vi autem actus recti cognoscuntur solum, ut virtualiter plures, & fundamentaliter distinctæ, licet per ipsum fiant actualiter plures, & distinctæ, eo modo quo discurrere solemus de formatione entis rationis, ejusq; cognitione, per quam doctrinam facile diluuntur quæcunq; objicit Hurt. loc. cit. Dices ante actum reflexum vere habet objectum pluralitatem rationum objectivarum, nam terminat duos actus diversæ rationis, quæ diversitas in actibus oritur ex diversitate objectiva. Respondet Amic. trac. 1. de distinc. qu. 15. dub. 8. ante actum reflexum esse in objecto subsantiam formalitatum, non tamen esse ibi formaliter pluralitatem, sed virtualiter, a qua virtuali pluralitate oritur in actibus pluralitas actualis. Hæc solutio non satisfacit, nam per actum rectum effective dividitur objectum intentionaliter in plures formalitates, & per ipsum fiunt actualiter plures, ergo ante actum reflexum non solum est in objecto subsantia formalitatum, sed etiam actualis ipsa pluralitas; quare concedendum est ante actum reflexum haberi in objecto pluralitatem formalitatum in esse intentionali, adhuc tamen in eo signo priori non cognosci illam pluralitatem, sed tantum in posteriori signo per actum reflexum.

Sed instabis, sicut ex eo quod terminet cognitionem dicitur objectum cognitum, ita ex eo quod terminat duas cognitiones, dicetur duplex ratio terminandi, sed cognitio denominans se tenet ex parte intellectus, non objecti, ergo duplex ratio terminandi se tenebit ex parte intellectus, ac consequenter pluralitas rationum, sed ubi est pluralitas ibi est distinctio ergo distinctio se tenebit ex parte intellectus, non ex parte objecti. Conf. quia illæ cognitiones non terminantur ad objecta distincta ex natura rei ante cognitione, ut supponitur, ergo terminantur ad objectum, ut habet pluralitatem ex vi cognitionis, ergo ex hac habet duplicitatem, & pluralitatem, ergo prius pluralitas est in cognitionibus, & per denominationem ab illis objectum dicitur habere pluralitatem.

Resp. Amic. cit. negando esse parem rationem, nam esse cognitum in objecto est formaliter a cognitione, tanquam forma denominante, at esse terminum cognitionis, non habet formaliter a cognitione, sed ex se quatenus exercet actum potentiæ terminativæ, & *intelligibilitatis*, unde terminare duplicem cognitionem non se tenet ex parte intellectus, sed objecti, & quia singulæ cognitiones terminantur ad perfectionem objecti (quæ licet implicite dicat totam perfectionem objecti, tamen secundum explicatam rationem una perfectio non contingit aliam, quia non explicat illam) ideo duæ illæ cognitiones inter se realiter distinctæ præbent fundamentum intellectui, ut possit tribuere illis perfectionibus objecti, ut terminanti duas cognitiones, distinctionem rationis, quæ distinctio se tenet ex parte objecti, licet originem ducat a cognitione. At male rursus Amic. illam doctrinam de terminatione cognitionis assumit, ut universaliter veram, quasi objectum semper de se habeat esse terminativum cognitionis independenter ab ea, quamvis enim id verum sit de objecto motivo, ac primario terminativo, ut dictum est in lib. de Anim. non tamen verificatur de objectis secundario tantum terminativis, sicut entia rationis, nam in ente rationis posse concipi, vel posse cognitionem terminare non dicit intrinsecam denominationem, sed extrinsecam tantum, cum non prius habeat esse intelligibile, quam intellectum, & quantum dicatur posse concipi, quatenus potentia intellectiva valet illud effingere, ut dictum est in Log. disp. de ente rationis; in hoc autem quod addit perfectiones illas plures ejusdem objecti distingui secundum explicitum, & implicitum, palam sibi contradicit, nam supra in eodem ar. 5. dub. 8. ab initio negat hanc distinctionem rationis ratiocinatæ sumi ex implicito, & explicito conceptu, sed ex duplici conceptu explicito, quo scilicet repræsententur duæ rationes formales objectivæ ejusdem rei, quod nos quoq; supra advertimus, quia distinctio penes implicitum, & explicitum facit distinctionem rationis rationantis, non autem ratiocinatæ, Fallitur deniq; dum ait duas cognitiones inter se realiter distinctas præbere fundamentum intellectui, ut possit tribuere illis perfectionibus objecti, ut terminant duas cognitiones, distinctionem rationis, quod enim præbet fundamentum ad sic distinguendas perfectiones illas, potius est virtualis distinctio præcedens in objecto, & interdum contentorum diversitas cum ea concurrens, ut supra explicatum est, immo & ipsa quoq; cognitionum pluralitas actualis pendet a virtuali pluralitate objecti, bene enim potest effectus secundum suum esse formale dependere a causa virtuali, ut calor est a calore virtuali Lucis, & creaturæ a Deo, ut virtualiter continente perfectiones illarum, quod & ipse dicebat Amic. ar. eodem n. 23. Quare potius ad illam instantiam dicendum objectum antecedenter ad cognitionem habere virtualiter, quod possit plures terminare cognitiones sui inadæquatas secundum diversas formalitates, atque

atque ideo duplex illa terminatio potius ex parte objecti se tenebit, quam ex parte intellectus, quod si talis virtualitas, vel fundamentum distinctionis non præcederet in objecto, plane teneret paritas in argumento assumpta.

Ad Conf. respondet Amic. esse quidem objectum unum in re, sed duplex fundamentaliter, ut terminat, duplicem cognitionem, & duplex formaliter, dum intellectus negat unam rationem explicitam esse aliam explicite; neque ab illis duabus cognitionibus potest causari pluralitas, vel distinctio in objecto actualis, quia per illas non cognoscitur pluralitas, vel distinctio formalitatum, sed ipsarum substantia, & pluralitas, & distinctio, cum sint entia rationis, quæ non existunt nisi objective in intellectu, necessario cognosci debent formaliter per alium actum. Verum neque hoc bene dicitur, quamvis enim per illas duas cognitiones non cognoscatur pluralitas, & distinctio illarum formalitatum, sed tantum per actum reflexum, adhuc tamen illa pluralitas, & distinctio formalitatum per duplicem illam cognitionem causatur, & per illam attingitur pluralitas tantum, & distinctio virtualis, & fundamentalis; unde ad Conf. dicendum est illas cognitiones neque terminari ad objecta distincta actualiter ex natura rei ante cognitionem, neque ad objectum, ut habet pluralitatem actualem ex vi cognitionis, sed ad objectum, ut habet pluralitatem, & distinctionem virtualem ante ipsam cognitionem, atque ideo illa distinctio, & pluralitas nedum ex parte intellectus, sed etiam objecti se tenebit.

305 Secundo principaliter arguit Hurtad. subsec. 5. antequam cognoscantur animalitas, & rationalitas, non habent aliquod, per quod invicem distinguantur, alioquin a parte rei distinguerentur, & non ratione, ergo per distinctionem rationis non ponitur aliqua distinctio in objecto, sed tantum in actibus intellectus, neque intellectus attingit animal quasi objectum aliud a rationali, aut animal cognoscit sine rationali. Si dicas ante cognitionem animal esse aliud fundamentaliter a rationali, formaliter tamen esse aliud per cognitionem ipsam. Contra instat, quia objectum non fundat cognitionem, nisi secundum id, quod in seipso habet, cum ergo in objecto non sit aliud & aliud ante cognitionem, non potest in ipso esse fundamentum, ut intellectus unum attingat sine alio; tum quia alietas est ipsa cognitio, & cognitio præcisiva animalis non terminatur ad seipsam; ergo non terminatur ad alietatem; ergo non cognoscit animal, ut distinctum a rationali.

Resp. antecedens passim a nostris negari ponentibus distinctionem ex natura rei formalem inter gradus metaphysicos prædicamentales præsertim, quales sunt animalitas, & rationalitas, sed gratia exempli, ac disputationis admisso antecedente, neganda est consequentia, quia tunc diceretur, quod quamvis animalitas, & rationalitas ante cognitionem non habeant aliquid, per quod distinguantur actualiter ex natura rei, habent tamen, ex quo distinguantur virtualiter, & fundamentaliter, quod sufficit ut distinctio rationis superveniens, & virtualem complens, & actuans dicatur & ipsa in objecto fundari, & ex parte objecti se tenere; per quod etiam solvitur replica facta in argumento contra hanc solutionem, quia licet in objecto non sit aliud, & aliud formaliter ante cognitionem, est tamen aliud & aliud fundamentaliter, & virtualiter, & falsum est ut dixi cognitionem formaliter esse ipsam alietatem, & distinctionem, nam potius talis est ipsa negatio, per quam unum non est formaliter aliud; vel relatio quædam distinctionis media inter illa extrema.

Tertio arguit Hurtad. ad idem subsec. 6. si cognitio, quæ terminatur ad rationale, non terminatur etiam ad animal, sequeretur quod distingueretur a parte rei, probat consequentiam, tum quia a parte rei convenit uni aliquod prædicatum, quod a parte rei non convenit alteri, quod in creaturis est magnum distinctionis signum, tum quia cognitio se tenens in intellectu non attingit formaliter animal, & attingit formaliter rationale, ergo non solum est diversitas in cognitione ipsa, sed etiam in objecto cognito, quia non solum cognitio est in se distincta, sed etiam illi respondet objectum distinctum. Neque dicas illam distinctionem esse tantum rationis. Nam oppositum convincit adducta ratio, & est implicatio vocum (inquit Hurt.) dicere distinctionem esse rationis, & esse in objecto, quia si est rationis, est in ratione tantum, & non in objecto, vel est realis.

306 Resp. ut ad præcedens argumentum, quod sistendo in exemplo illo de animali rationali, concedendum est quod infertur, nimirum animalitatem, & rationalitatem ab invicem distingui a parte rei, non quidem distinctione reali simpliciter, sed formali ex natura rei, & hoc bene probat argumentum; sed loquendo de gradibus transcendentibus, & aliis formalitatibus objectivis, quæ solam admittunt distinctionem rationis ratiocinatæ, falsum est; quod si præscindant objective in intellectu nostro, hinc sequi distinctionem inter illas ex natura rei; sequitur enim tantum distinctio per conceptus inadæquatos cum fundamento in re, dum enim intellectus per conceptus inadæquatos concipit rem aliquam, tunc in unico conceptu relucet tantum pars objecti, atque adeo distinctio est in objecto, quatenus habet esse objectivum in cognitione, est autem cum fundamento in re, quia quod subest uni actui, habet ab intrinseco suo, quod distinguatur ab eo, quod per alium actum repræsentatur; ad primam probationem consequentiæ negatur formalitatibus objectivis factis per opus intellectus præscindentis etiam cum fundamento in re, convenire a parte rei actualiter diversa, & contradictoria prædicata, hoc enim solum contingit per opus intellectus; esto cum aliquo fundamento in re, quatenus quod tribuit uni formalitati ab ipso præcisæ, non tribuit alteri; ad aliam probationem dicendum non quamcunque distinctionem in objecto inferre in re distinctionem actualem ex natura rei, sed solum quando talis distinctio anteverteret omnino opus intellectus, & objecta illa ita essent distincta, ut terminare possent diversos conceptus adæquatos, idest fundatos indistinctis realitatibus correspondentibus illis, quod non evenit in proposito, quia distinctio rationis ratiocinatæ est distinctio objectorum per solos conceptus inadæquatos, & hac ratione dici debet distinctio rationis, & non realis. Neque implicat distinctionem esse rationis & esse in objecto, nam distinctio rationis non ideo dicitur rationis, quia sit subjective in ratione, immo distinctio, quæ est in intellectu inter illas diversas cognitiones, & conceptus inadæquatos est realis, sed dicitur rationis, quia per opus intellectus est subjective, & quasi inhæsive in objecto & objective tantum in intellectu; immo ita est universaliter de omnibus entibus rationis, ac secundis intentionibus, quod objective tantum in intellectu esse dicuntur, subjective autem quasi per inhæsionem rationis in rebus, quibus affiguntur, & applicantur.

Quarto idem Auctor loc. cit. subsec. 7. adducit pro parte opposita SS. Basilii, & Anselmi testimonia, nam Basil. hom. 6. examer. aperte docet ea omnia realiter distingui, ac posse a Deo separari, quæ nos possumus cogitatione separare, nam ex conceptu Lucis non concepto Sole infert ibi realem distinctionem, & possibilem separationem Lucis a Sole, omnia enim potest Deus separare, quæ nostra cogitatio separat, ejus verba sunt ista, ut ipse refert Hurt. *nec enim ego Lucis a Solis corpore separationem mihi, ac tibi possibilem esse dico, sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola agitatione, cogitationeque disparari a se possunt, ea reipsa sejungi facultate creatoris utriusque naturæ posse*; Deinde D. Anselmus 4. de incar. Verbi ex hoc ostendit omnipotentiam Dei non esse accidens Dei, quia non potest concipi sine illa his verbis. *Quia cum omne subjectum sine accidente, aut esse, aut intelligi possit, Deus sine potestate neque esse, neque intelligi potest*, ex quo patet ab Anselmo constitui signum distinctionis realis posse concipi unum extremum sine altero, eo enim quod non possit concipi Deus sine potestate, intulit Deum non esse subjectum illius. Præterea, ut clarius constet, quam contra SS. Doctrinam admittuntur præcisiones objectivæ in Deo, & divisibilitas per intellectum, obiicit eundem D. Anselmo in Prosolog. cap. 18. cum enim recensuisset varias Dei perfectiones, ait Deum non posse per intellectum dissolvi, nec intellectu ullo posse illum objective dividi, his verbis. *Immo tu es ipsa unitas nullo intellectu divisibilis, ergo vita, & sapientia, & reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt unum*, quibus negat posse unitatem attributorum Dei dividi per intellectum, sed omnia attributa esse indivisibilia, nempe per intellectum. Denique subsec. 3. longam refert historiam Petri de Tarantasio, qui postea fuit Innocentius V. Summus Pontifex, quem ait accusatum fuisse a PP. Dominicanis, eo quod in Deo constituerat diversas formalitates objectivas, unde exoptat omnes sic præscindentes, & distinguentes in divinis ad Judicem deferri, tanquam malæ doctrinæ defensores, & cum Scotus fuerit præcipuus harum præcisionum objectivarum propugnator, inquit, Doctorem suam famosam opinionem de distinctione formali sumpsisse a Tarantasio, & quia ea sententia male audiebat, illam proposuit sine assertione, & præjudicio melioris sententiæ, & ait tandem hanc distinctionem Neotericorum per præcisiones objectivas esse distinctionem formalem Scoticam.

307 Resp. his, & similibus testimoniis, si ea in rigore verborum intelligere velimus, non minus negari distinctionem rationis in Deo ex parte objecti, quam ex parte actus, cum enim ex vi verborum absolute negetur in Deo distinctio rationis, nulla sufficiens ratio reddi potest, cur id potius intelligi tantum debeat de distinctione rationis ex parte objecti, quam ex parte actus, ut bene notavit Ovvied. loc. cit. ubi etiam satis apte omnia illa explicat testimonia Patrum. Sed pro exacta illarum auctoritatum intelligentia notandum est ex Scot. q. 32. univers. ad ult. & 1. d. 2. q. 7. infra I. & 3. d. 3. quæst. un. G. duplicem esse abstractionem, unam præcisivam, alteram divisivam, prima inter realiter identificata fieri potest absque ullo mendacio, ut Arist. docet 12. Phys. 22. & tunc fit, quando ex realiter identificatis consideratur unum alio non considerato, ut cogitando hominem in primo modo dicendi esse rationalem non affirmando in illo signo esse risibilem, quia hoc affirmare non licet, nisi in posteriori signo, & in secundo modo potest inquam fieri hæc abstractio sine mendacio, quia licet in primo modo dicendi per se non cogitetur hominem esse risibilem, nec affirmetur risibilitas de ipso, tamen neque negatur, aut oppositum affirmatur, sed mere præscinditur ab hominis risibilitate; abstractio autem divisiva sine mendacio contingere non potest inter realiter identificata, quia fit negando de subjecto prædicatum realiter identificatum, sed affirmando oppositum, unde virtute talis abstractionis divisivæ necessario destruitur identitas realis inter illa extrema, & ponitur realis distinctio, & separabilitas, & ideo dicitur abstractio divisiva, & explicari solet per hunc loquendi modum, quod considerat unum sine alio, ut v. g. homo sine risibilitate, vel homo non risibilis; quia ergo quæ mente nostra separantur, non solum unum abstrahitur ab alio præcisive, sed etiam divisive, quia

non

non solum consideratur unum alio non consideratо, sed ulterius consideratur unum sine alio, vel posse esse sine alio, quod fieri nequit sine mendacio, quia ex tali abstractione infertur realis distinctio, & separabilitas inter extrema saltem per Dei potentiam absolutam; hac, inquam, de causa optime D. Basil. ex hoc, quod possit a nobis Lux cogitari sine Sole, optime intulit Lucem a Sole esse realiter distinctam, immo a Deo separari posse, quia quæ nos mente sejungere possumus per abstractionem divisivam sine mendacio, possunt etiam a Deo saltem per potentiam ejus absolutam separari. Sic etiam explicandus est S. Anfel. quod constituit signum distinctionis realis posse concipi unum extremum sine altero, quia talis conceptio non fit nisi per abstractionem divisivam, & ideo bene inquit Deum sine potestate concipi non posse, sicut nec homo sine risibilitate, quia talis est abstractio divisiva, quæ sine mendacio fieri nequit inter realiter identificata. Et sic etiam denique explicandus est in Prosolog. cap. 18. cum ait, unitatem Dei nullo intellectu esse divisibilem, vult enim innuere non posse unum attributum ab alio abstrahi divisive, quasi considerari possit justitia sine misericordia, vel concipi Deus non justus, non sapiens &c. nam hæc realem indicarent distinctionem inter illa; ex his tamen inferre non licet, quod prædicti Patres negaverint in divinis distinctionem formalem, vel præcisiones objectivas, quia istæ fundantur in abstractione præcisiva, non divisiva.

Quicquid vero fuerit de illa Petri Tarantasii historia, & accusatione facta a PP. Dominicanis opinionis ejus de præcisionibus objectivis in divinis, parum ad nos, quia nec propterea damnata fuit ejus opinio, ut obinde optandum sit omnes hujus opinionis assertores a Judice damnari debere, immo hæc opinio de præcisionibus objectivis receptissima est in scholis tam Scotistarum, quam Thomistarum. Sed quod subdebat Hurtad. adhuc magis displicet, nempe Scotum sententiam suam de distinctione formali, & præcisionibus objectivis a Tarantasio mutuatum esse, & eam distinctionem a Scoto assertam esse, quam ponunt Neoretici per præcisiones objectivas, & quia male audiebat propositam a Scoto fuisse 1. d. 2. qu. 7. §. *sed hic restat* assertione, & præjudicio melioris sententiæ; hæc enim tria sunt putrida mendacia simul congesta; quod enim per distinctionem formalem non intellexerit Doctor distinctionem tantum virtualem, aut rationis ratiocinatæ, quam Neoterici explicant per præcisiones objectivas jam supra ostendi in hac disp. nu. 207. unde etiam sequitur falsum esse, quod Doctor a Tarantasio suam mutaverit opinionem de distinctione formali, quia istam non posuit Tarantas. in divinis, neq; Doctor noster adeo erat ingenii inops, ut, penu Tarant. egeret; & deniq; loc. cit num. 208. causam edissero, cur Doct. loc. cit. proponendo suam opinionem de distinctione formali in divinis utatur illis verbis *dico sine assertione, & præjudicio sententia melioris*, quia nimirum ipse primus fuisse videtur, qui inter divinas perfectiones distinctionem formalem invenerit, & tunc temporis communi modo loquendi pro distinctione ex natura rei intelligibant distinctionem realem simpliciter, & in toto rigore; & ideo cum magna loquitur sobrietate, ut ejus innata exigebat modestia, ne divinam videretur lædere simplicitatem, a qua cautela in suis proponendis placitis valde Neoterici deficiunt, & alienis reiiciendis, nam cum minimæ sint auctoritatis, elato supercilio suas inducunt opiniones, vel ut catholicas veritates, ac fidei articulos, & alienas inurunt gravibus censuris, & excommatibus.

308 Quinto arguunt alii ad idem, probando ex vi distinctionis ratiocinatæ nullam poni distinctionem in objectis ipsis, sed solum in conceptibus, & denominatione extrinseca objectorum; nam ista distinctio nihil ponit actu in objectis in genere rei, ut reddat illa distincta, nisi denominationem rationis, qua objectum redditur sic, vel sic cognitum, ergo hæc distinctio non invenitur formaliter, nisi in conceptibus, in objecto autem secundum extrinsecam denominationem. Conf. quia istæ formalitates non repræsentantur distinctæ, quia ex natura sua distinctæ sint, ut omnes contra Scotum clamant, nec quia sint objective distinctæ, ita quod repræsentetur una, & non alia, quia hoc non sufficit, ut dicantur esse plures, nam nisi fiat distinctio ab intellectu, non resultat pluralitas; si autem fit distinctio, & ex parte objecti non correspondet ei divisio ex natura rei, ergo vere intellectus non dividit, ergo solum potest dici distinctio, quia dantur diversi conceptus denominantes objectum, non tamen quod illi distinctioni conceptuum aliqua distinctio ex parte objectorum respondeat.

Resp. negando assumptum, quasi distinctio redundet in objectum per solam extrinsecam denominationem sic vel sic cogniti, quia diversitas non consistit solum in diverso modo cognoscendi idem objectum grammaticaliter, vel logicaliter per abstractum, vel concretum, aut etiam metaphysice per explicitum, & implicitum, sed etiam in alietate objectorum, quatenus intellectus per suam vim præcisivam, veluti in partes dividit, & in plures conceptus inadæquatos simplicem essentiam rei, unde distinctio in objecto non habetur ex eo præcise, quod objectum subsit diversis actibus intellectus, hoc enim etiam contingit in distinctione rationis ratiocinantis, sed quia ita subest, ut secundum partes correspondeat singulis actibus, nam unus actus continet in esse intentionali unicam tantum portionem objecti, non autem totum esse ipsius; & hinc resultat distinctio rationis non quidem in ipsis conceptibus formalibus, qui realiter distinguuntur, sed in ipso objecto, ut in esse objecti manifestato. Ad conf. concedimus, opus non esse ut distinctioni rationis ratiocinatæ correspondeat actualis distinctio ex parte objecti extraintellectum, sed sufficit, quod correspondeat virtualis secundum quod est inadæquate manifestabilis, unde ex hoc tantum concluditur, quod intellectus formans hanc distinctionem non ponat distinctionem in objecto quatenus secundum esse reale terminat cognitionem, & quod intellectus non attingat hanc distinctionem, quasi sit actu a parte rei in objecto, non tamen sequitur quin possit per virtutem suam præcisivam aliquam simplicem entitatem in plures conceptus inadæquatos partiri, itaut quod dicit objectum in uno actu relucens, non dicat in alio, sed diversam formalitatem.

309 Postremo Arriag. & Ovied. præcedentibus rationibus non contenti hoc unicum adducunt argumentum, quod efficacissimum, immo & insolubile putant pro statu isto, deducitur autem ex contradictoriis hoc modo, ab Arriag. sec. 2. cit. subsec. 2. non minus contradictorie opponuntur cognosci, & non cognosci, respondere, & non respondere ex parte objecti, quam existere, & non existere, produci, & non produci, sed repugnat, animalitatem hominis existere, & non existere ejus rationalitatem, item produci animali atem, & non produci rationalitatem, quantumvis formaliter, vel virtualiter distinguantur, ergo etiam implicabit cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem, & respondere ex parte objecti animalitatem, quin respondeat rationalitas. Minor patet, probat majorem, in qua consistit tota difficultas, existere, & non existere opponuntur contradictorie, quia illa particula, *non* cadens supra verbum negat idem, quod per illud fuerat affirmatum, negatio autem formæ, & ipsa forma opponuntur contradictorie, & repugnant inter se, sed ly *non*, cadens supra verbum *cognosci*, eodem prorsus modo negat *cognosci*, ac cadens supra verbum *existere*, negat *existere*, ergo non minus opponitur cognosci cum non cognosci, quam existere cum non existere. Confirmat idem argumentum Ovvied. hoc pacto, implicat prædicatum animalis terminare hanc numero cognitionem, & non illam terminare prædicatum rationalis, ergo implicat animal cognosci per hanc numero cognitionem & non cognosci rationale identificatum cum animali, probat antecedens, implicat animal terminare unionem physicam alicui extremo, vel actionem ab aliquo principio activo procedentem, quin eandem unionem, vel actionem terminet rationale, ergo implicat animal terminare cognitionem, quin eandem terminet rationale cum ipso identificatum; probat hanc consequentiam, & rationem a priori desumit pro antecedenti stabiliendo; ideo implicat animal terminare actionem, vel unionem, quin terminat eandem rationale, cum ipso identificatum; quia sequeretur idem animal terminare, & non terminare actionem, vel unionem, terminare, quia supponitur, non terminare, quia non terminat rationale identificatum cum ipso, similiter sequeretur rationale non terminare, ut supponitur, & terminare, quia terminaret animal identificatum cum rationali, quæ sunt contradictoria. Ob eandem identitatem sequeretur animal terminare cognitionem, ut supponitur, & non terminare; quia est identificatum cum rationali, quod non terminat, sed non minor est contradictio in eo, quod eadem entitas terminet, & non terminet cognitionem, quam in eo quod terminet, & non terminet unionem, ergo sicut implicat animal terminare unionem, vel actionem, quam non terminet rationale identificatum cum ipso propter contradictoria quæ inde inferrentur, si hoc fieret, ita ob similia contradictoria implicabit animal terminare hanc cognitionem, & non terminare eandem cognitionem rationale cum animali identificatum. Et hoc argumentum tanti ponderis judicavit Ovvied. ut hoc solo convictum se fateatur, & invito etiam coactum ad negandas objectivas præcisiones in formalitatibus præsertim creatis realiter identificatis, inquit enim se ponderasse omnes solutiones, quæ huic argumento solent adhiberi nullamque invenisse, quæ ei satisfaceret, unde multas ibi recensет, quas omnes pro viribus impugnat, sicut etiam facit Arriag. loco cit.

310 Resp. in primis hoc argumentum, quod adeo exagerant Recentiores supracitati, parum vel nihil urgere contra formalitates, seu præcisiones objectivas, quæ a Scotistis admittuntur, & oriuntur ex distinctione formali ex natura rei reperta inter plures ejusdem rei formalitates, ut inter animalitatem, & rationalitatem in nomine, inter essentiam, & relationes originis in Deo; istæ enim notæ sunt seipsis, & disunctim ab aliis terminare actum intellectus inter plures formalitates præscindentis; ideoq; formalitas definitur a Formalistis esse illam, quæ se sola sufficit ad terminandum actum intellectus divisim ab alia formalitate, cui ponitur realiter identificari, unde eo ipso, quod in eadem re plures inveniuntur formalitates identificatæ realiter, consequenter habentur plura objecta partialia, quæ divisim valent distinctos terminare actus intellectus. Et cum dicebat Arriag. quod tunc sequeretur idem cognosci, & non cognosci, quia per hanc cognitionem ponitur animal cognosci, & non rationale, quod est ei realiter identificatum, quæ est manifesta repugnantia: dico nullam hinc sequi repugnantiam, quia licet sit idem objectum materialiter, tamen sunt diversa objecta formalia juxta varietatem formalitatum ejusdem rei, & sic cognosceretur secundum unam formalitatem per hanc numero cognitionem, & non secundum aliam in quo nulla est implicantia; hoc enim universaliter contingit in omni demonstratione; ubi propria passio ostenditur de suo adæquato subjecto, cui realiter identificatur, ut cum de homine ostenditur risibilitas per

ratio-

rationalitatem, tunc enim prius cognoscitur homo, ut rationalis, deinde ex hoc cognoscitur, ut risibilis, quod quidem prædicatum identificatur cum rationali, tamen hinc nulla sequitur contradictio idem objectum cognosci, & non cognosci, quia id contingit secundum diversas formalitates ejusdem humanitatis. Cum autem arguebat Arriag. non minus contradictorie opponi, ac invicem repugnare cognosci, & non cognosci, quam existere, & non existere, produci, & non produci, atque ideo sicut implicat existere, vel produci hominis animalitatem non existente, vel producta rationalitate, ita pariter implicabit cognosci animalitatem non cognita rationalitate; respondetur ex communi doctrina Formalistarum omnia contradictoria sive realia, sive rationis utique æque repugnare quoad veritatem, cum enim affirmationem, & negationem importent, utique de eodem, & secundum idem numquam verificari possunt, non tamen æque repugnant quoad distinctionem inferendam, aliqua enim inferunt realem distinctionem, vel ex natura rei formalem, aliqua vero distinctionem tantum rationis juxta conditionem contradictionis, siquidem distinctio semper contradictioni commensuratur; & sic in proposito major argumenti cum sua probatione concludit solum cognosci, & non cognosci æque invicem repugnare, ac existere & non existere &c. quoad veritatem, non tamen quoad distinctionem inferendam; ratio est, quam assignavimus supra nu. 227. & 290. quia existere, & non existere, produci, & non produci spectant ad esse identicum, ac entitativum rei, atque ideo contradictio in ipsis fundata arguit semper veram, & propriam rerum diversitatem, præsertim in creatis, unde de rebus contradictoria hujusmodi absolute enunciantur, & non cum aliqua reduplicatione; at cognosci, & non cognosci, respondere, & non respondere ex parte objecti sunt contradictoria minoris momenti: & quæ recipiunt esse formale rei, & ratione alicujus formalitatis tori rei attribuuntur, quare ad eam componendam sufficit formalitatum diversitas, nec absolute de re enunciantur, sed cum reduplicatione illius formalitatis, merito cujus tori rei conveniunt, ut esse sensitivum, & discursivum in homine, nam dicitur sensitivus quatenus animal, & discursivus quatenus rationalis; quare in proposito ad ea contradictoria componenda sufficit formalitatum diversitas, nec opus est diversitate rerum, per quam doctrinam fit satis omnibus instantiis Arriag. loc. cit.

311 Ad Conf. ex Ovvied. negatur antecedens, ad cujus probationem negatur consequentia, quia non est eadem ratio de terminatione physicæ unionis, & actionis, ac de terminatione cognitionis; non enim sola res, sed aliqua etiam ejusdem rei formalitas potest se sola esse sufficiens terminus cognitionis, at nequit sic esse terminus actionis, vel physicæ unionis, quia actio physica, & productiva, ac etiam unio rem immutant in se physice, & realiter, nam esse productum, ac etiam esse unitum in rebus præcipue creatis ponit aliquid intrinsecum, & reale in ipsa re, unde reipsa dicitur in ipsa, vel secundum seipsam produci, & cum alia re uniri, non autem aliqua ejus formalitas, cum realitas non sit sufficiens terminus productionis, sed ipsa res in se quatenus existens, ut dictum est supra in hac disp. n. 161. nec etiam est idoneum extremum physicæ unionis, quia unio est rerum, non autem formalitatum, & fundatur in rebus realiter distinctis, non autem identificatis; cognitio autem immutat realiter objectum, neque esse cognitum ponit aliquid physicum reale, ac intrinsecum in objecto cognito, sed solam extrinsecam denominationem ex terminatione cognitionis subortam, & ideo sola formalitas esse potest ejus sufficiens terminus, atque ita brevibus mihi videtur extricata difficultas, cujus solutione ajebat Ovied. in humanis esse desperatam; aliis etiam modis hoc idem argumentum ibi proponit, sed quocunque modo proponatur, sicut eandem semper profert difficultatem, sic & eandem postulat solutionem; quæ tota tandem ad hoc reducitur, quod falsum est illud assumptum ab his Recentioribus, ut indubitanter verum, quod contradictoria omnia eodem modo repugnent, quod constat ex dictis omnino verum non esse, licet enim æque repugnent quoad veritatem, non tamen quoad distinctionem inferendam; & hoc ipsi quoque Adversarii fateri tenentur, alioquin contra ipsos etiam eadem poterit retorqueri difficultas, ajunt enim ipsi cognitionem animalis, ut sic, non præscindere a rationali, sed totam humanitatem attingere indivisibiliter ex parte objecti, præscindere tamen ex parte actus, quia humanitatem attingit, ut connotat sensationes solum, non autem discursus. Ex quo cognosci non cognita rationalitate sibi identificata, quia tunc idem cognosceretur, & non cognosceretur, ut supra deducebant, ergo pariter implicat, animalitatem connotare sensationes, & has non connotari a rationalitate sibi realiter identificata, quia tunc idem eadem haberet connotata, & non haberet, consequentia patet ex eorum dictis, dicunt enim contrave consistant in intrinsecis denominationibus, sive extrinsecis; quicquid ergo dixerint ipsi ad hoc argumentum de connotare, & non connotare, dicemus & nos ad illud de cognosci, & non cognosci; & quo pacto solvebant ipsi animalitatem connotare sensationes, quas tamen non connotat rationalitas ei identificata, eodem quoque pacto solvabimus & nos animalitatem cognosci per hanc numero cognitionem, qua tamen non cognoscitur rationalitas ei realiter identificata; nec video, quo pacto possit hæc paritas evitari, præsertim cum cognosci, & non cognosci dicant solam extrinsecam denominationem in objecto, vel ejus negationem, ut forte ipsi dicere possent de connotare, & non connotare, quod dicant in connotante solam extrinsecam habitudinem connotatorum ad ipsum, vel negationem ejus.

312 Fateor tamen difficiliorem esse argumenti solutionem, si fiat contra formalitates objectivas per intellectum factas cum fundamento in re, quæ nimirum ortum ducunt ex distinctione rationis ratiocinatæ, etenim cum hæ a parte rei sint omnino eadem res, & formalitas, plane si cognitio ad unam terminatur formalitatem, cum hæc a parte rei sit eadem cum illa, & terminatio fiat a parte rei, utique ad aliam quoque terminari debebit, alioquin eadem res, & formalitas simul cognosceretur, & non cognosceretur, terminaret, & non terminaret eandem cognitionem; terminaret ex suppositione, non terminaret, quia cognitio non terminaretur ad aliam formalitatem omnino ex natura rei identificatam cum illa. Confirm. difficultas, quia ideo dicebamus posse animal cognosci non cognito rationali, quia licet sint eadem res, sunt tamen diversæ formalitates, ideo non sunt contradictoria, quia licet dicantur de eadem re, non tamen sub eadem ratione, essent autem contradictoria, si compararentur cum unica formalitate, quia tunc de eadem re verificarentur, & secundum eandem rationem; sed in proposito si animal, & rationale sola distinctione rationis ratiocinatæ distinguuntur, ut Thomistæ contendunt, jam a parte rei sunt una res, & realitas, seu formalitas, & cum terminatio cognitionis fiat a parte rei, non videtur, quomodo possit hæc numero cognitio ad animal terminari, quin etiam terminetur ad rationale, quod est omnino idem a parte rei cum ipso, fortius ergo procedit argumentum contra formalitates objectivas, ut a Thomistis ponuntur, quam ut ponuntur a Scotistis; & in hoc sensu multas reiiciunt responsiones ad hoc argumentum Arriag. & Ovvied. loc. cit.

Pasqualig. tom. 2. Metaph. disp. 56. sect. 2. ut declarat, quomodo distinctio rationis ratiocinatæ ponat distinctionem in objecto, advertit quod objectum nedum considerari potest secundum esse reale, quod habet in seipso, sed etiam secundum esse objectivum quod habet in intellectu, & consistit in eo, quod ipsi intellectui repræsentetur; quod autem hoc concedi debeat, tamquam aliquid distinctum tum ab objecto prout habet esse in seipso; tum ab ipso actu intellectus, probat, quia objectum aliter multoties repræsentatur, ac sit in seipso, & aliquid attingit intellectus, quod re vera non est in objecto, tum autem id, quod repræsentatur, necessario concedendum est esse quid diversum ab objecto, quia idem secundum idem non potest aliter, atque aliter se habere, ut accidit in casu isto. Præterea neque est ipse conceptus intellectus, quia conceptus intellectus non est id, quod repræsentatur, sed ratio repræsentandi; cum autem intelligo Petrum, Petrus repræsentatus se habet, ut quod, & tamquam objectum, quare concludit dari debere istud esse objectivum, quod neque sit conceptus formalis intellectus, prout repræsentativus, neque sis objectum ipsum secundum esse reale, quod habet in seipso, sed sit objectum quatenus intentionali modo continetur ab ipsa cognitione, tamquam a ratione manifestativa objecti, his præmissis duas ponit conclusiones, prima est, quod si objectum consideratur secundum esse reale, quod habet extra intellectum, distinctio rationis cum fundamento non cadit supra ipsum, quia etiamsi fiat cum fundamento in re, est merum opus intellectus, itaut tantum habeat esse in ipso intellectu, ergo ex vi ipsius non potest poni aliqua distinctio in objecto, prout habet esse extra intellectum, alioquin ista distinctio non haberet esse solum in intellectu, altera conclusio est, distinctionem istam rationis cum fundamento ponere distinctionem in objecto, quatenus intentionali modo existit in intellectu, quia hoc esse intentionale non est unum, sed multiplex iuxta pluralitatem formalitatum, in quas ab intellectu dividitur idem simplex objectum, & sic distinctæ formalitates possunt secundum distincta esse intentionalia distinctas cognitiones terminare absque eo, quod una formalitas terminet cognitionem, quam terminat alia formalitas.

313 Hæc tamen explicatio non placet, neque idonea est ad præsentem difficultatem declarandam, nam in primis falsum est dari debere illud esse objectivum, & intentionale, ut quid diversum ab ipsa entitate physica objecti, & a cognitione ut ad ipsum terminata, ut ait Pasqualig. quia illud esse objectivum, & intentionale, ut ipsemet fatetur, aliud non est, quam esse cognitum quod habet objectum ex vi cognitionis prout in intellectu existit, sed esse cognitum in objecto ponit tantum extrinsecam quandam denominationem realiter ab ipso objecto indistinctam, & a cognitione prout ad ipsum terminata in communi fere omnium sententia, ergo &c. Et hoc quidem verum est, sive objectum cognoscatur, ut est in seipso, sive aliter, ac sit in seipso, nam semper esse cognitum dicit denominationem cognoiti in objecto derelictam ex terminatione cognitionis ad illud. Deinde falsum est, cognitionem præcisam animalis v. g. terminari ad animal secundum illud esse objectivum, quod habet ex vi cognitionis, & non potius secundum illud esse, quod habet a parte rei, probatur hoc quia animal ut cognitum, vel habens esse objectivum in intellectu, dicit; animal, ut subest cognitioni, vel cognitionem, ut terminatum ad animal, sed cognitio præcisiva animalis non attingit ipsam cognitionem, neque est reflexiva supra seipsam, ergo non terminatur ad animal ut cognitum, & ut subsitat illi esse intentionali, major patet, probatur minor, quia sicut aliud est cognoscere animal, aliud cognoscere animal esse cognitum, primum namque

que fit per actum directum, aliud verò per actum reflexum, ita quoque aliud est præscindere animal a rationali, & aliud cognoscere animal esse præcisum a rationali, nam hoc secundum fieri nequit sine actu reflexivo, sed ad primum sufficit actus rectus, & illud quidem satis est ad distinctionem ratiocinatam constituendam. Conf. quia quando ex vi distinctionis ratiocinatæ cognoscitur animal in homine non cognito rationali, tunc non cognoscitur animal secundum aliquod esse intentionale, quod habeat ex vi cognitionis, sed secundum esse reale, licet per talem actum non cognoscatur; ut præcisum actualiter rationali, quia ad hoc requiritur actus reflexus, sed eo ipso actu præscinditur a rationali, ergo falsum est ex vi distinctionis ratiocinatæ derivari distinctionem in objecto præcise, quatenus intentionali modo existit in intellectu, & hac ratione idem objectum reale secundum diversa esse intentionalia posse diversas terminare cognitiones, probatur assumptum (nam consequentia patet) quia in in præcisione animalis a rationali cognosco animal, secundum quod est substantia animata, sensitiva, & secundum quod ei conveniunt operationes sensitivæ, sed hæc, & similia prædicata ei competunt, secundum quod est a parte rei, non autem secundum aliquod esse objectivum, & intentionale. Denique distinctio rationis ratiocinatæ cadit super formalitates realiter identificatas, & præcisio objectiva fit similiter inter illa, quæ sunt idem realiter a parte rei, at quamvis a parte rei, animal, & rationale sint idem, attamen esse intentionale, vel objectivum animalis non est idem cum esse intentionali rationalis, immo sunt esse intentionalia realiter distincta, eo modo, quo realis distinctio applicari potest entibus rationis servata proportione, ergo hæc præcisio non est illa, de qua hic est sermo, quia est inter objecta realiter distincta, non autem inter formalitates realiter identificatas, falsum est ergo, præcisiones objectivas per hoc bene salvari, quod distinctæ formalitates possunt secundum distincta esse intentionalia distincta terminare cognitiones absque eo, quod una formalitas terminet cognitionem, quam terminat alia formalitas.

314 Quare ad argumentum Recentiorum adductum supra nu. 309. prout fieri potest contra præcisiones objectivas per intellectum factas cum fundamento in re, quas solas agnoscunt Thomistæ, occurrendum est ex dictis, supra quod licet antecedenter ad cognitionem, qua animal v. g. præcinditur a rationali, vel ut utar exemplo ab omnibus concesso, qua virtus calefactiva in Sole præscinditur ab exficcativa, non præcedant in Sole hujusmodi formalitates ex natura rei distinctæ; præcedunt tamen ut distinctæ virtualiter, & fundamentaliter, & ex hac virtuali pluralitate objectorum pendet etiam pluralitas actuum, nam isti actus tendunt in illa objecta, non quidem ut unum realiter, & formaliter a parte rei, quia sunt actus confusi, & inadæquati, sed ut virtualiter plura, & distincta, & ratione istius distinctionis virtualis in objecto præcedentis salvantur præcisiones objectivæ per intellectum factæ, nam per actum intellectus rectum ita una præscinditur ab alia, quod licet a parte rei sint una, & eadem res, & realitas formaliter, tamen ob virtualem distinctionem, & multiplicitatem varias terminant cognitiones, adeo ut una hanc numero cognitionem terminet, quam non terminat alia; & sic patet, quomodo præcisiones objectivæ ortæ ex vi distinctionis ratiocinatæ non per hoc bene salventur, quod distinctæ formalitates terminent distinctas cognitiones secundum diversa esse intentionalia, quia, ut sæpe dictum est, distinctio rationis ratiocinatæ non cadit inter diversa entia rationis, sed salvatur præcipue ob diversitatem formalitatum præcedentem in objecto, non quidem formalem, & actualem, sed virtualem, & fundamentalem. Dices, si cognitio præcisiva animalis v. g. terminatur ad animal secundum esse quod habet a parte rei, cum secundum hoc nullo pacto distinguatur a rationali, plane implicat cognitionem terminari ad animal, & non etiam terminari ad rationale cum animali identificatum realiter, & formaliter, ut supra arguebatur num. 312. Resp. quod si actus ille esset adæquatus, utique si terminaretur ad animal, etiam ad rationale terminari deberet, sed cum sit inadæquatus, & confusus, alioquin præcisivus non esset, stante distinctione virtuali inter illa objecta, potest tendere in unum, adeout non tendat in aliud. Dices, ergo ad componenda contradictoria tam sufficiens erit distinctio virtualis, quam formalis ex natura rei, quod supra negatum est. Resp. negando consequentiam, nam quando id concederetur de illis prædicatis cognosci, & non cognosci, quæ solam dicunt extrinsecam denominationem in objectis, adhuc tamen de aliis negari deberet, ut supra demonstratum est, tam in divinis de essentia, & relationibus originis, quam in creatis de gradibus metaphysicis prædicamentalibus, sed neque etiam id absolute concedi debet de illis contradictoriis cognosci, & non cognosci; quia distinctio formalis actualis antecedens operationem intellectus sufficit ad terminandas varias cognitiones adæquatas, non quidem in hoc sensu, quasi singulæ exprimant totam rem ex illis formalitatibus constitutam, sed in eo sensu, quod singulis illis cognitionibus propriæ correspondeant realitates in ea re, & per singulas adæquate expressibiles; sed distinctio virtualis non sufficit, nisi ad terminandas varias cognitiones omnino inadæquatas.

QUÆSTIO XVII.

Et ultima.

An per actus intuitivos fieri possit præcisio, seu distinctio rationis.

315 QUid sit cognitio abstractiva, & intuitiva constat ex dictis disp. 6. de Anim. §. 11. quia igitur distinctio rationis inter aliqua duo, & præcisio unius ab alio fit per actum intellectus, quo consideratur unum sine alio, vel alio non considerato, quæritur in præsenti, an talis actus possit esse intuitivus; de abstractiva enim cognitione nulla potest esse difficultas, cum enim abstrahere, vel præscindere sit considerare unum alio non considerato, ut considerare animalitatem non considerata rationalitate, jam cognitio abstractiva ex genere suo apparet aptissima ad præcisiones faciendas tam formales, quam objectivas, & ab fabricandam distinctionem rationis inter plura realiter identificata præsertim cum fundamento in re. Sed est præcipue difficultas de cognitione intuitiva, cum enim hæc sit rei existentis, ut est in se, videtur ei ex genere suo repugnare, quod sit actus præcisivus, & per ipsam de objecto possit considerari una formalitas alia non considerata; itaque sensus quæstionis est, an objectum, quod in se habet identitatem, & est omnino simplex, possit per partes repræsentari cognitione intuitiva, itaut per unum actum cognitionis intuitivæ attingatur una formalitas v. g. animalitas in Petro, vel ut adhibeam exemplum ab omnibus admissum, virtus calefactiva in Sole, nil aliud præter ipsam de esse Petri, vel Luce Solis cognoscendo. Affirmativam partem defendit Hurtad. disp. 6. Met. sec. 6. ubi ait per actus intuitivos, dummodo comprehensivi non fuerint, fieri posse præcisiones, nedum formales, verum etiam objectivas in sententia illas admittente; addit autem illam limitationem, dummodo actus intuitivus non sit etiam comprehensivus, quia cum de ratione comprehensionis sit, ut attingat quicquid est in objecto a parte rei per realem identitatem, sane repugnat tali cognitioni ex suo genere, ut unam formalitatem præscindat ab alia, & unam exprimit alia non expressa, ac declarata; pro qua sententia citat Aureolum 1. d. 8. p. 3. ar. 6. §. Thom. Opusc. 9. q. 1. & ait pro ipsa quoque stare Scotum cum omnibus Scotistis, ut pote asserentes de potentia saltem Dei absoluta posse videri essentiam sine attributis, & relationibus, & unum attributum videri sine alio; sic etiam loquitur Pasqual. disp. 58. sec. 1. referendo auctores pro hac sententia, quam etiam sequuntur Arriag. & Ovied. loc. cit. Altera sententia negat posse in cognitione intuitiva haberi distinctionem rationis, etiam per potentiam Dei absolutam, quam tenent Vasq. to. 2. p. 1. disp. 118. c. 2. Suar. 1. p. trac. 1. lib. 2. c. 28. Mol. 1. p. qu. 28. art. 2. disp. 3. Pasqual. cit. pro qua etiam refert in universum omnes, qui negant etiam de potentia absoluta posse clara visione videri unum attributum Dei sine alio, aut essentiam sine personis propter cognitionem intuitivam, quæ ex natura sua debet ferri in totum objectum adæquate sumptum; ita autem probant hanc sententiam, ut nedum ostendant per cognitionem intuitivam distinctionem rationis fieri non posse, verum etiam incompossibilem esse cum distinctione formali ex natura rei, unde ajunt admissa quoque formali distinctione inter divina attributa, dummodo tamen ponantur realiter identificata, non posse a Beatis etiam de potentia absoluta videri intuitive essentiam sine personis, nec unum attributum sine alio.

316 Resolvitur hoc quæstitum duabus conclusionibus, quarum Prima est per actus intuitivos distinctionem rationis fieri non posse, qualiscunque illa fuerit sive rationis ratiocinantis, sive ratiocinatæ. Conclusionem hanc tradidit Doctor pluribus in locis, nam in 1. 2. q. 7. §. *sed hic restat*, volens probare essentiam, & relationes originis plusquam ratione distingui sive ratiocinata his verbis procedit ad argumentum. Et si detur primus modus, quod paternus intellectus habeat essentiam, & proprietatem, tanquam duo objecta formalia, tunc arguo sic, intellectus ille nihil intelligit, nisi intuitive, quia ut patebit d. 7. q. 3. omnis intellectio abstractiva, & non intuitiva, est aliquo modo imperfecta, cognitio autem intuitiva est objecti, ut objectum est præsens in existentia actuali, & hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius, ergo quæ cognoscuntur intuitive, ut objecta formalia distincta, vel unum eminenter continetur in alio, vel utrumque secundum propriam existentiam terminat, actum, ut est ejus, nihil autem intrinsecum personæ divinæ proprie continetur in aliquo eminenter, quia tunc esset ens per participationem illius continentis, igitur quæcunque intrinseca sunt diversa objecta formalia intuibilia secundum propriam existentiam actualem terminant intuitionem, ut objecta, & ita habent aliquam distinctionem ante actum intelligendi. Clarius idem habet Doctor infra 1. d. 8. q. 4. ubi volens idem probare de essentia, & attributis nimirum plusquam ratione distingui, sic arguit sub lit. M. Præterea intellectus intuitivus nullam habet distinctionem in objecto, nisi secundum quod existens est, quia sicut non cognoscit aliquod objectum, nisi secundum quod existens ita non cognoscit aliqua distincta formaliter in objecto, nisi ut existens; cum igitur intellectus divinus non cognoscat essentiam suam, nisi intuitiva intellectione, quæcunque distinctio ponatur ibi in objecto, sive sit distinctorum objectorum formalium, sive ut rationum causatarum per actum intellectus, sequitur, quod ista

ista distinctio erit in objecto, ut actu existens est, & ita si ista est objectorum formalium distinctorum, in objecto erunt ista formaliter distincta, & habetur tunc propositum, quod distinctio talis objectorum formalium præcedit actum intellectus, si autem sit rationum causatarum per actum intelligendi, igitur intellectus divinus causabit aliquam intentionem in essentia, ut relationem rationis, ut existens est, quod est absurdum, ita Doctor ibidem, unde paulo infra §. *ad quæstionem*, ait postea, dico, quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis, hoc est diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, talis enim distinctio est inter sapiens & sapientiam, & utique major inter sapientiam, & veritatem; nec est ibi tantum distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argumentatum est prius, illa numquam est in cognitione intuitiva; quibus verbis manifeste docet distinctionem rationis qualiscumque per cognitionem intuitivam fieri non posse.

Idem adhuc clarius habet 1. d. 8. qu. 3. §. *contra conceptus ille*, ubi postquam docuerat modum intrinsecum non dicere proprie formalitatem seipsa conceptibilem, & inter illud, a quo accipitur conceptus communis Deo, & creaturæ, & illud, a quo accipitur conceptus proprius, non intervenire distinctionem, ut realitatis, & realitatis, sed realitatis, & modi proprii, & intrinseci ejusdem, subdit objectionem, & solutionem, his verbis, sed si arguas, ergo realitas, a qua accipitur, est finita, non sequitur, non enim accipitur ab aliqua realitate, ut conceptus adæquatus realitati, sive ut perfectus conceptus illi realitati adæquatus, sed ut diminutus, vel imperfectus; intantum etiam, quod si illa realitas, a qua accipitur, videretur perfecte, & intuitive, intuens ibi non haberet distincta objecta formalia, scilicet realitatem, & modum, sed idem objectum formale, tamen intelligens intellectione abstractiva propter intellectionis illius imperfectionem potest unum habere pro objecto formali, licet non habeat alterum; quibus verbis, utibi notant Bargius, & alii Interpretes, significat Doctor rem posse intelligi sine modo intellectione tantum abstractiva, non vero intuitiva; si ergo per cognitionem intuitivam attingi nequit distinctio inter rem, & modum ejus intrinsecum, quæ utique major est distinctione rationis, sive ratiocinantis, sive ratiocinatæ, ut constat ex dictis supra q. 10. tanto minus per ipsam fieri poterit distinctio rationis; qualiscumque illa sit; hæc loca Doctoris adeo manifesta pro hac conclusione adducere placuit, ut pateat quam immerito ab Hurt. Pasqual. & aliis Doctor adducatur pro opposita sententia. Neque ex hoc, quod Doctor cum suis sustineat posse de potentia absoluta videri a Beatis essentiam sine personis, aut unum attributum sine alio visione intuitiva, deducere debebant citati Recentiores ipsum hinc fore concessurum per cognitionem intuitivam haberi posse distinctionem rationis, imo potius oppositum. Ratio est, quia unum ex præcipuis fundamentis ad illud assertum de visione unius attributi sine alio, est distinctio formalis ex natura rei, quam tenet verfari inter essentiam, & relationes, ac inter ipsa divina attributa, ex hoc enim infert posse essentiam videri intuitive sine relationibus, ac etiam unum attributum sine alio; quod si solam rationis distinctionem inter illa agnovisset, nunquam dixisset per cognitionem intuitivam posse unum videri sine alio, quia apud ipsum nequit cognitio intuitiva facere distinctionem rationis, ut satis liquet ex locis jam citatis; non ergo rite perceperunt Recentiores in hac re mentem nostri Doctoris, nec modum loquendi ejus consequenter.

317 Cæterum in probatione conclusionis hujus caute procedendum est, quamvis enim hic asseramus per cognitionem intuitivam haberi non posse distinctionem rationis, adhuc tamen in altera mox dicemus cum distinctione formali ex natura rei compossibilem esse, atque ideo sic est probanda conclusio hæc prima, ut altera mox ponenda non destruatur; hinc aliquorum probatio non placet, qui cum Vasquez, & Suarez ex eo capite cognitionem intuitivam ab abstractiva dicernant, quod intuitiva necessario repræsentat formalitates omnes in objecto repertas, & realiter cum eo identificatas, non sic abstractiva; hinc consequenter deducunt per cognitionem intuitivam distinctionem rationis haberi non posse, cum ei ex suo genere repugnet esse præcisivam, sed tantum per abstractivam, quæ sola est præcisiva, & considerativa unius sine alio, ut v. g. animalitatis sine rationalitate, sicut ex vi ipsius nominis constat. Non, inquam, hæc probatio placet, quia hoc non est verum, ac proprium discrimen intuitivæ, & abstractivæ cognitionis, ut dictum est disp. 6. de Anim. q. 11. n. 323. esse enim expressum cujuscumque formalitatis in objecto a parte rei repertæ, & cujuscumque prædicati sive primi, sive secundi modi dicendi per se, non tam est de ratione cognitionis intuitivæ, quam comprehensivæ, ut dictum est ibid. qu. 12. Tum quia absolute loquendo dari potest notitia abstractiva, quæ attingat omnes formalitates in objecto a parte rei repertas, talis enim est notitia, quam Angeli dicuntur habere de divina essentia per speciem eis ab initio creationis impressam, ut docet Doctor 2. d. 3. q. 9. & e contra dari potest cognitio intuitiva, quæ objectum attingat, & tamen non omnes, & singulas formalitates ei realiter indentificatas, sic enim de facto oculus videt intuitive albedinem, nec tamen percipit differentiam intrinsecam individualem, qua ab alia quacumque albedine discernitur; & de possibili posset Beatus in probabili Doctoris sententia essentiam videre non visis relationibus ei realiter identificatis. Tum quia argumentum nedum probaret notitam intuitivam cum distinctione rationis compossibilem esse, sed etiam cum distinctione formali ex natura rei, quod tamen esse falsum constabit conclusione sequenti; consequentia patet, quia realis, ac entitativa identitas plurium formalitatum tam stat cum distinctione rationis, quam cum formali nostra; si ergo notitia intuitiva nequit esse præcisiva, ideoque destruit distinctionem rationis, quia exprimere debet de objecto omnes formalitates realiter identificatas, sic etiam pari ratione destruet distinctionem formalem, adeout nequeat intuitive videri in objecto totali una formalitas, quin & alia attingatur ei realiter identificata. Ex eodem quoque capite peccant rationes, quas pro hac conclusione Pasqualig. adducit loc. cit. huc enim collimant omnes, ut ostendant ideo per notitiam intuitivam fieri non posse præcisionem, & distinctionem inter plures ejusdem rei formalitates, quia cum notitia intuitiva repræsentare debeat objectum, sicuti est, debet consequenter repræsentare integram ejus physicam entitatem cum omnibus ejus prædicatis, ac formalitatibus realiter identificatis; unde consequenter probant notitiam intuitivam nedum cum distinctione rationis incompossibilem esse, sed etiam cum distinctione formali ex natura rei.

318 Aliter ergo ita deduci debet hujus conclusionis probatio, tam ex natura distinctionis rationis, tum intuitivæ cognitionis in hunc modum; distinctio rationis petit fundari in objecto, quod a parte rei sit simplex, & omnimodam dicat identitatem tam realem, quam formalem; ergo ei repugnat haberi per cognitionem intuitivam, aut cum ea compossibilem esse; antecedens patet ex dictis supra, probatur consequentia; cognitio intuitiva ex suo genere attingere debet objectum, sicut est in seipso, in hoc præsertim sensu, ut aliter non appareat in mente cognoscentis; quam sit in se a parte rei, ergo si a parte rei est omnino indistinctum, tale quoque in cognitione debet apparere, ergo nequit distinctio rationis stare simul cum intuitiva cognitione. Conf. quia distinctio rationis ponit aliquid objecto, quod non habet a parte rei, nam facit ipsum distinctum, cum tale non sit a parte rei; sed cognitio intuitiva non ponit aliquid in objecto, quod non reperiatur in ipso a parte rei, alioquin aliter illud repræsentaret, ac sit a parte rei, ergo distinctio rationis in objecto, & cognitio ejusdem intuitiva omnino repugnant.

Respondent Hurtad. & Ariag. aliud esse, quod per cognitionem intuitivam objectum appareat, sicut est, aliud autem quod apparere debeat secundum se totum, hoc secundum non est necessarium ad rationem intuitivæ, sed comprehensivæ, solum igitur primum est de ratione cognitionis intuitivæ, & hoc etiam habetur in cognitione intuitiva, quando contingit distinctio rationis, tunc enim objectum, licet non appareat secundum se totum, adhuc tamen nec apparet aliter, ac est, sed apparet sicuti est, licet non secundum se totum, & sic inquit Hurtad. posse notitiam quoque intuitivam repræsentare objectum, sicuti est, licet inadæquate, unde si intuitive cognosceretur hominem esse animal, non autem rationale, tunc adhuc cognosceretur homo, sicut est a parte rei, licet inadæquate. Hæc tamen responsio ex ipsa nostra probatione facile retunditur, nam quando objectum per cognitionem intuitivam apprehenditur partialiter tantum, & inadæquate, vel tunc apparet in objecto aliqua distinctio, & præcisio, vel non; si non, jam habetur intentum, quod distinctio rationis non stat cum intuitiva cognitione; si apparet, ergo non repræsentatur objectum, sicut est in seipso, sed aliter, nam in se a parte rei nullam admittit distinctionem, & tamen in ea cognitione repræsentatur distinctum. Unde adverte, me non ex eo capite allatam impugnare solutionem, quia dari nequeat cognitio intuitiva inadæquata, nam & ego fateor dari posse cognitionem intuitivam alicujus objecti, quæ tamen adæquata non sit, quia non attingit illud secundum omnes ejus formalitates, sed aliquas tantum, ut mox conclusione sequenti explicabitur; sed ex eo capite impugno, quod intellectus dum ratione distinguit, ponit distinctionem in objecto, quam tamen a parte rei non habet, cum ergo cognitio intuitiva repræsentare debeat objectum, sicuti est a parte rei, certe cum tali distinctione ipsum repræsentare nequibit, quia a parte rei est omnino indistinctum. Conf. quia quantumcumque concedatur notitiam intuitivam posse esse aliquo pacto inadæquatam, & præcisivam, numquam tamen poterit hinc sufficienter probari, quod possit haberi per ipsam distinctio rationis, nam semper de ratione ipsius est, quod exprimat objectum, in quod tendit, ut est a parte rei, sed exprimendo distinctionem rationis, & repræsentando multiplex, quod est unum, & idem a parte rei, non exprimit id quod convenit objecto a parte rei, sed tantum per operationem intellectus, ergo &c.

319 Altera Conclusio est, cognitionem intuitivam cum nostra formali distinctione bene consistere, eamque attingere. Conclusio deducitur ex Scoto locis omnibus citatis, ubi dicit distinctionem in objecto perceptam ab intellectu intuitivo esse debere ex natura rei realem, vel saltem formalem, quia intellectus intuitivus nihil omnino fingit in objecto, aut aliter concipit, quam sit a parte rei, nec divisive, nec præcisive; & hinc concludit, attributa divina etiam comparatione divini intellectus esse ex natura rei formaliter distincta, quia intuitive videt unum esse formaliter aliud, in qua intuitione nulla intervenit fictio, aut intellectus negotiatio; colligitur etiam a parte ex 1. d. 1. qu. 2. art. 2. ubi docet posse de potentia Dei absoluta videri ab intellectu Beato divinam essentiam sine relationibus, ac unum attributum sine alio, ea præsertim ratione, quia in-

ter

ter ilthæc versatur distinctio ex natura rei formalis. Suadetur primo ex opposito fundamento præcedentis conclusionis, ideo namque dicebamus, distinctionem rationis cum intuitiva cognitione non consistere, quia hæc non attingit de objecto, nisi quod habet a parte rei ante quamcumque intellectus fictionem, & negationem, cum sit cognitio rei, sicut est in se; quia ergo distinctio formalis in objecto reperitur ante quamcumque intellectus operationem, nil obstat, quominus stare possit cum cognitione intuitiva. Conf. quia supposita distinctione formali inter duas realitates v. g. animalitatem, & rationalitatem, potest intellectus animalitatem concipere non concepta rationalitate, nullatenus concipiendo rem aliter, quam sit, nec divisive, nec præcisive, talis autem actus erit intuitivus, non abstractivus, quia per abstractivum semper aliquo modo res concipitur aliter, quam sit, saltem præcisive; ergo cognitio intuitiva optime stat cum distinctione formali ex natura rei, minor patet, probatur major, quia intellectus attingendo hominem, quatenus animal, & non quatenus rationalem, non concipit hominem aliter, quam sit, divisive, ut patet, quia cognoscendo hominem esse animal, non ob id affirmat esse irrationalem, vel negat esse rationalem; nec etiam præcisive, quia talis præcisio supposita distinctione formali inter animalitatem, & rationalitatem, se tenet omnino ex parte objecti, & antecedit quemcumque intellectus actum; ergo neque præcisive concipit rem aliter, quam sit, quia ita est a parte rei, quod animalitas est præcisa a rationalitate, unde non facit ipse præcisionem, sed potius præcisionem jam ex natura rei factam reperit, ac intelligit. Demum, si quid obstaret, nec intuitiva cognitio stet cum distinctione, & præcisione formali ex natura rei, potissimum esset, quia distinctio formalis stat cum identitate reali, unde non videtur posse objectum aliquod intuitive cognosci, nisi simul attingantur omnes formalitates ejus invicem identificatæ; sed hoc est falsum, quia non obstante tali identitate reali adhuc bene potest una formalitas intuitive attingi, alia non attacta saltem per eundem actum, ergo &c. probatur minor, quia falsum est de ratione notitiæ intuitivæ esse, quod attingantur quæcumque sunt realiter identificata in objecto, sive sint prædicata primi, sive secundi modi dicendi per se, hoc enim pertinet ad notitiam comprehensivam, non autem intuitivam, ut dictum est disp. 6. de anim. q. 11. & 12. sed de ratione notitiæ intuitivæ est, quod immediate terminetur ad objectum in propria natura existens, & in se præsens, non autem in specie, ex quo fit, quod modo quodam experimentali debeat ferri, qui quidem modus in eo consistit, quod anima mediante cognitione experiatur ipsum esse præsens objecti, ut experitur in cognitione visiva, at in hunc modum ab intellectu saltem separato attingi potest una formalitas v. g. animalitas prout a rationalitate distinguitur, ergo &c. probatur rursus minor hujus secundi argumenti, quia formalitas a Scotistis definitur esse illam realitatem, quæ sola terminare valet actum intellectus sive abstractivum, sive intuitivum absque quod terminetur ad aliam realitatem condistinctam, tum quia ut ait Doc. 1. d. 8. q. 3. ad 1. prin. quantumvis perfecte, & intuitive videretur animalitas, numquam actu illo attingeretur rationalitas, sed ad summum modus intrinsecus ejus, ergo se sola terminare valet actum intuitivum intellectus, atque ideo quamvis una formalitas habeat cum alia necessariam connexionem in esse reali, non tamen in esse formali, & cognito; & ideo licet una nequeat esse a parte rei sine alia una tamen potest cognosci sine alia tam abstractive, quam intuitive.

In oppositum contra primam conclusionem arguit Hurt. probans per actus intuitivos fieri posse distinctionem rationis in sententia constituente formalitates objectivas; cognitio, qua a longe intuemur albedinem per oculos, est intuitiva, sed illa cognitio distinguit ibi colorem a differentia albedinis, ergo cognitio intuitiva potest distinguere objectum, probatur minor, quia illa cognitio non repræsentat clare albedinem, ut est albedo, & repræsentat albedinem, ut est color; ergo distinguit colorem a differentia albedinis, antecedens est notum, quia per illam cognitionem non determinatur intellectus ad albedinem, nescit objectum esse albedinem, cum sciat illud esse colorem, quod fieri non posset, si clare repræsentaret albedinem; probatur consequentia, quia distinguere ratione est cognoscere objectum secundum unam rationem, & non secundum aliam. Deinde ex eodem fundamento arguit Ariag. disp. 5. Log. num. 32. destruendo fundamentum oppositæ opinionis, ideo enim Thomistæ, & Scotistæ dicunt non posse per notitiam intuitivam haberi distinctionem rationis, quia attingit objectum indivisibile, prout est in se, secus abstractiva; at contra urget Ariag. quia vel attingere objectum prout est in se, dicit illud in se attingi, & hoc etiam convenit abstractivæ; vel prout est in se dicit objectum cognosci omnino perfecte; & hoc neque intuitivæ cognitioni necessario convenit, quia etiam per cognitionem intuitivam potest objectum ita cognosci, ut nequeat reddi ratio de omnibus ejus prædicatis essentialibus, quando v. g. eminus video colorem, & non possum dicere, utrum sit albus, vel niger, ergo sicut abstractiva cognitio ideo præscindit, quia per illam ita cognosco objectum, ut non possim reddere rationem de omnibus ejus prædicatis; similiter etiam præscindit intuitiva, cum etiam per illam aliquando non possim reddere rationem de omnibus prædicatis, ut patet in dicta visione albedinis.

320 Ad hoc argumentum patet ex dictis supra num. 301. negatur namque minor cum sua probatione, quod scilicet in eo casu, cum albedinem intuemur a longe; itaut discernere nequimus, an sit color albus, vel niger, tunc sensus visus attingat rationem genericam coloris sine specifica, & univesale præscindat a suo singulari, oculus enim nequit cernere universale, nec ullus sensus illud facere per abstractionem ob suam materialitatem; sive ergo de prope, sive a longe moveatur visus ab objecto, semper ab aliquo singulari movetur, & non nisi singulare videt absque aliqua abstractione, & sic in casu præfato ex accidentibus genericis, vel specificis imperfecte cognitis ab improportionata distantia percipit singulare, sensatam magis universalis v. g. hunc colorem, vel colorem cujusdam determinatæ speciei, licet innominatæ, unde & in eo casu numquam dicimus nos videre colorem, sed potius quendam colorem veluti ex nigro, & albo commixtum, quæ doctrina ibidem late explicata est, & sumitur a Doctore 4. d. 8. q. 2. lit. O. & ideo per illud argumentum nequaquam probatur cognitionem intuitivam sensatam esse præcisivam formalitatum, & abstractivam universalis a particulari. Ad aliud argumentum ex Ariag. dicendum in cognitione intuitiva objectum prout est in se, attingi utroque modo tacto in argumento, primo quidem modo, quia intuitiva terminatur immediate ad rem, vel formalitatem in propria natura existentem, & præsentem, non in specie; abstractiva e contra terminatur ad objectum in specie relucens, sive a parte rei existat, sive non, accidit enim notitiæ abstractivæ, quod objectum ejus sit in re extra actu existens, quia fit ex genere suo per repræsentativum, quod indifferenter repræsentat objectum, sive existat, sive non, unde negatur quod attingere objectum, sicut est in se illo primo modo, etiam cognitioni abstractivæ conveniat; potest etiam dici notitiam intuitivam attingere objectivum, ut est in se, juxta secundum significatum, quatenus perfectius attingitur per eam objectum, quam per abstractivam cæteris paribus, non quidem in eo semper sensu, ut in argumento tangitur, quasi per notitiam intuitivam attingantur omnes prorsus formalitates, vel prædicata ejusdem objecti totalis, non enim semper hoc exigitur ad notitiam intuitivam, ut supra dictum est 7, sed quia absque ulla fictione, aut intellectus negatione attingatur objectum per cognitionem intuitivam nullatenus illud concipiendo aliter, quam sit, quod abstractivæ convenire non potest, cum per eam semper aliquo pacto res concipiatur aliter, quam sit in se, ut supra explicatum est; tum quia ipsa semper abstrahit ab existentia, & præsentia rei in se, & in propria natura, quod imperfectionem dicit in modo cognoscendi, & repræsentandi objectum, ut late explicatum est disp. 6. de Anim. q. 11. ad illud vero exemplum de colore viso a longe iam dictum est in ea visione nullam fieri abstractionem universalis a particulari, vel præcisionem unius formalitatis ab alia.

Dices, dum intellectus unam rationem sine alia cognoscit, vel alia non cognita, dicitur præscindere, & si illa ratio cognita sine alia est pluribus communis, est abstractio universalis a suo particulari, ergo cum hoc totum interveniat in visione coloris a longe, gratis negari videtur, talem visionem non esse præcisivam & abstractivam. Respondet Pasqual. magnum inter esse discrimen inter potentiam intellectivam, ac sensitivam, illa enim est potentia universalis, hoc est, quæ habet talem rationem formalem objecti, per quam substernitur objectum cognitioni secundum omnem rationem cognoscibilitatis, cum enim quælibet ratio cognoscibilis, quæ quocumque modo est in objecto, participet rationem veri, hinc fit, ut ex vi formalis objecti quæcumque ratio substernatur potentiæ intellectivæ, e contra vero potentiæ sensitivæ sunt potentiæ particulares; hoc est, habent talem rationem formalem objectivam, quæ licet substernat totam entitatem sensibilem sensui, non tamen substernit objectum, secundum omnem rationem cognoscibilitatis, sic ratio formalis potentiæ visivæ subjicit tantum entitatem coloris; non tamen secundum omnem rationem cognoscibilem; hinc ad argumentum inquit, quod ideo quando intellectus cognoscit unam rationem sine alia, est cognitio abstractiva, & præcisiva, quia assumit unam rationem objecti, & aliam quæ ex vi suæ rationis formalis objectivæ substernitur, relinquit, non autem sic sensus; nam attingit totam entitatem sensibilem sub una tantum ratione, & ideo non potest unam rationem assumere, & aliam relinquere, quia non habet plures rationes, sed unam tantum, sub qua totum objectum attingitur materiali modo. Hæc solutio supponere videtur colorem esse objectum adæquatum visus sub præcisa ratione coloris, ut sic, non autem sub ratione etiam hujus, & illius coloris, v. g. albi, & nigri, quod tamen falsum est, ut dixi disp. 2. de Anim. n. 54. quia tunc sequeretur rationes specificas colorum esse invisibiles, quod est contra experientiam; si ergo potentia visiva habet pro objecto entitatem sensibilem hujus coloris, v. g. albi, nedum sub ratione coloris, ut sic, sed etiam talis coloris, poterit aliquando unam rationem assumere, & aliam relinquere, puta genericam sine specifica, quod est abstrahere, & præscindere, & ita præsertim dicetur contingere in casu illo de visione coloris a longe.

321 Aliter ergo in hoc casu dicendum est nullam contingere præcisionem universalis a singulari, quia falsum est album a longe visum videri præcise sub ratione coloris, & non potius sub ratione alicujus coloris, quia objectum sensu numquam potest esse natura nude sumpta, sed singularitate involuta ex dictis disp. 4. de Anim. qu. 3. Dices saltem in eo casu album non videtur sub ratione albi, ergo saltim contingit præcisio a ratione specifica albedinis, probatur consequentia, quia tunc fit præcisio in objecto, quando scimus reddere rationem de quibusdam

busdam ejus prædicatis, sed non de omnibus, quod totum contingit in visione albi a longe. Resp. non eo ipso, quod potentia non attingit objectum secundum omnem rationem ipsius dicitur actu suo præscindere a formalitatibus, vel prædicatis non cognitis, quia sic etiam sequeretur visum præscindere, cum attingit in objecto sensibili rationem colorati, non autem rationem tangibilis, unde in lacte diceretur præscindere albedinem a dulcedine, quia illam attingit præcise sine ista; requiritur ergo, quod rationes, a quibus potentia præscindere dicatur, sint suæ ditioni subjectæ, nempe quod sint a tali potentia attingibiles per suum actum; præterea ut notat Trombet. 1. Met. q. 6. §. *his positis*, & nos cum ipso disp. 4. de Anim. q. 3. num. 30. illa potentia proprie dicitur abstractiva, & præcisiva, quæ versando circa objectum includens plures rationes cognoscibiles, unam illarum abstrahit ab alia prius cognita, unde propria abstractio semper præsupponit illud, a quo fit abstractio, esse prius cognitum; & hac de causa ait Tromb. ibid. sensum non esse potentiam abstractivam, quia non percipit naturam coloris abstrahendo a singulari, sic quod feratur in colorem post cognitionem singularis, quia numquam attingit singulare sub propria ratione singularitatis, & dato quod in aliquo casu, ut in alato, apprehenderet colorem sine hoc colore, quod tamen est falsum, inquit Trom. adhuc non sequitur, quod ipse abstraheret, nisi addatur, quod præcognosceret ipsum singulare, hac enim de causa dici solet Mathematicum abstrahere quantitatem a materia sensibili, quia per intellectum cognoscit materiam sensibilem, a qua postmodum per considerationem præscindit ipsam quantitatem, considerando quantitatem sine ipsa materia sensibili; cum igitur in præfato casu visus percipiat rationem coloris absque prævia cognitione albedinis, ut sic, nequaquam dici potest præscindere juxta præfatam doctrinam de abstractione, & præcisione.

Secundo principaliter arguit Hurtad. Beatus dum intuetur divinam essentiam, non videt ex vi visionis essentiæ actus liberos Dei, ut certum est apud omnes Theologos, ergo tunc separat naturam ab actu libero, atque conficit distinctionem rationis per cognitionem intuitivam. Confirmat idipsum Ariag. nam & Beati possunt dicere v. g. Deus est productivus Angeli, & non possunt dicere est productivus Leonis, quia non vident Leonem in Deo, non enim opus est omnes creaturas a beato videri, ergo jam ille beatus cognoscit in Deo virtutem productivam Angeli, & non cognoscit virtutem productivam Leonis, cum tamen utraque virtus sit Deo essentialis. Denique rationes, quæ afferuntur ad explicandum, quomodo in beatis fine præcisionibus id fiat, eædem possunt in abstractiva applicari, & sic neque cognitio ipsa abstractiva erit præcisiva.

322 Resp. si vera est doctrina Tromb. modo allata de abstractione, & præcisione unius rationis ab alia, facile hæc, & similia argumenta dissolvi, quantumvis enim Beatus divinam intueatur essentiam non videndo decreta libera, non ob id ab eis præscindere dicetur, quia non ita ab eis abstrahit, ut ea prius cognoverit, quod ad veram, & propriam abstractionem requiritur, quia non fit abstractio ab objecto omnino incognito, nec potentia proprie dicitur abstrahere ab objecto ejus ditioni non subjecto, ut visiva non dicitur abstrahere a dulcedine lactis, quantumcumque attingat albedinem sine dulcedine, quia non est in ejus potestate eam attingere; hac igitur de causa intellectus Beati non proprie dicitur abstrahere a divinis decretis, quia illa non sunt apta videri ex vi visionis divinæ essentiæ, ut omnes Theologi fatentur, sed ex mera revelatione divina. Quod si ad abstractionem, & præcisionem sufficiat, quod potentia attingat in objecto unum prædicatum alio ignorato, quomodocumque id contingat, nec adhuc argumentum valet, quod intellectus Beatus videndo essentiam, & non decreta libera, conficiat distinctionem rationis, quia ad distinctionem rationis requiritur, ut præscindatur inter illas formalitates, & prædicata, quæ ita sunt connexa, & identificata, quod si videri debent, ut sunt a parte rei, unum videri nequeat sine alio, at visa divina essentia ex vi hujus visionis non videntur actus liberi, & ideo Beati videndo essentiam sine ipsis non dicuntur facere distinctionem rationis. Ad Conf. patet per idem, quia inter divinam potentiam, ut productivam Angeli, & Leonis non est talis necessaria connexio, ut quicumque videt eam, ut Angeli productivam, debeat quoque videre, ut productivam Leonis, quia nec Angelus, nec Leo, nec aliæ quæcumque ideæ sunt in divina essentia formaliter, & ex natura rei, sed tantum objective, & ideo ex vi visionis essentiæ attingi nequeunt, nec Beati inter ea proprie distinctionem rationis faciunt, dum unum intelligunt sine alio. Dices, saltem contingeret distinctio rationis in visione unius attributi sine alio, quæ apud Scotum non implicat, probatur sequela, quia hæc sunt in divina essentia ex natura rei, & ex vi visionis ejus omnia illa videri debent. Negatur consequentia, nam in tali visione unius attributi sine alio contingeret distinctio formalis ex natura rei, quæ inter ipsa reperitur etiam antecedenter ad talem visionem; & quamvis ex vi visionis essentiæ, quæ est objectum primarium, & totale beatitudinis, debeant & attributa videri incem connexa, falsum tamen est ex vi visionis unius debere videri & aliud, adeout oppositum contingere nequeat de potentia Dei absoluta. Ad ultimum satis constat ex dictis, quando sine ullis præcisionibus possit videri divina essentia sine actibus liberis, nec id applicari possit cognitionioni abstractivæ, quia non est in facultate intellectus Beati videre essentiam, & non videre decreta, quia ex vi visionis essentiæ non sit quoque potens videre decreta; at potentia abstractive cognoscens tunc proprie dicitur abstrahere unam formalitatem ab alia, quando utraque subditur utique ejus cognitioni, sed unam tantum attingit, & non aliam, vel ex aliquo naturali impedimento occurrente, vel ejus beneplacito, vel alio obice extrinseco.

Tertio ad idem arguit Hurtad. actio terminatur ad rem existentem, & præsentem, & tamen potest attingere unam formalitatem non attingendo aliam; ergo a pari, licet cognitio sit intuitiva, poterit attingere unam formalitatem non attingendo aliam, consequentia tenet a paritate rationis, quia actio physica fertur immediate, & intrinsece in existentiam objecti, unde magis illi repugnat non attingere totum objectum, quam intuitivæ cognitioni; probatur antecedens, quia Deus concurrit ad unam formalitatem actus mali non concurrendo ad aliam nempe ad malitiam. Conf. quia ad cognitionem intuitivam sufficit, quod attingatur aliquid existens, & præsens, at videri potest objectum sub una formalitate, ut existens, non viso sub alia, ut cum video albedinem a longe, scio esse colorem existentem, sed non scio esse formalitatem albedinis existentis, ergo &c. Tandem ex hoc deducitur ratio a priori hujus rei, quia intuitio est cognitio rei, ut existentis, ad illam immediate terminata, cui cognitioni repugnat abstractio objecti ab existentia, si enim videt illud, ut existens, non potest non videre illud absque existentia; at potest videre illud immediate, ut existens sub una formalitate quin videatur sub alia, quia formalitatem, quam videt, non abstrahit ab existentia, abstrahit autem immediate, & formaliter aliam, ut patet in allato exemplo, ergo &c.

323 Resp. negando antecedens, nam ut notat Doct. 1. d. 17. q. 2. V. quando plures causæ partiales subordinatæ concurrunt ad aliquem effectum communem per se unum numero, non esse constituendas in eo plures distinctas formalitates illis divisim correspondentes, sed eundem effectum per se unum numero secundum quamlibet sui formalitatem procedere ab illis causis partialiter, adeout sint quidem partiales partialitate causæ, non non tamen partialitate effectus, ut etiam docet de intellectu, & objecto 1. d. 3. q. 7. lit. N. Ad probationem in oppositum jam constat ex dictis supra disp. 5. qu. ult. cur Deus non dicatur causa peccati, non enim hoc ideo est, quia non concurrat ad totam entitatem physicam actus, nec attingat omnes ejus Formalitates physicas, & reales, sed præsertim, quia malitia non est formalitas physica, sed moralis, & subrepit in actu, eo quia creata voluntas deflectit a recta ratione, cum teneatur illi dare rectitudinem, & non dat, & aliis de causis ibidem explicatis, quas hic repetere non est opus. Ad conf. negatur minor, si inter illas formalitates non admittatur ad minus distinctio formalis ex natura rei, sola enim distinctio virtualis non sufficit, cum non sit vera, ac propria distinctio; ad probationem sæpius dictum est ad illud exemplum, quod videtur a longe non esse colorem, ut sic, existentem, sed aliquem determinatum colorem, qui licet talis non sit in se a parte rei, talis tamen apparet ex vi speciei repræsentantis; adhuc tamen dici debet cognitio intuitiva, quia licet non repræsentet objectum omnino, sicuti est, a parte rei, cum ex nimia distantia sit imperfecta, & aliqualiter confusa, nihilominus pendet a specie, quæ non indifferenter est objecti repræsentativa, sive sit præsens, & existens, sive non, sed omnino determinata est ad repræsentandum objectum in se præsens, & existens, licet confuse ob nimiam distantiam, neque talis confusio facit hanc cognitionem esse abstractivam, aut præcisivam proprie loquendo, quia ut dictum est num. 321. non eo ipso, quod potentia attingat in objecto unum prædicatum, & non aliud, dicitur præscindere, & abstrahere, sed aliæ conditiones requiruntur ibi enumeratæ, quæ hic non interveniunt. Ad ultimum patet per idem, neganda namque est minor, quod in prædicto casu videatur una formalitas existens sine alia, ut v. g. color sine albedine, nam videtur album non sub ratione coloris, ut sic præcise; sed cujusdam coloris determinati; & albedo sub ratione albedinis non abstrahitur ab existentia, sed potius omnino ignoratur tam quoad essentiam, quam quoad existentiam.

Contra secundam conclusionem arguunt Auctores secundæ sententiæ probantes cognitionem intuitivam nedum cum distinctione rationis incompossibilem esse, sed etiam cum distinctione formali ex natura rei, nam cognitio intuitiva repræsentat objectum, sicuti est a parte rei; ergo si a parte rei habet plures formalitates invicem necessario connexas ob realem identitatem, omnes illas simul repræsentare debet, nec unam potest sine alia repræsentare. Tum 2. quia intuitiva cognitio dicitur esse rei existentis, ut existens est, at existentia competit rebus, & non formalitatibus, nam omnes istæ existunt per unicam, & solam ejusdem rei existentiam, ergo nequit terminari ita ad unam formalitatem, quin etiam terminetur ad aliam, cum qua est realiter identificata. Tum 3. sicut implicat eandem rem simul produci, & non produci, neque hæc contradictoria componi possunt ob diversitatem formalitatum, quia hæc prædicata concernunt rem, ut existentem, ac ipsam rei existentiam, ita neque salvari potest, quod eadem res simul cognoscatur intuitive, & non cognoscatur secundum diversas formalitates ob eandem rationem, quia etiam intuitiva cognitio ad rei existentiam terminatur, & ad rem prout in se existentem. Tum 4. cognitio intuitiva debet repræsentare objectum, ut existens, & præsens, ergo debet illud repræsentare secundum totum suum esse, quantum est cognoscibile a potentia, probatur consequentia, quia non potest repræsentari præsentia obje-

objecti, nisi repræsententur ea omnia, quæ intrinsece involvit actualis, & physica præsentia, & existentia, hæc autem intrinsece involvunt totum esse completum alicujus entitatis. Tum 5. sicut implicat aliquid existere a parte rei, quod non sit aliqua integra entitas, ita etiam implicat videri aliquid, ut existens a parte rei, & non videri, ut physicam entitatem integram, & completam, si autem videtur physica aliqua integra entitas, jam videri nequit una formalitas sine alia. Tum 6. si actu intuitivo distingueretur in objecto una formalitas ab alia, deberet talis actus partialiter tantum attingere objectum, sed eo ipso actus ille intuitivus non esset, quia non repræsentaret objectum, prout est a parte rei præsens, cum non sit præsens secundum illam tantum rationem, sed secundum totum suum esse, & essentialiter prout est a parte rei, dicat omnes rationes, quas in tali esse includit, itaut præsentia cadat essentialiter supra esse entitativum. Tum demum de ratione cognitionis intuitivæ est, quod terminetur ad aliquod individuum, & singulare, quia concernit rem existentem, ut existens est, existentia autem est singularium, non universalium, ergo nequit animalitas v. g. intuitive cognosci, vel humanitas sine singularitate, ita discurrit Pasq. loc. cit.

324 Resp. ex dictis num. 319. cognitionem intuitivam ideo dici expressionem objecti, sicut est a parte rei, non quia exprimere debeat omnes prorsus formalitates in ipso contentas, quia hoc est de ratione notitiæ comprehensivæ, non autem intuitivæ, sed dicitur præcipue repræsentare objectum, sicut est, quia non repræsentat illud, ut in specie relucet, sed ut est in se a parte rei, sive illud adæquate repræsentet, sive non; identitas vero plurium formalitatum realis, & entitativa, dummodo adsit formalis distinctio inter ipsas, non facit ipsas necessario connexas in cognosci etiam intuitive quia una formalitas est terminare talem notitiam sine alia, sed facit tantum necessario connexas quoad esse, itaut sint prorsus inseparabiles. Ad 2. non desunt ex Scotistis, qui minorem negarent, cum etiam formalitatibus, & naturis a singularibus præcisis propriam tribuant existentiam, licet in esse exercito eam non possideant nisi in rebus, & singularibus, quibus Doctor ipse favere videtur 4. d. 45. qu. 3. ad 2. prin. ubi inquit, quod existentia actualis primo convenit naturæ, unde hæc natura non est existens formaliter, quia hæc, sed per naturam, illam autem naturam, ut existentem intuitive cognoscit intellectus, quod & ego aliquando docui disp. 6. de Anim. q. 7. art. 2. Sed quia postea hic in Metaph. probabilius visum est existentiam tribuere solis rebus, non autem realitatibus, vel formalitatibus nisi per identitatem, concedo minorem, sed explico majorem, cum enim dicitur intuitiva cognitio esse rei existentis, ut existens, est, non in tanto rigore intelligendum est, ut immediatum, & formale objectum intuitionis debeat esse existens propria existentia sua formali, sed in hoc sensu, ut sit secundum se præsens potentiæ, & non per speciem, nam per hoc præcipue intuitiva cognitio secernitur ab abstractiva, hoc autem nedum rebus, sed etiam realitatibus ipsis convenire potest, quia potest una realitas fieri secundum se præsens intellectui etiam in cognitione intuitiva sine alia; potest etiam dici, quod licet existentia sit tantum rerum immediate, & formaliter, tamen ipsas quoque realitates afficit per identitatem, & concomitanter, unde etiam in hoc sensu potest terminare una realitas intuitionem sine alia, quia cognosci potest, ut a parte rei existens in objecto per identitatem absque eo quod per eundem actum attingatur alia formalitas sic in objecto existens. Ad 3. patet per idem, nam cognitio intuitiva dicitur in tantum terminari ad rei existentiam, inquantum terminatur ad objectum, quod secundum se, ac in propria entitate præsens est potentiæ, non autem mediante specie, quo quidem sensu formalitas secundum propriam rationem terminare potest intuitivam notitiam, quia secundum se fieri potest præsens intellectui, vel attingi, ut existens per identitatem ad existentiam rei, cujus est formalitas; at nequaquam terminare potest physicam productionem, quia per se, & directe non est existentiæ capax, sed tantum concomitanter, ac per identitatem; unde satis constat, non eodem modo concernere rei existentiam produci, ac intuitive cognosci vel non cognosci, atque ideo hæc ultima contradictoria bene componi posse per solam diversitatem formalitatum, non tamen illa saltem in creatis.

325 Ad 4. negatur consequentia, cognoscere enim objectum, quantum cognoscibile est, spectat ad rationem notitiæ comprehensivæ, ut dictum est, non autem intuitivæ; ad probationem patet ex modo dictis, quamvis enim existentia rigorose sumpta involvat, vel supponat integrum, & completum esse rei, nam per se, & directe convenit rebus tantum, quæ habent rationem entis completi; tamen si sumatur pro sola præsentia, & actuali exhibitione sui ipsius ad potentiam, & non in specie, quo pacto accipitur, cum dicitur intuitiva cognitio esse rei existentis, ut sic; in hoc, inquam, sensu potest existentia etiam realitatibus ipsis convenire, quia & ipsæ immediate exhiberi possunt se præsentes intellectui, & non tantum in specie intelligibili. Ad 5. adhuc patet per eandem doctrinam, valet enim assumptum de existentia proprie dicta, quæ utique per se, & directe convenit rebus, & non realitatibus, nisi concomitanter, & sic etiam concedi debet consequentia, si objectum debeat videri, ut existens, hoc modo; at falsum est de ratione intuitionis esse, quod objectum, seu terminus intuitionis sit hoc pacto existens, nam sufficit, ut sit existens tantum per identitatem, & concomitanter, & dicatur attingi, ut per se existens, quatenus attingitur in se præsens, & non in specie, quod nedum rebus, sed etiam realitatibus, & formalitatibus, convenire potest. Ad 6. negatur minor cum probatione, quia ut sæpe dictum est, non est de ratione actus intuitivi, ut explicet omnes formalitates, & prædicata in objecta reperta, sed comprehensivi; unde gratis fateor, illum actum partialiter tantum attingere objectum ipsum totale, sed talis actus adhuc est intuitivus, quia formalitas, quam attingit, & exprimit, sit seipsa præsens intellectui, & per actualem exhibitionem propriæ entitatis, non autem in specie dumtaxat, ut in cognitione abstractiva contingit, & hoc sufficit ad cognitionem intuitivam partialem; ad intuitivam vero totalem, seu totius objecti bene requiritur, quod in argumento dicebatur, debere fieri præsens objectum potentiæ secundum totum suum esse, ac omnes formalitates ejus, itaut præsentia cadat supra esse entitativum rei. Ad ult. quamvis assumptum de cognitione intuitiva sensus concedit queat, quia sensus est singularium, negatur tamen de cognitione intellectuali, quia etiam naturæ communes possunt esse objectum sufficiens intuitivæ cognitionis saltem respectu intellectus separati, ut docet Doctor loc. cit. 4. d. 45. q. 3. ad 2. prin. & ad objectum intuitionis non est necessaria existentia immediate, & proprie dicta, sed identice, & concomitanter, & absolute loquendo sufficit præsentia rei in seipsa, & non in specie, per hoc enim proprie, & præcipue notitia intuitiva distinguitur ab abstractiva, quæ ex genere suo fertur in objectum, quod secundum se non est præsens, sed tantum fit præsens per speciem intelligibilem, & in hoc sensu dicitur cognitio intuitiva esse rei existentis, hoc est, in se præsentis; & non in specie, & in eodem sensu notitia abstractiva abstrahere dicitur a præsentia, & existentia objecti. Et hæc dicta sufficiant pro complemento hujus prioris tomi Metaphysici, in quo actum est de natura entis, ejusque principiis, & passionibus tam simplicibus, quam complexis; in posteriori ad inferiora entis descendendo quantum patitur metaphysica contemplatio, acturus sum de variis entis divisionibus; de essentia, & existentia entis finiti; de naturis communibus, seu gradibus prædicamentalibus; de principio individuationis earum; de substantia, ejusque subsistentia, de accidente, ejusque inhærentia, ac demum de Intelligentiis, præcipue prima, cui honor, & gloria.

FINIS.

R. P. BARTHOLOMÆI

MASTRII

DE MELDULA,

Ordinis Minor. Convent. Magistri.

Tomus Quintus:

CONTINENS DISPUTATIONES AD MENTEM

Scoti in duodecim Aristotelis Stagiritæ Libros

METAPHYSICORUM.

PARS POSTERIOR.

Editio novissima a mendis, quæ prius irrepserant, expurgata.

VENETIIS, MDCCLVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.